PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIÁSTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

ALMA COLLEGE
2084
LIBRARY
M588
Alma, California

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE FRANCIS DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CLIII.

S. BRUNO CARTHUSIENSIUM INSTITUTOR. GUIGO I, GUIGO II, PRIORES CARTHUSIÆ MAJORIS S. HUGO LINCOLNIENSIS EPISCOPUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1854

7993

SÆCULUM XII

S. BRUNONIS

CARTHUSIANORUM INSTITUTORIS

NECNON EJUSDEM SÆCULI

PRÆCIPUORUM CARTHUSIENSIUM PATRUM

OPERA OMNIA

EX VARIIS ET MELIORIS NOTÆ EDITIONIBUS NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

S. BRUNONIS TOMUS SECUNDUS, CÆTERORUM UNICUS

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M511
Alma, California

Ausgeschieden

VENEUNT 2 VOLUMINA 14 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1854

7993

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLIII CONTINENTUR.

S. BRUNO CARTHUSIANORUM INSTITUTOR.

Expositio in omnes Epistolas Pauli. *col.* 9
Epistolæ duæ. 569
Sermo de contemptu divitiarum 569
Confessio. 571

GUIGO I CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS V.

Epistolæ. 593
Meditationes. 601
Consuetudines Carthusienses. 631
Vita S. Hugonis episcopi Gratianopolitani. 759

GUIGO II CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS.

Scala paradisi. 785
Liber de quadripertito exercitio cellæ. 787

BERNARDUS CARTHUSIÆ PORTARUM PRIOR.

Epistolæ. 885

JOANNES CARTHUSIÆ PORTARUM MONACHUS.

Epistolæ. 899

STEPHANUS DE CHALMETO CARTHUSIANUS.

Epistola de perseverantia ordinis. 931

S. HUGO EPISCOPUS LINCOLNIENSIS IN ANGLIA ORDINIS CARTHUSIENSIS.

Vita S. Hugonis 937
Diplomata S. Hugonis. 1171

MAGISTER LAMBERTUS CARTHUSIENSIS DOMUS SQUILLACENSIS PRIOR.

Statuta. 1249

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

DIVI BRUNONIS

CARTHUSIANORUM INSTITUTORIS

OPERUM TOMUS SEU PARS II

CONTINENS

EXPOSITIONES IN OMNES EPISTOLAS PAULI

RECENSITUS ET EMENDATUS

Studio ac labore P. Theodori Petræi, Campensis, Coloniensis Carthusiæ alumni; idque de voluntate reverendissimi Patris generalis, totius ordinis ministri.

Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.
(Psal. LI, vers. 10.

VENERABILI IN CHRISTO PATRI

DOMINO

HECTORI HŒNIO, VITENSI,

Carthusiæ Trevirensis Priori, ac provinciæ Rheni Visitatori prudentissimo.

Alphonsus, Aragoniæ rex, ut vir erat litteris et earum cultoribus apprime deditus, cum aliquando de pretiosarum rerum jactura sermo haberetur, admodum reverende in Christo Pater, persancte affirmavit malle se gemmas, uniones ac margaritas, quas quidem possidebat in omnem terrarum orbem diffamatissimas, quam libros qualescunque amittere : nimirum judicabat libros esse scientiarum scrinia, animorum pascua, divorum oracula ; nec damnosius hominem ab ulla re quam hisce conchis et canalibus sapientiæ abesse posse. Quod si ille nec immensis opibus æstimavit quoscunque libros, nullum quippe rebatur adeo insulsum reperiri quin micam aliquam sanæ doctrinæ saperet; quanto pretio pendant oportet Carthusiani clientes sanctissimi patriarchæ sui volumina, quibus religiosæ perfectionis medulla et incognita illa filiis sæculi dulcitudo concluditur? Hæc profecto spiritualis penaria sunt, ad omnium alumnorum vestrorum necessitatem sic instructa, et sacræ Carthusianorum familiæ propria, alieno ut commeatu nihil egeat, iis vero deficientibus, mox exterorum ordinum implorare abundantiam cogeretur. Hæc domestica viridaria, quæ saluberrimas ægris sanisque animis herbas ac radices suppeditant. Hæc vestigia angelicæ doctrinæ, quam ut hæredes sui sequerentur, beatissimus Bruno tribus post se monumentis consignatam reliquit.

Ulterioribus supersedeo; jam enim conspicaris, venerabilis in Christo Pater, quem in scopum hujusmodi a me commemorari cœpta sint, videlicet ut satis tibi factum judices semestri industria mea, qui curas et facultates eo contuli, quo hæreditaria illa suppellex operum divi patriarchæ vestri a pulvere ac squalore errorum tandem detergeretur, et vestigia, quæ dixi, cœlestis doctrinæ, usu et temporis diuturnitate propemodum deleta, reformarem. Atque hæc omnia zelo excitatus R. P. V., quæ a præsenti interitu vindicavit in Lotharingia Carthusiam Rutilanam ; Trevirensem vero ea vigilantia hucusque tuetur, citius ut Argum fallas, quam in illam vitii facies, excubante Hectore Hœnio, irrepat.

Quæ cum ita sint, sicut dubitare nolim quin clarissimis utilissimisque passim facinoribus iosius omnes

boni nimiopere afficiantur, ita et secundum hunc tomum præfati D. Brunonis, quem ad universi S. ordinis vestri emolumentum recudi, et R. P. V. singulatim nuncupare visum est, gratum optatumque ipsi obventurum confido. Valeat.

Coloniæ Agripp., prid. Kalend. Octob. 1611.

Venerabilis in Christo . v.
observantiss.
Bernardus Gualteri, civis et bibliopola
Coloniensis.

DIVI BRUNONIS
EXPOSITIO IN EPISTOLAS PAULI.
S. HIERONYMI
1 PRÆFATIO IN EPISTOLAS PAULI.

Primum quæritur quare post Evangelia, quæ supplementum legis sunt, et in quibus nobis exempla et præcepta vivendi plenissime digesta sunt, voluerit Apostolus has Epistolas ad singulas Ecclesias destinare. Hac autem causa factum videtur, ut scilicet initia nascentis Ecclesiæ, novis causis existentibus, præveniret, et ut præsentia atque orientia resecaret vitia; et post futuras excluderet quæstiones, exemplo prophetarum, qui post editam legem Moysi, in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina sua rediviva semper populi compressere peccata; et propter exemplum vivendi, libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt. Deinde quæritur cur non amplius quam decem Epistolas ad Ecclesias scripserit. Decem sunt enim, cum ea quæ dicitur ad Hebræos; nam reliquæ quatuor ad discipulos specialiter sunt porrectæ. Ut ostenderet Novum non discrepare a Veteri Testamento, et se contra legem non facere Moysi, ad numerum primorum Decalogi mandatorum suas Epistolas destinavit; et quot ille præceptis a Pharaone instituit liberatos, totidem hic Epistolis a diaboli et idololatriæ servitute edocet acquisitos. Nam et duas tabulas lapideas, duorum testamentorum figuram habuisse viri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane quæ ad Hebræos scribitur, quidam Pauli non esse affirmant, eo quod non sit ejus nomine titulata, et propter sermonis stylique distantiam: sed aut Barnabæ, juxta Tertullianum; aut Lucæ, juxta quosdam; vel certe Clementis, discipuli apostolorum, et episcopi Romanæ Ecclesiæ post apostolos ordinati. Quibus respondendum est: Si propterea Pauli non erit quia ejus non habet nomen, ergo nec alicujus erit, quia nullius nomine titulatur; quod si inconveniens absurdumque est, ipsius magis esse concedenda est, quæ tanto doctrinæ suæ fulget eloquio. Sed quoniam apud Hebræorum Ecclesias A quasi destructor legis falsa suspicione habebatur, voluit tacito nomine de figuris legis et veritate Christi reddere rationem, ne odium nominis in fronte prætitulati, utilitatem excluderet lectionis. Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio, id est Hebræo, quam in peregrino, id est in Græco, quo cæteræ Epistolæ sunt scriptæ, sermone. Movet etiam quosdam quare Romanorum Epistola in primo sit posita, cum eam non primo scriptam ratio manifestet. Nam hanc se proficiscentem Hierosolymam scripsisse testatur, cum Corinthios et alios jam ante, ut ministerium quod secum portaturus erat, colligerent, litteris adhortatus sit. Sed inde intelligi quidam volunt ita omnes Epistolas ordinatas, ut prima poneretur, quamvis posterior fuerit B destinata, ut per singulas Epistolas gradibus ad perfectiora veniretur. Romanorum namque plerique 2 tam rudes erant, ut non intelligerent Dei se gratia et non suis meritis esse salvatos, et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere asserit corrigi, vitia gentilitatis priora commemorans. *Corinthiis* autem jam dicit scientiæ gratiam esse concessam, et non tam omnes increpat, quam cur peccantes non increpaverunt reprehendit; sicut ait: *Auditur inter vos fornicatio.* Et iterum: *Congregatis vobis cum meo spiritu, tradere hujusmodi Satanæ.* In secunda vero Corinthii laudantur, et ut magis ac magis proficiant commonentur. *Galatæ* vero jam nullius criminis arguuntur, nisi hoc tantum, quod callidissimis pseudoapostolis credidC runt. *Ephesii* sane nulla reprehensione, sed multa laude sunt digni, quia fidem apostolicam servaverunt. *Philippenses* etiam multo magis collaudantur, qui nec audire quidem falsos apostolos voluerunt. *Thessalonicenses* nihilominus in duabus Epistolis omni laude prosequitur, eo quod non solum fidem inconcussam servaverint veritatis, sed etiam in per-

secutione civium fuerint constantes inventi. *Colossenses* autem tales erant, ut, cum ab Apostolo visi corporaliter non fuissent, hac laude digni haberentur. *Etsi corpore*, inquit, *absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens, et videns ordinem vestrum* (*Colos.* II, 5). De *Hebræis* vero quid dicendum est, quorum *Thessalonicenses*, qui plurimum laudati sunt, imitatores facti esse dicuntur. Sicut ipse ait: A *Et vos fratres imitatores facti estis Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa: eadem enim passi estis et vos a contribulibus vestris, quæ et illi a Judæis?* (*I Thes.* II, 1.) Apud ipsos quoque Hebræos eadem commemorat, dicens: *Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam* (*Hebr.* X, 34).

PROLOGUS SPECIALIS IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Romani sunt qui ex Judæis et gentibus crediderunt. Hi superba contentione volebant se alterutrum supponere. Nam Judæi dicebant: Nos sumus populus Dei, quos ab initio dilexit et fovit, nos circumcisi ex genere Abraham, sancta descendimus ex stirpe, et notus retro apud Judæam tantum Deus. Nos de Ægypto signis Dei et virtutibus liberati, mare sicco pertransivimus pede, cum inimicos nostros gravissimi fluctus involverent. Nobis pluit manna Dominus in deserto, et quasi filiis suis cœleste pabulum ministravit. Nos die noctuque in columna nubis ignisque præcessit, ut nobis in invio iter ostenderet. Atque, ut cætera ejus circa nos immensa beneficia taceamus, nos soli digni fuimus Dei legem accipere, et vocem Dei loquentis audire, ejusque cognoscere voluntatem. In qua lege nobis promissus est Christus, ad quos etiam ipse se venisse testatus est, dicens: *Non veni nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* XV, 24); cum vos canes potius quam homines appellaverit. Æquumne ergo est ut idola hodie deserentes, quibus ab initio deservistis, nobis comparemini; et non potius in proselytorum locum ex legis auctoritate et consuetudine deputemini? Et hoc ipsum non merebamini, nisi quia larga semper Dei clementia voluit vos ad nostram imitationem admittere. Gentes etiam econtrario respondebant: Quanto enim majora erga vos Dei beneficia narraveritis, tanto majoris vos criminis reos esse monstrabitis. Semper enim his omnibus exstitistis ingrati. Nam ipsis pedibus quibus aridum mare transistis, ludebatis ante idola quæ fecistis; et ipso ore quo paulo ante ob necem adversariorum Domino cantaveratis, simulacra vobis fieri 3 poposcistis. Illis oculis quibus venerando Deum in nube vel igne conspicere solebatis, simulacra intuebamini. Manna quoque vobis fastidio fuit, et B semper in deserto contra Dominum murmurastis: ad Ægyptum, unde vos manu valida ejecerat, redire cupientes. Quid plura? Ita patres vestri crebra provocatione Dominum irritaverunt, ut omnes in eremo morerentur, nec plus ex senioribus eorum quam duo homines terram repromissionis intrarent. Sed quid antiqua replicamus, cum, etiamsi illa minime fecissetis, de hoc solo nemo vos dignos venia judicaret quod Dominum Christum, prophetarum semper vobis vocibus repromissum, non solum suscipere noluistis, sed etiam morte pessima peremistis? Quem ut nos cognovimus, statim credidimus, cum nobis de eo antea non fuerit prædicatum. Unde probatur quod, si idolis servivimus, non obstinationi mentis, sed ignorantiæ deputandum. Qui enim cognitum illico sequimur, olim utique sequeremur, si antea cognovissemus. Sic autem vos de generis nobilitate jactatis, quasi non morum imitatio magis quam carnalis nativitas filios vos faciat esse sanctorum. Denique Esau et Ismael cum de stirpe sint Abrahæ, minime tamen in filiis reputantur. His taliter altercantibus, Apostolus se medium interponens, ita partium dirimit quæstiones, ut neutrum eorum sua justitia salutem meruisse confirmet, ambos vero populos et scienter et graviter deliquisse: Judæos quidem quod per prævaricationem legis Deum inhonoraverint; gentes vero quod, cum cognitum de creatura Creatorem ut Deum debuerint venerari, gloriam ejus in manu facta mutaverint simulacra: utrosque etiam, similiter veniam consecutos, æquales esse veracissima ratione demonstrat, præsertim cum in eadem lege prædictum et Judæos et gentes ad Christi fidem vocandos esse ostendat; quamobrem vicissim eos humilians, ad pacem et concordiam cohortatur.

C

D

ARGUMENTUM.

Romani sunt partis Italiæ. Hi præventi sunt a falsis apostolis, et sub nomine Domini nostri Jesu Christi in legem et prophetas erant inducti. Hos revocat Apostolus ad veram et evangelicam fidem, scribens eis a Corintho, per Phœben, ministram Ecclesiæ Cenchrensis.

PROLOGUS B. BRUNONIS.

Paulus nondum Romam venerat, sed per quosdam discipulos ibi prædicantes, fidem susceperant aliquot Romani, partim gentiles, partim Judæi, inter quos erat inconveniens altercatio. Certabant enim Judæi se debere præferri gentilibus, et gentiles econtrario digniores Judæis debere se fieri asserebant. Causa

Judæorum hæc erat, quia repromissio hujus salvationis facta erat patribus eorum, ut Abraham, David et cæteris; quia etiam et Deus illis dederat legem et prophetas, quæ omnia præsignabant salvationem per Christum futuram, gentium autem in nullo horum meminerat; ideoque eos digne præferendos esse gentibus in hac salvatione. Econtrario gentiles opponebant, ideo Judæos debere judicari indigniores, quia si Deus tantam eorum diligentiam habuerat, ut quæ præmissa sunt illis tribueret, ipsi in omnibus abusi fuerant bonis Dei : prævaricando legem quam dederat : contemnendo prophetas quos miserat : ad ultimum Salvatorem sibi missum damnantes crucis patibulo ; quare potius in his deprimi quam exaltari deberent; sed ipsi gentiles merito præferri deberent, qui, ut primum audierunt verbum Dei, fidem susceperunt, et si ante non crediderant, quia nec legem nec prophetas habuerant, excusabiles esse asserebant. Quam seditionem quia discipuli, quorum prædicatione conversi fuerant, sedare non sufficiebant, miserunt ad Paulum, ut per magistrum [id] efficerent, ad quod auctoritas eorum insufficiens erat. Hac autem Paulus accepta occasione, scribit ad illos hanc epistolam, in qua materiam habes Romanos, A seu gentiles, ad fidem conversos; de quibus in hunc modum agit : comprimendo primum gentiles, ne efferendo se, seu de sapientia, seu de libertate arbitrii, sicque detrahendo gratiæ Christi, arbitrentur se digniores in fide quibuslibet qui fidem susceperint, cum per gratiam Dei solam fides et salvatio tribuatur. Si enim de libero arbitrio se efferunt, in eo utique plurimum rei sunt, cum habuerint naturalem scientiam, qua cognoscere possent creatorem suum sine omni docente, negligentes Creatorem, creaturas adoraverunt, et cætera multa, ad deprimendam elationem gentilium ponit. In depressione autem Judæorum, quia eos magis obstinatos sensit, quasi qui plures causas obtenderent, diutius immoratur, probans non esse superbiendum eis si legem et prophetas habuerunt, cum, in quibus placare Dominum debuissent, prævaricando semper offenderint Deum. Hæc et alia multa ad compescendos Judæos adducit, et eo fine sic agit ut utrosque, Judæos et gentiles, subjiciat gratiæ Dei, credentes nihil provenire Judæis ex genere, lege vel prophetis, neque gentilibus ex ignorantia quam obtendunt, seu ex libero arbitrio.

B

EPISTOLA AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

C

« Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, « segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de « Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei « in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex « resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini « nostri, per quem accepimus gratiam et apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro « nomine ejus : in quibus estis et vos vocati Jesu « Christi; omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis « sanctis : Gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo. Primum quidem gratias « ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus « vobis : quia fides vestra annuntiatur in universo D « mundo. Testis enim mihi est Deus, cui servio in « spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis : obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei « veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis, ad confirmandos vos : id est simul consolari in vobis, per « eam quæ invicem est fidem vestram atque meam. « Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut « et in cæteris gentibus. Græcis ac Barbaris, sapientibus ac insipientibus debitor sum, ita quod in me « promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. Non enim erubesco Evangelium. Virtus « enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo « primum, et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. Revelatur enim ira Dei de cœlo « super omnem impietatem et injustitiam hominum « eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : « quia quod notum est 5 Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis revelavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum « cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor « eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis « Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. « Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis « eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant « corpora sua in semetipsis : quia commutaverunt « veritatem Dei in mendacium, et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos « Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum « immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui « est contra naturam. Similiter autem et masculi, « relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem : masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit,

« erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non
« probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos
« Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non
« conveniunt : repletos omni iniquitate, malitia, for-
« nicatione, avaritia, nequitia : plenos invidia, ho-
« micidio, contentione, dolo, malignitate ; susurro-
« nes, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, su-
« perbos, elatos, inventores malorum, parentibus
« non obedientes, insipientes, incompositos, sine af-
« fectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui
« cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt :
« quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : non
« solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt
« facientibus. »

EXPOSITIO.

Sicut mos est in Epistolis, salutem præmittit, dicens : Paulus qui prius Saulus a Saule et genus, et nomen, et sævitiam traxerat. Hoc autem nomen Paulus, Hebræa lingua sonat quietus. Unde sicut ex auctoritate, quia hoc nomen apud omnes notum et honorabile erat, sic etiam ex auctoritate sua valet ad intentionem. Hic enim Paulus ut quietos et tranquillos inter se redderet Romanos intendit ; vel si Paulus Latine dicatur, quasi modicus, iterum bene ad rem. Hic enim laborat ut Romanos, modicos et humiles per epistolam redditos, subjiciat gratiæ Dei. *Paulus*, inquam, *servus Christi Jesu*. Quia omnibus modis ad humilitatem suadendam hic intendit, ideo nomini dignitatis, nomen præposuit humilitatis. Dicens : Paulus servus Christi Jesu regis et sacerdotis, qui solus regere valet, atque vespertino suo sacrificio salvare. Servus etiam Jesu, id est Salvatoris, præter quem nemo salvare sufficit : sic et vos exemplo meo nihil de vobis confidatis, sed penitus subjiciamini servituti Jesu Christi. Paulus, inquam, *servus* Christi Jesu, *vocatus* per gratiam Dei, non merito legis vel generis, sed per solam gratiam, ad hoc ut sit *apostolus*, cujus auctoritati vos obedire bonum est. Vel Paulus apostolus, non in occulto, sed vocatus ab omnibus, quia jam omnes cognoverunt me a Deo consecratum apostolum, unde magis mihi obediendum est. Quæ utraque sententia valet ad utrumque populum, Judæum seu gentilem comprimendum. Diversis modis vocationes Dei fiunt. Hic autem Paulus vocatus est, et per afflictionem corporis exterius ; et per vocem Christi dicentis : *Saule, quid me persequeris?* (*Act.* IX, 4.) et interiori inspiratione. Paulus hic *segregatus*, non determinat a quo, sed in quid, scilicet *in Evangelium*. Segregatus, inquam, vel ab aliis apostolis ; quia illi constituti sunt prædicatores Judæorum, ego autem gentium. Cum enim Paulus ad fidem conversus, instructus esset per aliquot dies a discipulis qui erant Damasci (*Act.* IX, 27), continuo de Christo in Synagoga docere cœpit, quare præpositus Damasci voluit eum comprehendere, sed a fratribus 6 per murum demissus est in sporta, et sic evasit manus ejus, et inde abiit in Arabiam, prædicans ibi gentibus tribus annis, post quos rediit in Hierusalem, ibique invenit Petrum et Jacobum, qui A satis prius mirati fuerant, audientes Paulum prædicantem gentibus, quem nunquam viderant, dederuntque Paulo et Barnabæ dextras societatis (*Galat.* II, 9), approbantes doctrinam eorum, seque idem prædicare dicentes : Non quod Paulum consecrarent apostolum, quem ipse Deus consecraverat, sed concordantes doctrinam ejus, ut hi qui per eos converterentur, unius et ejusdem fidei se esse crederent. Vel segregatus a lege ; quia cum ego pharisæus, id est custos, et de præcipuis in lege essem, et genere et scientia, videns eam non valere ad salvationem, separavi me ab ea. Quia si ego qui tantus eram in lege, legem deserui, quanto magis vos ab ea recedere debetis, qui longe me inferiores estis? Hæc ultima sententia spectat ad Judæos tantum, prior vero ad utros- B que. Hucusque commendavit propriam personam, tum per humilitatem, tum per auctoritatem. Hic incipit commendare prædicationem suam, dicens : Segregatus, inquam, seu a lege, seu ab apostolis aliis, veniens *in Evangelium* prædicandum. Evangelium bonum nuntium dicitur, Evangelium dico *Dei*. Nova lex Dei specialiter esse dicitur, qui non per ministrum, sed eam per propriam personam docuit. Vetus autem lex per angelum data est Moysi, et per Moysen data est Judæis ; quare non ita proprie dicitur esse Dei, *quod* Evangelium, *ante* quam daretur, *promiserat Deus*, ut ille qui daturus erat. Promittere enim convenit ei, qui rem promissam daturus est. Unde Deus quidem promisit ; prophetæ vero velut ministri, nec dare potentes, prælixerunt. In hoc autem C quod ait Deum hoc promisisse ab æterno, notat magnam diligentiam Dei fuisse in hoc Evangelio, quod ante promiserat *per prophetas*, id est per eos qui futura præviderunt. Et quia fuerunt quidam pythonico spiritu futura prædicentes, quidam etiam divinitus inspirati prophetantes, ut Balaam, nec tamen officium hoc a Deo habentes, determinat prophetas suos, qui et scientiam futurorum, et ministerium prophetandi a Deo acceperunt. Et ut hæc prophetia perpetuo maneret, promissa est *in Scripturis sanctis*, id est vel per Spiritum sanctum editis, vel sanctificantibus eos qui, sicut Scripturæ docent, operantur. Hic ingreditur commendationem Christi, a quo præmissa commendatione, ejus se accepisse apostolatum D dicit : Scripturis, dico, habitis *de Filio*. Omnis enim Scriptura, etsi de Patre seu de Spiritu sancto agat, præcipue de Filio videtur agere, quia quæcunque in Scripturis prædicta fuere, per Filium consummata sunt. De Filio, dico, non adoptivo, sed *suo*, id est consubstantiali ipsi et cœterno. *Qui* Filius *factus est*, id est facturam quamdam accepit.

Diceret aliquis : Quid hoc est miraculi, ut Filius cum Patre sempiternus factus sit in tempore? Contra hoc ait : Factus est dico, non secundum Deitatem, sed *secundum carnem*, quam in se Deitati personaliter univit in tempore. Carnem dico, assumptam *ex semine*, id est ex carne *David* ; secundum genus matris Christi, in qua facturam carnis accepit. *Ei*, scilicet, Deo, id est ad manifestationem Dei Nisi enim Chri-

stus carnem assumeret, rara vel nulla de Deo notitia hominibus esset. Christus similiter de Salomone seu Roboan natus esse dici posset; sed quia ad Abraham et David factæ sunt repromissiones de Christo, ideo de altero eorum, vel utroque natus esse dicitur ubique. Hic autem causa est quare sileat Abraham, et præponat David. Per Abraham enim justi, quia justus fuit; per David peccatores plerumque, quia graviter deliquit, accipiuntur. Sed hic ad peccatores sermo erat, utique se peccatores confiterentur, Paulus intendebat; et ideirco David in memoriam peccatorum hic posuit. Qui Christus in tempore quidem factus est; sed **7** ab æterno *prædestinatus*, id est præordinatus et dispositus est *Filius Dei* esse, assumendo carnem. Christus dico secundum quod Filius Dei est permanens *in virtute*, id est in eadem divinitatis potentia semper cum Patre. Nec secundum Deitatem prædestinatus, sed secundum solam humanitatem. Prædestinare enim de re quæ non est dicitur; Filius autem Dei in principio semper fuit. Sed quia in Christo duæ naturæ considerantur, altera divina, altera humana, propter utriusque substantiæ indivisam copulam dicitur plerumque de divina quod proprium est humanæ : ut hic, ubi dicitur prædestinatus Filius, quod in natura Deitatis esse nequit; ea similitudine qua, considerantes in homine corpus et animam, plerumque propter affinitatem dicunt de anima quod proprium est corpori, et econverso : quod genus dicendi in Christo expressius convenit, cum ibi homo Deus, et Deus homo dicatur. In homine vero corpus animam, et animam corpus dicere non licet.

Cum autem referimus, sic qui Christus, neutram naturam excludimus. Sed cum per partes exsequimur, quod divinæ convenit divinæ, quod humanæ attribuamus humanæ. Christus, inquam, prædestinatus est fieri homo : non ex concupiscentia carnis, sed *secundum spiritum*, id est de Spiritu sancto conceptus est. Spiritum dico *sanctificationis :* qui cum sanctificavit in utero matris, immunem factum a peccatis. Quia Christus Filius Dei sit in virtute, apparet *ex resurrectione mortuorum*, per hoc quod resurgens a mortuis, mortuos fecit resurgere secum, quod utique inauditum faecre non posset, nisi Deus esset. Mortuorum dico non omnium, sed eorum tantum qui fuerunt *Domini nostri Jesu Christi*. Non enim infideles secum resurgere fecit. Unde dicuntur illi potissimum consurrexisse Christo, qui cum Abraham in Ebron sepulti sunt. *Per quem* Jesum Christum *accepimus gratiam*, id est remissionem. Paulus, ut melius humilitatem suadeat, nomen humilitatis præponit nomini dignitatis. Accepimus etiam *apostolatum in omnibus gentibus*. Spiritus enim sanctus Apostolum gentium me constituit, ubi ait : *Segregate mihi Barnabam et Paulum ad opus, ad quod assumpsit* [*assumpsi*] *eos* (*Act.* XIII, 2). Accepimus, inquam, in gentibus apostolatum, *ad obediendum fidei*, id est ad hoc ut prædicaremus fidem, et post acceptam fidem, obediendum esse his quæ admonet fides, non superbiendo derogare gratiæ Dei; hoc autem debere fieri, *pro nomine ejus*, id est ad gloriam nominis Dei. *In quibus*, id est inter quas gentes, *estis* vos Romani, et gentiles, et Judæi *vocati*, id est per vocationem gratiæ Dei. Non ex merito vestro ad fidem electi estis, inquam, *Jesu Christi*, id est ad hoc ut sitis Jesu Christi; quia si modo Judæi vellent objicere se non debere subjici Paulo, cum gentium tantum apostolus sit, errarent. Postquam enim inter gentes habitant, de apostolatu ejus sunt, cujus et gentes, ut si modo quilibet alienigenæ veniant in episcopium aliquod, etiamsi natione alieni sunt, propter habitationem tamen computabuntur de ipso episcopio. Sic illi Judæi, quia ad gentes contulerant se, in gentibus deputabantur. Paulus, inquam, talis et talis, apostolus Dei, scribit *omnibus qui sunt Romæ*. Ut autem infideles excludat, subdit : omnibus dico *dilectis Dei*, id est quos Deus diligit, et ut sui fierent præelegit. His dico ex dilectione et gratia Dei *vocatis sanctis*, id est ad hoc ut sint sancti, sit *vobis gratia*, id est remissio peccatorum vestrorum; *et pax*, id est tranquillitas animi, et perseverantia in bonis, *a Deo* qui potest, *Patre nostro*, et ideo voluntatem habet; *et a Domino Jesu Christo*, qui similiter et vult et potest. Paulus multiplici et aspera increpatione correcturus Romanos, ut benigne sustineant aspera quæ dicturus est eis, eosque sibi reddat benivolos, prædicit se, gratias agentem Deo pro bonis quæ jam acceperunt, et de his quæ adhuc necessaria sunt illis omni sollicitudine orare Deum. Quasi diceret : Ego de instructione vestri multa dicturus sum vobis, sed primum **8** ante omnia dicam quod amplius mihi gratum est, et de quo magis sum sollicitus : hoc scilicet, *gratias ago Deo*. Gratias agere Deo, est totum Deo attribuere, et nihil homini. Unde ait : Gratias ago Deo, id est bona quæ jam in vobis video, gratiæ Dei ascribo, et non vobis : *Deo meo*, qui quodam spiritali [speciali] modo meus est. *Per Jesum Christum*, quem solum medium habeo inter me et Deum. Vos autem per me transitis ad Christum, et per Christum ad Deum. Et ideo gratias dico per Christum. Vobis autem gratiæ agendæ sunt per me Christo, et sic Deo. Fortassis putarent alteri, vel Judæi solum, vel gentiles, quod pro alteris tantum gratias ageret, id est bona eorum soli gratiæ Dei ascriberet; ne per hoc alter in alterum se efferat, ait : *pro vobis* Romanis, seu sitis Judæi, seu gentiles, omnibus ago gratias, et bonæ fidei vestræ ipsi soli ascribo. Determinat unde gratias agat, dicens : Inde gratias Deo refero, *quia fides Dei in vobis est*. Et vestra fides vobis solis non proficit, sed *annuntiatur in universo mundo*. Audito enim quod Romæ sit recepta fides Christi, quæ est caput orbis, suscipiunt eam cæteri, imitando caput suum. Vere bonæ vestræ fidei jam habitum, gratiæ Dei bonæ ascribo, quia in orationibus meis memoriam vestri facio, id est pro bonis quæ habituri estis Deum orans ipsi totum ascribo. Si enim bona post fidem venientia, Dei gratiæ ascribuntur, maxi-

me pro fide agendæ sunt gratiæ Deo, quæ hominem de solis peccatis trahit ad justitiam. Et quod *memoriam vestri facio, mihi testis est Deus;* quem si ad testificandum quod falsum est advocarem, falsitatis reum judicarem.

Fortassis diceret aliquis : Quia Deum non curas, ideo leviter eum falsæ rei testem advocas. Contra hoc ait : *Cui* Deo ego *servio;* servus autem ad testimonium falsitatis, Dominum non vocaret. Servio utique Deo *in spiritu meo*, id est ex voluntate, non ex coactione ; vel in spiritu, id est non in carnalibus, sed in spiritualibus servio Deo. Determinat in qua re serviat, scilicet *in Evangelio*, id est in annuntiatione Filii ejus. Hoc autem servitium magis tunc temporis gratum erat Deo, prædicare gloriam Christi, Filii Dei. Inde mihi testis est Deus quod *in orationibus meis* B facio memoriam vestri, id est facio Deum memorem vestri, sine intermissione, quia nunquam orans intermitto vos. Posset quidem orare semel in mense, et sic parum esset eos tunc non intermissos fuisse. Ideo ait : In orationibus *semper*, id est omni die continuatis, memoriam vestri habeo, non solum orans, sed etiam *obsecrans*, in quibusdam sacramentis et conjurationibus Deum obnixe postulans, *si* exauditus *habeam iter veniendi ad vos*. Habeam dico. *Quomodo*, id est sub quacunque difficultate hoc fieret, seu latronem, seu tempestatem non curarem. Habeam hoc tandem. In hoc ostendit se diu desiderasse, nec potuisse se efficere. Habeam iter aliquando, id est in quocunque tempore, seu hieme, C seu æstate hoc fieret, non curarem. Item dico pro spiritu in hoc, ut quod volo efficerem, et quia multæ res effectum habent, quæ Deo displicent, addit : *In voluntatem Dei*. Nisi enim Deus hoc vellet, effectum hujus rei potius nollem quam cuperem. Ideo volui venire ad vos, quia *desidero videre vos :* ad hoc *ut impertiar vobis aliquid gratiæ*. Vos quidem gratiam fidei jam habetis, sed cum, ad custodiam hujus, aliæ gratiæ opportunæ essent, ut gratia unitatis, non tamen determinat quam gratiam; quia ministraret eis omnem illam quam videret necessariam. Impertiar dico aliquid gratiæ, non sæcularis, ut esset si conciliaret illos cum quibuslibet principibus mundi, sed gratiæ *spiritualis*, id est quæ gratia nutriat spiritum in vitam æternam. Ne forte gratiam fidei, D quam a discipulis Pauli acceperant, inutilem opinarentur, quia dixit se daturum illis gratiam, ait : Non dico ut impertiar vobis gratiam ad initiandum vos in fide (fidem enim sanam accepistis), sed *ad confirmandos vos*, id est ad confirmandam fidem vestram in his quæ fidem comitari debent, scilicet ut unitatem habeatis. Nec alter alterum digniorem, seu indigniorem gratia Dei judicetis. Hoc quod dico desidero 9 confirmare vos, id est desidero *consolari in vobis simul*. Ubi ait simul consolari, ostendit se de errore eorum doluisse; ubi ait *simul*, innuit quod per doctrinam suam consolandi sunt; et propter utrumque æquanimiter debere eos tolerare quamlibet asperam increpationem Pauli, cum et per hoc consolandi sint, et Paulus de errore eorum doluerit, ut A que errorem ab eis auferat sollicitus sit. Consolari, inquam, desidero in vobis *per fidem vestram atque meam :* factam eam, id est talem quæ est invicem, id est quæ eamdem vicissitudinem habeat, ut sicut fides mea totum ascribit gratiæ Dei, sic vestra faciat. Vel aliter : Consolari cupit per fidem meam factam vestram, ut omne bonum credatis esse per gratiam Dei; fidem vestram dico, factam eam, id est talem *quæ est invicem*, id est modo suo subservientem, ut sicut ego (quod magistri est) præcipiendo doceo, sic vos (quod discipulorum est) obediendo discatis. Ego utique desideravi venire ad vos, sed non potui, *quia prohibitus sum*. Prohibitiones hæ quandoque fiebant Paulo per Spiritum sanctum, plerumque per pericula latronum, seu tempestatum in mari. Quare autem venire prohibitus sum, *nolo vos ignorare, fratres* mei in fide.

Si enim causam hujus prohibitionis diligenter inquiratis, vobis proderit ad correctionem, dum pro peccato contentionis vestræ me esse prohibitum intelligetis. Hoc inquam *nolo vos ignorare* quia *sæpe proposui venire ad vos, et prohibitus sum venire usque adhuc*. Ubi ait *adhuc*, ostendit se multoties prohibitum esse, quasi diceret : Sicut sæpe proposui, sic sæpe prohibitus fui. Venire, inquam, proposui ad vos, ideo *ut habeam in vobis*, quod et habeo in aliis, *aliquem fructum*, id est, vel ut vos me docente correcti, fructificetis in melius; vel ut ego fructum mercedis recipiam, quia laboravi in vobis. Habeam, dico, in vobis, *sicut* habeo *in cæteris gentibus*, id est, ut sicut alias gentes docui omnia referre gratiæ Dei, sic et vos edocti a me idem faciatis, nec a doctrina vestri et aliarum gentium cessare queo; ego enim *debitor sum*, id est ex debito prædico, sic enim mihi est injunctum a Spiritu sancto, *Græcis ac barbaris*. Præter Græcos omnes gentes vocat barbaros : sed Græci semper sapientiam præ cæteris sectati sunt, et etiam in Græcia Paulus primum Ecclesias de gentibus constituit; et in illis seu Græcis, seu barbaris, debitor sum *sapientibus et insipientibus;* quia apud Græcos sunt sapientes et insipientes; et sic apud barbaros. Et sicut aliis gentibus debeo, sic debitor sum *evangelizare vobis*, Judæis et gentilibus conversis, *qui Romæ estis*. Quod scilicet evangelizare *promptum est*, id est paratum est, secundum hoc quod *in me* est, id est in quantum ad me pertinet. Videte ne vos imparatos auditores inveniam. Vere promptum est in me, ego enim *non erubesco Evangelium*. Tribus modis erubescit quis Evangelium : vel cum miserias Christi, crucem, mortem, etc., stulte verecundatur prædicare; vel cum corrupte vivens, justitiam timet prædicare, ne reprehendatur aliter docere, et aliter vivere; vel [cum] ad confirmationem prædicationis suæ virtus miraculorum deficit.

Sed Paulus nullo horum modo erubescebat. Propterea non erubesco Evangelium : *nam* in Evangelio præsto *est* mihi *virtus Dei*, qua et peccata dimitto,

et miracula operor. Quod Evangelium dico, valens omni credenti in habendam salutem per fidem qua credidit : *omni credenti* dico, scilicet *Judæo primum*, tempore credenti ; in Judæa enim cœpit Ecclesia Christi. Credenti etiam *Græco*, id est gentibus, quia Græci secundum scientiam caput erant gentium, ideo per Græcos quoscunque gentiles significat. Vel ita Evangelium salus est credenti Judæo, et Græco primum, id est maxime, quia sufficientem salutem dabit utrique. Vere per Evangelium habetur fides, et per fidem salus æterna. *Nam* in eo Evangelio *revelatur* et cognitione et habitudine ; *ex fide*, id est per fidem ex Evangelio acceptam, *justitia*, id est exsecutio bonorum operum, per 10 quam justitiam habetur salus æterna. Quia si per Evangelium fides, per fidem autem justitia, per justitiam vero salus æterna, igitur per Evangelium salus ; addit quiddam amplius, quod ad rem valet, sic : *Revelatur ex fide* eundo *in fidem*. Non sic ait ut diversas fides intelligat, sed ut doceat multos gradus esse in fide. Romani sanam quidem fidem habebant de Christo, sed in hoc errabant, quia non omnia gratiæ Dei attribuebant : in quo gradu fidei Paulus eos locare intendit. Ex fide habetur justitia, et inde salus. *Sicut scriptum est* in Habacuc propheta : *Justus autem ex fide vivit* (*Habac.* II, 4). Per prophetam confirmat Evangelium ; ait enim propheta : Ex fide quæ per Evangelium habetur, fit homo justus, bene operando, et per justitiam vivit in æterna salute. Hucusque blanditus est Romanis, dicendo se sollicitum de salute eorum, ut æquo animo suscipiant correctiones Apostoli. Hic autem primo aggreditur gentiles, quos facilius posse corrigi intelligit, ut postea diutius in confutatione Judæorum immoretur ; attamen autem sic dicens ingreditur : Vere ex fide justitia ; et ex justitia salus. Nam per contrarium *ex impietate*, id est ex non fide, seu ex idololatria sequitur *injustitia*, id est mala opera ; et ex injustitia sequitur *ira Dei*, id est damnatio æterna, saluti contraria, quod æquipollenter sic ait : Vere ex fide revelatur justitia ; et sic salus. Nam *super omnem impietatem :* super dicit, ad oppositionem impietatis ; et cum dicit impietatem, magis est quam si diceret omnes impios. Si enim impios diceret, omnes quidem impios, sed non pro singulis impietatibus opprimendos diceret. Sed cum dicit omnem impietatem, et omnes impios pro singulis impietatibus puniendos esse insinuat. Super omnem utique impietatem ; ex qua infidelitate procedit injustitia, id est perversa cogitatio vel operatio ; et super omnem injustitiam *revelatur*, id est cognoscitur esse ira Dei venturi de cœlo in die judicii. Tunc enim revelabitur his qui usque ad diem illum non crediderint Christum esse judicem omnium. Vel *ira Dei revelatur de cœlo*, quia ipsum elementum in ornatu et factura sua ostendit metuendam esse iram ejus, qui talem creaturam formavit. Revelatur, inquam, *ira super injustitiam hominum*, *eorum* hominum dico, *qui veritatem*, id est veram

A cognitionem de Deo, quam naturaliter habent, vel habere possunt, eam *detinent*, id est retrahunt, ne quod natura exigeret, ascendat ad aliquid magis de Deo agnoscendum. Detinent utique eam *in injustitia*, id est per mala quæ operantur. Vere impii veritatem Dei sic detinent ; *quia quod notum est Dei*, id est quod cognosci potest de Deo, illud *manifestum est*, si non in actu rei, tamen *in illis*, id est in rationibus eorum, et in potentia intellectus sui. Vere quod notum est Dei, manifestum est in illis omnibus potentialiter. Nam *Deus manifestavit* in actu *illis*, id est quibusdam illorum, hoc quod notum est Dei.

Quod si quibusdam revelatum est in actu, constat quia manifestum est in potentia. Plato enim et quidam philosophi naturaliter cognoverunt esse B unum Creatorem omnium, non tamen sine adjutrice gratia Dei. Probat quod Deus quibusdam actu revelavit hoc, et modum revelationis subdit, dicens : Vere Deus quibusdam revelavit. *Nam invisibilia ipsius* divinæ essentiæ *conspiciuntur a creatura mundi*, nec obscure sed lucide intellecta, *per illa quæ ea sunt ;* per invisibilia Patrem significat, quia a nullo ducit principium, sicut Filius et Spiritus sanctus a Patre. Ideo autem pluralem numerum posuit, quia infirmitas humani intellectus non sufficit considerare in Deo, nisi per interpositiones temporum, quæ in eo naturalia et simul sunt et uno ictu (si fieri potest) consideranda. *Sempiterna quoque virtus ejus*, id est ejus divinæ essentiæ, id est Filius, C qui virtus et sapientia Patris dicitur, semper cum Patre æternus, *et divinitas*, id est bonitas. Unde et bonos homines, divinos vocamus. *Bonitas*, id est dilectio ejus divinæ essentiæ, scilicet Spiritus sanctus, qui nihil aliud est quam bonitas et dilectio Patris et Filii. Hæc, inquam, virtus et 11 divinitas conspiciuntur intellecta, per ea quæ facta sunt. Homo enim invisibilia intelligere nequit, nisi per ea quæ videt. Sed cum aspicit aliquem regem magni imperii, per eum quodammodo intelligit, eum regem longe majorem qui istum creavit. Cum vero videt virtutem seu sapientiam in aliquo, cogitat multo magis virtutem esse et sapientiam in eo qui dedit illi. Sic de bonitate seu dilectione Dei, per bonitatem creaturæ potest cognosci. Hanc autem D virtutem et divinitatem in Deo naturaliter pensare sufficisset, etsi illa nomina, id est Filius et Spiritus sanctus ignorarent. Idem enim est virtus et divinitas seu dilectio Dei, quod Filius et Spiritus sanctus virtus et divinitas Dei per ea quæ sancta sunt intelliguntur. *Ita ut* homines *sint inexcusabiles* ex hoc, *quia*, *cum cognovissent Deum*, si non actu, tamen per potentiam ejus intellectus naturalis, *non glorificaverunt Deum*, colendo et honorando eum *sicut Deum*, *aut gratias egerunt*, id est bona cogitationis suæ, non gratiæ Dei, sed sibi attribuerunt. Deo quidem non egerunt gratias, *sed in cogitationibus suis* se efferentes *evanuerunt*, a similitudine fumi, qui quanto plus ascendit, tanto amplius nihil fit, et quia superbiendo evanuerunt, *ideo cor*, id est

intelligentia eorum prius subtilis *obscurata est* propter superbiam, adeo ut fieret *insipiens*. Evanuerunt utique. Nam dixerunt sapientes esse se, id est a seipsis, sine dono Dei, sapientiam suam esse. Et vere cor eorum obscuratum est : nam hoc *dicentes*, et ita esse credentes *facti sunt stulti*, et sic de superbia in ignorantiam, de ignorantia in stultitiam lapsi præcipitati sunt : adeo quod *mutaverunt gloriam incorruptibilis*, id est invariabilis *Dei*, præter quem omnis creatura variabilis, et ideo corruptibilis est; gloriam utique ejus Dei *mutaverunt* non in verum hominem,' sed *in imaginem corruptibilis hominis*. Et ut expressum facerent sibi simulacrum, mutaverunt hoc in similitudinem imaginis, id est in similem imaginem, colentes creaturam loco Creatoris. Prius in similitudinem hominis; dehinc in similitudinem *volucrum*; postea in similitudinem *quadrupedum*; et post hoc in similitudinem *serpentium* mutaverunt cultum et religionem Creatoris gentiles. Sicut dictum est : Quia in intellectu superbierunt, ideo intellectu privati sunt. Quia iterum Creatorem respuerunt, in cultura creaturæ puniti sunt. Iterum quia, ut natura docebat, Deum glorificare noluerunt, sed, ad quod natura repugnabat, creaturas coluerunt, ideo ad peccata quæ contra naturam sunt, devoluti sunt, sicut sequitur : *Propter quod*, id est quia quod contra naturam fuit, creaturas coluerunt. Ideo subtrahendo gratiam, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, ut animo cuperent. Dehinc *in immunditiam*, id est in opus desideratæ immunditiæ : ad hoc, inquam, sic tradidit illos, *ut corpora sua afficiant*, id est contaminent *contumeliis*, id est his pollutionibus, quæ si violenter inferrentur eis, pro magna contumelia haberent ; afficiant dico *in semetipsis*, id est vel alter in alterum, vel in semetipsis. Hoc intellexerunt debere fieri non a Deo, qui prius de intellectu se efferebant.

Quod dixit superius *mutaverunt gloriam*, id repetit, ut enumeret modos mutationis, dicens : *Qui* gentiles *commutaverunt veritatem*, id est cultum quem naturalis veritas asserebat exhibendum esse Deo, *in mendacium*, id est in creaturas quas mendaciter fingebant esse deos, et postquam finxerunt, *coluerunt*, id est adoraverunt eos. Dehinc etiam *servierunt* offerendo, et immolando *creaturæ*. His tribus modis mutaverunt gloriam Dei : Prius mendaciter putaverunt idolum esse Deum ; dehinc adorando ; tertio hostias immolando. Servierunt utique creaturæ, judicantes hoc *potius* esse *quam* servire *Creatori*, qui Creator in aversione eorum nihil perdit : *est* enim *benedictus in* omnia *sæcula*, quidquid adorent illi : *amen*, id est profecto ita est. Quod iterum superius ait : *Tradidit illos Deus in desideria*, hic repetit idem, ut pœnam peccati comparet ipsi peccato. Quia sicut, quod natura exigebat, Creatori cultum **12** denegantes, ad non naturalem cultum creaturarum se contulerunt, sic ipsi in non naturalia peccata devoluti sunt.

Enumerat etiam ipsum peccatum quomodo in utrumque sexum sit diffusum, dicens : *Propterea*, A quia servierunt creaturæ et non Creatori, *tradidit illos Deus* privatos gratia sua *in passiones ignominiæ*, id est in ignominiosa peccata [facta], quæ licet caro male concupisceret, tamen ipsa natura violentiam patiebatur, dum in se non naturaliter operaretur. Enumerat passiones ignominiæ, dicens : Traditi sunt utique in ignominias. *Nam feminæ* horum gentilium *immutaverunt naturalem usum* viri *in eum* usum *qui est contra naturam*, ut una abuteretur altera, quia naturalem cultum Creatori negaverant. *Similiter autem*, ut feminæ, *masculi*, *relicto naturali usu feminæ*, *exarserunt in desideriis suis in invicem* ; ut alter alterum igne libidinis incensi concupierint, et sicut animus eorum desideraverat, opere *complentes turpitudinem*, *masculi in masculos*. *Et* sic *recipientes* B *mercedem erroris sui*, id est pœnam illius peccati. Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, recipientes hanc non in damno possessionis, vel filiorum, sed *in semetipsis*, quia ipsi iidem hac pœna puniti sunt. *Quam* utique mercedem *oportuit*, id est conveniens fuit eos recipere; ut quia, quod natura monebat ne facerent, spreverunt Creatorem et adoraverunt creaturam, recte comparatum est ut, pro hoc non naturali peccato, in non naturale peccatum et pœnam peccati præcipitarentur. Et *sicut*, quia in non naturali cultu creaturæ peccaverunt, per non naturalia peccata puniti sunt ; sic quia *non probaverunt Deum habere in notitia*, id est quia non habuerunt Deum in cognitione sua, quem merito cognoscendum ipsa natura probabat, C id est quia in cognitione Dei sibi naturaliter concessa, abutendo ea per superbiam peccaverunt : *ideo* opportune cognitione priori amissa, *tradidit illos Deus in reprobum sensum*, quia recto sensu ut[i] noluerunt. Tradidit, inquam, ad hoc, *ut faciant ea quæ non conveniunt*, id est quæ ipsa natura satis aperte intelligeret non convenientia esse. Primum quia concessa cognitione abusi sunt, putantes hoc bonum naturalis intellectus a se et non a Deo esse, privati sunt concesso intellectu, et Creatorem derelinquendo contra naturam creaturas coluerunt, quare iterum per naturalia puniti sunt. Sed quia adhuc non pœnituerunt post non naturalia, in alia mala præcipitati sunt, sicut sequitur :

D Illos tradidit Dominus in reprobum sensum ; illos dico *repletos omni iniquitate*, quia et omnes iniquitates habuerunt, et singulas ad plenum. Cum dixit omni iniquitate, comprehendit omnia quæ sequuntur ; sed ut magis illos deterreat, singula genera iniquitatis enumerat, dicens : Vere omni iniquitate, quia repletos *malitia*. Malitiose enim agebant in proximos, auferendo bona eorum, vel verberibus eos afficiendo. Repletos etiam *fornicatione*. Fornicationem vocat quidquid fit præter legitimam uxorem, quæ sicut causa generandæ prolis, sic causa vitandæ fornicationis dicitur. Repletos etiam *avaritia*, illicite retinendo sua, vel concupiscendo aliena ; et repletos *nequitia*. Vel a nequeo, nequis, vel a nomine, quod est nequam, dicitur nequitia ;

quia nequeunt se continere ab illicitis. Qui autem se continere nequit, non est dicendus aliquis. Plenos etiam *invidia*; quia, licet non sibi cupiant bona aliorum, tamen eos non habere vellent hæc bona. Plenos etiam *homicidiis*, quæ non solum manibus, sed tractatione et consensu fiunt. Plenos *contentione;* quia inter se clamoribus et opprobriis litigant. Plenos *dolo;* quia aliud agunt et aliud cogitant. Plenos *malignitate;* quia contraria benignitati semper in amaritudine animi sunt. Qui etiam sunt susurrones, mala de proximo ad proximum transferentes occulte; detractores etiam, bona quæ sunt auferentes, mala quæ non sunt imponentes. Ne hæc duo facilia viderentur; quia pro verbis tantum non se crederent damnari, **13** aggravat hæc duo, dicens : *Susurrones et detractores, odibiles Deo.* Eos etiam dico *contumeliosos*, id est contumelias turpitudinis inferentes sibi vicissim; *superbos*, id est se superponentes aliis, vel superponere cupientes; *elatos*, qui nec pares sibi, nec se majores pati possunt; ut Cæsar, qui noluit pati majorem Pompeium, nec Pompeius parem sibi Cæsarem, *inventores* etiam *malorum* seu malarum consuetudinum seu tormentorum; *non* etiam *obedientes* carnalibus *parentibus*, quod natura admonet etiam in pullis avium; *insipientes*, id est indiscreti ad bonum et ad malum; *incompositos* et vestimentis, et per immodificationem membrorum : per hæc enim quæ extra videmus, sic de interioribus pensamus; *sine affectione*, id est sine applicatione animi ad aliquod dignum; *absque fœdere*, id est sine colligatione animi : quia enim fœdera valent ad nutrimentum fidei, ut semper multiplicarentur, prohibita sunt conjugia in eadem cognatione, quæ jam satis vinculo propinquitatis fœderata est; qui etiam sunt *sine misericordia :* quia si quos viderint miseros, non habent ad eos viscera misericordiæ. In his omnibus gentiles pro præmissis peccatis puniti sunt. Sed quia necdum per hæc pœnituerunt, præcipitati sunt in aliud malum, ut excæcati promitterent sibi impunitatem peccatorum. Unde sic ait : Qui gentiles excæcati sunt *non intellexerunt : quoniam* illi *qui talia agunt*, ut prædicta sunt, *digni sunt morte* æterna. Hoc modo non intellexerunt, *cum* prius naturaliter *cognovissent justitiam Dei :* qua cognitione privati dicti sunt, quia inde superbierunt. *Digni* utique *sunt morte : non solum qui faciunt* ea prædicta, *sed etiam qui consentiunt facientibus.* Consentire, secundum Ambrosium, est si quæ possit reprehendere taceat, aut hæc audiens adulatur. Si ergo facientes prædicta mala, et consentientes eis, damnatione digni sunt, nemo gentilium mortem hanc evadet.

A B C D

CAPUT II.

« Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis « qui judicas. In quo enim alterum judicas, teipsum « condemnas. Eadem enim agis quæ judicas. Sci- « mus enim quoniam judicium Dei est secundum « veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem « hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et « facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divi- « tias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis « contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœ- « nitentiam te adducit? Secundum autem duritiam « tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in « die iræ, et revelationis justi judicii Dei; qui red- « det unicuique secundum opera ejus. His quidem « qui secundum patientiam boni operis gloriam et « honorem et incorruptionem quærunt, vitam æter- « nam. His autem qui sunt ex contentione, et qui « non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, « ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem « animam hominis operantis malum, Judæi primum « et Græci; gloria autem et honor et pax omni ope- « ranti bonum, Judæo primum et Græco. Non enim « est acceptio personarum apud Deum. Quicunque « enim sine lege peccaverunt, sine lege perlbunt, et « quicunque in lege peccaverunt, per legem judica- « buntur. Non enim auditores legis justi sunt apud « Deum, sed factores legis justificabuntur. Cum enim « gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ « legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, « ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scri- « ptum in cordibus suis, testimonium reddente illis « conscientia ipsorum, et inter se invicem cogita- « tionum accusantium, aut etiam defendentium, in « die cum judicabit Deus occulta hominum, secun- « dum Evangelium meum, per Jesum Christum. Si « autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in « lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem « ejus, et probas utiliora, instructus per legem; « confidis teipsum esse ducem **14** cæcorum, lumen « eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipien- « tium, magistrum infantium; habentem formam « scientiæ et veritatis in lege. Qui ergo alium do- « ces, teipsum non doces; qui prædicas non furan- « dum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœ- « charis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; « qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis « Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos bla- « sphematur inter gentes, sicut scriptum est. Circum- « cisio quidem prodest, si legem observes; si au- « tem prævaricator legis sis, circumcisio tua præ- « putium facta est. Si igitur præputium justitias « legis custodiat, nonne præputium illis in circum- « cisionem reputabitur? et judicabit id quod ex na- « tura est præputium, legem consummans, te, qui « per litteram et circumcisionem prævaricator es « legis. Non enim qui in manifesto, Judæus est; ne- « que quæ in manifesto in carne est circumcisio; « sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio « cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex « hominibus, sed ex Deo est. »

EXPOSITIO.

Hucusque gentiles secundum priorem statum satis dehonestavit, ostenso quod de ignorantia excusari non possunt : cum naturaliter cognitionem de Deo habuerint, qua propter peccatum privati sunt. Hoc autem de solis gentilibus dictum transfundit hic in

utrosque, id est in Judæos et gentiles, dicens utrumque populum inexcusabilem. Quia si Judæus dicat se fuisse peculiarem populum Dei de genere Abrahæ natum, legem et prophetas habuisse, cumque sic Deo dilectus sit, non esse credendum quod Deus hunc permittat perire adeo dilectum, licet erraverit, improperetque gentili quod salvatione indignus sit, cujus nec aliquando Deus memor fuerit; si vero econverso dicat gentilis Judæum salute indignum, quia cum Deum per legem cognoverit, sicut Deum glorificare noluit, seque ideo præferendum putet Judæo, quia, ut primum de Deo audivit, statim credidit, neque reum esse eorum quæ per ignorantiam peccavit : contra utrumque agit Apostolus dicens gentilem de ignorantia inexcusabilem, quia naturalem habuit cognitionem : Judæum vero frustra in lege vel genere gloriari, cum semper deterior fuerit, unde meliorari debuerit, prævaricando legem, fide degenerando ab Abraham, et similia. Quasi diceret : *Propter quod*, id est quia qui faciunt et qui consentiunt, digni sunt morte : ideo tu, *homo* unanimiter vivens et intelligens, omnis Judæus et gentilis, *inexcusabilis es*, tu, dico, *qui judicas*, id est damnas alium. Si enim tu, Judæe, dicis te præferendum gentili, quia dilectus Deo fueris, quem dicis nec aliquando memorem fuisse gentilis; vel si tu, gentilis, præferas te excusatum per ignorantiam Judæo, qui Deum per legem sibi cognitum inhonoravit. uterque inexcusabilis es : et gentilis, quia naturalem cognitionem habuit; et Judæus, quem lex et naturalis intellectus de Deo docuit. Vere uterque inexcusabilis es, *quia in eo condemnas teipsum, in quo tu judicas alterum*, sive Judæus gentilem, sive gentilis Judæum. Si enim lex data damnat Judæum, quia non custodivit eam : lex naturalis similiter non custodita damnat gentilem. Vere teipsum condemnas. *Nam* tu *agis eadem quæ judicas*, id est damnas in alio. Si enim tu, Judæus, pro prædictis gentilem putas damnandum, tibi vero eadem scelera agenti, pro lege et genere putas esse parcendum, frustra opinaris. Econtrario, si tu, gentilis, damnas Judæum, quia legem habuit et non custodivit eam, in eo damnas teipsum prævaricatorem naturalis legis. Vere *in quo judicas alterum, damnas teipsum.* Nam nos, qui auctoritatis magnæ sumus, hoc, *quoniam contra eos qui agunt talia* sicut prædicta sunt, *est judicium Dei*, non secundum ignorantiam quam tu, gentilis, frustra prætendis : nec secundum genus Abrahæ, in quo tu, Judæe, gloriaris, sed *secundum* puram *veritatem*, id est secundum actus singulorum, Judæi et gentilis, nos *scimus;* tu autem existimas, id est falso opinaris hoc, o homo, seu Judæus, seu gentilis, qui judicas eos qui talia agunt quæ prædicta sunt, et ea tu ipse facis. Hoc, inquam, *existimas, quia tu effugies judicium Dei*, id est unde alium damnandum judicas, ex eodem te impunitum evadere credis. Primum quia putant fieri judicium Dei secundum dignitatem vel indignitatem personarum, et non secundum opera, cadunt in hoc malum, quod impunitatem sibi pollicentur; et iterum per malum impunitatis sibi promissæ, ruunt in aliud, in hoc, scilicet quod abutuntur bonitate et patientia Dei, quod ibi supra ait, quia tu effugies judicium Dei, idem supra significaverat, ubi ait. *Non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte* (*Rom.* I, 32); in utroque agens de impunitate, quam sibi promittunt. Sed ibi tantum de gentilibus, hic vero de utrisque intelligit, et ante putando te effugere judicium Dei, contemnis divitias ejus bonitatis; dictum a similitudine potentis : qui si porrigeret cibum alicui, ille vero cui porrigeretur indignans eo uti projiceret eum, videretur sic spernere non cibum, sed datorem cibi. Sic ille qui abutitur bonitate Dei, non utens ea ad correctionem, ad quam Deus dat, hic reus est non tantum præteritorum, sed etiam contemptæ majestatis. *Divitias bonitatis* ideo dicit, quia Deus et temporalia abunde dat malis, quibus nec digni essent, ut, considerantes benignitatem Dei, revertantur ad eum. Dat etiam magistros qui doceant, et intelligentiam qua ad Deum reverti bonum esse sciant, et multa alia. An divitias bonitatis *ejus contemnis*, et divitias *patientiæ ejus*, quia non in uno sed in mille peccatis te patitur; et divitias longanimitatis, quia per multa tempora correctionem tui sustinet, contemnis, inquam, *ignorans quoniam benignitas Dei* per bonitatem, patientiam et longanimitatem, quantum in se est, *adducit te ad pœnitentiam?* Benignitas Dei, quantum in se est, vocat te ad pœnitentiam; sed *secundum duritiam tuam*, id est secundum actus tuos obstinatos in malo, et secundum *cor* tuum *impœnitens;* quia nec a malo opere recedis, nec te male operari intelligis. Sunt enim quidam in malis operibus obstinati, qui tamen se male agere credunt. Tu, inquam, secundum cor impœnitens, *thesaurizas tibi iram*, id est congregas tibi propriam damnationem futuram *in die iræ*, id est communis damnationis impiorum. Die enim *revelationis justi judicii Dei;* quia in die illo Christus esse judex omnium credetur ab impiis, qui semper hoc negaverunt. Tunc enim videbit eum omnis caro : *qui Deus reddet tunc unicuique*, et Judæo et gentili, *secundum opera ejus*, non parcens gentili pro ignorantia, nec salvans Judæum pro lege, vel genere Abrahæ. Quod dixit in toto, per partes exsequitur, dicens : *Unicuique reddet secundum opera. His quidem qui* sunt *boni operis*, id est qui bene operati sunt *secundum patientiam*, id est non abutentes patientia Dei, sed corrigentes se cum sustinerentur a Deo. Vel secundum patientiam, quia æquanimiter toleraverunt quæcunque adversa pro Deo. His utique reddet *gloriam*, id est claritatem corporis et illuminationem animæ. Et reddet *honorem*, quia in præsentia Christi inter honorabiles; quia cum angelis Dei reddet etiam *incorruptionem*, id est permanentem statum in gloria et honore, quæ per horam habere possent et perdere. His cum hac determinatione dico *quærentibus vitam æternam*, id est si bene operentur amore vitæ æternæ; non quæ-

rentes inde temporalia lucra vel gloriam mundi; his qui sunt boni operis, sic reddet; *his autem qui sunt ex contentione*, id est qui se contentiose alternatim præferunt, hoc vitium maxime reposcit; quia in hoc laborabant, et ab hoc eos deterrere nititur. His, inquam, qui contendunt *et qui non acquiescunt veritati*, quando bonum suadetur eis; ut Romani qui nolebant acquiescere discipulis Pauli, *sed credebant iniquitati*, præferentes se alter alteri; his utique erit *ira*, id est æterna damnatio, et talis ira quæ sit *indignatio*. Impii enim in ignem positi graviter indignabuntur sibi ipsis, quod male egerint, et interim dum illud judicium morabitur, *in omnem animam hominis operantis* **16** *malum. Judæi* dico *primum*, id est maxime operantis malum; quia et naturalis, et datæ legis reus est, *et Græci*, id est gentilis, qui de naturali lege solum arguitur, in animam operantis malum. Judæi indifferenter et Græci erit *tribulatio*, id est damnatio *et angustia*. Hoc est illud quod dixit indignatio, quia determinat de malo quod fieret, et post judicium et ante. De bono vero non ante, sed post judicium dicit, quid illi futurum sit interim dum veniatur ad judicium. Operanti malum erit tribulatio. Omni vero operanti bonum : *Judæo* secundum tempus *primum* bene operanti; in Judæa enim principium habuit Ecclesia Christi; *et Græco*, id est gentili, posterius tempore *operanti bonum*, erit *gloria*, id est illa claritas *et honor*, quia inter honorabiles erit; *et pax*, id est in gloria et honore diuturna tranquillitas. Vere Judæo et gentili indifferenter dabitur gloria, si solummodo bene operati sint.

Nam *apud Deum non est acceptio personarum*, ut Judæum male agentem salvet, quia habuit legem; gentilem bene meritum reprobet, quia non fuit de carne Abrahæ, cujus fidem melius est imitari, quam ab eo lineam generis trahere; cum multi de Abrahami carne, in gentes transierint, multi vero de gentibus, fidem Abrahæ imitando, se dignos promissionibus Abrahæ fecerint, et in Judæos reputati sint ut proselyti. Probat Deum non accipere personam Judæi seu gentilis; quia utrumque judicabit, et modum judicii futuri in utrumque exponit, dicens : Vere *apud Deum non est acceptio personarum;* quia judicat omnes, et eos qui sine lege, et eos qui in lege sunt. *Quicunque enim peccaverunt sine lege*, id est non habentes legem scriptam, ipsi *peribunt sine lege*, id est damnabuntur non de prævaricatione scriptæ legis, sed tantum naturalis. Hoc de gentilibus dictum est, et *quicunque peccaverunt in lege*, id est habentes legem scriptam, ut Judæi, ipsi *judicabuntur per legem*, id est de prævaricatione datæ legis adjuncta peccatis eorum damnabuntur. Opponeret Judæus, licet transgressus in lege fuerit, se tamen non damnari, sed parcendum sibi a Deo. Contra hoc Paulus : Vere habentes legem de peccato judicabuntur, quoniam *apud Deum non* sunt justi; et si apud homines revereantur *auditores legis*, id est qui solummodo legem audierunt, nec eam operati sunt ut Judæi, *sed factores legis*; sive eam audierint, sive eam solummodo operati sint; illi *justificabuntur*, seu fuerint gentiles, seu Judæi : solummodo opus legis compleverunt. Hic versus qui sequitur, solummodo de gentilibus agit : probans eos salvari per legem naturalem, facientes eadem quæ sunt scriptæ legis, et damnari si non fecerint. De utroque agit hic versus, et de salute gentilium propter opus legis, et de damnatione eorumdem, si non operati sint legem, ac si opponeretur Paulo : Dicis quod quicunque factores legis fuerint, salvabuntur, sed gentiles salvari non debent, quia etiamsi opus legis faciunt, indifferenter hoc faciunt, non ducti ratione [[nomine]], sed casu [causa], ut illi qui de nullis per Scripturas instructi sint.

Contra hoc Paulus : Vere gentiles si fuerint factores legis, justificabuntur, et econtrario si malum operati sint, ira et indignatione damnabuntur; ex merito debent salvari pro bono, et puniri pro malo. *Quia ipsi sibi sunt lex*, id est naturalem legem in seipsis habent : ipsi, dico, non habentes legem ejusmodi, id est scriptam sicut Judæi, et vere *ipsi sibi sunt lex :* cum hoc sit *quod gentes quæ legem* scriptam *non habent*, id est gentiles, *faciunt ea quæ sunt legis* scriptæ, id est, quæ scripta lex præcipit, *naturaliter*, id est naturalem legem sequentes. Nec indifferenter ea quæ legis sunt faciunt, quia *qui ostendunt* per operationem *scriptum* esse *in cordibus suis opus legis*, deserendo mala, adhærendo bonis; hoc enim est opus legis, declinare a malo et facere bonum. Quod si per legem naturalem non creditis gentiles salvari, nihil hoc salutem eorum impedit; quia *in die cum judicabit Deus*, apparebit opus legis scriptum fuisse in cordibus eorum. Tunc in illo die conscientia ipsorum, quæ tunc omnibus palam fiet (ibi enim singulorum **17** opera omnibus palam erunt), reddente illis testimonium de bonis seu malis quæ fecerunt. Multos enim testes tunc habebunt, cum conscientia eorum nemini occultabitur, et sicut de operibus, sic *conscientia* eorum *reddente illis testimonium* cogitationum, quia sicut opera, sic justificabuntur etiam cogitata. Cogitationum dico accusantium eos, si malæ sint; aut etiam defendentium eos, si bonæ sint : et hoc inter se, quia quæ mala fuerint, accusabunt bona et invicem; quia econtrario bona impugnabunt mala. Hæc pugna fiet in illis, quorum bona vel mala incerta sunt; sed in quibus bona sine admistione malorum certa sunt, ut in sanctis, et in quibus mala sine refrigerio bonorum certa sunt, ut in valde malis, in his non erit accusationis hujus vel defensionis colluctatio : sed certa salus, valde bonis; indubitata damnatio, valde malis : hoc autem testimonium operum et cogitationum reddet illis sua conscientia in die illo *cum judicabit Deus occulta omnium hominum*, id est incerta eorum vel bona vel mala. Judicabit utique *per Jesum Christum*, qui constitutus est judex omnium *secundum Evangelium meum*, id est secundum quod ego annuntio, quia Deus per Christum judicabit omnia. Probavit gentilem posse salvari naturaliter, facientem opus scriptæ legis. Nunc

autem probare incipit nihil prodesse Judæo, quod Judæus dictus est qui legem et circumcisionem habuit, nisi opus legis et circumcisionis impleverit, dicens : Gentilis legem naturalem habuit, tu autem, Judæe, et naturalem et scriptam legem habuisti.

Considerandum est quod de Judæo et gentibus secundum priorem statum agat Apostolus : *Tu*, inquam, *cognominaris Judæus*, id est hoc dignitatis cognomen habes, quod Judæus diceris. Ante Judam Machabæum illi solum de tribu Juda Judæi vocabantur, Israel autem omnes dicebantur, sed a Juda Machabæo, propter probitatem ejus dicti sunt omnes Judæi. Concedo, ait Paulus, te cognominari Judæum, quia tu *requiescis in lege*. Aliæ enim gentes erroneæ sunt, non habentes documenta vitæ; sed tu quietem habes in scientia legis, *et gloriaris in Deo*, quia in Israel tantum dicitur notus Deus (*Psal.* LXXV, 1). Aliæ gentes quasi sine Deo sunt, unde te jactando gloriaris. *Nosti et voluntatem ejus*, scilicet Dei, quid fieri scilicet velit, quid non. *Et* tu, instructus *per legem*, *probas utiliora*, id est de utilibus legis utiliora discernere nosti. *Confidis* etiam *teipsum esse ducem cæcorum* gentilium; quia si qui de gentilibus in Judaismum transire voluerint, doces eos observare Sabbatum et cætera legis, cum adhuc nescientes quid hæc significant cæci sint. Confidis etiam te esse *lumen eorum qui in tenebris sunt;* cum enim illi observaverint Sabbatum, adhuc ignorantes mysterium Sabbati, illuminas eos docendo quid hæc significent, et ad quid valeant, et sic de tenebris ignorantiæ educis. Confidis etiam te esse *eruditorem insipientium* Judæorum; quia si qui in lege insipientes sint, doces eos esse sapientes. Confidis etiam te esse *magistrum infantium;* quia si quid simplices nec fari de lege noverint, doces eos disputare de lege; te etiam *habentem formam scientiæ*, quia si quis velit considerare de lege quanta sit, sciat eam tantam esse, quanta scientia tua in ea est; habentem etiam formam *veritatis in lege*, quia et scientia legis, et quæcumque docet vera esse nosti. Possumus enim habere scientiam Ovidii, nec tamen vera esse scimus, quæ ibi narrata intelligimus. Ergo, quoniam quidem dux es cæcorum, et de doctrina legis illuminans eos : *Tu qui alium doces*, *quare non doces teipsum?* Sic cum debes per legem proficere, rejiciendo opus legis, amplius reus esse convinceris. Tu etiam *qui prædicas non furandum*, quare *furaris ?* Furabantur inter se Judæi res suas plerumque; quod autem deterius est, furabantur sanum intellectum de lege. Tu etiam, *qui dicis non esse mœchandum*, quare *mœcharis?* Mœchabantur ad litteram, mœchabantur etiam adulterinum intellectum ponentes in lege, postquam sanum sensum legis furati fuerat. Tu etiam, *qui abominaris idola*, id est qui gentiles, colentes idola, **18** nec homines vocandos esse judicas, quare *sacrilegium facis*, id est : tu ipse quare colis idola? Plerumque enim Judæi ad culturam idolorum lapsi sunt; faciebant sacrilegium, denegantes Christo cultum suum. Sacrilegium enim est creaturam quod naturaliter Creatori debet negare, cultum scilicet Deo. Tu etiam *qui gloriaris in lege*, id est qui jactas te solum legem habuisse, quare *inhonoras Deum per prævaricationem legis?* Prævaricari in lege est non facere quæ facienda præcipit, et facere quæ fieri interdicit. Judæi autem deserendo legem, faciendo contraria legi, Deum inhonorabant, quantum ad opinionem hominum, nihil tamen gloriæ ejus detrahentes. Vere Deum, in quantum vobis est, inhonoratis, *quia nomen Dei blasphematur per vos inter gentes.* Cum enim gentes videant vos contraria legi facere, justitiam Dei profanare, ritis gentilium communicare, et similia, dicunt et putant Deum sic vos instituisse, nec satis provide tales cultui suo delegisse. Hoc Ezechiel dixit, licet aliis verbis, de Judæis inter gentes dispersis, transeuntibus ad idololatriam. Unde Paulus sic ait : Hoc quod dico Deum blasphemari per vos, inter gentes dico, *sicut scriptum est;* Scriptura enim in hac re testimonium perhibet. Et quia prævaricatus es in lege, ideo *circumcisio tua præputium facta est*, id est non plus valet te esse circumcisum, quam gentilem præputiatum. Sicut superius asseruit nihil prodesse quod Judæus vocaretur, quodque legem haberet; ita probat hic nihil valere circumcisionem illi, qui circumcisionis mysterium non impleverit. Illa enim abscissio carnis significat carnalem generationem, quæ in peccatis est, debere abscindi, et spiritualem generationem exinde esse tenendam.

Diceret Judæus : Si circumcisio sit præputium, pro nihilo data est, cum non prosit. Contra hoc Paulus : *Circumcisio quidem prodest; si observes legem* circumcisionis, id est si, quomodo circumcisio signat, omnia vitia a te circumcidas, prodest quidem, observata lege; sed, si sis prævaricator legis circumcisionis, non abscindendo vitia cordis, circumcisio tua sic facta est præputium, id est non est utilior tibi quam præputium gentili. Circumcisio dicitur ipsa munditia carnis. Præputium, id est caro quæ amputabatur, dicitur ipsa immunditia; quia caro ipsa reclinatorium sit libidinis. Et quia circumcisio lege circumcisionis non observata fit præputium, igitur præputium, si justitias legis circumcisionis custodiat, fiet circumcisio. Sed ne aliquis audeat contradicere, ponit sub interrogatione, dicens : *Si præputium*, id est gentilis (quem tu ipsam immunditiam judicas, te autem circumcisionem, id est ipsam munditiam), si, inquam, præputium *custodiat justitias legis* circumcisionis, quod vitia cordis abscindat, etiam carne non amputata, *nonne præputium illius* custodientis legem circumcisionis *reputabitur in circumcisionem*, id est : nonne sic proderit illi quemadmodum circumciso lex custodita circumcisionis; et nonne præputium *quod* est *consummans*, id est implens, *legem* circumcisionis, *et hoc ex natura*, id est per naturalem legem, *judicabit*, id est damnabit, *te* comparatione sui ? te, dico, *qui es prævaricator legis* servatæ *per litteram;* quia lit-

teralem custodiam eligis, et spiritualem rejicis, prævaricator etiam es per *circumcisionem* in carne habitam, et in corde non observatam. Vere circumcisio fit præputium. Nam *qui in manifesto*, id est solo nomine Judæus est, hic non est credendus esse Judæus; neque circumcisio quæ est in manifesto, et ita *quod in carne tantum*, et non in corde, hæc non est dicenda circumcisio. Probat iterum quod præputium (sicut dictum est) fiet circumcisio, dicens : Judæus in manifesto, non est Judæus, *sed* ille *qui in abscondito*, id est in operum exhibitione *Judæus est*, etsi non vocetur hoc nomine; *et circumcisio cordis facta in spiritu*, id est spiritualiter impleta, *non* in *littera*, id est non litteraliter, ut carnalis; hæc utique spiritualis est et vera circumcisio : *Laus cujus*, id est 19 quæ laudabilis circumcisio *non est ex hominibus, sed est ex Deo.* Deus enim solus justitiam cordis dare potest; homines vero amputare carnem, et nihil aliud possunt.

CAPUT III.

« Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas « circumcisionis? Multum per omnem modum. Pri- « mum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei. « Quid enim si quidam illorum non crediderunt? « Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? « Absit! Est autem Deus verax, omnis autem homo « mendax, sicut scriptum est : « Ut justificeris in ser- « monibus tuis, et vincas cum judicaris (*Psal.* L, 6). » « Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, « quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus qui in- « fert iram? Secundum hominem dico. Absit! Alio- « quin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si « enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in « gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam pec- « cator judicor? Et non sicut blasphemamur et sicut « aiunt quidam nos dicere, faciamus mala ut ve- « niant bona, quorum damnatio justa est. Quid er- « go? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim « sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, si- « cut scriptum est : quia non est justus quisquam, non « est intelligens, non est requirens Deum (*Psal.* XIII, « 2).» Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum « (*Ibid.*, 3).» Sepulcrum patens est guttur eorum, lin- « guis suis dolose agebant, venenum aspidum sub « labiis eorum (*Ibid.*). » Quorum os maledictione et « amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad ef- « fundendum sanguinem (*Ibid.*). » Contritio et infeli- « citas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt; « non est timor Dei ante oculos eorum (*Ibid.*).» Scimus « autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in « lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et subdi- « tus fiat omnis mundus Deo; quia ex operibus legis « non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem « enim cognitio peccati. Nunc autem justitia Dei « sine lege manifestata est, testificata a lege et pro- « phetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, « in omnes et super omnes qui credunt in eum. « Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt, A « et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam « ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Je- « su; quem proposuit Deus propitiatorem per fidem « in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, « propter remissionem præcedentium delictorum in « sustentatione Dei, ad ostentionem justitiæ ejus in « hoc tempore, ut sit ipse justus et justificans eum « qui ex fide est Jesu Christi. Ubi est ergo gloriatio « tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? « Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim justi- « ficari hominem per fidem sine operibus legis. An « Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Imo « et gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui « justificat circumcisionem ex fide, et præputium per « fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit! B « Sed legem statuimus. »

EXPOSITIO.

Quia probavit superius præputium fieri circumcisionem, et econverso circumcisionem fieri præputium, opponeret per hoc Judæus, nihilo plus sub Veteris Testamenti statu collatum esse sibi, quam gentili. Ad hoc refellendum ait Paulus inserendo objectionem Judæi : Quia dixi præputium reputari in circumcisionem, et econverso, ergo propter hoc dicturus est mihi : *Quid amplius* collatum esse *Judæo* in veteri statu, quam gentili? *aut quæ utilitas* fuit *circumcisionis* Judæo, cum gentili idem valeat et præputium? Pro nihilo videretur facta circumcisio, C lex superflue data, si absque his potuit bonum legis et circumcisionis haberi, sicut ostenditur in gentili. Habuit utique Judæus in veteri statu multo amplius collatum sibi (etiam si non observavit), quam gentilis; quod enim circumcisus est et edoctus de cæteris in lege, præparationes bonæ fuerunt et quædam instructiones, ad intelligendum fidem Christi. Sed gentilis nullam penitus 20 instructionem, præter naturalem intellectum habuit. Non tamen *amplius* dico *Judæo quod* in fide Christi dignior habendus sit *gentili*, sed utique magis præparatus est ad fidem. Quare si non consensit fidei, magis damnatus quam gentilis; si vero consensit, non tamen gentilem dignitate fidei excessit. Quæris quid amplius collatum sit Judæo! *Multum* utique, et *per omnem modum*, D et secundum animam, et secundum corpus, et in unoquoque, et in corpore et in anima, multa bona facta sunt Judæo, quorum nihil gentilis habuit. In corpore, quia liberavit eos ab inimicis, et dedit eis terram repromissionis, etc. In anima, quia instruxit eos per legem, et habuerunt cognitionem Dei, etc. Et multa similia contulit eis, et in corpore et in anima. De quibus ait Paulus : Multa quidem reponere possem ad comprobandum amplius esse collatum Judæo quam gentili; sed *primum*, id est quia hoc præcipuum, est ad probandum quod intendo ponam istud, ideo amplius collatum esse Judæo, *quia credita*, id est proposita sunt illis ad instructionem eorum *eloquia Dei*, præcepta quæ Deus dedit in lege et prophetis. Contra hoc Judæus iterum : Per data

eloquia amplus non fuit Judæo quam gentili, quia non credidit eloquiis Dei.

Vere ait Paulus : amplius per credita eloquia fuit Judæo ; *quia si quidam illorum* Judæorum *non crediderunt* eloquiis Dei, et ideo reprobati sunt, quid impedit ad hoc ut non sit amplius collatum Judæo quam gentili ? Nihil utique impedit ; quia, quantum in Deo fuit, præparavit eos ad fidem, licet increduli permansissent. Vere si quidam illorum non crediderunt, nihil impedit ; quia Deus, quod promiserat, propter incredulitatem eorum, implere non dimisit. *Nunquid* enim *incredulitas eorum* quorumdam *evacuavit fidem*, id est impletionem promissorum Dei ? Nihil utique eorum quæ promisit Deus inexpletum dimisit, et ideo nihil amplius impedit habuisse Judæum, licet quidam in incredulitate damnati sint. Quæro an propter incredulos evaquata sit fides Dei ? Sed *absit* hoc, ut fides Dei aliquo modo possit vel credatur evacuari ! quia, licet quidam illorum non crediderint, tamen *Deus est verax*, id est impletor omnium quæ promisit. Deus utique verax est, sed *omnis homo* quicunque sit, seu Judæus seu gentilis, *mendax est*, id est peccator. Deus enim ad salvandum veniens, omnem hominem sub peccato reperit, et secundum merita salute indignum. Unde palam est fidem et salvationem Dei Judæis et gentilibus æque provenire ex gratia. Mendacium dicitur omne peccatum ; quia omnis creatura, quæ naturaliter obsequi debet Creatori suo, cum transgreditur mandatum Dei, mendosam facit naturam suam, deserens puritatem in qua creata est. Quia Deus sit verax, assero etiam per Scripturæ testimonium. Hoc enim dico *sicut scriptum est* de veritate Dei in psalmo : Deus procul dubio verax est. Ait enim David : *Justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L, 6), id est : justificando me, verus appareas in promissionibus tuis. Illud ut ad continuationem psalmi legitur, in quo agebat David multorum criminum reus, ut de proditione militis, de morte proximi, de illicita concupiscentia et adulterio agebat, ut horum omnium consequeretur veniam, de qua certus erat per repromissionem sibi de Christo factam, quæ ad eos solum facta est qui per Christum salvandi erant ; unde confidit se emaculandum ab hoc crimine, alioquin enim indignus esset futura salvatione.

Præterea notandum est quod cum David, nullum prætendens meritum, ex sola gratia confidat se salvandum, seque in peccatis confiteatur, quo nemo sanctior vixit in lege, neminem ex merito posse salvari, sed per solam gratiam. Justificeris utique in sermonibus tuis, *et vincas* impios, *cum judicaris* ab illis non esse Filius Dei, cum vincas eos de hoc justificando homines sicut promisisti. **21** Vel vincas cum judicaris, id est participaris alicui, ut mihi. Aiunt enim me non salvandum propter peccatum, licet mihi repromissus sis. Hic quiddam ingreditur Paulus, quod ab incepto alienum videtur ; imponebatur enim ipsi et aliis apostolis, quod docerent bonum esse peccare, quia quanto plura essent peccata hominum, tanto gloriosior appareret Deus, dimittens omnia, quotquot essent, accipientes inde occasionem ; quia *ubi abundavit delictum, superabundavit ibi gratia*, et similia. Quod hic destruere ingreditur Paulus, et satis bene ad rem. Hic enim probabit omnem salutem esse ex gratia Dei, et nihil ex merito hominis, dicens : Quia omnis homo mendax reus inventus est ; Deus autem omnem reum justificans ex gratia in promissis verax est. Per hoc apparet quod *iniquitas nostra commendat* justitiam Dei, id est commendabilem facit Deum, per solam gratiam justificantem homines a peccatis ; et hoc utique verum est, quia quanto gratia ejus copiosior est in remissionem peccatorum, tanto procul dubio commendabilior est Deus. Sed licet quæcunque peccata sint dimittat, non tamen inde causam peccandi dat. Iniquitas nostra commendat Deum, sed si hoc est, quod ex iniquitate nostra commendabilior sit Deus, *quid ad hæc dicemus ?* Mirabile quid videtur inde consequi. Ideo quid dicemus, quia *nunquid Deus iniquus est, qui infert iram*, id est ultionem, propter peccatum, quod commendabiliorem facit Deum ? Æquitati videtur hoc esse contrarium. Hoc quod dico non satis esse æquum, quia punit peccatum quod commendat eum, quod totum *dico secundum hominem*, id est secundum carnaliter intelligentem. Sed ex me hoc dico : *absit* hoc ut Deus iniquus sit, quia peccatum punit ! Et hoc probat ab impossibili, dicens : Vere Deus non est iniquus, inferens iram ; quia *alioquin*, id est, si *Deus* iniquus esset, *quomodo judicabit hunc mundum ?* Non est credendum ut ille qui constitutus est judex totius mundi, iniquus sit, et hoc impossibile. Vere si iniquus est Deus, mundum non judicabit, quia nec me solum. Me autem ideo non judicabit de peccato, quia sic gloriam ejus augeo. *Si enim in meo mendacio*, id est propter meum peccatum : *abundavit veritas Dei*, id est abundantius ostenditur Deus ex veritate promissionis suæ dimisisse peccata. Abundavit dico *in gloria ipsius* Dei : quia quanto plura dimisit, tanto gloriosior de misericordia cognoscitur. Si utique peccatum meum causa est gloriæ ejus, *quid adhuc*, id est quare etiam in hoc mundo *et ego* (ut alios omittam) *judicor*, id est contemnor *tanquam peccator ?* Deberem de peccato hoc argui, in quo augeo gloriam Dei ? Cur etiam non facimus mala, ut bona misericordiæ Dei per hoc veniant in augmentum, *sicut* nos *blasphemamur* a quibusdam credere ? *Sicut* etiam *nos aiunt* illi quidem non solum credere, sed etiam *dicere*, et prædicare hoc aliis, *faciamus mala*, id est certatim peccemus, *ut veniant bona*, id est ut Deus habeat quod multipliciter remittat. *Damnatio quorum* ita nos blasphemantium *justa est*, id est juste damnandi sunt pro hac blasphemia. Quia si pro peccato blasphemiæ judico hos debere damnari, constat quod non prædico quod peccare bonum sit. Hi autem qui sic sentiebant de misericordia, in misericordia esse gratiam Dei prædicabant. Quia superius probatum est omnem hominem esse mendacem, et Judæum

et gentilem, igitur, o Judæe, dic mihi, *quid*, id est quæ causa est quare præcellere debeamus eos, scilicet gentiles in salvationem? *Nequaquam* utique *præcellimus eos*. Vere non præcellimus. *Causati enim sumus*, id est convenientibus causis et rationibus comprobavimus *Judæos et gentiles omnes* (neminem excipio) *esse* non solum in peccato, sed ita *sub peccato* depressos, quod nemo per se posset resurgere, sine gratia adjutrice. Probat de Judæis quod omnes sub peccato sint, dicens : In eo quod dico omnes 22 Judæos sub peccato esse, Scriptura mihi testimonium perhibet. Hoc enim assero *sicut scriptum est* in psalmo : *quia non est justus quisquam*. Illud quia in ordine psalmi legitur, non est utique quisquam justus, id est deserens malum et faciens bonum. Et hoc ideo, quia *non est* quisquam *intelligens*. Ideo autem non intelligunt, quia *non est* quisquam *requirens Deum*. Quia si Deum requirerent, utique intelligerent, et intelligentes sectarentur justitiam. Nemo in Judæis justus est, sed omnes declinaverunt male operando in seipsis. Quod nec sufficiens fuit illis, sed etiam *facti sunt inutiles*, id est depravationi aliorum intendentes; qui adeo declinaverunt, quod *non est* inter eos *qui faciat bonum*.

Nec dico ut, pluribus a bono exclusis, aliqui in bono remaneant; sed non est inter eos faciens bonum, eundo *usque ad unum* (*Psalm.* XIII) : quia nec unus faciens bonum inter eos relinquitur. Vel non est faciens bonum, donec veniatur ad unum, id est ad Christum per fidem. Qui enim fide ad Christum venerit, hic utique bonum facit. Non est in eis qui bonum faciat, sed *guttur eorum est patens sepulcrum;* quod receptis cadaveribus fetet, et adhuc ad recipienda cadavera patet. Sic illi et de prioribus peccatis fetent, et adhuc ad patranda scelera inhiant; et (quod aperte facere non possunt) agebant *linguis suis dolose* (*Psal.* XIII, CXXXIX), aliud cogitando, et aliud simulando, *et sub labiis eorum* (*Deut.* XXXII), id est in corde quod est sub labiis, est *venenum aspidum insanabile :* quia nemo, quandiu consenserit illis, poterit sanari. *Os quorum* Judæorum *plenum est maledictione*. Maledicebant enim Christo, dicentes eum filium fabri, et similia. Plenum est etiam os eorum *amaritudine* (*Psalm.* IX). Amara verba dicebant, inclamantes : *Crucifige, crucifige eum* (*Marc.* X, et *Luc.* XXIII). Et *pedes*, id est affectiones *eorum* Judæorum, sunt *veloces ad effundendum sanguinem*. Prius enim voluntate effuderunt sanguinem Christi, quam actu. Et quia adeo iniqui sunt, ideo *in viis*, id est operibus, *eorum est contritio*, id est misera per orbem eorum dispersio, facta per Romanos. Est etiam in operibus eorum *infelicitas*, id est animarum damnatio, quæ sola infelicitas dicenda est. Et hoc totum fuit eis ideo, quia cognoscere *noluerunt viam pacis*, id est Christum, per quem itur ad veram pacem. Et sicut non cognoverunt eum dilectione, sic nec etiam timore. *Non est* enim *timor Dei ante oculos eorum :* quia etiamsi in natura timorem Dei haberent, et Deum timendum esse bene reminiscerentur, tamen timorem Dei tunc non habuerunt ante sed post oculos, quia contempserunt. Diceret fortassis Judæus hæc dicta esse de gentili. Contra quod Paulus : Tu, Judæus, fortassis arbitraris hæc non esse dicta de te; sed ego et quicunque sancti *scimus*, auctoritati quorum non est obnitendum, scimus utique *quoniam quæcunque loquitur lex*, id est psalmus iste, procul dubio *loquitur his qui sunt in lege*, id est Judæis; hoc nos scire dicimus, *ut* per hoc dictum *obstruatur omne os*. Judæo enim convicto non est qui repugnet, cum gentilem sub peccato non dubium sit ulli. Et sic convictis omnibus *subditus fiat omnis mundus*, tam in Judæis quam in gentilibus, *Deo;* id est confiteantur omnes per solam gratiam Dei se salvari. Et justum est ut omnis mundus subditus sit Deo, et nemo legi; *quoniam non justificabitur aliquis ex operibus legis coram Deo*, etsi in oculis hominum justus videatur. Sed omnis qui est in lege permanet ibi caro, id est carnalis. Vere nemo justificabitur ex operibus legis. *Nam per legem* habetur *cognitio peccati*, et non justificatio a peccatis. Quia si aliqui, ut Moyses et David, sub lege justificati sunt, non hoc habuerunt ex lege, sed per fidem Christi, quem Redemptorem credebant et exspectabant. Sic omnes justi sub veteri lege non per legem, sed per Christum justificati sunt, quem credentes exspectabant venturum.

Nota : in prima conditione hominis, homo superbiendo 23 cecidit; quem Deus diu exspectavit, ut, si posset, per naturalem intellectum resurgeret. Ad quod postquam homo se inefficacem comperit, dixit quia, si legem haberet, per quam mala a bonis, et e converso bona a malis discerneret, sic tandem resurgere posset. Deus autem, ut hominem ubique per se impotentem ostenderet, dedit legem qua bona a malis discernere posset; nec tamen sic liberari potuit. Deus utique sic futurum de homine bene cognoverat, sed pro voto hominis et naturalem intellectum dimisit, et postea legem indulsit, ut, per hæc concessa non liberatus, crederet se nihil esse per se, et sic ad gratiam Dei confugeret, quam Deus post naturalem intellectum, post legem, quæ ad justificationem non sufficiebant, convenienter indulsit, postquam jam nec putari poterat aliud genus salvationis. Et quia per legem sola cognitio peccati, igitur *nunc* tandem hoc ostenso, *manifesta justitia est Dei sine lege*, id est apertum est Deum justificare credentes, per solam gratiam sine omni lege. Illud autem illativum est : quæ justitia Dei *testificata* est per gratiam fieri, *a lege* Moysi *et* a cæteris *prophetis*. Probato quod justitia Dei fiat sine lege, subjungit per quæ fiat : per fidem scilicet, et per effusionem sanguinis Christi, dicens : Justitia Dei non fit per legem, sed fit *per fidem Jesu Christi in omnes illos qui credunt*. Quicunque enim in Christum credit, justificabitur a peccatis, *et* etiam *super omnes;* quia justificatus nunquam tantum mereri potest, quin gratia Dei meritum ejus retribuendo superet. Vere omnes justificantur per fidem. *Nam non est distinctio*, ut hic justificetur per meritum,

hic per gratiam, propterea non est distinctio, quia *omnes, tam* Judæi quam gentiles, *peccaverunt*, ut supra ostensum est; *et* ideo *omnes egent gloria Dei*. id est justificari per Deum : in qua re gloriosus apparet Deus.

Egebant utique gloria Dei, quia *justificati* sunt *gratis* sine merito eorum ; *per gratiam ipsius*, id est per effusionem sancti Spiritus, cujus gratia data est *per* præcedentem *redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, id est per datum pretium sanguinis Christi : *quem* Jesum *Deus* Pater *proposuit*, id est in propatulo hominem factum mundo exposuit *propitiatorem*. In Christo enim Deus propitiatus est mundo *per fidem*, id est his qui sanam fidem de Christo habent. Propitiatorem etiam *in sanguine ipsius* Christi ; quia nec fides sine effusione sanguinis, nec sanguis sine fide ad salutem proficeret. Deus utique sic proposuit Christum *ad ostensionem justitiæ*, id est, ut ostenderet se justum et veracem, *propter remissionem delictorum præcedentium*, id est, ut remitteret delicta Abrahæ et justorum, præcedentia *in sustentatione Dei*. Deus enim delicta eorum cum fierent patienter sustinuit, donec in tempore gratiæ purgaret illos ab eis. Proposuit etiam Deus Christum propitiatorem *ad ostensionem justitiæ*, id est, justificationis *ejus*, scilicet, ut *in hoc tempore* gratiæ omnibus satis ostensum esset; cum neque naturalis intellectus, neque lex data a vinculo peccati liberaret, quod solus Deus justificare posset. Hoc, inquam, ostenderetur *ut sit* Deus *ipse justus*, id est, verax in completione promissorum ; *et* ut sit *justificans* omnem *eum* a peccatis *qui est ex fide Jesu Christi*. Quandoquidem (ut supra probatum est) omnis justitia per fidem est, et in omnes. Non enim distinguitur Judæus a gentili, cum omnes æque peccaverint ; ergo, o Judæe, *ubi est tua gloriatio?* Non tibi relinquitur unde jam glorieris in lege, cum per legem nulla sit justificatio, sed omnis per fidem. Propterea *exclusa*, id est ablata *est* tua gloriatio, qua per legem te præferebas gentili. Sed *per quam legem* exclusa est glorificatio tuæ legis? An per similem legem *factorum* ablata est? Lex vetus erat lex factorum ; quia similiter necesse erat in ea operari immolando, cæteros ritus carnales observando, velut in agro aut 24 vinea. Quia si Deus huic legi factorum aliam similem legem superinduceret, videretur incongruum et indifferens, ut per facta facta repelleret. Ideo ait *non* per legem factorum exclusa est gloria tua; *sed per legem fidei*, id est per fidem justificantem, cujus fidei lex est Evangelium. Vere per fidem excluditur gloriatio tua : nam fides sola justificat, sine omni opere legis. Et huic loco inserit auctoritatem, dicens : Ego et justi mecum *arbitramur justificari hominem per* solam *fidem sine operibus legis*, id est licet nulla præcesserint opera legis, sola tamen fides sufficit ad hominis justificationem.

Diceret Judæus : Concedo per fidem justificari, sed solos Judæos. Contra hoc Paulus : Non est credendum quod Deus Judæos solos per fidem justificet.

A *An* enim *Deus* creator est *tantum Judæorum? Nonne* sicut Judæorum ita *et gentium* creator est? Non solum Judæorum, *imo* etiam *gentium* Deus est. Quia si æque gentiles creavit ut Judæos, constat Deum utrosque velle æqualiter salvare. Vere qui Deus est Judæorum, est Deus gentium ; *quoniam quidem unus est Deus* omnium. Quia si unus tantum est Deus, constat eumdem esse Deum gentium quem et Judæorum. *Quandoquidem unus* gentium et Judæorum est Creator, constat quod hic unus idem *est, qui justificavit circumcisionem*, id est Judæos *ex fide*, et non per legem, *et* qui justificavit *præputium*, id est gentiles similiter *per fidem*. Hi qui insidiantur litteræ, dicunt quiddam expressius notari, per hoc quod ait ex fide, quam ubi ait per fidem. Vult enim B designare dicens ex fide, quod nec etiam aliquod initium justificationis habuerint Judæi nisi ex fide. De gentibus vero quia nulla erat dubietas, non sic expressit. Sed Augustinus dicit æquipollere ex fide et per fidem, cum alibi dicat Apostolus Judæos per fidem, gentiles ex fide justificari. Et quia dicimus per fidem solam justificari sine operibus legis, *ergo*, id est an propter hoc *destruimus legem per fidem* inductam? *Absit* hoc ut fides legem destruat! Nos utique non destruimus, *sed* potius *statuimus*, id est stabilem et valentem comprobamus fuisse *legem*. Nisi enim fides sequeretur quæ justificaret, pro certo lex vetus irrita esset; quia neque res, neque figura fieret. Sed modo valens esse probatur, per hoc quod C figuravit gratiam, quæ sic justificaret per fidem. Vult etiam comprobare per exemplum Abrahæ quod lex justificare non possit, et ad hoc fides sola sufficiat, qui priusquam legem circumcisionis haberet, per fidem solam justificatus est, dicens.

CAPUT IV.

« Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem « nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex « operibus legis justificatus est, habet gloriam, sed « non apud Deum. Quid enim Scriptura dicit? « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad « justitiam (*Gen.* xv, 6; *Galat.* iii, 6; *Jac.* ii, 23). » « Ei autem qui operatur merces non imputatur se- « cundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero « qui non operatur, credenti autem in eum qui ju- D « stificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam « secundum propositum gratiæ Dei; sicut et David « dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert « justitiam sine operibus : « Beati quorum remissæ « sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. « Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum « (*Psal.* xxxi, 1). » Beatitudo ergo hæc in circum- « cisione tantum manet, an etiam in præputio? Di- « cimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad « justitiam. Quomodo ergo reputata est, in circum- « cisione, an in præputio? Non in circumcisione, « sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis « signaculum justitiæ fidei quæ est in præputio, ut « sit pater omnium credentium per præputium, ut « reputetur et illis ad justitiam. Et sit [*alias*, ut |

« pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex « circumcisione, sed et his qui sectantur vestigia « fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. « Non enim per legem promissio Abrahæ, aut se- « mini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam « fidei. Si enim qui ex lege 25 hæredes sunt, exina- « nita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram « operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. « Ideo ex fide ut secundum gratiam firma sit pro- « missio omni semini : non ei qui ex lege est solum, « sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est « omnium nostrum : sicut scriptum est : « Quia pa- « trem multarum gentium posui te (*Gen.* XVII, 5), » « ante Deum cui credidisti : qui vivificat mortuos, « et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt : « Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater « multarum gentium secundum quod dictum est ei : « Sic erit semen tuum, sicut stellæ cœli, et tanquam « arena maris (*Gen.* XIII, 15). » Et non infirmatus « est in fide, nec consideravit corpus suum emor- « tuum : cum jam fere centum esset annorum, et « emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam « Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus ex « fide dans gloriam Deo, plenissime sciens quia « quæcunque promisit Deus, potens est et facere, « ideo et reputatum est illi ad justitiam. Non est « autem scriptum tantum propter ipsum, quia re- « putatum est illi ad justitiam, sed et propter nos, « quibus reputabitur credentibus in eum. Qui sus- « citavit Jesum Christum Dominum nostrum a « mortuis. Qui traditus est propter delicta nostra, et « resurrexit propter justificationem nostram. »

EXPOSITIO.

Quoniam quidem ex operibus legis nulla justificatio, sed per fidem tantum, *ergo quid dicemus? Abraham patrem nostrum* sic gentium ut Judæorum secundum fidem invenisse *secundum carnem*, id est secundum carnalis legis observantiam? Vel ita : *Quid dicemus ineenisse* ex carnis circumcisione *Abraham patrem nostrum*, id est Judæorum, secundum carnem, id est secundum propaginem carnis; qui omnium credentium pater est secundum institutionem fidei? Nullam utique justificationem ex operibus legis invenit Abraham : quod ita probat, per quoddam inconveniens. Vere Abraham non est justificatus per legem. Nam *si justificatus* esse credatur *ex operibus legis, habet quidem gloriam* apud homines, *sed non apud Deum* gloriosus est, quia nec in conspectu ejus justificatus est, quod impossibile est ut quilibet justificatus apud Deum sit ingloriosus. Vel ita : si *Abraham justificatus est* ex lege, habet inde referendam gloriam meritis suis, *sed non apud Deum*, id est non esse hoc referendum gratiæ Dei : sed derogare gratiæ Dei, et derogantem justificari qui injustus est, simul esse non possunt. Probavit per legem non posse justificari, per præmissum inconvenjens probat per fidem justificari, per sequentem auctoritatem, dicens : Impossibile est ex operibus legis justificari, sed fides justificat, teste Scriptura.

A *Quid enim Scriptura dicit?* Hoc scilicet, *Abraham credidit Deo, et* illud credere *reputatum est ei ad justitiam*, id est per fidem qua Deo credidit, meruit justificari. *Reputatum est*, ideo dicit, quia multoties et diversis temporibus repromisit hoc illi Deus, et nulla vice Abraham hæsitavit, sed semper credidit. Quia dixit de Abraham, eum scilicet justificatum per fidem, et non per opera legis, adaptat omnibus dicens : Non soli Abrahæ hoc fit, nihil scilicet justificationis invenire ex operibus legis, sed etiam omni *ei qui operatur*, id est qui legem operum, id est veterem, et non gratiam sequitur : *illi non computatur merces secundum gratiam*, id est iste quærit remunerari non per gratiam Dei, *sed secundum debitum*, id est secundum quod meritis operum
B suorum debetur. *Ei vero qui non operatur*, id est qui legem operum non sequitur, *sed credenti in eum qui justificat impium*, id est qui ex impio, si credidit, facit justum, *fides*, inquam, *ejus* credentis *reputatur* illi *ad justitiam :* quia justificatur sine omni merito : per solam fidem, sicut supra ostensum est in Abraham. Vel aliter : Licet dixerim per fidem solam sine lege justificari, tamen *ei qui operatur*, id est qui tempus habet operandi, non est vacandum otio, sed bene operando credendum est venienti gratiæ. Non enim talibus qui ætatem operandi habent imputatur merces; sed fit retributio, non gratia tantum, sed secundum debitum, id est sic debent mereri, 26 ut per meritum adjuvent gratiam. *Ei vero qui non operatur*, id est qui non habet tempus operandi ut
C pueri statim morientes, sed credenti in eum qui per fidem justificat impium, illi *reputatur fides ejus ad justitiam*, id est sola fides sufficit ad justificationem ejus, cui tenera ætas opera negavit.

Sicut superius probavit per exemplum Abrahæ, omnem credentem justificari per fidem, ita hic probare incipit per auctoritatem David, omnem justificationem esse ex gratia. Sicut enim fides per gratiam, ita justitia ex sola gratia Dei habetur. Unde sic ait : « Fides reputatur omni credenti ad justitiam : » quæ justitia est *secundum propositum gratiæ Dei*, id est omnis justificatio fit per gratiam Dei : quæ gratia proposita et præparata est omni credenti. Justitia utique fit per gratiam Dei, *sicut* non ego solus, sed *et David dicit :* hoc, scilicet ejus *hominis*
D esse *beatitudinem*, id est vitæ hujus munditiam, et in futuro vitam æternam; *cui Deus accepto*, id est acceptabili Deo : vel *cui Deus accepto*, id est gratis sine merito *fert justitiam*, id est quem Deus ex gratia justificat, *sine operibus* justificationem promerentibus. Hoc utique ait David ita dicens (*Psalm.* XXXI, 1) : *Beati* sunt illi *quorum iniquitates remissæ sunt.* Non determinat per quem, sed sequens versus innuit a Domino has remitti. Illi utique sunt *beati : iniquitates quorum*, id est in quibus naturalis fomes peccati remissus et debilitatus est, quod jam in actum transire non potest, si velint uti libero arbitrio confortato. Sed quia remissum esse fomitem peccati non sufficeret ad salutem, nisi præterita peccata di-

mitterentur, addit *Et* beati sunt illi, *peccata quorum* actualia *tecta sunt* in baptismo Tecta ideo : quia Deus jam non videt ad puniendum. *Beatus* etiam *vir* ille *cui Dominus non imputavit peccatum* originale. Hic non multum videtur agere de gratia. Sciendum tamen est quod totus psalmus versatur circa commendationem gratiæ Dei, et probat neminem posse justificari nisi per gratiam. Quoniam quidem ita legitur in David : *Ergo* per auctoritatem hanc constat quod *beatitudo*, id est justificatio (sicut dictum est) *fit per gratiam*. Sed cum sic fiat, videamus an hæc beatitudo *maneat in circumcisione*, id est in Judæis tantum : *an* sicut in Judæis, sic etiam *in præputio*, id est in gentilibus. Vult iterum probare per Abraham qui, priusquam circumcideretur, per fidem justificatus fuit, sic gentiles per gratiam justificari, ut Judæos, dicens : Ideo quæro an *in circumcisione* solum, *an in præputio* maneat hæc justificatio : quia nos *dicimus quod fides Abrahæ reputata est* ei *ad justitiam*, id est quod Abraham per fidem justificatus sit : et cum per fidem justificatus sit, *ergo* dicendum restat *quomodo*, id est in quo statu *reputata est* ei *fides ad justitiam*, an *in circumcisione*, an priusquam circumcideretur, dum adhuc esset in præputio, id est in gentilitate? Quæro in quo statu, sed palam est quia in circumcisionis tempore non est justificatus per fidem, sed dum adhuc maneret in præputio. Quia si Abraham incircumcisus adhuc per fidem justificatus est, quare similiter gentiles incircumcisi non justificentur si fidem habeant? Opponeret iterum Judæus : Si circumcisio nihil ad justificationem Abrahæ profuit, quare postquam justificatus est se circumcidit? Opportune, inquam, ut veritatem rei quam habebat occultam in anima, figuraret in carne : intendens magis docere circumcisionem cordis quam carnis, quod æquipollenter ait. Et licet Abraham in præputio justificatus sit, tamen postea *accepit* in carne *signum circumcisionis* et justificationis habitæ, non ut per circumcisionem justificaretur, sed ut sic ostenderetur justus. Signum dico non apertum omnibus, sed *signaculum*, quod quiddam occultum contineret : a similitudine ceræ cui imprimitur sigillum, quæ in se continet quod extra non apparet. Sic circumcisio carnis signum quidem erat interioris justitiæ, quod vix aliqui Judæi sane attendebant. Signaculum dico *justitiæ fidei*, id est justificationis habitæ **27** per fidem, quæ fides et *quæ* justitia *est in præputio*, id est consideratur in Abraham tempore præputii, et convenienter in eo statu Abraham justificatus est, *ut* ita *sit pater*, id est institutor secundum formam fidei, non solum Judæorum, sed et *omnium credentium;* sit, inquam, pater fidei omnium *per præputium*, id est per fidem in tempore præputii habitam. Et quemadmodum illi, sic *illis* omnibus credentibus *reputetur* credere suum *ad justitiam*. Et sicut Abraham pater est fidei, ita *sit pater*, id est institutor, *circumcisionis*, id est justificationis, quæ ex fide consequitur. Sit pater dico *non his tantum qui sunt ex circumcisione* carnis, id est Judæis, *sed* etiam omnibus *his qui sectantur vestigia fidei* Abrahæ, exemplo illius bene operando per fidem, quæ fides est habita in tempore præputii, patris nostri Abrahæ. Vere Abraham pater erit omnium credentium, *non per legem* sed per fidem. Nam hujus rei *promissio*, scilicet, ut esset hæres mundi, quod idem est quod esse patrem omnium gentium : hæc, inquam, promissio *non* est facta *per legem*, id est merito legis, sed merito fidei : quod si non est promissum per legem, nec impleri debet per legem; quod sic ait : Promisit quidem *Deus Abrahæ* aut *semini ejus*, id est Christo, *ut esset hæres mundi;* ubi dictum est : Dabo gentes hæreditatem tuam (*Gen.* XVII), etc. Hoc, inquam, non promisit per legem, *sed per justitiam fidei*, id est quæ justitia ex fide sequitur, quam fidem et justitiam fidei oportet habere omnes, qui se volunt annumerari in hæreditatem Christi : Abraham autem fidem in se habuit, et justitiam quam oportet imitari filios ejus. Vere per legem non fit promissio : quia *si* ii tantum *qui* sunt *ex lege*, id est Judæi, *sunt hæredes* promissionis Abrahæ, ergo *fides* Christi *est exinanita*, id est inanis est, et frustra recepistis eam, o Judæi, si lex sufficiebat vobis, ut hæredes essetis : quod maximum inconveniens judicatis vosipsi, ut fides Christi frustra sit. Nec hoc solum est, sed etiam si Judæi solum hæredes sunt, sic *abolita*, id est deleta, *est promissio* et falsa : quod dictum est : In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XVII), cum in solis Judæis hæc benedictio fiat. Vere qui ex lege sunt tantum, non merentur hæreditatem. Nam *lex operatur* et meretur solummodo *iram :* quia si qui sub lege bene operati sunt, per fidem hoc fuit, et non per legem. Vere lex operatur iram; nam prævaricationem, et vere prævaricationem : nam si *ubi non est lex, non est prævaricatio*, et ubicunque est prævaricatio, ibi lex est. Propter supradicta qui ex lege sunt, hæredes non erunt : sed *ideo* qui *ex fide* sunt, hæredes erunt, *ut promissio* facta et implenda *secundum gratiam firma sit omni semini*, id est, omni imitanti Abraham per fidem : *non ei solum qui ex lege est*, id est Judæo, *sed* etiam omni *ei qui est ex fide Abrahæ*, id est, qui per fidem sequitur Abraham : *qui* Abraham *est pater omnium nostrum*, tam gentilium quam Judæorum, secundum formam fidei et justitiæ. Pater utique omnium est, sicut scriptum est in Genesi. Illud quia ad ordinem litteræ de qua sumptum est, respicit : hoc, inquam, scriptum est : Ego disposui te, Abraham, futurum patrem secundum institutionem fidei multarum gentium : te dico per justitiam factum ante Deum, id est, in beneplacito Dei cui credidisti.

Hinc sequuntur verba Pauli : *Qui* Deus *mortuos* peccato vivere facit, justificatos per fidem : nec tantum vivificat, sed etiam per gratiam *vocat ea quæ non sunt*, id est gentiles, qui propter non habitam legem nihil esse videntur : *tanquam ea quæ sunt*, id est, quemadmodum vocat Judæos qui se solos esse per legem gloriantur. Probavit superius per Abra-

ham omnem justificationem esse ex fide : ut autem in plenitudine fidei perfecte imitemur Abraham, determinat qualitatem fidei Abrahæ : ut sicut quæcunque secundum visum hominum impossibilia credidit sibi per Deum impleri, sic et nos de potentia Dei non hæsitemus, opponentes ei legem naturæ. Unde sic ait : Abrahæ **28** dictum est : *Posuit te patrem multarum gentium : qui* Abraham *credidit, contra spem in spem*, posset dicere contra opinionem. Spes Domini certa exspectatio rei futuræ dicitur; sed congrue dixit *contra spem*, quia secundum legem naturæ visa annositate sua et sterilitate uxoris, certissime sperabat non jam se habiturum semen : sed contra spem, quam sibi lex naturæ porrigebat, credidit in spem, quam, fracto jure naturæ, omnipotentia Dei suggerebat. Credidit utique hoc *ut fieret pater multarum gentium :* de quo secundum hominem satis ambigere posset, cum videret se unius tantum filii procreatorem. Credidit, inquam, illud totum *quod dictum est ei*, id est credidit se patrem futurum multorum, non solum secundum propaginem carnis, sed secundum imitatam formam fidei. Hoc, inquam, dictum est ei : *Sic erit semen tuum*, Abraham, « sicut stellæ cœli, et sicut arena maris (*Gen.* xv, 5). » Per stellas cœli, spirituales filios Abrahæ, luce virtutum conspicuos, significat. Per arenam maris, infructuosos carnales filios. Sic promissum est Abrahæ, et accepta hac promissione quandiu differebatur, propterea *non est infirmatus in fide :* ut minus crederet firmæ promissioni sibi factæ; utque firmus in fide promissæ rei perduraret, *non consideravit corpus suum emortuum*, id est non pensavit naturalem defectum generandi posse immutare voluntatem Dei, *cum esset fere centum annorum*, et tempus generandi jam in eo præteriisset. *Et* non consideravit *vulvam Saræ emortuam*, id est genitalia uxoris defecisse, et vitio sterilitatis et annorum antiquitate. Non est infirmatus in fide primæ promissionis : in repromissione etiam Dei, quia Deus multoties idem ipsi repromisit. *In repromissione* utique illa, qua Deus, priusquam finiretur annus, se daturum filium promittebat, in hac utique *non hæsitavit diffidentia.* Hæsitavit quidem admirando et revolvendo secum mysterium rei, sed non hæsitavit per diffidentiam, ut diffideret non implendum sibi totum quod Deus promiserat, *sed confortatus est fide.* Cum enim posset objicere rem toties promissam, diu sustinendo : Dubium me mora facit, fortior in credulitate rei promissæ surrexit : *dans* inde *gloriam Deo :* nihil meritis suis de bono hujus promissionis ascribens : sed in omnibus glorificans Deum, *sciens* hoc *plenissime*, sine omni hæsitatione : *quia quæcunque promisit Deus, potens est etiam facere*, juxta omnem modum quem promisit. *Et ideo* quia sciens promissis Dei plenissime fidem adhibuit, non solum completum est ei promissum, qua sic credidit, sed etiam *reputatum est illi ad justitiam*, id est merito tantæ fidei meruit justificari. Quia modo satis modum fidei Abrahæ exprés- A serat, quæ de eo dixit adaptat suæ intentioni, dicens : Quia sic credidit Abraham, ideo justificatus est. Hoc tamen de Abraham *non* hic *scriptum tantummodo propter ipsum* Abraham, de tanta fide laudandum. Hoc, scilicet, *quia reputatum est illi ad justitiam : sed etiam* scriptum *propter nos*, in fide Abrahæ conformandos, *quibus* credentibus credere nostrum (sicut in illo videmus) nobis *ad justitiam reputabitur. Credentibus* dico *in eum qui suscitavit Christum Jesum Dominum nostrum a mortuis*, id est sicut Abraham, quod contra naturam erat, a Deo se accepturum credidit; sic neque nos hæsitemus credere et confiteri, licet contra jus naturæ sit Christum surrexisse a mortuis. Qui enim auctor est naturæ, sicut placuit potuit eam invertere. Hæc duo B quæ sequuntur : *traditus est ad mortem, et resurrexit propter justificationem*, ad probationem præmissorum necessaria non erant, sed ad instructionem Romanorum vidit ea opportuna, et ideo subjunxit : *Qui traditus est :* non determinat ad quid, sed satis patet quia ad mortem. Et hoc *propter delicta nostra*, id est, ut nos mundaret a delictis nostris, qui etiam *resurrexit propter justificationem nostram*, id est, ut nos mundatos a delictis nostris, per positionem virtutum justos efficeret. **29** Non ideo, ait, mortuus est propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem, quin mors ejus causa sit nostræ justitiæ, et resurrectio causa remissionis peccatorum. Sed ideo ait resurrexit, propter justificationem, ut ostenderet resurrectionem ejus sic esse C causam nostræ justificationis, ut esset signum rei futuræ in nobis : duplicis scilicet resurrectionis. Prima est, qua in baptismo a morte peccati resurgimus, ad vivendum in justitia. Hæc autem resurrectio animæ, quæ prius mortua in peccatis, nunc autem confortato libero arbitrio potest obniti omni malæ suggestioni, Deumque cognoscit. Secunda resurrectio est futura secundum corpus : quando, impassibilitate et immortalitate resumpta, conregnabimus Christo, si prima resurrectio integre fuerit custodita, quæ resurrectio Christi et Pentecostes, quæ de eadem resurrectione pendet, ideo variis temporibus celebrantur, quia adhuc ventura præsignant, nec solum de præteritis agunt, ut festum Nativi- D tatis.

CAPUT V.

« Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad « Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : « per quem habemus accessum per fidem in gra- « tiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe « gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed etiam « gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribu- « latio patientiam operatur, patientia autem proba- « tionem, probatio vero spem. Spes autem non « confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordi- « bus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est « nobis. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi « essemus, secundum tempus pro impiis mortuus « est? Vix enim pro justo quis moritur. Nam pro

« bono forsitan quis audeat mori ? Commendat au-
« tem charitatem suam Deus in nobis, quoniam,
« si cum adhuc peccatores essemus secundum tem-
« pus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur
« magis, nunc justificati in sanguine ipsius, salvi
« erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici
« essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii
« ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in
« vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur
« in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum,
« per quem nunc reconciliationem accepimus. Pro-
« pterea sicut per unum hominem peccatum in
« hunc mundum intravit, et per peccatum mors ; et
« ita in omnes homines mors pertransiit, in quo
« omnes peccaverunt. Usque ad legem enim pecca-
« tum erat in mundo. Peccatum autem non impu-
« tabatur, cum lex non esset : sed regnavit mors
« ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non
« peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ,
« qui est forma futuri. Sed non sicut delictum, ita
« et donum. Si enim illius delicto multi mortui
« sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia
« unius hominis Jesu Christi in plures [*homines*]
« abundavit : et non sicut per unum peccatum [*de-*
« *lictum*] : ita et donum. Nam judicium ex uno in
« condemnationem, gratia autem ex multis delictis
« in justificationem. Si enim in unius delicto mors
« regnavit per unum, multo magis abundantiam
« gratiæ et donationis et justitiæ accipientes, in vita
« regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut
« per unius delictum in omnes homines in condem-
« nationem, sic et per unius justitiam in omnes
« homines in justificationem vitæ. Sicut enim per
« inobedientiam unius hominis, peccatores consti-
« tuti sunt multi, ita et per unius [*hominis*] obe-
« dientiam justi constituentur multi. Lex autem
« subintravit, ut abundaret delictum ; ubi autem
« abundavit delictum, superabundavit et gratia, ut
« sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia
« regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum
« Christum Dominum nostrum. »

EXPOSITIO.

Quandoquidem sufficienter ex superioribus pro-
batum est omnem justificationem esse ex fide;
igitur justificati ex fide, habeamus pacem, id est
concordiam inter nos : ut neque Judæus gentili,
nec gentilis Judæo in hac nova gratia se præferat.
Ut autem magis eos et a discordia deterreat, et ad
concordiam inducat, ait. *Habeamus pacem ad*
Deum. Si enim inter nos discordes fuerimus, ad
Deum utique pacem non habemus. Habeamus dico
pacem *per Dominum* 30 *nostrum Jesum Christum*,
cui in omnibus obedire debemus : qui tradi voluit
ad mortem propter delicta nostra, etc. *Per quem*
Christum non solum delicta dimissa sunt, vita et
justitia data, sed etiam *habemus gratiam istam*, id
est tam excellentem, ut depellere morbos facereque
miracula. Sed ne Judæi opinarentur per meritum
legis aliquem gradum habere in hanc gratiam, ait
A Paulus : *Per quem*, Christum, etiam *accessum*, id
est primum gradum veniendi ad hanc gratiam, *ha-*
bemus : quam gratiam consequimur *per fidem*, sicut
justificationem, quia et fides justificat ; et fides
gratiam hanc dat *in qua* gratia nos *stamus*, id est
perseveramus. Adæ quidem multa gratia collata
est, sed in ea non stetit. *Et* stando in hac gratia
gloriamur in spe gloriæ filiorum, id est ex eo quia
certissime speramus nos habituros gloriam quam
habent filii *Dei* ; *non solum autem*, spe hujus gloriæ,
sed etiam gloriamur in tribulationibus. Hæc est
maxima virtus, in hoc gaudere quod naturale est
formidare : ideo in tribulationibus gloriamur, quia
scientes sumus *quod tribulatio patientiam operatur*,
id est quia usus et consuetudo tribulationum nutrit
B patientiam. *Patientia autem* operatur *probationem*,
id est purgationem ; quia sicut aurum purgatur per
ignem, sic quod in istis purgandum est igne tribu-
lationis excoquitur : unde eos qui in tribulatione
vitam finiunt, sanctos sine aliqua hæsitatione con-
fidimus, quia quidquid prius peccaverunt, ignis
tribulationis totum excoxit. Eos vero qui in pace
vitam finiunt, quantumcunque laudabiliter vixerint
(nemo enim sine sorde est) sine certa miraculorum
ostensione, in catalogo sanctorum non annumera-
mus. *Probatio vero* operatur *spem* ; certissime enim
sperare potest, qui sufficienter purgatus est. *Spes*
autem sic post purgationem habita *non confundit*, id
est, non facit erubescere eos qui sperant, quos
faceret confusibiles si inexpleta esset. Vere spes
C non confundit, sed implebitur, quod certum habe-
mus per Spiritum sanctum qui datus est nobis.
Spiritus enim sanctus, jam nos ex parte deificans,
certitudinem dat : quia nos plenarie deificabimur
in futuro, illuminati secundum animam majori co-
gnitione Dei, et secundum corpus incorruptibiles
futuri. Quia Spiritus sanctus datus sit nobis apparet
ex eo, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus no-*
stris, id est quia dilectio Dei amplificata est in
cordibus nostris, quia parati sumus pro eo et pati
et mori. Vel aliter : vere non confundit, sed imple-
bitur : quod patet ex eo, *quia charitas Dei diffusa*
est, id est, quia Deus abunde diligit nos, et quia
charitas Dei adeo ferveat erga nos. Hoc sentimus
D in cordibus nostris illuminatis *per Spiritum sanctum*
qui datus est nobis. Probat quod spes (sicut dictum
est) impleatur, diversis de causis : tum quia si non
impleretur, frustra Deus homo esset factus, mortem
gustasset, nisi spem consummando quod cœperat
pie perficeret. Tum etiam ideo, si cum impii esse-
mus et damnationis meritum esset in nobis tan-
tum, quid facere voluit ut pro nobis, impiis,
difficultatem mortis subiret, non est ambigendum
quin nos, jam justificatos et jam meritum salva-
tionis prætendentes, salvos faciat : quod facile est
ei, quia non oportet eum amplius mori. Unde sic
ait : Vere spes non confundit, sed implebitur, quia
nisi sicut speramus consummaretur : *Ut quid*
Christus mortuus est justus *pro impiis?* Vel vice

impiorum, quia impii mori deberent pro peccato suo, vel causa impiorum redimendorum. Diceret aliquis quia mortuus est, ideo non potest. Mortuus dico *secundum tempus*: die enim tertia surrexit. Iterum adversarius: impii quidem fueratis, sed jam tempore mortis ejus justificati: *impiis* dico ita *cum adhuc* tempore mortis suæ *infirmi essemus*, id est, in impietate perduraremus. Frustra justus *mortuus est pro impiis*, si justificatos salvare deserit. Non est credendum quod inexpletum dimittat, pro quo tantam difficultatem subiit. Diceret aliquis: Fuitne adeo magnum **31** mori pro impiis? Ita inquam. *Vix enim quis*, id est aliquis, vel morte dignus, vel cito moriturus, *moritur pro justo*, id est, vel vice vel causa justi. Unde magnum quid esse constat Christum, qui respectu justitiæ suæ non moriturus erat, mori pro impiis? Ideo dico vix aliquem mori pro justo: *nam forsitan aliquis audeat mori pro bono*. Quia si dubietas est utrum quis moriatur pro bono, magnum fuit mori Christum pium pro impio. Vix aliquis audeat mori pro justo; sed Christus pro nobis mortuus est, et per hoc commendabilem facit *Deus suam charitatem in nobis; quoniam* si *cum adhuc essemus peccatores, mortuus est Christus*, quod tam difficile et indebitum fuit, justus *pro nobis* peccatoribus; *igitur*, id est propterea, *multo magis* credendum est quod nos *justificati nunc*, qui prius peccatores eramus, *in sanguine ipsius*, id est per effusionem sanguinis ejus, *salvi erimus*, liberati *ab ira per ipsum*, quem amplius non oportet a statu suo mutari, uti quando pro peccatoribus mortem subiit. Et quia possemus justificari, nec tamen pacem perditam recuperare cum Deo, ait: Vere justificati salvi erimus, dum jam justificationis meritum prætendimus, quia *cum inimici essemus*, et meritum damnationis haberemus, *sumus reconciliati Deo per* rem tam gravem, ut *mortem Filii ejus*. Etsi prius inimici, modo morte Filii ejus sumus reconciliati, *multo magis* credendum est quod nos *reconciliati*, et jam quodammodo salutem promeriti, *salvi erimus*. Et satis leviter salvabit nos: quia *in vita ipsius*. Non enim jam oportet eum mori, sicut prius. Considerandum est quomodo singula singulis opponat. Peccatores justificati, inimici reconciliati, per mortem in vita, *non solum* salutem futu am exspectamus, *sed etiam* spe et gaudio illius *gloriamur in Deum*, etiam dum hic sumus: gloriamur, inquit, *per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc* paulo ante *accepimus* inimici *reconciliationem* ad Deum.

Opponeret aliquis: Christus quidem satis justus fuit, sed non videtur justitia ejus sufficiens ad salvationem omnium. Quod Apostolus probat, dicens: Cum per unius inobedientiam omnis homo lapsus sit, dignum et æque comparatum videtur, ut per unius obedientiam lapsus humani generis reparetur, per Jesum solum. *Propterea* reconciliari potuimus ad salvationem, *sicut per unum hominem intravit*, non immissum a Deo, sed quadam violentia *peccatum in mundum hunc*, id est, adeo miserum per peccatum factum, et consequenter *per peccatum* unius hominis intravit *mors*, et corporalis et spiritualis in eundem hominem: *et ita* ab eo *pertransiit mors in omnes homines*. Et merito ab eo in omnes, quia hic fuit *in quo peccaverunt omnes*. In lumbis enim Adæ tota illa massa humani generis peccato prævaricationis corrupta est. Quidam protendunt hunc versum, usque ad illud longe inferius: igitur sicut per unius, etc. Sed sicut exposuimus, satis abbreviari potest. Vere omnes peccaverunt in Adam, etsi ante legem fere ab omnibus hoc ignoraretur. *Peccatum enim erat in mundo* ab Adam *usque ad legem*. Sed licet ita esset, tamen hoc *peccatum non imputabatur*, id est, nemo reus pro originali judicabatur ante Moysen, *cum lex non esset*, quæ, postquam venit, peccatum hoc patefecit, vel dicamus in toto. Peccatum hoc quidem erat in mundo ante legem, sed ideo nesciebatur, quia nullum peccatum imputabatur, cum lex non esset. Et licet peccatum originale ante legem non imputaretur, tamen per hoc satis dignosci potest quia *mors* corporalis, quæ pœna fuit pro originali, illa regnavit præmittendo ante se omnes miserias suas, sitim, famem, febres, et cætera. *Regnavit*, inquam, *ab Adam usque ad Moysen*, non solum in eos qui originali peccato sua peccata adjunxerunt, sed *etiam in eos qui non peccaverunt. In similitudinem prævaricationis Adæ*, id est, qui ex parte sua non similiter prævaricati sunt, **32** ut Adam. Hi sunt parvuli qui non habuere tempus peccandi, sed solummodo de originali sunt puniti. *Qui* Adam *est forma futuri* Adæ, id est Christi. Adam forma Christi fuit, quia, sicut ille pater est omnium secundum carnem, sic Christus pater fidelium secundum fidem. Et sicut ex latere Adæ dormientis formata est Eva, sic ex latere Christi soporati somno mortis in cruce fabricata est Ecclesia. Et ideo Adam forma Christi, quia Deus decrevit per unum Christum emendare, quod per unum Adam peccatum est. Vel sic legamus secundum Ambrosium: Vere omnes peccaverunt in Adam; nam originale peccatum erat in mundo usque ad legem. Sed licet in mundo esset, tamen non imputabatur illud peccatum; quia lex non esset quæ peccatum hoc insinuaret: sed licet nesciretur hoc peccatum, tamen pro pœna hujus peccati regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, non solum in eos qui de actualibus rebus peccaverunt, sed etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, id est qui pro sola similitudine: quia fuerunt filii prævaricatoris Adæ damnati sunt. Ostendit superius Christum unum sufficientem esse ad salvationem omnium, quia solus Adam sufficiens fuit ad perditionem omnium. Et sicut personam Christi personæ Adæ contulit, sic causam Christi, id est obedientiam, opponit causæ Adæ, quæ est inobedientia: et effectum causæ Christi, id est justificationem in præsenti: et vitam æternam in futuro, opponit effectui illius, id est morti temporali, et æternæ damnationi,

Probat etiam gratiam Christi longe amplius abundare peccato Adæ. Cum enim ab Adam originale tantum contraximus, gratia Christi non solum originale, sed cum eo quæcunque actualia dimisit in baptismo. Littera sic jungitur : Adam vetus forma fuit futuri Adæ; sed licet una persona uni esset opposita, tamen causæ sunt dissimiles. *Non* enim *sicut* fuit *delictum* Adæ, *ita* est etiam *donum* Dei quæ est gratia. Vere non sic fuit donum Christi, ut delictum Adæ : nam donum Christi multo magis abundavit super delictum Adæ, quia delictum unum fuit quod vocamus originale; Christus autem et originale et quæcunque actualia dimisit. Et probat : Vere solus Christus sufficiens fuit ad justificationem omnium. Nam *si delicto*, id est per delictum, *unius* Adæ, et per unum (quod in sequentibus plenius determinabit), id est per inobedientiam : si per hoc, inquit, unum delictum (quod originale vocamus) multi peccato mortui sunt, contrahentes illud originale a primo patre (multi non ideo dicit, quin omnes hoc peccato pressi sint, sed non omnes in eo perdurantes detenti sunt, deponentes illud originale per acceptam fidem Christi) : si, inquit, per unum delictum unius, *multi mortui sunt*, *multo magis* secundum dignitatem personæ Christi et causæ, abundavit *gratia Dei*, id est remissio peccatorum. Abundavit etiam *donum*, id est corroboratio per Spiritum sanctum. Postquam enim remissa sunt peccata, necessaria sunt arma Spiritus sancti, quibus resistamus diabolo male suadenti. Gratia, inquit, et donum abundavit *in gratia*, id est per gratiam *unius hominis*. Congrue ait per gratiam : quia quemadmodum contractio originalis fuit per necessitatem, sic salvatio facta est per gratiam, id est per voluntatem. Nemo enim nisi ex voluntate salvatur. Sicut, inquit, delictum unius diffusum est in multos, sic æque comparatum est, quod gratia unius hominis *abundavit in plures*. Non dicit in plures gratiam abundasse, quam delictum, sed *in plures*, id est in multos. Non enim omnes salvati sunt, quia noluerunt. Unius hominis dico, qui nihil minus potuit quam voluit : nam *Jesu Christi*, id est salvatoris et regis. Sicut causas Christi et Adæ diversificavit, sic effectus causarum opponendo distinguit dicens : Sicut donum Christi tale non fuit, quale delictum Adæ; sic etiam *non sicut* fit *per unum peccatum* Adæ, *ita* fit per *donum* Christi, id est effectus peccati Adæ et gratiæ Christi diversi sunt : quia peccatum **33** simplex, donum vero multiplex. Et hoc probat dicens : Vere effectus peccati Adæ, et effectus gratiæ Dei non sunt similes. *Nam judicium*, id est justa sententia Dei fit *in condemnationem*, id est condemnat filios Adæ *ex uno* delicto, id est solummodo propter originale; sed *gratia* Christi fit *in justificationem*, id est justificat filios suos *ex multis* delictis, id est sic de actualibus ut de originali.

Notandum est quod illud primum peccatum debilitavit quidem naturam nostram, et proniorem fecit in casum, sed tamen non fuit causa actualium peccatorum, quibus naturali ratione (licet multa parte debilitata) possemus resistere. Videndum etiam quod, licet in peccato Adæ multa considerentur, ut superbia, gula, tamen unum solum dicitur : quia inobedientia probat, quod gratia justificaverit *ex multis delictis*, dicens : Vere per gratiam Christi justificantur homines ex multis delictis. Nam accepta justitia (quod majus est) regnabunt cum Christo in vita æterna, quod æquipollenter ait. Homines accipientes abundantiam gratiæ ejus, id est, abundantem remissionem, quia non solum originalis, sed etiam omnium actualium; et *accipientes abundantiam donationis*, id est, dona Spiritus sancti ad confortationem in bono abundantem; et accipientes abundantiam *justitiæ*, id est, justæ operationis : quia postquam dimissa sunt peccata et Spiritus sanctus corroborat, sic demum licet bene operari : hæc, inquam, accipientes *conregnabunt* Deo positi *in vita* æterna, quæ omnia, et gratiam, et donationem, et regnum, accipient *per unum Jesum Christum*. Et vere per hunc unum : *quia si* in delicto unius Adæ quod causa fuit perditionis, regnavit mors, et temporalis et æterna *per unum delictum*, id est, per inobedientiam, multo magis secundum dignitatem personæ, causæ et effectus, hi qui sunt accipientes abundantiam gratiæ, donationis et justitiæ, regnabunt in vita per unum Jesum Christum. Quoniam quidem et similitudo est ibi, quia Adam unus, Christus unus : et majoritas secundum dignitatem, quæ dicta est : igitur a simili, et a majori inferre possum, quod *sicut per delictum unius Adæ* (delictum dicto transiens in omnes homines) ventum est in condemnationem, sic et per justitiam unius Christi transeuntem *in omnes homines* secundum potentiam (Christus enim sufficiens pretium pro omnibus dedit), per unius, inquit, justitiam ventum est *in justificationem vitæ*. Ostendit satis superius quod Christus potens esset, et restaurare sufficeret quidquid lapsum fuerat per Adam, sed non determinaverat quid in hac reparatione ageret, seu per potentiam, seu per meritum, quod hic determinat, dicens : Quia quemadmodum Adam male merendo per inobedientiam omnes præcipitavit, sic Christus bene merendo per obedientiam omnes redemit. Littera sic jungitur : Vere per delictum unius omnes condemnantur. Nam *per inobedientiam* et sicut per inobedientiam *unius hominis constituti sunt multi peccatores*, quia non omnes remanserunt in peccato, *ita et per obedientiam unius* Christi hoc promerentem, *constituentur multi justi*. Multi ideo, quia non omnes justificari voluerunt. Cum modo dicat Christum justificare homines a peccatis, dicit quod etiam transgressores legis a prævaricatione acceptæ legis justificat. Et hoc ideo adducit ut comprobet Judæos magis obnoxios esse gratiæ Dei, quam etiam gentiles, quibus se præferebant in hac nova gratia : quia gentiles de naturali solum rei erant, Judæi vero et de naturalis et scriptæ legis prævaricatione rei erant. Littera sic jungitur : Obedientia Christi multos ju-

stificavit : lex autem delictum abundare fecit : lex, A inquit, subintravit, quia peccatum prius intraverat. *Intravit lex* ad hoc *ut abundaret delictum*, non quia lex mala esset, sed quia sub illa erant quos reos faceret, **34** jubendo, non adjuvando. Lex tribus modis habebatur in tempore suo. Quibusdam enim erat solummodo in signum, ut Abrahæ : qui circumcisus est, non ut per hoc justificaretur, sed in signum justificationis jam acceptæ per fidem. Aliis lex erat pædagogus : ut quemadmodum puerum ne insolescat vagando pædagogi coercet custodia ; sic lex minando pœnam coercebat quosdam ab actu peccati. Aliis autem erat lex causa prævaricationis. In his autem duobus quibus lex in signum justitiæ vel pædagogus erat nihil operabatur : quia qui justi erant ut Abraham, per fidem hoc erant non B per legem ; qui vero se timore coercebant a malo, non hoc per legem, sed per donum Spiritus sancti, id est per spiritum timoris faciebant. Aliis vero lex causa erat delicti, quia prævaricationis. Per legem delictum abundavit, sed per gratiam evacuatum est. *Ubicunque* enim *abundavit delictum*, vel sub lege vel extra legem, *ibi gratia abundavit super* delictum : quia non solum remisit peccata, sed et juste operari concessit. Quia iterum aliqui errabant ex eo quod dictum est gratiam superabundasse ubi fuit delictum, dicentes se impune opportune etiam peccare, quia gratia Dei omnia dimitteret, et quanto plura, tanto gloriosior esset, determinat quidem Paulus gratiam Dei, quotquot peccata sint, in baptismo omnia dimittere, sed postquam justificati sunt, si iterum peccant, non sicut prius ex gratia, sed merito pœnitentiæ dimittentur peccata. Unde sic ait : Gratia utique Dei abundavit hac lege : *Ut sicut peccatum* ante justificationem *regnabat* ducendo *in mortem*, *ita et gratia*, postquam remisit peccata, *regnet per* acceptam *justitiam* bene conservatam, eundo *in vitam æternam :* non jam amplius respiciendo ad iniquitatem. *Regnet* dico, *per Dominum nostrum Jesum Christum*. qui, postquam justificavit per gratiam, dat vitam æternam.

CAPUT VI.

« Quid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut « gratia abundet? Absit ! Qui enim mortui sumus pec- « cato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignora- D « tis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in « Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Con- « sepulti enim sumus cum illo per baptismum in mor- « tem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per « gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambu- « lemus. Si enim complantati facti sumus similitu- « dini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. « Hoc scientes, quia vetus homo noster simul cruci- « fixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra « non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, « justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus « cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus « cum Christo : scientes quod Christus resurgens ex « mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non do- « minabitur. Quod enim mortuus est peccato, mor- « tuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et « vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, « viventes autem Deo in Christo Jesu. Non ergo re- « gnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obe- « diatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis « membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhi- « bete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et « membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim « vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, « sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam « non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit ! An ne- « scitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obe- « diendum, servi estis ejus cui obedistis, sive pec- « cati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam? « Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obe- « distis autem ex corde in eam formam doctrinæ, « in qua traditi estis. Liberati autem a peccato, servi « facti estis justitiæ. Humanum dico, propter infir- « mitatem carnis vestræ. Sicut enim **35** exhibui- « stis membra vestra servire immunditiæ et iniqui- « tati ad iniquitatem, ita nunc exhibete mem- « bra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Cum « enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in qui- « bus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. « Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti « Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, « finem vero vitam æternam. Stipendia enim pec- « cati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo « Jesu Domino nostro. »

EXPOSITIO.

Quandoquidem gratia regnare debet per justitiam conservatam semper, donec veniat in vitam æternam, *ergo quid dicemus*? *Permanebimus* iterum *in peccato justificati* jam per gratiam, *ut abundet gratia*, iterum remittendo gratis quæ iterum deliquimus? *Absit* hoc, ut tam perversa intentione revertamur in peccatum ! Hic incipit l qui de duplici resurrectione. Prima qua secundum animam justificamur in baptismate, quod baptisma consecravit nobis Christus in morte sua, fundendo aquam remissionis de latere suo ; insinuans nos debere commori sibi in baptismo : ut quemadmodum ille semel mortuus ad actus veteris hominis non est reversus, sic et nos semel justificati in baptismo, omnem vetustatem peccati ibidem interficientes, resurrectionem animæ (ibi enim justificata resurgit) custodiamus : ambulando in novitate vitæ, quia, si resurrectionem animæ in justitia conservaverimus, futuram resurrectionem corporum cum Christo, in incorruptione profecto habebimus. Revertamur ad litteram, ubi probat non debere reverti ad peccatum, dicens : Vere semel justificatis non est ulterius permanendum in peccato. Nam nos *qui* in baptismo *mortui sumus peccato*, id est ad hoc ne ultra operemur peccatum : mortui dico secundum depositam vetustatem peccati, *quomodo*, id est qua ratione nos qui sic commortui sumus Christo, *adhuc vivemus*, id est perseverabimus *in illo* peccato? Et vere non

amplius vivere debetis *in* peccato *illo*, quia *an ignoratis* vos *quicunque baptizati sumus in Christo Jesu*, id est per institutionem Christi, vel per Christum consecrantem nobis baptisma. Nos utique *baptizati*, id est abluti a peccatis *sumus in mortem ipsius*, id est in similitudinem mortis ejus, ut sicut ille semel mortuus est et semper vivit, ita et nos semel in baptismo peccatis moriamur, et in justificatione semper vivamus. Sicut probavit quod semel justificati iterum peccare non debemus, sic etiam probat quod a peccato nos bene continere possumus, dicens : Vere justificati potestatem habemus, si volumus, non peccandi. *Nam* nos *consepulti sumus*, non solum mortui *cum Christo*, *in mortem per baptismum*, quod quemadmodum Christus in sepulcro positus potestatem non habuit secundum carnem manum vel pedem extendere ad actus veteris hominis, sic et nobis, si volumus, in baptismo potestatem dedit jam amplius non revertendi ad vetustatem peccati. Ad hoc utique consepulti sumus, *ut quomodo Christus surrexit a mortuis*, non amplius resumpturus actum mortalitatis (surrexit dico, *per gloriam Patris*, id est per Verbum sibi unitum, vel propter magnificandam gloriam Patris), *ita nos positi in novitate vitæ*, id est in resurrectione animæ per baptismum justificatæ, *ambulemus* proficiendo in accepta novitate. Vere in novitate vitæ possumus ambulare. Nam nos sumus similes resurrectionis ejus, quia, quemadmodum Christus resurgens novus homo fuit, ita et nos per baptismum vetustate peccati deposita, in novitate bonorum operum novi homines simus. Et vere similes resurrectionis erimus, *si complantati sumus;* nec per nos hoc potest fieri, sed per gratiam Dei *facti* complantati *similitudini mortis ejus*, id est si commortui fuerimus Christo, ea **36** similitudine, ut sicut ille semel depositis miseriis veteris hominis, ad illas ultra non rediit, sic et nos, in baptismo semel deposita vetustate peccati, ad illud ultra non regrediamur. Si enim sic complantati sumus similitudini mortis ejus, *simul etiam* merito unitate mortis *erimus* complantati similitudini *resurrectionis* ejus, in novitate operum proficientes. Complantati ab illa similitudine dictum est, qua ramus bonæ arboris, trunco malæ arboris inseritur, fructusque novos ibidem facit ; sic et novitas justificationis inserta trunco nostræ vetustatis, exstincto sapore veteri, fructus faciat insertæ novitatis. Similes utique mortis Christi debemus fieri : *Scientes* hoc *quia vetus homo noster simul cum Christo affixus est cruci :* ad hoc, *ut destruatur in* nobis *corpus peccati;* ita destruatur corpus nostrum in eo quod peccabat, *ut ultra non serviamus peccato*, sed imperium habeamus super peccatum. Dominus Jesus aliud genus mortis si vellet ..gere posset, sed non sine mysterio cruci affigi magis voluit, significans nobis, ut quemadmodum manus et pedes, sensus scilicet humanos affixos habuit, sic et nos non solum opera, sed etiam sensus affixos habeamus, ne cogitemus vel operemur mala. Et bene debemus et possumus non servire peccato. *Nam* ille *qui mortuus est* in baptismo, a peccato liberatus est. Nec hoc solum, sed etiam *justificatus a peccato.*

Postquam de prima resurrectione, quæ est animæ, sufficienter edocuit, quomodo esset observanda, subjungit de secunda, dicens : Nos eam habituros merito primæ bene custoditæ. Utque magis capiamur amore ejus, ponit commendationem ipsius, aperiens quam digna sit et quam utilis, dicens : Non solum mortui peccato justificamur, quæ justificatio est prima resurrectio, sed etiam *si mortui sumus* peccato, hoc est *cum Christo*, ut, quemadmodum Christus semel mortuus, nunquam ad depositam vetustatem rediit, sic et nos semel per baptismum in peccato mortui, non revertamur ad peccatum, *credimus* utique et nos etiam *vivemus* in secunda resurrectione *simul*, id est facti impassibiles et immortales ; neque hoc alibi nisi *cum Christo*, id est in oculis ejus vivemus positi incorruptibiles. Si mortui sumus cum Christo, profecto credimus quod vivemus cum Christo, *scientes* hoc *quod Christus surgens a mortuis jam non moritur*, id est jam non ulterius mortem gustabit ; quia semel mortuus ad justificationem omnium sufficiens fuit. Nec solum non moritur, sed etiam *mors non illi ultra dominabitur*. Dominia mortis sunt : Fames, esuries, febres et quæcunque miseriæ. Caput etiam et completio omnium miseriarum, mors. Sed nec mors, nec miseriæ quæ sunt prænuntiæ mortis, dominabuntur amplius Christo semel mortuo. Vere Christus jam non moritur. Nam hoc *quod mortuus est peccato*, id est ad destructionem peccati, *mortuus est semel*, id est semel mori suffecit.

Et ideo semel commori illi in baptismo sufficiat nobis, perseverando in accepta justificatione. Probat etiam quod mors ultra non dominabitur Christo. Nam hoc *quod vivit vivit Deo*, id est vita Dei ; quia si quemadmodum Deus vivit æternaliter et sine corruptione, profecto nullum dominium in eo mortis erit. Quod dixit in toto debere commori Christo, ut ei convivamus, adaptat modo Romanis, quorum hic intendebat instructioni, dicens : Quandoquidem necesse est commori Christo, si volumus vivere cum eo ; *ita*, id est hac ratione edocti *vos*, Romani, *existimate vos quidem esse mortuos peccato*, id est credite vos mortuos esse in baptismo, ne ultra manum porrigatis ad actum peccati ; quod si ita mortui estis, existimate etiam vos *viventes Deo*, id est in accepta justificatione animæ viventes et hoc merito in corruptione corporum victuros : et hoc totum *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, qui et in præsenti justificat, et in justificatione permanentibus vitam æternam præparat. Quod dixerat superius, nos mortuos esse peccato, et vivendum esse **37** Deo, videns hominem nullo modo posse in hac vita se cohibere a venialibus, determinat in quibus peccatis mori debeamus et possimus : sciens fomitem peccati naturaliter inesse cuique. Sed jam confortato libero arbitrio, possumus coercere fomitem

peccati, ne prorumpat in actum. Et hoc determinans, ait : Quando quidem viventes estis Deo, *ergo peccatum*, id est, naturalis fomes peccati, *non regnet in* vobis. Regnare peccati est, consentiendo, agendo, et in opere peccati consuescendo. Peccatum utique non regnet *in corpore vestro*, id est, quod jam vestrum est, et per confortationem liberi arbitrii subjectum dominio rationis. Corpore dico licet justificato, tamen adhuc *mortali*, et (nisi ratione regatur) prono in opus peccati. Quare videndum est ne consentientes mortalitati vestræ non vivatis Deo. Non itaque regnet peccatum *ut obediatis concupiscentiis ejus*, scilicet peccati, id est ut quod male suadet infirmitas carnis vestræ, opere perficiatis nec solum non obediatis opere, *sed neque exhibeatis* ita ut parata et opportuna per consensum faciatis *membra vestra peccato*. Quia sicut nec operari, sic nec malo consentire debetis. Membra vestra dico tunc facta *arma iniquitatis*, si fuerint exhibita peccato. Si enim peccato consenseritis, tunc iniquitas armatur membris vestris, ut per hæc arma perficiat quod male cupit. Nolite vos exhibere delicto, *sed exhibete vos Deo*, id est, præparate vos bene operando idoneos *Deo*. Et justum est, vos dico factos *viventes* in justitia *tanquam ex mortuis;* mortui enim eratis in peccato. Nec solum actu exhibete vos Deo, sed etiam *membra vestra* in consensu et exhortatione bonorum præparate *Deo*. Membra vestra dico facta tunc *arma justitiæ*. His enim armis perficiet justitia, quod bene suadet et cupit. Debetis utique et potestis exibere vos Deo. *Nam peccatum*, etsi naturaliter sit in vobis, *non* tamen *dominabitur in vobis*, si confortato libero arbitrio, velitis uti, sed potius vos dominabimini ipsi peccato, ne habeat actum. Vere peccatum non dominabitur in vobis : *non* jam *enim estis sub lege*, quæ reos faciebat jubendo, non adjuvando; *sed estis sub gratia*, quæ dimittit peccata et adjuvat operari bona.

Quia iterum errare ex eo quosdam sentit, quod dixerat per gratiam omnia dimitti, et hac fiducia se peccare, quia gratia parata erat, et sufficiens relaxare omnia, contra sic male operantes dicit hac intentione non esse peccandum, quia gratia omnia quidem dimittit, sed si aliquis peccando se subduxerit gratiæ, factus servus peccati, quomodo scit si ad gratiam reverti poterit, cum jam sub jugo peccati ligatus sit? Quandoquidem sub gratia sumus quæ sufficienter purgat omnia : *ergo quid dicemus?* An ideo licite *peccabimus, quoniam non sumus sub lege*, quæ jubendo gravat et non adjuvat, *sed* sumus *sub gratia*, quæ et peccata remittit, et bene operari adjuvat? *Absit!* Hoc, inquit, abesse debet, ut peccemus fiducia gratiæ; quia an *nescitis quod servi ejus estis cui exhibuistis vos ad obediendum?* Servi dico facti *cui obedistis*, id est, in ea hora qua cito obedistis. Ejus servi dico; *sive peccati* cui obedistis, ducentis *ad mortem*, id est ad damnationem; *sive* servi estis *obeditionis*, id est justitiæ ducentis vos *ad* majorem *justitiam;* quia obediendo peccato, servi peccati efficiemini, nec hujus servitutis vincula rumpere potestis libertate perdita. Ideo bonum est ut servi facti justitiæ, a gratia non declinetis, quia servi facti peccati non potestis vestro jure reverti ad gratiam. Ideo in justitia perdurate, nec propter hoc solum, sed etiam ideo quia cum olim jugo peccati deposito, facti estis servi justitiæ, si iterum ad vomitum veteris servitutis relabimini, rei estis instabilitatis et justæ perditionis; quod sic ait : Non solum pro eo quod præmissum est perdurare debetis in justitia, sed etiam pro eo quod sequitur : Unde *gratias ago Deo meo*, qui vos gratis sine merito vestro a jugo peccati liberavit.

38 Inde utique gratias ago; *quia vos aliquando fuistis servi peccati, sed* jam *obedistis*, nec coacti, sed *ex corde*, id est propria voluntate eundo *in formam doctrinæ*, id est, in doctrinam quæ vos fecit Deo conformes. Imago enim Dei deformata et excæcata fuerat in vobis; sed per instructionem meam imaginem Dei in vobis reformavi. Formam dico illam, id est, tam excellentem sicut reformationem imaginis Dei; *in quam* formam *traditi estis* per misericordiam Dei et doctrinam nostram. Per vos enim insufficientes eratis reformari. Olim fuistis servi peccati, sed nunc *liberati a peccato, facti estis servi justitiæ;* et ideo nolite ulterius redigi in servitutem peccati. Et vobis factis jam servis justitiæ *dico humanum*, id est, præcipio vobis quiddam satis leve, ad quod humanitas vestra satis potest sufficere. Et hoc, quia spirituale est arduum, non præcipio vobis : facio *propter infirmitatem carnis vestræ*, id est, quia scio vos adhuc carnalitate premi, nec satis firmos in spiritualibus, *humanum* utique *dico*. Nam hoc humanum est, *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ*, id est luxuriæ, gulæ, libidini, servire etiam *iniquitati*, id est, omni contrario æquitati *ad* consummandam *iniquitatem*, saltem *ita nunc* fideles facti *exhibete membra vestra servire justitiæ* eundo *in sanctificationem*, id est in plenitudinem justitiæ. Hoc utique satis humanum est, ut quantum servistis diabolo, tantum serviatis Deo, cui multo magis estis obnoxii. Vere quia servi facti estis Dei, servire debetis justitiæ. *Nam cum* prius *essetis servi peccati, liberi* tunc *fuistis justitiæ*, id est, expertes ab omni justitia, fideliter servientes peccato. Sed nunc facti servi justitiæ, longe fidelius servire debetis Deo. Quandoquidem amore peccati fecistis vos expertes totius justitiæ : *ergo quem fructum*, id est, quid utilitatis *habuistis tunc* ante conversionem *de illis in quibus nunc* post conversionem *erubescitis?* Ideo sic interrogando invehitur in eos, ut a servitute peccati magis deterreat. De temporali fructu peccati ideo solum requiro : nam de fine eorum satis constat *finis illorum est mors*, id est, in fine vitæ absorbet istos æterna damnatio. Servi facti peccati nullum fructum habuistis, sed *nunc* per gratiam *liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum*, id est, fide suscepta dignum : fructum dico tendentem *in sanctificationem*,

id est, in plenitudinem justitiæ. Impii mortem habent, sed vos habetis *finem vitam æternam*. Vere mors est finis illorum : nam *mors* est *stipendium peccati*, id est, peccatum ministrat hanc stipem, id est mortem. Stipendium dicitur, hoc quod tribunus, vel prætor, pensata mercede militis, ministrat ei in exercitu. Mors habetur ex peccato, sed *vita æterna* habetur *per gratiam Dei*. Licet enim aliquod meritum sit ibi, prima tamen justificatio fuit ex sola gratia. Et directio vitæ quæ sequitur, et eadem gratia longe amplius quam meruerit remunerat; gratia dat vitam æternam ; et hoc *in Christo Jesu*, id est per Jesum Christum Dominum nostrum.

CAPUT VII.

« An ignoratis, fratres (scientibus enim legem « loquor) quia lex in homine dominatur, quanto « tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vi- « vente viro alligata est legi, si autem mortuus « fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vi- « vente viro [marito] vocabitur adultera, si fuerit « cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, « liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si « cum alio fuerit viro. Itaque, fratres mei, et vos « mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis « vos alterius qui ex mortuis resurrexit, ut fructi- « ficetis Deo. Cum enim essemus in carne, passiones « peccatorum quæ per legem erant operabantur « in membris nostris ut fructificarent morti. « 39 Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua « detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiri- « tus, et non in vetustate litteræ. Quid ergo dicemus ? « Lex peccatum est ? Absit ! Sed peccatum non co- « gnovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam ne- « sciebam, nisi lex diceret : « Non concupisces « (*Exod.* xx, 17; *Deut*, v, 19). » Occasione autem « accepta, peccatum per mandatum operatum est « in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim « peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine « lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, pec- « catum revixit. Ego autem mortuus sum, et inven- « tum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc « esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta « per mandatum seduxit me, et per illud occidit. « Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, « et justum, et bonum (*I Tim.* i, 8). Quod ergo « bonum est, mihi factum est mors? Absit! Sed pec- « catum, ut appareat peccatum, per bonum operatum « est mihi mortem ; ut fiat supra modum peccans « peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex « spiritalis est. Ego autem carnalis sum, venunda- « tus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. « Non enim quod volo [bonum] hoc ago, sed quod « odi [malum] illud facio. Si autem quod nolo illud « facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc au- « tem jam non ego operor illud, sed quod habitat in « me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, « hoc est in carne mea bonum. Nam velle adjacet « mihi, perficere autem bonum non invenio. Non « enim quod volo bonum, hoc facio ; sed quod nolo « malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, « jam non ego operor illud, sed quod habitat in me « peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere « bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condele- « ctor enim legi Dei secundum interiorem hominem. « Video autem aliam legem in membris meis, re- « pugnantem legi mentis meæ, et captivantem me « [captivum me ducentem] in lege peccati quæ est « in membris meis. Infelix ego homo, quis me libe- « rabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei, per « Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego « ipse mente servio legi Dei, carne autem legi pec- « cati. »

EXPOSITIO.

Quia superius satis probaverat debere eos subjici gratiæ, et serviendum esse Deo, ne modo in legalibus putarent se debere servire Deo (peccatum enim esse credebant, si etiam in tempore gratiæ legalia prætermitterent) probat Paulus non ulterius serviendum esse in legalibus, quæ si deserunt, non est peccatum ; si faciunt, rei sunt. Non enim tenenda est umbra, postquam venit veritas, et cum carnalem legem expellat, spirituali legi alligat eos. Littera sic jungitur : Per Christum Jesum est vita æterna tantum. Nam per legem non ; quia *an ignoratis fratres*, ut magis excitet ad intellectum hujus rei, et fratres vocat, et interrogat. Nec ignorare debetis (*scientibus enim legem loquor*) quia, si bene consultis, idem invenietis. An ignoratis dico *quia lex* quæcunque posita sit, *dominatur in homine*, non semper, sed *quanto tempore vivit* lex in eo homine, vel homo sub ea lege ? Velut si in qualibet urbe præceptio aliqua poneretur, usque ad determinatos annos, qui intra hos annos præceptum positum non attenderet, reus esset transgressionis positæ legis. Qui vero finitis determinatis annis faceret contra positam legem, reus inde non esset, quia tempus ejusdem legis jam præterisset. Sic de lege Judæorum, qui tempore Moysi usque ad tempus Christi eam non observaret reus esset. Sed postquam venit gratia, jam tempus ejus legis præteriit, et sic reus non est qui eam deserit. Vere lex posita dominatur, quandiu homo vivit sub lege, vel lex in homine. Nam lex conjugalis ista est : *Mulier quæ est sub viro*, maritali modo fœderata, illa *alligata est legi* viri, vivente viro ; *sed si mortuus fuerit vir ejus, soluta est mulier a lege viri*. Quandoquidem mulier vivente viro alligata est ei, *Igitur* si *vivente viro* suo, *habuerit rem cum alio viro, vocabitur adultera*. Sed *si vir ejus mortuus fuerit, liberata est a lege viri, ita ut si fuerit juncta cum alio viro, jam non judicetur adultera*. Et *ita*, id est simili ratione *fratres* 40 *mei vos estis mortificati* veteri *legi*, quæ data fuit solummodo usque ad adventum Christi. Mortificati dico *per corpus Christi*, id est per Christum advenientem, qui corpus, id est veritas ipsius legis fuit, et cujus corporis lex umbra fuit. Nec mortificati ut vidui remaneatis, sed *ut* amodo *sitis alterius, ejus scilicet, qui resurrexit ex mortuis*, per quod satis commendabilis est vobis.

Resurrexit ad hoc *ut* per eum *fructificaremus Deo*, id est per gratiam ad honorem Dei. Et modo tandem fructum facere licet sub gratia, quia *cum essemus in carne*, id est detenti in carnalitate, tunc *passiones peccatorum*, id est mala desideria, *quæ* licet sensualis homo affectaret, rationalis tamen passiones esse judicabat, quæ passiones *erant* notæ *per legem* et augmentatæ per delictum prævaricationis, *operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*, id est ut facerent fructum damnationis. Sed *nunc* postquam venit gratia, *sumus soluti a lege* veteri, quæ erat nobis lex *mortis*, *in qua* morte peccati *detinebamur*, nec adjutorio legis surgere poteramus. Soluti, inquit, sumus a lege carnali : ita, id est propter hoc, *ut* amodo *serviamus in novitate spiritus*, id est spiritualiter renovantes nos quotidie bene agendo : juxta illud : « Renovamini spiritu mentis vestræ (*Ephes.* IV, 23), » *et non* amplius serviamus *in vetustate litteræ*, adhærentes litterali intellectui, ut vetustas consuevit.

Quia dixerat superius Judæos mortificatos esse veteri legi, nec esse revertendum ad eam, quia passiones peccatorum erant per legem, et per eam fructificabant morti, appellaverat etiam eam legem mortis, ne male opinarentur Judæi Paulum hoc intelligere, ut lex esset causa peccati efficiens, et ad peccandum compellens, probat legem, quantum in ea est, esse bonam. Quia vero Judæi amplius sub lege peccarent, hoc corrupta natura faciebat, non lex. Littera sic jungitur ; Quandoquidem per legem fructificabamus morti, *ergo quid dicemus ?* Dicemus quod *lex est peccatum*, id est causa peccati efficiens, et compellens ad peccandum ? *Absit* hoc ut legem dicamus esse peccatum, quod si diceremus, et legem esse injustam probaremus, et Deum datorem legis de injustitia argueremus, qui legem dedisset compellentem ad peccatum. Per legem utique non est peccatum, sed bonum : cognitio enim peccati. *Non enim cognovi peccatum nisi per legem.* Ante legem utique fuit cognitio peccati, cum pincerna et pistor Pharaonis causa peccati in carcerem missi sunt. Sed per legem dicit cognitum esse peccatum, quia originale fere ab omnibus ante legem ignorabatur, et actualia multa nesciebantur esse peccatum ut concupiscentia de qua subdit ; pœna etiam infernalis, quæ sequitur de peccatis, non ita sciebatur, nec meritum futurum non peccantibus. Putabant enim omnes in inferno permansuros, licet sub dissimilitudine pœnarum. Sed per legem cognitum est originale, cognita sunt etiam multa actualia, prius incognita. Nec etiam ea quæ cognita erant, tanta esse credebantur. Cognita est etiam futura damnatio pro peccatis, et ideo ait : Per legem cognovi peccatum, et originale, et actualia quanta erant, pœnamque pro iis futuram. Vere per legem cognovi peccatum. *Nam* hoc, scilicet *concupiscentiam*, quam esse peccatum *nesciebam*, *nisi lex* ita *diceret : Non concupisces.* Lex quidem bona est, quia dat cognitionem peccati ; sed tamen per legem nihil bonum, sed omne malum habui, licet non culpa legis, quod æquipollenter ait : Licet lex bona sit, tamen *peccatum*, id est corrupta natura, vel diabolus instimulans, *operatum est in me concupiscentiam omnem*, id est voluntate, actu, consuetudine peccandi. Hoc, inquit, operatum est *peccatum accepta occasione per mandatum*, id est per legem mandatam hominibus. Accepta, ait, occasione, id est opportunitate ex lege ; tum quia fragilitas humana magis tendebat in vetitum, tum quia diabolus ferventius, accepta lege, insultabat homini, videns legem datam fore quemdam gradum homini redeundi **41** ad salvationem, quem prius quieto jure possidens inquietare negligebat.

Notandum etiam quod peccatum corruptam vocat naturam. Sunt enim in unoquoque et sensualis homo et spiritualis. Sensualis dicitur pars illa animæ, cum corpore quæ sensificat corpus, et ita premitur mole carnis, ut per singulos sensus congaudeat voluptati, diligens suavia gustu, canora auditu, delectabilia visu, jucunda tactu, bene fragrantia odoratu. Illa vero pars animæ quæ non ita premitur carne, et hic dicitur rationalitas, contradicit sensualitati, et naturaliter appetit quod bonum est. Vere peccatum operatum est in me malum, per mandatum. Nam dum eram *sine lege*, *mortuum erat peccatum*, id est corrupta natura secundum quod minus impugnabatur a diabolo, minus cupiebat peccatum, quia non erat prohibitum. Peccatum tunc mortuum erat, *ego autem vivebam*, id est vivere mihi videbar cum essem *aliquando sine lege ;* quia et minus cognoscebam, nec ita concupiscebam peccatum, nec diabolus adeo inardescebat. Ante legem mortuum erat peccatum ; *sed cum venisset mandatum*, quod mortuum erat *revixit peccatum*, id est corrupta natura vires resumpsit, magis stimulante diabolo, et ut est vitium humanæ fragilitatis magis concupiscendo interdicta. Revixit ideo ; quia in principio vixerat, et cognitum fuerat originale, cum adhuc recens erat. Veniente mandato revixit peccatum ; *ego autem sum mortuus*, non solum de prioribus, sed etiam de prævaricatione datæ legis reus factus. Et quandoquidem per legem revixit peccatum, et ego mortuus sum, igitur *mandatum quod erat* mihi datum *ad vitam* secundum intentionem datoris, hoc mandatum, non jam ad vitam, sed inversum *inventum est mihi esse ad mortem*. Non quia me compelleret ad peccatum, sed quia causa fuit sine qua nec reus essem prævaricationis, et causa pro qua diabolus magis insurgeret contra quod lex non adjuvabat, sed præcipiendo impediebat. Congrue dicit inventum est ad mortem ; non enim positum erat mandatum ad mortem. Probat mandatum esse sibi ad mortem, non tamen culpa legis, sed vitio corruptæ naturæ compellentis, dicens : Vere mandatum inventum est mihi ad mortem, *nam peccatum*, id est corrupta sensualitas seu diabolus *accepta occasione*, seu quia suasio delectationis ad peccandum vehementior est, cum adest prohibitio, seu quia diabolus ardentius incumbebat. Sic utique

accepta opportunitate *per mandatum, seduxit me,* ut consentirem peccato ; *et per illud* seducere *occidit* me, præcipitando in actum peccati. Et quandoquidem mandatum erat ad vitam, ex culpa peccati inversum est ad mortem. *Igitur lex sancta* est, id est præcepta legis sancta sunt, *et mandatum*, id est opus præceptorum, ut jejunare, dare eleemosynam, hoc, inquit, mandatum *sanctum*, id est sancitum et firmatum in bono est. Est etiam *justum* æquitatem servans ad proximum. Est etiam *bonum*, id est utile implenti illud. Modo sufficienter probavit legem esse bonam in se.

Sed diceret Judæus : Non curo an lex bona sit, cum sit mihi causa damnationis. Quo contra Paulus probat per legem neminem damnari, sed potius enutriri in bono. Corrupta vero natura hæc, causa est compellens ad peccatum. Unde sic ait : Quando quidem mandatum sanctum est, *ergo* illud *quod* in se *bonum est* credi debet quod *mihi factum est mors*, id est causa compellens me ad mortem ? *Absit* hoc, ut illud quod bonum est sit causa quæ malum efficiat ! Mandatum utique quod bonum est, non est mihi factum mors ; *sed peccatum*, id est corrupta natura : vel diabolus instimulans peccatum : ita dico *ut appareat*, id est, ut cognoscatur esse *peccatum :* illud *operatum est mihi mortem per bonum*, id est accepta occasione a lege quæ bona est, coegit me magis peccare, prævaricari etiam quod prius non erat. Operatum est, dicit, ita per bonum *ut peccatum fiat ; peccans* nunc in lege *supra* priorem *modum*, id est priusquam lex daretur *per mandatum*, id est per **42** prævaricationem mandati magis *peccans*. Vere lex non est operata mortem, sed peccatum. Nam nos scimus ab auctoritate vim habente. *Scimus* utique *quia lex est spiritualis*, id est, vel data per Spiritum sanctum, vel nutriens spiritum hominis, quorum alterum si sit, constat quia non est causa mortis. Lex utique est spiritualis, *sed ego sum carnalis*, id est adhærens carnalitati ; *venundatus*, quem primus parens pro gustu pomi venundedit : nec ita ut sim solum in peccato, sed etiam *sub peccato ;* quia et si volo, et diu laboro, per me tamen surgere nequeo.

Hic incipit ostendere quod lex et rationalis homo in voluntate boni consentiant ; sed tamen ab illo tertio, id est a corrupta natura superantur. Et hoc de rationalitate quod bona sit et bonum velit convenienter probat. Sicut enim si lex mala esset, dator legis inde vituperaretur, sic etiam si naturalis ratio adversaretur bono, juste qui rationem dederat de malo rationis calumniaretur. Vere sub peccato sum. *Nam quod* ego *operor*, sive dimittendo bonum quod utique est operari malum, sive faciendo malum, quod, inquam, operor ego sensualis, *intelligo* ego rationalis *non* esse operandum. Vere operor dimittendo bonum, quod intelligo non esse operandum. *Non enim ago hoc bonum quod* ego rationalis *volo ;* et vere operor faciendo malum quod intelligo non esse operandum. Nam ego carnalis *facio illud quod* ego rationalis *odi*. Et nunc quia lex spiritualis et bona est, rationalitas vero mea bonum vult cum lege, inde apparet quod lex et ratio simul sentiant, licet carnalitas prævaleat. Ago, inquit, illud quod odi, id est illud quod nolo. *Si autem* rationalis *nolo illud quod* carnalis *facio*, ecce jam *consentio legi*, id est, idem volens testis sum legi de hoc *quod bona est*. Quandoquidem ego rationalis nolo illud quod carnalis facio (illud nunc illativum est), *Ergo ego* rationalis *jam non operor illud* quod me nolente operatur caro, *sed peccatum*, id est, fomes peccati, *quod* peccatum *habitat*, id est, assidue remoratur *in me* carnali. Et vere peccatum habitat in me, quia bonum non habitat in me. Quod sic ait : *Scio quidem quia bonum non habitat in me*, hoc quod dico in me est, *id est in carne mea*, id est in me carnali. Et hoc probat : Vere bonum non habitat in carne mea, nam neque per voluntatem, neque per actum. Per voluntatem quidem non habitat. *Nam velle* bonum *adjacet mihi* carnali, id est quodammodo approximat carni : nemo enim tam impius quin aliquando saltem bonum velit. Quod si adjacet, ergo non habitat in me, velle bonum adjacet. *Sed perficere bonum* illud *nullo modo invenio* in carne mea. Vere perficere bonum non est in me carnali. *Nam* ego carnalis *non facio hoc bonum quod volo* rationalis. *Sed ago* carnalis *hoc malum, quod nolo* rationalis. Vel aliter : Vere perficere bonum ex toto non invenio in me. Nam etiam hoc bonum non facio quod bonum esse cognosco, et ideo facere volo. Non enim omnia bona mihi nota sunt. De eo quod dixit superius ad aliud probandum : non quod volo hoc ago, iterum hoc per aliud probato, infert dicens : Quandoquidem ego rationalis *nolo malum quod ago* carnalis, ergo *ego* rationalis *non operor illud* malum, *sed peccatum*, id est corruptio naturæ : *quod* peccatum *habitat in me* carnali, operatur illud malum. Repetit locum unde inferat, *si quod nolo illud facio*. Quandoquidem ego rationalis nolo malum, lex autem (sicut probatum est) malum similiter non vult, *Igitur* ego rationalis *invenio legem* esse bonam, id est utilem mihi rationali volenti facere bonum. Lex bonum docens, et ratio bonum volens, consentiendo in bono se invicem inveniunt. *Volenti facere bonum* et non facienti, bene dico, *quoniam malum* carnalitatis *adjacet mihi* rationali : et propterea bonum quod volo perficere nequeo.

Nota quoniam Paulus figurative sub persona sua de omnibus loquitur, assumens sibi personam, nunc ante **43** legem nunc in lege. Vere bonum invenio in me. *Nam* ego *condelector legi Dei :* quia et illa bonum vult et ego cum ea. Condelector dico *secundum interiorem hominem*, quia interior homo rationalis vult quidem bonum : etsi nequeat operari. Cum modo dixerit quod lex et rationalitas bonum velint, ostendit utrumque superari a tertio, id est a carnalitate, quod tertium ostendit superandum esse per gratiam, et hoc satis idonee facit. Cum enim legem ostendat deprimi per carnalitatem, nec eos qui sub lege fuerunt quidquam boni fecisse, nisi per gratiam, per hoc plane Judæos insinuat debere subjici penitus gratiæ Dei, et non amplius legi. Per hoc

iterum quod rationalitatem, etsi bonum vellet, succubuisse tamen carnalitati dicit, gentiles, ne se de libero arbitrio efferant, deprimit, et sic omnes gratiæ Dei subjicit. Licet secundum interiorem condelector legi Dei, *tamen video aliam legem in membris meis*, id est in carnalitate mea. Legem ideo dicit, quia quemadmodum ratio dictat agere quod bonum est, sic sensualitas quod malum est : legem membrorum dico *repugnantem legi mentis meæ*, id est bonis quæ ratio suadet. Nec solum repugnantem, sed etiam *captivum ducentem me in legem peccati :* ut operer ea quæ corrupta sensualitas dictat ; *quæ* lex peccati *est in membris meis*, id est in singulis sensibus diffusa. Et quandoquidem lex membrorum captivum me ducit in peccatum, *ergo* rationalis sum *infelix :* quia sum *homo*, id est quia carnalitate deprimor ; et *me* infelicem *quis liberabit de corpore mortis hujus ?* id est de morte peccatorum, quæ sunt in corpore meo : vel de corpore mortis, id est de tota hac massa peccatorum quæ ducunt ad mortem. Lex non potest liberare me Judæum ; non ratio naturalis me gentilem ; cum hæc ir. utroque deficiant, scio liberationem meam, *gratiam Dei* datam *per Jesum Christum Dominum nostrum*. Illa profecto liberabit me, et ideo vos Judæi gratiæ efficaci, non legi impotenti, vos iterum gentiles gratiæ Dei non rationi debilitatæ, subjicimini. Considerandum est quod duplex velle bonum sit in homine. Alterum secundum naturalem rationem, quæ corruptione peccati depressa, bonum quod vult operari non sufficit. Alterum velle secundum inspirationem Spiritus sancti per quem fomes peccati deprimitur, ut bonum operari possimus. Velle autem naturalis rationis hoc erat, de quo superius dicebat : *Non quod volo bonum hoc ago.*

Dixerat superius interiorem hominem et legem condelectari in bono sola voluntate, non actu, quia contra hæc duo invalescebat fomes peccati, legem et rationem expugnans : sed postquam Deus ostendit utrumque bonum legis et rationis in homine deficere, dedit ad ultimum gratiam suam, quæ liberum arbitrium confortavit ; ut jam si velit homo bonum possit operari, et bene coercere fomitem peccati. Quia autem hominem redemptum per gratiam, Deus non penitus a fomite peccati divisit, causa hæc fuit, quia reliquit meritum homini. Si enim homo sola necessitate quia non posset, non peccaret, non esset meritum quo salvari deberet. Ut autem locus esset merendi, fomitem peccati reluctantem dimisit, debilitatum tamen et (si velit homo) subditum rationi. Quia iterum hominem a peccato redemptum, non in tanta dignitate restituit, in quanta fuerat Adam cum cecidit, factum est ne iterum homo de subita et tanta felicitate superbiendo, irreparabiliter caderet. Quare ad memoriam peccati, et ad custodiam humilitatis opportune relicta est pœna peccati ; ut etiam per hoc ostendatur vis sancti Spiritus, adjutorio cujus rationalis homo subigit sibi carnalem : cui subjectus fuit, quandiu sine gratia fuit. Littera sic jungitur : Quandoquidem gratia Dei data per Jesum Christum me liberavit, *igitur ego ipse* qui ante gratiam subjectus eram carnalitati, jam quod bonum volebam potens operari, non solum volo, sed etiam *servio mente*, id est potestatem habeo secundum quod ratio admonet bene operando servire *legi Dei*. Nec ita tamen ut fomes peccati penitus in me destructus sit, *sed* potestatem habeo servire *carni*, id est secundum carnalitatem *legi peccati*. In hoc etiam maximum notat miraculum, quod fomes peccati, contra quem nihil prius poterat ratio, nunc subjaceat rationi, si velit homo.

CAPUT VIII.

« Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt « in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, « Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis « peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui « non secundum carnem ambulamus, sed secundum « spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quæ « carnis sunt sapiunt : qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis mors est : prudentia autem spiritus, « vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est « Deo. Legi enim Dei non est subjecta, nec enim « potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non « possunt. Vos autem in carne non estis, sed in « spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si « autem quis spiritum Christi non habet, hic non « est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus « quidem mortuum est propter peccatum, spiritus « vero vivit propter justificationem. Quia si Spiritus « ejus qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit, et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. Ergo fratres « debitores sumus, non carni ut secundum carnem « vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, « moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu Dei « aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis « spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus : Abba (pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. « Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, « cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, « ut et glorificemur. Existimo enim quod non sunt « condignæ passiones hujus temporis ad futuram « gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. « Vanitati enim omnis creatura subjecta est, non « volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe: « quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus « enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit

« usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos- « ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos « gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, « redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi « facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est « spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si au- « tem quod non videmus, speramus : per patien- « tiam exspectamus. Similiter autem et spiritus « adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus « sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postu- « lat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui au- « tem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, « quia secundum Deum postulat pro sanctis. Sci- « mus autem quoniam diligentibus Deum omnia « cooperantur in bonum, his qui secundum propo- « situm vocati sunt sancti. Nam quos præscivit et « prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, « ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos « autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vo- « cavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, « illos et magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam « proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis om- « nibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum « illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adver- « sus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui « condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui « 45 et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam « interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit a « charitate Christi? Tribulatio? An angustia? An « persecutio? An fames? An nuditas? An pericu- « lum? An gladius? Sicut scriptum est : « Quia « propter te mortificamur tota die, æstimati sumus « sicut oves occisionis (*Psal* XLIII, 23). » Sed in « his omnibus superamus propter eum qui dilexit « nos. Certus sum enim quia neque mors, neque « vita, neque angeli, neque principatus, neque vir- « tutes, neque instantia, neque futura, neque for- « titudo, neque altitudo, neque profundum, neque « creatura alia [aliqua] poterit nos separare a cha- « ritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

EXPOSITIO.

Quandoquidem mente servire possum lege Dei, *Ergo nunc* in tempore gratiæ *nihil damnationis* relictum est *his qui sunt in Christo Jesu*, id est qui in fide Christi renati sunt. Non quod modo boni sint, modo male agendo non sint, sed quia ita sunt in Christo Jesu, *quod non ambulant secundum carnem*, id est non delectantur in malis, sectando carnalitatem. Ambulare congrue removet. Impossibile enim est non invicem facere quæ carnis sunt. Propterea non dixit, qui sunt secundum carnem, sed qui ambulant, id est qui de malo non pœnitent, sed consuescendo delectantur in eo. Vere *nihil damnationis est his qui sunt in Christo Jesu*. Nam *lex spiritus*, id est vel quam Spiritus sanctus dictat, vel ipsa rationalitas, spiritus dico datoris *vitæ*, id est qui dat hic vivere in virtutibus unde etiam provenit vita æterna : Vitæ dico habitæ *in Christo* A *Jesu*, id est per Christum Jesum, *liberavit me a lege peccati*, id est a fomite peccati, *et* a lege *mortis*. id est ab actu fomitis peccati, ne quod fomes male suadet, operarer. Vere liberatus sum a lege peccati; *nam* per Filium Dei. *Deus* enim *misit Filium suum :* non quod Filius abesset alicubi, sed quia ipse natura invisibilis per unitam sibi carnem factus est visibilis, missus dicitur secundum cognitionem nostram. Misit utique Deus Filium suum, non in carnem peccati, sed *in similitudinem carnis peccati*, id est in carnem similem carni peccatrici. Christus enim omnem carnis materiam præter peccatum sustinuit; et per missum Filium *damnavit peccatum*, id est fomitem peccati, quod erat *in carne* nostra. *De peccato*, id est per Filium qui B fuit hostia pro peccatis omnium oblata. Unde et Christus dictus est peccatum. Hostia enim pro peccato oblata, peccatum dicebatur, vel pro peccato. Vel ita : Damnavit peccatum, id est Satanam de peccato : quod diabolus fecit in carne Christi. Diabolus enim jus habebat in omnem hominem propter originale peccatum : de quo quia Christus reus non fuit (non enim in concupiscentia carnis natus est), in eum diabolus indebitum jus usurpavit; ideo jus quod concessum ipsi erat in omnes, perdidit, et sic quia inconcessa captavit, juste concessa perdidit. Damnavit utique peccatum : ad hoc. *ut impleretur in nobis justificatio legis*, id est quam lex præsignabat, et implere non poterat in nobis de termino : C *qui non ambulamus secundum carnem*, id est sequendo desideria carnis; *sed* ambulamus *secundum spiritum*, id est secundum quod dictat Spiritus sanctus vel ratio. Damnavit, dico, peccatum, quod scilicet damnare peccatum impossibile erat legi. Lex enim impotens erat liberare ab originali, in quo, id est in implenda justificatione, lex infirmabatur per carnem, id est quia carnalitatem sectabatur. Vere justificatio non impletur, iis qui ambulant secundum carnem; *nam* ii *qui* sectantur *carnalitatem*, *sapiunt*, id est saporem bonum capiunt, in his *quæ carnis sunt*. A modo in sequentibus longe commendabit legem spiritualem per oppositum, deprimendo carnalem.

Quid inde diceret aliquis si sapiunt ea quæ carnis sunt? Malum utique multum est hoc. *Nam prudentia carnis est mors*, id est vacare iis quæ caro suadet, mors animæ est. His qui sequuntur spiritum implebitur justificatio legis. Nam qui sunt secundum Spiritum, sentiunt, id est sapiunt et sectantur ea quæ sunt Spiritus. 46 Et quid inde diceret aliquis? Multum equidem. Nam *prudentia est spiritus vita*, id est vivere hic in virtutibus, *et* est *pax*, id est tranquillitas animi, et quies a tentationibus. Non enim omnes qui vivunt in virtutibus, pacem hanc habent, sed admodum pauci; ideo prudentia carnis est mors, *quoniam sapientia carnis est inimica Deo*, quandiu inimicatur Deo, vivere nequit. Sed qui bonum carnalitatis suæ Deo præponit, regnum Dei (quantum in se est) diminuit, subjiciens se regno carnis. Vere sapientia carnis est inimica Deo.

Nam non est subjecta legi Dei, sed imperio carnis. Non est subjecta, *quia nec esse potest* subjecta, quandiu carnalitati adhæret. Quid enim enumerare quæro singula dicens, prudentia carnis est mors et inimica Deo? ut paucis comprehendam : *quicunque sunt in carne*, id est in carnalitate, quandiu ibi detinentur, *Deo placere non possunt*. Quia modo dixerat, qui in carne sunt Deo placere nequeunt, ne per hoc deterreret Romanos, qui prius justificatione accepta, ad aliqua peccata relapsi fuerant, demulcet eos blandiendo, tamen quæ facienda sint eis aperte insinuans. Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Sed *vos*, o Romani, *non jam estis in carne*, nec vos in carne esse intelligo, *sed* estis *in spiritu*. Hac conditione tamen vos esse in spiritu pronuntio, *si Spiritus Dei* quem in baptismo accepistis *habitat*, id est perseverat *in vobis*. *Si quis autem* (non dico de vobis, sed quicunque ille sit) qui *non habet Spiritum Christi, hic non est ejus*, scilicet Dei, id est non habet partem cum Deo. Hic plane ostendit Apostolus Spiritum sic a Filio, ut a Patre procedere, ubi ait Spiritum Dei, et Spiritum Christi, et quod idem sit Spiritus Dei, et Spiritus Christi. *Si autem Christus*, id est Spiritus Christi, *est in vobis, corpus quidem vestrum mortuum est*, id est mortalitati adhuc subjacet *propter peccatum*, id est vel propter pœnam peccati, vel propter custodiam, ne iterum cadatis per elationem; corpus quidem adhuc est mortuum : *sed spiritus* vester jam *vivit propter justificationem*, id est per opera justitiæ quæ exercet justificatus a peccatis, ubi ait : Si Christus est in vobis, innuit Christum et Spiritum sanctum idem esse in substantia Deitatis. Nec solum per spiritum habitantem in vobis, vitam spiritus habebitis, sed etiam *si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis*, pro hac causa quia Spiritus sanctus in eo habitavit. Si, inquit, idem Spiritus *habitat in vobis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra*, facta immortalia propter eamdem causam, scilicet *propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Et quia sic de vobis facere possit, et facturus sit præsignavit, in eo quod jam *suscitavit Jesum Christum a mortuis*.

Quia si quæritur quare Christus ante omnes incorruptibilis suscitatus sit? respondetur ideo quia de Spiritu sancto conceptus sit; quia peccatum non fecit, et quia per eum incorruptionem omnes habituri sunt, dignum fuit ut omnes in hoc, et tempore præveniret, et plus omnibus acciperet. Quandoquidem Deus et jam animam vivificavit, et corpus vivificabit, *ergo fratres jam non sumus debitores carni*, id est jam nihil debemus carnalitati, sed spiritui; quia per spiritum vivimus, et adhuc vivificabimur. Debemus quidem carni quæ necessaria sunt ei, ut victum et tegumentum; sed non ita vivamus sequentes carnalitatem. *Si enim secundum carnem vixeritis*, non vivificabimini, sed *moriemini*. *Si autem facta carnis mortua feceritis, per spiritum vivetis*, et hic secundum animam, et in futuro secundum corporis incorruptionem. Et mortificare debetis; nam Spiritu Dei agimini, et vere vivetis, quia filii Dei eritis. Quod sic ait : Vere si mortificaveritis carnem, per spiritum vivetis. *Nam quicunque aguntur Spiritu Dei* (quod est mortificare facta carnis), *hi sunt filii Dei*, et hæc est vita æterna.

Postquam satis commendavit legem spiritus, ostendit quanta utilitas sit nobis per Spiritum sanctum, quod jam partim supra ostendit. Vere filii estis. *Non enim* jam estis servi, quod sic ait : Vos quidem *accepistis spiritum*, sed non spiritum *servitutis* : ut amplius servi sitis, et serviatis *iterum in timore*. Dum enim sub lege eratis, 47 timore pœnarum quas lex minabatur serviebatis : qui autem timore pœnæ servit, pœnam evadit, gloriam non meretur. Spiritum servitutis utique non accepistis, *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, id est per quem adoptamini in filios Dei. *In quo* spiritu docente, nos *clamamus : Abba* (*pater*). Abba Hebræum est, significans id quod pater, vel pater Græcum. Ideo hebræam vocem posuit, et vocem gentium, seu græcam, seu latinam, ut ostendat utrumque populum, Judæum et gentilem in novitate spiritus debere servire Deo, non jam in vetustate litteræ. Vere in spiritu *clamamus : Abba* (*pater*). Nam *Spiritus* sanctus *reddit testimonium spiritui nostro*, id est docet rationem nostram hoc *quod sumus filii Dei*. Nisi enim Spiritus hoc insinuaret, nesciremus nos esse filios Dei. *Si autem* sumus *filii*, erimus *etiam hæredes*. Ecce quot utilitates sunt nobis per Spiritum. Prius adoptamur in filios. Dehinc clamamus. Hæredes etiam constituimur, nec vilis hæreditatis, sed *hæredes Dei*, quia Deus distribuet nobis hæreditatem suam, id est totius boni sufficientiam. Si quærimus quomodo sumus hæredes Dei, cum usus habeat hæredem esse morte decessoris? respondetur quia Deus, quodammodo nobis morietur in futura beatitudine, secundum hoc quod nunc videmus eum per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem sumus visuri. Hæredes erimus Dei, *cohæredes autem Christi*, quia eamdem hæreditatem quam Christus, id est incorruptionem secundum carnem modo nostro accipiemus. *Hæredes* dicit *Dei*, velut ejus cujus est hæreditas, eamque distribuit. *Cohæredes Christi*, velut ejus qui nobiscum partem capiet hæreditatis. Cohæredes erimus Christi, hac tamen conditione dico : *si compatimur* Christo non intentione laudis vel lucri temporalis, sed *ut glorificemur*, desiderio tantum æternæ gloriæ. Compati utique debemus, ut glorificemur. *Nam* ego existimo (et verum est) quod *omnes passiones hujus temporis*, id est quæ temporales sunt, et hujus, id est tam brevis temporis, *non sunt condignæ ad* promerendam *futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, quia nec nos ipsi qui eam habituri sumus, quam digna et magna sit intelligimus. Vere gloria hæc revelabitur in nobis. *Nam exspectatio creaturæ*, id est totius Ecclesiæ *exspectat revelationem filiorum Dei*, ut et ipsi inter filios Dei reveleutur. Quia si omnis Ecclesia hoc

exspectat, credendum est futurum esse quod exspectat. Exspectatio exspectat, frequentiam notat. Creaturam vocat Ecclesiam, nam hæc specialiter creatura Dei est, quam etiam justificando novam creaturam fecit : et quia causa ejus bona omnia creata sunt, ideo creatura, id est Ecclesia exspectat hanc revelationem, *quia subjecta est vanitati*, id est miseriis carnis, quæ vanæ sunt. Si enim modo comedit, post modicum iterum esuriet; si bibit, iterum sitiet, et sic in cæteris. Et quia hæc omnia videt vana, ideo exspectat hoc ubi nulla sit varietas.

Subjecta quidem est vanitati, sed *non volens*, quia nollet pati hæc vana, et licet non volens, *tamen propter eum* sustinet *qui subjecit eam* his miseriis, ne iterum superbiendo periret. *Subjecit* dico *in spe* positam, ut spem haberet evadendi hanc vanitatem; in *spe* dico hac, *quia*, id est quod ut Christus, sic *etiam ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, id est variabilitatis, transferenda a servitute *in libertatem*, a corruptione *in gloriam filiorum Dei*. Bene dico *non volens subjecta est : nam* nos *scimus quod omnis creatura*, id est Ecclesia, *ingemiscit* animo *et parturit*, id est maximo conatu laborat operando quemadmodum parturiens fructum de labore exspectans. Parturit dico *usque adhuc*, quia a primo justo semper in labore fuit Ecclesia usque ad hoc tempus. Creatura utique ingemiscit, *non solum autem illa* creatura, *sed etiam nosipsi*, qui tantæ dignitatis sumus quod etiam dii esse reputamur : nos dico *habentes primitias spiritus*, quia in primitiva Ecclesia prius omnibus et abundantius Spiritum sanctum accepimus, abundantius etiam prophetis qui præcesserunt : non enim semper per Spiritum sanctum loquebantur, quia aliquando recedebat Spiritus sanctus ab eis, et quæ falsa erant prædicebant : **48** ut Nathan quandoque et quidam alii : sed apostoli nunquam privati sunt semel accepto Spiritu sancto. *Nosipsi* habentes primitias spiritus, qui adeo digni sumus, etiam ipsi iidem a Deo fragiles sumus, quod gemimus quemadmodum creatura. Et ne putarentur gemere compassione subditorum, et non pro se, determinat : *Gemimus* dico *intra nos*, id est pressi tentationibus quæ nos conturbant interius. Prius ipsi, nota est dignitatis : alterum ipsi, fragilitatis. Per hoc Apostolus multum consolatur Ecclesiam, et invitat ad patientiam, quod dicit apostolos eadem fragilitate premi qua premuntur subditi. Subdit etiam magnam consolationem quam habent, dicens : *Gemimus* dico, *exspectantes adoptionem filiorum Dei*, id est ut adoptemur in filios Dei.

Duplex adoptatio est : prima qua Deus peccata dimittit et justificat; secunda qua in æterna beatitudine sanctos cohæredes faciens Christi, eos remunerat. De hac autem secunda innuit se Paulus intelligere, cum ait : *Adoptionem* dico, id est *redemptionem corporis nostri*, id est in qua adoptione corpus nostrum modo fragile, nulla corrumpetur mutabilitate. Per hoc quod dicit *exspectantes*, innuit se de futura adoptione loqui, non de jam habita. Rem enim jam habitam non exspectamus. Credendum est etiam Christum assumpsisse ideo corpus cum anima, ut utrumque liberaret a corruptione. Vere exspectamus, quia spem habemus. Spes autem ista magnum habet meritum, nam salvos nos facit. Quod sic ait, *spe*, id est merito spei, quia rem invisibilem et etiam incogitabilem constanter speramus, hoc merito *salvi sumus*, et in hac spe *facti* sumus ab alio, non a nobis. Non enim fragilitas nostra nisi Spiritu sancto confortata speraret, quia nesciret, et sic nec meritum salutis haberet; spe salvi facti sumus, tantum meritum habet vera spes; sed illa *spes*, id est res sperata *quæ videtur, jam non est spes*, nec spei meritum habet. Spes enim est de re quæ non videtur : ut si speramus aliquem nobis daturum pecuniam, illud quod speramus, nondum videmus, scilicet nos habere pecuniam, etsi pecuniam ipsam videamus. Rei autem quæ jam habetur non est spes, sed jam usus habetur. Vere rei quæ videtur non est spes, *nam quod videt quis, illud quomodo* vel quare *sperat?* Non est amplius sperandum, sed eo utendum. Rei quæ videtur non est dicenda spes, sed si illud quod non videmus speramus, meritum hujus spei habemus. Nam *exspectamus* rem speratam *per patientiam*, id est in exspectando patienter omnia toleramus, desiderio rei quam speramus. Et hæc spes, quæ tanti est meriti, per Spiritum sanctum habetur. Nec hoc solum dat nobis Spiritus sanctus, sed etiam *similiter*, id est sicut spem, et per spem patientiam : sic idem *spiritus adjuvat nostram infirmitatem*. Sicut enim infirmi sine Spiritu sancto essemus in spe, sic etiam infirmaremur in oratione, nisi doceret nos Spiritus. Vere Spiritus adjuvat nos infirmos. *Nam nos scimus quid oremus*, sicut scire oportet et orare, scimus quidem quomodo non oportet. Nos utique nescimus, *sed ipse Spiritus postulat*, id est postulare nos facit et insinuat. Postulat dico *pro nobis*, id est vel vice nostri, vel causa nostræ utilitatis : *gemitibus inenarrabilibus*. Gemitus ideo inenarrabiles dicit, quia ipsi contemplatores nescirent explicare, nec possent, quot et quantis desideriis æstuant. Ex eo quod dictum est, Spiritus postulat, quidam in errores lapsi sunt, dicentes Spiritum minorem Patre et Filio, quia qui postulat minor intelligitur eo a quo postulat; curialitatem Pauli, vertentes in hæresim. Sicut enim qui modo docuisset aliquem quo genere loquendi, et quibus verbis loqueretur cum principe, ille per illum instructum diceretur loqui eidem principi : sic Spiritus sanctus, quid et quomodo postulemus nos instruit, et per nos instructos dicitur postulare, non aliter.

Quod supra dixit : nescimus orare *sicut oportet*, hoc in ipso apertum est, qui contra salutem spiritum **49** Satanæ oravit auferri a se datum sibi ob custo

diam humilitatis; ne quia raptus erat ad tertium cœlum, et audierat quæ non licebat homini loqui, superbiret : sed per impellentem fragilitatem, pusillanimitatem carnis reminisceretur. Spiritus sanctus sperare nos facit, orare nos docet, et exaudiri nos facit. Quod sic ait : Spiritus *postulat :* ille *autem qui scrutatur corda*, id est Deus, *scit*, id est complet et approbat *quod desiderat*, id est desiderare nos facit *Spiritus* sanctus. Scit ideo *quia* Spiritus *postulat secundum Deum*, id est docet nos Spiritus postulare quod Deo bonum est concedere. *Postulat* dico *pro sanctis*, id est vel vice vel causa sanctorum. *Scrutatur* ab ea similitudine dictum est, quia quemadmodum ille, qui multo scrutinio rem investigat, melius rem ipsam cognoscit ; sic Deus non quod scrutando laboret, sed quasi scrutator et longe melius occulta cordium novit. Non solum Spiritus spem dat, orare insinuat, exaudiri facit, sed et quæcunque prospera vel adversa contingant sanctis, omnia facit ille esse ad bonum. Littera sic jungitur : Orare *sicut oportet* per nos *nescimus*, hoc autem per Spiritum sanctum *scimus*, *quoniam* idem Spiritus *cooperatur omnia*, seu prospera seu adversa; *in bonum*, id est ad utilitatem sanctorum. Vel *omnia cooperantur* a Spiritu sancto *in bonum*, ut passive dicamus; vel in activo sensu *omnia cooperantur in bonum*, et iterum per Spiritum sanctum. Sententia non mutatur, *cooperantur* dico *diligentibus Deum*, nec qui modo diligant, modo peccando odiant, sed *his*, id est hujusmodi *diligentibus qui* a Deo *vocati sunt;* ad hoc ut sint *sancti :* et quia non omnes vocati electi, adjungit:

Vocati dico *secundum propositum* præscientiæ Dei, quæ nullo modo potest immutari. Vere secundum propositum vocati sunt, et omnia cooperantur illis in bonum. *Nam* Deus præscivit eos ab æterno sibi idoneos et electione dignos. Et *quia præscivit* ab æterno, *prædestinavit etiam* eos, id est præparavit in tempore congruo. Hæc præparatio fuit oblatio gratiæ, et interna aspiratio. *Præscivit*, inquit, *et prædestinavit fieri conformes*, id est imitatores imaginis, id est puritatis *filii ejus :* quia in hoc mundo per puritatem solam imitari licet Filium Dei, quem in futuro per majorem puritatem et invariabilitatem imitabuntur sancti. Hoc autem de divina essentia Filii dicimus, quia si per hoc Filium a Patre videmur diversificare, quia dicimus imaginem Filii, respondemus quod in substantia quidem per omnia idem sunt, sed in personis est varietas. Et in eo quod Pater sine principio, non ab alio : Filius autem a Patre principium habet, licet semper fuerit cum Patre, et sic ab alio. Si autem secundum humanitatem de Christo hic agimus, congrue sequentia consentiunt, quæ secundum carnem de Christo solummodo agunt, et dicemus : Simus conformes imaginis filii ejus, ut quomodo in novitate spiritus ambulavit, sic et nos ambulemus. Ita tamen conformes secundum utramque sententiam : *ut ipse* Filius *sit primogenitus in multis fratribus*, ut quemadmodum primogenitus Filius Dominus est paternæ hæreditatis, et quod inde habent alii filii ab eo habent; sic et Christus Dominus est in hac hæreditate, et qui cunque aliquid inde habent, ab eo et per eum totum habent. Dicitur etiam primogenitus mortuorum, quia primus resurrexit a mortuis, etiam sicut cum eo incorruptibiles resurrexisse credantur quidam sancti. Si qui autem per Christum suscitati sunt, non surrexerunt a mortuis, quia iterum morituri.

Nec solum præscivit, sed *quos prædestinavit, hos etiam vocavit :* quia, postquam inspiravit eos, vocatores adhibuit interius præparatis, quorum vocatio frustra esset, nisi spiritus operaretur interius. *Et quos vocavit, hos etiam justificavit*, remittendo peccata, infundendo gratiam. *Quos autem justificavit, illos etiam magnificabit* in futuro, quando conregnabunt secum. Vel magnificavit secundum certitudinem futuræ rei dicit, et secundum quosdam, **50** qui jam cum Deo regnant, quantum ad animas. Quandoquidem Deus electos suos præscivit, præparavit, justificavit, et ad ultimum magnificabit, *ergo quid dicemus ad hæc?* Estne aliquid quod contraire possit huic divinæ dispositioni? Contra hoc utique nihil potest dici, quia Deus est pro nobis, et *si Deus pro nobis, quis* potest esse *contra nos?* Quis potest evertere, ne perficiatur quod Deus de nobis præordinavit. Vere Deus est pro nobis. Nam ipse est *qui non pepercit etiam Filio suo, sed tradidit*, id est disposuit illum tradendum ad mortem *pro omnibus* electis suis. Et cum rem tam difficilem fecerit, sicut est Filium præ omnibus filiis charum tradere morti pro nobis, *quomodo*, id est qua ratione *non etiam donabit nobis omnia* quæ restant, cum illo Filio quem longe chariorem omni re habuit, quem nobis in articulo mortis dedit? Non est credendum, ut qui Filium dedit, quæ minora sunt Filio nobis negaturus sit. Et quandoquidem Deus nos adeo dilexit, ut Filium traderet *pro nobis, quis* jam *accusabit adversus* nos *electos Dei?* Accusare est adversus electum, quomodo subvertatur disponere, quemadmodum Satan videns Job in terrenis abundare, quia in his putavit Job mente detineri, pertractabat quod res ejus demoliendo justitiam ejus per impatientiam de damno rerum venientem destrueret : sed quia electus erat Job, Satan non potuit. A principio enim ex quo dixit : Ponam sedem meam ad aquilonem (*Isa.* XIV, 13), semper laboravit destruere regnum Christi, in quo adhuc male perseverat. Diabolus vult accusare, sed non potest, Deus autem potest, sed non vult : *Deus* enim *est qui justificat. Quis est* etiam *qui condemnet electos Dei?* Satan quidem condemnare vult, sed non potest; Christus quidem posset, sed non vult : quod ex eo palam est, quod *Christus Jesus* est, *qui mortuus est pro nobis.* Nec hoc solum, *imo qui etiam resurrexit*, ut et nos resurgere faciat ; *qui* etiam *est ad dexteram Dei*, ubi et nos secum collocabit ; *qui etiam interpellat pro nobis*, ubi est in dextera Patris, qui hæc omnia pro nobis fecit et facit : credendum est quod nos condemnet? Interpellare dicitur Christus, non quod voce clamet, sed

assumpta humanitas, quæ in oculis Dei est, semper Deum pulsat, et memorem facit, ut perficiat illud pro quo Filium carnem assumere voluit: quemadmodum legatus, per solam repræsentationem personæ legationis suæ, memorem faceret ad quem missus esset in eo, quod se illi repræsentaret.

Quandoquidem Deus præscivit, justificavit, etc., *ergo quis nos separare poterit a charitate Christi*, ut sic pervertat consilium Dei? Separabit nos *tribulatio*, id est quælibet afflictio carnis? *An angustia?* id est anxietas animi. *An persecutio* de loco ad locum? *An fames?* quia sæpe esuriit, ut etiam tæderet eum vivere. *An nuditas? An periculum?* id est comminatio mortis? *An gladius?* An ipsa occisio? Nihil utique horum nos separabit, *sicut scriptum est* in libro Psalmorum : illud quia jungitur in posterum : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 24) : non quæ reservantur ad fetus, sed quæ sunt *occisionis*, id est quæ steriles sunt occiduntur; et si propter te occidimur, constat quod a te non separabimur. Sed quæ cura si mortificamur? *In his* enim *omnibus*, tribulatione, angustia, et cæteris *superamus*, *propter eum* ferventes amore ejus, *qui dilexit nos*. Vere superabimus, *quia neque mors*, id est comminatio mortis; *neque vita*, id est promissio vitæ, vel gloriæ mundi; *neque angeli*, qui legatione Dei funguntur; *neque principatus*, id est neque ordo ille qui etiam super angelos principatum habet; *neque virtutes*, id est neque ordo ille cujus officium est operari miracula. Vel ista, si volumus, de malis angelis intelligimus, inter quos etiam sunt discretiones officiorum. De singulis enim ordinibus aliqui lapsi sunt, ut dicamus: Neque angeli mali, quorum officium est explere legationes; neque principatus, qui in genere malorum subditis angelis principantur; **51** neque virtutes, mali enim spiritus miracula faciunt. *Neque instantia*, id est præsentia seu prospera sint seu adversa; *neque futura* hujus mundi bona vel mala. *Neque fortitudo*, id est violentia cujuslibet fortissimi. *Neque altitudo*, id est promissio honoris. Vel altitudo ut illa quando diabolus purpuratum se et diademate renitentem ostendit. *Neque profundum*, id est etsi aperto inferno minaretur mihi in ipsum præcipitium. *Neque creatura alia*, id est si novam et non visam creaturam facerent. Nihil horum omnium *poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

CAPUT IX.

« Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior. « Testimonium mihi perhibente conscientia mea in « Spiritu sancto : quoniam tristitia mihi est magna, « et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego « ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, « qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt « Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, « et testamentum, et legislatio, et obsequium, et pro- « missa : quorum patres, ex quibus est Christus se- « cundum carnem : qui est super omnia « Deus bene- « dictus in sæcula (*II Cor.* XI, 31).» Amen. Non « autem quod exciderit [excidit] verbum Dei. Non « enim omnes qui ex Israel [circumcisione] sunt, « hi sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii sunt Abrahæ ; « sed in Isaac vo- « cabitur tibi semen (*Gen.* XXI, 12), » id est, non « qui filii carnis hi filii Dei, « sed qui filii sunt pro- « missionis (*Gal.* IV, 28),» æstimantur in semine. « Promissionis enim verbum hoc est: «Secundum hoc « tempus veniam, et erit Saræ filius (*Gen.* XVIII, 10).» « Non solum autem illa, « sed et Rebecca ex uno con- « cubitu habens, Isaac patris nostri (*Gen.* XXV, 24).» « Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni « egissent, aut mali (ut secundum electionem propo- « situm Dei maneret), non ex operibus, sed ex vo- « cante dictum est ei : « Quia major serviet minori « (*Gen.* XXV, 23),» sicut scriptum est : «Jacob di- « lexi; Esau autem odio habui (*Malach.* I, 2). » « Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? « Absit! Moysi enim dicit : «Miserebor cui misereor « [cui misertus sum], et misericordiam præstabo « cui miserebor (*Exod.* XXXIII, 19).» Igitur non vo- « lentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Di- « cit enim Scriptura Pharaoni : «Quia in hoc ipsum « excitavi [servavi] te, ut ostendam in te virtutem « meam, et ut annuntient nomen meum in universa « terra (*Exod.* IX, 16).» Ergo cui vult miseretur, et « quem vult indurat. Dicis itaque mihi : Quid adhuc « quæritur? Voluntati enim ejus quis resistit? O ho- « mo, tu quis es qui respondeas Deo? «Nunquid di- « cit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic?» « (*Sap.* XV, 7; *Isa.* XLV, 9; *Jer.* XVIII, 6.) An non « habet potestatem figulus luti, ex eadem massa fa- « cere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in « contumeliam? Quia [quid] si Deus volens osten- « dere iram, et notam facere potentiam suam, susti- « nuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, « ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa miseri- « cordiæ, quæ præparavit in gloriam. Quos et voca- « vit non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus, « sicut in Osee dicit : «Vocabo non plebem meam, « plebem meam; et non dilectam, dilectam ; et non « misericordiam consecutam, misericordiam conse- « cutam (*Ose.* II, 23; *I Petr.* II, 10). » Et erit, in loco « ubi dictum est eis non plebs mea vos, ibi vocabun- « tur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro Israel : « Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena « maris, reliquiæ salvæ fient (*Isa.* X, 22). » Ver « bum enim consummans, et abbrevians in æquitate : « quia verbum abbreviatum faciet Dominus super « terram. Et sicut prædixit Isaias : «Nisi Dominus Sa- « baoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti « essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus « (*Isa.* I, 9).» Quid ergo dicemus? Quia gentes quæ « non sectabantur justitiam apprehenderunt justi- « tiam, justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero « sectando legem justitiæ [justitiam], in legem ju- « stitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed « quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem « offensionis, sicut scriptum est : « Ecce pono in

« Sion lapidem offensionis et petram scandali; et « omnis qui credit in eum, non confundetur (*Isa.* « XXVIII, 26; *I Petr.* II, 7).»

EXPOSITIO.

52 Jam amplius non separabor a charitate Christi, sed olim separatus fui; et inde multum doleo, et de hoc quod doleo, *veritatem dico* positus *in Christo*, in cujus corpore mentiri non licet. Nec in uno verus, ut in alio mentiar. Sed *non* in aliqua parte *mentior;* nec solum Christo, sed etiam *conscientia* mea *mihi perhibente testimonium* quod non mentior : conscientia dico, fundata *in Spiritu sancto*, cum quo non perhiberet falsum. De hoc, inquit, dico veritatem : *quoniam tristitia magna est mihi* secundum afflictionem corporis, *et continuus dolor cordi meo* interius : dolor, inquit, est mihi, et merito. *Ego* enim ipse, qui modo separari nequeo, *optabam esse* non solum separatus; sed etiam *anathema*, id est separatio aliorum a Christo *pro fratribus meis;* quia hos qui modo fratres sunt in Christo separare velebam a Deo : *qui* etiam *sunt cognati mei secundum carnem;* quia, licet omnibus in dilectione obnoxii simus, domesticis tamen generis nostri hanc debemus impensius : *qui* etiam *sunt* veri *Israelitæ* videntes Deum, *quorum* etiam *adoptio filiorum*, id est qui adoptati sunt in filios Dei. Quorum etiam *gloria* miraculorum; quorum etiam est *testamentum*; Evangelium repromissum; quibus etiam est *latio legis*, id est spiritualis intelligentia quam fert lex; quibus etiam est *ad obsequium*, id est cultus Dei; quibus etiam facta sunt *promissa* salvationis; quibus etiam *patres* fuere illi *ex quibus Christus* natus est *secundum carnem : qui* secundum Deitatem Deus est ab initio, manens *super omnia, Deus* dico *benedictus* æternaliter *in sæcula. Amen.* Ideo Paulus plures et majores aliis apostolis sustinuit persecutiones; quia persecutus fuerat Ecclesiam Christi : quod idem perhibet dicens : « Quia plus omnibus laboravi (*I Cor.* XV, 10).» quæ tamen augmentatio persecutionis fuit ipsi ad custodiam justitiæ, et incrementum gloriæ. Probavit sufficienter superius quod electos Dei nulla res posset a Deo separare. In sequentibus autem probare vult hanc electionem filiorum non secundum propaginem carnis, sed ex vocatione Dei fieri. Littera sic jungitur : Ego olim optabam esse separatio filiorum Dei a Christo; sed tamen non excidit verbum Dei, id est licet multum sævirem in servos Dei, aliqui subverterentur; tamen propterea *non excidit verbum*, id est non inexpleta periit promissio *Dei*, qua se promiserat redempturum Israel; quia licet multi secundum carnem de Israel a salvatione alienati sint; omnes tamen veri Israelitæ electi sunt, et sic impleta est promissio. Vere etsi aliqui separati sunt a Deo, propterea non excidit verbum Dei; quoniam *non omnes* hi *qui sunt ex Israel secundum carnem*, vocandi *sunt Israelitæ*. Tempore enim Jeroboam multi Judæi transierunt ad culturam idolorum, et reputati sunt inter gentes, multoties etiam fecerunt. Multi etiam de gentibus in ritus Judæorum transierunt, et inter Judæos reputati sunt. Non omnes qui ex Israel sunt secundum carnem, dicendi sunt Israelitæ. *Neque* omnes vocandi sunt *filii*, id est hæredes *Abrahæ*, ideo quia secundum carnem *sunt semen Abrahæ;* Ismael enim de semine carnis Abrahæ fuit, nec tamen hæres.

Unde scriptum est : «Ejice ancillam et filium ejus, non enim hæres erit (*Gen.* XXI, 12),» etc. ; sic etiam nec filios Abrahæ dicimus degenerantes a fide ejus. Consuetudo enim patrum est, eum vocare filium suum, qui imitatur patrem. Eum vero qui contrarius est factis patris, dicit pater non esse filium suum, licet vere sciat de carne sua generatum. Non omnes qui secundum carnem sunt de semine Abrahæ sunt; sed qui in similitudine Isaac per repromissionem Dei nati sunt, hi vocantur filii Abrahæ. Sic enim testatur Scriptura, dicens : *In Isaac*, id est in similitudine Isaac *erit tibi semen.* Nec hoc secundum carnem, sed *vocabitur*, id est per vocationem et repromissionem Dei, erunt tibi filii, non tantum secundum lineam carnis, quantum per imitationem fidei. Isaac enim natus non lege carnis, quia de vetulo patre, et matre sterili, cujus genitalia jam marcida senio fuerant, significavit non vocandos filios Abrahæ propter lineam carnis, sed exemplo Isaac, secundum promissionem **53** Dei. Exponit Apostolus quid sit hoc. In Isaac vocabitur tibi semen dicens : Id quod dico *semen vocabitur tibi in Isaac*, sic est intelligendum. *Non qui filii carnis* Abrahæ sunt, *hi* propterea sunt *filii Dei : sed* hi *qui sunt filii promissionis*, id est per repromissionem electi, hi *æstimantur in semine* Abrahæ, imitatores fidei ejus, quemadmodum Isaac per repromissionem natus est. Et vere per repromissionem. *Nam* hoc *est verbum promissionis*, factæ de Isaac, quod verbum locutus est angelus ad Abraham determinans conceptionem filii diu ante promissi, dicens : «Ego *veniam secundum hoc tempus*, id est post revolutum annum hac eadem die, *et* postquam advenero, *erit Saræ filius* (*Gen.* XVIII, 10).» Secundum Ambrosium (1), præmissa littera longe supra aliter jungitur, ita : Ego optabam esse separatio bonorum a Christo, quod faciebam pro fratribus meis, id est amore fratrum meorum Judæorum et zelo legis, quam quia Christianos putabam invertere, dolebam : nec mirum si pro fratribus meis, quia sunt cognati mei secundum carnem, et qui esse debuissent veri Israelitæ, et quorum est adoptio filiorum Dei, id est qui debebant ad ptari in filios Dei, nisi hoc malitia eorum averteret; et quibus erat gloria eloquiorum Dei creditorum, et quibus debebatur testamentum, id est Evangelium, et quorum erat legislatio et obsequium, id est cultus Dei. Et promissa debebantur eis. Patres quorum fuerunt illi, ex quibus secundum carnem natus est Christus.

(1) Commentaria in omnes Pauli Epistolas non putantur esse Ambrosii : de quo consule Possevini Apparatum.

Sed licet hæc promissa illis, iniquitate sua impediente non adepti sint, non tamen ideo dico quod propterea exciderit verbum, id est impletio promissionis Dei : quoniam si non omnes qui secundum carnem Judæi, tamen quicunque veri Israelitæ fuerunt, promissionem Dei acceperunt. Sequens littera non mutatur. Non solum autem hanc Sara promissionem habuit, sed etiam Rebecca. Convenienter de Rebecca inducit, in cujus filiis apertum est, ex electione tantum Dei, bonum aliquem fieri. Si enim ex genere non est causa quare Jacob magis eligatur quam Esau, in quorum electione vel reprobatione nulla parentum, nulla filiorum merita præcesserunt, et ideo per Rebeccam apertius probat, secundum promissionem filios Abrahæ fieri, quam per Saram, quæ solum electum habuit : accepit utique repromissionem Rebecca, *habens* filios *ex uno* eodemque *concubitu Isaac patris nostri*. Ut sciatur merita parentum non profuisse Jacob, nec nocuisse Esau, determinat eos esse generatos de eodem *concubitu* : ne si (ut quidam physici volunt) diversis temporibus generati essent, putarentur parentes esse grati Deo, cum genuerunt Jacob, ingrati, quando genuerunt Esau. Sicut parentum, sic etiam merita filiorum excludit, dicens : Rebecca utique habuit promissionem. Nam *dictum est ei : Major serviet minori*. Sed antequam dicat promissionem, convenienter merita filiorum cum meritis parentum excludit, ut constet omnem electionem esse primum et principaliter ex gratia Dei, dicens : Rebecca habuit filios, qui cum nondum nati essent, per hoc excludit merita filiorum. Sed tamen quia in ventre matris luctati esse dicuntur, ne ideo putarentur ibi potuisse mereri, hoc determinans ait : Aut *cum nondum egissent aliquid boni vel mali*, pro quo hic deberet eligi, hic reprobari. Ideo priusquam agerent bonum vel malum, *dictum est ut propositum*, id est prædestinatio *Dei* qua hunc eligebat, alterum reprobabat, *maneret*, id est permanere comprobaretur, *secundum electionem* Dei, quæ electio *non* erat facta *ex operibus*, id est quia bene egisset Jacob, *sed* solummodo *ex vocante*, id est ex gratia et beneplacito vocantis Dei.

Hoc utique dictum est quia, id est *quia major serviet minori*. Non ideo dicitur servire, quod Esau aliquando servierit Jacob, sed plerumque dominatus sit ei, ut qui fortior erat in terra. Et ideo sic intelligendum est : *Major serviet*, id est utilis erit *minori*. Quanto enim Esau magis persequebatur Jacob, tanto magis meritum **54** patientiæ accrescebat patienti : et ita dictum est in Genesi : *Major serviet minori* (*Gen.* xxv, 23). Hoc autem dictum est Rebeccæ, antequam pueri nascerentur, quod dictum est sicut scriptum est per Malachiam de eisdem longe post eorum decessum. Hoc utique scriptum est : Ego *dilexi Jacob* (*Malac.* i, 2), et pro hoc præcipue elegi eum. *Esau autem* quia *odio habui*, reprobavi. Odium enim Dei nihil aliud est, quam ex æquitate gratiam subtrahere. Convenienter sicut de præcedenti testimonium posuit, ut præcessisse merita eorum excluderet; ita et de sequenti testimonium posuit, ut ostendat sequens meritum Jacob insufficiens fuisse, et penitus per se indignum fuisse gratia Dei; et ideo constare quod per misericordiam electus sit, ut etiam ostenderet quod Esau juste negata sit gratia, quia non esset cooperaturus gratiæ. Quæritur cur Jacob electus sit, et Esau reprobatus : cum in neutro meritum boni vel mali præcesserit, quæ causa fuerit electionis unius, et reprobationis alterius? Ad hoc respondetur, Jacob electum esse per misericordiam; Esau reprobatum secundum justitiam. Deus enim, cum primum creavit hominem, multiplici eum insignivit gratia : quam quia peccando a se repulit, indignum se fecit gratia Dei, et exinde Deus nihil homini debuit, sicque non est relictum homini unde juste posset conqueri, si destituitur gratia Dei.

Quia si iterum quæritur, cum uterque ex justitia propter originale posset reprobari, nihilque meriti in ambobus repertum sit, pro quo huic sic data sit gratia, huic negata; quare magis Jacob electus sit quam Esau? Ad hoc respondetur quia Deus Jacob idoneum et cooperaturum gratiæ præscivit; Esau vero non idoneum, quia non cooperaturum : ideo uni misericorditer tribuit, quod ab altero juste propter originale alienavit, quod satis aperte in Juda consideratur, quem licet Deus pro certo periturum cognosceret, permisit tamen illi gratiam miraculorum, ut aliis apostolis, cum jam fur esset, et loculos haberet. Non tamen ideo quin sciret illum irrevocabilem a malo, sed ut comprobaret nobis per hunc, juste se quibusdam omnem negare gratiam, ut pueris statim sine baptismo morientibus : quibus ideo omnem gratiam denegat, quia si tempus haberent operandi, et gratia eis concessa esset, abuterentur ea, et sic pro gratia longe gravius punirentur; cui si cooperarentur, salvarentur. Ut autem hoc Deus notum faceret, dedit quibusdam gratiam, de quibus non hæsitabat quin abuterentur ea, sed ut etiam palam oculis haberemus, juste quibusdam omnem se denegare gratiam. Iterum aliud : Cum Deus omnia creavit, quædam necessaria, ut ortum solis et hujusmodi; quædam voluntaria ut hominem et angelum constituit. Deus autem sic unum per misericordiam eligit, sicuti alterum per justitiam reprobat : ut tamen voluntariam facultatem in eis non destruat : quia etsi multos in hoc sæculo sanctos multiplici munivit gratia, non tamen coegit eos ut ex necessitate bonum agerent, nec ad malum si vellent declinare possent, sed adjuvit per gratiam, quia vidit eos gratiæ cooperaturos. Econtrario non ita Judæ subtraxit gratiam, ut, gratia subtracta, impelleret eum, vellet nollet, operari iniquitatem, sed ut appareret quid per se posset iniquitas. Si enim gratia data vel negata compellens esset ac necessaria, jam non esset relictum homini meritum salvationis vel damnationis. Quandoquidem Jacob nullo merito præcedente eligitur, Esau similiter sine merito reprobatur, *ergo quid dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum?* qui Jacob eligens sine merito, Esau reprobat

similiter sine merito? *Absit* hoc ut propterea Deus dicatur esse iniquus! Vere in electione Jacob et reprobatione Esau non est iniquus Deus, quia hunc eligendo misericors est, hunc reprobando justus est. De justitia sequitur inferius, ubi de Pharaone subdit, probat de misericordia dicens : Vere quia elegit Jacob non est iniquus, est enim misericors.

55 *Moysi enim dixit* Deus (*Exod.* XXXIII, 19) : Ejus *cujus misereor* in præscientia, *miserebor* in justificatione. *Et cujus miserebor* in justificatione, *illi præstabo misericordiam* in salvatione. Hic satis ostendit omnia esse ex misericordia, quia præscientia, justificatio, salvatio, omnia fluunt a fonte misericordiæ. Quandoquidem omnia (sicut ostensum est) fiunt per misericordiam Dei. *Igitur* velle bonum *non est volentis*, ut ascribatur ei. *Neque* currere *est currentis*, id est operari non est operantis, *sed miserentis* est *Dei*. Neque velle neque facere bonum potest homo, nisi misericordia Dei per Spiritum sanctum operetur in eo. Vere *miserentis Dei est* velle et perficere, quia non miserentis est neque velle neque perficere (hoc est reprobare) quod aperte in Pharaone ostenditur. *Dicit enim Scriptura Pharaoni* in Genesi. Convenienter de Pharaone inducit, cui Deus hanc gratiam proposuit : ut si vellet per doctrinam Moysi bene agere posset (*Exod.* IX, 16). Certum quidem Deus habebat Pharaonem nunquam pœniturum, sed ut in eo cui gratiam doctrinæ concessit, eaque abusus est plane, nobis ostenderet gratiam juste negatam Esau priusquam mereretur, et omnibus quibus ita negatur : quia si Deus daret gratiam, abuterentur ea, et inde gravius punirentur : ideo etiam Deus Pharaoni doctores adhibuit, ut mala quæ prius in illo latebant, modo aperta fierent; dum Deo in tot et tantis resisteret, et prophetis et miraculis non acquiesceret. Hoc, inquam, *Scriptura dicit Pharaoni : quia in hoc ipsum;* hoc quod in Genesi continuatur : *in hoc ipsum* in quo tu eras, id est, tu eras in malo, sed occultus, et in hoc malo *excitari te*, subtrahendo gratiam ut appareres malus sicut eras. Ideo utique *ut ostendam in te virtutem meam*, id est signa miraculorum, quæ non ostenderem si acquiesceres. Ideo etiam ostendam, *ut nomen meum annuntietur in universa terra*, propter miracula facta in Ægypto. Ubicunque enim audiebantur signa Ægypti, dicebatur : Magnus est Deus Hebræorum. Quandoquidem Deus ex voluntate elegit Jacob, et ex voluntate reprobat Esau. Ergo palam est quod Deus *miseretur cujus vult :* quia videt eum cooperaturum gratiæ, *et indurat quem vult :* quia videt eum non idoneum gratiæ. Indurare Dei, est gratiam non accommodare. Quia dixi Deum misereri huic, et indurare hunc ex voluntate, itaque dicis, et objicis mihi : *Quid adhuc quæritur* a nobis ut bene agamus : qui reprobati bene agere non possumus? Vel ita. *Quid adhuc quæritur*, id est conquæritur Deus de nobis, si offendimus cum indurati non offendere non possumus? Non est unde quæratur. Vel quid a nobis requirat : quia *quis potest resistere voluntati ejus?* Ubi nos indurat, videtur non velle nos bene agere, cujus voluntatem impossibile est mutari. Paulus hæc omnia ideo dicit, quia videbat Romanos in sapientia mundi nimium gloriari, et ad hujusmodi quæstiones supra modum insistere : ideo ut magis reprimat eos, sic totum attribuit gratiæ Dei, ut nihil videatur relinquere libertati arbitrii. Quod tamen satis commode intelligitur, quia nec ipsum initium bonum volendi ex nobis solum esse potest, si non inspiret gratia Dei. Unde sic ait : Tu dicis mihi *quid adhuc quæritur* a nobis, sed *o* tu, *homo* adhærens humanitati : *tu quis es qui respondeas Deo*, id est qui si Deus mysterium hujus rei tibi enarraverit, intelligas illud? Vel *tu quis es qui respondeas*, id est qui litiges et disputes cum *Deo* de mysterio hujus rei? Non habes super hoc respondere Deo, sicut nec opus figuli habet de factura sui contradicere figulo, et est apta similitudo; quia quemadmodum figulus de luto, sic Deus hominem lutum, et omni pollutione infectum invenit. Non habes utique, quod *respondeas Deo*.

Nunquid enim *figmentum dicit ei qui se finxit : Quid me sic fecisti* breve vel longum, informe vel formatum? *An non habet figulus potestatem luti*, cujus est luti materia? Sic Deus vos omnes in luto sordidatos originali reperit. *An non* utique *potest ex eadem massa*, quæ tota in se immunda est, *facere aliud* **56** *quidem vas in honorem*, quo bibatur : *aliud vero in contumeliam*, in quo sordida familiæ reponantur? Et sicut figulus potestatem habet in luto hoc vas facere, sicut placet honorabile. Hoc aliud, sicut materia vasis erat immunda, immunditiæ destinare : sic Deus omnem massam hominis corruptam propter originale inveniens, si partem hujus massæ munditiæ destinat, misericordiæ est : quod vero aliam partem in immunditia sordescere deserit, æquitatis est : et contra æquitatem reclamare injustum est, sicut ostensum est. Si illud quod peccato suo sordidatum est, Deus sequendo justitiam in immunditia deserat, non habet homo super hoc quod contradicat Deo. Quid etiam dicetur de hoc, si Deus quibus non debet ex misericordia dat gratiam, et illi accepta gratia abutuntur, nonne qui hujusmodi sunt merito reprobantur? Quod æquipollenter ait. *Si*, inquam, *Deus volens ostendere iram*, id est damnationem impiorum apertam facere hominibus, sibi quidem notum erat nunquam eos gratiæ datæ cooperaturos : *volens* etiam *notam facere potentiam suam*, id est quanta potentia patientiæ faceret suos persecutiones impiorum tolerare, per quod nec in impiis reprobatis Deus operatur sine misericordia, cum patientiæ meritum accrescat suis per indurationem malorum. *Volens* utique *Deus ostendere iram* in impiis, *potentiam* in electis, *sustinuit in patientia multa*, et secundum tempus, et secundum numerum impietatum. *Sustinuit* dico *vasa iræ*, id est eos in quibus juste infundenda est ira, id est damnatio. *Vasa* dico *apta in interitum*, id est in perditionem propter solum originale, si nunquam daretur gratia qua abuterentur. Sustinuit ideo, *ut ostenderet divitias gloriæ*

næ, id est divitem gloriam suam *in vasa misericordiæ*, id est in eos in quos infundenda erat misericordia; *quæ* vasa *præparavit*, id est prædestinavit Deus *ad* habendam futuram *gloriam*. Nec solum prædestinavit : sed *quos*, id est vasa misericordiæ etiam missis prædicatoribus vocavit. Illud quos ad sententiam respicit, non ad litteram. *Vocavit* dico *nos*, scilicet et quos nos? id est *non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus :* quia quemadmodum Judæos *vocavit*, sic et gentes. Probat quod vocatio gentium ex Deo sit dicens : Vere Deus vocavit gentes, sicut dicit non Osee, sed Dominus in Osee. Hoc utique dicit : *Vocabo plebem meam non plebem meam*, id est gentilitatem, quæ modo non plebs mea dicitur. Vocabo per gratiam, et faciam *plebem meam* (*Ose.* II, 23), *et non dilectam* ge . litatem. Vocabo per gratiam, et faciam *dilectam*, justificando a peccatis : *et* eamdem gentilitatem *non consecutam misericordiam :* faciam *consecutam misericordiam* in salvatione. In signum autem salvandæ gentilitatis hic Osee prædicaturus salutem gentium, jussus est a Deo ducere uxorem fornicationis, etc. *Vocabo* utique gentilitatem, *et* hoc *erit, in loco ubi dictum est, Non plebs mea vos*, id est in toto mundo ubi Judæi solum plebs *Dei vocabantur*, gentiles vero non ibidem vocabuntur amodo gentes, sed *vocabuntur filii Dei viri*, qui vitam æternam quam habet daturus est eis quos ex electione vocavit. Vel ita : *in loco*, id est in Judæa, *ubi dictum est, Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei ;* quia et de Judæis electi sunt apostoli, per quos gentes conversæ sunt; et in Judæa originem primam habuit Ecclesia.

Postquam vocationem gentium auctoritate Osee confirmavit, probat per Isaiam salvationem Judæorum, et convenienter hoc probat. Gentiles enim improperabant Judæis, quod semel culpa sua repulsi et reprobati, ulterius indigni essent salvatione Dei. Osee sic dicit de gentibus : *Isaias autem clamat* et affirmat hoc *pro Israel* (*Isa.* x, 22), id est pro honorando Judaico populo, cui multoties mala sua improperavit. Hoc utique clamat. *Si*, id est licet, *fuerit numerus filiorum Israel* innumerabilis, *tanquam arena maris*, tamen *reliquiæ* Israel, id est, viles et abjecti, qui nihil in carnalitate legis confident, hujusmodi reliquiæ *salvæ fient*. Vel reliquiæ, id est quos Deus sibi reliquit, et idoneos salvationi reservavit, hi salvabuntur. Determinat modum salvationis, ne per legem putarent **57** se salvari. Vere salvæ fient reliquiæ : nam per *verbum*, id est per doctrinam fidei, quod verbum erat *consummans*, id est perfecte justificans, quod lex facere non potuit. Erit etiam *abbrevians* et præcepta legis, quæ omnia ad dilectionem Dei et proximi reducet, et sacrificia ; quæ omnia ad unum sacrificium corporis Christi rediget. Et ne quia legem abbreviaret, injustum judicaretur, hoc verbum, ideo addit, *in æquitate :* quia etsi abbreviat legem, æquum tamen erit et justum. Quod palam est ex eo quod *Dominus faciet* hoc verbum abbreviatum, sicut dictum est A secundum sacrificia et præcepta. Nec super Judæos solum, sed etiam *super terram*, id est super gentes. Vel ita : *Salvæ fient reliquiæ*. Nam per verbum illud de quo dictum est: « In principio erat verbum (*Joan.* I, 1), » etc. Quod verbum, id est Christus, erit consummans et abbrevians legem in æquitate, sicut dictum est. *Quia Dominus faciet* hoc *verbum breviatum*, id est secundum assumptam carnem mortalitatis et passibilitatis ab angelis minoratum. Juxta illud (*Psal.* VIII) : « Minorasti eum paulominus ab angelis. » Et hoc *verbum faciet super terram*, id est quod in natura deitatis erat invisibile, per assumptam carnem hominibus in terra exhibebit visibile. Vere per verbum breviatum salvæ fient reliquiæ. Nam *nisi Dominus reliquisset nobis* hoc *semen*, perderemur B ; et hoc dico non solum ex me, sed etiam sicut prædixit Isaias vaticinans de eodem : *Nisi Dominus Sabaoth* (*Isa.* I, 9), id est exercituum tam cœlestium quam terrenorum *reliquisset nobis semen*, id est Christum : quem ante tempora sic constituit, et in tempore dedit; vel semen, id est verbum prædicationis, per quod fructificant credentes; vel nisi Dominus ascendens reliquisset nobis semen, id est apostolos, qui in nobis verbum fidei seminarent, nos utique *facti essemus sicut Sodoma* et sicut *Gomorrha*, id est penitus periclitaremur, et merito, quia similes fuissemus spernendo præcepta Dei.

Quod superius dixit de vocatione gentium per Osee (*cap.* II, 23), ne Judæi negarent hoc dictum esse de gentibus, sed de se, qui multoties a Deo recedendo non plebs Dei facti sunt : exponit Paulus quomodo de gentibus hæc verba tantum agant. Quandoquidem superius dictum est, non plebem meam vocabo plebem meam, *ergo quid dicemus?* Et quomodo hanc auctoritatem accipiemus ? Hoc utique in verbis Osee exponemus, *quod gentes quæ non sectabantur justitiam*, id est quæ nec legem habebant, nec bono rationis suæ utebantur, *apprehenderunt* non ex merito, sed ex gratia ingerente ejus *justitiam :* nec carnalem justificationem, sed *justitiam quæ est ex fide*. Partem iterum auctoritatis quam Isaias pro Israel protulit : hanc scilicet, quod non numerositas filiorum Israel salvaretur, exsequitur Apostolus ponendo causam quare reprobetur, dicens : Gentes apprehenderunt justitiam : sed *Israel*, id est Judaicus populus *sectando legem* carnalis *justitiæ*, *non pervenit in legem* spiritualis *justitiæ*. Sed *quare* non pervenit? Ideo *quia non ex fide* credidit se justificari, *sed* præsumpsit *quasi ex operibus* posset justificari. Et quia non ex fide crediderunt se posse justificari, ideo *offenderunt*, id est offensionem sibi fecerunt *in lapidem*, id est in Christum, qui lapis fuit, qui et inimicos contereret, et in quo fundamenta justorum consistent. Lapidem dico *offensionis*, id est qui lapis per humilitatem quam habuit aptus fuit in quo offenderent superbi, sicut scriptum est in Isaia : *Ecce pono in Sion*, id est in Judaico populo, *lapidem offensionis*, id est Christum, *et petram scandali* (*Isa.* VIII, 14; *I Petr.* II, 7).

Inter lapidem et petram nulla distantia est, sed offensionem vocat peccata facta in Christum. Scandalum vocat damnationem ex culpa peccatorum provenientem. Licet dicam quod Christus lapis offensionis fuerit Judæis, tamen non omnes offenderunt in eo : sed *omnis* de Sion *qui credit in eum* lapidem, *non erubescet* se credidisse.

58 CAPUT X.

« Fratres, voluntas quidem cordis mei et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit [dixit] : quoniam justitiam quæ ex lege est qui fecerit homo, vivet in ea (*Levit.* XVII, 5). Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit. Ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum (*Deut.* XXX, 11) : id est Christum deducere ; aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum a mortuis revocare ? Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo (*Deut.* XXX, 14). Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit [suscitavit] a mortuis, salvus eris. Corde enim [autem] creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Joel.* II, 32). Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! (*Isa.* LII, 7; *Naum.* I, 15.) Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? (*Isa.* LIII, 1.) Ergo fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi [Dei]. Sed dico : Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). Sed dico : Nunquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit (*Deut.* XXXII, 1) : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant (*Isa.* LXV, 1). Ad Israel autem dicit : « Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi (*Ibid.* V, 2). »

EXPOSITIO.

Ne quia modo dixerat : Israel non pervenit in legem justitiæ, sed offenderunt in Christum, putaretur Apostolus Judæos ideo dicere reprobatos, nec ulterius posse salvari. Dicit se orare pro illis, pro quibus utique non oraret, si apud Deum reprobatos cognosceret. Unde sic ait : Licet Judæi offenderint in Christum, tamen *fratres, voluntas cordis mei fit pro illis*, id est bonam voluntatem habeo ad illos, quos si pœniteant confido salvandos. Nec solum voluntas, sed etiam *obsecratio fit ad Deum pro illis*, ad habendam illis salutem. Ideo utique obsecro Deum pro illis, quia *testimonium illis perhibeo, quod* pro certo *habent æmulationem*, id est dilectionem Dei ; vel æmulationem, id est indignationem adversus sanctos, zelo Dei et suæ legis. Existimantes enim sic tuendam esse legem suam, persequuntur sanctos. Habent utique emulationem *Dei*, *sed non secundum scientiam*. Non enim scienter sic diligunt legem, vel sic indignantur pro lege. Inde ait beatus Petrus : « Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis (*Act.* III, 17), » etc. Vere non secundum scientiam, *nam ipsi ignorantes justitiam Dei*, id est omnem justificationem ex solo Deo esse, *et quærentes statuere*, id est confirmare *suam* justitiam quod per carnalia opera legis justificarentur : quæ utique justitia non Dei, sed eorum esset. Hoc utique quærentes *non sunt subjecti justitiæ Dei*, id est Deo justificanti : sed potius derogando Deo, justitiam quæ Dei est ascribebant sibi. Vere justitiæ Dei non sunt subjecti. Nam Christo noluerunt subjici; qui *Christus est ad justitiam omni credenti*, id est qui omnem credentem justificat. Christus dico, qui est finis legis, et secundum implectionem ejus, et secundum hoc quod veniente **59** Christo finita est lex illa, et jam per Christum locum habet gratia. Vere Christus est ad justitiam, nam lex non est ad justitiam. *Moyses enim* sic *scripsit, quoniam*, id est quod homo qui fecerit *justitiam, quæ est ex lege*, id est carnales observantias quas præcipit lex, ipse *vivet in ea* (*Levit.* XVIII, 5) lege, id est hoc solum habebit ex impletione carnalis legis, quod non morietur judicio legis. Qui enim legem facit, pœnam solummodo evadit, sed per eam non justificatur. De justitia legis sic ait. Sed de *justitia quæ est ex fide*, sic dicit idem Moyses : *Ne dixeris in corde tuo*, id est, nec corde credas nec ore loquaris hoc : *Quis ascendit in cœlum?* (*Deut.* XXX, 12) id est ne dubites etiam quosdam ascendisse in cœlum, et adhuc quoscunque justos ascensuros esse. Id enim dicere, *Quis ascendit in cœlum, est deducere Christum* de cœlo, id est negare quod Christus in cœlum ascenderit. Aut *ne dixeris in corde tuo quis descendit in abyssum*, id est in infernum? quia *hoc* dicere *est revocare Christum ex mortuis*, quod nec Christus mortuus ad infernum descenderit, nec inde Abraham sanctosque suos abstraxerit, quod utrumque contra fidem est. Hoc ne credideris, sed hoc quod sequitur crede. *Quid* enim *dicit Scriptura* per eumdem Moysen? *Prope est verbum in ore tuo*, id est, paratum est verbum doctrinæ. Vel verbum Dei Christus *in ore tuo*, ut confitearis, et rationabiliter tuearis illud. *Et* hoc idem *verbum*, prope est etiam

in corde tuo (*Deut.* xxx, 14), ut credas illud. Et *hoc verbum* quod prope esse dico, *est verbum fidei*, id est, doctrina habilis ad credendum. Vel Christus in quem convenienter credi oportet, *quod* verbum nos *prædicamus*. Hoc, scilicet, inde prædicamus, *quia*, id est, quod *si confitearis Dominum Jesum in ore tuo, et credideris in corde tuo, quod Deus excitavit illum a mortuis*, et quæcunque impossibilia de eo credas, nec legem naturæ potuisse ipsi obsistere : si hoc, inquit, confitearis, et credas, non solum vives vita præsenti, ut per legem, sed etiam *salvus eris* æternaliter. Vere si corde credideris, salvaberis. *Nam corde creditur ad* habendam *justitiam*, id est justificationem a peccatis. Qui autem justificatus est, de salvatione securus est. Et vere si confitearis ore, salvaberis. Nam confessio *fit ore ad* consequendam æternam *salutem*. Ideo salutem (quia majus videtur) posuit ad confessionem oris. Hoc enim confiteri, scilicet Deum, magnum et præcipuum erat in tempore Apostoli sæviente persecutione : quo tempore multi sane credentes non audebant palam loqui) nec confiteri. Probat quod credulitas cordis justificet, ab auctoritate Scripturæ : nec tamen determinat cujus sit hæc scriptura : sed in psalmis multoties æque valens invenitur.

Vere *corde creditur ad justitiam*. Nam Scriptura dicit : *Omnis*, sive Judæus, sive gentilis, *qui credit in illum* quem Deus excitavit a mortuis, *non confundetur*, id est non erubescet quasi male crediderit. Bene dico *omnis*. Nam non est distinctio apud Deum : Judæi et Græci, id est Deus in salvatione sua indifferenter accipit Judæum ut gentilem, et gentilem ut Judæum. Vere apud Deum nulla est distinctio Judæi et gentilis : nam *idem* est *Dominus omnium*. Qui enim creavit unum, creavit et alterum. Unde apparet quod æquam voluntatem habent ad utrumque, et sicut voluntatem, sic etiam habet potentiam. Nam ipse est dives : et abundanter retribuens *in omnes qui invocant illum*. Probat quod *confessio fit ad salutem*. Respondet tamen littera ad proximum. Vere Deus est *dives in omnes qui invocant illum*. Nam *omnis quicunque* sit ille, sive Judæus, sive gentilis, *qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Quandoquidem oportet eos invocare ut salventur, ergo oportet eos primum credere, ut postea invocent. *Quomodo* enim *invocabunt* illum *in quem non crediderunt?* quasi diceret : Quia credent invocabunt. *Aut quomodo credent ei quem non audierunt?* id est, quia audient credent. *Quomodo autem audient sine prædicante?* id est quia prædicabitur illis *audient*. *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* id est quia Deus mittet illos, 60 prædicabunt. Ex omnibus his interrogationibus intendit totum venire ex gratia Dei, a principio vocationis usque ad salvationem eorum. Cum enim dicit prædicatores a Deo missos quos audierunt : et post auditum credunt : et deinde invocant, et sic ad ultimum salvantur : totum innuit referendum esse gratiæ Dei. Vere prædicatores mittuntur a Deo, sicut scriptum est in Isaia : A « Quam speciosi sunt pedes, id est adventus evangelizantium, id est bene annuntiantium pacem inter Deum et hominem, et evangelizantium bona (*Isa.* v), id est humilitatem, castitatem, et his similia. Quia supra dixerat eo quod audierunt crediderunt : ne putaremus quod solum audire sufficeret ad habendam fidem non operante Spiritu sancto interius, ait : Licet dixerim quia *audient credent :* tamen non *omnes qui audiunt obediunt Evangelio*. Nec solus hoc dico : sed *Isaias* mecum sentiens *dicit* hoc : *Domine, quis credidit auditui nostro* ? id est vel his quæ audierunt a nobis, vel his quæ nos audivimus a te et nuntiavimus illis? Per hoc quod ait *Quis credidit*, innuit multos audisse, et si non omnes, aliquos tamen credidisse. Et quandoquidem aliqui B crediderunt : ergo *fides* habetur *ex auditu*, id est credunt aliqui, quia audiunt. Non tamen ex omni auditu habetur sana fides : sed *ex auditu* qui fit *per verbum*, id est secundum doctrinam *Christi*, fides est salubris. Licet pauci crederent auditui nostro : tamen *dico*, *Nunquid non audierunt?* quasi diceret : De hoc quod non crediderunt inexcusabiles sunt : quia verbum fidei audierunt. *Equidem in omnem terram exivit sonus*, id est fama, *eorum* prædicatorum. Nec solum fama : sed etiam *verba eorum*, id est eadem quæ ipsi prædicabant, audita sunt *in fines terræ :* et ita dico terræ quod *orbis*, id est orbiculatæ terræ. In omni enim parte terræ audita sunt verba apostolorum. Audierant utique, sicut probatum est. Nec solum eos audisse dico : *sed dico* C quod etiam cognoverunt, quod interrogative ponit ut magis eos excitet, dicens : *Nunquid Israel*, id est Judaicus populus, *non cognovit?* Duo sunt genera cognitionis. Unum quo sicuti rem bonam esse cognoscimus, bonum hujus rei diligimus et approbamus : et hæc est bona cognitio. Alterum quo rem, sicuti dicitur, ita esse videmus, nec contradicere possumus : et tamen rem illam non diligimus, sed (quod solum possumus) iniquum velle ad illam habemus. Hæc est mala cognitio quam Judæi in Christum habuerunt. Probat auctoritate Moysi Judæos cognovisse Christum, dicens : Vere Israel cognovit. Nam *Moyses primus* tempore secundum scripta : nemo enim ante eum scripsit prophetiam. Per hoc D autem quod ait *primus*, innuit ejusdem rei multos testes esse, licet non reponat eos. Vel primus, id est præcipuus secundum dignitatem. *Moyses*, inquit, *primus dicit* hoc : *Ego adducam vos*, o Judæi, *ad æmulationem*, id est ad invidiam et indignationem animi, *in non gentem*, id est contra gentilitatem quæ prius gens mea non dicebatur : quos vosipsi canes vocabatis. Vel *in non gentem*, id est contra gentilitatem quam faciam non gentem, id est non sicut genita est dimittam eam, sed faciam novam creaturam : regeneratam aqua et Spiritu sancto. Nec solum adducam vos ut videatis : sed etiam *mittam vos in iram*, ut persequamini eos. *Mittam* dico *in iram*, id est contra gentilitatem *insipientem*, id est quæ prius erat insipiens, quia, licet multi philosophi

gentium scientiam haberent de mundanis, tamen A insipientes erant cum veritatem divini cultus ignorarent.

Per hoc autem quod Judæi vident prophetiam Moysi completam esse, in eo quia invident gentilibus factis Christianis, idololatriam desserentibus, et novam legem sequentibus, cognoscunt advenisse tempus illud de quo hoc prædicebat Moyses, sed amaritudo eorum non vult acquiescere veræ cognitioni. Moyses hoc dicit de Judæis. *Isaias autem audet, et dicit* hoc de salvatione gentium et reprobatione Judæorum. Audet utique. Hic enim Isaias quia manifestius **61** cæteris salvationem gentium prophetavit, multa pertulit a Judæis, et ad ultimum interfectus est ab eis. Ideo sic ait : Audet, id est non reformidans, sed cum audacia dicit hoc : *Inventus sum a* B *non quærentibus me* (*Isa.* LXV, 1). Ubi ait se inventum et non quæsitum, quæ repugnare videntur, ostendit ex sola miser cordia Dei gentes invenisse salutem. Inventus sum, inquam, a gentibus non quærentibus me, naturali ratione, quam eis ad intelligendum me dederam, et *apparui his palam*, id est in manifesto omnium positus. His dico *qui non interrogabant me*, id est cognitionem mei ab aliquo intelligente. Si enim me sua ratione quærerent, nec cognoscere sufficerent, opportunum esset ut interrogarent ab intelligente, quod ipsi minus intelligerent. Sic ait Isaias de gentibus. *Ad Israel autem*, id est ad Judaicum populum, dicit hoc. *Tota die*, id est toto tempore per prædicatores ; vel tota illa die qua pependi in cruce, *expandi manus meas*, id est affectiones et opera mea, *ad populum* Judaicum, non credentem. Nec solum *non credentem*, *sed* etiam *contradicentem* mihi. Expansio manuum Christi in cruce significavit dilectionem, qua semper amplexari voluit Judæos, qua etiam in cruce, si pœniterent, paratus erat omnia dimittere. Ecce iterum in Isaia ostendit Judæos cognovisse, cum videant hoc quod dixit impletum esse. Ostendit etiam salvationem gentium et reprobationem Judæorum.

CAPUT XI.

« Dico ergo : Nunquid repulit Deus populum « suum ? Absit! Nam et ego Israelita sum ex semine « Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus « plebem suam, quam præscivit. An nescitis quid D « dicit Scriptura in Elia : quemadmodum interpel- « lat Deum adversum [pro] Israel ? « Domine, pro- « phetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, « et ego relictus sum solus, et quærunt animam « meam (*III Reg.* XIX, 10). » Sed quid dicit illi di- « vinum responsum ? « Reliqui mihi septem millia « virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal « (*III Reg.* XIX, 18). » Sic ergo in hoc tempore re- « liquiæ secundum electionem gratiæ Dei salvæ fient « [factæ sunt]. Si autem gratia jam non ex operi- « bus. Alioquin gratia jam non est gratia. Quid « ergo ? Quod quærebat Israel, hoc non est conse- « cutus ; electio autem consecuta est ; cæteri vero « excæcati sunt, sicut scriptum est : « Dedit illis « Deus spiritum compunctionis, oculos ut non vi- « deant, et aures ut non audiant, usque in hodier- « num diem (*Isa.* VI, 9 ; *Matth.* XIII, 14 ; *Joan.* XII, « 40 ; *Act.* XXVIII, 26). » Et David dicit : « Fiat « mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in ca- « ptionem, et in scandalum, et in retributionem « illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, et « dorsum eorum semper incurva (*Psal.* LXVIII, 23). » « Dico ergo : Nunquid sic offenderunt, ut caderent ? « Absit ! Sed illorum delicto salus est gentibus, ut « illos æmulentur. Quia si delictum illorum divi- « tiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gen- « tium : quanto magis plenitudo eorum ? Vobis « enim dico gentibus. Quandiu quidem ego sum « gentium Apostolus, ministerium meum honorifi- « cabo : si quomodo ad æmulandum provocem car- « nem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Si « enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ « assumptio nisi vita ex mortuis ? Quia si delibatio « sancta est, et massa ; et si radix sancta, et rami. « Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum « oleaster esses, insertus es in illis, et socius radi- « cis et pinguedinis olivæ factus es, noli gloriari ad- « versus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem « portas, sed radix te. Dicis ergo : Fracti sunt rami, « ut ego inserar. Bene. Propter incredulitatem fra- « cti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, « sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pe- « percit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bo- « nitatem et severitatem Dei. In eos quidem qui ce- C « ciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, « si permanseris in bonitate. Alioquin et tu excide- « ris. Sed et illi si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum in- « serere illos. **62** Nam si tu ex naturali excisus es « oleastro, et contra naturam insertus es in bonam « olivam, quanto magis hi qui secundum naturam « inserentur suæ olivæ ? Nolo enim vos ignorare, « fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobisipsis sa- « pientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, « donec plenitudo gentium intraret : et sic omnis « Israel salvus fieret, sicut scriptum est : « Veniet « ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem ab Ja- « cob (*Isa.* LIX, 20). » Et hoc illis a me testamen- « tum, cum abstulero peccata eorum. Secundum « Evangelium quidem inimici propter vos, secun- « dum electionem autem charissimi propter patres. « Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. « Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, « nunc autem misericordiam consecuti estis, pro- « pter incredulitatem illorum ; ita et isti nunc non « crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi « misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus « omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, « quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et « investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sen- « sum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit ? (*Sap.* « IX, 13 ; *Isai.* XL, 13 ; *I Cor.* II, 16.) Aut quis

« prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, A
« et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi honor
« et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

EXPOSITIO.

Quia dico populum Judæorum non credentem, sed contradicentem; *ergo dico*, id est *nunquid* propterea dicere existimor quod *Deus repulit populum suum* Judaicum quem prius elegerat? *Absit* hoc ut Deus aliquando repellat populum suum! Vere non repulit. *Nam ego Israelita sum*, et multi alii qui non sumus repulsi. Nec ita Israelita, ut aliunde natus in Judaismum transierim, sed sum *ex semine Abrahæ*. Nec iterum de Ismaele, vel de filiis Ceturæ, sed *de tribu Benjamin*. Hæc tribus aliis prælata fuit; quia qui de hac tribu fuerunt, non tam sæpe ut alii ad idololatriam delapsi sunt. Et quia ego de semine B Abrahæ non sum repulsus, apparet per hoc quod Deus *non repulit plebem suam*. Illam utique voco plebem Dei *quam præscivit*, id est prædestinavit ad salvationem. Non utique modo repulit, quemadmodum olim existimante Elia omnes præter se recessisse a cultu Dei; multi tamen, quos ipse ignorabat, reservati sunt a Deo. Sic modo multos Deus electos habet, quos ignoramus. Pro certo Deus non repulit plebem suam; quia *an nescitis quid Scriptura dicat in Elia*, id est ubi loquitur de Elia : *quemadmodum* ille *Elias interpellat Deum adversus* [pro] *Israel*, id est ad damnationem Judæorum, dicens hoc in tertio libro Regum : *Domine*, Achab et Jezabel *occiderunt prophetas tuos; suffoderunt* etiam *altaria tua* (*III Reg.* XIX, 20). Fideles enim de Israel quia C non audebant ad adorandum convenire in Hierusalem, latenter ideo in speluncis et silvis construxerant aras, ibique immolabant; quas aras etiam a fundamentis everterant idololatræ Israelitæ, quosque immolantes inveniebant, occidebant. Alios (inquit) prophetas occiderunt; *et ego solus relictus sum* in cultu Dei, *et* adhuc *quærunt animam meam*, ut me cum aliis interficiant. Sic ait Elias : *Sed quid dicit illi divinum responsum?* Hoc utique : Ego *reliqui*, id est reservavi *mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*, id est qui non adoraverunt idola. Non ideo dicit septem millia ut hic numerus determinatus esset in illis, quod neque D plus neque minus ibi esset; sed quia per septem universitas designatur : ideo etiam certus numerus in incerta re ponitur, ut ostendatur hic numerus electorum Deo esse cognitus, etsi ab hominibus ignoretur. Quod de Elia præmisit, adaptat modo dictis suis ita : Quandoquidem in tempore Eliæ multi fideles reservati fuerant, quos tamen ipse ignorabat; *erga*, id est propterea per simile credendum est quod *sic*, id est per misericordiam Dei sicuti tunc. Vel sic : Quia quemadmodum tunc ignorabatur, sic et modo electos Dei discernere non sufficimus. **63** Sic, inquit, nunc ut olim *etiam hoc in tempore gratiæ*, qua causa magis credendum est Deum misericorditer sibi reservasse electos magis quam olim, cum non erat tempus gratiæ. *Hoc*, in- A quam, *in tempore gratiæ salvæ factæ sunt reliquiæ*, id est illi quos Deus sibi reliquit idoneosque salvationi præscivit. *Reliquiæ salvæ factæ sunt*, et hoc *secundum electionem* Dei, ab æterno prævisam : quæ electio non fuit propter merita, sed fuit *gratiæ* : quia et per gratiam elegit, et per gratiam salvavit. *Si autem* hæc electio est *per gratiam*, jam *constat quod non* est *ex operibus*, pro merentibus illam : *alioquin* si propter opera eligerentur, jam illud quod vocatur *gratia*, *non esset* pura *gratia*, sed meritum. Hoc autem convenienter de gratia inducit, ut nec illi quos Deus sibi reliquit putent se electos ex merito : sicut malos quia male meruerunt reprobatos; et hæc dicens bene servit intentioni.

Summam auctoritatum supra positarum hic breviter colligit, ut aperiat quod per illas auctoritates B intendebat, dicens : Quia superius dixi, secundum Isaiam Judæos non credentes, sed contradicentes. Dixi iterum secundum eumdem reliquias Judæorum esse salvatas. Ergo quid ex his dictis quæ sibi obviare videntur colligemus? Hoc utique dicemus quia *quod quærebat Israel*, id est Judaicus populus statuere, scilicet justitiam suam, et in ea salvari, hoc *non est consecutus*. *Israel* in toto *non est consecutus*, *sed electio consecuta est*, id est hi quos Deus elegit de Israel consecuti sunt salvationem. *Cæteri vero* qui non sunt electi, non solum non consecuti sunt, sed etiam *sunt excæcati*. Et hoc dico *sicut scriptum est* in Isaia; licet aliis verbis, eodem tamen sensu. *Dedit illis* Judæis *Deus spiritum compunctionis*, sci- C licet spiritum malignum qui pungeret eos, et cogeret male agere. Vel *spiritum*, id est voluntatem *compunctionis* : qua pungerentur invidendo, et irascendo fidelibus. Dedit etiam illis *oculos*, id est naturalem rationem : sed ita *ut non videant*, id est ut bono rationis priventur. Dedit etiam *aures*, id est eamdem rationem quasi quod per se non possent intelligere : debuerant audire et addiscere. *Non audiant* dico, *usque in hodiernum diem*. Hic dies hodiernus fuit prophetæ : hodiernus etiam usque ad finem mundi : sicut illud in balneis : « Hodie cum pretio, cras sine pretio. » *Dicit etiam David* de excæcatione Judæorum hoc : *Fiat mensa eorum*, id est Scriptura qua debuerant animadvertere bonum, fiat illis *in laqueum*, D id est illaqueentur in illa quotidie deterius intelligendo : fiat etiam illis *in captionem*, quia capti sunt a Romanis : et fiat illis *in scandalum*. Miseriam eorum dispersorum per mundum vocat scandalum : fiat etiam *illis in retributionem* (*Psal.* LXVIII, 23). Cum *captionem* et *scandalum retributionem* posset vocare, æternum tamen interitum, quia permanens erit, retributionem intelligit. Vel ita *mensa eorum*, id est hoc quod se fellitos et acidos intulerunt Deo, qui de conversione eorum refici volebat, fiat illis in laqueum, id est illaqueentur ideo obsidione Romanorum. Cætera non mutantur. *Et oculi*, id est ratio eorum, *obscurentur ne videant*, et intelligant bonum. *Et dorsum eorum*, id est eamdem rationem qua se ad cognitionem Dei erigere debuerunt, illud *incurva in*

terrenis, semper magis et magis præcipitando in pœnis. Quia dixi Judæos excæcatos. *Ergo* nunquid propterea *dico* quod *sic offenderunt, ut caderent* inutiliter et irrecuperabiliter, quod solummodo in eis casus sit? Hic intendit reprimere gentiles, ne se præferant Judæis, licet eos dixit excæcatos : quia casus eorum est recuperabilis, et salvationi gentium plurimum utilis, dicens : *Absit* hoc ut licet offenderint irrecuperabiliter, ideo cadant, et inutiliter! Vere non inutiliter, *sed delicto*, id est per delictum *eorum*, scilicet Judæorum *est* facta *salus gentium*. Nisi enim Judæi respuerent verbum Dei, apostoli non transirent ad gentes. Salus utique facta est gentibus, *ut* gentes *æmulentur*, id est imitentur *illos* Judæos, qui fideles fuerunt, et quorum lex firmamentum est Novi Testamenti. Vel ita. Per delictum Judæorum est facta salus gentibus, ita ut Judæi æmulentur **64** illos, id imitentur gentes in fide Christi. Et secundum hoc probat, quod casus Judæorum sit recuperabilis. *Quia si delictum eorum*, pro quo Judæi repulsi sunt, *divitiæ sunt mundi*, id est causa fuit quare gentilitas ditaretur gratia Dei; *quanto magis plenitudo eorum*, id est Judæi plenarie salvati, erunt *divitiæ gentium?* Per hoc casus Judæorum recuperabilis probatur. Si enim Deus malum Judæorum utile fecit gentibus, multo magis credendum est quod bonum eorum longe utilius faciet gentibus. *Delictum eorum sunt divitiæ mundi, et diminutio illorum*, id est apostoli qui de Judæis electi secundum se partem Judæorum liminuerunt. Hæc, inquam, *diminutio sunt divitiæ gentium :* apostoli enim ditaverunt gentes verbo Dei. Non ideo dicit *plenitudo*, quod omnes salvandi sint : sicut nec universa gentilitas electa est, sed quia multi salvabuntur. Vere plenitudo Judæorum salvabitur. Nam etiam in tempore excæcationis eorum salvabuntur aliqui ex illis.

Et hoc *dico vobis gentibus :* quia semper *quandiu quidem ego sum apostolus gentium*, ad quas solummodo missus sum, *honorificabo* tamen *meum ministerium :* quia cum officium meum hoc solum exigat prædicare gentibus, honorificum faciam illud supra hoc quod debeo : laborando in Judæis. *Honorificabo* dico *si quo modo* (quidquid enim paterer non curarem) *provocem carnem meam*, id est Judæos secundum carnem mihi propinquos *ad æmulandum*, id est ad imitandum me in fide, et ut sic provocando *salvos faciam*, id est Deus per me salvet *aliquos ex illis*. Causam reddit quare debeat laborare in eis : et idem videtur superius posuisse, sed ibi cum determinatione temporis, ubi ait : *Plenitudo* quam in finem mundi constat fore. Hic autem ad aliud ponit, et sine determinatione temporis, dicens : Ideo laborabo *salvos* facere *aliquos ex illis. Nam si amissio eorum est reconciliatio mundi*, id est si excæcatio eorum causa fuit ut gentilitas reconciliaretur Deo : *quæ*, id est qualis dicenda est *assumptio* Judæorum in quocunque tempore *nisi vita ex mortuis?* Quia si Deus per malum eorum reconciliavit sibi mundum multo magis credendum est quod per assumptionem eorum fa- A ciet Deus vivere multos in peccato mortuos : qui exemplo illorum provocati vivent in fide Christi. Proba quod genus eorum non impediat assumptionem eorum, sed sola incredulitas, dicens : Bene dico, *assumptio*. Nam bene possunt assumptionem mereri. *Si enim delibatio sancta est*, id est si apostoli, et alii qui de genere eorum electi sunt, sancti sunt, constat quod *etiam massa*, id est illa plenitudo Judæorum salva esse potest. Si enim Apostolus nihil obfuit genus nec aliis obesse debet. Delibationem dicit ab ea similitudine : quemadmodum parum quid gustatur de cibo, per quod tota *massa* bene an male condita sit probatur : sic apostoli *delibatio* dicebantur totius massæ Judæorum, in quibus planum erat Judæis genus nihil obesse. Probat iterum idem per aliud. Ideo B etiam constat eos bene posse assumi. Nam *radix* eorum, id est Abraham, Isaac et Jacob, *quod si radix* eorum *sancta* est, *rami etiam sancti* esse possunt. *Dices* iterum mihi quod *rami* illi *fracti sunt :* quod si aliqui ex ramis per incredelitatem a radice *fracti sunt*, *tu autem insertus es in illis*, id est loco illorum *cum esses oleaster*, id est sterilis, et a sancta radice alienus : *factus* es etiam *socius radicis*, id est prophetarum, in quibus radicata est fides. *Et factus es socius pinguedinis*, id est apostolorum : qui pinguedinem fidei, et abundantiam sancti Spiritus habuerunt. *Radicis et pinguedinis* dico *olivæ*, id est Judaici populi, quia prophetæ et apostoli Judæis nati sunt. Et si tu alienus a radice *insertus es, noli* C *gloriari adversus* stantes *ramos*, neque te præferre illis, quasi tu propter meritum sis eligendus, illi propter genus abjiciendi. *Quia si* tu importune *gloriaris*, dicetur tibi : Frater, *tu non portas radicem, sed radix* portat *te :* quia in te nullum exemplum boni; in radice vero (ut in Abraham) exemplum totius fidei. Quia modo abstuli tibi gloriari adversus stantes ramos : *ergo*, id est propterea *dices* mihi : quia adversus fractos **65** gloriaberis ita. Naturales *rami* per incredulitatem *fracti sunt*, *ut ego inserar* loco eorum. Hoc *bene* est, et sic concedo, ait Paulus, sed illi non propter genus, sed *propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem stas* loco illorum pro sola *fide*. Et ideo *noli altum sapere*, id est superbire contra fractos, *sed time* ne similiter frangaris : timendum utique est, *quia*, D *si Deus non pepercit naturalibus ramis*, id est Judæis, *ne forte nec parcat tibi*, cui minus debere videtur non naturali, quia tu non naturalis per gratiam insertus es; ille naturalis propter culpam repulsus est. *Ergo vide bonitatem et severitatem Dei. In eos quidem cui ceciderunt*, id est in Judæos, vide *severitatem. In te autem* qui per misericordiam insertus es, *vide bonitatem Dei. Bonitatem* ea lege dico, *si* tu *permanseris in* ea *bonitate*, cooperando acceptæ gratiæ. *Alioquin* si non permanseris, sicut Judæus excisus est, ita *tu etiam excideris :* et illi Judæi si non permanserint, in incredulitate iterum inserentur. Et bene dico *inserentur : Nam Deus potens est iterum inserere illos*, sicuti olim eosdem inseruit. Et vere Deus potens est, nam actum hujus potentiæ aliquos

licet paucos inserendo hoc tempore paulatim exercet : quod æquipollenter ait. Deus utique potest eos inserere : *nam si tu* gentilis *excisus* es *ex oleastro*, id est ex infructifera radice, oleastro dico *naturali* tibi per longam consuetudinem ; et si *insertus es* per gratiam *in bonam olivam*, et hoc *contra naturam*, id est contra consuetudinem, quæ diuturnitate temporis in naturam transierat : *quanto magis hi* Judæi inserentur suæ olivæ, *quæ eorum est secundum naturam?* Si tu non naturalis insertus es propter fidem, non est causa quare naturales rami non debeant inseri propter eamdem causam.

Probavit superius quod Deus potentiam haberet inserendi illos per actum suæ potentiæ, quia revera inserentur, dicens : Vere Judæi iterum inserentur. Nam et nunc tempore excæcationis eorum secundum partem inseruntur, et ad ultimum omnis Israel salvus fiet. Quia nunc aliqui inseruntur concipimus ubi ait : « Cæcitas ex parte contigit in Israel. » Si enim in parte non in toto, quare non dicimus nunc etiam partem eorum reinseri? Et, o *fratres*, *nolo vos ignorare hoc* contigisse, scilicet cæcitatem in Israel, ut intrarent gentes : quod utique *mysterium* est, quia si ordo rei consideratur, causa tamen excæcationis Judæorum, et illuminationis gentium non intelligitur. Quam cæcitatem et illuminationem, ideo nolo vos ignorare esse mysterium, *ut non sitis vobismetipsis sapientes*, id est ut non imputare possitis hoc sapientiæ vestræ, quæ sacramentum hujus rei intelligere non sufficit. Si enim hæc causa non sub mysterio occultaretur, sed vobis aperta fieret, præsumendo imputaretis hoc sapientiæ vestræ, quæ quia in cognitione hujus mysterii deficit, imbecillitatem suam intelligit, et miratur altitudinem divini consilii. Hoc, inquam, *nolo vos ignorare quia*, id est quod *cæcitas contigit in Israel*. Et hoc ex parte : non enim omnes excæcati sunt. Contigisse dicit, quantum ad ignorantiam hominum, quæ causas hujus mysterii nescit : cum tamen nihil contingentiæ, nihil fortuitum in providentia Dei sit : qui sicut omnia, sic et causas omnium novit. Cæcitas utique contigit in Israel, *donec intraret plenitudo gentium*. Illud donec, et temporale est et causale. Quasi diceret : Ideo Judæi excæcati sunt, ut intraret, et tandiu, donec intraret plenitudo gentium. Nec sic plenitudo ut singuli de gentibus salvarentur, sed eo respectu quo vix aliqui de gentibus prius salvabantur. Dicitur in tempore gratiæ fuisse plenaria salvatio gentium. *Et sic*, postquam introisset plenitudo gentium, *salvus fieret omnis Israel* : non tamen omnes Hebræi, sed quicunque essent Israel videntes Deum. Sententia tamen quorumdam est omnes Judæos in fine mundi salvandos. Probat quod Judæi nunc partim salventur, et in fine plenarie per auctoritatem Isaiæ, dicens : Quia dico Israel salvum fieri, hoc non ex me, sed *sicut scriptum est*, assero. Hoc utique scriptum est (*Isa.* LIX, 20) : *Veniet ex Sion*, id est ex **66** Judaico populo, *qui eripiat* quadam violentia, et multo labore, ut modo fit in tempore excæcationis, qui etiam quadam facilitate avertat quod erit in fine mundi, quando Judæi ultro properabunt ad salvationem. *Eripiat* dico *et avertat impietatem a Jacob*, id est a Judaico populo. *Impietatem* non dicit hic consuetam idololatriam, sed denegare cultum Filio Dei, quod Judæi faciebant, hoc vocat impietatem. Ritus enim eorum, postquam tempus gratiæ venit, vere idololatria fuit.

Determinavit per quem salus fieret Judæis. Determinat etiam tempus, quando hoc futurum sit, dicens : *Et hoc testamentum*, id est hæc testata promissio, complebitur *illis a me :* tunc *cum abstulero peccata eorum*, eosque justificavero : quod nunc paulatim fit, et in ultimis diebus plenarie. Nunc quidem eripiuntur ab impietate, et fiunt dilecti. Alii vero qui nolunt eripi, sunt *inimici :* et hoc *secundum Evangelium*, id est propterea quia Evangelio invident et detrahunt, per quod gentes convertuntur. Inimici utique sunt. Et hoc *propter vos*, id est ad utilitatem vestram. Nisi enim Judæi verbum Dei respuerent, apostoli utique non transirent ad gentes. Alii sunt inimici. Alii autem, id est prædestinati sunt *charissimi secundum electionem*, id est non propter meritum, sed quia Deus elegit eos per gratiam. Charissimi etiam *propter patres*, non tamen propter meritum patrum, sed ut impleantur promissiones factæ patribus eorum. Vere secundum electionem, et propter patres. *Nam vocatio Dei*, id est electio eorum, *et dona*, id est impletiones promissionum *sunt sine pœnitentia*, id est sine immutatione, quia quemadmodum promisit et elegit, sic complebit ; vel ita : Vere *charissimi secundum electionem*. Nam dona Dei ; id est remissio peccatorum, et vocatio Dei, id est instructio fidelium, quos, postquam in baptismo justificavit, per doctores instruit : hæc utique dona et vocatio Dei sunt sine aliquo merito. Nam sine pœnitentia corporalis afflictionis, quæ meritum pœnitentiæ præcelleret apud Deum, si dona et vocatio ejus fierent secundum meritum, Judæi utique eliguntur. Nam *sicut vos* Gentiles et quidam Judæi ante legem vos *aliquando non credidistis Deo : nunc autem* in tempore gratiæ *consecuti estis misericordiam*, id est ex misericordia salvationem, et hoc *propter incredulitatem* Judæorum. Quia enim verbum Dei non receperunt, hoc ad gentes transmisit apostolus. Sicut, inquit, vos olim non credentes, modo consecuti estis misericordiam ; *ita et isti* Judæi, *nunc non crediderunt*, euntes *in vestram misericordiam*, id est nolentes salvari, sicut vos per misericordiam Dei, ideo non crediderunt : *ut* quemadmodum vos, sic *etiam ipsi consequantur misericordiam*. Vobis incredulis misertus est Deus, ut hoc solummodo imputaretur gratiæ suæ, sic et Judæis disposuit in incredulitate dimersis misereri, ut uterque Judæus et gentilis æque totum referret gratiæ Dei, suamque imbecillitatem cognoscens, non superbiret. Deus enim videns diabolum et hominem utrumque cecidisse per superbiam, multum exinde studuit præcavere homini a superbia, quare utrumque Judæum et

gentilem labefactari permisit in incredulitatem, ut quanto magis infirmitatem suam cognoscerent, tanto amplius misericordiæ Dei sese subjicerent. Vere incredulitas Judæorum causa est ut misericordiam consequantur.

Nam Deus conclusit omnia, nunc gentiles, nunc Judæos *in incredulitate, ut* omnibus factis incredulis, opportune *misereatur omnium*. Si enim alii vel utrique in fide perstitissent, profecto quod misericordiæ Dei erat, merito fidei suæ ascriberent. Et causas horum quare nunc isti concludantur, nunc illi, noli investigare, sed admirare consilium Dei mecum, dicens : *O altitudo judiciorum Dei*, quibus nunc Judæi repelluntur, nunc gentiles inseruntur. Hæc utique judicia sic alta sunt, quemadmodum sapientia et scientia Dei. Quod ita ait : *O altitudo*, id est profunditas *divitiarum sapientiæ*, id est divitiis sapientiæ et scientiæ Dei. **67** Sapientia et scientia Dei dives dicitur secundum multam copiam. Alta dicitur, secundum inscrutabilem profunditatem. Sapientia Dei dicitur qua se quantus est cognoscit. Scientia qua quæcunque sunt creaturarum novit. O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus*, id est nemo sufficit comprehendere profunditatem judiciorum, quæ pertractat apud se.

Diceret aliquis : Quandiu apud Deum pertractantur judicia, verum est quod non intelliguntur ; sed in actum deducta, satis comprehenduntur. Contra hoc Paulus : judicia Dei, dum apud Deum pertractantur, sicut comprehendi nequeunt ; ita etiam *viæ ejus*, id est operationes ipsorum judiciorum sunt *investigabiles*. Probat per Isaiam, quod præmisit dicens : Vere sapientia et scientia Dei sunt investigabiles. *Nam quis cognovit sensum Domini?* Nemo utique quod Deus sensit, cognoscere potuit. Et vere judicia et opera judiciorum sunt investigabilia. Nam *quis fuit consiliarius ejus* (*Isa.* XL, 13), cujus consilio ordinaret sua? Vel quem in consilio dispositionis suæ admitteret? Nemo utique. Et sicut nemini aperuit sensum suum, ita quæque bona ex misericordia tribuit. Quis enim dedit illi? potuit quidem aliquis post acceptam gratiam in aliquo mereri. Sed *quis dedit illi prior* antequam Deus daret gratiam ; et ei sic danti non gratis dabitur a Deo, sed *retribuetur* quia promeruit? Hæc sunt Isaiæ ; quæ autem sequuntur verba sunt Pauli. Vere nemo prior dedit illi, *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Per diversas præpositiones, ex ipso, per ipsum, in ipso, notat distinctionem personarum Trinitatis. Per idem pronomen ter repositum, notat identitatem substantiæ, dicens : *Ex ipso*, id est ex Patre quod principium non est ab alio ; *et per ipsum*, id est per Filium, qui a Patre principium habet, et per quem Pater fecit omnia ; *et in ipso*, id est in Spiritu sancto, qui a Patre procedit et Filio, qui bonitas Dei dicitur, per quam bonitatem subsistunt creata. *Ex ipso*, inquam, et *per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi* itaque de omnibus debetur *gloria* et gratiarum actio, pro omnibus bonis quæ dat misericorditer. Et hæc gloria sit *in sæcula*, id est æternaliter ; *Amen*, id est videte ut ita fiat. Poterat hic finisse Epistolam, sufficienter enim utrumque populum, ne inter se vicissim superbirent represserat, multasque rationes inde præmiserat. Sed quia eis jam non intra se contentiose superbientibus necessaria erat alternata dilectio. Admonet ideo eos jam a contentione sedatos subservire sibi invicem, unumque supportare alterum, ut per hujusmodi subservire, coalescat in eis et convalescat vinculum dilectionis.

CAPUT XII.

« Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam « Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viven- « tem, sanctam, Deo placentem, rationabile obse- « quium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, « sed reformamini in novitate sensus vestri, ut « probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens et perfecta. Dico enim per gratiam quæ « data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non « plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad « sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius « membra. Habentes autem donationes secundum « gratiam, quæ data est nobis, differentes : sive « prophetiam, secundum rationem fidei ; sive ministerium in ministrando ; sive qui docet in doctrina, qui exhortatur, in exhortando, qui tribuit, in simplicitate, qui præest, in sollicitudine, « qui miseretur, in hilaritate. Dilectio, sine simulatione. « Odientes malum, adhærentes bono (*Amos* « v, 15).» «Charitatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes (*I Petr.* II, 17).» « Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes ; spe gaudentes, in tribulatione « patientes, orationi instantes ; necessitatibus sanctorum **68** communicantes ; « hospitalitatem « sectantes (*Hebr.* XIII, 2). » Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flete cum flentibus ; id- « ipsum invicem sentientes ; non alta sapientes, « sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes ; « Providentes bona non tantum coram « Deo, sed etiam coram omnibus hominibus (*II* « *Cor.* VIII, 21). » « Si fieri potest quod ex vobis « est, cum omnibus hominibus pacem habentes « (*Hebr.* XII, 14). » Non vosmetipsos defendentes « charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est « enim : « Mihi vindictam et ego retribuam, dicit « Dominus (*Deut.* XXXII, 35 ; *Hebr.* X, 30). » « Sed « si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum, da illi (*Prov.* XXV, 21).» «Hoc enim faciens, « carbones ignis congeres super caput ejus. » Noli « vinci a malo, sed vince in bono malum. »

EXPOSITIO.

Littera sic jungitur : Quandoquidem ex Deo, et per Deum, et in Deo sunt omnia. *Itaque, fratres, ob-*

vero, id est per omnia sacra moneo vos. Obsecro utique *per misericordiam Dei*, id est per apostolatum mihi, non quia meruerim, sed per misericordiam traditum. Vel obsecro per misericordiam Dei, ex qua omnia bona esse superius probavi, *ut exhibeatis*, id est præparata faciatis, non solum animas, sed etiam *corpora vestra*. Exhibeatis dico *hostiam*, id est mortificatam secundum depositionem sordium, et *viventem* secundum positionem virtutum. Nec ad tempus viventem, sed *sanctam*, id est in vita virtutum sanctam et perdurantem, et in hac vita et sanctitate non lucrum vel laudem mundi quærentem, sed *Deo* per omnia *placentem*.

Et ne quia modo dixerat, exhibete corpora vestra hostiam, putaret aliquis affligendum esse corpus sine aliqua temperantia, ideo addit Apostolus : Ita dico hostiam, ut *obsequium vestrum* sit *rationabile*, id est ut cum discretione jejunetis, vigiletis, etc.

Modo diceret aliquis : Paratus sum exhibere me Deo, quandiu non conturbat me mundus, sed durum est resistere mundo cogenti me. Contra hoc Paulus : Vos utique tales exhibete, *et nolite conformari*, id est conformes fieri *huic sæculo*, ut in aliquo obtemperetis mundo, blandienti seu deterrenti vos. Nolite conformari sæculo, *sed reformamini* per baptismum, qui prius deformati estis per culpam Adæ, vel reformamini, id est quotidie innovamini, qui novam formam justificati accepistis. Reformamini dico, proficiendo assidue *in novitate sensus vestri*, id est semper magis ac magis bene operando innovamini, *ut* sic *probetis*, id est probabiliter cognoscatis, *quæ sit voluntas Dei*, voluntas dico *bona*, id est utilis facientibus eam, *et beneplacens*, his qui actu experiuntur eam, nec ita in uno bene placens, ut in alio displiceat, sed in omnibus *perfecta*. Corpora vestra hostiam exhibere Deo illud admoneo, sine aliqua districtione obedientiæ. Hoc autem quod sequitur *dico per gratiam*, id est præcipio auctoritate nostri apostolatus. Considerandum est quare prædicta solum moneat; quæ autem sequuntur omni auctoritate interdicat : ea enim quæ offensionem generant, licet prælatum subditis vi obedientiæ interdicere, sed postquam legem non violant, non ita cogendi sunt ad meliora, solummodo bene faciant, sed ex dilectione monendi. Si enim districtione obedientiæ ad perfectiora cogerentur, magis in hoc damnaret eos prælatus, quam adjuvaret, cum si præceptum non facerent, damnarentur propter inobedientiam ; et ideo potius admonitione trahendi sunt ad meliora, quam coactione, quare sic ait : *Per gratiam* apostolatus *quæ data est mihi*, *dico* et præcipio *omnibus*, et ita omnibus quod singulis, *qui sunt inter vos* : hoc scilicet dico, *non plus* laboretis *sapere quam oportet sapere*, id est quam fides sana exigit; nec vobis penitus interdico sapere, *sed* volo vos *sapere ad sobrietatem*. Nec iterum vos omnes ad eumdem terminum volo de sapientia laborare, ut non satis sit vobis, nisi omnes æquo modo sapiatis, *et* ideo *unicuique* sufficiat sapere, *sicut Deus divisit dedit singulis mensuram fidei*, id est dona sua mensurata, secundum modum et opportunitatem fidei vestræ. Ideo Romanos a nimietate sapientiæ reprimit, quia ipsi supra modum investigabant causas mysteriorum Dei. Hoc autem quod Deus nemini totum sapere dedit, sed per partes singulis *divisit*, multum valet ad hoc, ut sibi subserviant, et ut alter alteri vicissim sese contemperent. Cum enim unus ignorat, quod alter sapit, et econverso : in diversitate acceptarum gratiarum subservit alter alteri, de quo congruam similitudinem supposuit : *quia quemadmodum diversa membra in uno corpore diversos sensus* [actus] *habentia* : pes manui subservit, [illam] portat manum ad tangendum quod cupit ; manus pedi, dum pedem vestit. *Sic et nos diversa munera sumus, unum corpus Ecclesiæ* efficientia. Sicut enim ab eadem anima diversa membra in eodem corpore sensificantur : ita nos in corpore Ecclesiæ per eumdem spiritum omnes vivificamur. Littera sic jungitur : Deus utique dona sua divisim dedit. Nam *sicut in uno corpore habemus* quidem *multa membra*, sed *non omnia membra habent eumdem actum* : *ita* nos *multi unum corpus sumus in* capite *Christo* : sed *singuli* sumus *membra* : *ita quod alter alterius*, id est, ut hic oculus subserviat illi pedi, et sic in cæteris, quæ contemperantia subservitionis plurimum est idonea ad custodiam humilitatis et unionis. Singuli *sumus* alter alterius *membra* : igitur, id est propterea quia voluit nos Deus ita vicissim subservire, sumus *habentes donationes differentes* : ut hic *prophetiam*, hic doctrinam, etc. Si enim singuli omnes donationes haberent, non esset unde alter alteri subserviret, vel necessarius esset, et sic alter in alterum superbiret, non relicto unde unus alteri se contemperaret. *Habentes* dico *differentes donationes* : et hoc *secundum gratiam*, id est per Spiritum sanctum, *quæ* gratia *data est nobis* per gratiam non recompensata per meritum. *Donationes* dico, ut *sive* habeamus *prophetiam*, id est certam de futuris cognitionem, vel quorumlibet secretorum revelationem, habentes dico prophetiam et hoc *secundum rationem fidei*. Non determinat cujus fidei, vel nostræ vel auditorum, et ad utrumque referri potest ita. *Secundum rationem fidei nostræ*, quia Deus secundum quod videt conveniens esse, et modum fidei nostræ, vel revelat secreta, vel prænuntiat futura : vel *secundum rationem fidei* auditorum, quia quemadmodum Deus videt fidem et capacitatem audientium, tantum dat prædicatoribus, ut revelent eis vel annuntient. Nos utique habentes prophetiam secundum rationem fidei : vel nostræ, vel auditorum simus *alter alterius membra*. *Sive* habemus *ministerium* administrandi fratribus temporalia, debemus alter alterius esse membra *in ministrando*, sicut nobis creditum est. *Sive* ille *qui docet*, docere dicit, quod et scientiam docendi et gratiam sermonis habeat, qui, inquam, docet, sit membrum alterius *in doctrina*. Ille vero *qui exhortatur*, sit

membrum alterius *in exhortando*. Docere est sapienti minus scientem, sed exhortari potest et animare ad bonum, minus sciens longe se prudentiorem, ut quilibet rusticus posset quidem exhortari ad bellum fortem militem, cujus tamen belli peritiam rusticus ignoraret. *Qui* autem *tribuit*, tribuat *in simplicitate*, id est non spe recipiendi, non amore terrenæ laudis, sed pro sola dilectione proximi. Ille vero *qui præest*, præsit *in sollicitudine*, id est omni vigilantia curam subditorum gerat. *Qui* habet quod eroget, *simpliciter* tribuat. Qui vero non habet quod tribuat, misereatur tamen animo : et ille *qui miseretur*, faciat hoc *in hilaritate*, id est non coactus præcepto legis, sed fervens spiritu dilectionis.

Et quia ut hoc modo sibi invicem subserviendo, alter alteri se contemperarent, vidit necessariam esse dilectionem : subjungit de illa dicens, ut his modis alter alterius membrum fiat, sit in vobis *dilectio :* et hoc *sine simulatione*, ut et foris se ostendat, et intus ardeat dilectio. Nec ita diligatis, ut malo proximi adhæreatis, sed *odientes malum* 70 ejus, *bono* vero proximi sitis *adhærentes*, id est cooperantes. Nec sufficiat in vobisipsis habere dilectionem : sed etiam *diligentes charitatem fraternitatis*, id est bonæ dilectionis esse in fratribus vestris : charitatem dico *invicem* habitam, quod alter in alterum operetur charitatem : vel ita. Sicut vos proximos diligere volo : ita volo vos esse diligentes charitatem fraternitatis, recompensatam invicem : quod si proximi aliqua opera charitatis recompensant vobis, libenter suscipite. Erant enim quidam qui bene faciebant proximis : sed ne remunerationem hujus meriti perderent, nolebant recipere aliquid invicem a proximis : et ut dilectio vestra incrementum semper habeat, sitis *honore prævenientes invicem*, id est alter alterum, ut qui citius potest assurgat alii : amplectatur proximum omni genere dilectionis : utque bonum fraternitatis accrescat in vobis, estote *non pigri sollicitudine*, ut omni vigilantia sollicitus sit alter alterius levare necessitatem. Hanc sollicitudinem superius præcepit prælatis, quam hic fratribus ex quadam paritate commendat. Quia si non habent quod sollicite tribuant, sint tamen *ferventes spiritu*, id est charitas ardeat in animo eorum, licet non habeant possibilitatem operandi. Et ne contemplatores malum putarent a culmine contemplationis condescendere necessitatibus proximi, ait Paulus : In his omnibus sciatis nos esse *servientes Domino*. Deus enim hoc genus servitutis multum diligit. Cumque sic diligentes in cura proximi studueritis, ne exspectetis præsentem mercedem, sed estote *gaudentes spe* futuræ remunerationis.

Ostenso quomodo se debeant exhibere bonis, determinat quomodo se habeant contra malos, dicens : Ne autem spe fetura frustremini : estote *patientes in tribulatione*, id est patienter sustinete quæcunque pro Christo vos pati oportuerit. Ut autem in patientia perseveretis, estote *instantes orationi :* quia si in omnibus oratio commoda est, multo magis ad præferendum passiones, quæ adeo carni repugnant, est necessaria. Si vero non adeo ingruant vobis tribulationes, estote saltem *communicantes necessitatibus sanctorum*, ut indigentiis horum qui patiuntur, vos et vestra communia faciatis. Nec solum *communicantes*, sed etiam *sectantes hospitalitatem*, ut sanctos quos impii persequuntur, vos intimidi hospitio recipientes, curam eorum habeatis. Patimini quidem tribulantes vos, nec hoc solum, sed etiam *benedicite persequentibus vos :* nec semel, sed assidue *benedicite :* nec ut respectu patientiæ vestræ benedicatis, et consideratione crudelitatis eorum maledicatis, sed *nunquam velitis maledicere*. Ut autem dilectio integra sit, debetis *congaudere gaudentibus*, et hoc de spiritualibus bonis haud dubium est, et de temporalibus quantum ratio admittit. Debetis etiam *flere cum flentibus*, si pœnitentia ductus affligitur : si etiam nimis vehementi dolore carnis angustiatur, in quo tamen dolore modus est habendus. Ut autem vere lugeatis cum lugentibus, estote *sentientes idipsum*, ut non tantum vultu, sed corde interius affligamini, et hoc invicem hic illi, ille isti, ut autem *idipsum* sentiatis ; estote *non alta sapientes*, id est non superbientes, *sed consentientes humilibus*, id est idem sentite cum abjectis, et ut noveritis consentire humilibus ; *nolite esse prudentes*, id est provisores eorum quæ expediunt solummodo *apud vosmetipsos :* sed etiam providete aliis, vos dico *non reddentes alicui malum pro malo*. Prudentes, inquit, estote, *non tantum providentes quæ bona sunt coram Deo, sed etiam coram hominibus omnibus*, tam fidelibus quam infidelibus. Non enim sufficit testimonium conscientiæ nostræ solum, nisi et extraneorum testimonia conveniant. Quare quæ laudis sunt, et apud Deum et apud homines, ea utique gerenda sunt. Ut autem bona vestra omnibus placeant, sitis *habentes pacem cum omnibus hominibus, si fieri potest*, ut et ipsi velint habere pacem vobiscum, quod si nolunt, fiat pax illa : quod, id est *quantum ex* 71 *vobis est*. Vel ita habete pacem cum omnibus si fieri potest, ut caro vestra diligat affligentes se, quod tamen ex vobis est, quia si vultis ex ratione potestis omnes diligere. Quam pacem ut integram servetis : *non sitis defendentes vosmetipsos*, si mala inferunt vobis, vos dico si hoc feceritis, tunc *charissimi*. Ne, inquam, defendatis vos, *sed* æquanimiter sustinendo, *date locum iræ* persequentium, ut liceat sævire quomodo volunt; vel ita : Patiendo malos *date locum iræ* Dei, Deus enim sic proposuit ulcisci de impiis, ut ad libitum eorum exerceant iniquitatem suam, ut nulla miseria damnationi eorum deesse queat. Debetis dare locum iræ : vel hoc, vel illo modo. *Num scriptum est* in Salomone dicente Domino : *Mihi* reservate *vindictam, et ego retribuam* impiis (*Deut.* XXXII, 35). Sic autem faciendum est, quia hæc *dicit Dominus*. Nec solum non defendatis vos ab impiis, sed etiam diligite illos et benefacite illis. Quod sic ait (*Prov.* XXV, 21) : *Si inimicus tuus esuricrit, ciba illum. Si sitit, da illi potum. Nam*

hoc faciens, congeres super caput, id est super mentem ejus *carbones ignis*, id est vel fervorem dilectionis : quia admirando patientiam tuam, diligat et imitetur bonum tuum. Vel *carbones ignis*, id est ignitam pœnitentiam : quia videns constantiam tuam, ardenter pœnitebit et tibi assimilari mereatur ; utque super mentem inimici hujusmodi carbones ingeras, *noli* per impatientiam tuam *vinci a malo* illius, *sed vince malum* inimici superando illud *in bono* indeficientis patientiæ.

CAPUT XII.

« Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo (*Sap.* VI, 4). Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum [male] feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem (*Matth.* XXII, 21.) Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis. Non occides. Non furaberis. Non falsum testimonium dices. Non concupisces (*Deut.* V, 18), et si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Levit.* XIX, 18). Dilectio proximi malum non operatur (*Matth.* XXII, 39). Plenitudo ergo legis et dilectio. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sic ut indie honeste ambulemus. Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione (*Luc.* XXI, 34); sed induimini [induite] Dominum Jesum Christum. Et carnis curam ne feceritis in desideriis (*Gal.* V, 16; *I Petr.* II, 11). »

EXPOSITIO.

Postquam docuit quomodo vicissim inter se agendum est subditis, docet illos quiddam majus debere prælatis : etiam infidelibus, salva tamen integritate fidei. Erant enim qui crederent se fidelibus dominis nihil jam debere, quia fratres eorum erant in fide. Infidelibus autem dominis penitus omnem servitutem negabant; absurdum judicantes ut qui fidelis esset infideli subjiceretur. Littera sic jungitur : Hæc quæ prædicta sunt, vicissim sibi debent subditi. Sed quiddam majus, scilicet, subjectionem debent principibus : et ideo *omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, id est secundum voluntatem Dei sublimatis. Ideo per animam, quæ pars est hominis, totum hominem assignavit, ut ostendat non solum corpore, sed et etiam voluntate serviendum esse principibus. **72** Vere omnis homo debet subdi potestatibus. Nam *non est* aliqua *potestas*, bona seu mala, *nisi a Deo*, nec sic a Deo, ut hoc nolens permittat : quia *quæcunque sunt, a Deo ordinata sunt*, id est ordinabiliter disposita, non fortuito casu ruentia. Quandoquidem et potestas et omnia a Deo sunt ordinata, *itaque qui resistit potestati, resistit ordinationi Dei*, id est Deo potestatem hanc ordinanti. Nec sic resistere leve putetis, quia *qui* sic *resistunt*, per hujusmodi resistere *acquirunt ipsi sibi damnationem*, id est hæc sola causa sufficit ad damnationem eorum. Non est utique resistendum principi. *Nam principes non sunt timori boni operis*, id est qui bene operatur non est quare timeat principem : quia etiamsi pro bono opere infestus est ei, eumque persequitur, auget virtutem ejus et meritum. Quare bene operanti non est timori, *sed* est timori *mali* operis, id est qui male operatur, ille utique timere potest principem. Nunc ex præmissis consilium colligens ait : Princeps non est timendus bonis : quod si tu similiter *vis non timere potestatem, fac bonum, et* bonum faciens *habebis laudem ex illa* quæcunque sit, bona vel mala : quia si bona est, de bono laudabit te, si vero mala, persequetur te bene operantem, et ex virtute patientiæ laudaberis. Vere laudem habebis ex ea. *Nam* hic idem princeps *minister Dei est tibi in bonum*, id est ad utilitatem si bene feceris ; *sed si male feceris, time eum*. Timendus utique est male facienti, nam hic judex *non sine causa portat gladium*. Vere non sine causa ; nam hic minister Dei est : *vindex ei*, id est ad damnum ejus *qui malum agit :* vindex dic *in iram*, id est in vindictam Dei faciendam : vel vindex in iram, id est in signum futuræ ultionis, quam animadvertunt per temporalem ultionem quam vident. Quandoquidem hic princeps minister Dei est, *ideo estote subditi* animo, huic *necessitati*, id est principi, cui velitis nolitis subjiciemini, ut illud cupias quodcunque necesse est. Subditi, inquam, estote, *non solum propter iram* principis vitandam, *sed etiam propter conscientiam* vestram in puritate conservandam, quia nisi animo subjiceremini principi, polluta esset conscientia vestra, obvians divinæ ordinationi. Debetis utique subditi esse principi ; *nam ideo*, id est in signum hujus subjectionis, *præstatis* vos *tributa*, et cætera debita. Vos dico in hoc ipsum quod *tributa præstatis*, potestatibus servientes Deo : *nam* ipsi principes *ministri sunt Dei*, id est ministrant Deo per accepta tributa, quæ dant eis vires et potestatem operandi quod Deus disponit. Vel ita, vos præstatis tributa et bene facitis. Nam hi principes sunt ministri Dei *servientes*, id est quos Deus constituit servire sibi *in hoc ipsum*, in tributis quæ a vobis accipiunt. Cum enim Deus

primum regem constituit Saulem, dixit eum non ulterius de labore suo victurum, sed de laboribus subditorum. Et quia vel vos in hoc ipsum quod tributa solvitis, Deo servitis, vel principes in hoc ipsum Deo serviunt, ergo omnibus principibus reddite debita.

Cui principi debetis *tributum*, reddite *tributum*. *Cui* debetis *vectigal*, reddite *vectigal*. *Tributum* dicitur, ut obsonia illa quæ domi solvebantur, *vectigal*, quod semper ad domos dominorum vehebatur, ut est hodie census. *Cui* debetis *honorem* solum, impendite *honorem*. *Cui timorem*, exhibete *timorem* et omnem reverentiam. Ut breviter omnia colligam, universaliter præcipio : *nemini quidquam debeatis*, neque tributum, neque vectigal, neque aliud, *nisi ut diligatis invicem*, quia volo vos semper debitores esse dilectionis : ita quod nunquam a dilectione cessetis, ideo vos volo semper diligere invicem : *quia qui diligit proximum, legem implevit* (*Exod.* xx, 14). Et vere legem implevit : *nam non adulterabis : non occides : non furaberis : non falsum testimonium dices : non concupisces* (*Deut.* v, 18) : *etsi quod est aliud mandatum in lege, instauratur*, id est impletur *hoc verbo : Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Lev.* xix, 18). Vere in dilectione proximi impletur omne mandatum legis. Nam *dilectio proximi, malum non operatur* (*Matth.* xxii, 39). Qui enim diligit proximum, 73 non adulterabit cum uxore cujus. Non occidet eum. Non furabitur res ejus, etc. Et quandoquidem *dilectio proximi malum non operatur* ; ergo *dilectio est plenitudo legis :* qui enim malum non operatur, legem implevit (*Galat.* v, 14 ; *Jacob.* ii, 8). Scimus utique quia *dilectio malum non operatur :* nec hoc solum scimus de ea, sed hoc etiam *scientes* sumus de dilectione, quod facit *nos de somno surgere* bonumque operari. Vis tamen continuationis et summa sententiæ pendet ad illud quod sequitur : *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*. Sed præmittit quasdam rationes, unde opportunius inferat dicens : Dilectionem non operari malum scimus : etiam hoc de dilectione scientes, *quia*, id est quod *hora est*, quasi diceret, tempus est ; sed ideo per horam significavit illud tempus, ut ostendat breve esse et cito transiens, et nisi in eo pœnitemus irrecuperabile. Scimus utique quia hora est *jam*, id est amodo ex quo per fidem justificati sumus *surgere nos de somno*, id est de calamitate corporis, quæ ad bene operandum pigros nos facit. *Surgere* dicit quasi bonis operibus omni studio invigilare. Sunt enim quidam qui postquam justificati sunt, cum fervere deberent in labore bonæ operationis, torpent et negligunt, quasi securi ex justificatione, et quia continent se a criminalibus. Vere *de somno surgere* debemus : nam *credidimus*, id est fidem accepimus, quæ fides propinquos nos fecit salvationi ; sed nunc per meritum eorum quæ post acceptam fidem operati sumus, *propior est nostra salus* quam olim esset *cum* solum *credidimus*, id est cum gratia sola esset in nobis, et adhuc nullum meritum. Vel ita : *Nunc est propior* secundum tempus *nostra salus*, id est dies nostræ salvationis, quam esset olim cum primum credidimus. Quotidie enim magis ac magis futuro judicio propinquamus, in quo remunerabimur. Vere nunc prope est nostra salus : nam *nox*, id est ignorantia in infidelitate habita *præcessit*, et ideo cavendum est ne in hanc noctem recidamus. *Nox*, inquit, *præcessit*, sed *dies* salvationis nostræ per premissos radios, ut per fidem, spem, dilectionem, et cætera, *appropinquavit*, id est prope esse intelligitur. Virtutes enim quæ habentur in præsenti, radii sunt futuræ jucunditatis. Et quando quidem nox esse desiit, et *dies appropinquavit, ergo abjiciamus opera tenebrarum*, id est quæ operati sumus dum in ignorantia essemus. Vel *opera tenebrarum*, id est digna tenebris, et digna non videri, sed semper occultari. *Abjiciamus*, inquit, hæc *opera, et induamus* nos *opera lucis*, id est veræ cognitionis, vel opera digna luce et manifestatione, quæ opera sunt arma quibus et fidem nostram tuemur et insurgentia vitia superamus, *ut* induti armis lucis, *honeste ambulemus*, id est de bono in melius proficiamus, *sicut* qui positi sunt *in die*, id est in cognitione veritatis. Positos enim *in die* decet opera noctis abjicere, et arma lucis assumere. Nos dico sic ambulemus in die *non* remanentes *in comessationibus*, id est in publicorum conviviorum conventiculis, et non manentes *in ebrietatibus* ut nimiæ potationi incumbamus. *Non* etiam *in cubilibus*, ad quæ cubilia de nimietate saturitatis et potationis itur, ibique superflua quies habetur. Et *non* manentes *in impudicitiis*, id est in delectatione libidinis ; qui enim ebrius ad cubile descendit, consequenter urgetur facibus libidinis. Et *non* manentes *in contentione* ; intemperantia enim potus et libidinis frequenter jurgia concitat. *Et* ne sitis in *æmulatione*, id est in invidia : quidam qui non audet contendere, quod potest, invidet proximo. In his itaque non remaneatis : *sed induimini Dominum Jesum Christum*, id est vestite nuditatem vestram fide Christi et virtutibus, quæ super hanc fidem ædificantur. Homo enim propter peccatum de paradiso nudus ejectus est (*Gen.* v, 16) ; sed nuditas ista velari debet ornamento fidei cæterarumque virtutum. Et vos induti Dominum Jesum Christum, *ne feceritis*, id est non facietis *curam carnis*. Nec curam quam 74 necessitas postulat prohibeo ; sed ne feceritis curam carnis *in desideriis*, ut desideria carnis sectemini.

CAPUT XIV.

« Infirmum autem in fide assumite, non in discep-
« tationibus cogitationum. Alius enim credit se
« manducare omnia. Qui autem infirmus est, olus
« manducet. Is qui manducat, non manducantem
« non spernat, et qui non manducat, manducantem
« non judicet. Deus enim illum assumpsit. *Tu quis*
« *es, qui judicas* (*Jac.* iv, 12) alienum servum? Do-
« mino suo stat aut cadit. Stabit autem. Potens est
« enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem
« inter diem, alius autem judicat omnem diem.

« Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit « diem, Domino sapit : et qui manducat, Domino « manducat. Gratias enim agit Deo. Et qui non « manducat, Domino non manducat, et gratias agit « Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi « moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : « sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivi- « mus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim « Christus mortuus est et resurrexit : ut et vivo- « rum et mortuorum dominetur. *Tu autem* quid « *judicas* fratrem tuum? (*Jac.* IV) aut tu quare « spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus « ante tribunal Christi [Dei]. Scriptum est enim : « *Vivo ego, dicit Dominus :* quoniam *mihi* flectetur « *omne genu, et omnis lingua* confitebetur Deo (*Isai.* « XLV, 23; *Phil.* II, 10). Itaque unusquisque no- « strum pro se rationem reddet Deo. Non ergo « amplius invicem judicemus : sed hoc judicate « magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scanda- « lum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil « commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid « commune sit esse, illi commune est. Si enim « propter cibum frater tuus contristatur, jam non « secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo « illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non « ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim « regnum Dei esca et potus : sed justitia et pax, et « gaudium, in Spiritu sancto. Qui enim in hoc ser- « vit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus. « Itaque quæ pacis sunt sectemur : et quæ ædifi- « cationis sunt, in invicem custodiamus. Noli pro- « pter escam destruere opus Dei. Omnia qui- « dem sunt munda, sed malum est homini qui per « offendiculum manducat. Bonum est non manduc- « care carnem, et non bibere vinum, neque in quo « frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut in- « firmatur. Tu fidem quam habes penes temet « ipsum, habe coram Deo. Beatus qui non judicat « semetipsum in eo quod probat. Qui autem discer- « nit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. « Omne autem quod non est ex fide, peccatum est. »

EXPOSITIO

Quia Romani gravi inter se discordia disceptabant, dicentes : Hi qui de Judaismo conversi erant, quosdam cibos esse immundos, nec eis uti debere. calumniabantur etiam Judæi gentilibus, quia comederent idolothyta, dicentes eos adhuc inhærere ritibus gentilitatis; e contrario gentiles scientes omnes cibos mundos, utebantur illis, accusantes Judæos quod non haberent integram fidem; quia in hunc modum confligebant. Apostolus, volens eos revocare ad pacem, instruit eos non facere scandalum fratribus inter se nec de conscientiis alter alterum judicare. Scandalum faciebat ille, qui propter incitandam iram proximi comedebat quod proximum offendebat : vel eum sub incredulitate comedere faciebat quod immundum putabat. Judicare de conscientiis erat cum Judæus, credens quædam immunda, damnaret gentilem, dicens eum ideo uti idolothytis, quia A adhuc idolis adhæreret. Littera sic jungitur : Curam carnis ne feceritis, sed hoc facite : *Infirmum in fide*, id est eum qui non habet firmam fidem, credendo quasdam creaturas Dei immundas (et hic erat Judæus), illum nolite scandalizare vos qui firmi estis in fide, sed *assumite* eum. Assumere est condescendere infirmitati ejus : abstinere a quibus abstinet, et sic alliciendo eum paulatim de integritate fidei doceat, donec ad perfectionem veniat. Hic scandalum removit. **75** Assumite infirmum *non* remanentes *in disceptationibus cogitationum* ejus, scilicet infirmi, id est ne disceptetis judicantes aliquem de conscientia cordis, quæ soli Deo cognita est et non vobis. Vere infirmus debet assumi. *Nam alius* est perfectus qui assumere et docere eum potest. Alius autem est in- B firmus qui assumptione indiget. Quod sic ait . Alius *se credit posse manducare omnia*, sciens omnia esse munda, et hic est fide firmus. Alius autem est infirmus, putans se non posse omnia manducare. Hic autem *qui infirmus est*, nolens uti carnibus gentilium, *manducet*, id est permittatur manducare *olus*, id est si velit abstinere : utique bonum est, nec inquietetur.

Hic incipit compescere Romanos, ne judicent de conscientiis. Qui non vult manducare, permittatur abstinere. *Is* autem *qui manducat*, sciens omnes cibos esse mundos, *non spernat non manducantem*, id est gentilis comedens non contemnat Judæum abstinentem, arguens eum de imperfectione fidei. *Et* ille *qui non manducat*, id est Judæus, *non judicet*, id est C non damnet *manducantem* gentilem. Non debet alter alterum spernere seu judicare : *nam Deus assumpsit illum*, id est utrumque et manducantem, et non manducantem. *Assumpsit* dico per fidem quam jam habent ut servos. Et quandoquidem a Deo assumpti sunt facti servi ejus, *tu quis es qui judices servum alienum* ? Nec leges mundi hoc patiuntur, ut servus ab alio quam a domino suo judicetur. Non utique judicare debes alienum servum : quia servus ille *stat* bene operando reservatus *domino*, id est judicio domini sui, *aut* peccando *cadit* a domino suo judicandus. Si etiam plane noveris eum cecidisse, ne tamen judices eum : quia eras potest pœnitendo esse melior te, et de omnibus bona semper suspicio tenenda est. Quia, si etiam cecidit, stabit autem fortassis D eras, id est fortis apparebit in bono. Vere quod stabit suspicandum est de eo : *nam Deus*, cui servus est, *potens est* iterum *statuere eum*. Quia Domini solum est judicare servum, tu non debes judicare eum, præterea ideo ne damnes eum. Nam quod facit, ex judicio et sana intentione animi facit. Quod sic ait : *Alius* seu Judæus s u gentilis *judicat diem inter diem*, id est uno di abstinendum, alio non. *Alius autem judicat omnem diem* in abstinentia observandum, et quicunque j dicat abstinendum sane sentit, et inde laudandus es non damnandus. Qui judicat abstinendum, sive hic, sive ille, sane sentit : et volo ut *unusquisque abundet in suo sensu*, id est in eo quod sapienter sentit et operatur, ut si modo bene

abstinet, postmodum melius abstineat, et cætera bona sectetur. Notandum est quod si abstinere eos malum esset, nollet eos Apostolus abundare in hoc sensu : ideo utique opto, ut in hoc sensu abundent; *quia qui sapit diem*, id est qui in abstinentia observat diem, *sapit* hoc *Domino*, id est ad honorem Domini : *et qui manducat*, *manducat* similiter *Domino*. *Nam manducans agit gratias Deo* : et pro sano intellectu habito de creaturis Dei, et quia sustentatur his beneficiis. *Et* ille *qui non manducat*, *non manducat Domino*, id est jejunat ad honorem Dei, *et gratias* iterum *agit Domino* pro abstinentia sibi collata : et per hoc satis ostenditur utrumque sane intelligere, neutrumque pro hoc debere damnari. Vel illud superius aliter legitur : Ne judices alienum servum ; nam *alius*, id est homo, *judicat diem inter diem*, id est de præsenti solum. *Alius*, id est Deus, judicat omnem diem, sic de futuro ut de præsenti. Et cum homo sane judicet de præsenti, volo ut unusquisque hominum *abundet in suo sensu* bono : cætera non mutantur. Uterque manducans et abstinens gratias agit Deo, et juste. *Nam nemo nostrum vivit sibi*, id est nemo debet quærere gloriam suam, dum vivit, *et nemo* justorum *moritur* similiter *sibi*. Vere nec vivimus nec morimur nobis, nam Domino : *sive enim vivimus*, *Domino*, id est ad honorem Domini vivimus ; *sive morimur*, *Domino morimur*. Et quia vivimus et morimur Domino, ergo *sumus* **76** *Domini*, *sive vivimus*, *sive morimur*. Quare tu, quicunque, ne judices alienum servum. Vere Domini sumus : *nam in hoc mortuus est Christus et resurrexit*, ut per meritum mortis et potentiam resurrectionis dominetur mortuorum et vivorum. Et cum Deus omnium dominetur, *tu autem* abstinens *quid*, id est quare *judicas fratrem tuum* manducantem, *aut tu* manducans *quare spernis fratrem tuum* jejunantem?

Nolite vos alterutrum judicare : *nam omnes stabimus ante tribunal Dei*, judicandi a Deo. *Stabimus* dicit a similitudine exspectantium sententiam judicii. Tribunal dicit quasi Deus sessurus sit, ad modum cujuslibet potentis pro tribunali. Vere omnes stabimus : *nam* ita *scriptum est* : hæc dicit Dominus per Isaiam : *Ego vivo* (*Isa.* XLV, 23). Ecce sacramentum, ut quod sequitur certissime credatur. Cum tamen Isaias dicebat *Vivo*, intelligebat de Christo, qui gustaret aliquando mortem, quem resurgentem Pater constitueret omnium judicem : quod infideles falsum putaverunt, cum viderent eum mortuum. Et in voce Christi sic ait : Ego vere vivo : quod palam erit ex eo, quoniam *mihi flectetur omne genu*, id est omnis creatura mihi in judicio subjicietur ; et tunc *omnis lingua*, id est omnis conscientia *confitebitur Domino*. Et quandoquidem ita Scriptura ait omnes, scilicet, a Deo judicandos, itaque constat quod *unusquisque nostrum reddat rationem Deo pro se*, et non pro proximo. Et quandoquidem pro nobis reddituri sumus rationem, *ergo non amplius judicemus* nos *invicem*, id est subditus subditum. Per hoc, *invicem*, innuit se non prohibere judicium prælatorum in subditos, de quibus judicare debent, sed solos subditos compescit ne se alterutrum præsumant judicare. Postquam satis ostendit non debere se invicem judicare de conscientiis, prohibet eos a scandalis fratrum, dicens : *Ne judicetis invicem*, *sed hoc magis judicate*, *ne ponatis offendiculum fratri*, *vel scandalum*. *Offendiculum* vocat, ut si faceret fratrem peccare comedentem in incredulitate, vel si eo animo comederet, ut frater hoc abominans rixaretur et sperneret comedentem. *Scandalum* vocat contristationem fratris habitam ex eo quod videt eum comedere quod immundum putat. Objiceret Paulo ille qui omnibus utendum esse intelligit : Tu fortasse cum Judæo infirmaris, qui dicis me offendere cum utor creaturis Dei. Absit hoc, ait Paulus, ut ego accusem te, quin sane credas. *Scio* enim et hoc *confido in Domino Jesu*, id est per Jesum tibi testor, *quod nihil est commune*, id est immundum : et hoc *per ipsum*, id est per Christum qui nos solvit a lege, sub qua multa judicabantur immunda ; sed quia evacuata hac lege libertas reddita est, jam commune dicendum est. Scio utique nihil esse commune nisi ei qui existimat aliquid commune esse : illi pro certo commune est, non propter ipsam creaturam, sed propter fidei suæ infirmitatem. Ne ponas scandalum fratri. *Nam si frater tuus contristatur propter cibum quem sumis*, *jam non ambulas secundum charitatem*, quia non geris curam proximi. Ut ab offendiculo fratris caveas, *noli*, *cibo tuo* (qui vile quid est) *perdere illum* : ut vel facias eum comedere tecum in infidelitate, vel rixeris cum illo. Noli, inquam, pro tam vili re negligere eum, *pro quo Christus mortuus est*, id est quem Christus adeo dilexit, ut pro eo mori voluerit. Quandoquidem cibus vile quid est, perdere autem proximum grave est, ergo ne cibo nostro perdatur proximus.

Bonum nostrum, id est sanus intellectus quem de creaturis habemus, hoc utique bonum *non blasphemetur*, id est non fiat blasphemabile, ut per hoc bonum fratrem simplicem offendamus. Determinat in quibus non sit offendendus proximus : in his scilicet quæ salvationem impediunt, et in quibus non sit sequendus ; in his scilicet quæ salutem animæ auferunt dicens : Cibo non debes proximum perdere ; nam *esca* **77** *et potus non est regnum Dei*, id est uti hac esca et hoc potu, non dat regnum Dei : nec tollit, si abstineas ab his. Hæc non dant regnum Dei. *Sed justitia*, id est æquitas servata ad proximum ut in nullo eum offendamus ; et *pax*, id est concordia ex servata æquitate veniens. Et *gaudium*, quod alter in dilectione congaudere alteri ; quod gaudium in pace nutritum est *in Spiritu sancto*, id est, secundum quod dictat Spiritus sanctus. Hæc, inquam, sunt regnum Dei : nam in his servitur Christo. *Qui* autem *in his*, id est pace, justitia, et gaudio, *servit Christo*, *hic placet Deo*, *et probatus est hominibus*, id est hæc servitus probabilis judicatur ab omnibus ; nec est sicut tua comestio, in qua offenditur proximus. Ideo prius

ait, servit Christo, dehinc placet Deo; quia Christus A legem pacis et justitiæ dedit hominibus, qui nisi per Christum placere non possunt Deo. Quandoquidem servitus pacis placet Deo et ab hominibus approbatur, *itaque sectemur ea quæ pacis sunt*, non litigemus cum proximo, sed etiam sectemur ea quæ sunt *ædificationis :* et hoc *invicem*, ut tu ædifices illum in tuo bono, et ille te in suo. Quod hic ait ædificationis, idem est quod ait superius, infirmum assumite. Sectemur ea quæ sunt ædificationis, non ea quæ sunt destructionis, quod sic ait : *Noli propter escam tuam qua proximus offenditur destruere* in eo *opus Dei*, id est fidem quam jam operatus est in eo Deus. Si enim nimia districtione cogas eum, hoc tantillum boni quod habet deseret. Quare magis est nutrienda infirmitas ejus, quam nimia asperitate cogenda : B quod Petrus idonee satis observabat, cum Judæos quos ad fidem Christi converterat, adhuc circumcidi et in quibusdam legalibus permittebat : de quibus si intemperanter cogeret eos, citius quod ab eo acceperant dimitterent, quam ita repentine ad perfectionem ascenderent. Sciebat enim eos paulatim posse et debere ad perfectionem adduci, sicut factum est. Noli propter escam destruere fidem proximi, non quod esca immunda sit : *omnia* quidem *munda sunt ; sed* tamen *malum est homini, qui manducat per offendiculum*, intendens offendere proximum. Nec solum ut caveas ab offensione proximi debes abstinere ab his, sed etiam ab omni carne et ab omni potu in quo frater offenditur. Quod ita ait : *Bonum est tibi non manducare carnem, nec bibere* C *vinum, neque* aliquid *in quo frater tuus offenditur* se peccando, vel offenditur a te et *scandalizatur* contristando, *aut infirmatur* in fide aliquantulum hæsitando. Ne offendas proximum, debes abstinere ab his. *Tu* quidem *habes fidem* sanam *penes temetipsum;* habe illam *coram Deo*, id est sufficit tibi ut Deus intelligat fidem tuam : non oportet ut coram abstinente qui offenditur facias opus ejus fidei; ideo penes temetipsum fidem hanc habeas, non coram abstinente. Nam *beatus* est ille *qui non judicat*, id est qui non damnat *semetipsum, in eo quod probat*, id est quod probabiliter verum esse credit. Sed si tu uteris cibis quibus licet uti, ad offensionem proximi, in eo quod probas judicas te reum offensionis factæ in fratrem. Ille qui in eo quod probat se non damnat, beatus est; *sed* ille *qui discernit* cibos a cibis, dicens hos mundos, illos immundos, hic, *si* in hac dubietate *manducaverit, damnatus est;* non quia cibus immundus sit, sed *quia non* comedit *ex fide* ut crederet esse munda. Vere, quia non ex fide, damnatus est : *nam omne quod non est ex fide, peccatum est.*

CAPUT XV.

« Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : « Improperia improperantium tibi ceciderunt super me (*Psal.* LXVIII, 10). » Quæcunque enim scripta sunt, ad **78** nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : « Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo (*II Reg.* 22, 50). » Et iterum dicit : « Lætamini, gentes, cum plebe ejus (*Psal.* XVII, 5). » Et iterum : « Laudate, omnes gentes Dominum, et magnificate eum, omnes populi (*Psal.* CXVI, 1.) Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt (*Isai.* XI, 10). » Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti. Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, propter gratiam quæ data est mihi a Deo, ut sim minister Christi Jesu in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium, verbo et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti : ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem hoc prædicavi Evangelium, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est : « Quoniam quibus non est annuntiatum de eo, videbunt (*Isai.* LII, 15); » et qui non audierunt, de eo [*al.*, non habet de eo] intelligent. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, D cupiditatem autem habens veniendi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis. Sed cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos : et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem [al., *collectionem*] aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. Scio [*al.*, sciens] autem quoniam

« veniens ad vos, in abundantia benedictionis Chri-
« sti veniam. Obsecro ergo vos, fratres, per Domi-
« num nostrum Jesum Christum, et per charitatem
« Spiritus sancti, ut adjuvetis me in orationibus ve-
« stris ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt
« in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in
« Jerusalem [*al.*, Hierosolymis] sanctis, ut veniam
« ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrige-
« rer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus
« vobis. Amen. »

EXPOSITIO.

Ad hoc diceret ille qui sanæ fidei esset : Si ego, quod utique tu fateris, sanæ fidei sum, omnia munda credens, hic autem infirmatur in fide, justior causa videtur, ut infirmus firmum sequeretur, quam ego firmus sequerer infirmitatem illius. Non sic est, ait Paulus. Sed, licet tu sanæ fidei sis, hîc autem infirmæ, *tamen nos firmiores debemus sustinere*, et quadam participatione *imbecillitates infirmorum* ad melius enutrire, *et non* debemus *nobis placere* in omnibus. Nobis non utique placeamus, sed *unusquisque placeat proximo suo;* et hoc *in bono;* quia ad ædificationem proximi, qui secundum charitatem ædificandus est. Nobis non utique placeamus : *etenim Christus* (quem per omnia sequi debemus) *non placuit sibi*, id est non consensit infirmæ carni, *sed sicut* **79** *scriptum est* in psalmo (LXVIII, 10) ait Christus ad Patrem : *Improperia improperantium tibi* quadam mole *ceciderunt super me*, et in morte depresserunt me. Quasi diceret : Quia ejeci de templo vendentes et ementes, in quo tibi improperabant, ideo adjudicaverunt me morti. Quid inde, diceret aliquis, si ita scriptum est? Multum utique, *quia quæcunque scripta sunt* de Christo, *ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per* doctrinam habeamus *patientiam, et* in patientia habeamus *consolationem Scripturarum*, quæ plurimum utilis est patientibus, et ut per patientiam et hanc consolationem *habeamus spem* futuræ retributionis. Et quia merita vestra et doctrinam meam insufficientia video ad hæc obtinenda, opto ut *Deus*, dator *patientiæ et solatii, det vobis sapere idipsum*, ut omnes veram cognitionem habeatis, et hoc *in alterutrum*, ut quod sane sentit iste, sentiat et ille e converso. *Sapere* dico secundum, id est *per Jesum Christum : ut* vos *unanimes uno ore* et una voluntate, et eadem confessione *honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Non quod Deus et Pater diversos significent, sed in eodem diversas causas assignat : dicens eum honorificandum tum quia Deus est, tum quia Pater est Domini Jesu Christi, per quem omne bonum provenit nobis.

Propter quod, id est ut idipsum sapiatis, et concorditer in animo unaque confessione Deum honorificetis; *suscipite* vos *invicem*, ut alter alterum omni benignitate suscipiat : ad instruendum supportantes vos in alterutrum. *Suscipite* dico, *sicut et Christus in* magna altitudine *suscepit* vos. Suscepit utique *in honorem.* Honor maximus fuit remittere peccata. Quem honorem augmentabis, reddendo incorruptionem. *Honorem* dico *Dei*, id est a solo Deo datum. Deus enim per gratiam dat, et dabit hunc honorem, ad quem honorandum deficiunt merita nostra. Probat quod ait : *Suscepit vos* Romanos : nam Judæos et gentiles, et primum de Judæis ait : Vere Christus suscepit vos, o Judæi. Nam ego *dico* (cui credi oportet) *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis*, id est Judæorum. Christus enim minister fuit, et quasi apostolus Judæorum, quibus in propria persona prædicavit. Hoc autem fuit non ex merito Judæorum, sed *propter veritatem Dei*, id est propter promissa Dei. Ideo propter promissa *ad confirmandas*, id est ut per ipsum actum confirmarentur *promissiones patrum*, id est factæ patribus eorum. Vel ita : Christus minister fuit propter veritatem Dei, id est propter completionem promissorum Dei : et ad confirmandas per veritatem facti promissiones patrum, id est quas fecerant patres, id est prophetæ, patres Judæorum. Deus enim et per seipsum promiserat, ut Abrahæ et frequentius per prophetas. Probavit Deum suscepisse Judæos, ad quod probandum nullam induxit auctoritatem, quia quasi omnibus patens erat. Probat idem de gentibus per auctoritates, quia dubietas quibusdam inde erat, dicens : De Judæis hoc dico. Dico etiam quod *gentes* debent *honorare Deum, super*, id est de *misericordia* sibi facta. Et hoc dico *sicut scriptum est* in psalmo (*Psal.* XVII, 50). Illud propterea in ordine psalmi vim habet; vox Filii ad Patrem : O Domine Pater, ego *confitebor tibi in gentibus*, id est gentes faciam confiteri nomini tuo. Nec solum confitebor, sed etiam *cantabo* et exsultabo *nomini tuo.* Et iterum dicit Scriptura per Isaiam : O vos *gentes lætamini cum plebe ejus* (*Isa.* XI, 10), id est cum Judæis, qui dicebantur peculiaris populus Dei, quas gentes frustra Isaias invitaret ad lætitiam, nisi consideraret earum susceptionem. *Et iterum*, David de gentibus. *Omnes gentes*, id est singuli de gentibus *laudate Dominum* (*Psal.* CXVI, 1) : nec solum laudate, sed etiam *magnum ostendite eum* operibus bonis, *omnes populi*, qui in singulis gentibus estis. *Et rursus* de eodem *ait Isaias : Jesse*, pater David, *erit radix* ejus originis, de qua nascetur Christus *qui exsurget regere gentes : et in eo* rege *sperabunt gentes* (*Isa.* XI, 10). Exsurrexit Christus, quia solus immunis a peccato inter omnes. Surrexit altius **80** tertia die resumpta incorruptione, cum Deus Pater dedit omne judicium huic filio regi. Moneo ut vos suscipiatis invicem, sed quia nec viribus vestris, nec doctrina mea, hoc perficere potestis, precor ut *Deus spei* in quem spero, et vos sperare debetis, *repleat vos omni gaudio*, id est perfectione dilectionis : quod gaudium ut digni sitis habere, repleat vos *pace*, id est omni concordia. *Pace* dico reformata *in credendo*, id est in una eademque integritate fidei, *ut* eadem fides faciat pacem in vobis. Pax vero nutriat gaudium : *repleat* dico *fide, pace*, et *gaudio, ut abundetis in spe*, id est ut quanto melius agetis, firmius et abundantius speretis : et ne spes vestra pertulerit, abundetis

in virtute Spiritus sancti, id est Spiritus sanctus copiosas vires ministret vobis perseverandi in bono.

Paulus incipit hic convenire quosdam Romanos, laudans eos de integritate fidei, de plenitudine dilectionis et omnis scientiæ. Sed tamen aliquantulum tangit eos; quia non correxerant imperfectionem errantium fratrum, cum bene possent, quia sapientes; cum deberent, quia eos diligerent; cum etiam necesse hoc esset, quia Paulus, intentus aliis, non sufficienter vacare posset correctioni Romanorum; quasi diceret : Conscientia vestra certa est de integritate fidei eorum : similiter etiam *ego* ipse *certus sum, fratres mei, de vobis, quoniam ipsi pleni estis fide et dilectione.* Nec litigatis cum fratribus vestris : *repleti omni scientia; ita ut possitis monere alterutrum*, id est instruere infirmam fidem aliorum. Et licet pleni sitis dilectione et scientia, tamen *audacius*, id est cum aliquantula audacia *scripsi vobis fratres ex parte*, id est secundum eam partem, qua aliquantulum imperfecte agendo, litigia fratrum non compescuistis. Scripsi quidem non vos docens, quos sapientes scio, sed *tanquam reducens vos in memoriam* eorum quæ credo vos scire, sed non satis eorum reminiscimini. Dicerent illi : Quia perfectos nos fateris, quare nos redarguis? Audacter ait Paulus *propter gratiam*, id est propter dignitatem apostolatus, *quæ data est mihi a Deo*, et hoc magisterium meum cogit me ut vos sic admoneam. Data est mihi gratia ideo, *ut sim minister Jesu Christi in gentibus*, id est per ministerium meum gentes subjiciam Christo, *sanctificans Evangelium Dei :* quod sanctificodum idem operor quod prædico. *Sanctificans* ideo, *ut fiat accepta* Deo *oblatio gentium*, id est ego offerens gentes acceptus sim Deo, vel ut gentes oblatæ acceptæ sint Deo. Oblatio dico accepta, et *sanctificata in Spiritu sancto*, quia per impositionem manus do Spiritum sanctum, quod pseudodoctores facere nequeunt. Et quia sanctifico Evangelium, igitur *habeo gloriam*, id est glorior multum in apostolatu meo. *Gloriam* dico referendam non ad me, sed *ad Deum*, et hoc *in Christo Jesu*, id est per Christum, qui me consecravit apostolum : ideo habeo gloriam, *quia non audeo loqui aliquid eorum quæ Christus non efficit per me* ministrum, ut faciunt pseudo, qui dicunt se fecisse quæ nunquam fecerunt. Ea non loquor quæ per me non efficit Deus, sed loquor ea quæ per me Christus efficit, *in obedientiam gentium*, id est ut vel ego obediam ipsi in gentibus, vel gentes per me obediant ei. *Efficit* dico *per me verbo*, Christus enim loquitur in me. Efficit *etiam factis*, id est in operibus meis, quia quod bene loquor operor. *Efficit* dico *in virtute signorum et prodigiorum*, ad quæ facienda dat mihi virtutem. Signa vocat, ut depulsiones morborum, prodigia, suscitare mortuos. Prodigiorum dico factorum in virtute *Spiritus sancti*. Vel efficit Christus per me in virtute Spiritus sancti, quem per manus meas distribuit. *Sic*, inquam, efficit, *ut* ego *repleverim*, id est plenarie prædicaverim *Evangelium Christi*, incipiendo *ab Hierusalem usque ad Illyricum* mare : nec recta via, sed *per circuitum*, id est singula loca circumeundo. **81** *Sic autem prædicavi Evangelium, non* in Judæa *ubi Christus nominatus est, ne ædificarem super alienum fundamentum*, id est super fidem quam alii apostoli prædicaverant.

Nec tamen hæc causa fuit quare ibi non prædicaverit, sed quia Deus ad gentes eum direxit. *Ne ædificarem* dico sic; *sed sicut scriptum est* in Isaia : *Gentes quibus non est annuntiatum de eo, videbunt* (*Isai.* LII, 15) Deum, *et qui nec* etiam *audierunt, intelligent. Propter quod* quia rudibus et quasi lapideis prædicabam, *plurimum impediebar venire ad vos*, o Romani, quare necesse esset ut vos qui sani eratis, infirmos ædificaretis. Olim impediebar; *sed nunc ulterius non habens locum in his regionibus*, quia omnes conversi sunt : *habens autem cupiditatem veniendi ad vos, ex multis jam præcedentibus annis*, in quo notare potestis quantam diligentiam habeam ad vos. *Cum* ego *proficisci cœpero in Hispaniam, spero* quod *videam vos*, præteriens per vos. non enim causa est quare remorer vobiscum qui fideles estis. *Videam vos* dico, *et deducar illuc a vobis, si* tamen *fruitus prius fuero vobis ex parte*, id est aliquando remorando vobiscum; quia hic ulterius locum non habeo et ad vos transire cupio. Igitur quod prius faciendum est operabor, scilicet ibo Hierusalem ministrare sanctis. Quando Petrus et qui cum eo erant Paulo et Barnabæ dextras dedere societatis (*Galat.* II, 9), injunxerunt eis, ut in Ecclesiis gentium collectiones facerent, unde ministrarent sanctis in Hierusalem, quibus infideles omnia abstulerant. *Vadam ministrare sanctis, quid Macedonia et Achaia*, id est Ecclesiæ eorum probum judicaverunt *facere aliquam collectionem in pauperes sanctorum* deferendam, id est, in pauperes sanctos, *qui sunt Jerusalem.* Probaverunt quidem hoc non a nobis coacti, sed, *quia ita placuit eis;* et si non placeret, *debitores* tamen *sunt eorum* et ex debito facere oporteret. Vere debitores sunt eorum. *Nam, si gentiles facti sunt participes spiritualium* bonorum *eorum* sanctorum, quia sancti illi spiritualia gentibus ministraverunt, *debent etiam* gentes *ministrare sanctis in carnalibus.* Quandoquidem hoc mihi prius faciendum restat, *igitur cum hoc consummavero, et* cum *assignavero*, id est, sub sigillo *eis* reddidero *fructum hunc, proficiscar in Hispaniam* transiens *per vos. Scio autem quoniam veniens* longo desiderio actus, veniam *ad vos in abundantia benedictionis Christi*, id est, benedictionem Christi faciam abundare in vobis, impertiens illud gratiæ Dei quod deest. Et quia nunc iturus sum Jerusalem, igitur, *obsecro vos fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, ut adjuvetis me in orationibus* fusis *pro me ad Deum, ut* hoc adjutorio *liberer ab infidelibus qui sunt in Judæa, et ut* ita *oblatio obsequii mei*, id est in qua obsequor, *fiat accepta sanctis in Jersosolyma*, sine diminutione illis præsentata; *ut* hoc prospere completo, *veniam ad vos in gaudio per vo-*

huntatem Dei, id est, sicut Deus disposuerit; *et refrigere vobiscum* perficiens in vobis quod imperfectum invenero. Sed quia ad hoc neque per vos, neque per me sufficitis : *Deus pacis fit* faciens pacem *cum omnibus vobis. Amen.*

A

CAPUT XVI.

« Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in « Cenchris : ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis [*al.*, satis], et assistatis ei in quocunque negotio vestri indiguerit. Etenim ipsa quoque astitit « multis, et mihi ipsi. Salutate Priscam et Aquilam, « adjutores meos in Christo Jesu (qui pro anima « mea suas cervices supposuerunt : quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ gentium) et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate B « Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Ecclesiæ Asiæ in Christo Jesu. Salutate Mariam, quæ « multum laboravit in vobis. Salutate 82 Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos, qui « sunt nobiles in apostolis, qui et antè me fuerunt in « Christo Jesu. Salutate Ampliatum dilectissimum « mihi in Domino. Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. « Salutate Appellen probum in Christo. Salutate eos « qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodianum cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex « Narcissi domo, qui sunt in Domino. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. « Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino. Salutate Rufum electum in C « Domino, et matrem ejus, et meam. Salutate Asyncrytum et Philegontem, Herman, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt, fratres. Salutate Philologum et Juliam, et Nereum et sororem ejus, et « Olympiadem, et omnes qui cum eis sunt sanctos. « Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos « omnes Ecclesiæ Christi. Rogo autem vos, fratres, « ut observetis eos qui dissensiones et offendicula « præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, et « declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per « dulces sermones et benedictiones seducunt corda « innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco « divulgata est. Gaudeo igitur in vobis; sed volo vos D « sapientes esse in bono, et simplices in malo. Deus « autem pacis conterat Satanam [*al.*, Satan] sub « pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri « Jesu Christi vobiscum. Salutat vos Timotheus ad- « jutor [*al.*, habet frater] meus, et Lucas [*al.*, Lucius] et Jason, et Sosipater cognati mei. Saluto « vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam hanc, in Domino. Salutat vos Gaius, hospes meus, et uni- « versa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, et Quartus, frater. Gratia Domini nostri « Jesu Christi cum omnibus vobis, Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare, juxta Evange- « lium meum, et prædicationem Jesu Christi secundum revelationem mysterii temporibus æternis « taciti, (quod nunc patefactum est per scripturas « prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad « obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, « soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor « et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

EXPOSITIO.

Finita Epistola, inserit salutationes suas, dicens : Cum his quæ superius commendavi *commendo* etiam *vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ*, id est quæ ministrat necessaria cuidam Ecclesiæ, quam constituit *Cenchris*. Hoc inquam de ea commendo, *ut suscipiatis eam in Domino digne sanctis*, id est vel quomodo vos sanctos decet eam suscipere; vel quomodo ea sancta suscipienda est : *et ei* susceptæ *assistatis in quocunque negotio indiguerit vestri*. Per hanc Phœben euntem Romam, dicitur Apostolus misisse suam Epistolam, quam ideo commendat, ut Romani, audita auctoritate ejus, acquiescant ei in omnibus, quæ bene suadebit. Assistendum est ei : *etenim ipsa astitit multis sanctis, et mihi ipsi* ministrando. *Salutate* etiam *Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu*. Vel salutate in Christo, *qui* uterque *supposuerunt suas cervices pro anima mea*. Hi Paulo in multis periculis et carceribus subvenerunt. *Quibus non ego solus gratias ago; sed etiam cunctæ Ecclesiæ gentium*, qui modo non haberent apostolum suum, nisi per adjutorium istorum. *Salutate et domesticam Ecclesiam*, id est familiam eorum. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo*. Hic primus de Asia fidem accepit a Paulo. *Salutate et Mariam, quæ multum laboravit in vobis*, ab errore revocando vos. Hæc Maria dicitur nuntiasse Apostolo dissensionem Romanorum : qua occasione scripsit eis hanc Epistolam. Et hæc Romam redierat, et ideo dicit eam laborasse. *Salutate Andronicum et Juliam, cognatos meos*, in genere Judæorum : *et concaptivos meos*; qui sæpe mecum capti fuerunt, *qui sunt nobiles in apostolis*. Ili de septuagínta duobus fuisse creduntur : *qui et ante me fuerunt in Christo*, qui prius Paulo ad fidem conversi sunt. *Salutate Apellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex domo Aristoboli*, id est familiam quia fidelis est. Dominum nequaquam, quia 83 infidelitatis est reus. *Salutate eos qui sunt ex domo Narcissi*, nec omnes, sed eos *qui sunt* in fide *in Domino*. Aliqui enim ex ejus familia adhærent domino suo in infidelitate. *Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus, ac meam. Ejus* secundum carnem, *meam* secundum beneficium. Et, ut finem faciam, *salutate vos invicem* ex parte mea *in osculo sancto*, id est alter alteri dicat; aut ex parte Pauli, osculantes se in osculo pacis in loco ejus. Sicut ego, sic *omnes Ecclesiæ Christi salutant* vos. Ideo Paulus ex nomine probatas salutavit personas, ne, cum modo suadet Romanis a pseudo declinare, forte possent de aliquo horum dubitare quos salutavit. *Vos autem fratres* salutatos *rogo ut observetis*, id est ut callide custodiatis vos ab eis *qui faciunt dissen-*

siones, et etiam *offendicula*, præcipitando in peccatum. Docentes quod *præter doctrinam* est, *quam* vos a me *didicistis ;* et, ut vos observetis, *declinando* penitus, separamini *ab illis, quia qui ejusmodi sunt non serviunt Christo Domino nostro, sed suo ventri.* Quærunt enim quæ sunt, non quæ Jesu Christi. *Et* hi tales *seducunt corda innocentium*, id est simplicium *per dulces sermones*, id est seductorios, *et* per *simulatas benedictiones.* Debetis declinare ab eis : nam *obedientia vestra* et bonum ejus *divulgata est in omnem locum*, et *propterea gaudeo* in *vobis. Sed* tamen *volo vos sapientes* et astutos *esse in bono, et in malo simplices*, ut malitia pueri sitis. Licet fixerim vos sapientes, tamen quia sapientia vestra parum ex se sola potest, precor ut *Deus pacis conterat Satanam*, et membra ejus *sub pedibus vestris* prostrata, et hoc *velociter.* His dictis salutat eos Paulus, dicens : *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucas, et Jason, et Sosipater*, vel pater Sosii, *qui sunt cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino.* Hic Tertius erat notarius Apostoli, qui salutationibus aliorum suam inseruit. Ad salutationes suas revertitur Paulus, et ait : *Salutat vos Gaius hospes meus, et universa Ecclesia,* id est familia ejus. *Salutat vos Erastus, arcarius*, id est thesaurarius civitatis, *et Quartus frater.* Omnes isti sic dicentes : *Gratia Domini Jesu Christi cum omnibus vobis.* De omnibus autem bonis vestris sit Deo honor et gloria. *Ei* dico *qui potens est confirmare vos, juxta Evangelium meum*, id est sicut ego prædico vobis, et juxta *prædicationem Jesu Christi*, cujus prædicatio eadem est cum meo Evangelio. Evangelii dico et prædicationis habiti *secundum revelationem mysterii.* Mysterium vocat salvationem hominum : quæ occulta fuit semper ante adventum Christi, sed per eum revelata. *Mysterii* dico *taciti temporibus æternis* ante Christum : *quod* mysterium *nunc* in tempore gratiæ *patefactum est per scripturas prophetarum*, nunc tandem intellectas per Christum. *Patefactum* dico *secundum præceptum æterni Dei*, cui ab æterno hoc in patulo erat : Patefactum ideo *ad obeditionem fidei in cunctis gentibus*, id est ut cunctæ gentes obediant fidei. Quia si quærere velis quare olim tacitum nunc revelatum, frustra hoc inquiris : quia mysterii dico cogniti *soli sapienti Deo :* qui solus semper causam ejus sapuit. *Patefactum* dico *per Jesum Christum. Cui* Christo, scilicet qui potens est, sit *honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

PROLOGUS IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

Epistola prima ad Corinthios multas causas diversasque complectitur. Quarum partem relatione fratrum cognovit Apostolus. Partim ipsorum Corinthiorum sunt litteris indicatæ. Nonnullas vero pro officii sui cura aut ordinat aut emendat, et variis curationibus medetur diversa infirmitate languentibus. Nam apud eos primum curatur dissensionis vitium, quod multi pseudoapostolorum intulerunt, unitatem scindentes Ecclesiæ, ut proprii nominis facerent sectatores, quod his exprobrat 84 verbis Apostolus. *Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephe : ego autem Christi* (*I Cor.* I, 12). Et ob hoc quidem horum se dicit facere nominum mentionem, ut multo magis erubescant id se facere sub falsorum apostolorum nominibus : quod etiam si sub Pauli et Petri fieret nomine, displiceret. *Secunda* causa ejus inducitur, qui paternæ oblitus reverentiæ, uxorem sibi non erubuit facere de noverca. Quod facinus licet fornicationem appellaverit Apostolus, tamen ita condemnavit, ut in ultionem facti auctorem talis operis diabolo judicaverit deputandum : imposita judiciorum et litium tertia quæstione. *Quarto* loco matrimoniorum jura tractantur his. *Quinto* loco virginitatis consilium velut e vicino conjungitur. *Sexto* loco de escarum licentia disputatur. *Septimo* atque octavo loco de attundendo viris, et mulieribus velando capite, et sacramentorum communione præcipitur. *Nono* loco æmulatio quæ diversitate donorum spiritualium noscebatur, sub exemplo membrorum et corporis castigatur. *Decimo* resurrectionis spes multis et argumentis et rationibus approbatur. *Ultimo* de colligendis ad necessitatem sanctorum nomine charitatis cura vel ædificatio cultui imponitur. Interseruntur his pauca quæ aut (ut quibusdam videtur) pendent ex superioribus, aut habent, licet proprias, tamen parvulas actiones.

ARGUMENTUM.

Corinthii sunt Achaici : et hi similiter ab Apostolo audierunt verbum veritatis, et subversi sunt multifarie a falsis apostolis. Quidam a philosophiæ verbosa eloquentia; alii secta legis Judaicæ inducti sunt. Hos revocat Apostolus ad veram fidem et Evangelicam sapientiam : scribens eis ab Epheso per Timotheum, discipulum suum.

ARGUMENTUM B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Paulus prædicaverat Corinthiis, et eos ad fidem converterat : apud quos per annum et dimidium (sicut credimus) commoratus est : videns quod diu et in multis consulendum esset Corinthiis, quia nimis adhærebant carnalitati. Quandiu autem Paulus præsens fuit, adhæserunt cum simplicitate præceptis ejus : quibus ipse quasi simplicibus simpliciter prædicaverat, sciens carnalitati eorum potius obsessa

mysteria fidei, si eis revelarentur quam prodesse : et ideo bonum judicavit simplicitatem eorum magis in simplicibus fovendam esse, quam in altitudine mysteriorum Dei (de quibus potius hæsitarent quam crederent) corrumpendam. Sed Paulo a Corinthiis reverso, introierunt in eos pseudodoctores, qui bonam simplicitatem prioris doctrinæ inverterent : quorum doctrina quia in mundanis rationibus versabatur, quæ penitus spirituali doctrinæ contradiceret, cœpit magis allicere, et ad persuadéndum sibi adducere Corinthios, quia magis mundo adhærebant quam Deo, et destruere in eis, calliditate humanæ rationis, quod Paulus ædificaverat, sequendo simplicitatem fidei. Corinthii autem declinantes ab instructione Pauli, præcipitati sunt in multos errores, ut æstimarent merita baptizantium prodesse baptisatis quanto majora essent, et nocere si minora fuissent. Et hoc modo homini tribuebant, quod solius Dei erat, scilicet dimittere peccata. Qua de re fiebat, ut qui a digniore baptizatus erat, judicaret minus A se dignum eum qui a minus digno baptizatus esset : in hoc utique derogando Deo errabant, etiam in eo, quia corpus Domini paululum discernebant ab aliis cibis. Iterum in eo quia viri velato capite, mulieres discooperto orarent. Erat etiam alius error, quia futuram resurrectionem non (sicut Paulus prædicaverat) 85 credebant. Accusabantur etiam inde, quia audiebatur inter eos fornicatio, quam nec paterentur gentiles. Quidam enim eorum novercam suam duxerat in uxorem : quem nec corrigendo emendaverant, nec participationem Ecclesiæ huic tam facinoroso interdixerant ; sed per illicitam patientiam huic incestui consentire videbantur. Quibus erroribus cognitis, Paulus per Sosthenem missum sibi cum Epistola a fratribus, qui erant Cloes, qui locus in B archiepiscopatu Corinthiorum claudebatur, scripsit ad eos hanc Epistolam, in qua agit de Corinthiis errantibus : errores eorum enumerando, eosdemque congruis rationibus improbando, ea utique intentione ut ab his vitiis eos retrahat.

EPISTOLA AD CORINTHIOS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus vocatus apostolus Christi Jesu per voluntatem Dei, et Sosthenes frater Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen C Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia . sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis ; ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. « Fidelis Deus, per quem vocati estis (*I Thess.* v, 24) » in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et D non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem scientia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Cloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli ; ego autem Apollo (*Act.* xviii, 25) ; ego vero Cephæ ; ego autem Christi. Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis ? Gratias ago Deo meo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanæ domum : cæterum nescio si quem alium vestrum baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim : « Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo (*Isai.* xxix, 14). » Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum : placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ; quia quod stultum est Dei sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei fortius est hominibus. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt; ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, ut, quemadmodum 86 scriptum est, « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*II Cor.* x, 17 ; *Jer.* ix, 22). »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. Quia auctoritate opus erat ad pre-

mendam Corinthiorum superbiam, nomen auctoritatis ponit dicens : *Paulus*, quod utique nomen ubique notum est. Paulus dico, *vocatus* a Deo, id est *apostolus* divina vocatione constitutus. Vel vocatus ab omnibus ; quia jam omnes noscunt eum esse apostolum. *Apostolus* dico, id est legatus *Christi Jesu*, id est non se præsumptuose ingerens ut pseudo, sed legatus Christi Jesu ; nec a Christo missus per exercendæ iræ opportunitatem, ut Saul : sed *per voluntatem*, id est per beneplacitum *Dei*. Paulus utique *et* cum eo *Sosthenes frater ;* non quia Sosthenes in hac Epistola quidquam scripserit, sed ut Paulus per hoc ostendat omnes errores se cognoscere, quia qui de eisdem erat, et inter eos conversabatur, ei nuntiaverat ; ideo etiam ut ostendat Sosthenem errores eorum nuntiasse sibi, non malo animo contra eos habito, sed desiderio correctionis eorum. Paulus, inquam, et Sosthenes frater, scribunt *Ecclesiæ Dei*, *quæ est Corinthi*. *Ecclesiæ* dico *sanctificatis*, id est a peccatis in baptismo justificatis. Et hoc totum *in Christo Jesu*, non per meritum baptizantium. Quia ecclesia collectivum nomen est, satis congrue jungitur plurali, ut dicamus Ecclesiæ sanctificatis ; nec solum per Christum sanctificatis, sed per gratiam ejusdem *vocatis sanctis*, id est ad hoc, ut sanctificarentur ut totum, et sanctificatio ad vocationem, ipsaque sanctificatio ex Deo esse cognoscatur, et omne meritum baptizati et baptizatoris excludatur. Paulus scribit Ecclesiæ Corinthiorum *cum omnibus*, id est et omnibus Ecclesiis, in eisdem erroribus detentis. *Omnibus*, dico, *qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi*, quem in eo quem invocant, confitentur solum esse justificantem. Nec omnibus Ecclesiis dico per mundum, sed his quæ sunt *in omni loco ipsorum* Corinthiorum, id est omni Ecclesiæ metropoli Corinthiorum supposite, et in eumdem errorem lapsæ, quæ Ecclesiæ et si locus ipsorum Corinthiorum sunt, quia eis præferuntur *nostro* etiam loco, quia sic eas Corinthiis suppono : ut tamen providentiam meam illis semper adhibeam, quemadmodum Corinthiis. Hoc ideo Paulus ait, ne Corinthii dicerent : De nobis tantum habes judicare, nos vero de subditis. Cujus moris adhuc tenetur regula, quia summus pontifex, et si Ecclesias Ecclesiis subjecerit, de omnium tamen errore discutit, sed ex jure mediantibus metropolitanis. Paulus et Sosthenes scribunt hoc Corinthiis : *Gratia sit vobis et pax*. Cum inter Corinthios quidam essent, qui gratiam sibi datam in baptismo custodissent integram, bene agendo : quibus utique remissio non erat optanda, quam jam acceperant, et acceptam firme tenuerant. Cum vero inter eosdem alii essent, qui gratiam acceptam errando annihilaverant, et his iterata remissio esset necessaria, pro hac diversitate perfectorum et imperfectorum, diverso modo optanda est hæc gratia, ut dicamus vobis, qui iterum peccatis, sit secunda gratia, id est iterato remittantur peccata ; vobis autem qui acceptam justificationem non irritam fecistis peccando, sit gratia, id est acceptæ justificationis perseverans custodia. Sic de pace : Peccatoribus sit pax animi restituta ; non peccantibus tranquillitas animi perseveret. Gratia, inquam, et pax sit vobis *a Deo Patre nostro*, *et Domino Jesu Christo*, a quo solo credite esse omnem justificationem : exeluso omni merito baptizatoris. Quia de Corinthiis quidam erant perseverantes in doctrina Pauli, non communicantes errori aliorum, primum separatim loquitur istis, ut audito quod bonum suum tantæ auctoritatis sit apud Apostolum, magis animentur ad bonum : ideo et ut per hoc magis incumbant correctioni errantium fratrum et ut errantes absque reclamatione obediant istis, cum audierint perfectionem eorum tanti esse apud Apostolum.

Unde sic ait : *Gratias ago Deo meo*, id est quem meum facio, non detrahendo ei, quemadmodum pseudo, qui dicunt merita baptizantis nocere vel prodesse baptizatis. Gratias utique ago Deo meo *pro* **87** *vobis semper*, id est in omni oratione mea. Ago, inquam gratias *in gratia*, id est in consideratione gratiæ Dei, perseverantis in vobis : *quæ* gratia *data est vobis in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, qui homini reconciliato Deo ministrat hanc gratiam. De hoc utique gratias ago ; *quia*, id est quod *facti estis divites in omnibus*, quia et singulas gratias, et omnes copiose habetis. *Facti* dico *in illo*, id est per Christum, cujus sola misericordia dat gratiam. *In omnibus dico*, scilicet in *omni verbo*, id est in omni doctrina spiritualium, mediocrium, et simplicium ; divites *etiam in omni scientia* litterali, morali, et allegorica : ita divites in omnibus, *sicut testimonium Christi*, id est doctrina de Christo attestata vobis per Scripturas, sicut, inquam hoc, testimonium *confirmatum est*, id est firmiter perseverat *in vobis*. Ad quem modum enim firmam tenuistis fidem Christi, ad eum modum ditavit vos Deus suis gratiis · cujus rei confirmatio vestra causa et similitudo fuit. Ita utique testimonium Christi confirmatum in vobis, *ut nihil desit vobis in ulla gratia*, id est ut omnem gratiam tam firmiter teneatis, quanta firmitate vobis tradita est. Vobis dico *exspectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi*, id est propter securitatem quam ex conservata justificatione habetis, secure præstolamini diem vestræ dissolutionis in qua revelabitur vobis. Dum enim vivimus, anima nostra circumsepta carne nequit intueri divinam essentiam, quam plenius intuebitur, dum a mole carnis liberabitur. Quam revelationem qui bene agit, secure exspectat ; qui vero male, potius fugere hanc videtur quam exspectare. Vos utique Christum exspectatis, *qui* quemadmodum vos confirmavit in præterito, sic etiam *confirmabit* continue *usque in finem*, id est usque in diem dissolutionis vestræ. Nec ita dico *confirmabit*, ut a venialibus vos cohibere possitis, sed confirmabit *sine crimine*, id est immunes factos a capitalibus. *In finem* dico, scilicet *usque in die adventus Domini nostri Jesu Christi*, qui unicuique justo advenit, in dissolutione suscipiens animam

ejus transferendam. Ideo sic determinavit *sine crimine*, ne si forte viderent eos in venialibus cadere, insultarent et dicerent : Ecce nunc apparet justitia eorum quos Paulus tanti faciebat. Vere de cætero confirmabit ; nam hoc promisit, dicens : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » *Deus* utique, qui promisit, *fidelis* est et mentiri non potest : unde confido, quia confirmabit ; confido etiam ideo, quia *per quem Deum vocati estis*. Qui si vos dum in peccato essetis, per misericordiam vocavit, credendum est utique quod jam justificatos et jam promerentes confirmet de cætero. Per quem utique vocati estis in habendam societatem *Filii ejus*, id est ut pro modo vestro in justitia cum Filio ejus permaneatis. Nec adoptivi filii dico, sed *Jesu Christi* nostri proprii et consubstantialis.

Postquam perfectos in bono suo corroboravit, convertit sermonem ad eos qui peccaverant in prædictis, dicens : *Vos* perfectos de confirmatione vestri laudo ; sed vos qui erratis *obsecro*, id est omni districtione conjuro *per nomen Domini nostri Jesu Christi*, quos tamen *fratres* appello, licet erraveritis. Ideo fratres eos vocat, ne si, non fratres eos appellaret, præ nimietate peccati desperarent. Obsecro, inquam, vos *ut omnes dicatis idipsum*, id est ut omnes confiteamini solum Deum posse peccata dimittere ; et hoc dicendo *non sint in vobis schismata*, id est aliquæ scissuræ infidelitatis. Schismata non sint ; *sed sitis perfecti in eodem sensu*, id est in eadem voluntate, *et in eadem scientia*, ut idem et velitis et sciatis : sunt enim qui idem volunt, nec tamen idem sciunt. Sunt alii quorum diversa est voluntas, et tamen est eadem scientia. Propterea sic vos obsecro, *quia significatum est mihi* per litteras *de vobis fratres* mei, quod per eam prædicta repetit. Significatum est utique *ab his qui sunt Cloes, quia*, id est quod *contentiones sunt inter vos*, id est quod alter contendat in alterum. Cloes nomen est loci in archiepiscopatu Corinthiorum, unde hæc contentio mandata fuerat ipsi per Sosthenem. Quod nomen hic ideo ponit, ne errorem suum dissimulare velint Corinthii. Scientes quod Paulus ab eisdem qui inter eos conversantur, hoc agnoverit. Nec solum quod contendatis novi, sed etiam verba ipsius contentionis. *Hoc autem dico, quod dicit unusquisque vestrum* præferens se de baptizatore suo alter in alterum. Hoc utique dicit : Ego quidem longe majori justitia discretus ab illo, qui inferiorem habuit, baptizatorem. *Ego quidem sum Pauli. Ego autem* Apollo, qui erat archiepiscopus Corinthiorum. *Ego vero Cephæ*, id est Petri. Non ideo hæc nomina ponit quod de his gloriarentur, cum nec Petrum vidissent ; sed ideo, quia si nomina illorum pseudo, de quibus gloriabantur, reponeret, dicerent Paulus quia invidet istis, nollet nos gloriari de nominibus eorum, sed bonum judicaret, si de nomine suo sociorumque gloriaremur. Ad hoc removendum posuit Paulus nomen suum et Petri ostendens quod suo nomine nollet eos gloriari. Quod si non de nomine Pauli, multo minus gloriandum est de pseudodoctoribus. Infideles hoc dicunt : Ego Pauli, ego Cephæ. Sed fidelis dicit : *Ego sum Christi* cujus gratia sola justificat. Et quia hic dicit se esse Pauli, hic alterius, *ergo Christus divisus est*, et jam non unus sed multi Christi sunt. Quisque enim baptizatorem suum facit Christum, dum dimittere peccata, quod Christi solum est, attribuit illi. Vel ita : Christus divisus est, quia divisim dat munera gratiæ suæ, dum minus per istum, magis per illum justificat. Vel quia sic male dicendo erratis, propterea Christus divisus separatus est a vobis. Vos Christum dividitis, faciendo quisque suum Christum. Vel creditis Christum divisim dare gratiam, sed nunquid Paulus, quem aliqui in vobis Christum suum faciunt, vel propter cujus meritum creditis Christum melius dare uni quam alii ? Sed *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis ?* Hoc utique negare non potestis, quoniam per Christum redempti sitis, quem Paulus non attigit. *Aut nunquid in nomine Pauli baptizati estis ?*

Si utique verba baptismi solerter attenderitis, quibus Deo soli confitemini, intelligeretis omnem justificationem esse ex Deo ; et quandoquidem hoc bonum baptismi vobis errantibus fit in malum, ideo quia hoc bonum non feci, *gratias ago Deo meo quod neminem vestrum baptizavi nisi Christum et Gaium ;* propterea nolo aliquos baptizasse, ne dicat aliquis quod in nomine meo baptizati estis. Cum Crispo et Gaio baptizavi *et domum*, id est familiam *Stephanæ*. De his recordor ; sed *nescio* si forte *aliquem alium baptizaverim*. Ideo tam paucos baptizavi, *quia Christus non misit me baptizare*. In hoc multum humiliat ministerium baptizandi, ubi dicit se non esse missum ad hoc, quod etiam facere possunt quilibet infideles, si necessitas poposcerit. In quo tamen Corinthii vicissim se præferebant alter alteri. Dicit hic sacramentum Ecclesiæ ideo tempore necessitatis concessum esse, etiam infideli ; quia est illud, sine quo nemo potest salvari. Sed alia sacramenta promissa sunt ideo solis ministris, quia si ad salutem prosint, non sunt tamen ea sine quibus homo nequeat salvari ; quia sola fides baptismatis (si integre servata sit) ad salutem sufficit. Hic de baptismo finem facit, et de prædicatione sua sermonem incipit, dicens : Christus non misit me baptizare, *sed evangelizare*. Prædicare quidem misit me, *non in sapientia verbi*, id est non in verbosa sapientia mundi ; et hoc ideo, *ut non evacuetur crux Christi*. Si enim rationes humanæ sapientiæ sequerer, quæ penitus destruunt immortalem mori posse, mortuum iterum vivere, jam penitus comprobaretur Christum non gustasse mortem crucis, et sic destrueretur pretium totius salutis : quare non in verbosa sapientia mundi missus sum, secundum quas rationes facile evacuari potest crux Christi. Vere si sequerer sapientiam mundi, evacuaretur crux Christi. *Nam verbum*, id est prædicatio *crucis* pereuntibus, id est sapientibus

mundi, qui ideo pereuntes dicuntur, quia sapientia eorum cito peribit et destruetur. Vel quia propter hanc sapientiam peribunt et damnabuntur. Verbum utique crucis sapientibus *quidem* hujus mundi *stultitia est;* quia humana ratio neminem cogit ut Christus, qui immortalis erat in natura, mori potuerit, qui mortuus iterum vixerit. *Pereuntibus* quidem est stultitia; *sed his qui salvi fiunt*, id est, nobis, qui a verbosa sapientia declinamus, nobis utique verbum 89 crucis est *virtus Dei*. Considerantes enim per tantam debilitatem (uti per mortem) superari antiquum hostem, cujus fortitudo in omne genus hominum prævaluerat, miramur in hoc magis virtutem Dei, ubi per debilitatem destruxit fortitudinem. Quia si per apertam fortitudinem minorem exstingueret potentiam, vere non in sapientia verbi misisset me Deus : sic *enim scriptum* est in Abdia : Ego *perdam* (ait Dominus) *sapientiam sapientium* (*Abdi.* 1, 8; *Isai.* XXIX, 14); sive quia destruam illam, sive quia damnabo illos, propterea adhæserunt humanæ sapientiæ. Nec solum sapientiam perdam, sed etiam *prudentiam*, id est providentiam qua callide sciunt præmunire sententias suas, ne aliqua impugnatione frangantur. Quidam enim habent sapientiam artis, qui tamen nesciunt se satis præmunire contra cavillationes objicientis. Illam utique prudentiam *reprobabo;* quia neminem de hujus mundi prudentibus in ministerio meæ prædicationis assumam ; vel jungitur ibi ubi ait : pereuntibus. Vere pereuntes : nam scriptum est : « Perdam sapientiam sapientium. » et vere hujusmodi prudentes reprobati sunt. Hæc sunt verba Apostoli. Nam *ubi* est *sapiens*, id est logicus ille qui in argumentatione sua confidit : et *ubi* est *scriba*, id est ethicus qui de moribus agit ; et *ubi conquisitor hujus sæculi*, id est physicus, qui naturas omnium rerum conquirit ? Si logicus ille dicat, si peperit, cum viro concubuit, mentitur ; quia Maria sine coitu virili de Spiritu sancto concepit. Si ethicus de moribus, de cultura idolorum doceat, repellitur ; quia novi mores, novus cultus inductus est. Si iterum physicus dicat repugnare naturæ, ut virgo pariat, mortuus vivat, mendacii reus est. Quandoquidem et sapiens, et scriba, et physicus repelluntur, nonne per hoc palam est, quod *Deus fecit*, id est comprobavit esse *stultam sapientiam hujus mundi ;* ideo Deus sapientiam hujus mundi repellit : *nam* sic *placuit Deo ;* et cum audias hoc placere Deo, causam hujus ne quæsieris. Placuit utique Deo *per stultitiam prædicationis*, id est et per stultam rem prædicatam et per stultos prædicatores *salvos facere credentes* in se : ideo per stultitiam placuit ei salvare credentes, *quia mundus*, id est homines mundi *non cognoverunt Deum* per carnalem *sapientiam*.

Quod si aliqui philosophi intellexerunt esse unum Deum, qui omnia creasset, non tamen hoc cognoverunt in sapientia Dei, id est ut intelligerent consilium Dei, quo ordine disponebat salvare perditum hominem per incarnationem Verbi, et cætera. Vel ita, quod mundus non cognovit Deum per suam sapientiam. Hoc fuit in sapientia Dei, id est ita placuit sapientiæ Dei, ut mundanæ non admisceret suam. Vere per stultitiam salvavit credentes : nam et res prædicata stulta fuit, et prædicatores stulti. Vere per rem stultam prædicatam ; *nam* quoniam *Judæi* qui jam per signa Deum ut in Ægypto cognoverant, *petunt* adhuc *signa*, ad comprobandum esse verum de Christo quod prædicatur ; *et Græci*, id est gentiles qui Deum ignorant, *quærunt sapientiam*, id est volunt sibi per mundanas rationes approbari quod de Christo dicitur : *Nos autem*, ut satisfaciamus Judæis, *prædicamus Christum virtutem Dei*, quia Judæi virtutem miraculorum requirunt : Græcis vero quærentibus sapientiam prædicamus *Christum esse sapientiam Dei*, quod utrumque electis quidem Judæis et Græcis virtus est et sapientia, sed *reprobatis scandalum* est *et stultitia*. Et ideo diximus per stultam rem salvos fieri credentes. Nunc litteram exponamus. Vere per stultitiam Deus salvat credentes ; quoniam Judæi quidem petunt signa, qui per miracula Deum cognoscere consueverunt. Et Græci mundanam quærunt sapientiam, quia aliud non intelligunt. Nos autem stulti prædicamus rem stultam, scilicet Christum crucifixum : *Judæis quidem scandalum*, quia improperatur eis quod regem suum crucifixerunt ; *Gentibus autem stultitiam*, quia intelligere nesciunt qua ratione quem Deum dicimus, eumdem mortuum fuisse dicamus. Judæis quidem et Græcis reprobatis scandalum est et stultitia ; sed *ipsis Judæis atque Græcis vocatis*, id est a Deo electis, prædicamus *Christum virtutem Dei*, quod Deus majus miraculum 90 operari non potuit quam per mortem destruere mortem. Prædicamus etiam Christum sapientiam Dei ; quia major sapientia nequit inveniri quam per humilitatem superbiam et per debilitatem destruere fortitudinem. Vere Christus est sapientia Dei. *Nam* illud *Dei quod est stultum* secundum æstimationem hominum, *sapientius est hominibus*. Vel quia homines tantam sapientiam capere, vel tam sapienter operari nequeunt. Et vere Christus est virtus Dei. Nam illud Dei, *quod est infirmum*, vel stultum secundum æstimationem hominum, *sapientius est hominibus*. Vel quia homines tantam sapientiam capere, vel tam sapienter operari nequeunt. Et vere Christus est virtus Dei. Nam illud Dei, quod est infirmum secundum carnales, hoc est fortius hominibus. Vel quia intelligere virtutem hanc nesciunt. Vel quia tanta fortitudine nihil facere queunt. Vel aliter superior littera jungitur ita : ideo mundus non cognovit Deum per sapientiam ; quoniam Judæi petunt signa, et Græci sapientiam ; nos vero prædicamus Christum crucifixum ; Judæis quidem non signum sed scandalum ; Græcis autem vel gentibus non sapientiam sed stultitiam. Et quia in cruce Christi nec virtutem nec sapientiam mundus intelligit : ideo Deum non cognovit. Et est ibi finis sententiæ. Sed licet reprobis Judæis atque Græcis Christi crux scandalum sit et stultitia,

tamen ipsis Judæis vocatis atque Græcis Christus est Dei virtus et Dei sapientia. Sequens littera non mutatur; probavit ex parte quod per stultitiam : nam per stultam rem prædicatam salvarentur credentes; probat nunc aliam partem scilicet, quod per stultos prædicatores salvaverit Deus credentes, dicens: Vere per stultitiam salvavit Deus credentes.

Videte enim vocationem, id est vocatores vestros per quos ad fidem vocati estis. Hoc, inquam, videte de eis ; *quia non multi sapientes*, et cætera. *Sed quæ stulta sunt elegit Deus* in ministerio vocationis vestræ. Vel ita jungitur ad proximum. Vere illud *Dei quod stultum et infirmum est, sapientius et fortius est hominibus.* Nam modo videte vocatores vestros, invenietis eos stultos et infirmos. Et secundum hanc continuationem illud procedens, id est *quod stultum* B *et infirmum est Dei, sapientius et fortius est hominibus*, respicit ad comprobandum prædicatores stultos fuisse ; sicut in præcedenti voluit ad hoc ostendendum, quod res prædicata fuerit stulta. In sequenti etiam notatur effectus hujus stultitiæ et insipientiæ. *Videte*, inquam, *vocationem vestram*, id est per quos vocati estis *fratres ;* quia in eis *non sunt multi sapientes secundum carnem*, id est carnalem sapientiam ; *non* sunt *multi potentes* secundum carnem ; *non multi nobiles*, secundum carnis generositatem. Dicunt sancti ideo Paulum dixisse, non multi, quia ipse fuit sæcularium litterarum perfectus, terrenarum opum dives, Romana parentela conspicuus. Vocatores utique vestri, nec sapientes nec nobiles, *sed Deus elegit ea quæ stulta sunt mundi*, C id est quæ mundus stulta reputat, *ut* per hæc Deus stulta *confundat*, id est erubescere faciat *sapientes* mundi, videntes se non posse resistere argumentis suis stultis prædicatoribus Dei. *Elegit etiam Deus infirma mundi:* eos scilicet qui nullius potentiæ erant in mundo, *ut* per hæc infirma *confundat fortia*, id est potentes mundi erubescere faciat. *Et ignobilia mundi*, id est eos qui de genere suo non possent gloriari ; *et contemptibilia*, id est eos, in quibus nec aliqua personarum reverentia; hæc *elegit Deus*, et (ut singula enumerem) *et ea quæ non sunt*, id est quæ nulla esse mundo videbantur, hæc elegit Deus, *ut* per *ea quæ* non sunt *destrueret ea quæ sunt*, id est quæ bona mundi esse videntur. Et hoc totum D sic ideo fecit Deus, *ut omnis caro non glorietur*, id est ut omni carni conveniat non gloriari *in conspectu ejus*, scilicet quia si prædicatores abjectionem sui considerarent: vel gentes eos conversæ intelligerent, nihil sibi, sed totum referendum esse gratiæ Dei. Vel ita : Ut ejus non sic obliquetur, non glorietur omnis caro in conspectu ejus Dei, id est considerans virtutem Dei et infirmitatem suam ; nec prædicator sibi nec subditi ascribant aliquid magistris, 91 sed totum gratiæ Dei. Sed licet prædicatores stulti essent et infirmi, *vos* tamen nihil minus propter hoc habuistis : *estis* enim *in Christo Jesu* fideles facti. Et cum tanta infirmitas prædicatorum appareat, vos tamen nihil minus habetis; constat A per hoc totum esse ex ipso Deo, et nihil ex merito doctorum.

Hic optime consideratur effectus stultitiæ et infirmitatis. Vos, inquam, estis in Christo Jesu, *qui* Christus *factus est nobis sapientia a Deo*, quia Deus per Christum instruens nos, effecit nos sapientes ministeriorum Dei; et ut sapientes efficeret, factus est nobis *justitia*, faciens nos vivere in justitia virtutum. Ut autem in justitia viveremus, factus est nobis *sanctificatio.* Sanctificavit enim nos remittendo peccata; et ut sanctificaret, factus est *redemptio*, id est dedit pretium sanguinis sui, quo nos redimeret, ut redemptos sanctificaret; sanctificatos in justitia virtutum confirmaret, et in justitia manentibus sapientiam daret. Hæc omnia factus est nobis, ut quicunque gloriatur, glorietur non in se, vel in doctoribus, sed in Deo : ad *quem modum scriptum est* in Jeremia sic : *In hoc glorietur qui gloriatur scire et nosse me, quia ego sum Dominus* (*Jer.* IX, 24).

CAPUT II.

« Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non « in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians « vobis testimonium Christi. Non enim judicavi « me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, « et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate et « timore et tremore multo fui apud vos : et sermo « meus et prædicatio mea non in persuasibilibus « humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiri- « tus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia « hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem « loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non « hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui « destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in « mysterio, quæ abscondita est, quam prædestina- « vit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam « nemo principum hujus sæculi cognovit; si enim « cognovissent, nunquam Dominum gloriæ cruci- « fixissent. Sed sicut scriptum est : « Quod oculus « non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis « ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt « illum (*Isai.* LXIV, 4). » Nobis autem revelavit « Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia « scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit « hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus homi- « nis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt nemo « cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiri- « tum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui « ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt « nobis, quæ et loquimur, non in doctis humanæ « sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiri- « tualibus spiritualia comparantes. Animalis autem « homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : « stultitia enim est illi, et non potest intelligere, « quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem « judicat omnia et ipse a nemine judicatur, sicut « scriptum est : « Quis enim cognovit sensum Do- « mini, aut quis instruat eum? (*Isai.* XL, 13;

« *Sap.* IX, 13; *Rom.* XI, 34.) » Nos autem sensum « Christi habemus. »

EXPOSITIO.

Dixi quod vocatores vestri stulti et contemptibiles fuerunt : et quemadmodum illi, sic *ego ipse cum venissem ad vos, o fratres, non veni per sublimitatem sermonis*, id est, laborans artificiose loqui : et uti gloriosis verbis, cum utique propter insipientiam non dimisi ; aut non veni per sublimitatem *sapientiæ*, ut per mundanam sapientiam vobis prædicarem. Sunt enim quidam qui sublimes quidem sermones habent, nec tamen tantam sapientiam artis. Iterum quidam sciunt præcepta artis, non tamen satis habentes artificii locutionis. Ego, inquam, per sublimitatem sermonis aut sapientiæ non veni *annuntians vobis Christum :* et hoc per testimonium, quia quod de Christo dicebam, sic testificatum in prophetis ostendebam. Vere non in sublimitate sermonis aut sapientiæ prædicavi : **92** *non enim judicavi me scire aliquid inter vos*, cum utique multa scirem, *nisi Christum Jesum, et hunc* secundum stultitiam gentium et infirmitatem Judæorum *crucifixum*. Non enim prætuli me aliis prædicatoribus pro sapientia mundi quam habueram ; sed eamdem stultitiam, id est crucem Christi prædicavi, quemadmodum illi : per sublimitatem sermonis et sapientiæ non veni, nec etiam per reverentiam personæ ; sed *ego fui apud vos in infirmitate*, id est in multa tribulatione, et propter hanc infirmitatem fui *in timore* Dei et *tremore* corporis. Et licet hæc omnia paterer, tamen *sermo meus* quem habebam in privatis, *et prædicatio mea* in publico habita *non fuit in persuasibilibus verbis humanæ sapientiæ*, id est non tantum studui apposite loqui ad persuadendum ; *sed* fuit prædicatio mea *in ostensione spiritus*, id est ut Spiritus sanctus comprobaretur loqui per me. *Et* in ostensione *virtutis*, id est miraculorum Dei : et ideo in spiritu et virtute Dei solum, *ut fides vestra*, quam vobis ministravi, *non sit in sapientia hominum, sed* constet *in virtute Dei*. Et licet nihil me judicaverim scire apud vos, tamen nos *sapientiam loquimur*, sed *inter perfectos*, vobis autem quia imperfecti eratis, loqui non potui. Sed licet non loqueremur eam vobis, tamen habemus sapientiam, nec carnalem sed spiritualem, quæ longe dignior est carnali cui adhæretis. Quod sic ait : *Sapientiam quidem* habemus, sed *non* eam quæ sit *hujus sæculi*, id est carnalium. *Neque* etiam eam quæ sit *principum hujus sæculi*, id est vel philosophorum, vel malignorum spirituum, qui principantur hominibus mundi, *qui* principes *destruuntur*, et secundum doctrinam et secundum hoc quod propter falsam doctrinam damnantur. Sapientiam hujus sæculi non loquimur, *sed loquimur sapientiam Dei*, existentem *in mysterio*. Sapientiam Dei hic vocat illud consilium, quo Deus per incarnationem Filii humanum genus salvare disposuit. Sapientiam hanc loquimur latentem mysterio ; nec ita, ut quicunque possint eam animadvertere, ut mysterium baptismi et quædam alia, *sed quæ abscondita est*, et nemini nisi paucis per Spiritum sanctum revelata. *Quam* sapientiam *Deus prædestinavit ante sæcula*, id est Deus ab æterno sic futuram præordinavit, *in gloriam nostram*, id est omnium fidelium, ut omnes per hanc habeamus æternam gloriam. Vel ita in gloriam nostram, id est prædicatorum, qui ministramus hanc sapientiam. Conveniens quidem fuit, ut nos qui ministramus aliis, copiosius aliis de hac sapientia intelligeremus ; quia *sapientiam nemo principum hujus sæculi*, id est philosophorum vel dæmonum *cognovit*. Vere principes non cognoverunt : *nam si cognovissent, nunquam crucifixissent*, diaboli qui hoc posuerunt in cor Judæ, ut traderet eum, vel in corda Judæorum, ut crucifigerent Jesum. Nunquam utique crucifixissent, quem per hanc crucifixionem scirent esse *Dominum gloriæ*. Si cognovissent, non crucifixissent. Sed non cognoverunt, sicut scriptum est in Isaia. Hoc, inquam, scriptum est, *quod oculus non vidit* (*Isai.* LXIV, 4). Illud quod de littera Pauli est, et non Isaiæ sic dicentis : *Oculus*, id est sensualis homo, non per se vidit ; *et auris*, id est idem sensualis quod per se intelligere non potuit, ab alio docente *non audivit ; nec etiam in cor*, id est in ipsam rationem hominis, id est humaniter sapientis, *ascendit ;* quia si homo intelligeret, tunc utique quod non intelligens vile credit, ascenderet in eo, et magnum esse crederet. Hæc, inquam, nec vidit nec audivit quæ, id est *quanta* et quam digna *Deus præparavit his qui diligunt eum*. Vel illud quod nomen esse legatur sic. Scriptum est hic, quia illud quod *oculus non vidit*, et cætera : est illa *quæ præparavit Deus diligentibus se*. Et est satis bona relatio.

Diceret aliquis : Si in cor hominis hoc non ascendit, quomodo ergo tu nosti ? Ad hoc Paulus : Nemo quidem hujus sæculi cognovit ; *sed nobis* qui jam mundum exuimus, *revelavit* hoc *Deus per Spiritum suum*. Spiritus enim Dei docuit, in quo humana sapientia penitus deficit. Credendum est utique quod per Spiritum **93** suum revelaverit nobis Deus : *Nam Spiritus Dei scrutatur omnia*, non quod ipse ignotum quid habeat, quare eum scrutari oporteat, sed quia aperit nobis omnia quæ maximo scrutinio sunt investiganda. Aperit etiam nobis *profunda Dei*, id est altiora et occultiora essentiæ Dei, ut illud quomodo Trinitas in unitate, unitas in Trinitate maneat ; probat quod dixit a minori et a simili ita : Vere Spiritus Dei tantum scrutari potest ea quæ sunt Dei. Nam *spiritus hominis* tantum *novit ea quæ in ipso homine sunt ;* et si solus spiritus hominis novit ea quæ sunt ejus hominis, per simile et a majori constat, quod Spiritus Dei solus scrutetur ea quæ sunt Dei. Quod sic ait : Spiritus, inquam, scrutatur profunda Dei. Nam quis hominum scit ea quæ sunt hominis alterius, nisi spiritus ejusdem hominis qui est in ipso ? Nemo utique. Et quandoquidem nemo cognoscit quæ sunt hominis, nisi spiritus ejusdem ; ita simili ratione, et *ea quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei*, qui nobis revelavit sapientiam Dei. Dixerat qui-

dem Deum revelasse sibi per Spiritum; sed nondum dixerat eos accepisse Spiritum illum, de quo subjungit : Nobis non tantum revelavit per Spiritum suum Deus, sed etiam *nos accepimus spiritum non hujus mundi, sed Spiritum qui est ex Deo, ut* per eum Spiritum *sciamus* mysteria Dei, *quæ* per gratiam *donata sunt nobis a Deo, quæ* etiam *loquimur* et manifestamus, *non in doctis verbis humanæ sapientiæ* hærendo; *sed* loquimur hæc *in doctrina Spiritus*, id est secundum quod dictat Spiritus sanctus, et docet nos. Nec quibuscunque loquimur hæc mysteria, sed tantum *spiritualibus*, nos dico *comparantes*, id est æquo examine trutinantes *spiritualia* spiritualibus; quia si spiritualem auditorem habemus, spiritualia ipsi damus; si carnalem, reticemus. Spiritualis spiritualia percipit; sed homo *animalis* qui sensualitate sola viget, ut aliud animal, non ratione, hic, inquam, *non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*. Propterea non percipit, *quia stultitia est illi*, id est quia quod spiritus docet stultum reputat adhærens carnalitati; et quia stultitia est illi, ideo *non potest intelligere* quæ sunt Spiritus Dei. Animalis utique non potest intelligere, *quia examinatur*, id est comprobatur animalitas ejus, et de impietate sua convincitur *spiritualiter*, id est per spiritualia illa quæ ipsi conceduntur. Deus enim quibusdam dat quasdam gratias, sciens eos pro certo gratiæ non cooperaturos; sed hoc facit ut manifesta sit impiorum justa damnatio. Vel ita ut impersonale sit, examinatur. Animalis ideo homo non percipit ea quæ sunt spiritus; quia examinatur, id est fit examinatio et approbata cognitio eorum spiritualiter vivendo. Hi autem qui carnaliter vivunt, intelligere nequeunt. Animalis non percipit; sed *spiritualis judicat omnia*, id est discernit eligendo bona, reprobando mala. *Et ipse* spiritualis *judicatur a nemine* animali. Carnalis enim nequit animadvertere causam, quare spiritualis hoc eligat, alterum rejiciat. Vere spiritualis non judicatur a carnali. Nam spiritualis habet sensum Christi, quem carnalis cognoscere nequit. Quod ita ait : *Quis* animalis *cognovit sensum*, id est sapientiam *Domini*, ut noverit dispositiones ejus. Aut *quis instruat eum* quid faciendum ipsi sit, quid non faciendum? Animalis utique sensum Domini non cognovit, *sed nos* per spiritum quem accepimus, *habemus sensum Christi;* et ideo a nemine carnali possumus judicari.

A B C D

CAPUT III.

« Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spi-
« ritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam par-
« vulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.
« Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem
« potestis. Adhuc enim carnales estis. Cum enim
« sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales
« estis, et secundum hominem ambulatis? Cum enim
« quis dicat, Ego quidem sum Pauli; alius autem
« ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est
« Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui cre-
« didistis. Et unicuique sicut Dominus 94 dedit.
« Ego plantavi, Apollo rigavit : sed Deus incremen-
« tum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid,
« neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.
« Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unus-
« quisque autem propriam mercedem accipiet, se-
« cundum suum laborem. Dei enim sumus adjuto-
« res; Dei agricultura estis; Dei ædificatio estis.
« Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sa-
« piens architectus fundamentum posui; alius autem
« superædificat. Unusquisque autem videat quo-
« modo superædificet. Fundamentum enim aliud
« nemo potest ponere, præter id quod positum est,
« quod est Christus Jesus. Si quis autem superædi-
« ficat supra fundamentum hoc, aurum, argentum,
« lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, unius-
« cujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini
« declarabit, quia in igne revelabitur : et uniuscu-
« jusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus
« opus manserit quod superædificavit, mercedem
« accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum pa-
« tietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi
« per ignem. Nescitis quia templum Dei estis, et
« Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem tem-
« plum Dei violaverit, disperdet illum Deus. « Tem-
« plum enim Dei sanctum est, quod estis vos (*II*
« *Cor.* VI, 16). » Nemo vos seducat. Si quis videtur
« inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat
« ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stul-
« titia est apud Deum. Scriptum est enim : « Com-
« prehendam sapientes in astutia eorum (*Job.* V,
« 13). » Et iterum : « Dominus novit cogitationes
« sapientium, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11). »
« Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim
« vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas,
« sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia,
« sive futura. Omnia enim vestra sunt : vos autem
« Christi; Christus autem Dei. »

EXPOSITIO.

Licet fratres spirituales simus, sicut ostensum est, et spiritualia doceamus, tamen *ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* locutus sum : et quia carnales eratis, *dedi vobis tanquam parvulis in Christo*, id est teneris in fide Christi *lac potum*. Per lac significat dulcedinem doctrinæ; per potum, facilitatem. Dedi vobis lac, *non escam*, id est illam doctrinam in simplicitate vestra ruminare, quæ potius erat facilitate nutrienda, quam difficultate premenda. Ideo spiritualia non dedi, quia *nondum capere poteratis, sed necdum quidem potestis*, licet de novis doctoribus modo gloriemini. Vere nondum potestis. *Nam adhuc carnales estis*. Et vere carnales. *Nam cum* modo *sit inter vos zelus*, id est invidia animi, *et contentio* in verbis, *nonne carnales estis? et* nonne *ambulatis secundum hominem*, id est secundum carnalem doctrinam eorum hominum quos sequimini? Vere carnales estis et secundum hominem ambulatis; *quia cum aliquis* vestrum *dicat : Ego quidem sum Pauli; alius autem* dicat : *Ego sum Apollo : nonne homines estis*, id est nonne secundum hominem sapitis? Quia dicitis « ego Pauli,

ego Apollo : igitur dicite mihi quid est Apollo, quid vero Paulus, et quid eos conferre vobis creditis? Hoc vere de eis sentire potestis, quia *ministri* sunt *ejus, cui* vos *credidistis*. Et nihil aliud sunt, nisi quod ex præcepto Dei ministrant vobis quæ Dei sunt, licet diverso modo. Quia *sicut Dominus dedit unicuique* nostrum, ad eum modum *ego plantavi*, id est evangelizavi, et ad fidem vos traxi; *Apollo* vero *rigavit*, id est baptizavit, vos jam per me credentes; sed *Deus* solus *dedit incrementum* bonorum per Spiritum suum. Sequitur metaphoram plantatæ arboris, quam alius rigat, alius plantat, et [cui] Deus solus incrementum dat. Et quia solius Dei est incrementum dare, *itaque neque ille qui plantat est aliquid*, quantum ad donum fidei, *neque* ille *qui rigat*, aliquid est in remittendis peccatis, *sed Deus* totum est *qui* solus *dat incrementum* fidei, et sequentis justitiæ.

Diceret adversarius : Licet ministri sint Dei, tamen diversi sunt in meritis, et merita credo aliquid conferre mihi. Contra hoc Paulus : Licet alter dignior, alter minus, tamen **95** *qui plantat et qui rigat unum* et indifferentes *sunt* in administrando, solummodo donum Dei dispensant, quod nec augeri potest, nec minui, bonis malisve meritis eorum. Licet qui plaptat et qui rigat indifferentes sint, in eo quod ministri sunt Christi, in eo tamen differunt, quod *unusquisque accipiet proprium mercedem*, mensuratam sibi *secundum suum laborem*, id est pro modo quo in opere Dei laboravit. Plus enim ei debetur, qui plus meretur. Et hoc bene ad intentionem. Ubi enim ostendit se magis aliis in fide Corinthiorum promereri, et de se gloriandum non esse subditis, dicit : Longe minus in his qui minus merentur gloriandum, et nihil penitus esse ostendit. Revertamur ad litteram. Vere secundum proprium laborem accipiet mercedem : nos enim in vobis Deum plus aliis adjuvimus, et ideo plus aliis remunerabimur, quod ita ait : Nos *sumus adjutores Dei*, id est operarii; et ut servi ministrando præceptis Domini adjuvimus Deum in vobis, ministrando fidem ejus sicut ipse nobis disposuit. Vere Deum adjuvimus in vobis. *Nam* vos *estis agricultura* Dei, id est cultus agri, a quibus jam eradicatæ sunt spinæ peccatorum. Estis, inquam, agricultura per ablationem malorum, *et estis ædificatio Dei*, per positionem virtutum, quia super fidem vestram Deus jam alias virtutes ædificavit. Et quod estis agricultura et ædificatio Dei, hoc est per me. *Ego* enim *posui fundamentum*, id est fidem super quam fundantur aliæ virtutes. Posui utique *ut architectus*, id est princeps tecti, quia et si alios coadjutores in vobis habui, ego tamen princeps ibi fui. Architectus dico *sapiens*, id est cum discretione singulis, quod capacitati eorum sufficere poterat, impertiens. Hoc autem feci *secundum gratiam Dei* : fundare enim vos in fide non possem, nisi operaretur mecum gratia Dei, ad quam habendam non præmisi meritum, sed *quæ* ex misericordia *data est mihi*. Ego quod ad me pertinuit, sanum fundamentum posui; sed alius cujus est ædificare super hoc fundamentum, videat quid superædificet. Alius enim est qui ædificat super hoc fundamentum; quasi diceret Quod meum fuit fundamentum, posui; quod vestrum est, videte ut bene superædificetis. Ille superædificare dicitur, qui vel virtutes ædificat, vel si peccat, non ita tamen ut fundamentum destruat : quod destruitur per criminalia, nisi per aptam pœnitentiam deleantur. Destruitur etiam per venialia, quæ non solum ex necessitate habemus, cum etiam justus » septies cadat in die (*Prov.* XXIV, 16). Sed per ea venialia, quæ ex voluntate, et impœnitentes in eis consentiendo admittimus. Ego quidem provide posui fundamentum. *Videat autem unusquisque vestrum quomodo ædificet super hoc fundamentum* : arbitrio enim vestro jam per acceptam gratiam confortato relinquitur hoc opus.

Notandum est quod superædificare dicuntur hi solum, quorum culpis non destruitur fundamentum. Qui enim destruit, potius dicenda est eversio peccati, quam superædificatio. Videndum utique est vobis de superædificatione, ne varietur. Nam de fundamento securos vos reddo, quia unum est. *Nemo enim potest fundare aliud fundamentum* quod sit *præter id quod positum est* a me, *quod* fundamentum, id est fides, *est Christus Jesus*. Fides enim tua de Christo (juxta Augustinum) Christus est in corde tuo. Si quid enim aliud præter fidem ponitur, eversio fundamenti, non fundamentum est. Fundamentum quidem unum est, et aliud esse nequit, sed superædificationes sunt diversæ; quia alius aurum, aut argentum, alius fenum vel stipulam superædificat. Quod ita ait : *Si quis autem superædificat supra hoc fundamentum*, id est fidem, *aurum, argentum, lapides pretiosos* : per hæc tria, virtutes, sed discretæ intelliguntur. *Vel ligna, fenum, stipulam*, per hæc tria discreta mala, quæ tamen fundamentum non destruant, accipiuntur. Hæc autem omnia per ignem (sicut proxime subjunget) probabuntur. Per aurum perfecta justitia, ut eorum nihil penitus purgandum sit, qui utique per ignem transituri sunt; non ut ibi aliqua acerbitate detineantur, sed sicut purissimum aurum igni adhibitum, **96** non solum nullum patitur detrimentum, sed per hoc majori nitore fit splendidius, sic perfecti, ignis utique læsionem non sentiunt, sed probabiliores agilitate virtutum ab hoc igne facillime emergunt. Per argentum significantur justi, in quibus tamen aliqua levia purganda sunt; quia velut argentum in igne positum decoloratur : qui color arte artificis post ignem redditur; sic illi ignem quidem patientur, sed leviter, quia levia commiserunt. Per lapides pretiosos signantur justi, licet premantur aliquot venialibus; magis tamen adhæserunt justitiæ, et ideo patientur quidem in igne magis his prædictis; quemadmodum lapides pretiosi plus detrimenti per ignem sentiunt, quam argentum. Pluraliter ideo lapides dixit; quia in hoc gradu diversi erunt, et secundum diversitatem me-

Ne inflemini dico, agentes quod supra. Scriptum est superius, ut qui gloriatur, non in merito hominis, sed in Domino glorietur; non debes inflari adversus alterum : quis enim est qui te discernit ab alio, sciens merita singulorum? Stultus utique est, qui te discernere præsumit. Iterum non debes inflari; quia *quid habes* tu ab illo doctore de quo gloriaris *quod non accepisti* a me? Magis utique a me accepisti, quia fidem, quam ab illo. Iterum non debes inflari; quia *si accepisti* a me, *quid de* alio *gloriaris quasi non acceperis* a me quod ab illo? magis utique a me. Vel aliter : Noli inflari, quia quis est qui te discernit a massa perditorum in Adam, ut faciat te vas in honorem nisi Deus solus? Nemo utique, iterum ne inferis; quia quid habes tu boni ab aliquo, quod non accepisti a Deo? Deus totius boni est largitor. Iterum non debes inflari; quia si tu accepisti aliquid a Deo, quid gloriaris inde, ascribens hoc merito hominis, quasi non acceperis illud a Deo? Dico ne gloriemini, sed male dico; quia vos merito debetis gloriari : *jam* enim *estis saturati*, id est satis habetis bona in vobis; *jam* etiam *facti estis divites*, habentes quod dividatis singulis; *etiam regnatis*, id est vos ipsos bene regitis sine nobis. Hæc omnia ironice, sed amodo serio. *Regnatis* dico (*et utinam* in veritate *regnetis*). Hoc enim cuperem, ut regimine nostro non indigeretis; ita regnetis *ut et nos regnemus vobiscum*, id est ut vos in regno illo dignitate vitæ nos præcederetis. Mallem certe vos præire, et me sequi, quam converso; quia de me certior sum quam de vobis. Iterum ironice : Vos utique regnatis, nos minime; quia *puto quod* vos equidem putatis : hoc scilicet quod *Deus ostendit nos novissimos*, id est deteriores et nullius dignitatis apostolos. Nos dico *tanquam destinatos morti*, id est quia adeo affligimur pro Christo, ut solummodo ad mortem nati videamur : propterea vobis in mundo florentibus, contemptui sumus. Ideo etiam quia *spectaculum facti sumus* huic *mundo* : conveniunt enim omnes ad oppressionem nostri, et mala nostra lusus est eorum. Huic *mundo* dico : nam *et angelis* malis, qui gaudent de afflictione nostri, *et hominibus*. Et ideo nos reputamur stulti; sed hanc stultitiam bonum esset imitari; quia *propter Christum nos stulti, vos autem prudentes in Christo* : quod utique nec estis, nec esse debetis. *Nos infirmi* et imbecilles mundo, *vos autem fortes et* de potentia mundi gloriantes. *Vos nobiles, nos autem ignobiles*. Vel aliter, ut sine ironia legatur : Vellem nos regnare vobiscum. Nam certus sum quod revera regnabimus : puto enim, et hoc utique confido quod Deus ostendit nos novissimos apostolos, id est similes novissimis, id est Enoch et Eliæ; quia tanta patimur modo in principio Ecclesiæ, quanta illi passuri sunt ab Antichristo in fine. Unde idem Paulus ait : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). » Quare etiam Nero dictus est Antichristus, quia quemadmodum iste Enoch et Eliam, sic ille Petrum et Paulum interfecit. Vere novissimi sumus : nam destinati morti; nam spectaculum mundo. Et cætera similiter exponantur, sed ironice. Nos stulti, vos prudentes; vos fortes, nos debiles; hic eadem ironia. Nec solum præmissa mala patimur, sed a principio prædicationis nostræ *usque in hanc horam, et esurimus et sitimus; et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus*, de loco ad locum fugati; *et laboramus operantes manibus nostris*, unde victum habeamus. *Maledicimur* ab impiis, *et* nos *benedicimus* illos. *Patimur persecutionem*, **100** *et sustinemus* alacriter. *Blasphemamur, et obsecramus* impios, ne blasphement, vel Deum, ut ignoscat blasphemantibus. Et adeo sæviunt in nos, *quod facti sumus tanquam purgamenta hujus mundi*. Videtur enim illis quod mundus de nobis polluatur, et per interitum nostrum purgetur. Facti sumus utique *peripsema*, id est purgatio *omnium*; quia jam omnes purgarentur si non essemus, sed de nobis polluuntur. Peripsema dicitur *purgamentum pomi*, vel *spuma ferri* secundum Ambrosium; tales facti sumus a principio mundi *usque adhuc*.

Quia aspere locutus fuerat Corinthiis, incipit eis iterum blandiri, dicens : Licet ironice dixerim vos prudentes, fortes et nobiles, tamen *non scribo hæc ut confundam vos*, et erubescere faciam; *sed moneo vos*, nunc blande, nunc aspere, *ut meos charissimos filios*. Vere *filios*, *nam si habeatis decem millia pædagogorum*, id est magistrorum (etiam fidelium *in Christo*), *tamen non* habetis *multos patres*, secundum fidem : vere non *multos*, nam me solum. *Ego enim genui vos in Christo Jesu, per Evangelium meum*. Et quando quidem ego pater, vos filii. Ergo *rogo vos, fratres, estote mei imitatores*, ut filii patris. *Ideo* enim quia filii estis, et ut imitatores sitis : *misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino*, et huic acquiescite. Misi ideo ut sit *qui vos commonefaciat vias meas*, ut sicut ego, sic et vos, in omni justitia ambuletis : *quæ* viæ *sunt* insistendæ, quia sunt *in Christo Jesu*, et omnis Ecclesia sequitur eas. Quod ita ait : Sicut ego doceo ubique, nec passim in agris, sed in omni Ecclesia. Per hunc Timotheum dicitur Apostolus misisse hanc Epistolam Corinthiis : locutus est superius de baptizatoribus illis, et satis probavit non unum præferendum esse alteri. Causatus est etiam illos de mundana sapientia, quod nimiæ laudis esset apud illos, et de contemptu suo; nunc autem transit ad illud, de fornicatore quodam, qui novercam suam duxerat uxorem : quem ipsi nec a communione Ecclesiæ sejunxerant, nec de peccato fratris condoluerant, sed potius inflabantur inde dicentes : Quod si a bono baptizatus esset, nunquam in tantam peccati foveam rueret, quemadmodum apparebat, in quibus ne similiter peccarent, operabatur justitia baptizatoris. Littera sic jungitur : Ego sollicitus de vobis ut pater de filiis, mitto ad vos Timotheum; sed *quidam de vobis sunt inflati;* et fortasse propter superbiam suam non eum audituri, ideo de superbia hic tangit eos, ut in omni humi-

litate inveniat eos obedisse Timotheo. Inflati utique A estis : sic *tanquam* ego *non sim venturus ad vos*, nec adventum meum reveremini, quem utique vereri vos oportet, nisi vos ipsos correxeritis. Fortasse creditis me non venturum, quia modo mitto Timotheum ; sed scitote quia *cito veniam ad vos :* quod tamen juris non est, et ideo determino, *si Dominus voluerit*, cujus voluntati contraire non licet. Veniam utique *et* tunc *cognoscam*, id est approbabo juxta illud : « Novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II, 19). » Cognoscam utique non *sermonem eorum*, id est non curialitatem et artificium sermonis, cui adhærent hi *qui* per hujusmodi sermonem *inflati sunt ; sed* cognoscam et laudabo in vobis *virtutem*, id est humilitatem, patientiam, etc. Hæc enim laudari debent, non sublimitas sermonis : ideo cogno- B scam virtutem et non sermonem ; *quoniam non in sermone* hujus mundi *est*, id est acquiritur *regnum Dei*, *sed in virtute* integræ fidei et boni operis. Et quod duo vobis proposui sermonem, quem reprobo ; virtutem, quam approbo : *Quid vultis*, id est quid horum eligitis? *veniam ad vos in virga*, id est in asperitate correctionis ; *an* veniam ad vos *in charitate*, id est in lenitate? *Et* adeo quod in *spiritu mansuetudinis*, id est quasi assuetus manui et gaudens deservire vobis? Si in sermone invenero, veniam in virga ; si in virtute, veniam in spiritu charitatis. Videtur ubi ait, *in virga an in charitate*, per hoc innuere, quasi correctio non sit ex charitate, si aspera est ; quod utique falsum est : **101** sed C dicit hoc secundum infirmitatem eorum, qui totum judicabant esse ex ira, quod voluntati carnis contraibat.

CAPUT V.

« Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis for- « nicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem pa- « tris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis : et « non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio « vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens « corpore (*Coloss.* II, 5), præsens autem spiritu, « jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, « in nomine Domini nostri Jesu Christi, congrega- « tis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, « tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum « carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri D « Jesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. « Ne- « scitis, quia modicum fermentum totam massam « corrumpit? » (*Galat.* V, 9.) Expurgate vetus fer- « mentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azy- « mi. Etenim pascha nostrum immolatus est Chri- « stus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, « neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azy- « mis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in epi- « stola : Ne commisceamini fornicariis ; non utique « fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapaci- « bus, aut idolis servientibus : alioquin debueratis « de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis « non commisceri. Sed is qui [si quis] frater nomi- « natur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut « idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut « rapax : cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid « enim mihi est [*non habet* est] de his qui foris sunt « judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judica- « tis? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. Au- « ferte malum ex vobis ipsis. »

EXPOSITIO.

Utique veniendum est ad vos in virga, quoniam *auditur inter vos* esse *fornicatio*. Auditur utique *omnino*, id est secundum infamiam omnium : de quo, quia omnes infamant vos (fama etiam hoc at tulit ad me) non est exspectandus accusator. Nec quæ patienda sit, sed *talis* fornicatio, *qualis nec* auditur *inter gentes*, id est inter gentiles primæ genituræ adhuc adhærentes. Auditur *ita* ut *aliquis de vobis habeat uxorem patris sui*, id est novercam suam duxerit uxorem. Dicerent illi : Quid ad nos? Multum ait Paulus ; quia enim frater peccavit, vos inde *inflati estis* superbientes, quasi melius illo per baptismum justificati ; quia non similiter corruistis. Nec solum inflati, sed etiam *nec habuistis luctum* condolendo casui fratris, *magis*, id est quod eligendum esset vobis non inflari. Nec hoc curæ habuistis, *ut tollatur de medio vestrum*, id est ut a communione Ecclesiæ separetis eum, *qui hoc opus fecit :* qui uxorem patris sibi illicite usurpavit vos præsentes non tulistis eum de medio vestrum, sed *ego absens* utique *corpore*, *præsens autem spiritu*, id est auctoritate apostolica (dicunt etiam sancti, quod Spiritus sanctus nota fecerat ei etiam absentium facta) ; præsens utique spiritu *jam judicavi*, id est condemnavi *eum*, *ut* si *præsens* fierem corpore : eum dico *qui sic operatus est* cum uxore patris judicavi utique : et hoc sciatis me fecisse *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, ne dicatis quod repulsio ejus detrimentum sit Ecclesiæ Christi, qui potius in hoc honoratur, quam Ecclesia ejus minoretur, quæ utique veneno hujus mali inficeretur, si non hic repellatur. Judicavi utique vobis congregatis *tradere hunc Satanæ*. Vel illud, in nomine Domini, ad sequentem litteram respicit, sic : Hoc, inquam, de eo judicavi, ut vobis congregatis in nomine Domini Jesu Christi, *et præsente meo Spiritu*, id est auctoritate mea vobis cooperante

Quid inde diceret impius, si spiritus tuus nobiscum sit? multum utique, ait Paulus. Nam *Spiritu meo* dico manente cum virtute Domini Jesu ; quia virtus Dei mihi, et per me vobis cooperabitur. Judicavi, inquam, oportere vos tradere eum qui hujusmodi est, Satanæ. Tradere Satanæ dicit excommunicare. Quemadmodum enim diabolus omne jus habet in hominem priusquam per fidem justificetur, sic postquam pro culpa a **102** sacramentis Ecclesiæ, quibus armis contra Satanam muniti sumus, separatur, exinde sub jugo Satanæ religatur ; quia nec per se resistere potest, nec fortasse vult, et ab auxilio Dei penitus destituitur. Tradere dico Satanæ *in interitum carnis*, id est ad hoc, ut caro ejus, quæ in peccato jucundata est, sensim intereat afflictione

riorum sentient. Per hæc tria, genus perfectorum: per tria quæ sequuntur, signantur imperfecti. Per ligna accipiuntur hi qui in mundo quidem remanent. Uxores, filios et possessiones habent; quos pensare oportet, quæ uxoris sunt, et filiorum, et ideo plurimum laborare. Nec orationibus Ecclesiæ propter hoc quomodo deberent, possunt interesse. Illi tamen, quia non sic diligunt mundum, ut eum Deo præponant, salvabuntur quidem, sed tamen diu per ignem punientur; quemadmodum lignum longa materia est ignis, et multo spatio comburitur. Per fenum signantur illi, qui aliquandiu quidem affliguntur per ignem, sed velut fenum, quod cito in igne deficit, cito evadent. Per stipulam vero quæ propter ariditatem citius feno comburitur, signantur hi, quorum pœna compendiosa erit in transitu ignis.

Si quis autem ædificat hæc vel hæc, *opus uniuscujusque*, seu sit aurum, seu lignum, vel quodcunque aliud, *manifestum erit*. Et hoc probat. *Nam dies Domini declarabit* hoc opus. Diem Domini vocat ab hora dissolutionis uniuscujusque usque ad judicium. Ex quo enim anima separatur a corpore, dies Domini est in eo, quia nihil jam operari potest præter voluntatem Dei; sed dum homo vivit dies hominis est, et non Dei; quia operatur homo quod sibi placet, bonum vel malum, ex libertate arbitrii. Vere dies Domini declarabit. *Nam in igne revelabitur*, id est palam fiet, opus ejus. Hunc ignem continuum dicit sicut diem. In morte enim hominis paratus est diabolus cum igne et tortoribus suis. Et si quid purgandum est, purgat per adhibitum ignem. Si vero nihil purgationis est opus (ut in beato Martino) ipsa evasio ignis revelat bonitatem sui operis, ut in eo quem torquet non fuisse aliquid sordis. Sed quia nondum plane potest hoc videri, in igne purgatorio singulis singulorum opera revelabuntur. Vere *opus cujusque revelabitur* in *igne*. Nam ignis ille probabit, quale sit opus uniuscujusque, seu sit aurum, seu lignum, vel quodcunque sit. Vere ignis probabit singulorum opus. Nam est et bonum opus et malum; bonum utique. *Si cnim opus alicujus, quod ædificavit* super fundamentum *manserit* illæsum, hic utique *accipiet mercedem* superædificati boni. Malum opus probabit ignis. Nam *si opus alicujus arserit*, id est ardere posse inventum fuerit, ut lignum, fenum, stipula, hic utique *patietur detrimentum* et affligetur per violentiam ignis. Sed licet patiatur detrimentum, *tamen ipse salvus erit*. Sic tamen dico salvum, quasi per ignem transiturum. Prius enim quod dulce committere fuit, puniri oportet per amaritudinem ignis.

Determinavit modo discretiones operum, quæ non destruunt fundamentum, dicens omnes salvandos, qui illud non destruunt: nunc subjungit de operibus his, quæ destruunt fundamentum, et thesaurizant æternum interitum, dicens: *Si quis* non destruit fundamentum, salvabitur; si quis autem *violaverit templum Dei*, *disperdetur*. Sed ut compungat eos, præmittit interrogationem hanc, dicens: *An nescitis quia vos estis templum Dei*; Deus autem sanctificat vos ut sitis sibi templum. *Et* ita dico templum, quod *spiritus Dei* **97** omni assiduitate *habitat in vobis*. Si quis autem violaverit se templum Dei, destruendo fundamentum fidei, vel in se per criminalia, vel in auditoribus docendo falsa, illum utique disperdet Deus in æternum interitum. Et merito qui violat, disperdetur. *Nam templum Dei sanctum est*, et violari non debet, *quod templum vos estis*. Et quia templum Dei estis: propterea videte ne aliquis pseudodoctorum seducat vos per falsam doctrinam, vel nemo nostrum seducat seipsum destruendo fundamentum fidei. *Nemo*, inquam, *seducat se; sed si quis* manens *inter vos videtur* sibi *esse sapiens in hoc sæculo*, id est de sæculari scientia, *fiat stultus*, id est credat et confiteatur se esse stultum, ut sic mereatur esse vere sapiens: vere necesse est eum stultum fieri ut fiat sapiens. Nam *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum*. Et vere stultitia est apud Deum. Nam scriptum est in Job de mundana sapientia sic loquente Deo: *Sapientes mundi* ego *comprehendam*, id est concludam *in* ipsa *astutia eorum* (*Job* v, 13), id est in eo in quo se magis astutos intelligunt, nec resistere poterunt. Et iterum de mundi sapientia scribitur in psalmo: *Dominus novit cogitationes* (*Psal.* XCIII, 11) sapientium. Nostra translatio habet *hominum*, id est humaniter sapientium. Hoc novit de illis *quoniam vanæ sunt*. Quandoquidem hominis sapientia probatur esse stultitia: *itaque nemo* vestrum ulterius *glorietur in hominibus*, id est in his doctoribus, de quibus propter humanam sapientiam gloriamini. Probat non esse gloriandum in his, tum quia servi eorum sunt, qui eis prædicant, etiam ipse idem. De re autem inferiori vel æquali gloriari non licet, sed solummodo de majori se; tum ideo, quia si de Paulo et Cepha non est gloriandum, multo minus de illis carnalibus, quos constat longe esse inferiores istis. Unde ait: Non est gloriandum vobis in hominibus: *nam omnia vestra sunt*, id est servituti vestræ deputata; *sive* etiam sit *Paulus*, *sive Apollo*, *sive* caput eorum *Cephas*, id est Petrus, *sive mundus* vester est: servit enim vobis; etsi ministrat necessaria, et si aspera quælibet ad meritum justitiæ vestræ inferat, *sive vita* vestra est. Nam ut de male actis pœniteamini, et post bene agendo promereamini, præsens vita conceditur vobis, *sive mors* vestra est. Utile enim est amplecti mortem pro Christo, si se ingesserit; *sive præsentia*, *sive futura* bona, vel mala. Vestra sunt vere hæc prædicta: nam *omnia vestra sunt*, *vos autem* solummodo *Christi* estis, in quo solo gloriari debetis. *Christus autem* est *Dei*, non quod Christus ab eo differat in substantia, sed quia per mediantem Christum reducimur ad Deum. Cephas, *caput*; Simon, *obediens*; Barjona, *filius columbæ* dicitur. Quia autem hoc nomen Cephas mutavit ei Deus, et vocavit Pe

trum; inde consuetum est mutare nomina apostolicorum.

CAPUT IV.

« Sic nos existimet homo ut ministros Christi, « et dispensatores ministeriorum [mysteriorum] « Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fi- « delis quis inveniatur? Mihi autem pro minimo est « ut a vobis judicer, aut ab humano die. Sed neque « meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum, sed « non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat « me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus ju- « dicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illu- « minabit abscondita tenebrarum, et manifestabit « consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a « Deo. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, et « Apollo, propter vos : ut in nobis discatis, ne supra « quam scriptum est, unus adversus alterum « [alium] infletur pro alio. Quis enim te discernit? « Quid autem habes quod non accepisti? Si autem « accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Jam « saturati estis, jam divites facti estis. Sine nobis « regnatis. Et utinam regnetis, ut et nos vobiscum « regnemus. Puto enim quod Deus nos apostolos « novissimos ostendit, tanquam morti destinatos; « quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, « et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos « autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos « 98 autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles. « Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, « et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles « sumus, et laboramus operantes manibus nostris. « Maledicimur, et benedicimus; persecutionem pa- « timur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecra- « mus : tanquam purgamenta hujus mundi facti « sumus omnium peripsema usque adhuc. Non ut « confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos « charissimos moneo. Nam si decem millia pæda- « gogorum habeatis in Christo, sed non multos « patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego « vos genui. Rogo ergo vos, fratres, imitatores mei « estote sicut et ego Christi. Ideo misi ad vos Ti- « motheum, qui est filius meus charissimus et « fidelis in Domino; qui vos commonefaciat vias « meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in « omni Ecclesia doceo. Tanquam non venturus sim « ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem « ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam « non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtu- « tem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in « virtute. Quid vultis? In virga veniam ad vos, an « in charitate et spiritu mansuetudinis? »

EXPOSITIO.

Quia modo adeo se humiliaverat Paulus, dicens, et Apollo vestri sunt, ne propterea inflarentur Corinthii, dicit se esse magnæ dignitatis, quia ministros Christi, etc. Littera sic jungitur, licet præmiserim ego Paulus et Apollo vestri sumus : tamen *sic nos existimet homo* quicunque est inter Corinthios, *ut ministros Christi*, id est ut eos qui digni sunt A ministrare Christum et fidem ejus sublilitis; existimet etiam nos *ut dispensatores ministeriorum Dei.* Dispensamus enim ecclesiastica officia, hunc presbyterum, alium diaconum consecrando. Vel dispensatores mysteriorum, id est secretorum Dei : scimus enim et loquimur fidelibus consilia Dei. Propterea dico, *sic nos existimet homo;* quia *hic*, id est in hac Ecclesia Corinthiorum jam, id est ante opportunum tempus judicii. In hoc enim mundo quia occulta sunt opera, judicare non licet. Vel hic, id est hac occasione qua dixi nos debere existimari ministros et dispensatores; propterea jam *quæritur inter dispensatores*, *quis* eorum *inveniatur* ut *fidelis*, id est perfectus; et cujus justitia conferat discretum aliquid baptizatis suis. Ut fidelis dictum est : sicut B ibi, « habitu inventus ut homo (*Phil.* II, 7). » Sed quidquid alii dispensatores sentiant, ego tamen hoc respondeo : Quia *mihi pro minimo est* et parvipendo, *ut a vobis judicer*, id est ut vos me condemnetis; *aut* ut judicer *ab humano die*, id est ab homine, qui etiam propter subtilitatem ingenii dies dicatur. Vos me nescitis judicare, *sed neque ego ipse judico*, id est, reprehendo *meipsum* in aliquo; ideo *quia nihil conscius sum mihi*, et sicut scientia mea non invenit quid judicet; multo minus vos qui occulta conscientiæ scrutari non potestis. Sed licet conscientia mea nullius accuset me; *tamen non in hoc justificatus sum*, quia fortasse quædam æstimo bona, quæ de radice mala pullulant. Nec homo, nec ipsa conscientia mea judicare me potest; sed ille *qui judicat*, id est, qui judicandi me potestatem habet, *Dominus est*, et præter eum nemo hoc potest. Et quando quidem Deus solus judicare potest, homo vero non, quia nec seipsum satis intelligit. *Itaque nolite judicare me*, vel alium *ante tempus*, id est, nunc cum adhuc occulta latent, *quoadusque veniat Dominus* ad judicium : *qui* utique veniet, et *illuminabit*, id est palam faciet, *abscondita tenebrarum*, id est peccatorum, quia inter peccata quædam latent absconsa. Qui etiam *manifestabit consilia cordium*, id est opera bona, quæ ex consilio et deliberatione recti cordis facta sunt, *et tunc* in adventu illo *unicuique* qui ex consilio cordis recte egit, *erit laus a Domino.*

Quod supra ait Corinthios dicere : Ego sum Pauli, ego sum Apollo, exponit hic quomodo figurative hoc dixerit, significando illos de quibus gloriabantur per nomen suum, et per Apollo quod utique fecit in exemplum humilitatis. Unde sic ait : Quod supra posui vos dicere, ego sum Apollo, 99 ego Pauli, non ideo sic feci quod de nobis gloriari remini; sed, o *fratres*, *ego transfiguravi*, id est transtuli, hæc *in me*, figurative loquens, dum nomina nostra illis pseudo attribuebam. Hæc utique transfiguravi in me *et in Apollo*, et hoc *propter vos* insinuandos, *ut* vos *discatis in nobis*, ne unus infletur adversus alterum pro se facto alio, id est digniori quam alter sit per meritum sui baptizatoris. Vel pro alio, id est pro justiori doctore quem habuit.

Ne inflemini dico, agentes quod supra. Scriptum est superius, ut qui gloriatur, non in merito hominis, sed in Domino glorietur; non debes inflari adversus alterum : quis enim est qui te discernit ab alio, sciens merita singulorum? Stultus utique est, qui te discernere præsumit. Iterum non debes inflari; quia *quid habes* tu ab illo doctore de quo gloriaris *quod non accepisti* a me? Magis utique a me accepisti, quia fidem, quam ab illo. Iterum non debes inflari; quia *si accepisti* a me, *quid de* alio *gloriaris quasi non acceperis* a me quod ab illo? magis utique a me. Vel aliter : Noli inflari, quia quis est qui te discernit a massa perditorum in Adam, ut faciat te vas in honorem nisi Deus solus? Nemo utique, iterum ne infleris; quia quid habes tu boni ab aliquo, quod non accepisti a Deo? Deus totius boni est largitor. Iterum non debes inflari; quia si tu accepisti aliquid a Deo, quid gloriaris inde, ascribens hoc merito hominis, quasi non acceperis illud a Deo? Dico ne gloriemini, sed male dico; quia vos merito debetis gloriari : *jam* enim *estis saturati*, id est satis habetis bona in vobis; *jam* etiam *facti estis divites*, habentes quod dividatis singulis; *etiam regnatis*, id est vos ipsos bene regitis sine nobis. Hæc omnia ironice, sed amodo serio. *Regnatis* dico (*et utinam* in veritate *regnetis*). Hoc enim cuperem, ut regimine nostro non indigeretis; ita regnetis *ut et nos regnemus vobiscum*, id est ut vos in regno illo dignitate vitæ nos præcederetis. Mallem certe vos præire, et me sequi, quam converso; quia de me certior sum quam de vobis. Iterum ironice : Vos utique regnatis, nos minime; quia *puto quod* vos equidem putatis : hoc scilicet quod *Deus ostendit nos novissimos*, id est deteriores et nullius dignitatis apostolos. Nos dico *tanquam destinatos morti*, id est quia adeo affligimur pro Christo, ut solummodo ad mortem nati videamur : propterea vobis in mundo florentibus, contemptui sumus. Ideo etiam quia *spectaculum facti sumus* huic *mundo*: conveniunt enim omnes ad oppressionem nostri, et mala nostra lusus est eorum. Huic *mundo* dico : nam *et angelis* malis, qui gaudent de afflictione nostri, *et hominibus*. Et ideo nos reputamur stulti; sed hanc stultitiam bonum esset imitari; quia *propter Christum nos stulti, vos autem prudentes in Christo :* quod utique nec estis, nec esse debetis. *Nos infirmi* et imbecilles mundo, *vos autem fortes et* de potentia mundi gloriantes. *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Vel aliter, ut sine ironia legatur : Vellem nos regnare vobiscum. Nam certus sum quod revera regnabimus : puto enim, et hoc utique confido quod Deus ostendit nos novissimos apostolos, id est similes novissimis, id est Enoch et Eliæ; quia tanta patimur modo in principio Ecclesiæ, quanta illi passuri sunt ab Antichristo in fine. Unde idem Paulus ait : « Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11). » Quare etiam Nero dictus est Antichristus, quia quemadmodum iste Enoch et Eliam, sic ille Petrum et Paulum interfecit. Vere novissimi sumus : nam destinati morti; nam spectaculum mundo. Et cætera similiter exponantur, sed ironice. Nos stulti, vos prudentes; vos fortes, nos debiles; hic eadem ironia. Nec solum præmissa mala patimur, sed a principio prædicationis nostræ *usque in hanc horam, et esurimus et sitimus; et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus*, de loco ad locum fugati; *et laboramus operantes manibus nostris*, unde victum habeamus. *Maledicimur* ab impiis, *et* nos *benedicimus* illos. *Patimur persecutionem*, **100** *et sustinemus* alacriter. *Blasphemamur, et obsecramus* impios, ne blasphement, vel Deum, ut ignoscat blasphemantibus. Et adeo sæviunt in nos, *quod facti sumus tanquam purgamenta hujus mundi.* Videtur enim illis quod mundus de nobis polluatur, et per interitum nostrum purgetur. Facti sumus utique *peripsema*, id est purgatio *omnium;* quia jam omnes purgarentur si non essemus, sed de nobis polluuntur. Peripsema dicitur *purgamentum pomi*, vel *spuma ferri* secundum Ambrosium; tales facti sumus a principio mundi *usque adhuc.*

Quia aspere locutus fuerat Corinthiis, incipit eis iterum blandiri, dicens : Licet ironice dixerim vos prudentes, fortes et nobiles, tamen *non scribo hæc ut confundam vos*, et erubescere faciam; *sed moneo vos*, nunc blande, nunc aspere, *ut* meos *charissimos filios.* Vere *filios*, *nam si habeatis decem millia pædagogorum*, id est magistrorum (etiam fidelium *in Christo*), *tamen non* habetis *multos patres*, secundum fidem : vere non *multos*, nam me solum. *Ego enim genui vos in Christo Jesu, per Evangelium meum.* Et quando quidem ego pater, vos filii. Ergo *rogo vos, fratres, estote mei imitatores*, ut filii patris. *Ideo* enim quia filii estis, et ut imitatores sitis : *misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino*, et huic acquiescite. Misi ideo ut sit *qui vos commonefaciat vias meas*, ut sicut ego, sic et vos, in omni justitia ambuletis : *quæ* viæ *sunt* insistendæ, quia sunt *in Christo Jesu*, et omnis Ecclesia sequitur eas. Quod ita ait : Sicut ego doceo ubique, nec passim in agris, sed in omni Ecclesia. Per hunc Timotheum dicitur Apostolus misisse hanc Epistolam Corinthiis : locutus est superius de baptizatoribus illis, et satis probavit non unum præferendum esse alteri. Causatus est etiam illos de mundana sapientia, quod nimiæ laudis esset apud illos, et de contemptu suo; nunc autem transit ad illud, de fornicatore quodam, qui novercam suam duxerat uxorem : quem ipsi nec a communione Ecclesiæ sejunxerant, nec de peccato fratris condoluerant, sed potius inflabantur inde dicentes : Quod si a bono baptizatus esset, nunquam in tantam peccati foveam rueret, quemadmodum apparebat, in quibus ne similiter peccarent, operabatur justitia baptizatoris. Littera sic jungitur : Ego sollicitus de vobis ut pater de filiis, mitto ad vos Timotheum; sed *quidam de vobis sunt inflati;* et fortasse propter superbiam suam non eum audituri, ideo de superbia hic tangit eos, ut in omni humi-

litate inveniat eos obedisse Timotheo. Inflati utique A estis : sic *tanquam* ego *non sim venturus ad vos*, nec adventum meum reveremini, quem utique vereri vos oportet, nisi vos ipsos correxeritis. Fortasse creditis me non venturum, quia modo mitto Timotheum ; sed scitote quia *cito veniam ad vos :* quod tamen juris non est, et ideo determino, *si Dominus voluerit*, cujus voluntati contraire non licet. Veniam utique *et* tunc *cognoscam*, id est approbabo juxta illud : « Novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II, 19). » Cognoscam utique non *sermonem eorum*, id est non curialitatem et artificium sermonis, cui adhærent hi *qui* per hujusmodi sermonem *inflati sunt ; sed* cognoscam et laudabo in vobis *virtutem*, id est humilitatem, patientiam, etc. Hæc enim laudari debent, non sublimitas sermonis : ideo cognoB scam virtutem et non sermonem ; *quoniam non in sermone* hujus mundi *est*, id est acquiritur *regnum Dei*, *sed in virtute* integræ fidei et boni operis. Et quod duo vobis proposui sermonem, quem reprobo ; virtutem, quam approbo : *Quid vultis*, id est quid horum eligitis? *veniam ad vos in virga*, id est in asperitate correctionis ; *an* veniam ad vos *in charitate*, id est in lenitate? *Et* adeo quod in *spiritu mansuetudinis*, id est quasi assuetus manui et gaudens deservire vobis? Si in sermone invenero, veniam in virga ; si in virtute, veniam in spiritu charitatis. Videtur ubi ait, *in virga an in charitate*, per hoc innuere, quasi correctio non sit ex charitate, si aspera est ; quod utique falsum est : **101** sed C dicit hoc secundum infirmitatem eorum, qui totum judicabant esse ex ira, quod voluntati carnis contraibat.

CAPUT V.

« Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis for- « nicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem pa- « tris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis : et « non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio « vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens « corpore (*Coloss.* II, 5), præsens autem spiritu, « jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, « in nomine Domini nostri Jesu Christi, congrega- « tis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, « tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum « carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri D « Jesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. « Ne- « scitis, quia modicum fermentum totam massam « corrumpit? » (*Galat.* V, 9.) Expurgate vetus fer- « mentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azy- « mi. Etenim pascha nostrum immolatus est Chri- « stus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, « neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azy- « mis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in epi- « stola : Ne commisceamini fornicariis ; non utique « fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapaci- « bus, aut idolis servientibus : alioquin debueratis « de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis « non commisceri. Sed is qui [si quis] frater nomi- « natur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut « idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut « rapax : cum hujusmodi nec cibum sumere. Quid « enim mihi est [*non habet* est] de his qui foris sunt « judicare? Nonne de his qui intus sunt vos judica- « tis? Nam eos qui foris sunt Deus judicabit. Au- « ferte malum ex vobis ipsis. »

EXPOSITIO.

Utique veniendum est ad vos in virga, quoniam *auditur inter vos* esse *fornicatio*. Auditur utique *omnino*, id est secundum infamiam omnium : de quo, quia omnes infamant vos (fama etiam hoc ad tulit ad me) non est exspectandus accusator. Nec quæ patienda sit, sed *talis* fornicatio, *qualis nec* auditur *inter gentes*, id est inter gentiles primæ genituræ adhuc adhærentes. Auditur *ita ut aliquis de vobis habeat uxorem patris sui*, id est novercam suam duxerit uxorem. Dicerent illi : Quid ad nos? Multum ait Paulus ; quia enim frater peccavit, *vos* inde *inflati estis* superbientes, quasi melius illo per baptismum justificati ; quia non similiter corruistis. Nec solum inflati, sed etiam *nec habuistis luctum* condolendo casui fratris, *magis*, id est quod eligendum esset vobis non inflari. Nec hoc curæ habuistis, *ut tollatur de medio vestrum*, id est ut a communione Ecclesiæ separetis eum, *qui hoc opus fecit :* qui uxorem patris sibi illicite usurpavit vos præsentes non tulistis eum de medio vestrum, sed *ego absens* utique *corpore*, *præsens autem spiritu*, id est auctoritate apostolica (dicunt etiam sancti, quod Spiritus sanctus nota fecerat ei etiam absentium facta) ; præsens utique spiritu *jam judicavi*, id est condemnavi *eum*, *ut* si *præsens* fierem corpore : eum dico *qui sic operatus est* cum uxore patris judicavi utique : et hoc sciatis me fecisse *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, ne dicatis quod repulsio ejus detrimentum sit Ecclesiæ Christi, qui potius in hoc honoratur, quam Ecclesia ejus minoretur, quæ utique veneno hujus mali inficeretur, si non hic repellatur. Judicavi utique vobis congregatis *tradere hunc Satanæ*. Vel illud, in nomine Domini, ad sequentem litteram respicit, sic : Hoc, inquam, de eo judicavi, ut vobis congregatis in nomine Domini Jesu Christi, *et præsente meo Spiritu*, id est auctoritate mea vobis cooperante

Quid inde diceret impius, si spiritus tuus nobiscum sit? multum utique, ait Paulus. Nam *Spiritu meo* dico manente cum virtute Domini Jesu ; quia virtus Dei mihi, et per me vobis cooperabitur. Judicavi, inquam, oportere vos tradere eum qui hujusmodi est, Satanæ. Tradere Satanæ dicit excommunicare. Quemadmodum enim diabolus omne jus habet in hominem priusquam per fidem justificetur, sic postquam pro culpa a **102** sacramentis Ecclesiæ, quibus armis contra Satanam muniti sumus, separatur, exinde sub jugo Satanæ religatur ; quia nec per se resistere potest, nec fortasse vult, et ab auxilio Dei penitus destituitur. Tradere dico Satanæ *in interitum carnis*, id est ad hoc, ut caro ejus, quæ in peccato jucundata est, sensim intereat afflictione

morborum. Diabolus enim postquam videt hominem sine Deo, debilitatum, libere aggreditur eum, et per varios morbos vexat carnem ejus. Quod ideo Deus patitur, ut homo videns se, postquam a Deo recessit, per tot morbos angustiatum, confiteatur peccatum, et pœnitendo revertatur ad Deum, *ut spiritus ejus salvus sit*. Vel ita : Tradere Satanæ in interitum ; quia postquam non protegitur sacramentis Ecclesiæ, de malo quotidie præcipitatur in pejus : qui interitus animæ est, carnis, id est per carnem cui consentit male suadenti. Nec ideo tradere ut perpetuo percat, sed ut, dum mole peccatorum premitur, condolens de peccatis pœniteat, et sic spiritus ejus salvus sit *in die*, id est in illuminatione *Domini nostri Jesu Christi*. Tunc enim Christus illuminat eum, cum pœnitendi desiderio fervescit. Quod utique videndum est Ecclesiæ prælatis, ut ea intentione reos excommunicent qua Paulus, scilicet, ut spiritus eorum salventur. Quandoquidem luctum non habuistis, nec eum de medio vestrum tulistis, inde apparet quod gloriatio vestra non est bona. Malum est enim eum de justitia gloriari, qui et salutem proximi negligit, et se morbo ejus inficit. Vere non bene gloriamini, quia an *nescitis* vos *quod modicum fermentum* si fuerit acidum *totam* pastæ *massam corrumpit* factam acidam? Sic et iste (modicum quid secundum numerum Ecclesiæ) corrumpit totam Ecclesiam, factam ream ex cohabitatione hujus cui participavit. Quandoquidem fermentum hoc Ecclesiæ massam corrumpit, ergo auferendo hunc et omne malum de medio vestrum, *expurgate fermentum*, id est inflationem vestram. Et si quod aliud scilicet peccatum est expellendum. *Fermentum* dico *vetus*. Nisi enim vos purgaveritis, estis membra veteris hominis. Expurgate itaque, *ut sitis conspersio*. Farina per aquam conglutinata sine fermento dicitur *conspersio*. Humanitas autem nostra quæ per se sterilis est et arida, per farinam siccam accipitur, quæ rore Spiritus sancti in baptismo conglutinatur, ut ariditate depulsa, fructum faciat; quemadmodum farina per aquam copulatur, ut utilitatem habeat. *Sitis*, inquam, *conspersio nova*, id est facti membra novi Adæ, scilicet Christi qui vos per Spiritum sanctum renovavit. Nunc estote nova conspersio *sicut* prius in baptismo *fuistis azymi*, id est sine fermento totius peccati. Bonum est enim sic vos modo per pœnitentiam (quæ est alter baptismus) purgari, sicut prius per baptismum purgati fuistis. Azymus Græce, *sine fermento* dicitur Latine. Zymus est fermentum *a* sine, ut ibi acephali, id est *sine capite*. Vos utique expurgare debetis : *etenim Christus immolatus est* in ara crucis : quod Christus est *nostrum pascha*, id est noster transitus de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem ; per quem nunc tandem nos purgare possumus, qui prius sub jugo diaboli vincti, non poteramus.

Hic mittit nos ad historiam ubi filii Israel, ut a plaga Ægypti liberarentur, sanguine immolati agni postes linire jubentur (*Exod.* XII, 7) : post cujus agni immolationem de Ægyptiaca servitute liberati, transeunt ad terram repromissionis. Hoc enim festum immolationis agni paschæ dicitur apud eos ; pascha apud Græcos, transitus apud nos. Ille utique agnus verum Agnum in quo macula non fuit, Christum significavit, per cujus sanguinem effusum liniuntur mentes nostræ, et sic liberamur a plaga percutientis angeli ; ad esum cujus agni quotidie convenit Ecclesia, per hoc transitura ad veritatem rei, qua nunc utitur sub specie panis et vini, quorum licet species maneat, credimus tamen revera transire in veram substantiam corporis et sanguinis Christi : per hæc transituri in æternitatem. *Epulemur* dico *non* manentes **103** *in veteri fermento*, sed *neque in fermento malitiæ* in nobismetipsis habitæ ; *nec* in fermento *nequitiæ*, ut ne quid agamus contra proximum, *sed* manentes *in azymis*, id est in humilitate, *sinceritatis*, id est puritatis conservatæ in nobis, et veritatis ne fraudemus proximum. Paulus jam ante de vitanda fornicatione scripserat Corinthiis ; sed dicta ejus, male interpretantes, existimabant quod de gentibus vitandis, cum fornicarentur, præciperet. Nunc autem per hoc quod jam de hoc crimine scripserat illis, eos reprehendit, et quomodo scripturam quam miserat intelligere deberent, insinuat, dicens : Jure utique arguo vos de hoc, quod non tulistis fornicatorem illum de medio vestrum. Ego enim *scripsi vobis* in Epistola jam missa, quod *non commisceamini fornicariis*, non utique præcipiens hoc de fornicariis hujus mundi, id est de gentibus qui non Deum sed mundum sequuntur. Scripsi etiam vobis ne commisceamini *aut avaris, aut rapacibus, aut serrientibus idolis*, id est his qui vel ad culturam idoli redeunt, vel qui idolis immolata sub veneratione idoli comedunt. Vere non de fornicariis gentilium hoc prohibui : *alioquin enim*, id est si aliter agens, de gentilibus vitandis hoc præceptum darem ; jam si obedire velletis, *debueratis exisse de hoc mundo*, id est melius esset vobis mori negligendo quæcunque mundus habet, quam propter timorem aliter agentes communicetis fornicariis : olim scripsi, male intellexistis, sed nunc determino vobis quod scripsi non debere vos commisceri cum ejusmodi. Quod sic intelligendum est : *Si is qui frater est in fide, nominatur fornicator, aut avarus, aut serviens idolis* cultu, vel comedendo idolothytum sub veneratione, *aut maledicus, aut ebriosus*, id est consuetus detractioni et ebrietati, *aut rapax* nominatur *cum* illo qui est *ejusmodi*, ut omnem communionem excludam : quod levius videtur prohibeo scilicet *nec cibum sumere*. Notat beatus Augustinus in eo ubi ait : si nominatur et non dixit si est, hoc intellexisse Apostolum ; quia si frater est criminis reus, et latet culpa ejus, non debet excommunicari. De incertis enim non est habendum judicium, sed de crimine quod manifestatum et comprobatum est ; et ideo dixit *nominatur*. De hoc utique non judicandus est reus. Vere de fratribus debemus judicare : nam

quid mihi, id est quid ad me pertinet et ad Ecclesiam *de his qui foris sunt*, id est, de gentilibus judicare? nihil utique. Et quod de his qui extra Ecclesiam sunt judicare non licet, *nonne vos judicatis*, id est judicare debetis, *de his qui intus sunt*, in Ecclesia. Vere de his qui intus sunt, judicatis tantum. *Nam eos qui foris sunt*, id est gentiles, *Deus judicabit*, et ad vos nihil pertinet de illis. Quandoquidem de fidelibus judicandum est vobis : igitur *auferte malum* fornicatoris fratris *ex vobis*, quod nisi auferatis : jam *ipsis*, id est, jam culpa ejusdem criminis vos contaminatis.

CAPUT VI.

« Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis. Nescitis quoniam angelos judicabimus, quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles [contendibiles] qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre judicio contendit : et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed vos magis injuriam facitis et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque **104** ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem [aliquando] fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri et venter escis : Deus autem et hunc et hanc destruet. Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. Deus vero et Dominum suscitavit et nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una (*Gen.* II, 24 : *Ephes.* V, 31 ; *Matth.* XIX, 5). Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt (*II Cor.* VI, 16). Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno (*I Petr.* I, 18), glorificate et portate Deum in corpore vestro. »

EXPOSITIO.

Hac occasione, quia de judiciis incœpit, transit, ut mala ex judiciis provenientia corrigat in Corinthiis. Si quis enim eorum auferret quidquam alteri, non ille patienter hoc tolerabat, sed impatiens fratrem ad causam compellebat, nec coram ecclesiasticis judicibus, sed spretis illis, coram sæcularibus fraudem etiam faciebat fratri, dando munus judici ad oppressionem fratris. Littera sic jungitur : Judicare quidem vobis licet de fratribus, sed non eo modo quo intemperanter audetis apud iniquos. Vel ita : Auferre malum ex vobis, bonum est. Sed quare *audet aliquis vestrum*. Ubi ait, *audet*, notat esse peccatum hujusmodi ausum. Cur, inquam, audet aliquis vestrum *habens negotium*, id est querelam de sæcularibus rebus *adversus alterum* fratrem, *judicare*, id est inire judicium cum fratre, *apud iniquos* judices, id est sæculares, *et non apud sanctos*, id est fideles Ecclesiæ judices?

Dicerent illi : Timemus inquietare sanctos ab orationibus suis. Non utique (ait Paulus), quia *an nescitis* vos, *quod sancti* in futuro judicio *judicabunt de hoc mundo? Et si in vobis*, id est in comparatione vestri *judicabitur* hic *mundus* in ultimo judicio, an *estis indigni qui* hic *judicetis de minimis* ad comparationem futurorum, scilicet de temporalibus Ecclesiæ rebus? Et sicut homines, sic etiam dæmones in similitudine nostra judicabuntur ; quia an *nescitis* vos, *quia* apostatas *angelos judicabimus*, comparatione vestri. Quod si angelos, *quanto magis sæcularia* licet judicare? Homines judicabuntur mali in comparatione bonorum, quia cum ejusdem conditionis fuerint, nec idem cum bonis operati sint, hæc sola comparatio sententia damnationis eorum est.

Dæmones duplici modo in similitudine justorum damnabuntur, tum quia firmiores naturæ quam homo creati sunt, nec in bono perstiterunt : tum quia semper invident justis, nec eos superare queunt. Pro hujus pugnæ victoria justi damnabunt malos angelos. Nunc iterum ironice reprehendit eos de hoc, quod insipientes constituebant judices : qua de re fiebat, ut causæ Ecclesiarum transferrentur ad sæculares. Quandoquidem (sicut probatum est) Ecclesia judicare debet inter fratres : igitur *si habueritis sæcularia judicia*, id est lites inter vos pro temporalibus rebus. Per illud notat melius esse, si non haberent hujusmodi judicia. Si, inquam, habueritis hæc judicia, *constituite* illos *ad judicandum*, id est præficite vobis illos in judices, qui sunt *contemptibiles*, id est insipientiores, *in Ecclesia*. Et hoc ironice dicit, quia sic eos facere sciebat. Et hoc quod dico, *contemptibiles constituite ad judicandum*, hoc *dico ad vestram verecundiam*, non præcipiendo ut faciatis sed memorando quod facitis, ut verecundiam habeatis. Nam cum ita facitis an *sic*, id est, adeo insipientes facti estis ; *quod non est inter vos* quisquam sapiens **105** *qui possit judicare inter fratrem et fratrem?* sed quia adeo omnes desipuistis : ideo *frater contendit cum fratre, judicio*, id est, per causam. Nec

malum contentionis sufficit : sed etiam *hoc* fit *apud* A *infideles* judices, penuria ecclesiasticorum judicum. Quo quidem ex judicio hoc malum evenit : quod contenditis vicissim, et jura Ecclesiæ ad infideles refertis. Jam certe propterea *omnino*, id est, sicut omnibus patet, *delictum est in vobis*. De hoc quod judicia habetis inter vos. Melius enim esset non reclamare sua, quam ex reclamatione tot mala provenire Ecclesiæ. Et quia delictum est inter vos fieri judicia, *quare non magis accipitis*, id est, sine reclamatione toleratis, *injuriam* ejus qui vestra tollit aperte? Et *quare non magis patimini fraudem*, id est occultum damnum fratris circumventione factum, quam de reclamatione vestra sic vilescat Ecclesia? Bonum esset vos pati injuriam a fratre illata, quia non solum non patimini, *sed* etiam *vos* B *facitis* ei *injuriam*, re auferendo sua. *Et* etiam *fraudatis*, id est, occulte judicem prævenitis munere vestro ad oppositionem [oppressionem] fratris : et hoc totum facitis non extraneis, *sed fratribus*, quos supportare deberetis. Et hoc facientes fratribus inique agitis. Sed *an nescitis* vos, *quia iniqui non possidebunt regnum Dei?* Propterea ne a regno Dei alieni sitis, nolite errare fraudando et injuriando fratribus. Vere iniqui non possidebunt : *nam neque fornicarii, neque qui serviunt idolis, neque adulteri, neque molles* qui patiuntur, *neque concubitores masculorum* qui agunt, *neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.*

Ne modo Corinthii deterrerentur his, et desperarent : quia fortasse ad hæc post baptismum redierant, consolatur eos Paulus blandiendo eis ; unde ait : Nolite terreri præmissis : *vos quidem et hæc fecistis* quæ præmisi ; *sed abluti estis* ab his in baptismo, *sed* etiam *sanctificati estis*, id est confirmati donis sancti Spiritus, *sed estis justificati* possessione virtutum in nomine Domini nostri, id est Patris : et *in nomine Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri*, qui ab utroque procedit, quæ nobis commemorata sunt in baptismo. Quia dixerat superius : *Quare non magis injuriam accipitis*, dicerent illi : Nonne licet nobis repetere nostra? determinat Paulus : quia quædam sunt, quæ sic licent, ut melius prosint dimissa, et hæc sunt res temporales. Quædam sunt quæ sic licent, ut judicium eorum dimitti non debeat, et D hæc sunt criminalia, quæ animam occidunt. Littera sic jungitur : Licet dixerim accipite injuriam magis quam reclametis, scio tamen quod *mihi* et unicuique vestrum *licent* hæc *omnia*, id est repetere sua, causam inire cum fratre, etc. ; *sed* quamvis liceant, tamen hæc *omnia non expediunt*, id est non expeditos ad bona nos faciunt, imo impeditos. Idem iterum nunc subdit aliam causam : *Omnia mihi licent, sed* tamen *ego* propterea *non redigar sub potestatem ullius* judicis, aut alicujus rei ut magis charam habeam illam, quam pacem fratris. Vel ita : Ego non redigar sub potestatem ullius judicis, ut præmio, vel aliquo obsequio præveniam eum ad oppressionem fratris. Nec solum hæc licita dimittenda sunt, sed etiam necessaria corporibus, pro quibus similiter non debet frater inquietari, ut pro *esca*, quæ utique paratur *ventri, et venter* sustentatur *escis*. Sed licet adeo necessaria sit, tamen non est litigandum pro hac : quia *Deus et hunc* ventrem *et has* escas *destruet*. Pro his temporalibus, quia cito transeunt, nec damnant animam non repetita, ne curetis habere judicium, sed fornicationem illam non patimini indemnatam. Quod sic jungitur. Esca debetur ventri, sed corpus non debetur *fornicationi ; sed Domino* servire debet per omnia : *et Dominus* debetur *corpori* ibi servienti : quia cum per se nudum sit, vestit eum Deus ornamento virtutum si servierit Domino. Vere Dominus bene faciet corpori : nam *Dominus suscitabit nos* in incorruptionem : sed hujus rei probationem præmittit dicens. Vere Deus suscitabit nos : *nam* ipse *suscitavit* jam **106** *Dominum Jesum*, in quo carnem nostram suscitavit : et hoc in nobis perficiet. Et si quæris quomodo suscitet? scito quia *per virtutem suam*. Hoc dicit ad comprimendum Corinthios, qui de resurrectione dubitabant : quod in sequentibus declarabitur. Dixit causam quare corpus debeatur Deo : subdit causam quare non debeatur fornicationi, dicens : Corpus non est subdendum fornicationi : quia an *nescitis* vos *quoniam* non solum animæ, sed etiam *corpora vestra membra Christi sunt?* Anima membrum est Christi, quia per rationem figit oculos interiores in admirationem Dei. Corpus membrum C est Christi : dum per manum ministrat pauperi, pedibus visitat infirmum, etc. Et quando quidem membra Christi sumus : *ergo tollens membra Christi, faciam* ea *membra meretricis? Absit* hoc. Possunt utique fieri membra meretricis : quia *an nescitis* vos *quod qui adhæret meretrici, efficitur unum corpus cum illa?* Duobus modis adhærens meretrici corpus ejus efficitur : uno per illam commistionem carnis, per quam in quamdam unitatem astringuntur ; altero fit participatione peccati. Quod per conjunctionem carnis unum corpus efficiantur probat, quia de hoc magis ambigebatur, vere unum corpus efficiuntur : nam Moyses dicit in Genesi : « Erunt duo in carne una (*Gen.* II, 24). » Hoc tamen de legitimo matrimonio dixit : sed eadem conjunctio et identitas carnis fit in copula adulterii, sicut in matrimonio. Qui adhæret meretrici fit unum corpus cum illa, sed *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, id est unitur Domino in identitate spiritus. Et quia tantum malum fornicationis est, propterea *fugite fornicationem.*

Notandum est quod ait : Fugite fornicationem ; hoc enim peccatum non est exspectandum : sed antequam veniat, quibus adjumentis possumus ab eo fugiendum est : difficile enim est evadere ab ea postquam igneas sagittas fornicatio intorsit. et ideo dixit, fugite, et non exspectate : quia ubi aliquos accessus habet, non est hominis inde eam expellere. Subdit causam quare fugienda sit fornicatio, di-

cens : Ideo utique fugere debetis fornicationem. Nam *omne* aliud *peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est : sed* ille *qui fornicatur, peccat intra corpus suum.* Sunt utique quædam peccata, quæ penitus nullam delectationem afferunt carni : ut homicidium. Manus enim si occidit, non in eo delectationem sentit. Sunt tamen quædam alia in quibus delectatur caro, ut quando cibus bene respondet palato : vel quando videtur quod oculos pascit, auditur quod jucundum est auribus, et hujusmodi. Sed tamen hæc omnia dicuntur esse extra corpus, ad comparationem fornicationis : quia qui fornicatur, peccat intra corpus suum : quia ipsa anima transit eo actu in ipsam carnalitatem : in hoc enim omnis sensualitas consentit et cooperatur, et in ipsam carnem transit. Vel aliter, secundum Ambrosium, ut fornicationem hic de adulterio solum intelligamus : *Fugite fornicationem*, id est adulterium : quia omne aliud peccatum est extra corpus, id est extra uxorem : sed qui fornicatur peccat in, id est contra, corpus suum, id est contra uxorem suam : quia pro peccato fornicationis uxor potest separari ab eo, et non propter aliud. Corpus viri dicitur uxor : quia cum maritus et uxor unum corpus efficiantur, vir quidem caput est, mulier autem portio viri in eodem corpore. Vel aliter secundum novitatem quorumdam : et videbitur hæc sententia continuari ad illud, quod prius dixerat, fornicatorem illum ejiciendum ab Ecclesia. Omne peccatum quodcunque fecerit aliquis homo, id est utens ratione, illud est extra corpus, id est extra Ecclesiam, quæ capitis Christi corpus est : quia quæ ratione utens facit, venialia sunt : et propter hæc non separatur ab Ecclesia : sed ille qui fornicatur, peccat in corpus suum, id est contra Ecclesiam, cujus corporis membrum est : pro peccato enim fornicationis ab Ecclesia separatur. Iterum causa quare fugiant fornicationem, propterea fornicatio fugienda est : quia *an nescitis quod mem-* **107** *bra vestra templum sunt Spiritus sancti*, id est Spiritus sanctus membris vestris utitur, dum per manum nostram eleemosynam dat pauperi. Pedibus itur ad visitationem infirmi. Et quia membris vestris sic utitur Spiritus in administratione sua, nolite illum fornicando expellere a vobis. Iterum ideo, quia qui Spiritus in vobis est assidua mansione, nec ideo iterum repellatis eum, quia quem Spiritum habetis a Deo, ipse enim dator satis vobis commendabile facit donum suum. Et pro tot causis nolite membra vestra subdere fornicationi. An etiam ignoratis quod vos non estis vestri juris, sed Dei? Qui enim alterius est, imperio ejus mancipare se debet. Vere non estis vestri, *estis enim empti*, et ejus servi estis, qui vos emit. Nec empti levi *pretio* sed *magno;* quia sanguine Christi. Et ideo nolite fornicari, sed *glorificate Deum.* Glorificare Deum est munditia vitæ Dei gloriam nuntiare. Qui enim videt justitiam justi, glorificat Deum, causa cujus et adjutorio sic vivit. *Glorificate* dico, *et portate* Deum. Portare Deum est onus totius adversitatis, quæ causa Dei infertur, sustinere patien-

A ter : et exemplo patientiæ Deum ad alios portare, qui, visa patientia hujus, gaudeant contumeliam pati pro nomine Christi (*Act.* v, 41). *Portate* dico Deum non solum in anima, sed etiam *in corpore vestro*, ut munditia corporis vestri digna sit portare jugum Christi.

CAPUT VII.

« De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est « homini mulierem non tangere ; propter fornicatio- « nem autem unusquisque suam uxorem habeat, et « unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum « reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui « corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter « autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed « mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex con- B « sensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum « revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas pro- « pter incontinentiam vestram. Hoc autem dico se- « cundum indulgentiam, et non secundum imper- « rium. Volo autem omnes vos homines esse, sicut « meipsum. Sed unusquisque proprium donum ha- « bet ex [*al.*, a] Deo : alius quidem sic, alius vero « sic. Dico autem non nuptis et viduis ; bonum est « illis si sic permanserint, sicut et ego. Quod si se « non continent, nubant. Melius est enim nubere, « quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt, « præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non « discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, « aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non di- « mittat. Nam cæteris dico ego, non Dominus. Si C « quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consen- « tit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua « mulier fidelis habet virum infidelem, et hic con- « sentit habitare cum illa, non dimittat virum. San- « ctificatus est enim vir infidelis per mulierem fide- « lem, et sanctificata est mulier infidelis per virum « fidelem. Alioquin filii vestri immundi essent, nunc « autem sancti [mundi] sunt. Quod si infidelis disce- « dit, discedat. Non enim servituti subjectus est fra- « ter vel soror in ejusmodi. In pace autem vocavit « vos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum salvum « facies ? Aut unde scis, vir, si mulierem salvam « facies ? Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unum- « quemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, et sicut « ubique in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus D « aliquis vocatus est? non adducat præputium. In « præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. « Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed « observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua « vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus « vocatus es? non sit tibi curæ : sed et si potes fieri « liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus « est servus, libertus est Domini : similiter qui liber « vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis ; « nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo in « quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud « Deum. De virginibus autem præceptum Domini non « habeo : consilium autem do, tanquam misericor- « diam **108** consecutus a Domino, ut sim fidelis.

« Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem « necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. « Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem « acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit « virgo non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc « itaque dico, fratres : Tempus breve est : reliquum « est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui « gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, « tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc « mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura « hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine « esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini « sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore B « est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et « virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ « sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad « utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi [Domino observandi]. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua quod sit « superadulta, et ita oportet fieri; quod vult, faciat : « non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo « firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in « corde suo servare virginem suam, bene facit. Igi- C « tur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene « facit : et qui non jungit, melius facit. « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod « si dormierit vir ejus, liberata est (*Rom.* VII, 2) : » « cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem « erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam. »

EXPOSITIO.

Hic de fornicatore illo finis est; sed hac occasione, quia de fornicatione loqui cœperat, convenienter respondet Corinthiis, qui per litteras eum interrogaverant, scilicet et conjugia celebrare. An necessitas Christianæ religionis coget eos, debere in continentia perdurare? Erant enim apud eos quidam supra modum religiosi, qui dicerent neminem in opere conjugii manentem posse salvari. Sed Apostolus sciens infirmitatem fidei eorum, patiebatur hoc in illis. Non quod crederet eos salvandos, sed ut sic enutriret Ecclesiam paulatim ducendo in perfectionem. Littera sic jungitur. Fornicatio est fugienda : nec tamen sic ut conjugium destruamus, sed ut propter fornicationem vitandam unusquisque habeat suam. Et hoc dico respondens ad ea *de quibus scripsistis mihi*, interrogantes an liceret nubere, an necesse esset continere. Et de hoc respondeo vobis : Quod *bonum est* utique *homini mulierem non tangere* illo modo coeundi, *sed* tamen *propter* vitandam *fornica-* A *tionem unusquisque habeat suam uxorem, et unaquæque mulier habeat suum virum*, hoc concedo. Ubi ait *suam uxorem*, excludit eos quibus non licitum est legitime ducere uxorem, ut eos qui altari ministrant. Ubi ait *mulier habeat virum*, excludit eas, quæ non legitime copulantur, nec habent viros, juxta illud in Evangelio : Hic quem « nunc habes, non est tuus vir (*Joan.* IV, 18). » Licet unum bonum conjugii hic solummodo reponat, scilicet vitationem fornicationis, ista tamen sunt, scilicet intentio sobolis, fides tori, id est ne fornicentur, et figura veri conjugii Christi et Ecclesiæ. Quando enim Deus primum feminam junxit viro, de costa viri formatam, figuravit Ecclesiam jungendam Christo de latere ejus in cruce formatam. Nec ita vir et uxor conveniant (sicut quidam pseudo prædicant) sine commistione, velut frater et soror cohabitent; sed *vir reddat debitum uxori : similiter autem et uxor* reddat debitum *viro*. Sciens hoc quia *mulier non habet potestatem sui corporis*, ut si velit contineat, *sed vir. Similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*, id est neuter potestatem habet continendi **109** sine consensu alterius. Et propterea *nolite fraudare invicem*, id est non subtrahat se alter alteri in opere conjugii : *nisi forte* hoc fiat *ex consensu* utriusque : et hoc non continue, sed *ad tempus*, et pro hac causa *ut* purius *vacetis orationi*. Quod si legitime nuptos oportet continere, ut digne mercantur orare, multo magis illos qui fornicantur. Et eos qui non solum orant, sed quorum manus etiam Dominica sacra tractant, et populo dispensant. Et, tempore orationis præterito, *revertimini in ipsum* opus conjugii, *ne vos* a legitimo cessantes *tentet Satanas*, stimulans vos ad illicita. Et hoc *dico propter incontinentiam vestram*. Scio enim fragilitatem vestram, quæ magis per indulgentiam nutrienda est, quam per asperitatem deterrenda. Licet propter vitandam fornicationem concesserim vobis ducere uxorem, hoc tamen dico *secundum indulgentiam*, ne videar vos intemperate cogere. *Non* hoc dico *secundum imperium*, ut hujus rei præceptum faciam. Si hoc enim præceptum esset, jam omnes ex necessitate uxores ducerent. Et licet ita vobis indulgeam, tamen ego *volo omnes homines esse sicut meipsum :* ut D quemadmodum ego, sic omnes continerent. Ex hoc verbo intelligitur, Paulus (et hoc testatur Ambrosius) virgo fuisse : sed quidam attestantur uxorem eum prius habuisse. Hic etiam objiciunt, quia, ait, volo continere omnes, quod conjugium destruere vellet, sed nihil est : quia si omnes exemplo Pauli continerent, ipsi idem aliquos ex seipsis conjugia inire cogerent, ne bonum Dei institutum periret. Dicit etiam bene Augustinus (lib. *De bono conjugii*, cap. 10), quia si omnes essent sicut Paulus, cito civitas Dei et numerus fratrum impleretur.

Ne iterum, quia dixerat : Volo vos esse sicut me, putarent se non salvari, nisi per continentiam assimilarentur ei, contra hoc ait Paulus : Licet dicam quod vellem vos imitari me per continentiam,

tamen *unusquisque vestrum habet proprium donum*, sufficiens sibi ad salutem : quod ego fortassis non habeo. Et hoc donum habet *ex Deo. Alius quidem sic*, quia largus in eleemosyna. *Alius vero sic*, quasi fortis in patientia, magnus in oratione. Sic dico de conjugatis. Hoc *autem dico non nuptis*, id est virginibus in utroque sexu, et viduis in utroque sexu, quia bonum est illis si sic continendo permaneant : sicut plures, et ego contineo. *Quod si non se continent*, id est continere nolunt, vel non possunt : secundum indulgentiam dico *nubant* : ideo nubere hujusmodi concedo : *quia melius est nubere* (non dico quam fornicari), sed (quod minus est) quam *uri*, id est desideriis libidinis agitari et vinci. Non nuptis et viduis alterum secundum indulgentiam alterum secundum consilium dico : sed *his qui matrimonio juncti sunt : non* solum dico sed *præcipio*, non *ego*, *sed Dominus*, id est non mea auctoritate, sed Domini præcipientis in Evangelio, *uxorem non discedere a viro*. Hoc præceptum quia satis notum erat, imperfectum posuit, prætermittens hoc *nisi causa fornicationis. Quod si uxor a viro discesserit*, propter fornicationem aut per consensum continentiæ, præcipio illam *manere innuptam, aut reconciliari viro suo*. Et vir similiter non dimittat uxorem, nisi propter causam præmissam fornicationis. Hic iterum præceptum imperfectum posuit, quia præmiserat. Et est ita intelligendum : Vir non dimittat uxorem nisi propter fornicationem; quam si propter hoc dimiserit, maneat innuptus, vel uxori reconcilietur. In libro B. Ambrosii hoc tamen invenitur : ideo non totum de viro præceptum esse quod de muliere : quia uxor membrum viri est, et penitus viro subjecta : quare si a viro discedit, non licet adhærere alteri. Sed vir, quia sub se uxorem habet, et ubique dominatur ei : ideo licere viro si justa causa ab uxore discesserit, ducere alteram quod non licet uxori. His non ego præcipio : nam *cæteris* tantum ego *dico non Dominus*, id est ex auctoritate mea. Non quod Dominus non consentiat, sed quia auctoritatem ejus de hac re in Scriptura non invenio. Cæteris dico, id est fideli et infideli, et econverso lege conjugii junctis. Hoc utique dico quod *si quis fratrer fidelis habet infidelem uxorem*, **110** *et hæc* infidelis *consentit habitare cum illo* fideli, *non dimittat illam*, nec quia fidelis est aspernetur eam infidelem, et econverso. *Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic* infidelis *consentit habitare cum illa* fideli, *non dimittat virum*. Vere fidelis mulier non debet dimittere virum infidelem. *Nam* plerumque *vir infidelis sanctificatus*, id est fidelis factus est, *per mulierem fidelem*, cohabitantem ei, et sæpius commonentem eum ad fidem. Vel aliter : Fidelis mulier non dimittat virum infidelem, nam vir infidelis in ipso opere conjugii sanctificatus, id est mundus, est, et hoc per mulierem fidelem, id est per virtutem, fidei quam habet mulier. Et iterum : Vir fidelis non dimittat uxorem infidelem. Nam plerumque mulier infidelis sanctificata est accepta fide per virum fidelem, inde docentem eam. Vel aliter : Mulier infidelis in ipso coitu sanctificata et munda est, prævalente fide viri sui. Non debent utique vicissim se dimittere propter præmissa, sed simul manere : *quia alioquin*, id est, si alter alterum dimiserit, *filii vestri essent immundi*, id est non legitimi, sed spurii. Si enim connubium solvitur, legitimum fuisse non creditur ; et ideo filii non legitimi si se dimittunt, filii sunt immundi : *sed nunc*, id est, si cohabitant : filii *sunt sancti*, id est, judicantur legitimi. Vel aliter : Ideo non separemini, alioquin, id est, si aliter fiat, filii vestri essent immundi, id est in infidelitate permanerent. Si enim alter parentum, cum infidelis esset, ad fidem transiret, filii utique illi parenti adhærerent, qui in priori secta remaneret : in qua filii nati essent, et in qua consuevissent. Et ideo amore filiorum bonum est parentes simul manere. Filii utique vestri essent immundi per infidelitatem. Sed nunc si simul manserint parentes, sunt sancti, id est per fidem purificati. Præcipio ne fidelis, sive vir, sive mulier, separetur ab infideli. *Quod si infidelis*, vel vir, vel uxor, *discedit*, et non consentit habitare cum fideli, *discedat* : non sequatur eum qui fidelis est. Ideo dico permittatur infidelis discedere, remanente fideli : *Nam frater*, aut soror fidelis, *non est subjectus servituti* in rebus ejusmodi, quæ fidem ejus destruant. Debent utique alter alteri subservire lege conjugii, sed non contra fidem. Dico si discedit discedat : sed tamen mallem vos in pace cohabitare. *Nam deus vocavit nos* ad fidem *in pace*, id est, ut conjugii copulam non rumperemus. Si enim nollet nos remanere in conjugio, prius utique amovendi eramus a conjugio, et deinde vocandi ad fidem.

Notandum, quædam esse in quibus Deus vocat hominem : in illis, scilicet opus quorum non contradicit fidei : ut Petrum in piscatione, cui post vocationem ad piscandum reverti licuit. Alia sunt a quibus vocat, ad quæ post fidem reverti non licet, ut Matthæum a teloneo vocatum, nec ad opus telonei postea reversum. Inde apparet, quia fides Christi nemini statum priorem aufert, solummodo fidem non destruat. In pace propterea vobis cohabitandum est, quia *unde scis*, tu, *mulier* fidelis, *si salvum facies virum* infidelem? *Aut unde scis*, tu, *vir* fidelis, *si salvam facies mulierem* infidelem? *nisi* sic ambulet quisque vestrum, *sicut Deus* divisim *proposuit unicuique vestrum*. Viro scilicet, ut regat uxorem, uxori ut subserviat viro : et unde adhuc hoc scitis nisi ambulet quisque vestrum ita sicut Deus vocavit unumquemque, ut si in conjugio vocatus fuit, maneat in conjugio? Si simul habitaveritis tunc sciri poterit, an fidelis infidelem lucrabitur : sed si separamini, quomodo hoc scietur? Et hoc dico vobis in conjugio simul manere, *sicut in omnibus Ecclesiis doceo*. Hoc ideo dicit, quia imponebant ei quidam quod Corinthiis (quia nimis carnales erant) conjugia indulgebat, quæ ab aliis Ecclesiis penitus interdicebat. Sicut modo dixit non esse

mutandum statum conjugii propter fidem, sic per A simile alios status, in quibus vocati sunt, concedit; salva tamen integritate fidei. Et illud : Sicut in omnibus Ecclesiis doceo, sequenti litteræ **111** conjungit, ita : Qui vocatus est in conjugio, permaneat in eo. Et sicut ego in omnibus Ecclesiis doceo : *Si aliquis* circumcisus *vocatus est*, id est, in ritibus Judæorum qui fidem non violant, ille *non* cogatur *adducere præputium*, id est morem gentilitatis, ut cogatur uti cibis, quos non consueverunt, qui nec nocent, nec adjuvant comesi, vel non comesi. Iterum si aliquis *vocatus est in præputio*, id est in gentilitate, *non circumcidatur*, id est non cogatur sequi ritus Judæi. Neuter utique cogendus est, *quia nec circumcisio aliquid est*, *nec præputium* aliquid est, id est nec abstinere nec comedere hos ci- B bos prodest, vel nocet ad beatitudinem, *sed* solummodo *observatio mandatorum Dei* ad habendam beatitudinem sufficit. Et sicut de circumciso et preputiato hoc universaliter dico, quod unusquisque veniens ad fidem, permaneat in eo statu in quo vocatus est; et sciat hunc statum vocationem Dei, quia (sicut supra dixi) si Deus hunc statum negligeret, nunquam vocasset eum ad fidem, quandiu in eo fuisset, et ideo si tu *vocatus es servus*, *non sit tibi curæ* manere in servitute; *sed et si potes liber fieri* aliquo modo, *magis utere* ipsa servitute, quia quanto plus nunc deprimeris, tanto plus in futuro exaltaberis. Ideo dico magis utere servitute; *quia* ille *qui vocatus est servus* manens *in Domino*, *hic est libertus*, id est servus Domini; et similiter servus C est Christi ille, qui liber vocatus est. Servus et libertus hic idem significant, sed honestius vocabulum servo dedit, ut magis alliceret eum sibi. Quod quia uterque servi estis Christi, propterea nolite fieri servi hominum; ita quod in vobis pereat servitus Christi; et est præmissa causa : *empti* enim *estis pretio* sanguinis Christi. Et licet dicam, nolite fieri servi hominum; tamen *unusquisque frater*, id est fidelis *vocatus est* in servitute vel in libertate, *in hoc maneat*, et ita quod *apud Deum*. Propter vitandam fornicationem, concessit superius unumquemque voluntatem habere suam. Dedit etiam præceptum Domini de conjugatis, ne a se invicem discederent. Dedit præceptum suum de his quorum D alter esset fidelis, ne ab infideli discederet.

Sed quia præceptum permanendi in virginitate non dederat, quærere possent Corinthii, quare hoc præterisset. Ad hoc respondet Paulus. Littera sic jungitur : De conjugatis præceptum Domini; de his autem quorum alter fidelis est, meum præceptum dedi. Sed *de virginibus præceptum* ideo non determino; quia inde præceptum Domini *non habeo*. Non enim invenio in scriptis, Dominum præcepisse ut omnes perseverent in virginitate : et quia præceptum Domini super hoc non habeo, propterea *do consilium* illud supradictum : Bonum est virginibus, si sic permaneant ut ego, etc.; nunc autem consilium istud approbat, dicens : Hoc utique consilium meum tenendum est. Hoc enim dico, *tanquam misericordiam consecutus a Domino*. Misericordiam vocat hic et remissionem peccatorum, et maxime apostolatum suum, quod utrumque per gratiam accepit a Domino. Ita misericordiam consecutus sum, *ut sim fidelis* in commisso apostolatu : fideliter enim dispenso mysteria fidei credita mihi a Deo, in quo quia fidelis sum, non est ambigendum, quin utile sit consilium meum. Et quia fidelis sum, ergo secundum fidem *existimo hoc* prædictum consilium *esse bonum*, scilicet permanere in virginitate, si possunt, ut ego. Bonum utique, est *propter* vitandam *necessitatem instantem*, id est, quæ quotidie instat conjugatis in nutriendis filiis, et in sè alterutrum sustentandis, etc. Majus bonum est virginitatis beatitudo permanens, quæ merito virginitatis acquiritur, quam vitare penurias mundi, sed infirmis auditoribus temporale bonum virginitatis prætendit. Quia enim carnales, erant, sciebat eos magis utilitate carnis posse ad bonum induci, quam utilitate spiritus; quia spirituales non erant. Hoc ideo existimo bonum esse, quoniam ita est in rei veritate. Quod sic ait : *Bonum est homini* utriusque sexus *sic esse* permanere, scilicet in virginitate vel continentia.

112 Quia adeo bonum continentiæ prætulerat, ne ideo putarent conjugati debere solvi matrimonia, et continere, contra hoc Paulus opponens ait : Licet dixerim bonum esse sectari castitatem, tamen si *alligatus es uxori*, *noli quærere solutionem*, bona enim est castitas conjugalis. Opposita sententia. Sed quia melior est continentia vidualis, *si solutus es ab uxore*, *noli* iterum *quærere uxorem*, sed continе. Iterum ne innupti dicerent : Verum quidem est quod conjugati non debent dissolvi, sed nos qui in lege conjugii non tenemur, peccatum facimus si nupserimus? contra hoc Paulus : Licet bonum sit homini esse in castitate, tamen *si* tu vir *acceperis uxorem*, *non peccasti*; *et si virgo nupserit*, *non peccavit*. Sed licet virginibus sine peccato nubere liceat, *tamen* si nupserint, *habebunt tribulationem carnis hujusmodi*, id est, quæ sequitur modum conjugii, scilicet gemitus ventris, nutrimenta filiorum, et similia. Conjugatæ habebunt quidem tribulationem carnis, sed *ego vobis* virginitatem custodire volentibus *parco*, dum ad ea vos provoco, quæ tribulationes carnis et memoratas sollicitudines excludunt. Postquam concessit, ut quæ nolunt continere nubant, determinat quomodo secundum salutem animæ in conjugio se debeant habere, dicens : Quia sine peccato accipere uxorem concessi, itaque, id est, ut sine peccato maneatis in conjugio, determino vobis, *ut qui habent uxores*, *sint tanquam non habentes*, id est, non magis voluptati quam Deo inservientes. *Et qui flent* de damnis sæcularibus, sic foris fleant ut interius per spem gaudeant; *et qui gaudent* ex prosperitate temporali, ut intus spiritualiter timeant, nec dolent se corrumpendos felicitati, nec adversitati frangendos. Quod autem sic se habere debeant hoc dico, fratres, quia *tempus* istud *breve est*, et in

proximo est finis. Unde quia tempus breve est, hoc *est reliquum*, id est, hoc solum saluti relinquitur, *ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes*, ut quidquid in hoc mundo est pro parvitate temporis potius non esse videatur quam esse; *et qui emunt*, sint *tanquam non possidentes*, id est utantur velut sine quibus non possunt, sed non delectentur; *et qui utuntur hoc mundo*, faciant *tanquam non utantur*, id est totum ex necessitate, nihil ex delectatione: propterea sic respuendus est mundus, *quia figura hujus mundi præterit*. Mundus quidem non præteribit, sed formæ substantiarum ejus destruentur, ut aurum rubore perdito redibit in terram, et cætera similiter. Damnatis enim impiis, figura hujus mundi mundanorum ignium B conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Et quia figura mundi præterit, ideo *volo vos esse sine sollicitudine*, ne gravati terrenis damnum cœlestium incurratis. Sine sollicitudine dicit, ut conjugati quantum possunt exonerent se mundanis. Continentes sint expertes totius mundanæ sollicitudinis.

Et ita exsequitur dicens: Volo quidem omnes esse sine sollicitudine, sed tamen alter expeditior est ad hoc, alter impeditior. *Qui* enim *sine uxore est*, virgo, vel continens *sollicitus est*, id est sollicitus esse potest in his *quæ sunt Domini*, id est quæ ad Deum pertinent. Licet etiam esse sollicitum, *quomodo placeat Domino*. Ubi ait: *Sollicitus est quæ sunt Domini*, intelligit de his quæ saluti sufficiunt, et sine C quibus nemo salvatur. Ubi ait: *Quomodo placeat* Deo, intelligit illam summam perfectionem, cui non sufficit hoc solum, quod necessarium est saluti, nisi bona sua pauperibus disperserit, mundum deseruerit, nudus nudam crucem secutus sit. Qui sine uxore est, sic ei licet: *qui autem cum uxore est*, cogente necessitate *sollicitus est* de his *quæ sunt mundi*, ut ministret uxori et pueris, sine quibus durare nequeunt. Sollicitus etiam est *quomodo placeat uxori*, dando monilia, **113** præparando ornamenta, et sic *divisus est*, quia ex maxima parte distrahitur in cultu uxoris, et cultura familiæ: et satis modica pars ejus obsequio Dei relinquitur. Sicut vir continens cogitat ea quæ D sunt Domini: sic etiam *mulier* quæ *innupta* est, id est virgo et vidua, *cogitat ea quæ sunt Domini: ut sit sancta et corpore et spiritu*, id est per utramque integritatem corporis et spiritus. Ea vero *quæ nupta est, cogitat ea quæ sunt mundi*, id est necessaria domui, *et quomodo placeat viro* in superfluis; et cum ita commendem vobis continentibus continentiæ bonum, *porro*, id est non aliter, hoc *dico*, quam *ad utilitatem vestram*, scilicet *non ut* per hoc *injiciam vobis laqueum*, cogens vos vovere virginitatem, quod votum postea frangatis: sed hoc dico, hortando vos *ad id*, *quod est honestum*, id est a contagione alienum, et quod præbeat facultatem *obsecrandi* vos *Domino sine impe-* A *dimento* tribulationis carnis. Per hoc enim potestis observare munditiam vestram, cum ad hoc non impediat vos tribulatio carnis, quæ conjugatas premit. Fortassis dicerent parentes: Virginibus quidem nubere licet, sed nostra culpa est quod filias nostras, ut in virginitate maneant, non cogimus. Contra hoc Paulus ait: Licet continentes dixerim habere facultatem ut sine impedimento serviant Domino, quod non habent conjugatæ, tamen *si quis* pater *existimat se videri turpem*, id est timet se infamari super, id est, de *virgine sua* volente nubere: *quod* illa *sit* non solum adulta: sed et *superadulta: et si ita oportet fieri*, quia nisi maritetur, in proximo est infamia, *faciat* pater *quod vult* filia. In hoc enim *non peccat* pater, *si nubat* filia, quæ mavult conjugium quam castitatem. Iterum, quia quidam patres filias in proposito virginitatis manere volentes, cupiditate dotis, et ut habeant incrementum generis, et pro hujusmodi cogunt violenter nubere, interdicit Paulus, ne hoc fiat. Littera sic jungitur: De Patre qui filiam volentem permittit nubere, dico quod non peccat: nam de illo qui filiam volentem concedit manere in virginitate, quid aliud dicam, nisi quod benefacit? Ille utique *qui statuit in corde suo*, id est qui rationabili disponit concilio: ille dico *firmus*, et perdurans, in hoc *non* utique *habens necessitatem* prædictam: quia de filia non timet infamiam: *sed habens potestatem suæ voluntatis* efficiendæ, quia filia consentit: *et* qui *hoc* non solum statuit: sed etiam *judicavit*, id est deliberationes *in corde suo* fecit: considerando pondus conjugii, admirando decus virginitatis. Hic utique si judicavit *servare virginem suam*, *benefacit*, dum eam volentem in virginitate custodit. Quandoquidem qui volentem permittit nubere, non peccat: et qui nolentem nubere bene facit, si conservat in virginitate. *Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam*, ita volentem *bene facit: et qui non jungit* nolentem jungi, bene et *melius facit*. Sicut de virginibus dixi, non peccat quæ nubit: et quæ non nubit, melius facit: sic de mulieribus, quod illa quæ viro juncta est non peccat: sed quæ in castitate manserit, beatior erit. Quod ita ait: *Mulier alligata est viro*, *quanto tempore vivit vir ejus. Quod si dormierit vir ejus*, *liberata est a lege viri. Et licet nubere cui vult*, tantummodo *in Domino*, id est legali more conjugii. Sed quamvis liceat ei nubere: tamen *erit perfectior si permanserit sic*, id est innupta, agens *secundum consilium meum*. Quid inde dicerent illi, si tu ita consulis? Ad hoc Paulus: Non est spernendum consilium meum: quia *puto quod* sicut alii apostoli: sic *et ego habeam spiritum Dei*, et per spiritum, gratiam consilii.

CAPUT VIII.

« De his autem, quæ idolis sacrificantur, scimus « quia omnes scientiam habemus: scientia inflat, « charitas vero ædificat. **114** Si quis autem se « existimat scire aliquid, nondum cognovit quem « admodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit

« Deum, nic cognitus est ab eo. De escis autem quæ « idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum « in mundo : et quod nullus Deus nisi unus. Nam « et si sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in « terra (si quidem sunt dii multi, et domini multi) « nobis tamen unus Deus, Pater ex quo omnia, et nos « in illo : et unus Dominus Jesus Christus, per quem « omnia et nos per ipsum, sed non in omnibus est « scientia. Quidam autem cum conscientia usque « nunc idoli, quasi idolothytum manducant ; et con- « scientia ipsorum cum sit infirma, polluitur ; esca « autem nos non commendat Deo. Neque enim « si non manducaverimus, deficiemus ; neque si « manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne « forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. « Si quis enim viderit eum, qui habet scientiam in « idolio recumbentem : nonne conscientia ejus, cum « sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolo- « thyta? Et peribit infirmus in tua conscientia frater « propter quem Christus mortuus est ? Sic autem « peccantes in fratres, et percutientes conscientiam « eorum infirmam, in Christum peccatis. Qua- « propter si esca scandalizat fratrem meum, non « manducabo carnem in æternum, ne fratrem « meum scandalizem. »

EXPOSITIO.

Error erat in Corinthiis de usu ciborum. Quidam enim scientes omnia esse munda, sana fide comedebant omnia. Hi autem qui fide infirmi erant, cum viderent prudentiores se idolothyta comedere, credebant eos sub veneratione idoli sic agere, et dicebant : Bonum est ut revertamur ad idolothyta. Nisi enim intelligerent aliquid esse idolum, non comederent immolata illis hi, qui inter nos prudentiores sunt. Cum autem sic quidam eorum errarent nolebant tamen desistere prudentiores a cibis illis, et sic percutiebant conscientias infirmorum. Et de hujusmodi incipit hic Paulus dicens : De conjugiis per epistolam interrogastis me : sed *de his quæ sacrificantur idolis*, nihil requisistis a me : nec oportuit, quia *scimus*, id est et vos scitis et ego scio ; et cum æqualiter sciamus, non oportuit vos quærere a me: et hoc dicit ironice. Scimus utique de his, quia omnes non hanc solam, sed habemus quamcunque scientiam. Modo improbat hanc scientiam, per malum quod inde sequitur, dicens nos utique scimus : sed *scientia* ista non satis laudanda est : quia *inflat*, id est facit vos superbire contra infirmos fratres, in quibus non ex charitate agitis, sed male : quia *charitas ædificat*, nutriens virtutes in perfectionis consummationem, et ideo scientia vestra inflat, quia non contemperatur charitate. Improbavit scientiam eorum per malum superbiæ, consequens illam ; nunc ipsam scientiam : ostendens eos inscientes, in quo se existimant esse scientes. Licet dixerim vos scientes, tamen *si quis existimat se scire aliquid*, uti vos, sine charitate ; profecto hic *nondum cognovit ad quem modum oporteat eum scire*. A Modus enim hic est, scientiam contemperari charitate. Opposita sententia : Qui inflatur, scientiæ modum non cognovit : sed si quis diligit Deum, quia habet charitatem proximi, hic utique cognitus et approbatus est a Deo. Nunc determinat scientiam eorum, in quo laudanda sit, et in quo reprobanda dicens : *Scimus quod diligens Deum, a Deo cognoscitur. De escis autem quæ immolantur idolis, scimus*, id est, vos fide firmi mecum scitis, *quod idolum nihil est in mundo*, id est in creatione mundi. Deus quidem lapidem vel lignum unde formatur idolum, creavit, sed facturam idoli non fecit. Non enim creaturæ illi ex Deo hoc provenit, ut dicatur idolum, sed ab artifice. Et hoc etiam scitis, *quod non est ullus Deus nisi unus solus*, unde constat idolum non B esse Deum. Vere unus tantum est Deus. *Nam et si sunt qui dicantur dii : sive in cœlo*, ut angeli ; *sive in terra*, ut apostoli ; juxta illud : « Ego dixi : Dii estis (*Psal.* XXXXI, 1). » Bene dico dicantur dii, qui, siquidem in veritate sunt multi dii : et in diis multi domini, 115 ut in cœlo archangeli dominantur angelis, in terra apostoli martyribus. *Licet* utique *sint multi dii, nobis tamen est unus Deus Pater, ex quo* in principio creata sunt *omnia, et nos* creati subsistimus *in illo* per gubernationem ejus ; *et unus Deus est Dominus Jesus Christus*. Et bene de unitate Christi cum Patre subdidit. De hoc enim hæsitabant Corinthii, *per quem* Jesum Christum facta sunt *omnia*. Pater enim omnia condidit in Filio, et *nos per ipsum* Christum mediantem sumus in Deo. Sed licet C in his sanam habeamus scientiam, *tamen non in omnibus scientia nostra* æque perfecta. Vere *non in omnibus ; quidam* enim non integræ fidei, *conscientia idoli* manente usque nunc, qua idolum venerandum esse credunt, *manducant quasi idolothytum*, id est immolata idolo sub veneratione idoli. *Et* hoc faciendo *pollnitur conscientia ipsorum, cum sit infirma* pro imperfectione fidei : illos quidem polluit esca, qua utuntur, quia nos vident uti, *sed* illa *esca non commendat nos Deo*. Nunquam enim propter hanc escam chariores erimus Deo. Quare non in hoc deberemus offendere. Vere hæc *esca non commendat nos Deo : nam si non manducaverimus* hanc escam neque ideo deficiemus a Deo, neque si manducaverimus, propterea *abundabimus* in bono. Et quando- D quidem nil impedit abstinere, nil adjuvat comedere : *Videte* ergo, *ne forte hæc licentia vestra* noceat. Licet utique secundum sanam fidem vestram, sed non ita licet ut per hoc *fiat offendiculum infirmis fratribus*, quod contuitu nostro manducando idolothyta peccent, quia sub veneratione idoli. Propterea dico ne *fiat offendiculum ;* quia *si quis* non sanæ fidei *viderit eum recumbentem in idolo*, id est in loco ubi immolatur idolo ; *eum* dico *qui habet scientiam* quod omnis creatura Dei munda sit, nec contaminetur propter idolum si sana fides sit, videns hoc infirmus, *nonne conscientia ejus cum sit infirma animabitur* exemplo tuo *ad manducandum idolothyta*, sub veneratione idoli ? *Et* sic per infirmam conscien-

tiam *peribit infirmus frater in tua scientia*, cujus exemplo comedit.

Nec hoc leve putes, quia hic est frater, *propter quem Christus mortuus est*, et propter quem modicum cibum non vis dimittere, nihil tibi conferentem? Et quia in tua scientia peribit frater, *peccas in fratrem*. Sic autem *peccantes in fratres, et perculientes* cibo vestro *infirmam conscientiam eorum*, peccatis contra Christum qui mortuus est propter infirmum. *Quapropter*, id est, quia peccare in fratrem, peccare est in Christum, *si esca* mea *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*. Verum quidem est, quia in æternitate nemo utetur cibo carnis, sed ideo sic ait ut magis deterreat a scandalo fratris, cum dicit: Quia si in æternum cibus carnis comederetur sibi, respueret eum ne poneret offendiculum fratri, ideo nollem in æternum manducare carnem. Non ideo solum ne fratrem meum peccare facerem, sed *ne eum scandalizem*, id est saltem animo contristem.

CAPUT IX.

« Non sum liber? Non sum apostolus? Nonne « Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne « opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non « sum apostolus, sed tamen vobis sum: nam si- « gnaculum apostolatus mei vos estis in Domino. « Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc « est. Nunquid non habemus potestatem mandu- « candi et bibendi? Nunquid non habemus potesta- « tem mulierem sororem circumducendi, sicut et « cæteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas? « Aut solus ego et Barnabas, non habemus potesta- « tem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis « unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus « non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis « non manducat? Nunquid secundum hominem « hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum « est enim in lege Moysi: « Non alligabis os bovi « trituranti (*Deut.* xxv, 4; *I Tim.* v, 18). » Nunquid « de bobus cura est Deo? An propter nos utique « hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quo- « niam **116** debet in spe qui arat arare; et qui tri- « turat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis « spiritualia seminavimus, magnum est si nos car- « nalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ « participes sunt, quare non potius nos? sed non « usi sumus hac potestate. Sed omnia sustinemus, « ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. « Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ « de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deserviunt, « cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit « his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vi- « vere. Ego autem nullo horum usus sum. Non « autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum est « enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam « quis evacuet. Nam si evangelizavero, non est mihi « gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim « mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens « hoc ago, mercedem habeo; si autem invitus, « dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces « mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu po- « nam Evangelium, ut non abutar potestate mea in « Evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, « omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. « Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos « lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege « essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos qui « sub lege erant lucrifacerem; iis qui sine lege erant, « tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non « essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis « infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia « autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus « efficiar. Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, « omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? « Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui « in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et « illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, « nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non « quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem « verberans; sed castigo corpus meum, et in ser- « vitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, « ipse reprobus efficiar. »

EXPOSITIO.

Dissuadet iterum ab offendiculo fratris dicens: Licet sana sit fides vestra, debetis tamen abstinere a cibis pro quibus offenditur infirmitas fratris; quemadmodum videtis me, qui cum habeam potestatem accipiendi temporalia a Corinthiis, quibus prædico, nolo tamen offendiculum præbere infirmitati eorum. Et quod posset accipere ab eis jure prædicationis præmittit, dicens: Possum quidem a vobis carnalia accipere, si voluero; quia *nonne sum* ego *liber?* Nonne habeo libertatem illam quam habent alii apostoli, qui de prædicatione sumptus accipiunt? Sic ideo ait, quia bonum suum illi pseudo verterant in malum dicentes: Ideo non a vobis necessaria accipit; quia scit se non esse apostolum, cum illi solum sint apostoli, qui cum Christo in terris conversati sunt, hic autem non vidit eum. Vere *liber sum*, ut alii: *Nonne* ego *sum apostolus?* Non, dicerent illi; quia non vidisti Christum. Contra hoc Paulus: Sum utique apostolus. *Nonne vidi Christum Dominum nostrum?* Vidit eum in hora vocationis, quando dictum est ei: « Saule, Saule, quid me persequeris? » (*Act.* ix, 4.) Vidit iterum eum, quando illi oranti in templo dictum est: « Portabis nomen meum in gentibus, » etc. (*Act.* xxii, 11.) *Sum apostolus*, quia vidi Christum. *Sum* etiam ideo, quia *nonne opus meum*, id est *mei apostolatus vos estis:* et hoc *in Domino*, cujus gratia in me, et in vobis operatur, sine omni merito. Vos utique estis meum opus in Domino *quia etsi*, id est licet, *aliis non sum apostolus* (quod utique sum), *sed tamen vobis* apostolus *sum*. Vere *vobis* præcipue. *Nam vos estis signaculum apostolatus mei*, id est quia signatæ et expressæ sunt in vobis gratiæ Dei, per ministerium mei apo

stolatus. Ideo vos estis approbatio apostolatus mei : et hoc totum *in Domino*, quia et apostolatus mei et gratiæ vobis datæ sunt, per misericordiam Dei. Hoc ideo dicebat, quia Corinthii acceperant diversas gratias, ut curationes, et genera linguarum, quam gratiam aliis præferebant, cum esset minima, **117** ut ipse dicturus est. Et quod per gratias acceptas estis signaculum mei apostolatus, hæc *est mea defensio*, id est, per hoc defendor et comprobor esse apostolus *apud eos, qui me interrogant*, id est, qui dubitant de me; quia non corpore cum Christo conversatus sim, utrum sim apostolus, an non. Postquam probavit se apostolum, probat quod jure apostolatus possit accipere temporalia ab his, quibus ministrat spiritualia, dicens : Quandoquidem (sicut probatum est) apostolus sum. *Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi* apud eos quibus prædicamus? Et *nunquid non habemus potestatem circumducendi mulierem*, id est, ut circumquaque nobiscum ducamus mulieres, quæ nobis de suis temporalibus ministrent. *Mulierem* dico non in opere carnis, sed fide et pia conversatione *sororem*. Hanc formam habendi fideles mulieres in comitatu suo traxerunt apostoli a Domino Jesu, qui ideo mulieres secum cohabitare voluit, ut ostenderet sicut virum, ita se redimere mulierem. Unde quidam dubii erant propterea, quia mulier causa fuit totius perditionis. Nunquid, inquam, possumus hoc *sicut et cæteri apostoli* possunt; etiam *fratres Domini*, scilicet, Jacobus Hierosolymitanus, et Judas Zelotes, qui Jacobi frater dicitur, *et* sicut *Cephas*, id est, Petrus qui utique mulieres in suo comitatu habuit? Et cum omnes habeant, *aut ego solus et Barnabas*, qui mecum laborat in Evangelio, *non habemus potestatem operandi hoc*, id est, ut quemadmodum alii, sic et nos accipiamus a subditis? Quod licitum sit ei accipere probat, et humanis rationibus, et per legem veterem, et per Evangelium, dicens : Vere debemus ex licito hoc operari. *Quis enim unquam militat* in castris, vivens de *propriis stipendiis*? Lex militiæ non patitur hoc. Et, *quis plantat vineam, et non edit fructum ejus*? Et, *quis pascit gregem, et non manducat de lacte gregis*? Sed, *nunquid secundum hominem*, id est, secundum humanas rationes *dico*, et approbo hoc quod carnalia a subditis accipere debeam? Dico etiam hoc per legem; quia *an etiam lex hæc non dicit*? Dicit utique, quia sic *scriptum est in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* xxv, 4; *I Tim.* v, 18) in area, sed comedet de his quæ triturat.

Diceret carnalis : Quid ad te? De bove enim hoc præceptum est, non de homine. Contra hoc Paulus : *Nunquid Deo cura est bobus* in lege, ut de eis præceptum ibi posuerit? De bobus utique non est hæc cura Deo. Sed *an propter nos utique hoc dicit*? Vere propter nos : nam etiam hæc alia *propter nos scripta sunt*, scilicet, quod ille, *qui arat, debet arare in spe percipiendi* temporales *fructus*, *et* ille *qui triturat, in spe* percipiendi fructus *triturat*. Arare dicit spinas infidelitatis eradicare de bono fidei, cum qui infidelis est excolere. Triturare dicit, postquam jam sunt in Ecclesia, accepta fide triturat eos prædicator, separans grana a paleis, bonos a malis. Et qui arat, et qui triturat, meretur accipere temporalia. Probat iterum idem aliis rationibus dicens : *Et si nos* prædicatores *seminavimus vobis spiritualia, magnum est* modo, id est, nullius pretii reputari debet *si nos metamus* a vobis *vestra carnalia*? Et *si alii*, id est pseudodoctores, *sunt participes vestræ* rei, ita ut *potestati* suæ faciant de vestris quod placet, *quare non potius nos*, qui sanam doctrinam ministramus? Probato quod sit apostolus, et quod lege ministerii potestatem habeat accipiendi ab eis, tandem venit ad illud, propter quod incœpit dicens : Licet apostoli essemus et potestatem ex apostolatu haberemus, tamen *non sumus* usi *hac potestate*, ut aliquid a vobis acciperemus.

Dicerent illi : Fortasse non indiguistis. *Egemus* utique, sed tamen *sustinemus* omnia, *famem, sitim, nuditatem*. Propterea *ne demus aliquid offendiculum Evangelio Christi*, id est, ne in aliquo videamur impedire bonum nostræ prædicationis. Timebat Paulus in hac re **118** plura offendicula; quia si acciperet ab eis qui minus erant avari, mallent non audire prædicationem, quam dare temporalia. Præterea, quia si Paulus acciperet, acciperent similiter pseudo : qui licet Paulo adversarentur, tamen in hoc et in quibusdam eum sequebantur, non audentes facere quod Paulus non accipiebat; qui si exemplo Pauli occasionem accipiendi haberent, pro paucis cibis (quia gulosi erant) absolverent eos a magnis peccatis, et hac occasione ipsi Corinthii securius peccarent. Non utimur potestate, ne faciamus offendiculum. Ideo enim non dimittimus quin nobis liceat : *nescitis enim, quod qui in sacrario*, id est in opere templi, ut in cortinis, vel in aliqua reparatione operantur, *edunt illa quæ sunt de sacrario*? Sacrarium dicitur quasi secretarium post altare. Et, *an nescitis, quod* sacerdotes *qui deserviunt altari, partem capiunt cum altario*? Pars enim super altare comburebatur, et pars sacerdotibus in cibos reservabatur. Vel aliter, ut illud præmissum de gentilibus dicamus : Nescitis quoniam hi qui operantur in sacrario gentilium, edunt ea quæ sunt de sacrario? Et qui serviunt altari Judæorum, participantur cum altario? *ita*, id est eodem ordine, *vivere*, scilicet, de prædicatione, *ordinavit Dominus his qui annuntiant Evangelium*, ubi ait in Evangelio : « Edentes et bibentes quæ apud illos sunt (*Luc*, x, 7), » etc. Et licet Dominus sic ordinaverit, tamen *ego non sum usus aliquo horum*, vel cibo, vel potu, vel tegumento.

Dicerent illi : Callide Paulus agit ita loquens, ut quod prius simpliciter non accepit, modo duplicatum recipiat. Contra hoc Paulus : Licet ita scribam, *tamen non* ideo *scripsi hæc*, scilicet, me non fuisse usum aliquo horum, *ut ita fiant in me* deinceps id

est, ut quod prius non cœpi, modo multiplicatum recipiam : ideo nec feci, nec amodo volo fieri in me, *quia magis bonum est mihi mori* nedum pati penuriam, *quam ut quis evacuet gloriam meam*, id est remunerationem quam exspecto de Evangelio. Si enim cum offendiculo fratris evangelizarem, gloriam utique meriti mei evacuarem. Vel ita : Bonum est mihi magis mori, quam modo moriar. Nunc enim multis tribulationibus morior, sed mallem adhuc majori egestate mori, quam ut quis evacuet gloriam meam. Vere gloria mea ne evacuetur timendum mihi est. *Nam si* ego *evangelizavero* sic, id est cum offendiculo fratris, cupiditate accipiendi sumptus a vobis, jam *non est mihi gloria*, sed perit remuneratio mei. Vere non debetur *mihi gloria : nam necessitas*, id est egestas *incumbit mihi* quæ me evangelizare cogit, ut sic habeam stipendia. Vere *necessitas incumbit : nam si non evangelizavero, est mihi væ*, id est dolor egestatis, famis scilicet et nuditatis. Si ex necessitate evangelizavero, non est mihi gloria. *Si autem hoc ago volens*, id est ex voluntate tantum, non pro cupiditate sumptuum : tunc *habeo mercedem* mei Evangelii. Vel aliter, ad hoc quod superius dixit : Malo mori, quam gloriam meam evacuari.

Diceret aliquis : Si Evangelium tuum res talis esset, pro qua, si non fieret, non deficeremus ; vel pro qua, si sit, non in melius abundemus, ut esset idolothyta sana fide comedere, credi posset quod gloria tua periret, si cum offendiculo fratris evangelizares. Sed quia Evangelium tuum res tantæ dignitatis est, per quam salventur homines, non est credibile quod pro offensione infirmi fratris pereat gloria tua de Evangelio. Evacuabitur pro certo, ait Paulus : Nam si evangelizavero tantum, et ab offendiculo fratris non declinavero, non erit mihi gloria pro solo evangelizare. Nullius enim meriti est sic evangelizare, ut offensionem fratris non caveamus. Vere non est multum evangelizare solummodo. Nam necessitas evangelizandi incumbit mihi, ex injuncto officio. Et vere necessitas officii mei evangelizare me cogit. Nam væ, id est, damnatio mihi est si non evangelizavero. Et inde palam est quod non est tanti evangelizare, cujus gloria propter offendiculum fratris non pereat. Si ex necessitate **119** ministerii mei tantum evangelizavero, non est mihi gloria : sed *si hoc ago volens*, non ut cupiditate sumptus fratrem offendam, tunc *habeo* ego de Evangelio meo *mercedem*. Sed *si* hoc *facio invitus*, id est necessitate coactus, parvipendens offendere fratrem, hoc quidem verum est quod *dispensatio* donorum Dei *credita est mihi*, id est quod non minus propter peccatum meum dispensat Deus gratias suas, sed tamen sine mercede mea. In hoc verbo *mihi* invito et peccanti per offendiculum fratris *credita est dispensatio* gratiarum Dei, accipiunt sancti auctoritatem : quod licet minister malus sit, dona tamen Dei per eum dispensata non minuuntur, propter peccatum illius, sicut nec augentur propter justitiam ejus. Et quia dixi *si volens hoc ago*, tunc ex voluntate

A *mercedem habeo*. Ergo dicamus modo *quæ est merces mea*, id est qualis debet esse voluntas, pro qua mihi merces veniat : talis esse debet voluntas, *ut* ego *prædicans Evangelium ponam*, id est collocem Evangelium, et fundamentum ejus constituam, *sine sumptu* accepto a Corinthiis pro quo offenderentur. Ideo *sine sumptu*, *ut non abutar*, id est ut non male utar *potestate mea*, concessa mihi *in Evangelio*. Potens enim sum de Evangelio sumptus accipere, sed si fratrem in hoc offendero, male utor hac potestate. Credendum est quod *sine sumptu ponam Evangelium*, ne offendatur infirmitas auditorum : *nam* (quod sumptu majus est) *cum liber essem ex omnibus*, et nulli eorum aliquid deberem, *feci me servum omnium*, *ut* sic *lucrifacerem plures*. Et qui pro utilitate eorum

B jugum servitutis sub omnibus habui : credendum est quod a sumptu contineam, timens offensionem fratris, pro quo lucrando servum me exhibui. Vere servum omnium me feci ; nam Judæorum, Samaritanorum, gentilium, et infirmorum fratrum. Quod ita exsequitur : *Factus sum Judæis tanquam Judæus*, condescendens ritibus eorum, abstinendo a carnibus a quibus abstinebant, *ut* sic *lucrarer* Judæos, libentius mihi acquiescentes, quia ritus eorum non aspernarer. *His* etiam *qui sub lege sunt*, id est Samaritanis, qui quinque libros Moysi tenent, sed prophetas non habent, factus sum *quasi sub lege essem : cum tamen ipse non essem sub lege ;* sed ideo feci *ut* hoc modo *lucrifacerem eos qui erant sub lege*, id est Samaritanos. Samaritani sunt quos rex Assyriorum

C captivitatis filiis Israel posuit ad incolenda loca Samariæ, et sunt ex origine Persarum (*IV Reg.* XVII, 24) ; qui quinque libros Moysi receperunt, cum multis tribulationibus vexaret eos Deus, quia terram populi sui Israel sibi illicite usurpassent. *His* etiam *qui erant sine lege*, id est gentilibus, factus sum *tanquam essem sine lege*, coutens cibis eorum et asserens Deum elegisse eos, *cum tamen non essem sine lege Dei*, *sed essem in lege Christi ;* sic ideo factus sum *ut lucrifacerem* gentiles *qui erant sine lege*. *Factus sum* etiam *infirmis* fratribus *infirmus :* abstinens a licitis cibis, ne generarem offendiculum eorum infirmitati, *ut* sic *lucrifacerem infirmos*. Et quid enumerem singula ? *Omnibus factus sum omnia :*

D perfectus perfectis ; et sic in singulis, *ut omnes salvos facerem*. Hæc autem *omnia facio propter* collocandum *Evangelium ;* quod nisi sic facerem, evacuaretur propter offendicula fratrum. Propter Evangelium ideo, *ut efficiar particeps ejus*, id est ut partem capiam remunerationis, quam Evangelium attestatur, et fidelibus promittit. Hic totum quod de se induxit adaptavit. Quasi diceret : Quemadmodum *omnibus omnia factus sum propter Evangelium*, sic et compatimini infirmitati fratrum ut participes sitis promissæ beatitudinis. Dixi abstinendum esse vobis a licitis, causa infirmorum fratrum, sicut ego apostolus vester a licitis abstineo, ne dem offendiculum Evangelio Christi ; quod totum ideo facio : ut accipere merear quod exspecto. Inductus exemplo co-

rum qui, ut temporalem coronam accipiant, abstinent ab omnibus quæ ad accipiendam coronam **120** eos impediant. Quia an *nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, id est coronam vel præmium cursus? Stadium dicitur spatium ducentorum et viginti quinque passuum, quantum Hercules uno anhelitu cucurrit, et non respiravit ; et dicitur stadium a stando, quia statur in fine cursus. Quandoquidem currentes in stadio sollicite intendunt ad accipiendum bravium, sic ergo currite abstinendo ab omnibus quæ impedire vos possunt, ut omnes comprehendatis bravium æternæ felicitatis. Si enim *omnes* hic *currunt* ubi *unus* tantum *accipit bravium*, multo sollicitius currere debetis, ubi *omnes* æternum bravium accipietis. Sic utique currere debetis abstinendo ab omni quod vos impedire possit. Nam *omnis* ille *qui contendit in agone*, id est in certamine cursus, *abstinet se ab omnibus* impedientibus cursum. *Et illi quidem* currentes in stadio sic se abstinent, *ut accipiant corruptibilem coronam : nos* accepturi *incorruptibilem*, longe amplius abstinere nos debemus, quanto digniori corona remunerabimur. Et quia incorruptam coronam exspecto, igitur ego *sic curro, non quasi in incertum*. Ille currit *in incertum* qui modo male, modo bene agit. Cum enim bene agit, sperat se accepturum ; quando vero male, diffidit. Currere dicit bene operari, sine impedimento illatæ tribulationis : Pugnare dicit quando infertur tribulatio, et fortiter resistit. *Sic* etiam *pugno non quasi verberans aerem*, ut quod bene dicam, opere in me non compleam : qui enim in vanum verba dicit, aerem solum verberare dicitur. Vel ita : *Non quasi aerem verberans*, id est non frustra ictus meos projiciens, sicut ille qui pugnat cum hoste, quando, projecto ictu, non tangit hostem, dicitur verberare aerem ; sed ego conterens hostem, non verbero aerem, *sed castigo corpus meum*, id est carnis concupiscentias comprimo : *et* ita quod corpus *redigo in servitutem*, id est ut caro non solum non repugnet, sed etiam serviat spiritui. Ideo sic castigo et redigo, *ne forte* contingat quod contingere posset, ut, *cum aliis prædicaverim, ipse efficiar reprobus* et damnabilis. Ubi ait *ne forte*, bene ostendit Deum sic eligere suos ut non cogat eos : ne libertatem arbitrii in eis destruat, quin si velint iterum cadere, possint.

CAPUT X.

« Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari (*Exod.* XIII, 21). Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra. Petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo. Nam prostrati sunt in deserto (*Num.* XXVI, 65). Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt (*Psal.* CV, 14) ; neque idololatræ efficiamini sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII, 6). Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt (*Num.* XXV, 1), et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt (*Num.* XXI, 6). Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor : Vos ipsi judicate quæ dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus : omnes **121** quidem de uno pane, et de uno calice participamus. Videte Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, « dæmoniis immolant, et non Deo (*Deut.* XXXII, 17). » Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Nunquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. « Domini est terra, et plenitudo ejus (*Psal.* XXV, 1). » Si quis vocat vos infidelium ad cœnam, et vultis ire : omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis : nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo, quod gratias ago? « Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite (*Coloss.* III, 17). » Sine offensione estote Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. »

EXPOSITIO.

Quia Paulus dixerat : *Castigo corpus meum*, etc., *ne ipse reprobus efficiar*, ad hoc diceret aliquis : Quare tantopere laboras, ne reproberis? Non enim

credendum est Deum leviter reprobare nos, quibus baptismum, fidem et cætera sacramenta Ecclesiæ contulit, etiamsi injuste aliquando simus operati. Contra hoc Paulus probat nihil valere ad salutem sacramenta, si desint bona opera. Patres enim Veteris Testamenti eadem quæ habemus in veritate, habuerunt in figura; sed quia male operati sunt, non profuerunt illis sacramenta; sic nec nobis proderunt, si mala fuerint opera nostra. Littera sic jungitur : Propterea tantopere laboro, ne reprobus efficiar. Video enim non mihi sufficere accepta sacramenta, si defuerint opera; quemadmodum nec patribus nostris sub Veteri non suffecerunt, quia male operati sunt. Quod ut videatis, *nolo vos ignorare, o fratres, quoniam patres nostri*, id est Judæi, qui nos in cultu Dei præcesserunt, et docuerunt, et quorum figuræ veritatem nostram genuere. Illi, inquam, patres *omnes*, nullo separato, *fuerunt sub nube*. Nubes illa quæ inter Ægyptios et Judæos posita fuit usque ad mare Rubrum, significavit divinam misericordiam, quæ catechumenos protegit, donec veniant ad baptismum. *Et omnes* patres nostri *transierunt mare Rubrum*, ita et nos omnes per baptismum transimus; *et omnes* patres nostri *in Moyse*, id est in regimine Moysi *baptizati sunt*, id est profecti sunt in nube, separante eos ab Ægyptiis, et in maris transitu. *Baptizati* dicit, cum nec ista vox de illis tunc dicta sit, nec mare illud veritas baptismi fuerit, quia figura tantum, sed nomen significatæ rei, pro ipso significante ponit; quia quemadmodum illi in ducatu Moysi protecti sunt, longe melius nos duce Christo protegimur in baptismo, in quo nobis peccata remittit, et liberum arbitrium nostrum confortat ut possit resistere diabolo male suadenti. Ideo etiam ait, *baptizati sunt;* quia quam efficax nobis est baptismus ad salutem, sic esset eis transitus maris, si credentes mandatis Dei obedirent. *Et omnes* patres nostri *manducaverunt eamdem escam*, id est manna. Escam dico *spiritualem*, id est spiritualis escæ corporis et sanguinis Christi significativam. Ideo etiam spiritualem; quia quod esca corporis et sanguinis Christi facit in nobis, idem prodesset eis ad salutem manna illud, si in bono perstitissent. Non quod aliud fuerit quam manna. *Et omnes biberunt eumdem potum*, id est aquam fluentem de petra : *potum* dico *spiritualem;* quia potum 122 sanguinis Christi figurantem, et idem in fide valentem eis si boni essent. Nec semel inde biberunt, sed *bibebant* assidue *de petra*, id est de aqua manante de petra *consequente eos*, quia quocunque ibant in deserto, aqua illa sequebatur illos. *Petra* dico spirituali, id est spiritualem petram Christum significante. Quare non semel, sed continue bibebant; quia non sufficit nobis qui quotidie in peccatum labimur semel sumere sanguinem Christi, quia sicut quotidiè cadimus, sic jugi medicamine egemus. *Petra autem* illa unde manabat aqua, *erat Christus*, de cujus latere fluxit aqua nostræ regenerationis. Et licet tot sacramenta habuerint patres nostri, *tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo;* quia peccando, datis sacramentis indignos se fecerunt. Vere plures eorum non placuerunt Deo : *nam prostrati sunt in deserto*, provocantes super se iram Dei male agendo. Et *hæc* prædicta non solum causa eorum *facta sunt*, sed etiam *in figura nostri*. In omnibus enim prædictis figurata est veritas sacramentorum, quæ data est nobis per Christum. Ideo in figura nostri facta sunt, *ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi* multoties mala *concupierunt*.

Hic Paulus se inserit eis, ut melius eos retrahat, peccata quorum compatiendo sua facit. Nunc quædam peccata Judæorum reponit, quæ vidit in Corinthiis esse, dicens : Ne sitis concupiscentes malorum, scilicet, neque efficiamini idololatræ. Hic jam separat se ab illis quibus in idololatria non consensit, *ne*, inquam, *sitis idololatræ sicut quidam eorum* fuerunt. Corinthii autem idololatræ erant; quia vel sub veneratione idoli idolothyta comedebant; vel non curantes offendere fratrem manducando idolothyta, causa erant quare infirmus frater idololatra esset, et sic de idololatria accusabiles. Idololatræ fuerunt quidam Judæorum, *quemadmodum* de eis *scriptum est* in Exodo : *Sedit populus* Judæorum *manducare et bibere*, quæ immolaverunt vitulo conflatili, *et* postea *surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6), id est choreas ducere, et cætera coram idolo. Vel surrexerunt ludere, id est idolum adorare : quod ludus et derisio videbatur de his, qui per tot miracula erant instructi. *Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt* cum Madianitis, *et* propterea *ceciderunt viginti tria millia* (*Num.* XXV, 1). Fornicatio erat in Corinthiis, ut in eo qui duxerat uxorem patris, cujus per consensum alii erant rei. *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt*, dicentes : « Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto (*Psal.* LXXVII, 19) »; et illi perierunt a serpentibus, venenantibus eos, donec Moyses serpentem æreum erexit in ligno, quem qui Judæorum videbat, ea die a læsione serpentum securus erat : qui serpens significavit Christum secundum humanitatem, ut idem in Evangelio perhibet : « Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis (*Joan.* III, 14). » Tentabant Corinthii Deum, dum de resurrectione dubitabant, quasi Deus non posset, quidquid ex bonitate vellet. *Neque murmuraveritis*, quod utique faciebant Corinthii, quorum quidam dicebant Paulum non esse apostolum, et similia : *sicut quidam* Judæorum *murmuraverunt*, ut filii Core et Dathan et Abiron, dicentes Moysen non ex præcepto Dei consecrare Aaron in sacerdotem, sed pro exaltatione sui generis; *et ideo perierunt ab exterminatore*, id est a percutiente angelo.

Notandum est quod, quia Judæi rudes erant, nec spiritualia capere possent; ideo in carnalibus servire Deo propositum fuit illis. Et sicut in carnali servitute offendentes, secundum carnem puniebantur; sic et nos quibus spiritualia data sunt, si in eis offendimus, secundum animam punimur. Non so-

dum prædicta sacramenta in figura nostri præcesserunt, sed etiam *hæc* omnia, et peccata, et pœnæ peccatorum *contingebant illis in figura* nostri; quia si illi **123** manentes in umbra, pro transgressu umbræ damnati sunt, quanto magis nos, si in ipsa veritate peccamus? Non solum *hæc* illis *in figura* nostri contigere, *sed* etiam *scripta sunt hæc ad correptionem nostram*, ut per exempla eorum corripiamur. *Nostram* dico, *in quos devenerunt fines sæculorum;* quia quantumcunque duratura sint hæc *sæcula*, nos tamen *fines* habemus; quia hi ritus, qui per Evangelium dati sunt, fiunt ultimi ritus. Et ipsi, quandiu mundus erit, non finientur. Vel ita : *In* nos *devenerunt fines sæculorum*, quia finita est omnis sæcularitas, scilicet veterum rituum carnalitas, et tradita est nobis ipsa veritas. Quandoquidem priora sacramenta patribus nostris nihil profuerunt propter peccatum, et hæc ad nostram doctrinam scripta sunt.

Itaque, id est propterea ille vestrum *qui se existimat stare*, scilicet qui sane intelligit de creaturis Dei, sibique licere omnia, *videat ne cadat* per offendiculum fratris. Et, ne in hoc verbo quia dixerat *videat ne cadat*, turbarentur Corinthii, scientes justum etiam septies in die cadere, determinat Paulus de quo casu intelligat, dicens : *Videat* quisque *ne cadat*, sic ut *non apprehendat vos tentatio*, id est delectatio peccati, *nisi* quæ sit *humana*, id est necessitate carnis veniens, scilicet venialis. Quod ad vos pertinet, videte ut faciatis; quia *Deus fidelis est* et verax in promissis, qui fideles suos in nullo deserit; qui Deus *non patietur vos tentari supra id quod* pati *potestis*. Secundum enim quod videt fortitudinem vel teneritatem cujusque, tribulationes disponit. Nec solum *non patietur vos supra* modum *tentari*, *sed* etiam *faciet* vobis *cum tentatione proventum*, id est et augmentum virtutis qua perseveretis, et augmentum tribulationis : *faciet*, dico, *ita ut vos possitis sustinere*, ne in tribulatione deficiatis.

Propter quod, id est quia videndum est stanti, *ne cadat*, et Deus præsto est qui manum porrigat. Ideo *fugite a cultura idolorum;* si hoc facitis, tunc eritis *mihi charissimi*. Fugere *a cultura idolorum dicit* et infirmis qui sub veneratione idoli comedebant, et his qui, licet sanæ fidei essent, tamen causa erant qua fratrum infirmitas corrumperetur. Et ut *fugiatis a cultura idolorum*, rem subtilem dicturus sum, in qua *loquor* vobis non ut simplicibus, sed *ut prudentibus;* et ideo *vos ipsi judicate*, id est quanto subtilius potestis, apud vos discutite hoc *quod* vobis *dico*. Summam sententiæ breviter extra colligamus : Ideo fugere debetis a cultura idolorum; quia, sicut ille qui corpori et sanguini Christi communicat, unum quodammodo fit cum Christo, sic ille qui communicat idolo, idolothyta comedendo incorporatur diabolo.

Nunc litteram exponamus : Fugiendum vobis est *a cultura idolorum*, quia *calix*, id est sanguis Christi. *Calix* dico *benedictionis*, per quem benedictiones gratiarum accipimus : quia per sanguinem Christi, si digne sumimus, et a prioribus peccatis liberamur, et contra venientia confortamur; *cui* calici nos *benedicimus*, laudantes eum, quod nunquam hujusmodi calix fuerit, qui et a peccatis liberaret, et ne ultra peccaremus confortaret. Vel *calix benedictionis*, id est quem ipse Deus benedicit et consecrat, et cui nos benedicimus per officium nostrum : Deus enim hoc efficit per sacerdotem ministrum. Hic itaque calix *nonne est communicatio sanguinis Christi?* id est : nonne per sanguinem assumptum unimur Christo, ipsique conformamur? *Et panis*, id est verum corpus Christi, qui sub specie sola panis accipitur. *Panis* dico *quem* nos in altari *frangimus*, ut quod unum est in veritate (licet ita videatur), scindi tamen non potest, dividentes significemus nos, qui diversæ personæ sumus, unum fieri in Christo. Hic, inquam, *panis quem frangimus*, *nonne est participatio corporis Domini?* id est : nonne per hoc corpus Deum in nobis capimus, eumque nobis incorporamus? Ideo in duabus substantiis, corporis scilicet et sanguinis sacrificium **124** hoc Deus instituit; ut per carnem in altari traditam ostenderet se redimere carnem nostram, per hæc sacramenta in incorruptionem quandoque transferendam; et per sanguinem quem tradit, insinuaret se similiter redimisse animam nostram; ad quod de anima insinuandum : quia re incorporali uti non potuit, digne per sanguinem, qui sedes animæ dicitur, animam figuravit. Nec in duas substantias distribuit, ut diversas partes ejus intelligeret. Qui enim sanguinem tantum, vel corpus solum, totum accipit : qui utrumque accipit, non magis per utrumque, quam per alterum accipit. Quod corpus sicut vera caro Christi est sub specie panis, ita per solam speciem atteritur, diminuitur, in partes dividitur, cum in veritate incorruptibile, indivisibile, impotens diminui permaneat. Vere per acceptionem sanguinis et corporis Christi unimur Christo; *quoniam multi sumus unus panis*, id est sicut in pane diversa grana in unitatem panis transeunt, ita et nos unimur fide, spe et charitate. *Sumus* etiam *multi unum corpus* secundum diversitatem membrorum sibi invicem in unitate dilectionis subservientium. Nos omnes sumus *unus panis et unum corpus : qui participamus de uno pane et de uno calice*, id est de corpore et sanguine Christi per quem counimur Christo, incorporantes eum nobis.

Modo secundum Ambrosium, quod sequitur dicamus : *O Israel*, id est o fidelis anima, quæ Deum intueris, quod in spiritualibus modo vobis ostendi, *videte* idem fieri *secundum carnem*, id est per carnalem participationem idolothyti diabolo communicare. *Nonne* enim *qui edunt hostias* immolatas diabolo, *participes sunt altaris* diaboli? id est : nonne communicant ipsi diabolo per hoc quod participant quæ super altare idoli immolantur? Quemadmodum in spiritualibus, sic in carnalibus quin fiat, negari non potest. Quia dico comedentes immolata idolo participare diabolo, *ergo quid dico*, id est an hoc dicere existimor *quod immolatum idolis sit aliquid* aliud

quam esset priusquam immolaretur? Absit hoc ut videar hoc dicere quod idolum sit aliquid aliud quam lapis vel lignum, vel illud unde fabricatum est! quia per immolata ipsi dico hominem uniri diabolico. Non utique dico quod *immolatum idolis*, vel *idolum aliquid sit* quod prius non fuerit; sed hoc dico, quod *gentes quæ immolant hæc, immolant* illa *dæmoniis*, et per hoc uniuntur ipsis, non per carnem immolatam, quod aliud sit quam caro, neque per idolum, quod aliud sit quam prius fuerit. *Dæmoniis immolant, et non Deo :* quare diabolo sese incorporant. Vel aliter (ut extra librum adaptationem similitudinis accipiamus), ita : Quia communicantes corpori et sanguini Christi uniuntur Christo, ita per simile participantes immolatis idolo uniuntur diabolo. Et hoc extra litteram accipiamus, ut quod per spiritualia ostendit, in carnalibus videatis : Videte modo Israel, id est Judaicum populum, secundum carnem, id est secundum carnales ritus agentem. Nonne enim qui apud Judæos edunt hostias immolatas Deo, participes sunt altaris, id est participant Deo cui immolant in altari? Eodem modo qui edunt idolothyta, participes sunt diaboli. Et hoc extra librum.

Sequens littera sic jungitur : Quandoquidem dico comedentem idolothyta participare diabolo, ergo quid videor dicere? Sequens littera non mutatur. Propterea volo vos fugere *a cultura idolorum, quia nolo vos fieri socios dæmoniorum*, sicut probatum est esse eos qui idolothyta comedunt. Ideo essetis socii *dæmoniorum*, nisi idola fugiatis, *quia non potestis bibere calicem dæmoniorum et calicem Domini.* Et *non potestis esse participes mensæ Domini et mensæ dæmoniorum.* Debemus fugere *a cultura idolorum*, ne associemur dæmoniis. Debemus etiam ideo, quia participando mensæ dæmoniorum, æmulamur, id est invidemus Domino, cujus regnum ex **125** nobis ipsis, et imitatoribus nostris diminuimus. Sed *an æmulamur Dominum?* Malo utique nostro invidemus ei, quia *nunquid fortiores illo sumus?* Qui autem fortiori se invidet, male agit, quia opprimitur ab illo.

Dicerent ad hæc, qui sana fide idolum illique immolata nihil esse crederent. Videris, Paule, intelligere immolata idolo aliquid esse, cum nos propterea dicas fieri socios dæmoniorum. Absit hoc! ait Paulus. Hoc enim plane profiteor, quod *omnia* ista *licita sunt mihi*, et cuicunque sanam fidem habenti ex fide comedere, *sed* tamen ideo non licere, quod *non omnia expediunt*, sed potius beatitudinem per offendiculum fratris impediunt. Iterum idem, *omnia* utique *mihi licent*, secundum sanam fidem, *sed non omnia ædificant* proximum, et in eo quod destruunt eum, non licent. Et quia ad ædificationem proximi omnia agenda sunt, propterea *nemo quærat quod suum est* tantum, et non proximi, *sed* quærat *quod alterius*, id est quod ad ædificationem proximi valet.

Quia modo dixit secundum fidem licere, propter offendiculum fratris non licere. Determinat modum quando his cibis uti liceat, et quando non, dicens.

A Ne in prædictis offendatis, sic discernite : *Omne quod in macello venit*, id est venditur, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, quam in sequentibus determinabit. Manducate omnia, quia *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psalm.* xxv, 1). *Si quis* autem *infidelium vocat vos* ad prandium, *et vultis ire*, quod bene licet (quia de infidelibus non habemus judicare) *omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, quam iterum determinabit, vos nihil interrogetis. Sed *si quis dixerit* vobis : *Hoc est immolatum idolis, nolite* illud *manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam*, quam nunc determinat. *Conscientiam autem dico non tuam*, qui fide sanus es, *sed* propter conscientiam *alterius*, id est infirmi fratris,
B ne offendat te. Dixit *conscientiam*, primum notans conscientiam Judæi qui, si videat Christianum idolothyta comedentem, dicet non adhærendum esse Christianæ fidei; quia revertuntur ad culturam idoli. Secundo conscientiam gentilis, qui videns illud idem dicet : Quare dimitterem idola mea, cum Christiani ad ea revertantur? Tertio conscientiam infirmi fratris, propter causam sæpe dictam. Propter conscientiam alterius abstinere debes. Quia *ut quid libertas mea*, id est hoc quod mihi ex sana fide licet, *judicatur*, id est judicabilis fiat et damnabilis *ab aliena conscientia*, id est propter infirmam conscientiam fratris. Et *si ego participo* idolothytis *cum gratia*, id est comedens in nomine Domini, *quare blasphemor*, id est cur me blasphemabilem exhibeo, *pro*
C *eo quod gratias ago?* Putat enim me infirmus vel infidelis idola venerari, cum ago gratias Deo. Quandoquidem conscientia nullius lædenda est, *ergo sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis*, hæc et *omnia facite*, non in licentiam fidei vestræ, sed *in gloriam Dei*, ut nemo juste vel injuste possit calumniari fidem Christi. Et ut in gloriam Dei omnia faciatis, *estote sine offensione Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei*, id est infirmis fratribus, sicut supra determinatum est. *Estote* dico *et sicut ego placeo*, id est placere laboro *omnibus per omnia, non quærens quod mihi* solum *utile est, sed quod* utile sit *multis, ut* sic *salvi fiant* multi per me. Et ut multis utiles
D sitis, estote in hac re imitatores mei. Quod si mei eritis et Christi, sicut et ego Christi imitator sum.

CAPUT XI.

« Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Laudo « autem vos, fratres, quod per omnia mei memores « estis; et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. « Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Chri- « stus est; caput autem mulieris vir (*Ephes.* v, 23) « caput vero Christi, Deus. **126** Omnis vir orans « aut prophetans, velato capite, deturpat caput suum. « Omnis autem mulier orans aut prophetans, non « velato capite, deturpat caput suum : unum est « enim, ac si decalvetur. Nam si non velatur mu- « lier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi « aut decalvari, velet caput suum. Vir quidem non « debet velare caput suum; quoniam imago et gloria

« Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim
« vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non
« est creatus vir propter mulierem, sed mulier pro-
« pter virum. Ideo debet mulier velamen habere su-
« per caput suum, et propter angelos. Verumtamen
« neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in
« Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per
« mulierem : omnia autem ex Deo. Vos ipsi judi-
« dicate : decet mulierem non velatam orare Deum?
« Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si
« comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero si
« comam nutriat, gloria est illi; quoniam capilli pro
« velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur con-
« tentiosus esse, nos talem consuetudinem non ha-
« bemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio :
« non laudans, quod non in melius, sed in deterius
« convenitis. Primum quidem convenientibus vobis
« in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex
« parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et
« qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Conve-
« nientibus ergo vobis in unum, jam non est Domi-
« nicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam
« cœnam præsumit ad manducandum. Et alius qui-
« dem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid do-
« mos non habetis, ad manducandum et bibendum?
« Aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos
« qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in
« hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino, quod
« et tradidi vobis, quoniam Dominus noster Jesus
« Christus in qua nocte tradebatur, accepit panem,
« et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et man-
« ducate : Hoc est corpus meum, quod pro [omni-
« bus] vobis tradetur; hoc facite in meam comme-
« morationem. Similiter et calicem, postquam cœ-
« navit, dicens : Hic calix novum testamentum est
« in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque *sumitis*,
« in meam commemorationem. Quotiescunque enim
« manducabitis panem hunc, et calicem bibetis,
« mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. « Ita-
« que quicunque manducaverit panem, vel biberit
« calicem Domini indigne, reus erit corporis et san-
« guinis Domini (*Joan.* VI, 59). » Probet autem se-
« ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice
« bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judi-
« cium sibi manducat et bibit, non dijudicans cor-
« pus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbe-
« cilles, et dormiunt multi. Quia si nosmetipsos
« dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum ju-
« dicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum
« hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum
« convenitis ad manducandum, invicem exspectate.
« Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium
« conveniatis. Cætera autem cum venero disponam. »

EXPOSITIO.

Postquam de immolatis idolo reprehendit eos ne vel sub offendiculo fratris, vel sub veneratione idoli participarent illis, transit ad aliud, quod nimis impudice consueverant, scilicet ut viri velato capite orarent in Ecclesia; mulieres vero denudato : quod A ne ulterius fiat in eis, prohibet et lege conditionis eorum et auctoritate sanctorum, et quia natura repugnat. Littera sic jungitur : De hoc quod vel sub veneratione idoli, vel sub offendiculo fratris idolothyta comeditis, vos reprehendo. De hoc autem laudo vos, o fratres, quod estis memores mei per omnia quæ imperavi vobis. Memores ideo; quia, sicut tradidi vobis præcepta mea, sic tenetis nihil inexpletum prætermittentes. Et hoc totum ironice; quia mandatum ejus vix in aliquo tenuerant. Sed licet ita laudem vos, in eo tamen vitupero, quod vir velato capite, mulier nudato, deturpat se. Sed præmittit rationes, quibus sic non debere fieri approbet, dicens : Ne tam perverso more deturpetis capita vestra, volo vos scire quod Christus caput est B **127** omnis viri divitis vel pauperis; a Deo enim principium habet non ab alio. Et quemadmodum in capite omnes sensus habemus, et nullum in corpore præter tactum, quem habemus iterum in capite; sic omnes sensus nostri consentire, et cooperari debent capiti suo Christo; Christus est caput viri : vir autem caput est mulieris, id est principium. De costa enim viri fabricata est mulier, et sic materiam principii sui traxit a viro : qui vir a Deo tantum habuit principium. Christus est caput viri; Deus vero est caput, id est principium Christi, secundum hominem caput specialiter; quia immunem a peccato per unitam ipsi divinitatem Christum Deus constituit. Secundum Deitatem Deus est caput Christi; quia Filius principium habet a C Patre, Pater non ab alio. Et quia vir Christum solummodo caput habet, ideo *omnis vir orans in ecclesia* Dominicam orationem, vel quaslibet orationes, aut prophetans; prophetare dicit, vel symbolum dicere, in quo carnis resurrectio et vita æterna, quæ futura sunt prædicuntur; *vel prophetans*, id est legens in ecclesia et revelans quæ præterita sunt vel futura solummodo de Christo; vir ita faciens, *deturpat caput suum.*

Possemus hic dicere caput viri Christum quem, dum inhoneste agit, quantum ad se deturpare videtur, cujus jussa spernit; sed quia sequens littera sic non patitur, dicimus : Vir velato capite orans deturpat proprium caput, dum libertatem quam habet D (quia sub nullo præter Christum est) tegit velamento : quod signum est erubescendæ subjectionis. Vir velato capite orans deturpat proprium caput; *sed omnis mulier orans aut prophetans* (sicut supra expositum est) *non velato capite, deturpat proprium caput*, quod semper velare deberet, in signum ejus erubescentiæ, quod totius perditionis causa sit mulier, et maxime cum in Ecclesia suo præsentatur judici, cui omne genus hominum infestum fecit, dum diabolo consensit, et ad consentiendum eidem virum impulit. Vere, mulierem non velare caput, est deturpare caput. Nam *unum* et idem *est*, quod non velat caput *ac si decalvetur*, id est capillos in fronte discriminet, cum certum sit quod nolit tonderi. Decalvetur tantum posuit,

quod utique habet pro inconvenienti, quia sciebat illas nullo modo velle tonderi. Vere non velare caput est decalvari : nam *si non velatur mulier, tondeatur :* quod quia nullo modo faciet, sequitur ut non velato capite decalvetur. Ex non velato capite, sequitur necessario vel decalvari, vel tonderi ; *sed si turpe est mulieri*, quod utique dedeceret tonderi, vel *decalvari*, *velet caput suum*, quod deceret. Mulier velet caput, sed *vir non debet velare caput, quoniam* vir *est imago Dei*, a quo formam et principium habet, et *est vir gloria Dei*. Si enim bene egerit, gloriatur Deus in eo. Vir *est imago et gloria Dei*. Sed *mulier est gloria viri ;* quia debet a viro gubernari ; et si bene gubernata fuerit, gloriam habet super his quæ mulier bene gessit. Vere *vir* solius *Dei gloria est*, et *mulier gloria viri. Nam vir non est ex muliere*, id est in prima conditione vir non habuit originem ex muliere, quæ necdum erat ; *sed mulier* principium habuit *ex viro*, quia de costa Adæ ædificata est Eva. Iterum vere *vir* est *gloria* tantum *Dei*, et *mulier viri. Etenim vir non est creatus propter mulierem*, ut serviret ei, quia Deo soli ; *sed mulier creata est propter virum*, ut omni servitute maneret in adjutorio viri. Et quia mulier ad gloriam viri facta est, et ut semper viro subesset, *ideo mulier debet semper habere potestatem*, id est signum quod sit alienæ potestatis, supra caput, quod velare debet in signum subjectionis ; et *propter angelos*, id est propter doctores Ecclesiæ, qui angeli dicuntur, quia Dei nuntii sunt, ne visa lascivia impudicarum mulierum, illicite moveantur ad eas. Vel *propter angelos* Dei, qui præsentes sunt in omnibus Ecclesiæ sacramentis, ne offendantur intemperantia tantæ libidinis. Vel *propter angelos*, id est propter patriarchas et priores sanctos, qui ne hoc fieret prohibuerunt. Quia modo adeo depresserat mulierbrem sexum, sic per omnia **128** viro indiguiorem factum. Nunc relevat et consolatur eum, dicens : Licet in prima creatione vir mulierem præcesserit, tamen in sequenti successione generandi, vir et mulier pares sunt ; *quia neque vir sine muliere, neque mulier sine viro* generare queunt, sed participatione alterius æqualiter generat uterque. Nec tamen quod ex se procreari possint, sed totum *in Domino :* Dominus enim per conjunctionem masculi et feminæ creat hominem. Vere nec *vir sine muliere*, nec *mulier sine viro : nam sicut mulier* generatur *de viro ; ita et vir* generatur *per mulierem*.

Hic quidam insidiantur verbis Pauli, quare dixerit mulier de viro, vir non de muliere, sed per mulierem, dicentes de solius viri semine concipi puerum sine semine matris, sed tantum per mulierem foveri puerum in utero matris, nec mater habeat ibi semen, sed solam uteri nutrituram. Male exponentes verba Pauli, cum *per* tam bene sit materiale, quemadmodum *de*. Licet dicam mulierem generari *de viro* et e converso, *tamen* hæc et *omnia* quæcunque sunt *ex Deo* sunt ; quia nec vir nec mulier per se possunt aliquid sine Deo.

Hæc præmissa leguntur sub allegoria sic : Vir qui in prima creatione factus fuit a Deo, in multa rationalitatis fortitudine significat rationem, quæ semper regere debet sensualitatem ; mulier autem quæ non adeo fortis fuit, sicut vir, significat sensualitatem quæ, bene gubernata, obedire debet rationi. Quod utique diabolus subtiliter intuens virum se non posse pervertere, cum magis ratione vigeret, quam sensualitate mollesceret ; aggressus est mulierem, quam sensit magis sensualitate premi, quam ratione erigi. Et secundum hoc, sic dicimus : Vir non debet velare caput, quoniam *vir est imago Dei*, id est per vim rationis imaginatur Deum, et per rationem agendo gloria est Dei. Glorificatur enim Deus in bene agentibus servis ; mulier autem, id est ipsa sensualitas, gloria est viri per rationem Deum imaginantis : sensualitas enim bene operando consentiens rationi, gloria ejus est. Et licet per virum rationem, per mulierem accipiamus sensualitatem, non tamen negamus quin utrumque sit in utroque, et ratio in muliere vir dicitur ; et sensualitas in viro mulier appellatur. Nec sic de ratione et sensualitate hic agimus, quin semper ad ipsas personas respiciamus. Vir debet esse gloria Dei, et mulier viri. Nam vir non est ex muliere, id est rationalitas non debet pendere ex sensualitate, sed mulier ex viro, id est sensualitas ex ratione. Vir utique non est ex muliere. Etenim vir non est creatus, id est ratio non ad hoc data est homini propter mulierem, id est ut sequatur sensualitatem, sed mulier propter virum, id est sensualitas creata est propter obediendum rationi. Et quia mulier propter virum creata est, ideo deberet habere signum potestatis supra caput, et *propter angelos*, sicut dictum est. Sed licet virum tanta dignitate prætulerim mulieri, tamen neque vir sine muliere, nec mulier sine viro, id est alter non præcedet alterum in Domino, id est in beatitudine, solummodo bene operentur : licet in prima creatione vir mulierem præcesserit, vere alter non præcedet alterum in salvatione ; nam illud quod supra dictum est, *mulier* de *viro*, *vir non* de *muliere*, nihil nocebit, cum in successione generationis vir ita sit de muliere, sicut mulier de viro, licet in prima creatione *mulier de viro* solo generata sit, *omnia autem ex Deo*, sicut dictum est.

Probavit secundum ordinem creationis secundum instituta Patrum, virum non debere velari, nec mulierem denudare caput. Probat idem per naturam utriusque : quæ viro breviores capillos dedit in signum libertatis ; mulieri prolixos in signum velandi pudoris. Licet enim quidam viri longiores habeant, hoc fit per artem, non per naturam. Si vero feminæ breviores habeant, hoc est ex aliquo vitio, non ex natura. Littera sic jungitur. **129** Probavi superius per ordinem creationis velandum esse caput mulieris. Nunc *vos ipsi*, Corinthii, *judicate*, quod non debere fieri probabo per naturam, *Judicate*, inquam, an *decet mulierem non velatam*

orare Deum? Non utique; quia *nec ipsa natura docet vos* sic agere, imo prohibet. Et cum natura prohibeat, *si vir quidem nutriat comam, ignominia est* illi, quia contra naturam agit. *Si vero mulier nutriat comam, gloria est illi; quoniam capilli* longi *dati sunt ei* a natura *pro velamine*, id est in signum velaminis, quod capiti semper debet supponi. Probavi per ordinem creationis, et per legem naturæ, virum non debere caput velare, nec mulierem denudare. Sed *si quis inter vos videtur contentiosus*, nec consentit nostris rationibus, hoc unum dicemus ei : Frater, *nos non habemus talem consuetudinem*, nec habuimus in synagoga Judæorum, *neque* adhuc habemus in nova *Ecclesia Dei*, ut vir velato capite, mulier non velato oret. Et quia consuetudo hoc non habuit, nec adhuc habet, propterea, quia admonitione nostra abuteris, jam non solum suadeo, sed ex auctoritate nostra præcipio ne ulterius fiat hoc insuetum.

Postquam ab hoc malo coercuit Corinthios, transit ad alia, in quibus longe deterius offendebant : seducti enim a pseudomagistris, dereliquerant institutionem Pauli, quam eis tradiderat de susceptione corporis et sanguinis Christi. Suaserant enim eis pseudo, quod post cœnam communicari deberent : hac enim hora Christus tradiderat hæc sacramenta discipulis suis participanda. Unde in multa mala devenerant ; quia, cum inter eos essent schismata, ad unitatem corporis Christi accedere præsumebant ; et aliud malum, quia prius cœnabant et inebriabantur, et hoc in ecclesia et in his cœnis eos qui tantos apparatus non habebant, erubescere faciebant, nec indigentibus aliquid ministrabant, et post hæc mala mensæ Domini se ingerebant. Littera sic jungitur : Hoc quod præmissum est ne fiat præcipio, illud aliud non laudans, sed magis improbans. Hoc scilicet, quod convenitis ad cœnam Dominicam, in qua deberetis unum fieri, vos dico non per hoc profecturos in melius, sicut deberetis, sed lapsuros in deterius. Et cum multa sint mala vestra, primum quidem omnium hoc repono, quod, *vobis convenientibus in ecclesiam, audio inter vos esse scissuras* et discordias, cum Ecclesia unitatem exigat, *et*, sicut audio, bene *credo ex parte*, id est propter partem de vobis, quos in schismatibus scio gloriari. Credo utique, nam oportet credere. Nam religiosæ personæ mandaverunt mihi. Vel ita : scissuræ in vobis ideo sunt ; nam oportet esse scissuras, id est quaslibet discordias, *et* (quod majus est) *hæreses. Necesse est enim ut veniant scandala*, ad hoc, ut qui probati sunt et a Deo electi, *fiant manifesti in vobis*, perdurantes in tentationibus, et ut reprobi fiant similiter manifesti. Quandoquidem scissuræ sunt in vobis, *ergo convenientibus vobis in unum*, qui unitati contradicitis, *jam non est*, id est, pro sola causa discordiæ non licet *manducare Dominicam cœnam*, id est corpus et sanguinem Christi, quæ Dominus discipulis in cœna tradidit ; vel jam, id est in hoc mundo, Dominica cœna vobis pro discordia interdicitur, sed in futuro damnabimini penitus. Propter *scissuras* non licet corpus Christi accipere. Ideo etiam vobis non licet : *quia unusquisque vestrum præsumit*, id est, præsumendo anticipat *propriam cœnam*, non solum ad apparandum, sed etiam ad comedendum. *Et* præterea aliud malum : quia *alius quidem* (qui non habet unde sibi præparet) *esurit*. Iterum aliud malum : *Alius autem ebrius est*. Sed sic in ecclesia comedentes, *nunquid non habetis privatas domos ad manducandum et bibendum?* quas si non haberetis, tolerabilius esset in platea comedere. *Aut contemnitis* **130** *Ecclesiam Dei*, in qua inebriamini ; *et confunditis eos*, id est verecundiam infertis pauperibus, *qui non habent* quid sibi præparent ?

Et quia sic impudenter agitis, *quid dicam vobis?* Certe sine charitate estis, contemptores Dei, sectatores gulæ, etc. *Laudo ego vos in hoc? utique non laudo*, imo vitupero. Vel ita : *Laudo vos* in quibusdam aliis, sed *in hoc* nullatenus *laudo*. Postquam vituperavit in eis ordinem in quo male consueverant, determinat eis quomodo sacramenta Christi accipere debeant, scilicet in abstinentia, non in ebrietate, sed in dolore, et in tribulatione. Littera sic jungitur : *Non laudo vos* quia corpus Domini ebrii suscipitis ; sic enim non esset accipiendum, sed in commemoratione tribulationis et mortis Christi. Sed priusquam ad hoc veniat, commendat illud quod dicturus est auctoritate Domini, dicens : *Ego accepi ab ipso Domino quod jam tradidi vobis*, et nunc iterum tradam, hoc scilicet quod *Dominus* noster *Jesus* Christus *in* illa *nocte*, (nox autem signum est adversitatis et tristitiæ ; in qua nocte non epulabatur, non inebriebatur, sed ad mortem pro peccatis nostris tradebatur) *accepit panem*, id est veram substantiam panis. *Et agens gratias* Deo Patri de hoc ; quia, sicut per eum disposuerat, humanum genus redimebat, et in obedientia Patris perseverabat. In his verbis quibus Christus *gratias* egit *Patri*, dicitur substantia panis et vini apposita in altari, transire in veram carnem et verum sanguinem Christi. *Gratias*, inquam, *agens fregit* illud, quod unum et inseparabile durat in æternum ; sed fregit, cum singulis totum dedit : ut per hoc insinuaret, nos, qui personis diversi sumus, debere unum fieri in dilectione Dei. *Fregit*, inquam, *et dixit : Accipite*, id est, acceptabile hoc habete, et subtiliter discutite mysterium hujus sacramenti ; ut, quemadmodum ego pro vobis, sic et pro nomine meo et proximis pati gaudeatis. *Accipite*, inquam, *et manducate*. In qua re Christus insinuare voluit non sufficere nobis si credamus, nisi gustando videamus quam suavis est Dominus ; sicut manducare non proficeret, nisi crederemus. Et *hoc* quod panis paulo ante erat, nunc vere *est corpus meum ; quod* corpus *tradetur pro vobis* in mortem, licet nunc illud vobis porrigam immortale et impassibile.

Notandum est hoc etiam sic esse signa substantiæ ; ut nullam ibi qualitatem notent, neque mortalitatem, neque immortalitatem. Nec mirandum est si (quem-

admodum ait Augustinus) manibus mortalibus se immortalem ferebat, cum in transfiguratione (*Matth.* XVII), qui tunc et postea mortalis fuit, se in gloria immortalitatis et impassibilitatis Petro, Jacobo et Joanni ostendit. *Manducate*, inquit, *corpus meum :* et *hoc facite*, id est, continue sumite. Non in gaudio et ebrietate, sed *in meam commemorationem :* ut vos semper memores passionis et mortis meæ, et pati et mori velitis pro me. *Similiter* sicut corpus, *accepit calicem postquam cœnavit* (hic innuit, quod post cœnam corpus similiter dederit) ; *accepit*, inquam, *calicem, dicens : Hic calix* qui paulo ante vera substantia vini erat : hic utique calix est meus sanguis : et *in* hoc *meo sanguine est novum testamentum*, id est nova promissio. Lex enim vetus carnalia promittebat ; sed hoc sacramentum corporis et sanguinis mei rem novam, quia spiritualem beatitudinem promittit. Testamentum etiam ideo novum, quia nunquam est immutandum, ut alii ritus inducantur. Et *hoc*, scilicet sanguinem meum ; *facite*, id est sumite, *in meam commemorationem*, id est contrito et humiliato corde, non semel, sed *quotiescunque sumitis*. Et justum est ut hoc sumatis in memoriam mei ; *quia quotiescunque manducabitis panem hunc*, id est verum corpus meum, quod speciem et saporem panis retinet (ne sumentes illud abhorreant) ; *et quoties bibetis hunc calicem*, id est sanguinem **131** meum (propter saporem et speciem vini retinentem), *quoties*, inquam, hæc sumetis, *annuntiabitis*, id est repræsentabitis *mortem Domini*, cui semper compati et commori debetis ; facientes hoc *donec* Dominus *veniat* ad judicium, et seipsum vobis facie ad faciem tradat.

Notandum est cur Dominus Jesus post cœnam, celebrato veteri pascha, corpus et sanguinem suum, novum scilicet pascha discipulis tradiderit ; quod satis competenti ordine factum est. Si enim prius novum pascha, deinde vetus celebraret, non videretur per hoc novum sacramentum destruere vetera, nec finem esse veterum ; sed videretur innuere quod iterum, post hæc nova, reducturus adhuc esset illa vetera. Ut autem ostenderet omnia vetera in hoc novo sacrificio finem habere, nec illa unquam esse reducenda, congrue vetus pascha ad destructionem præmisit, et novum pascha, quod permansurum erat, supposuit ; in quo omnium veterum finis fuit, quandoquidem *in commemorationem* et in conformitatem Christi sumenda sunt hæc sacramenta. *Itaque quicunque manducaverit panem*, id est corpus Domini, *vel biberit calicem*, id est sanguinem *Domini indigne*, id est in scissura, in ebrietate, vel in hujusmodi malis, ille *erit reus corporis et sanguinis Domini*, id est damnabilis propter corpus et sanguinem Christi indigne acceptum. Ne *autem* reus fiat homo, *probet scipsum*, id est examinet et dijudicet se, non conferens illi qui male agit, quasi per hoc justitiam suam præferat ; sed seipse in contuitu infirmitatis suæ dijudicet. *Et sic* probatus *edat de pane illo, et de calice bibat*. Oportet ut homo sic seipsum probet.

A *Qui enim manducat et bibit indigne*, hic *manducat et bibit* non indulgentiam, sed *judicium*, id est damnationem sibi ; et merito, quia *non dijudicans*, id est parum discernens ab alio cibo *corpus Domini*, quemadmodum non discernebant Corinthii ; quia quod in toto præmiserat, de Corinthiis maxime intellexerat. Ex præmissis infert in eos : Quia indigne sumitis corpus Domini, nec ab aliis cibis illud dijudicatis : *ideo inter vos*, o Corinthii, *multi* sunt *infirmi*, febribus et hujusmodi passionibus ; *et multi imbecilles*, qui virtute membrorum privantur ; *et* etiam *dormiunt multi* somno mortis. Quia non examinamus nos, ideo sic affligimur ; *si vero nosmetipsos dijudicaremus*, id est mala facta nostra dijudicaremus, id est damnaremus flagello pœnitentiæ, *non* B *utique judicaremur*, id est damnaremur pro his a Domino. Unde enim homo seipsum judicat, inde liber evadit judicium Dei. Et licet per infirmitatem et imbecillitatem sic affligamur a Domino, tamen *dum* sic *judicamur*, et, secundum quosdam de nobis male agentes, damnamur, nos alii, ne similiter peccemus, *corripimur a Domino ;* in quo enim Deus judicio agit contra impios, in eo misericorditer castigat suos.

Corripimur dico, *ut* correcti *non damnemur cum hoc mundo ;* ideo non ait *cum Corinthiis*, sed *cum mundo*. Intelligit enim eis qui peccant non plus prodesse accepta sacramenta, quam his qui in mundo, id est in gentilitate, adhuc permanent : quandoquidem indigne sumentes damnantur ; et quia per damnationem impiorum *corripimur. Itaque, fratres* C *mei*, ut digne et bene correpti suscipiatis, *cum* vos *convenitis ad manducandum* cœnam Domini, *exspectate invicem*, id est alter alterum, non anticipantes constitutam horam accipiendi Dominicam cœnam. Secundum enim traditionem Domini, consuevit Ecclesia in die cœnæ ad vesperum communicare. Dico ut exspectetis. *Si quis vero esurit*, et legitimam horam exspectare negligit, malo ut *manducet domi*, quam ante horam anticipet cœnam Christi ; non tamen, postquam comederit, participaturus mensæ Christi. Sic invicem exspectare vos volo, *ut non conveniatis in judicium*, id est conventus vester non sit vobis causa damnationis. Hæc supradicta **132** modo vobis proposui, quia scio vos sine his non posse salvari. *Cætera autem*, sine quibus tamen D salvari potestis, sed ad incrementum gloriæ proficua, illa *cum* ego *venero disponam* vobis.

CAPUT XII.

« De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fra-
« tres. Scitis autem quoniam cum gentes essetis,
« ad simulacra muta prout ducebamini euntes.
« Ideo notum vobis facio quod nemo in spiritu Dei
« loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest di-
« cere « Dominus Jesus, » nisi in Spiritu sancto.
« Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiri-
« tus. Et divisiones ministrationum sunt, idem au-
« tem Dominus. Et divisiones operationum sunt,
« idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.
« Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad

« utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo « sapientiæ; alii autem sermo scientiæ, secundum « eumdem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; « alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio « virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; « alii genera linguarum; alii interpretatio sermo- « num. Hæc autem omnia operatur unus atque « idem spiritus, dividens singulis prout vult (*Rom.* « XII, 6; *Ephes.* IV, 7). Sicut enim corpus unum « est, et membra habet multa, omnia autem mem- « bra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; « ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos « in unum corpus baptizati sumus; sive Judæi, sive « gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes in uno « spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum « membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam « non sum manus, non sum de corpore; num ideo « non est de corpore? Et si dixerit auris, quia non « sum oculus, non sum de corpore; num ideo non « est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi au- « ditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc « autem posuit Deus membra, unumquodque eorum « in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia « unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa « quidem membra, unum autem corpus. Non po- « test autem oculus dicere manui: Opera tua non « indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi « necessarii. Sed multo magis quæ videntur mem- « bra corporis infirmiora esse, necessariora sunt. « Et quæ putamus ignobiliora membra esse corpo- « ris, his honorem abundantiorem circumdamus. « Et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem ho- « nestatem habent: honesta autem nostra nullius « egent; sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat « abundantiorem tribuendo honorem, ut non sit « schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem « sollicita sint membra. Et si quid patitur unum « membrum, compatiuntur omnia membra; sive « gloriatur unum membrum, congaudent omnia « membra. Vos autem estis corpus Christi, et mem- « bra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus « in Ecclesia: primum apostolos, secundo prophe- « tas, tertio doctores, deinde virtutes; exinde gra- « tias curationum, opitulationes, gubernationes, ge- « nera linguarum, interpretationes sermonum. Nun- « quid omnes apostoli? Nunquid omnes prophetæ? « Nunquit omnes doctores? Nunquid omnes vir- « tutes? Nunquid omnes gratiam habent curatio- « num? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nun- « quid omnes interpretantur? Æmulamini autem « charismata meliora [*al.*, majora]. Et adhuc ex- « cellentiorem viam vobis demonstro. »

EXPOSITIO.

Hic finis est de sacramentis altaris: nunc transit ut doceat eos de donis Spiritus sancti, in quibus graviter errabant. Qui enim majora dona acceperant, gloriabantur adversus eos quibus minores gratiæ concessæ fuerant. Illi autem qui minus acceperant, desperabant, quia inferiores erant in donis Spiritus sancti. Qui vero majoribus gratiis abundabant, arrogabant hoc meritis suis; et meritis inferiorum hoc improperabant, in hunc modum derogando spiritui. Errabant etiam in hoc, quod gratias illas quæ inferiores erant, ut genera linguarum, præferebant cæteris, magisque appetebant. Ut autem hunc errorem depelleret, instruit eos sic, dicens: **133** Cætera quæ disponam cum venero prætermitto, sed *de spiritualibus* vos docere illud nullo modo differo. *Nolo*, inquam, *vos*, *fratres*, *ignorare* de spiritualibus, id est de donis Spiritus sancti, quid de his sentiendum sit vobis. Hoc autem de Spiritu dico quod facit cessare a malo, et operari bonum. Sed ad hoc inducendum præmittit similitudinem, dicens: Ideo scitote quod Spiritus sanctus faciat non separari a Christo, *quoniam scitis quod*, *cum* adhuc *essetis gentes*, id est gentiles, vel gentiliter viventes, eratis *euntes ad simulacra muta prout ducebamini* a maligno spiritu; quia alius ad immolandum, alius ad thurificandum, alius ad adorandum ducebatur. Ubi ait, *muta* idola, ostendit quod ratione non ducebantur, quæ satis discernere posset, idolum non esse Deum, sed per malignum spiritum. Et *ideo* quia a maligno spiritu ad malum ducebamini, per simile *notum facio vobis*, quod per Spiritum sanctum a priori malo desistitis. Quod æquipollenter ait: Hoc facio vobis notum, *quod nemo loquens in Spiritu Dei*, loquens actu, cogitatione et verbo: spiritus enim qui res est invisibilis, non cognoscitur esse in homine, nisi per hæc quæ extrinsecus videntur vel audiuntur. *Nemo*, inquam, *loquens in Spiritu Dei*, *dicit* similiter actu, verbo, cogitatione, *anathema*, id est separationem a *Jesu*. Nemo enim habens donum Spiritus sancti poterit operari, cogitare, vel loqui, pro quo separetur a Jesu, quandiu Spiritus in eo manserit. In hoc multum relevat desperationem eorum, qui minores gratias acceperant, cum dicat non posse separari a Jesu, in quo Spiritus Dei per aliquod donum manserit.

Nec solum facit Spiritus ne separemur a Jesu, sed etiam *nemo potest dicere* verbo, opere, cogitatione. *Jesus* est *Dominus* meus, quia ego servus ejus, id est, nemo potest bonum operari, *nisi in Spiritu sancto*, qui per eum operatur. Jesus est Dominus meus. Hoc nequit dicere, qui non est servus ejus; quia, si non est servus, mentitur potius quam verum dicat. Hic multum deprimit eos, qui de majoribus donis se præferebant aliis; cum dicat nihil esse ex merito hominis, sed totum in Spiritu sancto. Licet hoc indifferenter det spiritus declinare a malo et facere bonum; gratiæ tamen ejusdem Spiritus divisim distribuuntur diversis. Sed *licet divisiones sint gratiarum*, *tamen idem* et indivisus est *Spiritus*, qui divisas dat gratias. Et sicut sunt divisiones gratiarum, ita sunt divisiones effectuum earum, scilicet ministrationum. Hic enim ministrat in episcopio, hic in sacerdotio, et sic in cæteris gradibus Ecclesiæ. Dicimus etiam ministrationes in quibuscunque, idonee ministramus proximo. Et licet divi-

siones sint ministrationum, tamen *idem* est *Dominus* qui dat gratiam in qua ministramus.

Sunt etiam divisiones operationum, quæ in nobisipsis bene operamur, orando, vigilando, jejunando; et hæ operationes sunt effectus gratiarum. *Et licet divisæ sint operationes, tamen idem est Deus, qui operatur omnia* quæcunque opportuna videt saluti *in omnibus*. Quod ita ait : Idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus; non quod diversas intelligat substantias, sed ut Trinitatem in personis, unitatem designet in substantia. Et licet sunt divisiones gratiarum, tamen *unicuique datur manifestatio Spiritus*, id est aliquod bonum per quod Spiritus operari in eo manifestetur, *ad utilitatem*. Sic enim utile est minus donum cui datur, sicut majus donum alteri. Deus enim non secundum merita hominum gratias suas distribuit : plerumque enim minus digno majus donum; plerumque digniori minus datur : secundum quod Deus videt hunc magis opportunum ad illud exercendum, illum ad aliud; enumerat gratias, dicens : Divisiones utique sunt gratiarum. *Nam alii quidem*, id est discrete *datur per Spiritum* sapientia, id est cognitio divinorum, *et sermo sapientiæ*, ut gratiose eloqui possit quod bene sapit. *Alii autem* datur *scientia* de humanis et sermo, ut expedite loquatur quod scit; et hoc *secundum eumdem Spiritum*, excluso merito hominis. *Alteri datur fides*, id est **134** vel constantia fidei, ut pro fide tuenda non dubitet mori. Vel fides, quia novit sacramenta fidei; et hoc *in eodem Spiritu. Alii* datur *gratia sanitatum*, ut per virtutem spiritus possit depellere morbos; et hoc *in uno* eodemque *Spiritu*, quia tædebat eum singulis donis spiritum apponere, comprehendit cæteras gratias, et ad ultimum subdit omnes dari per Spiritum. *Alii* datur *operatio virtutum*, id est miraculorum quæ contra legem naturæ fiunt, ut cæcum illuminare, mortuum suscitare. *Alii* datur *prophetia*, id est revelatio futurorum, vel intellectus Scripturarum. *Alii* datur *discretio spirituum;* quia scit discernere, quo spiritu quisque operetur aliquid, vel loquatur. *Alii* dantur *genera linguarum;* quia scit loqui diversis linguis. *Alii* datur *interpretatio sermonum;* quod Græcum scit interpretari per Latinum, vel e converso. Vel interpretatio sermonum, id est expositio allegoriarum. Et cum diversis hæc diversa dentur, tamen *hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus*, quem supra vocavi Deum et Dominum : *Spiritus* dico, *dividens singulis prout vult*, id est per gratiam, non per meritum.

Hic incipit ostendere diversitatem membrorum in eodem capite, qui est Christus; et quomodo illa diversa unum fiant in capite Christo. Littera sic jungitur. Bene dico spiritus dividens singulis, id est diversis membris diversas conferens gratias. Nam Christus est unum corpus diversa habens membra : *sicut* vides quod *corpus* hominis, *unum est, et tamen habet multa membra*, id est diversos actus habentia; et *tamen omnia membra corporis cum sint multa*, id est diversa, *sunt unum corpus*. Ita Christus diversa membra habet in Ecclesia; et tamen in eo capite unum sunt : nec mirum; quia sicut per eamdem animam diversa membra vivunt, sic per eumdem spiritum universa membra ejus reguntur. Vere Christus est unum corpus : *etenim omnes nos sumus baptizati* et vivificati *in uno Spiritu*, transeuntes in unum corpus Christi. *Omnes* dico indifferenter, *sive* simus *Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi*. Et sicut baptizati, sic etiam *omnes* post baptismum *potati sumus uno* eodemque *Spiritu* in confirmatione, et in cæteris ordinibus Ecclesiæ. Vere nos baptizati sumus omnes, id est vere sumus diversa membra. *Nam, sicut corpus* hominis *non est unum membrum, sed multa;* et per simile non est Christus unum membrum, sed multa. Illud etiam totam refert sententiam. Nunc infert a superiori, quod nos omnes uno Spiritu baptizati et potati, sumus unum corpus Christi; quia unum : igitur *si dixerit pes*, id est inferius membrum in Ecclesia, *quoniam non sum manus*, id est talis operator ut ille; ideo *non sum de corpore* Christi; *non ideo sequitur eum non esse de corpore* Christi. Quod est dicere : Ille qui est inferior non potest se abrumpere ab unitate Christi; quia habet alium superiorem se in eodem corpore Christi. Et sicut pes non abrumpitur, quia non est manus; ita *si dixerit auris*, id est ille quem per alium docentem oportet intelligere, *quia non sum oculus*, id est quia per me non omnia intelligo; ideo *non sum de corpore; non sequitur ideo non esse de corpore.*

Dixerat superius, quod *corpus non est unum membrum*, sed non dederat rationem. Quare et hoc nunc subdit, dicens : Vere auris, licet non sit oculus, tamen est de corpore; quia si ideo non esset, sequeretur quod oculus esset totum corpus. Sed si oculus esset totum corpus, ubi est auditus? Ecce penuria in corpore. Et si auditus est totum corpus, ubi est odoratus? Iterum penuria. Per odoratum, discretionem boni et mali accipimus. Ne autem in corpore esset hæc penuria, posuit nunc Deus diversa membra, unumquodque eorum in uno corpore, sicut voluit distribuens eis gratias. Non solum propter removendam penuriam, unum membrum non est totum corpus, sed etiam ideo esse non potest; quia *si essent omnia membra unum membrum*, **135** *ubi esset corpus?* Periret utique corpus, quia si omnia membra essent manus, nec sic esset corpus hominis. Si iterum omnes in Ecclesia essent apostoli, vel unum aliquid, nec ipsi iidem essent apostoli, cum non essent quibus prædicarent. Quandoquidem si unum membrum totum corpus dicitur, et penuria in corpore, et etiam defectus corporis sequitur. *Propterea nunc* quidem *multa* et discreta *sunt membra, corpus autem* horum membrorum *unum est*. Et quia ex necessitate inferiora ut superiora membra sic sunt in corpore, *igitur non potest oculus dicere manui*, id est superior inferiori : *Non indigeo opera tua;* cum unum membrum ablatum penuriam faciat

corpori. Per hoc satis apparet quod qui majus donum accepit, non habet unde se præferat ei qui minus accepit; cum inferior sic faciat penuriam corporis, ut superior, si removeatur. *Aut iterum caput pedibus*, superior similiter inferiori dicere non potest: *non estis mihi necessarii;* cum oculus purgatione per manum indigeat, caput ut pedibus portetur ad hoc quod gustare, audire, vel videre desiderat.

Inferiora non tantum sunt necessaria, sed etiam multo magis sunt necessaria aliquando ea membra corporis quæ videntur esse infirmiora. Plerumque etiam quilibet idiotæ magis necessarii sunt in procuratione ecclesiasticorum, quam hi qui magis sapientes sunt, secundum opportunitatem temporis. Et ea *membra* Ecclesiæ *quæ putamus ignobiliora*, quia labuntur, aliquando *his circumdamus abundantiorem honorem*, id est hos tales solertiori cura fovere debemus, et reducere ad meliora. Nostra etiam membra *quæ inhonesta sunt:* ut pudenda in corpore; et fornicator ille qui uxorem patris duxerat in Ecclesia Corinthiorum; ut David quando peccavit in uxorem Uriæ; hæc inhonesta *habent abundantiorem honestatem*, id est diligens et honesta cura exhibenda est eis, ne, si spernantur, desperent; quia fortasse cras perfecti erunt, ut in David visum est. Inhonesta indigent honestate: sed *honesta* membra *non egent ullius* honoris impensi sibi ab alio. Qui enim perfecti sunt, non egent alio. Honesta quidem nullo egent: *sed Deus temperavit*, id est modificavit corpus, ut honesta ornarent inhonesta. Temperavit, inquam, *tribuendo abundantiorem honorem* ei membro cui aliquid deerat, ut membrum ægrum majori dilectione foveremus, quam sanum. Ideo sic temperavit, *ut non sit schisma*, id est discordia, *in corpore* Christi; *sed* omnia *membra sollicita sint pro invicem*, id est alterum pro altero; *sentientes idipsum*, id est angustiam proximi judicantes propriam. *Et si quid* molestiæ *patitur unum membrum, compatiantur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra.* Et quidquid dixi de unitate corporis Christi, totum spectat ad vos, o Corinthii; quia *vos estis* unum *corpus Christi, et* diversa *membra* pendentia *de membro* Christi, qui vos de fide docuit. Vel membra pendentia de membro, id est de capite Christo, qui supremum membrum est Ecclesiæ. Locutus est superius de diversitate membrorum Christi, quomodo unum sint in capite suo Christo; loquitur adhuc de eisdem membris secundum diversitates donorum quæ habent a Spiritu sancto; volens comparare dona illa inter se, quæ magis sint utilia, quam minus: ut charitas et prophetia, quæ maxima sunt. Loqui diversis linguis, longe his inferius. Et hæc ideo comparat, quia Corinthii genera linguarum (quæ ultima erat) præferebant omnibus gratiis.

Littera sic jungitur: Vos estis membra pendentia de membro, id est de capite Christo, in quo unum corpus estis; et in hac unitate discretio, quia *quosdam quidem*, id est discrete, *posuit Deus in Ecclesia. Primum*, id est in primo et excellentissimo gradu ponens *apostolos. Secundum* post apostolos posuit *prophetas*, id est viros illuminati sensus, qui aperirent Scripturas. *Tertio* gradu sub prophetis posuit *doctores*, qui de moribus instruerent. In his tribus servavit ordinem, 136 reliqua sine ordine miscuit. *Deinde* post doctores posuit *virtutes*, eos scilicet qui in virtute Dei cæcos illuminarent, mortuos suscitarent. *Exinde* posuit *gratias curationum*, eos scilicet qui dono Dei morbos depellerent. Dehinc *opitulationes*, id est adjutores prædicationis, ut Barnabam et Timotheum: quo officio adhuc funguntur legati Romanæ sedis. Post hæc posuit *gubernationes*, id est episcopos, presbyteros: qui Ecclesias fidelium gubernarent. Ad ultimum posuit *genera linguarum*, id est ultimam gratiam, quam vos, o Corinthii, maxime desideratis. Et congrue Deus diversitates gratiarum in Ecclesia ordinavit. *Nunquid* enim *omnes* fuerunt *apostoli?* Si omnes utique, nec unus. Nam si, cum omnes essent apostoli, non essent quibus prædicarent verbum Dei, quia omnes perfecti; iterum, *nunquid omnes* essent *prophetæ?* Sic jam nihil alicui posset revelari, quia singuli essent prophetæ. *Nunquid* iterum *omnes* erunt *doctores?* Non esset quem de moribus instruerent, quia omnes docti. *Nunquid omnes virtutes?* Sic nec esset, cui fierent miracula. *Nunquid omnes habent gratiam curationum?* Non: quia non esset quem curarent. *Nunquid omnes* variis *linguis loquuntur?* Sic jam vile et commune fieret donum Dei. *Nunquid omnes interpretantur*, id est, linguam in linguam transferre noverunt? Si omnes interpretes, pro nihilo fieret interpretatio. Cum autem sint tot dona Spiritus sancti, *æmulamini*, id est desiderate ea *charismata*, id est gratuita dona spiritus, quæ inter prædicta sunt *meliora.* Charisma gratuitum dicitur. Et præter hæc quæ supra monstravi, *demonstro vobis adhuc viam excellentiorem*, id est charitatem, quæ via est, et omni dono excellentior; quia cætera omnia non sufficiunt ad beatitudinem sine charitate.

CAPUT XIII.

« Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs « sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem « scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut « montes transferam, charitatem autem non habeam, « nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum « ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, « nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna « est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, « non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ « sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non « gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati. « Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia « sustinet. Charitas nunquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive

« scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, « et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod « perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum « essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam « ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando au- « tem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. « Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc « autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : « tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. « Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria « hæc. Major autem horum est charitas. »

EXPOSITIO.

Quia vult Corinthios magis appetere charitatem quam linguas, probat charitatem excellentiorem esse quam loqui linguis, dicens : Charitas utique linguis est excellentior; nam *si* ego *loquar linguis* omnium *hominum*, *loquar* etiam *linguis angelorum* (non quod angeli linguis loquantur, sed quibusdam signis alteri alter voluntatem suam significat), et si ego tantæ perfectionis essem, ut monitiones angelorum cognoscerem, **137** vel *linguis angelorum* loquerer (cum enim angeli assumpta forma aliqua hominibus loquuntur, necesse est ut verba humana proferant); si autem hæc eadem verba loquar. Vel ita : *Si loquar linguis hominum*, id est humaniter viventium : *et* linguis *angelorum*, id est eorum qui in hoc mundo contemplative vivunt, *charitatem autem non habeam*, *factus sum* inutilis *velut æs sonans*, quod infructuose quantum ad se pertunditur, *aut velut cymbalum tinniens*, quod aures hominum delectat, seque pertundit et diminuit. *Et si habuero prophetiam*, ut illuminato sensu ventura prædicerem; *et* si *noverim omnia mysteria*, id est figuras operum Dei (ut diluvium figura fuit baptismi et similia); *et* si noverim *omnem scientiam*, id est ipsorum mysteriorum significationem; *et si habuero omnem fidem*, *ita ut montes* (ad litteram) *transferam* (hoc enim erat meritum fidei, ut si fidelis diceret monti tollere hinc, et mittere in mare [*Matth.* XXI, 21], ita pro certo fieret). Vel aliter : Si habuero tam perfectam fidem ut tollam montes, id est diabolos ab obsessis corporibus transferam in porcos vel in hujusmodi, *charitatem autem non habuero*, *nihil sum*, id est, nullius meriti propter fidem sine charitate judicor. *Et si distribuero*, id est diversis tribuero, non superflua mea tantum, sed etiam *facultates meas*, id est, quæ facultas et possibilitas esset mihi retinere : *distribuero* dico non in superflua, sed *in cibos;* nec divitum, sed *pauperum;* et omnes, quotquot sunt, *facultates; et si tradidero corpus meum*, *ita ut ardeam*, sicut B. Laurentius, *charitatem autem non habuero*, *nihil mihi prodest.*

Cætera sine charitate non prosunt; sed *charitas*, etiamsi per se considerari queat, *patiens est*, id est virtutem patientiæ habet, etiamsi nihil quandoque patiatur. *Est* etiam *benigna*, id est larga et abundans dilectione proximi, etiam si non habet quid tribuat. Postquam bona in charitate posuit, mala removet ab eadem, dicens : *Charitas non æmulatur*, id est nemini invidet. *Non agit perperam*, id est A perverse, aliquid; *non inflatur*, id est non superbit, de temporali bono vel spirituali; *non est ambitiosa*, ut dignitates mundi concupiscat; *non quærit quæ sua sunt* tantum, sed æque utilitati intendit proximi ut suæ. Vel *non quærit*, id est non requirit, *quæ sua sunt*, si quis abstulerit ei. *Non irritatur*, id est non provocatur ad iram, *non cogitat malum*, ut dicat vel inferat alicui. *Non gaudet super*, id est de *iniquitate;* si videt inique agi in proximum, potius compatitur; *congaudet autem veritati*, id est secundum veritatem loquenti vel agenti. *Omnia* etiam adversa quæ inferuntur, patienter *suffert*, tolerat; *omnia credit*, quæcunque de Deo sane credi oportet. *Omnia sperat*, et in præsenti virtutes, et in futuro gloriam. *Omnia sustinet*, id est, si differatur retri- B butio, longanimis est in sustinendo. Alia excellentia charitatis, scilicet quia *charitas nunquam excidit*, id est, permanens est in æternum, et nunquam præteriit. Vere charitas sola non excidit. Nam prophetiæ et scientia, quæ inter cætera magis stare videntur, illa destruuntur. *Sive enim prophetiæ* sint, *evacuabuntur* in futuro. Cum enim omnia omnibus aperta fient, quid prophetarent? *Sive linguæ* sint, illæ *cessabunt*, omnibus enim in futuro identitas erit sermonis; *sive scientia* quæ nunc habetur, illa *destruetur*. Quia de scientia quibusdam videbatur quod permanens esset, probat quod revera scientia præsens destruetur; quia nunc *cognoscimus*, id est scimus *ex parte*, id est imperfecte. Et vere prophetia evacuabitur. Nam nunc *prophetamus ex parte*, id est C imperfecte; *sed* in futuro *cum venerit quod perfectum est*, *evacuabitur* omne illud *quod ex parte*, id est imperfectum *est*.

Opponeret aliquis : Verum quidem est quod scientia nunc est imperfecta, sed perfecta erit in futuro; sed tamen illa pars scientiæ quæ nunc est, non destruetur, sed in illa totalitate scientiæ claudetur. Et hoc per inductam similitudinem Paulus destruit, quod nec illa scientia quæ nunc est permaneat; quia quemadmodum **138** puer nil per rationem, sed per sensus et per quasdam imagines intelligit : de lapide quod durus sit et solidus, et de aliis similiter; cum autem idem puer factus est vir, dimissis imaginibus, jam non corporali sensu discernere D quærens, sola vi rationis longe melius cognoscit de eisdem; ita ut sensualis et imaginaria cognitio, quam puer habuit, nulla jam sibi ratione utenti esse videatur. Sic scientia hujus mundi per quasdam similitudines imaginatur Deum; ut quia videt aliquem potentem, pensat Deum qui hunc creavit, longe potentiorem; et de cæteris similiter. Sed in futuro cognoscemus Deum sicuti est : quem non cognoscimus modo sicuti est, sed tantum imaginamur per quasdam similitudines. Et quia tunc perfecta, nunc imperfecta; tunc secundum veritatem rei, nunc secundum imagines tantum : propterea dixit scientiam destrui. Dilectio autem non destruetur; quia eumdem tunc diligemus quem nunc diligimus, licet tunc perfectius. Vere quod imper-

fectum est evacuabitur, cum venerit quod est perfectum : quemadmodum videtis quod, *cum essem parvulus*, vim rationis ignorans, *loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus*, omnia imperfecte. *Sed quando factus sum vir*, et vim rationis exercui, *evacuari ea quæ erant parvuli*; quia jam ratione longe melius intellexi ea quæ, dum eram parvulus, vix per imagines et sensus aliquantulum cognovi.

Similiter, quemadmodum pueri, *videmus nunc*, id est in præsenti, Deum *per speculum*, id est non per veritatem rei sicuti est, sed per quamdam similitudinem qua Deum imaginamur; nec per speculum quod aliquantulum sit lucidum, sed positum *in ænigmate*, id est, in obscuritate tanta, ut veritas rei secundum quod est, nullo modo cognoscatur; sed *tunc* in futuro *videbimus* Deum *facie ad faciem*, id est, videbimus Deum sicuti est. Et quia sic erit, apparet quod præsens scientia penitus destruetur; sed charitas permanebit : dum eumdem quem nunc diligimus, in futuro diligemus. De vobis utique sic erit, ut nunc imperfecte, tunc perfecte cognoscatis; quia ego ipse *nunc cognosco* Deum *ex parte*, id est imperfecte; *sed tunc* in futuro *cognoscam* eum tam perfecte, *sicut et* ego *cognitus sum* a Deo, cui nihil latet in me. Ideo charitas est excellentior, quia, cum alia destruentur, illa sola permanebit; et etiam nunc, dum in præsenti cum aliis virtutibus permanet, excellentior est omnibus illis. Sed littera sic jungitur. In futuro destruentur, *sed nunc manent fides, spes, charitas*. Per has omnes virtutes intelligit quod fidem, spem et charitatem, satis leviter habere potestis, quia non sunt nisi *tria hæc; et* cum tam pauca sint, præparant omnem gloriam. Et licet simul maneant, tamen *charitas est major horum*, id est inter hæc, vel major his, fide scilicet et spe; et quia permanebit in æternum, et nunc major est, ideo sectamini charitatem præcipue, non genera linguarum.

CAPUT XIV.

« Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, « magis autem ut prophetetis. Qui enim loquitur « lingua, non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo « enim audit, spiritus autem loquitur mysteria. « Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædifi- « cationem, et exhortationem, et consolationem. « Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat; qui « autem prophetat, Ecclesiam ædificat [*al.*, Dei]. « Volo autem omnes vos loqui linguis, magis au- « tem prophetare. Nam major est qui prophetat, « quam qui loquitur linguis; nisi forte interprete- « tur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. Nunc au- « tem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, « quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reve- « latione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in « doctrina? Tamen quæ sine anima sunt vocem « dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem « sonituum dederint, quomodo scietur id quod cani- « tur **139**, aut quod citharizatur? Etenim si in- « certam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? « Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem « dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis « enim in aera loquentes. Tam multa, ut puta ge- « nera linguarum sunt in hoc mundo, et nihil sine « voce est. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei « cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi barbarus. « Sic et vos quoniam æmulatores estis spirituum, ad « ædificationem Ecclesiæ, quærite ut abundetis. Et « ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. « Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens au- « tem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo « spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam « et mente. Cæterum si benedixeris spiritu, quis « supplet locum idiotæ? Quomodo dicet amen super « tuam benedictionem, quoniam quid dicas, ne- « scit? Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter « non ædificatur. Gratias ago Deo[*al.*, meo] quod « omnium vestrum lingua loquor. Sed in ecclesia « volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios « instruam, quam decem millia verborum in lingua. « Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia « parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. In « lege enim scriptum est : « Quoniam in aliis lin- « guis et in labiis aliis loquar populo huic; et nec « sic exaudient me, dicit Dominus (*Isa.* XXVIII, 11). » « Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed « infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed « fidelibus. Si ergo conveniat universa Ecclesia in « unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem « idiotæ aut infideles, nonne dicent, quid insanitis « Si autem omnes prophetent, intret autem quis « infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, iju- « dicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus ma- « nifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, « pronuntians quod vere Deus in vobis sit. Quid « ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque « vestrum psalmum habet; doctrinam habet; Apo- « calypsim habet; linguam habet; interpretationem « habet : omnia ad ædificationem fiant. Sive lingua « quis loquitur secundum duos, aut ut multum tres, « et per partes, et unus interpretetur. Si autem non « fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autem lo- « quatur et Deo. Prophetæ autem duo aut tres di- « cant, et cæteri dijudicent. Quod si aliquid [aliis] « revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis « enim omnes per singulos prophetare, ut omnes « discant, et omnes exhortentur; et spiritus pro- « phetarum prophetis subjectus est. Non enim dis- « sensionis est Deus, sed pacis; sicut in omnibus « ecclesiis sanctorum doceo. Mulieres in ecclesiis « taceant : non enim permittitur eis loqui, sed subdi- « tas esse, « sicut et lex dicit (*Gen.* III, 16). » Si « quid autem volunt discere, domi viros suos inter- « rogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia. « An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos « pervenit? Si quis videtur propheta esse, aut spi- « ritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini « sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabi-

« tur. Itaque, fratres, æmulamini prophetare, et lo- A
« qui linguis nolite prohibere. Omnia autem ho-
« neste et secundum ordinem fiant in vobis. »

EXPOSITIO.

Postquam de charitate probavit, quod excellentior esset non solum linguis, sed et omni virtute, probat quod prophetare dignius et utilius sit in Ecclesia, quam loqui linguis. Et hoc probat multis modis, dicens : Licet dicam præ omnibus *sectamini charitatem*, volo tamen *æmulemini spiritualia*, id est desideretis spirituales gratias. Et cum omnes utiles sint, *tamen* desiderate *ut prophetetis magis*, quam loqui linguis. Et magis utique est desiderandum ; *quia* ille *qui loquitur lingua* incognita, *loquitur non hominibus*, id est non ad ædificationem hominum, *sed Deo*, id est ad honorem Dei tantum, B qui linguam dedit. Vere *non hominibus, nam nemo* hominum *audit*, id est intelligit quæ ille loquitur, sed licet nemo audiat, tamen *Spiritus* sanctus *loquitur mysteria* per illum loquentem lingua incognita. Vere magis utile est prophetare quam loqui linguis ; quia ille qui prophetat loquitur hominibus ad ædificationem. Vel jungamus ad proximum, ut tamen eadem sit sententia : propter hoc quod *nam*, quia, enim proximis respondere debent ; loquens linguis non loquitur hominibus. *Nam* ille tantum *qui prophetat*, id est qui obscuritates Scripturarum aperit, hic *loquitur hominibus ad ædificationem*, id est ut instruat ruditatem **140** eorum ; et postquam instructi sunt *ad exhortationem*, ut ad meliora se erigant ; C *et* ad *consolationem*, ut in tribulationibus fortes appareant. Ille vero *qui loquitur lingua* incognita, ut plus *ædificat semetipsum :* quandoque nec se ; quia non intelligit, opposita sententia. Sed ille *qui prophetat*, dum Scripturas aperit, totam *Ecclesiam ædificat*. Et quia tanta utilitas est prophetandi, *volo* utique *vos omnes loqui linguis*, sed *tamen magis* volo vos *prophetare*. Propterea, quia ille *qui prophetat major est* dignitate, et merito, et utilitate, *quam* ille *qui loquitur linguis, nisi forte* (quod vix contingit) ille *interpretetur*, id est exponat cognita lingua, quod incognita loquitur, *ut* sic *Ecclesia accipiat ædificationem* per ejus interpretationem, quæ interpretatio idem valet quod prophetia. Probat per similitudinem sui, quod non debeant insistere varie- D tatibus linguarum, dicens : Quia per linguam incognitam Ecclesia non ædificatur, non sunt linguæ ideo multum appetendæ, nec etiam ideo, quia sic ego *nunc* etiam cum jam conversi estis, et linguas habetis, *venero ad vos, fratres, loquens linguis* inauditis, *quid vobis prodero, nisi loquar vobis, aut in revelationem, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina*, id est si nihil loquar vobis in aliquo genere instructionis. Revelationem et prophetiam, dona Dei intelligit, scientiam et doctrinam industrialia : habentur enim per industriam hominis. Et vocat doctrinam, quod quis addiscit ab alio. Scientiam autem hoc, quod studio et proprio excercitio intelligit de Scripturis. Vel doctrinam de moribus, in quo operari oportet : scientiam de natu is rerum, in quo speculatio sola sufficit. Prophetiam vocat continuam futurorum cognitionem, non per figuras aliquas, sed sola insinuatione Spiritus sancti ; revelationem vero, subitam cognitionem futurorum, ut aliquis abreptus a Spiritu subito futura prædixerit, et mox Spiritus ab eo recesserit ; vel revelationem, id est cognitionem futurorum per somnia, ut in Daniele et Joseph, vel per res gestas, ut Noe per arcam.

Probat idem similitudine inanimatorum, dicens : Licet de me ipso exemplum vobis adduxerim, *tamen* non oportuit ; quia in his *quæ sunt sine anima, vocem*, id est sonum *dantia ; sive* hoc sit *tibia, sive cithara : nisi dederint distinctionem sonituum, quomodo scietur quod canitur, aut quod citharizatur?* Sic et vos, quia indistinctos sonos confunditis, non intelligitur quod dicitis. Iterum per aliud probo non esse appetendam confusionem linguarum. Etenim *si tuba det incertam vocem*, cum distincta sit vox tubæ, invitans ad bellum, *quis* propter incertam vocem *parabit se ad bellum?* Nemo utique. Vel illud etenim jungitur ad proximum. Cithara vel tibia confuse sonans non intelligitur. Nam tuba per simile dans vocem incertam non intelligitur. Et sicut tuba dans incertam vocem non intelligitur, *ita et vos, nisi per linguam dederitis manifestum sermonem, quomodo scietur* ab auditoribus *id quod* a vobis *dicetur?* Nescietur utique. *Nam* vos *eritis loquentes in aera*, id est frustra verberantes aerem. Loquentes dico *tam multa ut puta*, id est sicut *genera linguarum* infinita *sunt in hoc mundo, et* in singulis linguis *nihil est sine voce :* unumquodque habet proprium et distinctum ab aliis vocabulum. *Ergo* quia linguæ sunt diversæ, et voces distinctæ, *si* ego *nesciero virtutem*, id est significationem *vocis* quam profero, *ero barbarus ei cui loquar ; et qui loquitur mihi, barbarus* similiter videbitur ; sic estis et vos in alterutrum barbari. Vel ut hic incipiat versus. *Sic*, id est hac ratione ; quia incognite loquitur, barbarus judicatur ; *vos etiam, quoniam estis æmulatores spirituum*, id est desideratores spiritualium bonorum, *quærite ut abundetis* in his donis quæ valent *ad ædificationem Ecclesiæ*, ut prophetia. Et ne intendatis varietatibus linguarum ; quia illa dona appetere debetis, quæ valeant ad ædificationem **141** Ecclesiæ. *Ideo* ille *qui loquitur lingua* incognita, *oret* Deum *ut interpretetur*, id est ut sciat interpretari audientibus, quod aliena lingua loquitur. Vel ita : *Qui loquitur lingua, oret*, id est loquatur : ita *ut* quod perorat *interpretetur*. Sic utique loquendum est, ut interpretatio comes sit. *Nam si* ego ipse *orem*, id est loquar, vel orem Deum *lingua* incognita, *spiritus meus*, id est Spiritus sanctus mihi datus : vel *spiritus meus*, id est ratio mea, quæ, licet non intelligat, bonum tamen scit esse quod dicit, quia ex dono Dei : ratio, inquam, vel spiritus meus in me *orat* Deum. Vel *orat*, id est loquitur : *sed mens*, id est intellectus meus, *est sine fructu*, id est sine utilitate compunctionis, quia per hoc quod non intelligo,

compungi nequeo. Quandoquidem si lingua incognita loquor, sine fructu sum, quia non interpretor. *Quid ergo est*, id est quomodo orandum est? Ita utique *orabo*, vel loquar *spiritu*, id est voce incognita quam spiritus dat, vel ratio est *et* ita *orabo* ut etiam *mente*, id est intelligentia, quia quod intelligam, illud tantum proferam. Vere orabo spiritu et mente : nam ego *psallam spiritu psallam et mente*. Psallere dicit orare Deum consona vocis modulatione, quæ consonantia diversarum vocum in Ecclesia innuit omnes in consonantia fidei et vitæ debere laudare. Bonum est spiritu simul et mente orare : *cæterum*, id est sed *si* tu *bene dixeris spiritu*, id est voce incognita tantum, *quis* in tua oratione *supplet locum*, id est vocem *idiotæ?* Consuetudo erat in Ecclesia ut idiotæ, id est rudes in fide, etiam illitterati quando perorabat sacerdos, responderent *amen*, *et cum spiritu tuo :* sed modo perorante aliquo lingua incognita, etiam prudentiores nesciebant ubi finis, ubi medium orationis, quia non intelligebant : et sic non poterant facere, nec illud quod idiotæ consueverant respondere. Idioma dicitur proprium, inde dicuntur idiotæ qui in proprietate naturæ adhuc sunt : nihil scientes nisi quod a matribus pueri didicerunt : vel illud, cæterum, nomen sit ita : Propter hoc quod præmissum est, non debetis orare lingua tantum : *cæterum*, id est aliud, propter quod ne faciatis idem, quia *si tu bene dixeris spiritu*, etc. Vere nemo supplet locum idiotæ : quando tu incognita voce peroras : *quomodo* enim *dicet amen, super tuam benedictionem*, etiam sapiens : *quoniam nescit quid dicas?* Non enim intelligit, quando tu, incognita lingua loquens, finire debeas aut procedere. De hoc quod proximus te non intelligit reprehendo te : nam secundum propriam personam te non reprehendo. *Nam tu quidem bene gratias agis* quantum in te est; *sed* ideo male, quia *alter*, id est proximus, *non ædificatur :* quia nec intelligit. Vel ibi supra jungitur : Juste dixi benedixeris; nam tu quidem bene gratias agis, quantum in te est : sed frater non instruitur. Probat iterum exemplo et auctoritate sua, quod non adeo debeant sectari linguas, dicens : Nolite loqui lingua, ita ut non sit instructio proximi : *nam ego*, quem imitari debetis, *volo loqui in Ecclesia quandoque*, id est pauca *verba meo sensu*, id est intellectu, ut quod loquar intelligam. Per hoc notat eos sic quandoque loqui, quod nec ipsi se intelligerent. Volo, inquam, loqui meo sensu : *ut et* me et *alios instruam*, *quam* electivum, quod nullo modo volo loqui : scilicet, *decem millia*, id est infinitatem *verborum lingua* incognita : quod utique possem si vellem, et inde *gratias ago Deo : quoniam* ego, si placet, *loquor lingua omnium vestrum : sed*, id est tamen, *in Ecclesia volo*, etc. Ideo Paulus se dixit habere genera linguarum, ne dicerent Corinthii, quia non habet linguas. Ideo nobis de linguis improperat. Iterum aliud quare non appetant linguas, quia efficiuntur sic parvuli. Sed littera sic jungitur ad proximum : Sicut in me videtis, loquimini vestro sensu : et similiter, *fratres* s-

A ctando linguas quarum sensum non habeatis, *nolite pueri effici sensibus*, qui loquuntur quod non intelligunt; *sed estote parvuli secundum* **142** *malitiam :* et hoc dicit, quia erant multum malitiosi sensibus vel cogitatione, verbo et actu. Parvuli quidem malitia, *sed sensibus estote perfecti*, id est perfectam intelligentiam appetentes, ut prophetare possitis. Iterum ideo linguæ non sunt appetendæ vobis : quia fideles estis et *linguæ non fidelibus*, *sed infidelibus* prosunt. Et quod ita sit, auctoritatem præmittit Isaiæ (XXVIII, 11) : quam tamen in lege esse dicit, legis nomine prophetiam designans. Vere non fidelibus sed infidelibus. Nam *in lege scriptum est* illud, quoniam vel ibi continuatur, vel hic ponitur pro quod : Hoc, inquam, scriptum est, *quod in aliis linguis*, id est in
B varietate linguarum, *et in aliis labiis*, id est in aliis sermonibus : quia prius de carnalibus, nunc autem de spiritualibus *loquar populo huic* Judaico infideli, ut mirantes novitatem linguarum, audiant me : *et* tamen *nec sic*, id est pro tam evidenti miraculo, *exaudient me*. Quodque ita sit credite : quia hæc *dicit Dominus* (ait in aliis labiis nihil ad probationem, sed mos est ut auctoritates perfectæ ponantur).

Nunc de lege præmissa infert Paulus. Quia populo incredulo diversæ linguæ propositæ sunt : *itaque per* hoc apparet, quod *linguæ in signum*, id est causa miraculi sunt *non fidelibus*, quorum fides non eget miraculis, *sed infidelibus*, qui novitate miraculorum ad fidem trahendi sunt. Opposita sententia.
C Linguæ non fidelibus sed infidelibus : *prophetiæ autem non fidelibus*, stultum enim esset mysteria fidei revelare incredulis, *sed fidelibus*. Et quia vos fideles estis, quærite prophetiam quæ fidelibus congruit. Iterum aliud quare non appetant linguas : quia si illis loquentibus in Ecclesia variis linguis, forte infideles intraverint : putabunt eos insanire. Littera sic jungitur : Quia linguæ non sunt in signum fidelibus : ergo vos qui estis Ecclesia, quare propter linguas insani reputamini? *Si enim conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes loquantur linguis* incognitis, illis autem varietate linguarum conclamantibus, *intrent idiotæ* Ecclesiam, aut infideles aliqui, *nonne dicerent quod vos insanitis*, quia phrenetico more tumultuatis? Varietate linguarum con-
D clamantes insanos dicent. *Sed si omnes* in Ecclesia *prophetent*, aperiendo Scripturas, *intret autem* illis prophetantibus *aliquis infidelis vel idiota*, statim *convincitur ab omnibus* ibi prophetantibus. Audiens enim præcepta Dei mysteria fidei, sua conscientia convincit eum et arguit : et ita *dijudicatur*, id est judicabilem et damnabilem se cognoscit, instructus *ab omnibus*, qui ibidem prophetant, et tunc *occulta cordis ejus manifesta sunt* sibi ipsi : quia in quibus se peccasse non putabat, per doctrinam quam audit, graviter se reum cognoscit. *Et ita* convictus, *cadens in faciem*, *adorabit Deum*, ut accipiat remissionem peccatorum, *pronuntians* etiam palam omnibus, *quod Deus vere sit in vobis* prophetantibus : quos linguis tumultuantes paulo ante dicebat insanire. Quia nec

indiscrete eos vult loqui linguis, ne judicentur insani; nec iterum vult eos penitus rejicere donum Dei, scilicet, loqui linguis, determinat quomodo utantur hoc præcipue et aliis donis : omnia faciendo ad utilitatem proximi. Littera sic jungitur : Quandoquidem linguis tumultuantes insani dicimur. Prophetantes vero Deum in nobis habere dicimur. *Quid ergo* faciendum *est, fratres?* Prophetabitis semper, neglectis penitus linguis? Minime : sed *cum convenitis, unusquisque habet* donum suum. Alius *habet psalmum*, ut cantet, vel interpretetur psalmos in Ecclesia. Alius *habet doctrinam*, ut sciat instruere de moribus. Alius *habet Apocalypsim*, id est revelationem occultorum. Hæc tria posuit solum ad similitudinem; duo quæ sequuntur, ad intentionem. Alius *habet linguam* incognitam. Alius *habet interpretationem* Scripturarum, id est prophetiam : et cum hæc omnia habeatis : *omnia* fiant in vobis *ad ædificationem Ecclesiæ*. Sive illud faciatis, sive **143** aliud : *sive aliquis loquitur lingua* incognita, hoc fiat *secundum duos*, id est duobus tantum sic loqui permitto : *aut* secundum *tres*, *ut multum* dicam : non enim plus quam tribus hoc licere concedo : nec hic duo vel tres in eadem parte templi conclament; sed *per partes*, ut si ille in capite, hic in fine ecclesiæ. Vel per partes dici, ut hic hora tertia, ille sexta. Nec hi loquantur sine propheta, sed semper *unus* præsto sit : ut quod inusitato modo dicitur, populari lingua *interpretetur*. *Si autem* objicitis, quod quandoque *non fuerit* præsto *interpres*, malo ut loquens lingua *in ecclesia taceat*, quam sine interprete barbarum frendat. Ecclesiæ non, *sed loquantur sibi et Deo*, id est instructioni sui et divinæ laudi. Sicut loquentes linguis, sic etiam *prophetæ duo aut tres* dicant in ecclesia, et per partes similiter. Dicerent alii : Nos [qui tantumdem scimus, nonne prophetabimus? Minime; sed *cæteri prophetæ dijudicent* ea quæ docentur ab illis fratribus, ut si quid male doceant, cæteri corrigant illos. Iterum aliud de prophetis. *Si vero* repente *fuerit revelatum quid* a spiritu *alii sedenti*, surgat et loquatur ille, et qui *prior* loquebatur, modo taceat. Contingebat enim plerumque ut spiritus subito arriperet aliquem : et de hoc præcipit Apostolus, ut quando hoc contigerit, hic talis permittatur loqui. Loquatur qui prius sedebat, et alter taceat. Et hoc ideo dico, quia vos *omnes potestis prophetare* : eundo per singulos : solummodo videatur, *ut omnes discant*, id est instruantur per prophetantem. Plerumque enim contingit ut qui sapientem se putabat, addisceret quod nesciret, per illum subito inspiratum. Discant dico, et sic *omnes exhortentur* ad meliora : ideo præcipio ut prior taceat. Nam *spiritus prophetarum subjectus est prophetis*, id est Spiritus Sanctus non compellit eos loqui, velint nolint, quia cum spiritus sit Deus, *non est Deus dissensionis*, quæ utique dissensio fieret, si conclamando litigarent. *Sed* est Deus *pacis* et concordiæ : quæ pax servatur si se alternatim supportaverint. Hoc autem de linguis et prophetia et charitate, et omnibus præmissis dico vobis : *sicut* ego idem *doceo in omnibus Ecclesiis*, doctrinam quam imitamini : quia Ecclesiis *sanctorum*. Vel illud idem sequenti litteræ jungitur : Omnes quidem viri prophetare possunt, sed mulieres nunquam : et hoc dico sicut in omnibus Ecclesiis doceo : imo *taceant mulieres in ecclesiis : non enim* a me vel alio doctore *permittitur eis* in ecclesia *loqui : sed* præcipio eas ubique *subditas esse viris*, quibus se parificarent, si in ecclesia loqui præsumerent. Et hoc de mulieribus dico, quod subditæ sint, *sicut etiam lex dicit* in Genesi : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui (*Gen.* III, 16). » Dicerent illæ : Nolumus loqui sed tantum interrogare. Non sic utique. *Sed si quid volunt discere, interrogent viros suos*, non in ecclesia, sed *domi :* in ecclesia nunquam. *Nam loqui in ecclesia, turpe est mulieri*, id est turpem et impudentem probat mulierem. Hæc de prophetis et mulieribus, et quæcunque supra docui, nolite superbiendo repellere, ut novitates vestras inducatis : quia *an a vobis processit verbum Dei* ad alias Ecclesias, ut modo novas inducatis [inferatis] doctrinas? *Aut* gloriamini quasi *in vos solos pervenerit* verbum Dei, et vos soli Deum credatis? Nemo vestrum præsumendo quasi sapiens sit, negligat præcepta mea : sed *si quis videtur inter vos esse propheta*, id est Scripturas intelligens : *aut* etiam *spiritualis*, id est spiritualem vitam ducens, quicunque sit, *cognoscat* ea *quæ scribo vobis*, et oportet : *quia* hæc *mandata* non mea *sunt*, sed *Domini*. Si quis autem contumeliose se efferens ignorat, dedignans attendere hæc mandata, dico vobis de illo, quod pro certo ignorabitur a Deo : Quandoquidem *ignorans* hæc mandata, a Deo *ignorabitur*. *Itaque, fratres mei, æmulamini*, id est desiderate *prophetare*, sicut præcipio, et tamen *loqui linguis nolite prohibere*, sicut supra determinavi. Nolite prohibere, sed *omnia fiant in vobis honeste*, id est ad ædificationem Ecclesiæ : et **144** *secundum ordinem*, quem supra disposui, ut pauci loquantur vel prophetent, et per partes.

CAPUT XV.

« Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium « quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo « et statis. Per quod et salvamini : qua ratione præ- « dicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. « Tradidi enim vobis imprimis quod et accepi : « quoniam Christus mortuus est pro peccatis no- « stris secundum Scripturas : et quia sepultus est, « et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas; « et quia visus est Cephæ, et post hæc undecim. « Deinde visus est plusquam quingentis fratribus « simul, ex quibus multi manent usque adhuc, « quidam autem dormierunt. Deinde visus est Ja- « cobo, deinde apostolis omnibus : novissime au- « tem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi. « Ego enim sum minimus apostolorum, qui non « sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus « sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id

« quod sum : et gratia ejus in me vacua non fuit, A « sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego « autem, sed gratia Dei mecum. Sive enim ego, sive « illi, sic prædicavimus, et sic credidistis. Si au- « tem Christus prædicatur, quod resurrexit a mor- « tuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam « resurrectio mortuorum non est, neque Christus « resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, « inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides « vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quo- « niam testimonium diximus adversus Deum, quod « suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si « mortui non resurgunt. Nam si mortui non resur- « gunt, neque Christus resurrexit. Quia si Christus « non resurrexit, vana est fides vestra. Adhuc enim « estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt B « in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in « Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus « omnibus hominibus. Nunc autem Christus resur- « rexit a mortuis primitiæ dormientium, quoniam « quidem per hominem mors, et per hominem re- « surrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes « moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. « Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ « Christus : deinde hi qui sunt Christi, qui in ad- « ventu ejus crediderunt. Deinde finis, cum tradi- « derit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit om- « nem principatum, et potestatem, et virtutem. « Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes « inimicos sub pedibus ejus (*Psal.* CIX, 1). Novis- « sime autem inimica destruetur mors. Omnia enim C « subjecit sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8). Cum au- « tem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio « præter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem « [Nam cum] subjecta fuerint illi omnia, tunc ipse « filius subjectus erit illi qui subjecit sibi omnia, « ut sit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid fa- « cient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino « mortui non resurgunt, ut quid et baptizantur « pro illis? Ut quid et nos periclitamur omni hora? « Quotidie morior propter vestram gloriam [pro « vestra gloria], fratres, quam habeo in Christo Je- « su Domino nostro. Si secundum hominem ad be- « stias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest si mortui « non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras D « enim moriemur (*Sap.* II, 6 ; *Isa.* XXII, 13). Nolite « seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. « Evigilate justi, et nolite peccare : ignorantiam « enim Dei quidam habent. Ad reverentiam vo- « bis loquor. Sed dicet aliquis : Quomodo resurgent « mortui? Quali autem corpore venient? Insipiens, « tu quod seminas non vivificatur, nisi prius mo- « riatur. Et quod seminas, non corpus quod futu- « rum est seminas, sed nudum granum, ut puta « tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat « illi corpus sicut vult, et unicuique seminum pro- « prium corpus. Non omnis caro eadem caro : sed « alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia « autem piscium. Et corpora cœlestia, et corpora « terrestria : sed alia quidem cœlestium gloria, alia « autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas « lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella « differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. « Seminatur in corruptione, surget in incorruptio- « ne. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. « Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Semi- « natur **145** corpus animale, surget corpus spi- « rituale. Si est corpus animale, est et spirituale, « sicut scriptum est : « Factus primus homo Adam « in animam viventem (*Genes.* II, 7) » novissimus « Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius « quod spirituale est, sed quod animale est, deinde « quod spirituale est. Primus homo de terra terre- « nus : secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis « terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, ta- « les et cœlestes. Igitur sicut portavimus imaginem « terreni, portemus et imaginem cœlestis. Hoc au- « tem dico, fratres, quoniam caro et sanguis regnum « Dei possidere non possunt, neque corruptio in- « corruptelam possidebit. Ecce mysterium vobis « dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes « immutabimur. In momento, in ictu oculi, in no- « vissima tuba : canet enim tuba, et mortui resur- « gent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet « enim corruptibile hoc induere incorruptionem, « et mortale hoc induere immortalitatem. Cum au- « tem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc « fiet sermo qui scriptus est : « Absorpta est mors « in victoria (*Ose.* XIII, 14). » Ubi est, mors, victoria « tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? Stimulus au- « tem mortis peccatum est, virtus vero peccati lex. « Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam, per « Dominum nostrum Jesum Christum (*I Joan.* V, 5). « Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et im- « mobiles : abundantes in omni opere Domini, sem- « per scientes quod labor vester non est inanis in « Domino. »

EXPOSITIO.

Postquam docuit eos de baptismo, de corpore et sanguine Domini et de donis Spiritus sancti, ad ultimum instruit eos de resurrectione mortuorum, quam partim credebant, partim negabant. Credebant enim Christum vere surrexisse a mortuis ; eos etiam qui in novissima tuba morerentur, et integra carne statim reviviscerent, hos tales credebant resurrecturos. Sed eos quorum corpora in cineres dissolverentur, dicebant nulla ratione posse resurgere. Naturalibus supra modum adhærentes argumentis. Littera sic jungitur : De linguis et prophetia sic vos doceo. *De resurrectione autem mortuorum, notum facio vobis, fratres : notum*, inquam, facio *Evangelium*, id est, resurrectionem mortuorum ; quod maxima pars est meæ prædicationis ; *quod* Evangelium de resurrectione ego *prædicavi vobis*, ne obtendatis vos quasi ignoranter peccare ; *quod etiam accepistis*, et turpe esse debet quod semel bene credidistis : iterum negare, *in quo etiam statis ;* nisi enim resurrectionem credatis, frustra in fide

stetis; *per quod etiam* Evangelium *salvabimini :* carnis enim resurrectionem partem dicimus fidei, sine qua nemo possit salvari. *Salvabimini* dico *si tenetis* hoc Evangelium ea *ratione qua* vobis *prædicavi :* et *nisi* hoc sit quod vos *frustra credidistis*, id est, nisi fidem vestram inutilem dicitis, quod Corinthii nullo modo faterentur eos, scilicet frustra credidisse. Trado vobis Evangelium. *Nam* hoc quod ego *tradidi vobis in primis*, id est, inter potiora fidei ; *quod* etiam non a me habeo, sed *accepi a Deo*. Hoc, scilicet, Evangelium : *quod Christus mortuus est pro peccatis nostris* delendis ; et si peccata nostra deleta sunt, quorum pœna mors est, quare in morte detinemur? Mortuus est Christus : et hoc dico *secundum Scripturas* prophetarum idem attestantium. Cum modo debeat probare de resurrectione, præmittit Christum vere fuisse mortuum, ut veræ morti vera sit resurrectio. Hoc etiam tradidi vobis de Christo *quod sepultus est*, ne statim post mortem resurgens, diceretur : Non vere mortuus est. Hoc etiam tradidi vobis de eo *quod resurrexit tertia die*. Et hoc dico *secundum Scripturas*, quæ hoc perhibent.

Probavit per testimonia Scripturarum, probat etiam Christum resurrexisse, per testimonia eorum quibus post resurrectionem visus est. Et hoc tradidi vobis, *quia visus est Cephæ*, id est, Petro. Hanc apparitionem ubi, et quomodo facta sit non legimus, sed tantummodo scriptum est : *Surrexit Dominus et apparuit Petro, et post* hæc *visus est undecim* apostolis, **146** quando Thomas erat cum eis (*Luc.* XXIV, 39). *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque ad hoc tempus ;* et si placet, quærite ab eis ; *quidam autem eorum dormierunt*. Christum dicit mortuum, hos dormisse. *Deinde etiam visus est Jacobo* Hierosolymitano episcopo, qui videns Christum in cruce, devovit se non manducaturum panem, donec videret Christum resurrexisse. De his duabus apparitionibus, nihil in Evangeliis invenitur. *Deinde* visus est *omnibus apostolis* (*Act.* IX, 3), in die Ascensionis. *Novissime autem omnium visus est mihi* (*Act.* XXII, 17) ; prius in via, post in templo oranti. Mihi dico, *tanquam abortivo*, id est vi quadam et compulsione in apostolatum nato. Abortivum se dicit, quia extra tempus natus in Christo, apostolatum accepit, in cœlo recepto Domino cum carne. Bene dico *abortivo*. *Nam ego sum minimus apostolorum, qui nec etiam dignus sum vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Et licet dignus non fuerim, tamen *sum* id, id est apostolus qui utique sum *per gratiam Dei*, et licet prius persecutor fuerim, tamen ex quo recepi gratiam ejus, ipsa *gratia non fuit vacua*, id est otiosa *in me, sed laboravi* omni genere passionis *abundantius omnibus* aliis apostolis. Et licet dicam *laboravi*, tamen *non ego* per me hoc potui, *sed gratia Dei* operata *est mecum*. Cum dicat se tot et tanta sustinuisse, per hoc satis approbat resurrectionem, spe cujus omnia patitur. Revertitur ad quod supra. Vere *Christus resurrexit*. Nam *sic prædicamus, sive ego, sive illi* alii apostoli, locus ab auctoritate. Vos etiam *sic credidistis*, quod Christus vere resurrexit : nolite negare. *Si autem prædicatur* et negari non potest, *quod Christus surrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quod non est* futura *resurrectio mortuorum ?* Si Christus resurrexit (quod utique verum est) resurrectio mortuorum sequitur ex necessitate. Probavit superius auctoritatibus Scripturarum et testimoniis sanctorum, qui viderunt Christum vere surrexisse a mortuis, et ex eo intulit, quia si Christus surrexit, et resurrectio mortuorum erit. Hanc autem consequentiam sic probat : Vere si Christus surrexit et resurrectio mortuorum est. *Nam si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*. Hic locus a simili est, et inter causam et effectum diversis respectibus. Similitudo in eo est quia si Christus in morte detineri non potuit, quia peccatum, quod est causa mortis, in eo non fuit, nec nos pro modo nostro justificati a peccatis in morte detinebimur. Quia si mortem evadimus, tunc resurgemus, per hanc similitudinem, scilicet, quod peccatis justificati sumus, cum Christo resurgemus ; sed quia Christus longe major nobis est in justitia, ideo major erit in gloria resurrectionis. Iterum resurrectio Christi et quæcunque operatus est in terris, omnia spectaverunt ut homo restitueretur perditæ beatitudini. Quia si hic effectus, scilicet, resurrectio mortuorum non sequitur, frustra causæ illæ præcesserunt, sed Christus resurrexit : et hoc probat per multa inconvenientia, ex eo non resurgente provenientia. Dico quod *Christus surrexit. Nam si Christus non surrexit, ergo prædicatio nostra est inanis*, id est sine re ; quia res illa quam prædicat non sic est ; et de eodem aliud inconveniens, quoniam *fides vestra est inanis*, id est infructuosa, si Christus non resurrexit, quod Corinthii, scilicet, fidem suam esse inanem nullo modo faterentur. Iterum aliud inconveniens, si Christus non resurrexit ; quia tunc *invenimur* nos *falsi testes* Dei Patris, ideo *quoniam diximus testimonium contra Deum* : non enim placet Deo, si quis quod non fecerit Deus attribuat ei ; hoc, scilicet testimonium *quod Deus suscitaverit Christum, quem* pro certo *non suscitavit si mortui non resurgunt*. Verum est quod mortui resurgunt sicut vos dicitis. *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit :* idem superius posuerat, sed ad aliud : ibi enim ut illam probaret veram si Christus surrexit et mortui resurgent. Hic autem ut inferret veram eam quæ dicit non suscitatum esse Christum nisi **147** mortui resurgant. Diceret Corinthius : Mallem negare resurrectionem Christi, quam concedere quod resurgant mortui. Probat iterum per inconveniens Christum resurrexisse : Vere Christus surrexit, nam *si non resurrexit Christus, fides vestra* de Christo *vana est*. Nulla fuit illa fides, quam accepistis. Vere si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. *Nam adhuc estis in peccatis vestris*. Legitur sur-

rexissé propter justificationem nostram. Quia si non resurrexit, nec nos justificavit, sic igitur vana est fides vestra. Et quia adhuc homines sunt in peccatis, *ergo illi qui dormierunt in Christo*, id est mortui in Christi fide *perierunt*, id est damnati sunt. Iterum aliud inconveniens. Et si non resurrecturi *sperantes sumus in Christo tantummodo in hac vita*, sicut vos dicitis, futuram non habituri, tunc *sumus miserabiliores omnibus hominibus :* quia nec hac, nec alia vita fruemur : cum quotidie in angustiis devolvamur : quandoquidem tot inconvenientia ex negata resurrectione se ingerunt : igitur *nunc*, id est ex præmissis rationibus colligitur quod vere *Christus resurrexit a mortuis*. Christus dico *primitiæ* et secundum tempus, et secundum dignitatem . quia et si quidam ante eum suscitati fuerunt non a mortuis, sed in numero morientium relapsi sunt. Dignitate, quia majorem omnibus gloriam habebit, et quidquid alii, totum habebunt ab illo, et per illum. Christus dico *primitiæ dormientium*. Per hoc innuit, cum dicit Christum primitiæ, quod alii dormientes secuturi sint eum in resurrectione. Diceret aliquis : Non videtur ut per meritum unius hominis Christi omnes homines resurgere possint. Contra hoc Paulus : Vere cæteri dormientes per primitias suas, id est Christum, resurgent, *quoniam quidem per hominem* unum fuit *mors* omnium, *ita et per hominem* unum erit *resurrectio mortuorum*. Unde hoc a simili. *Nam sicut in* solo *Adam omnes moriuntur, ita et in* solo *Christo omnes vivificabuntur*. Si enim culpa solius Adæ, ad damnationem omnium sufficiens fuit, ut prætermissa majoritate similitudinem solam loquamur, quare simili modo justitia solius Christi ad justificationem omnium non sufficeret.

Postquam probavit resurrectionem omnium vere futuram, congrue subdit de ordine ejus resurrectionis : ut per hoc magis certificaret eos et invitaret ad eamdem resurrectionem, dicens : Licet omnes æque resurgant, tamen *unusquisque* erit *in suo ordine :* qui enim plus promeruit, plus accipiet gloriæ : et ita quod *Christus* erit *primitiæ* tempore et dignitate, sicut superius. *Deinde* post Christum erunt in gloria *ii qui sunt Christi*. In eo dico eos esse Christi, scilicet, *qui crediderunt in* secundum *adventum ejus*, id est resurrectionem : et ita crediderunt integritate fidei et boni operis : euntes obviam in adventum Christi. Potuisset dicere, qui crediderunt in nativitatem Christi vel passionem ; sed ideo in adventum dixit, quia resurrectionem commendare eis intendebat. Et postquam ii qui sunt Christi resurgent, *deinde* erit *finis*, id est impleti promissæ beatitudinis : *cum* Christus *tradiderit regnum*, id est Ecclesiam suam, quam cum potentia regit. Tradiderit dico *Deo et Patri* : tunc Christus dicetur tradere regnum Patri, cum Ecclesiam suam locabit in oculis Dei, ut quod hic vidit per speculum et in ænigmate, ibi videat facie ad faciem. Deo dicit et patri, ut ostendat eum qui ab alio initium non habuit. Ut etiam noret eum et Creatorem esse, et creaturis paternam dilectionem adhibere. Cum tradiderit dico regnum : et *cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*.

Notandum est quod in angelis diversitates officiorum Deus posuerit, et hoc totum causa hominum, ut angeli administrent saluti eorum. Sed postquam homines jam in perfectione erunt, et nulla administratione egebunt, nomina illa destruentur in angelis, quibus vocabantur pro diversitate humanæ administrationis. Sunt enim quidam inter angelos, qui principatum habent super omnes alios. **148** Sunt etiam alii qui potestative perficiunt ea, quæ a principatu injunguntur eis. Sunt alii qui dicuntur virtutes, quia miraculorum sunt operatores. Similiter et in malis angelis quidam sunt principes super omnes alios. Alii habentes potestatem efficiendi quod principes præceperint : alii virtutes, qui aliqua nova inducant quasi miracula. Et hæc iterum in fine evacuabuntur. Quia sicut boni angeli ultra non habebunt in quo homines tueantur ; sic nec mali in quo noceant hominibus. Sic etiam inter homines omnis differentia prælationis vel subjectionis destruetur : inter quos nulla erit regiminis inæqualitas. In fine tradet Christus regnum suum Patri : sed interim dum nondum finis est, *oportet regnare*, id est Christum cum potentia Ecclesiam suam regere. *Oportet* ideo dicit : quia sic prophetatum est in Scripturis, quas ex necessitate oportet impleri. Regnare dico, *donec Deus ponat omnes inimicos* Christi *sub pedibus ejus*, id est tam plenaria subjectione, sicut sunt aliqui pedibus aliorum prostrati. *Vel sub pedibus ejus*, id est subjectos humanitati Christi. Quæ per pedes ideo signatur : quia per humanitatem assumptam, divinitas venit ad homines. Et postquam hæc omnia erunt evacuata, tunc etiam *destruetur mors novissima :* quia postquam non erit peccatum : nec pœna peccati, scilicet mors remanebit. Mors dico *inimica :* cui et homines inimicantur, et quæ inimicatur hominibus. Vere inimici ponentur sub pedibus Christi. Nam scriptum est in Psalmo : « Omnia subjecit Deus sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8), » id est Christi, sicut expositum est in Psalmo. Tamen habetur, subjecisti. *Cum autem* Scriptura dicat, *omnia* sine dubio *subjecta sunt Christo*, omnia *præter eum qui ei*, scilicet Christo, *subjecit omnia*, scilicet præter divinitatem. Deus, qui Christo subjecit omnia, non est Christo subjectus. Sed *ipse* Christus *erit subjectus illi*, id est Deitati : *quæ subjecit omnia ipsi*, id est Christo. Diceret aliquis : Interim quidem Christus erit subjectus Deo, donec sibi Deus subjecerit omnia : sed postea non. Erit utique (ait Paulus) quia cum subjecta fuerint Christo omnia, tunc ipse Christus subjectus erit Deo, qui ipsi subjecit omnia. Ita tamen subjectus, *ut sit* æqualis, scilicet, ut Christus sit Deus *in omnibus*, id est in singulis creaturis : et ita in omnibus quod *omnia* singulis, id est perfecta beatitudo, perfecta gloria, et pax superans etiam omne hominis desiderium. Revertitur ut probet resurrectionem mortuorum

dicens : Mors per Christum destruetur, et homines tunc resurgent : *alioquin*, id est si dicas non esse resurrectionem mortuorum, *quid facient* illi *qui baptizantur pro mortuis ?* Tangit hic reprobum morem quorumdam, qui, audito quod resurrectio futura esset eorum qui baptizarentur, cum essent baptizati, iterum loco infidelis patris jam mortui baptizabant se : ut sic pater vel mater salvarentur in resurrectione. Et hoc adducit ad verecundiam Corinthiorum : quia si illi perversi tantam fidem de resurrectione habebant, quanto magis Corinthii deberent resurrectionem credere ? Littera sic est : Quid facient illi qui baptizantur pro mortuis spe resurgendi, *si omnino mortui non resurgunt ? Ut quid etiam baptizantur pro illis* justificandis : cum nec illi justificentur ? Si enim justificarentur a peccatis et resurgerent. Vel aliter sic : *Alioquin*, id est si resurrectio non est, *quid facient* illi *qui baptizantur pro mortuis* operibus, id est pro peccatis, quæ mortem operantur ? Baptizantur dico spe resurrectionis. Et quid facient, si omnino mortui non resurgunt ? *Ut quid* etiam *baptizantur pro illis*, id est, ut justificentur a peccatis ? Vel aliter : *Alioquin* si non resurgunt mortui, *quid facient* illi *qui baptizantur pro* se *mortuis*, id est mortificandis peccatis ? Vel pro se mortificatis per peccatum Deo. Cætera sicut dicta sunt. Iterum si resurrectio mortuorum non est, *ut quid etiam nos* apostoli *periclitamur omni hora ?* Non enim finem habent tribulationes nostræ, quas gaudemus pati spe futuræ **149** resurrectionis. Vere periclitamur : nam *quotidie morior*, id est pericula mortis patior, fratres, *propter vestram gloriam*, ut vos digni sitis gloria resurrectionis. Vel secundum Augustinum ? Morior, et hoc juro per vestram gloriam, fratres : *quam* gloriam spe quidem jam *habeo, in Christo Jesu Domino nostro :* qui jam in gloria cum carne mea resurrexit. Qui etiam ut secum resurgerem promeruit. Si iterum mortui non resurgunt : quid mihi prodest *si secundum hominem*, id est secundum humanæ rationis potentiam. Vel secundum hominem : quia ego homo, illi bestiæ. Secundum hominem utique *pugnavi contra bestias Ephesi*, id est contra Ephesianos bestiales : quia resurrectionem negando, hominem in hoc mundo solum vivere dicunt, quod et bestiæ faciunt.

Quid, inquam, illa pugna *mihi prodest*, nisi post mortem habiturus sim gloriam ? Ephesii negabant resurrectionem : contra quos Paulus multo labore disputavit, approbans futuram esse resurrectionem. Et quandoquidem secundum vos vita non restat post hanc : nihil jam aliud agendum est : nisi ut desperantes *manducemus et bibamus :* quia non ultra victuri moriemur (*Isa.* XXII, 13; *Sap.* II, 6). Hoc verbum dixerunt Judæi, cum affligerentur in captivitate Babylonis, et desperarent de adjutorio Dei. Similiter qui resurrectionem negant, de auxilio et potentia Dei desperant. Et quia, fratres, non sic est desperandum, sed de resurrectione confidendum, *ideo nolite seduci* a pseudoapostolis, qui non habent A fidem resurrectionis. Per hoc quod dicit *seduci*, notat seductores esse inter eos. Nolite credere seductoribus. Nam *colloquia* illorum *mala* non solum fidem violant : sed etiam *corrumpunt bonos mores*. Qui enim futuram vitam non credit, nescio quare bonis moribus laboret adhærere. Et ne a seductoribus corrumpamini, *evigilate* ad hoc ut sitis *justi*, et ut justitiam conservetis. *Nolite* ulterius *peccare* : necessarium est ut evigiletis. *Quidam enim* inter vos *habent ignorantiam* Dei, id est ignorant æquitatem, et fidem Dei : et hoc *loquor vobis ad reverentiam*, id est ad erubescentiam), ut verecundemini de peccatis vestris.

Postquam Paulus per necessarias rationes, per inconvenientia quæ inde proveniunt, iterum per potentiam Christi, futuram resurrectionem approbavit, vult illam approbare per legem naturæ : quia humana sapientia magis argumentatur secundum passibilitatem [possibilitatem] naturæ. Quasi diceret : Licet superius resurrectionem satis approbaverim, *tamen* secundum legem naturæ objiciendo, *dicit* mihi *aliquis : quomodo resurgunt mortui* in pulverem jam dissoluti ? Natura non videtur hoc pati. Iterum si aliquo modo pulvis ille conglutinatur, tamen *quali corpore venient* homines qui resurgent ? Num credi potest ut tanta gloria possit venire dissoluto pulveri, ut tu prædicas ? Priori respondet quæstioni. Natura bene patitur mortuos resurgere. Illud enim quod tu *insipiens*, qui de resurrectione dubitas, semen, inquam, illud, *quod tu seminas non vivificatur*, id est nullo modo vivere potest, *nisi prius moriatur*, et computrescat : quemadmodum vides quod oportet semen putrefieri, ut sic postea vivat : ne dubites jam hominem iterum post mortem vivere posse, cum per mortem oporteat vivere. Probat aliam quæstionem, futuram scilicet gloriam corporum, ejusdem seminis similitudine, dicens : Vere in majori gloria corporum venient. Nam *quod seminas* tu, *non* seminas illud *corpus quod futurum est, sed seminas nudum granum :* corpus autem de nudo grano futurum multa grana, paleas et culmos est habiturum. Similiter non sit tibi absurdum, si dicamus corpora nostra in majori gloria resurrectura quam hic seminentur. Tu seminas nudum granum, *utputa*, id est sicut est granum *tritici*, *aut* granum *alicujus cæterarum segetum*. Tu seminas nudum granum ; *sed Deus dat illi* grano *corpus sicut vult*, fertilitate granorum, spicarum et culmorum gloriosum : *et unicuique* tamen **150** *seminum* reddit *proprium corpus :* quia si seminatum est triticum, pullulat triticum ; et sic in identitate seminum singula grana resurgunt, et hoc in exemplum melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ. Cumque omnes in hoc conveniant, quod resurrectionis gloriam sunt habituri, in eo tamen differunt quod quidam gloriosiorem sunt habituri quidam non adeo, secundum differentiam meritorum. Diceret aliquis : Cum omnis hominum materia ex eisdem constet elementis, videtur ut quidquid uni conferetur, totum in alio possideat similis ma-

rexisse propter justificationem nostram. Quia si non resurrexit, nec nos justificavit, sic igitur vana est fides vestra. Et quia adhuc homines sunt in peccatis, *ergo illi qui dormierunt in Christo*, id est mortui in Christi fide *perierunt*, id est damnati sunt. Iterum aliud inconveniens. Et *si* non resurrecturi *sperantes sumus in Christo tantummodo in hac vita*, sicut vos dicitis, futuram non habituri, tunc *sumus miserabiliores omnibus hominibus :* quia nec hac, nec alia vita fruemur : cum quotidie in angustiis devolvamur : quandoquidem tot inconvenientia ex negata resurrectione se ingerunt : igitur *nunc*, id est ex præmissis rationibus colligitur quod vere *Christus resurrexit a mortuis*. Christus dico *primitiæ* et secundum tempus, et secundum dignitatem. quia et si quidam ante eum suscitati fuerunt non a mortuis, B sed in numero morientium relapsi sunt. Dignitate, quia majorem omnibus gloriam habebit, et quidquid alii, totum habebunt ab illo, et per illum. Christus dico *primitiæ dormientium*. Per hoc innuit, cum dicit Christum primitiæ, quod alii dormientes secuturi sint eum in resurrectione. Diceret aliquis : Non videtur ut per meritum unius hominis Christi omnes homines resurgere possint. Contra hoc Paulus : Vere cæteri dormientes per primitias suas, id est Christum, resurgent, *quoniam quidem per hominem* unum fuit *mors* omnium, *ita et per hominem* unum erit *resurrectio mortuorum*. Unde hoc a simili. *Nam sicut in* solo *Adam omnes moriuntur, ita et in* solo *Christo omnes vivificabuntur*. Si enim culpa solius Adæ, ad damnationem omnium sufficiens C fuit, ut prætermissa majoritate similitudinem solam loquamur, quare simili modo justitia solius Christi ad justificationem omnium non sufficeret.

Postquam probavit resurrectionem omnium vere futuram, congrue subdit de ordine ejus resurrectionis : ut per hoc magis certificaret eos et invitaret ad eamdem resurrectionem, dicens : Licet omnes æque resurgant, tamen *unusquisque* erit *in suo ordine :* qui enim plus promeruit, plus accipiet gloriæ : et ita quod *Christus* erit *primitiæ* tempore et dignitate, sicut superius. *Deinde* post Christum erunt in gloria *ii qui sunt Christi*. In eo dico eos esse Christi, scilicet, *qui crediderunt in* secundum *adventum ejus*, id est resurrectionem : et ita credi- D derunt integritate fidei et boni operis : euntes obviam in adventum Christi. Potuisset dicere, qui crediderunt in nativitatem Christi vel passionem ; sed ideo in adventum dixit, quia resurrectionem commendare eis intendebat. Et postquam ii qui sunt Christi resurgent, *deinde* erit *finis*, id est impleti promissæ beatitudinis : *cum* Christus *tradiderit regnum*, id est Ecclesiam suam, quam cum potentia regit. Tradiderit dico *Deo et Patri* : tunc Christus dicetur tradere regnum Patri, cum Ecclesiam suam locabit in oculis Dei, ut quod hic vidit per speculum et in ænigmate, ibi videat facie ad faciem. Deo dicit et patri, ut ostendat eum qui ab alio initium non habuit. Ut etiam noret eum et Creatorem esse, et A creaturis paternam dilectionem adhibere. Cum tradiderit dico regnum : et *cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*.

Notandum est quod in angelis diversitates officiorum Deus posuerit, et hoc totum causa hominum, ut angeli administrent saluti eorum. Sed postquam homines jam in perfectione erunt, et nulla administratione egebunt, nomina illa destruentur in angelis, quibus vocabantur pro diversitate humanæ administrationis. Sunt enim quidam inter angelos, qui principatum habent super omnes alios. **148** Sunt etiam alii qui potestative perficiunt ea, quæ a principatu injunguntur eis. Sunt alii qui dicuntur virtutes, quia miraculorum sunt operatores. Similiter et in malis angelis quidam sunt principes super omnes alios. Alii habentes potestatem efficiendi quod principes præceperint : alii virtutes, qui aliqua nova inducant quasi miracula. Et hæc iterum in fine evacuabuntur. Quia sicut boni angeli ultra non habebunt in quo homines tueantur ; sic nec mali in quo noceant hominibus. Sic etiam inter homines omnis differentia prælationis vel subjectionis destruetur : inter quos nulla erit regiminis inæqualitas. In fine tradet Christus regnum suum Patri : sed interim dum nondum finis est, *oportet regnare*, id est Christum cum potentia Ecclesiam suam regere. *Oportet* ideo dicit : quia sic prophetatum est in Scripturis, quas ex necessitate oportet impleri. Regnare dico, *donec Deus ponat omnes inimicos* Christi *sub pedibus ejus*, id est tam plenaria subjectione, sicut sunt aliqui pedibus aliorum prostrati. *Vel sub pedibus ejus*, id est subjectos humanitati Christi. Quæ per pedes ideo signatur : quia per humanitatem assumptam, divinitas venit ad homines. Et postquam hæc omnia erunt evacuata, tunc etiam *destruetur mors novissima :* quia postquam non erit peccatum : nec pœna peccati, scilicet mors remanebit. Mors dico *inimica :* cui et homines inimicantur, et quæ inimicatur hominibus. Vere inimici ponentur sub pedibus Christi. Nam scriptum est in Psalmo : « Omnia subjecit Deus sub pedibus ejus (*Psal.* VIII, 8), » id est Christi, sicut expositum est in Psalmo. Tamen habetur, subjecisti. *Cum autem* Scriptura dicat, *omnia* sine dubio *subjecta sunt Christo*, omnia *præter eum qui ei*, scilicet Christo, *subjecit omnia*, scilicet præter divinitatem. Deus, qui Christo subjecit omnia, non est Christo subjectus. Sed *ipse* Christus *erit subjectus illi*, id est Deitati : *quæ subjecit omnia ipsi*, id est Christo. Diceret aliquis : Interim quidem Christus erit subjectus Deo, donec sibi Deus subjecerit omnia : sed postea non. Erit utique (ait Paulus) quia cum subjecta fuerint Christo omnia, tunc ipse Christus subjectus erit Deo, qui ipsi subjecit omnia. Ita tamen subjectus, *ut sit* æqualis, scilicet, ut Christus sit Deus *in omnibus*, id est in singulis creaturis : et ita in omnibus quod *omnia* singulis, id est perfecta beatitudo, perfecta gloria, et pax superans etiam omne hominis desiderium. Revertitur ut probet resurrectionem mortuorum

dicens : Mors per Christum destruetur, et homines tunc resurgent : *alioquin*, id est si dicas non esse resurrectionem mortuorum, *quid facient* illi *qui baptizantur pro mortuis ?* Tangit hic reprobum morem quorumdam, qui, audito quod resurrectio futura esset eorum qui baptizarentur, cum essent baptizati, iterum loco infidelis patris jam mortui baptizabant se : ut sic pater vel mater salvarentur in resurrectione. Et hoc adducit ad verecundiam Corinthiorum : quia si illi perversi tantam fidem de resurrectione habebant, quanto magis Corinthii deberent resurrectionem credere ? Littera sic est : Quid facient illi qui baptizantur pro mortuis spe resurgendi, *si omnino mortui non resurgunt ? Ut quid etiam baptizantur pro illis* justificandis : cum nec illi justificentur ? Si enim justificarentur a peccatis et resurgerent. Vel aliter sic : *Alioquin*, id est si resurrectio non est, *quid facient* illi *qui baptizantur pro mortuis* operibus, id est pro peccatis, quæ mortem operantur ? Baptizantur dico spe resurrectionis. Et quid facient, si omnino mortui non resurgunt ? *Ut quid* etiam *baptizantur pro illis*, id est, ut justificentur a peccatis ? Vel aliter : *Alioquin* si non resurgunt mortui, *quid facient* illi *qui baptizantur pro* se *mortuis*, id est mortificandis peccatis : Vel pro se mortificatis per peccatum Deo. Cætera sicut dicta sunt. Iterum si resurrectio mortuorum non est, *ut quid etiam nos* apostoli *periclitamur omni hora ?* Non enim finem habent tribulationes nostræ, quas gaudemus pati spe futuræ **149** resurrectionis. Vere periclitamur : nam *quotidie morior*, id est pericula mortis patior, fratres, *propter vestram gloriam*, ut vos digni sitis gloria resurrectionis. Vel secundum Augustinum : Morior, et hoc juro per vestram gloriam, fratres : *quam* gloriam spe quidem jam *habeo, in Christo Jesu Domino nostro :* qui jam in gloria cum carne mea resurrexit. Qui etiam ut secum resurgerem promeruit. Si iterum mortui non resurgunt : quid mihi prodest *si secundum hominem*, id est secundum humanæ rationis potentiam. Vel secundum hominem : quia ego homo, illi bestiæ. Secundum hominem utique *pugnavi contra bestias Ephesi*, id est contra Ephesianos bestiales : quia resurrectionem negando, hominem in hoc mundo solum vivere dicunt, quod et bestiæ faciunt.

Quid, inquam, illa pugna *mihi prodest*, nisi post mortem habiturus sim gloriam ? Ephesii negabant resurrectionem : contra quos Paulus multo labore disputavit, approbans futuram esse resurrectionem. Et quandoquidem secundum vos vita non restat post hanc : nihil jam aliud agendum est : nisi ut desperantes *manducemus et bibamus :* quia non ultra victuri moriemur (*Isa.* XXII, 13; *Sap.* II, 6). Hoc verbum dixerunt Judæi, cum affligerentur in captivitate Babylonis, et desperarent de adjutorio Dei. Similiter qui resurrectionem negant, de auxilio et potentia Dei desperant. Et quia, fratres, non sic est desperandum, sed de resurrectione confidendum, *ideo nolite seduci* a pseudoapostolis, qui non habent fidem resurrectionis. Per hoc quod dicit *seduci*, notat seductores esse inter eos. Nolite credere seductoribus. Nam *colloquia* illorum *mala* non solum fidem violant : sed etiam *corrumpunt bonos mores.* Qui enim futuram vitam non credit, nescio quare bonis moribus laboret adhærere. Et ne a seductoribus corrumpamini, *exigilate* ad hoc ut sitis *justi*, et ut justitiam conservetis. *Nolite* ulterius *peccare* : necessarium est ut evigiletis. *Quidam enim* inter vos *habent ignorantiam* Dei, id est ignorant æquitatem, et fidem Dei : et hoc *loquor vobis ad reverentiam*, id est ad erubescentiam), ut verecundemini de peccatis vestris.

Postquam Paulus per necessarias rationes, per inconvenientia quæ inde proveniunt, iterum per potentiam Christi, futuram resurrectionem approbavit, vult illam approbare per legem naturæ : quia humana sapientia magis argumentatur secundum passibilitatem [possibilitatem] naturæ. Quasi diceret : Licet superius resurrectionem satis approbaverim, *tamen* secundum legem naturæ objiciendo, *dicit* mihi *aliquis : quomodo resurgunt mortui* in pulverem jam dissoluti ? Natura non videtur hoc pati. Iterum si aliquo modo pulvis ille conglutinatur, tamen *quali corpore venient* homines qui resurgent ? Num credi potest ut tanta gloria possit venire dissoluto pulveri, ut tu prædicas ? Priori respondet quæstioni. Natura bene patitur mortuos resurgere. Illud enim quod tu *insipiens*, qui de resurrectione dubitas, semen, inquam, illud, *quod tu seminas non vivificatur*, id est nullo modo vivere potest, *nisi prius moriatur*, et computrescat : quemadmodum vides quod oportet semen putrefieri, ut sic postea vivat : ne dubites jam hominem iterum post mortem vivere posse, cum per mortem oporteat vivere. Probat aliam quæstionem, futuram scilicet gloriam corporum, ejusdem seminis similitudine, dicens : Vere in majori gloria corporum venient. Nam *quod seminas* tu, *non* seminas illud *corpus quod futurum est, sed seminas nudum granum :* corpus autem de nudo grano futurum multa grana, paleas et culmos est habiturum. Similiter non sit tibi absurdum, si dicamus corpora nostra in majori gloria resurrectura quam hic seminentur. Tu seminas nudum granum, *utputa*, id est sicut est granum *tritici*, *aut* granum *alicujus cæterarum segetum.* -Tu seminas nudum granum ; *sed Deus dat illi* grano *corpus sicut vult*, fertilitate granorum, spicarum et culmorum gloriosum : *et unicuique* tamen **150** *seminum* reddit *proprium corpus :* quia si seminatum est triticum, pullulat triticum ; et sic in identitate seminum singula grana resurgunt, et hoc in exemplum melioratæ resurrectionis, non amissæ substantiæ. Cumque omnes in hoc conveniant, quod resurrectionis gloriam sunt habituri, in eo tamen differunt quod quidam gloriosiorem sunt habituri quidam non adeo, secundum differentiam meritorum. Diceret aliquis : Cum omnis hominum materia ex eisdem constet elementis, videtur ut quidquid uni conferetur, totum in alio possideat similis ma-

teria. Quod Paulus (ut ad meliora semper provocet eos) per similitudinem aliarum creaturarum improbat : quia quemadmodum omnia animalia ex eisdem elementis facta sunt, eadem tamen materia non aufert, quin alia et alia inter se sint. In cœlestibus etiam creaturis ex eisdem materiis constitutis differentia est ad invicem claritatis ; sic in hominibus natura carnis omnibus eadem non impedit quin possint diversificari in gloria resurrectionis. Littera sic jungitur : Licet omnes resurgant in majori gloria carnis, tamen differenter : nec hoc impedit eadem omnibus materia conditionis : sicut vides quod *non omnis caro, eadem caro*, licet omnis ex eadem materia, *sed alia* est caro *hominum* et *alia* est *pecorum*. *Alia* autem est caro *volucrum* : *alia* autem est caro *piscium*. Et sicut terrena corpora inter se differunt, sic cœlestia a terrenis. *Sunt* enim *corpora cœlestia, et corpora terrestria* : et cum in hoc quod corpora sunt, conveniant : tamen in hoc differunt quod *alia* quidem *est cœlestium corporum gloria, alia autem terrestrium*. Et sicut cœlestia a terrenis differunt, sic ipsa cœlestia inter se. Nam *alia* est *claritas solis, et alia* est claritas *lunæ*, et *alia* est *claritas stellarum*. In ipsis etiam stellis differentia : *nam stella differt a stella in claritate* : et sicut hæ creaturæ vicissim a se differunt claritate, *sic etiam resurrectio mortuorum* differens erit justis in claritate gloriæ. Et licet in gloria resurrectionis differant, hoc tamen indifferenter habent quod hic *seminatur* corpus hominis *in corruptionem*, id est, ad hoc ut corruptioni subjaceat. Seminare dicit a die quo concipitur homo, usque ad diem resurrectionis omnium. Seminatur quidem in corruptione : *sed surget in incorruptione*, id est ut ab omni corruptione alienum sit, et hoc surgere erit in die judicii. *Seminatur* non solum in corruptione, sed etiam *in ignobilitate*. In multa enim vilitate carnis homo generatur, *sed* tunc *surget in gloria*, perpetua habenda. *Seminatur* hic *in infirmitate*, omnibus enim morbis et diversis hic subjacet miseriis : *sed* tunc *surget in virtute* impassibilitatis et immortalitatis. *Seminatur* hic *corpus animale*, quod quotidianis ciborum fomentis sustentari oportet, ut quodlibet animal : *sed* tunc *surget corpus spirituale*, quod spiritu solo regitur, sine usu corporei cibi. Vere animale corpus seminatur : siquidem hoc vestrum *corpus animale est, surget* idem *spirituale* corpus : siquidem spirituale tunc erit. Vel aliter : Vere corpus surget spirituale ; nam si corpus modo dicitur animale, vocandum est etiam idem corpus spirituale : nam animale non diceretur, nisi respectu spiritualis, ut quasi vim relativorum habeant, animale et spirituale : vere corpus hoc est animale, *sicut scriptum est* in Genesi (*Gen.* II, 7) : *Primus homo*, hic autem dictus est *Adam*, *factus est* in animam non vivificantem corpus : quia cito morte dissolutum est, sed *in animam virentem*, id est quæ viveret ibi in carne : nisi enim corpus cibis aleretur, anima non viveret ibi. Et ideo dicitur vivens, quasi alienis viribus, et non vivificans. Et vere surget corpus spirituale ; nam *novissimus Adam*, id est Christus, dicitur Adam, quia natus de ipso secundum lineam carnis : ideo autem novissimus, quia post eum non est futurus alius Adam, qui novam inducat generationem. Omnis enim homo, vel carnalis Adæ filius vel spiritualis. Hic, inquam, novissimus Adam, **151** *factus est in spiritum* non viventem, sed *vivificantem*. In illa enim resurrectione sic anima corpus vivificabit, ut nullo egens alimento vivat perpetuo.

Diceret ille : Licet Christus qui Deus fuit, ita potuit vivificari, ego non sic potero, qui tantum homo sum. Nihil impedit, ait Paulus, quia licet Christus Deus sit, tamen *non prius* fuit illud corpus *quod est spirituale, sed* prius fuit illud corpus *quod* est *animale* : et *deinde* fuit illud corpus, *quod* est *spirituale*. Vere primus homo factus est in animam viventem, nam primus homo factus est *de terra terrenus*, et secundus Adam factus est in spiritum vivificantem. Nam *secundus homo* factus est *cœlestis* veniens *de cœlo*. Et *qualis* fuit primus ille *terrenus*, *tales* sunt *et terreni*, qui adhærent ejus terrenitati. *Et qualis* fuit secundus ille *cœlestis*, *tales etiam* erunt imitatores ejus *cœlestes*. Et quandoquidem qui terrenum sectabitur, terrenus erit ; et qui cœlestem, cœlestis ; *igitur sicut portavimus imaginem terreni* Adæ per peccatum, *sic* amodo *portemus imaginem cœlestis* Adæ, per justitiam vitæ : ut, deposito onere terrenitatis, gaudeamus in levitate gloriæ cœlestis. Quia modo dixerat qualis fuit cœlestis, tales erunt adhærentes ei. Dixerat etiam portemus imaginem cœlestis : ne occasione horum verborum putaremus nobis ad salvationem sufficere veterem hominem in baptismo deponere, et novum hominem ibidem assumere. Determinat Paulus non satis esse hoc modo imaginem cœlestis portare, nisi continua imitatione operum portemus. Littera sic jungitur : Licet dixerim, portemus imaginem cœlestis, et erimus cœlestes, tamen *hoc dico*, id est determino vobis, *fratres, quoniam*, id est quod, *caro et sanguis*, id est, qui carni acquiescunt et sanguini, quædam enim peccata sunt ex carnalitate, ut mollis luxuria : quædam ex vitio sanguinis, ut ira ex melancholia : et quicunque carnem et sanguinem peccati sectantur, hi *non possunt possidere regnum Dei*, id est seipsos in futura gloria. Regnum enim Dei nihil aliud est, quam ipsi homines, in hac vita nemo possidet se, quia nulla dies est, qua non quisque possideatur a peccato, sed in futura beatitudine quisque justorum possidebit se. Ubi nemo tentatione carnis inquietabitur. Vere caro et sanguis non possidebunt regnum Dei : nam caro et sanguis est corruptio. Regnum autem Dei est incorruptio. *Corruptio* vero *non possidebit incorruptelam* : igitur caro et sanguis non possidebunt regnum Dei. Quia modo superius dixerat : Quicunque portaverit imaginem cœlestis, resurget in gloria. Dixerat iterum quod caro et sanguis nullo modo possidebunt regnum Dei : ne hæc verba in-

telligeret aliquis esse contraria, solvit illud absolvendo omnem contrarietatem, dicens : Ne prædicta verba mea male interpretemini, *ecce dico vobis mysterium*, id est aperio vobis rem occultam, ut per ejus apertionem auferam a vobis hujus rei dubietatem. Vere *quidem* est (sicut præfatus sum) quod *omnes resurgemus*, id est omnes corpora resumemus, *sed* tamen *non omnes immutabimur*, in accipiendo gloriam : quia quidam resurgent ad pœnam sibi augmentandam : alii ad gloriam. Resurgemus quidem *in momento*, et ut majorem facilitatem resurrectionis aperiat, corripit quod dixerat, in momento, dicens : *Resurgemus in ictu oculi*, id est, quam cito oculus transit ad pervidendum aliquid : vel, quam cito palpebra palpebræ jungitur. Hoc autem fiet *in tuba novissima* : non quod vox tubæ ibi audiatur, sed sicut vox tubæ victores invitat ad palmam ; victis vero fit ad terrorem : ita vox illa signum erit justis ut triumphi meritum accipiant, impiis autem terrorem pœnæ incutiat. Novissima ideo, quia cum multas voces dederit Christus in mundo, unde terreret impios, lætificaret justos : vox illa judicii novissima erit consummans justis gloriam, impiis iram indeficientem. Et quia de tuba hac nihil amplius dixerat, subdit : **152** Bene dico tuba. *Nam canet tuba.* Non determinat utrum Christus vel angelus tuba illa canere debeat. Vel ut sit nominativus, tuba illa canet *et* in voce tubæ *resurgent mortui incorrupti*, id est in integritate membrorum restaurati : quidam tamen dolore pœnarum corrumpendi, sed *nos* electi Dei *immutabimur*, accipiendo gloriam resurrectionis. Vere *immutabimur* : *nam oportet*, id est (ut vere sint Scripturæ) inevitabile est : *oportet*, inquam, *corruptibile hoc*, id est, corpus tot miseriis attritum, *induere incorruptionem*. Et quia incorruptum posset esse ad tempus, ut tamen non evaderet ; addidit *et* oportet *mortale hoc* corpus *induere immortalitatem*.

Vere hoc mortale fiet immortale : *nam mors absorpta*, id est destructa et deglutita est, *in victoria* Christi, quando morte sua mortem superavit : vel *in victoria sua*, id est mortis : per hoc enim quod mors invadere Christum præsumpsit, in quo non erat peccatum, quod est causa mortis, in ipsa sua præsumptione occubuit. Hæc autem auctoritas in Osee sic invenitur : « O mors ero mors tua (*Osee* XIII). » Et quia hanc scripturam quidam male interpretabantur, dicentes hoc scriptum esse de morte animæ, non corporis, præmittit Paulus expositionem hujus auctoritatis dicens : Cum autem hoc mortale corpus induerit immortalitatem. Non enim (sicut quidam male suspicantur) anima sola evasura est mortem, sed cum anima etiam corpus : tunc fiet, id est implebitur sermo ille qui scribitur in Osee : Absorpta est mors in victoria, sicut dictum est. Verba quæ sequuntur ejusdem prophetæ esse dicuntur, insultantis ipsi morti, quia destructa sit, et dicentis. Quandoquidem absorpta est, *ubi est, o mors*, nunc, *tua victoria*, qua juri tuo omnia subjiciebas ? Et, *o mors*, *ubi est* modo *tuus stimulus*, id est peccatum quod in aculeo suæ caudæ, mortem loco veneni gestabat ? Ait Paulus : bene dico stimulus : nam *peccatum est stimulus mortis*, id est aculeo suo mortem hominibus instimulans. Pro eo quod Paulus quid sit stimulus exponit, præcedentia verba putantur non esse ipsius : vel si sunt Pauli, non tamen mutatur sententia. Insultando enim dicit morti, quia modo absorpta es. *Ubi est, o mors, tua victoria* ? Cætera non mutantur. Ne iterum dicerent : Cum destructo peccato destruatur mors, bene modo nobis est, quia per legem destruemus peccatum. Contra hoc Paulus : Peccatum est stimulus mortis. *Lex* vero nullo modo debilitat peccatum : imo *est virtus*, et augmentum *peccati*. Et hoc congrue removit, ut sicut per Christum probaverat fieri resurrectionem, sic per eumdem ostendit esse omnem peccati remissionem. Et quia lex auget peccatum, ideo nulla legi *gratia*, sed *Deo* omnes agamus gratias : *qui dedit nobis victoriam* peccati et mortis, et hoc *per Dominum nostrum Jesum Christum*. Et quia ex Deo et per Christum omnis victoria ; *itaque, fratres mei*, ut sitis Deo *dilecti, estote stabiles* in bono, dum in quiete pacis estis. Estote etiam *immobiles* a fide, si adversa irruerint. Vos dico *abundantes in opere Domini*, ut *semper* melius et melius operemini. Vos dico semper *scientes quod labor vester non est inanis*, id est sine fructu ; sed in gloria magna resurrecturi estis, et hoc *in Domino*, id est per Dominum misericorditer agentem in vobis.

CAPUT XVI.

« De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut « ordinavi in Ecclesia Galatiæ, ita et vos facite. Per « unam Sabbati unusquisque vestrum apud se « reponat, recondens quod ei bene placuerit : ut « non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum au- « tem præsens fuero, quos probaveritis per Episto- « las, hos mittam perferre gratiam vestram in Je- « rusalem. Quod si dignum fuerit, ut ego eam, « mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Mace- « doniam pertransiero. Nam Macedoniam per- « transibo. Apud vos autem forsitan ma- « nebo, vel etiam hyemabo, ut vos me de- « ducatis **153** quocunque iero. Nolo enim vos « modo in transitu videre. Spero enim me aliquan- « tulum temporis manere apud vos, si Dominus « permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad « Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est ma- « gnum, et evidens, et adversarii multi. Si autem « venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud « vos : opus enim Domini operatur sicut et ego. « Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum « in pace, ut veniat ad me : exspecto enim illum « cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis « notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut ve- « niret ad vos cum fratribus : et utique non fuit « voluntas ejus, ut nunc veniret : veniet autem, « cum et vacuum fuerit. Vigilate, state in fide ; vi- « riliter agite et confortamini : omnia enim vestra

« in charitate fiant. Obsecro autem vos, fratres, A
« nostis domum Stephanæ, et Fortunati, et Achaici;
« quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium
« sanctorum ordinaverunt seipsos, ut et vos subditi
« sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti.
« Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortu-
« nati, et Achaici : quoniam id quod vobis deerat,
« ipsi suppleverunt. Refecerunt enim et meum spi-
« ritum, et vestrum. Cognoscite ergo qui ejusmodi
« sunt. Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ. Salu-
« tant vos in Domino multum Aquila et Prisca, cum
« domestica sua Ecclesia : apud quos et hospitor.
« Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in
« osculo sancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis
« non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit
« anathema, Maran Atha. Gratia Domini nostri
« Jesu Christi vobiscum. Charitas mea cum omnibus
« vobis in Christo Jesu, Amen. »

EXPOSITIO.

Postquam singula quæ præcipienda erant, disposuit, secundum ordinem rectæ fidei in fine Epistolæ, de quibusdam privatis eos admonet, scilicet ut sancti qui erant in Hierusalem, quos et rapina infidelium, et publica fames oppresserat, subvenirent, ministrantes aliquid de suis abundantiis. Littera sic jungitur : De resurrectione mortuorum sic credite. *De collectis autem quæ fiunt* deferendæ *in sanctos*, qui sunt in Hierusalem, *ita et vos facite per unam* diem *Sabbati*, id est septimanæ, *sicut ordinari* debere fieri in *Ecclesiis Galatiæ*. Et ne putetis hæc C collecta meis usibus me velle deputare, præcipio ut *unusquisque vestrum reponat apud se :* non tamen sic ut suum esse putet illud, sed *recondens*, et quasi alienum integre conservet : *quod ei bene placuerit* pauperibus sanctis erogare. Ideo dico *facite per unam Sabbati, ut non cum venero, tunc primum collectæ incipiant fieri*. Ut autem omnem suspicionem auferam a vobis male suspiciosis, *cum* ego *præsens* vobis *fuero*, non proprios legatos, sed *hos quos probaveritis* (id est quos ex vobisipsis elegeritis) *mittam perferre gratiam vestram*, id est gratuitum donum vestrum *in Hierusalem*. *Mittam* dico *per Epistolas*, id est cum Epistolis meis, in signum ipsis traditis.

Dicerent Corinthii : Aliorum munera ipse defers, et nostra quare deferre dedignaris? Ad hoc Paulus : D Certe *si dignum fuerit* donum vestrum, *ut ego ire debeam, ibunt mecum* legati vestri, ut ego simul veniens commendem gratiam vestram. Sic faciam de gratia vestra, *Veniam* etiam *ad vos cum pertransiero Macedoniam :* prius sum enim ad Macedonas iturus. Bene dico *pertransiero : nam* vere *pertransibo Macedoniam;* sed postea *manebo apud vos forsitan*, id est si Deus concesserit. *Vel* etiam ut plus dicam. *Hiemabo* penes vos, *ut vos deducatis me quocunque* a vobis discedens *iero*. Ideo hiemabo ; quia *nolo vos modo videre in transitu*. Ideo non in transitu videbo vos; *quia spero me aliquantum manere apud vos, si Dominus permiserit*. Et licet dicam me transiturum ad vos, prius *tamen permanebo Ephesi usque ad Pentecosten*. Et necesse est ibi permanere me; quia *ostium apertum est mihi magnum*, id est quia multi Ephesiorum ad fidem se præparant. *Et* ostium *evidens* ; quia jam quædam signa fidei video in eis : et oportet me insistere; quia *adversarii multi* sunt, qui volunt eos subducere Christo. Ego modo Ephesi manebo. *Si autem* **154** *Timotheus*, deferens hanc Epistolam, *venerit ad vos, videte ut sine timore sit apud vos*. Quidquid enim mihi de vobis nuntiavit, ad correptionem vestram fecit, et ideo videte ne eum inquietetis, utique sine timore debet esse apud vos ; *quia opus Domini operatur in vobis, sicut ego*, et alii discipuli, et quia opus Domini operatur : *ergo* videte *ne quis spernat eum*, sed obtemperate monitis ejus. Nec solum non spernatis eum, *sed* etiam *illum* B revertentem ad me *deducite in pace, ut* illæsus *veniat ad me :* ego *enim exspecto illum cum aliis fratribus*. Apollo episcopus Corinthiorum fugiens dissensionem eorum reversus fuerat ad Paulum, de quo Corinthii scripserant Paulo ut eis remitteret episcopum suum. Respondet eis Paulus quod Apollo nolit reverti, priusquam bene sint correcti, dicens : De Timotheo sic agite; *de Apollo autem fratre nostro*, et episcopo vestro, *significo vobis, quoniam multum rogari ut veniret ad vos : et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret* ad vos, *sed veniet cum vacuum ei fuerit*, et vos bene correctos intellexerit. Ut autem adventum hujus patris vestri mereamini, *vigilate*, id est studiose cavete vobis ne erretis, et *state in fide*, ut a sana fide non devietis, et in fide stantes *agite viriliter*, id est bene operamini. Nec ad horam sed in bonis actibus perseverando *confortamini*, studentes ut *omnia vestra fiant in charitate*, id est in dilectione Dei et proximi, in qua hucusque nimium tepuistis. *Obsecro vos, fratres*, ut subditi sitis Stephanæ, et Fortunato, et debetis. *Nostis* enim *domum Stephanæ et Fortunati, et Achaici*. Hoc, inquam, nostis *quod* isti *sunt primitiæ Achaiæ*. Primi enim de Achaia crediderunt. Corinthus in Achaia est. Nostis etiam hoc quod *isti ordinaverunt seipsos in ministerium sanctorum* : quibus propriis manibus et de suis rebus ministraverunt. Hoc, inquam, obsecro vos, *ut subditi sitis his* omnibus quæ in vobis *sunt ejusmodi, et omni cooperanti* illis in bono, *et laboranti* similiter in ministerio sanctorum. Ut autem subditi sitis illis, scitote quoniam ego *gaudeo in præsentia Stephanæ, Fortunati, et Achaici :* sic enim mihi est de illis quasi si præsentes eos habeam. Gaudeo, inquam, et merito; *quoniam ipsi impleverunt* in me et in sanctis *hoc quod deerat vobis :* ipsi enim ministraverunt nobis in temporalibus, quod cum vos debuissetis, ne glexistis. Vere ipsi suppleverunt ; *nam refecerunt spiritum meum* ministrando necessaria, *et* per hoc spiritum *vestrum*. Nisi enim bonis suis fovissent nos, non possemus tandiu immorari vestræ instructioni. Et quia refecerunt spiritum meum et vestrum, *ergo cognoscite*, id est ex dilectione obedite eis, et omnibus *qui sunt ejusmodi*. *Salutant vos*, o Corin-

bii, *omnes Ecclesiæ. Salutant multum in Domino* A *Aquila et Prisca, cum domestica sua Ecclesia*, id est et eorum familia vos salutat. *Salutant vos omnes fratres. Salutate vos invicem in osculo sancto*, id est osculamini vos alterutrum, evacuantes a vobis schismata. *Salutatio* quæ sequitur facta est propria *manu, mea* dico scilicet *Pauli*, hæc, scilicet gratia Domini nostri, etc.

Mos erat Pauli, ut ipse idem manu propria Epistolam clauderet, ne dubitaretur quin a se mitteretur Epistola : et hoc propter pseudo, qui sub nomine Pauli furtivas mittebant epistolas. Ab hac autem salutatione sua excludit infideles, dicens : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum*, hunc non saluto ; sed *sit anathema*, id est separatus a Deo *anathema* dico *Maranatha*. Hoc verbum ex Syro sermone conficitur et Hebræo, et sonat *Dominus venit*. Quasi diceret : Qui non amat Christum, separetur ab eo dum ipse Dominus ad judicandum venit. Vel sit anathema, et malo suo; quia Dominus venit fortassis hodie vel cras, ut ulciscatur de eo. Hæc autem est mea salutatio, a qua impios separo. *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit robiscum*, et *charitas mea sit cum omnibus vobis*, id est omnes vos diligatis me, licet aliquantulum asperius vos correxerim · et hoc sit *in Christo Jesu*, id est propter amorem Christi Jesu. Amen, id est ita fiat.

155 PROLOGUS IN SECUNDAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

In secunda ad Corinthios Epistola, quasi in parte B superiori, post tribulationum suarum relationes, reddit causas quare ad eos secundo non ierit; quoniam non levi mutatione consilii fecisse se asserit, sed ne adventu suo tristitiam incurreret, cum in peccato permanere discipulos reperisset. Deinde post agnitos fructus pœnitentiæ, reconciliat eum Ecclesiæ, quem in prima propter fornicationem, a consortio sanctorum jusserat amoveri. Tertio contra pseudoapostolos officii sui dignitatem tuetur, et Novi Testamenti ministros tanto anteire gratia ostendit, quanto Evangelium est lege præstantius. Immoratur etiam in causa illa plurimum, quam breviter in prima contigerat; ut prompto ac libenti animo necessaria præsentis vitæ non habentibus, largiantur, et utilitate spiritualis commercii commutent præsentia cum futuris, atque abundantia sua sanctorum inopiam suppleant; ut vicissim eorum inopia sanctorum abundantia suppleatur. In fine repetit quod superius contra pseudoapostolos egerat, et jactationem eorum, prædicationesque de se gloriosas, vel collata antiquitate generis, vel catalogo injuriarum ac periculorum suorum evacuat; dicitque eos operarios subdolos, qui ad imitationem Satanæ transfigurentur in apostolos Christi, sub prædicationis spe lucra pecuniaria quæque sectantes.

ARGUMENTUM IN EAMDEM.

Post actam a Corinthiis pœnitentiam, consolatoriam scribit eis Epistolam Apostolus a Troade per Titum, et collaudans eos hortatur ad meliora ; contristatos quidem eos, sed emendatos ostendens.

ARGUMENTUM B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Paulus hanc iterum Epistolam scribit ad Corin- C thios, quorum alios sufficienter per priorem Epistolam correxerat ; sed quidam eorum eo adhuc errore gravabantur ut pseudodoctores Paulo præferrent, accusantes Paulum de simplicitate sermonis, extollentes pseudo in sapientia carnali. Quare et in hac Epistola satis immoratur in depressione pseudodoctorum, et in commendatione sui apostolatus. In primis etiam eos qui justi erant in Corinthiis, seu qui modo per Epistolam Pauli bene fuerant correcti, seu illos qui a principio acceptæ fidei perduraverunt, in bono consulendo. Hi enim multa patiebantur a fratribus perversis, quos illi pseudo concitabant in sanctos. Cumque omnes bonos indifferenter consoletur, eum quem ex nomine reprehenderat, quia uxorem patris ducere præsumpserat, quia bene correctum audivit, singulare præceptum de eo ponit, ut restitueretur Ecclesiæ, a qua pro peccato se alienatum humiliter toleravit. De collectis etiam, de quibus in prima Epistola illis scripserat, in hac diffusius agit, ut qui brevi admonitione abusi fuerant, iterata et magis producta admonitione de eodem contemnere non audeant. In hac autem Epistola materia sunt ipsi iidem Corinthii correcti seu incorrecti. De his autem agit consolando bonos, ne deficiant in adversis; sed per patientiam tribulationum certatim proficiant in augmentum virtutum. Incorrectis vero errorem suum et peccatum improperat, ea utique intentione de utrisque habita, ut diversitatem eorum in quamdam redigat unitatem, scilicet ut et boni in melius proficiant, et mali declinando errorem suum, salubri imitatione bonos insequantur. D

EPISTOLA II AD CORINTHIOS.

156 CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus Christi Jesu, per voluntatem « Dei, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est « Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in uni- « versa Achaia. Gratia vobis et pax a Deo patre « nostro, et Domino Jesu Christo. « Benedictus « Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi (*Ephes.* « 1, 3; *I Petr.* 1, 2). » Pater misericordiarum et

« Deus totius consolationis, qui consolatur nos in « omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Quoniam « sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et « per Christum abundat consolatio nostra. Sive « autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, « sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, « quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, « quas et nos patimur : ut spes nostra firma sit « pro vobis, scientes quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. Non enim « volumus ignorare vos fratres, de tribulatione « nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus, et supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes « in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos : qui de « tantis periculis nos eripuit et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet adjuvantibus « et vobis in oratione pro nobis : ut ex multarum « personis facierum ejus quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. Nam « gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ « nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate « Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia « Dei conversati sumus in hoc mundo, abundantius « autem ad vos. Non enim alia scribimus vobis, « quam quæ legistis et cognovistis [cognoscitis]. « Spero autem quod usque in finem cognoscetis, « sicut et cognovistis nos ex parte; quia gloria « vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Domini « nostri Jesu Christi. Et hac confidentia volui prius « venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, et « per vos transirem in Macedoniam, et iterum a « Macedonia venirem ad vos, et a vobis deduci in « Judæam. Cum ergo hoc voluissem, nunquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem « cogito, ut sit apud me EST, et NON? Fidelis autem « Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non « est in illo EST et NON : sed est in illo est [*non habet* sed est in illo est] : Dei enim Filius Jesus « Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per « me et Silvanum et Timotheum, non fuit in illo « EST et NON, sed EST in illo fuit. Quotquot enim « promissiones Dei sunt, in illo EST. Ideo et per « ipsum : Amen Deo ad gloriam nostram. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui « unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum : non quia « dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri. Nam ide statis. »

EXPOSITIO.

More suo salutem præmittit, dicens : *Paulus* (quod nomen tam humilitatis quam auctoritatis A est) Paulus inquam *apostolus*, id est legatus *Christi Jesu* : gloriam enim Christi annuntiat. *Apostolus*, dico, non per temerariam præsumptionem ut pseudo, sed *per voluntatem*, id est per beneplacitum *Dei, et* cum eo *Timotheus frater*, id est cooperator in opere Christi. Ideo Timotheum reponit, per quem primam Epistolam miserat, ut sciant sibi cognita esse omnia quæ apud eos geruntur. Paulus, inquam, et Timotheus scribunt *Ecclesiæ*, id est convocationi fidelium. *Ecclesiæ* dico *Dei*, id est in qua gratia Dei tantum operatur, et non merita doctorum ut pseudo gloriantur. *Ecclesiæ* dico *quæ est Corinthi*. Corinthiorum utique Ecclesiæ scribit *cum omnibus*, id est et omnibus *sanctis*, id est in baptismo per Christum sanctificatis : *cum omnibus* dico *qui sunt in* B **157** *universa Achaia*. Quasi diceret : Ecclesiæ Corinthi omnibusque Ecclesiis illi subjectis. Achaia enim dicitur provincia, in qua metropolis Corinthus sita erat. *Vobis* Corinthiis sit *gratia*, his qui peccaverunt secunda remissio : his qui bene correcti sunt, vel qui post acceptam fidem non peccaverunt, sit perseverantia gratiæ bene custoditæ. Et ei scilicet sit *pax*, id est bona tranquillitas animi *a Deo* qui potest : *Patre nostro*, qui pium ad nos affectum habet, *et a Deo* qui similiter potest, *Jesu Christo*, et vult : quia salvare nos officium ejus est. Nunc imprimis gratias agit Deo pro perseverantia eorum qui lapsi non fuerant, et pro correctione eorum, qui errore contempto bene se emendaverant : consolaturque eosdem exemplo suo, ut fortes sint in adversis, C quæcunque oporteat eos pati, dicens : Quia vos in fide Christi laborare video, inde gratias agens dico : *Benedictus* sit *Deus* Domini nostri Jesu Christi : *et Pater Domini nostri Jesu Christi*. Deus ejus est, secundum quod Christus homo fuit : Pater Christi est, secundum deitatem in qua Filius æqualis est Patri : ipse tamen principium habens a Patre, non Pater ab eo. Qui si Jesu Christi Pater est, cum nos Christi filii simus : sic per Christum Deum Patrem habemus. Duo prædicta, Deus et Pater, spectant ad Christum : eadem duo quæ sequuntur, spectant ad homines. Benedictus etiam sit qui Deus et Pater est Christi. *Pater* est etiam *misericordiarum*. Cum posset dicere dator misericordiarum, dixit pater : D ut ostendat eum et datorem, et ex paterno affectu nobis bona dantem. Pater, inquam, misericordiarum, *et Deus totius consolationis*. Misericordiæ dicuntur omnia dona Dei, seu dentur in adversis, seu in prosperis : consolatio autem dicitur tantum ubi fuit desolatio. Posset etiam dixisse, si vellet, pater consolationis et Deus misericordiarum, idemque esset. Deus dico consolationis non imperfectæ, sed *totius*, id est perfectæ. In quibuscunque enim desolamur, potens et præsto est consolari nos Deus; quia consolatio nunc eis fuerat opportunior : ideo circa bona consolationis magis immoratur, dicens : *Qui* Deus *consolatur nos*, me scilicet et condiscipulos meos, *in tribulatione nostra*, quam patimur. Nec in quadam tantum, sed *in omni*. Ubicunque enim tribulamur,

facile vel difficile secundum modum tribulationis. præsto est medicina consolantis : consolatur, inquam, non solum ut nos liberet, sed etiam *ut possimus et ipsi* qui tribulamur *consolari eos*, qui modo videbamur desolati : et per exemplum patientiæ nostræ, et per exhortationem sermonis. Consolari dico eos *qui sunt in pressura* tribulationum. Nec in quadam tantum, sed *in omni* pressura interiori vel exteriori, possumus eos consolari *per exhortationem*. Posset dicere per consolationem, sed ut ostenderet se non simpliciter consolari, sed etiam fortiores fieri : ait per exhortationem *qua* alii sancti et nos ipsi *exhortamur a Deo :* ut videntes Deum præsentem nobis in tribulatione, nihil dubitemus in quæcunque tormenta irrumpere, et alios ad exemplum ac virtutem patientiæ, verbo et exemplo invitare.

Et vere exhortamur a Deo : *quoniam sicut abundant passiones Christi*, id est quas vel pro Christi nomine, vel pro exemplo Christi pro nobis passi sustinemus. Sicut enim passiones abundant *in nobis*, *ita* copiose *abundat* etiam *consolatio nostra per Christum* nos consolantem. Vel per Christum : quia per exemplum patientiæ ejus consolamur. Et quæcunque patimur, et quandocunque consolamur, hoc non solum propter nos, sed etiam ad instructionem vestri : *sive* enim *tribulamur*, hoc fit *pro vestri exhortatione*, ut ad patiendas tribulationes fortes sitis, et sic pro salute æterna habenda : *sive etiam consolamur*, hoc fit *pro vestri consolatione*, ut sciatis vos similiter a Deo in tribulatione consolandos, et sic pro futura salute habenda : *sive* etiam *exhortamur :* hoc totum fit *pro vestri exhortatione*, ut vos exemplo nostro et doctrina exhortati sitis ad meliora, et **158** sic pro habenda vobis salvatione. Videndum est quod hæc verba, *tribulamur*, *consolamur*, *exhortamur*, hic in passiva significatione leguntur : vere totum pro vobis, quia *quæ* tribulatio, consolatio et exhortatio *operatur* in vobis, verbo et exemplo nostro, *tolerantiam passionum etiam earumdem quas patimur etiam nos*, qui tantæ auctoritatis apud Deum sumus : non ergo miremini, si vos inferiores Deus permittat vexari. Operatur in vobis tolerantiam, *ut spes nostra* habita *pro vobis*, qua et vos speramus in bono perseverare, et salutem æternam apprehendere : ut hæc spes *sit firma*, id est permanens : et veritate virtutis roborata. Non ait de vobis, sed pro vobis : ut ostendat suam charitatem pro bono eorum affectuose sollicitam esse. Patimur, inquam, *scientes :* quoniam *sicut estis* non dicam participes, sed *socii passionum* nostrarum, *sic eritis etiam* socii *consolationis*, quam futuram exspectamus nobis et vobis in gloria. Et per hoc quod socios eos vocat, multum animat ad patientiam. Ea occasione quia de passionibus loqui cœpit, transit ad enumerandas difficultates, quas passus est in Asia ; hoc autem facit ne possent objicere Corinthii : Exemplo tuo nos, Paule, provocas ad ferendas tribulationes, qui nunquam fortasse tam graviter ut nos tribulatus es. Littera sic jungitur : Bene dico *patimur :* nam nos supra modum gravati sumus in Asia. Sed priusquam hoc dicat, præmittit unde intendant totum spectare ad sese quidquid dicturus est. Gravati quidem sumus : et hoc *non volumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia.* Ibi enim apud Ephesum, quia puellam spiritum pythonis habentem mundavit, et sic dominis ejus quæstum quem de divinatione puellæ habebant abstulit : instinctu eorum tota civitas irruit in eum. Cumque rationem reddere vellet, ne audiretur conclamabant : Magna Diana Ephesiorum. Ibique tot verberibus afflixerunt eum, ut in platea velut mortuus relinqueretur (*Act.* XVI, XIX) : hoc, inquam, nolo vos ignorare, quoniam ibi apud Ephesum *gravati sumus supra modum* priorum tribulationum, et *supra* humanam *virtutem*. Virtus enim hominis tanta pati non posset. Ita utique gravati sumus, *ut tæderet nos*, non dico pati, sed *etiam vivere :* nec tantum tæduit nos vivere, *sed* etiam *ipsi habuimus in nobis*, id est in anima nostra *responsum mortis :* quia consulentes animam nostram, si forte vivi evaderemus, respondebat nobis mortem. Ne per hoc quod dicit, tædebat nos in tormentis vivere, putaretur sibi contraire, ubi ait : *Consolatur nos Deus in omni tribulatione*, contra hoc ait : Ideo tantum gravati sumus usque ad tædium vitæ et responsum mortis, *ut non simus fidentes in nobis*, id est viribus nostris nihil ascribamus : *sed in Deo* tantum confidamus, *qui suscitat mortuos :* me enim de morte, id est de eo pro quo alius homo moreretur, liberavit : *qui* etiam frequenter *eripuit nos de tantis periculis* quæ passi sumus, *in quem* euntes bene agendo *speramus*, *quoniam* ut olim, sic etiam *adhuc* in futuro *eripiet*, in hac ereptione *adjuvantibus* aliis fidelibus *et vobis in oratione*, id est per orationem factam pro nobis : sic dico adjuvantibus, *ut per multos adjutores agantur Deo gratiæ pro nobis :* gratiæ dico *ejus donationis*, id est patientiæ et spei : et omnis bonæ donationis *quæ in nobis est*. Agantur dico *ex personis multarum facierum*, id est ex personis multiplici facie virtutum variatis. Sicut enim homo facie distinguitur ab alio, sic in Ecclesia hic per humilitatem quasi facie distinguitur ab alio : et alius per patientiam ab isto, et sic membra Ecclesiæ diversas virtutes distinctas habent facies. Ex personis autem multarum facierum, id est varietate virtutum distinctis, *agantur gratiæ Deo pro nobis*. Vel ita : *Ex personis multarum facierum*, id est ex diversitate ætatum et sexus : personas multarum facierum vocans pueros, juvenes et cæteras ætates utriusque sexus. Vel ita : *Agantur pro nobis gratiæ* **159** *donationis* quæ est in nobis. Agantur dico per multos, et quod dico per multos, hoc est ex personis multarum facierum. Per hoc quod ait, *vobis adjuvantibus pro nobis* satis commendat et allicit eos sibi quos tanti facit : ut pro Apostolo intercedere digni sint. In his enim verbis parificat eos sibi.

Hucusque de Corinthiis perfectos consolatus est. Hic transire videtur ad illos, qui nondum satis cor-

recti, adhærebant pseudo magistris : memorans hic quam digne conversatus sit apud eos : et quomodo in nullo gravis fuerit eis a quibus nec victualia recepit dicens : Dignum utique est, ut gratias agatis pro nobis : nam nos *conversati sumus apud vos in simplicitate et sinceritate*. Sed priusquam hoc dicat, præmittit testimonium hujus rei, dicens : Et si vos negetis nos bene conservatos esse apud vos, non curo. *Nam gloria nostra hæc est*, id est in hoc multum de puritate meæ conversationis glorior, habens *testimonium conscientiæ nostræ*. Conscientia enim mihi testis est quod in simplicitate non ut defraudarem vobis res vestras ut pseudo, sed in simplicitate nihil a vobis accipiens : et *in sinceritate Dei*, id est in puritate fidei : non admiscens (ut illi) falsa veris : et *non in sapientia carnali* : non enim adhæsi carnalibus documentis ut illi : sed in gratia Dei, id est in magnificando gratiam Dei : ex qua omne bonum et nihil ex carnali sapientia : *in gratia*, inquam, *Dei conversati sumus in hoc mundo : abundantius* tamen conversati sumus ad vos *apud quos* majora sustinui, cum nihil a vobis reciperem, ne arguendi vos auctoritatem amitterem. Dicerent Corinthii : Ideo Paulus hic conversationis suæ memoriam facit; ut quod olim non accepit, modo multiplicatum recipiat. Contra hoc Paulus : Ne putetis intentione accipiendi a vobis conversationem meam apud vos memorare. *Non enim alia* in hac Epistola *scribimus vobis, quam quæ* in priori epistola *legistis* : in qua scripsi me nihil accepturum a vobis. Nec alia modo scribimus quam vos *cognovistis* de nobis : quandiu apud vos fuimus, nihil a vobis accipiendo : sed de labore manuum vivendo. Et sicut tunc cognovistis : sic etiam *spero quod usque in finem cognoscetis*, me nihil accipere a vobis : *sicut jam etiam cognovistis* nos manentes apud vos. Cognovistis dico *ex parte*, id est secundum opus quod exterius videbatis : sed aliam partem, id est voluntatem, ignorabatis : ideo talem me volui cognosci, scilicet nihil accipientem a vobis : quia nos *sumus gloria vestra, sicut et vos nostra*, id est, quia volui me gloriari in obedientia vestra : et vos gloriari in doctrina nostra : quæ utique gloria non esset, si gravarem vos, temporalia a vobis accipiendo. Malletis enim repellere Doctorem, quam eum sustentare : quæ gloria mihi de vobis et vobis de me apparebit *in die Domini nostri Jesu Christi* : quando vos de obedientia exhibita, ego de doctrina remunerabimur. Transit iterum ad aliud : Illi enim accusabant eum de levitate, quia in priori Epistola dixerat se venturum ad eos, et non venerat. De mendacio autem non poterant eum arguere. Dixerat enim : Veniam si Dominus permiserit. Littera sic jungitur : *Et hac confidentia*, vel quia simpliciter et sincere conversatus sum apud vos; vel quia vos estis gloria mea, ego vestra : hac, inquam, vel hac confidentia *volui venire ad vos : prius* quidem volui, sed modo nolo. Volui utique tunc, *ut* per adventum meum *haberetis secundam gratiam*, id est quia post baptismum peccastis in secundam remissionem, *et* volui *per vos transire in Macedoniam : et a Macedonia* revertens, *iterum* volui *venire ad vos : et a vobis* volui *deduci in Judæam*. Et quia sic prius volui : *ergo cum voluissem hoc*, id est venire ad vos, *nunquid usus sum levitate*, quia non veni sicut prius volui? Aut quia non veni, *an* ea *quæ cogito secundum carnem*, id est carnale commodum *cogito*, ut ideo venire dimiserim, quia nihil me a vobis sperarem recepturum? an, inquam, secundum carnem cogito *ut* propterea *sit apud me, est, et non*, id est affirmatio et negatio de eodem? Quod apud me non sit, *est et non*, apparet in illo sermone *qui noster sermo fuit apud vos* dum præsens essem inter vos : quia in illo sermone tunc habito *non fuit est et non*, id est affirmatio et negatio de eodem : et quod ita sit : *Deus qui fidelis est* et verax *hoc novit*. Vel aliter : Vere apud me non fuit *est et non* : quia *Deus fidelis*, id est verax est. Cum autem Deus doctores veritatis se daturum promiserit : si me doctorem falsitatis instituit, profecto mendacii reus est. Et quod Deus sit fidelis promittens doctores veritatis apparet in eo : quia sermo noster qui fuit apud vos, in illo sermone non fuit : est et non. Vere Deus fidelis est : nam in Christo Jesu qui *Christus Jesus Filius Dei* est, *qui* etiam Christus *prædicatus est in vobis per nos* : scilicet *per me et Silvanum et Timotheum*. In illo Christo *non fuit est et non*, id est affirmatio et negatio de eodem : *sed* semper *fuit in illo est*, id est veritas seu negando, seu affirmando. Vere in illo non fuit est et non : *nam quotquot sunt promissiones Dei Patris in illo sunt est*, id est veræ et completæ; vel etiam similiter. Et quia per Christum completæ sunt promissiones Dei patris in illo sunt est, id est veræ et completæ sunt promissiones Dei : *ideo et per ipsum* Christum *dicimus amen*, id est ita esse completum sicut promissum est, et hoc totum *Deo*, id est ad gloriam Dei, et ad gloriam nostram, quia per veritatem Dei comprobatur veritas nostra. Licet dicam ad gloriam nostram : tamen non nobis, sed Deo debetur gloria : *qui* Deus *confirmat nos vobiscum* ut veritas in vobis sit : et hoc *in Christo*. *Qui* etiam Deus *unxit nos* oleo sanctificationis in baptismate. Qui etiam *signavit nos*, id est signum discretionis ab aliis (scilicet virtutes) dedit nobis. *Qui etiam pignus spiritus dedit*, id est Spiritum sanctum ut sit nobis arrha futuræ gloriæ : quem spiritum dedit *in cordibus nostris* habitatorem continuum. Et cum Spiritus sanctus sit in nobis, non est credendum, quod levitas vel mendacium fuerit in nobis.

Postquam se excusavit, quod nec pro levitate, neque secundum carnem cogitans ad eos venire dimiserit, subdit causam quare non venerit, dicens : Pro levitate, vel quia carnaliter cogitarem venire non dimisi : sed ideo ut parcerem vobis non veni. Et ut credatis, ut vobis parcerem me non venisse, ego *invoco Deum testem* hujus rei. Mali quidem negligentes offendere Deum, testem falsitatis non multum curarent advocare Deum : sed Paulus qui se totum in Deo posuerat, non præsumeret Deum facere testem

ejus rei, quam veram non intelligeret. Aliter enim agens, mendacii Deum argueret. Deum utique invoco testem : non solum contra corpus, ut si mendax fuero, in solo me puniat corpore, sed etiam *in*, id est contra *animam meam*, ut perdat eam cum corpore si mendacii testem facio Deum. Inde Deum advoco testem : *quod parcens vobis*, id est ut commodius possem parcere vobis, *non veni Corinthum ultra*, id est ulterius quam prima vice.

Priusquam dicat in quo eis non veniendo pepercerit, determinat hic quod ait, *parcens*. Corinthii enim insidiantes verbis ejus, dicerent : Ita ais te pepercisse, ac si regia potestate habeas nos cogere ex tua voluntate. Parcens *non* ideo dico, *quia* nos *dominamur fidei vestræ :* fides enim res est voluntaria, non necessitate dominii cogenda. Dominari autem dicitur in potestatibus illis, ubi filius succedit patri usu necessario : sed in prælatis Ecclesiæ (etiam in sæcularibus qui non lege successionis, sed per electionem præsunt) potius dici debet servitus quam dominium. Ideo ait non dominamur fidei vestræ : *sed sumus adjutores* vestri, non cessantes orare Deum pro correctione vestri, adjutores dico *gaudii vestri :* in illa enim re vos adjuvamus de qua habituri estis permanens gaudium : quare nobis obsequi debetis. Vere non dominamur vobis : *nam vos statis fide :* quæ voluntatis res est, non necessitatis, si vos statis.

161 CAPUT II.

« Statui autem hoc ipsum apud me : ne iterum
« in tristitia venirem ad vos. Si enim ego contristo C
« vos : et quis est qui me lætificet, nisi qui contri-
« statur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non
« cum venero tristitiam super tristitiam habeam,
« de quibus oportuerat me gaudere ; confidens in
« omnibus vobis, quia meum gaudium omnium ve-
« strum est. Nam ex multa tribulatione et angustia
« cordis scripsi vobis per multas lacrymas : non ut
« contristemini, sed ut sciatis quam charitatem ha-
« beam abundantius in vobis. Si quis autem con-
« tristavit me, non me contristavit ; sed ex parte,
« ut non onerem omnes vos. Sufficit illi, qui ejus-
« modi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus, ita
« ut e contrario magis donetis et consolemini : ne
« forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejus-
« modi est. Propter quod obsecro vos, ut confirme- D
« tis in illum charitatem. Ideo enim et scripsi vobis,
« ut cognoscam experimentum vestrum, an in om-
« nibus obedientes sitis. Cui autem aliquid dona-
« stis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid
« donavi, donavi propter vos in persona Christi, ut
« non circumveniamur a Satana ; non enim igno-
« ramus cogitationes ejus. Cum venissem autem
« Troadem, propter Evangelium Christi, et ostium
« mihi apertum esset in Domino, non habui requiem
« spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fra-
« trem meum : sed valefaciens eis, profectus sum
« in Macedoniam. Deo autem gratias qui semper
« triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ
« suæ manifestat per nos in omni loco : quia Chri- A
« sti bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt,
« et in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis
« in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad
« hæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut
« plurimi adulterantes verbum Dei : sed ex sincerи-
« tate, sicut ex Deo coram Deo in Christo loqui-
« mur. »

EXPOSITIO.

Postquam determinavit quomodo dixerit *parcens ;* determinat in quo pepercerit, dicens : Ego utique non veni Corinthum, sed statui hoc ipsum quod in priori Epistola statueram. *Statui*, inquam, apud me, non præcipitio inconsideratæ sententiæ, sed *apud me* diligenter pertractans ex consilio statui, *ne iterum venirem ad vos in tristitia*, id est ad contristandum vos. Iterum dicit, quia in prima Epistola venerat contristari eos, quia lapsi fuerant in peccatum : si non præsentialiter, tamen per epistolam. Vel ita : Ego jam semel veneram, sed ideo nolui iterum venire, ne adventus meus esset vobis in tristitia. Ideo Paulus venire noluit, quia si præsens fieret, oporteret eum, ut impœnitentes severitate judicii removeret ab Ecclesia : quia præsens non posset uti tanta lenitate, videns mala eorum : quanta temperantia erga illos per Epistolam utitur, et sic malum hoc eveniret : ut cum in unitatem Ecclesiæ eos revocare deberet : potius per districtionem justitiæ eos ab invicem separaret. quos absens per lenitatem misericordiæ, ad unitatem revocare potuisset, quod utique fecit. Ideo nolui iterum venire : *quia si ego contristo vos* quocunque modo, *quis est in* vobis *qui me lætificet, nisi* ille *qui contristatur ex me*, id est secundum meam voluntatem, ut contristatus de peccato pœniteat? Quod si venirem, non fieret ut aliquis me hoc modo lætificaret. Me enim præsente districtio justitiæ magis vos deterreret quam ad pœnitentiam suaderet. Illud etiam innuit, ac si diceret : Propter Deum quidem pœnitere debuissetis et (ut illud omittam) pro eo solo ut me doctorem vestrum lætificaretis. *Et hoc ipsum*, scilicet ne veniens in tristitia neminem qui me lætificaret invenirem, *scripsi vobis* ideo : *ut cum* præsentialiter *venero, non habeam tristitiam super tristitiam.* Hujusmodi quidem tristitiam audiens vos peccasse habebo secundum, si veniens vos incorrectos invenero : utque vos correctos inveniam scribo nunc me in eo lætificari tantum qui ad pœnitentiam contristatur. Tristitiam dico habeam de vobis incorrectis :
162 *de quibus modo primum oportuerat me gaudere* bene correctis. Et revera gaudebo sicut oportuit. Nam *confidens* sum *in omnibus vobis*, quod de correctione vestri gaudebo : propterea *quia* quandiu eram apud vos, *gaudium meum* erat gaudium *omnium vestrum :* quia ut primum videbatis me gaudentem, etiam non intellecta re de qua gaudebam pia affectione congaudebatis mihi : et propterea confilo quod revera de vobis correctis gaudebo. Vel ita : Confidens sum in vobis, quia gaudium meum est gaudium omnium vestrum, id est quod gaudium

quod futurum exspecto (ut digni sitis habere Deum oro) et vos habituros confido. Ideo ait confidens in omnibus, ne peccantes putarent Paulum diffidere de salvatione sui. Quia dixit tristitiam habeam super tristitiam, dicerent illi : Habuistine tristitiam? Utique habui. *Nam ego scripsi vobis ex multa tribulatione* corporis, jejunando, vigilando, ut Deus parceret vobis : *et ex multa angustia cordis* sollicitus de salute vestra scripsi vobis, affligendo me per multas lacrymas. Nec ideo me tribulatum et angustiatum esse memoro, ut vos mecum contristemini : *sed ut sciatis quantam charitatem habeam ad omnes.* Charitatem dico *abundantius in vobis* ostensam : apud quos et diutius mansi : et nihil a vobis recipiens, de labore manuum vixi. Ostensa causa, quare ad eos non venerit, quæ causa a l suasionem correctionis idonea fuit, subdit de illo quem ab Ecclesia separari jusserat in alia Epistola : quia duxerat uxorem patris : cujus pœnitentiam (quia audivit indulgentia dignam) scribit Ecclesiæ Corinthiorum, ut eum recipiant : scientes Paulum indulsisse illi. Littera sic jungitur : Nolo ut vos contristemini; sed si quis contristavit me (ut ille qui uxorem patris duxit) non me tantum contristavit, sed vos : et hoc ex parte : non enim omnes contristati estis, sed boni tantum condoluere fratri peccanti. Ex parte ideo dico : *ut non onerem omnes vos*, id est indignum est hoc onus imponere vobis omnibus, ut fratri non compatiamini. Hoc autem ironice dicit propter eos qui superbierunt de lapsu fratris, cui condolere debuerant; vel ita : Non me contristavit tantum; sed vos ex parte, id est secundum partem bonorum : et hanc partem excipio, ut non onerem omnes vos de contemptu peccantis fratris : quidam enim vestrum (sicut justum erat) condoluerunt. De illo autem qui me et vos contristavit, scitote quoniam *sufficit illi qui est ejusmodi*, id est tantæ fragilitatis : quod (si nimia districtione vexetur) desperabit. Illi, inquam, sufficit hæc *objurgatio*, qua eum objurgati estis, pellendo ab Ecclesia pro peccato. Objurgatio dico, *quæ fit illi a pluribus* peccanti fratri juste condolentibus sufficit : ita ut vos e contrario agentes, ut sicut ab Ecclesia prius separastis, nunc e contrario Ecclesiæ eum restituatis. *E contrario*, inquam, sicut amplius objurgastis et ille patienter sustulit, *ita magis donetis*, id est remittatis ei peccatum suum, et ne putet hoc vos agere, quasi non curantes de eo, *consolemini* eum frequenter per consolationes Scripturarum. Ideo dico donetis et consolemini, *ne forte* (quod cito contingere posset) hic *qui est ejusmodi*, id est multæ fragilitatis, *absorbeatur*, id est desperans deglutiatur *abundantiori tristitia*. Si enim supra modum coerceatis eum, desperabit de salute : et cito revolvetur etiam in deterius peccatum. Melior est enim misericordia ad salutem quam severitas justitiæ generans desperationem. *Propter quod*, ne ille absorbeatur cum possem imperare : magis ex charitate, *obsecro vos ut charitatem* bene incœptam (charitas enim fuit quod eum ex præcepto meo, ut corrigeretur ab Ecclesia expulistis) obsecro, inquam, ut charitatem *hanc confirmetis*, id est firmam et perfectam ostendatis *in illum*, indulgendo, et in Ecclesiam recipiendo, quam charitatem incœpistis eum abjiciendo. Debetis indulgere ei : *nam ideo scripsi*, ut cœptam charitatem consummetis : et *ut cognoscam experimentum vestrum*, id est vos expertos cum eum ab Ecclesia ex **163** obedientia separastis, cognoscam, dico, *an obedientes sitis in omnibus*, ut sicut prius obedistis eum removendo, sic nunc obediatis indulgendo ipsi. Et, sicut moneo, debetis indulgere : quia *si vos* alicui *condonastis aliquid, et ego* vobiscum indulsi

Dicerent illi : Donasti fortasse, sed non propter nos. Ita, inquam : *nam quod ego donavi, si aliquando donavi aliquid*, hoc *propter vos donavi*. Ubi ita dictum suum reprimit : Si quid donavi, ostendit se paucis indulsisse pro alio, ut nos admoneat non pro carnali dilectione, sed magis pro fructu pœnitentiæ dimittenda esse peccata. Iterum ille. Quid inde si tu condonasti? Multum utique quia hoc *donavi in persona Christi*, idem valuit illi cui donavi ac si Christus donaret ei in propria persona. Oportet utique vos indulgere ei tum propter me, propterea *ut non circumveniamur*, id est ne decipiamur *a Satana*. Sicut enim in nimia mollitie decipit, sic in severitate quæ supra modum est, diabolus circumvenit : ideo moneo ne circumveniamini a Satana : *quia* nos *non ignoramus cogitationes ejus* Satanæ, quam versutæ sint : ubi etiam intelligimus virtutem, ut in disciplinando peccatore suam inferat fallaciam. Ostendit iterum Paulus, quod culpa eorum fuit, dum propositum veniendi ad eos mutavit, quia eos incorrectos audivit. Non ultra veni Corinthum, sed veni usque Troadem. *Cum* autem *venissem Troadem propter Evangelium Christi* prædicandum : (ubique enim prædicabant) *et* cum ibi, Troade, *esset mihi apertum ostium*, id est, mentes eorum paratæ essent ad recipiendum verbum Christi, et hoc *in Domino* (Dominus enim corda eorum aperiebat) cum ita venissem, *non habui requiem spiritui meo*. Requiem se dicit non habuisse, quia in prædicando non potuit tunc laborare. Requiem non habui, *eo quod non inveni* in Troade *fratrem meum Titum*. Per Timotheum et Titum epistolam primam Corinthiis miserat : Timotheus autem reversus erat ad Paulum : sed Titus detinebatur adhuc Corinthi, laborando de correctione eorum. Hoc autem quod propter absentiam Titi Troadibus prædicare non potuit, culpa fuit Corinthiorum, quorum incorrectio Titum detinebat. Propter Titum noluit Troade prædicare Paulus : vel quia Titus prius eis prædicaverat, ne Paulus, eo absente prædicans, videretur minuere potestatem Titi. Vel quia Titus interpres erat Pauli, et linguam eorum expressius loqui poterat. Non utique requiem habui, *sed valefaciens eis*, Troadibus, *profectus sum in Macedoniam*. Hi Macedones in magno honore susceperunt Apostolum : ut etiam de rebus eorum quidquid vellet, disponere posset.

Hic incipit Paulus magnificare se, et ministerium suum : et pseudoapostolos multipliciter deprimere, quia quidam Corinthiorum illos præferebant Paulo Profectus sum in Macedoniam : ibi autem sum constitutus triumphator in Christo, et inde *gratias ago Deo qui semper triumphat nos*, id est triumphare nos facit *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum, in quo non triumphant pseudo : et qui Deus manifestat *odorem notitiæ suæ*, id est Christum : per cujus humanitatem odoramus divinam et indivisibilem essentiam. Vel manifestat per nos odorem suæ notitiæ, id est prædicationem nostram, per quam virtus Dei manifestatur in omni loco quo prædicamus. Manifestat utique per nos : *quia nos sumus bonus odor Christi*, id est si quis puritatem actuum nostrorum considerat, potest odorare bonitatem Christi, cujus nos sumus ministri. Bonus, inquam, odor sumus : et si non quibusdam incredulis, tamen *Deo*, qui videt interiora cordis nostri. Bonus, inquam, odor sumus quantum ad Deum ; et in his qui salvi fiunt per Evangelium nostrum, et *in his qui pereunt*, per contemptum ejusdem Evangelii, quantum ad Deum ; in utrisque salvandis et perituris bonus odor sumus : sed quantum ad homines, *aliis quidem* sumus *odor mortis*. Increduli enim audientes a nobis fidem Christi, dicunt se odorare rem mortiferam. **164** *Odor mortis*, dico, valens eis *in mortem*, id est ad damnationem. *Aliis autem*, id est fidelibus, sumus *odor vitæ*. Per doctrinam enim nostram odorant vitam justitiæ; eundo sic in vitam æternam. Deus per nos manifestat odorem justitiæ suæ : et ad hæc manifestanda *quis* inter pseudo tam idoneus sicut ego et coapostoli mei? Nemo utique *tam idoneus : nam nos non sumus sicut plurimi*, scilicet pseudo, *adulterantes verbum Dei :* sicut enim adulter rem alterius usurpat illicite, sic pseudo ministerium prædicationis a nemine sibi injunctum. Sicut etiam adulter fructum sobolis non quærit in opere turpitudinis suæ, sed solummodo explere libidinem : sic illi pseudo solummodo ut lucrari possint temporalia, non curant de eis quos docent, sive pereant, sive non pereant. Non, inquam, adulteramus verbum Dei : *sed* loquimur *ex sinceritate*, id est secundum puram fidei veritatem. Non iterum adulteramus : sed *loquimur in Christo*, id est secundum fidem et institutionem Christi loquimur *ex Deo*, id est secundum quod Deus loqui insinuat; *et coram Deo*, id est in beneplacito Dei.

A B C D

CAPUT III.

« Incipimus iterum nosmetipsos commendare? « Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? Epistola nostra « vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur « et legitur ab omnibus hominibus, manifestati, « quoniam epistola estis Christi, ministrata a nobis « et scripta, non atramento, sed Spiritu Dei vivi. « Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis « carnalibus. Fiduciam autem talem habemus per « Christum ad Deum : non quod sufficientes simus « cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed « sufficientia nostra ex Deo est qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non « littera sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quia si ministratio mortis « litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus « erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in « gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. Nam nec glorificatum est, quod « claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. « Si enim quod evacuatur per gloriam est, multo « magis quod manet in gloria est. Habentes igitur « talem spem, multa fiducia utimur. Et non sicut « Moyses « ponebat velamen super faciem suam « (*Exod.* XXXIV, 33), » ut non intenderent filii Israel « in faciem ejus, quod evacuatur, sed obtusi sunt « sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem, « idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti « manet non revelatum, quod in Christo evacuatur, sed usque in hodiernum diem cum legitur « Moyses, velamen positum est super cor eorum. « Cum autem conversus fuerit ad Deum, auferetur « velamen. « Dominus autem spiritus est (*Joan.* IV, « 24). » Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. « Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini « speculantes, in eamdem imaginem transformamur « a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. »

EXPOSITIO.

Et quia dico nemo ad hæc tam idoneus, dicitis propterea quod iterum, ut in alia Epistola ubi dicebam *Omnibus omnia factus sum* (*I Cor.* IX, 22) « tc., *incipimus commendare*, id est magnificare *nosmetipsos*. Non utique : sed ministerium Dei in nobis. *Aut nunquid egemus sicut quidam* (scilicet pseudo) *commendatitiis epistolis* missis ab aliis *ad vos; aut ex vobis*, missis ad alios? Illi enim pseudo, ut magis possent lucrari, cum transibant de loco ad locum, precabantur ut illi a quibus irent commendarent eos per epistolas, illis ad quos transibant. Ego utique non egeo epistolis commendatiis : nam *vos estis nostra epistola*, quia signaculum mei apostolatus, qui vos in fide Christi fundavi. Epistola dico *scripta in cordibus nostris*, fidem enim vestram nunquam obliviscimur : sed de salute vestra sollicite Deum rogamus : **165** *quæ epistola scitur ab omnibus*. Omnes enim sciunt vos per me ad fidem conversos, et quæ Epistola *legitur ab omnibus*. Si quis enim velit cognoscere qualis sim in vobis, me legit et cognoscit. Vos dico *manifestati, quoniam estis epistola Christi :* quia fides vestra et bona vita ostendit virtutem Christi. Epistola Christi dico, *ministrata a nobis*. Per hoc enim quod estis mea epistola qui vos instruxi, ego autem epistola Christi, sic me mediante estis epistola Christi : quem Christum vobis dispensavi.

Epistola dico *scripta, non atramento*, id est non delebiliter. Vel atramento, id est aliqua contagione ut pseudo suos sequaces polluunt. *sed* scripta *Spiritu Dei*, id est indelebiliter. *Dei* dico *viri*, qui et vos perpetuo vivere faciet : *non* iterum scripta *in tabulis lapideis*, id est induratis, et verbum Dei non sentientibus : *sed* scripta *in tabulis carnalibus*, id est sensibilibus : et verbum Dei ad fructum faciendum suscipientibus. Tabulis dico *cordis*, id est interioris intellectus, ubi ait : In tabulis lapideis, mittit nos ad memoriam veteris legis, quæ data est in lapideis tabulis (*Exod.* XXXIV, 1), significans corda Judæorum lapidea. Quia sicut lapis sculpturam quidem recipit, sed nihil sentit ; sic corda Judæorum, corticem quidem legis, id est carnalem intellectum susceperunt : sed medulam legis spiritualem, scilicet, intellectum non senserunt : Dixit superius. Nemo tam idoneus ut ego : iterum vos estis epistola mea, et per me estis epistola Christi, et ad hæc subdit talem fiduciam, scilicet, quod fiducialiter dixi me magis idoneum, etc. Hanc *talem fiduciam* non nobis præsumimus referendam : sed *habemus* hanc fiduciam referendam *ad Deum*. Quia enim idoneus sum, quod vos estis epistola mea : hoc totum Deus operatur. Habemus, inquam, ad Deum, et *per Christum* mediantem : Christus enim secundum imperium Dei consecravit me idoneum Apostolum. Fiduciam utique hanc habemus ad Deum : *non* ita *quod sufficientes simus cogitare*, nedum operari *aliquid a nobis*, id est utilitatem nostram. *Quasi* hoc possit esse *ex nobis*, id est ex viribus nostris, sine cooperante gratia Dei. Et licet nihil sufficiamus ex nobis, tamen sufficimus ; *sed* illa *sufficientia nostra* non tantum cogitandi, sed, sicut præmissum est, idonee operandi. Omnis hæc sufficientia qualiscunque sit, *ex Deo est*.

Commendavit personam suam satis : nunc commendat ministerium suum, quod iterum retorquebit ad commendationem sui, dicens : *Qui* Deus *fecit nos idoneos ministros*. Quomodo idoneos supra satis ostendit, sed cujus rei ministri sint, illud subdit : Ministros dico *novi testamenti*. Vetus Testamentum prius fuit, quod et delendum erat per Novum, et carnales secundum carnalitatem instruens.

Sed Evangelium testamentum novum est, docens et innovans spiritum hominis, nec alio testamento immutandum. Ministros dico Novi Testamenti existentis : *non* in *littera tantum*, ut Vetus : *sed* in *spiritu* et littera. Vetus enim lex litteralia quidem præcepta dabat, sed quia gratiam Spiritus non habebat, ideo magis nocebat quam adjuvaret. Ideo dico novum testamentum esse in spiritu ; quia si in littera tantum esset, occideret. *Littera enim occidit, sed spiritus vivificat*. Lex vetus quæ in littera tantum existebat, occidere dicitur : non quia Deus dator legis, vel Moyses minister legis hoc faceret : sed impia carnalitas hominum, quæ non promeruit ut haberet adjutricem gratiam cum littera. Quæ littera ideo occidit, quia auget concupiscentiam peccati, dum prohibet : natura est enim nostræ fragilitatis, ut A avidius ruat in vetitum : cumulat etiam peccatum prævaricationis, quod non erat ante legem datam. Littera quidem sic occidit : sed Spiritus, id est Evangelium cum adjutore spiritu datum, facit vivere in justitia. Commendato Evangelio suo, eamdem commendationem refundit in se, dicens. Et quia minister sum testamenti, existentis in spiritu, merito spiritualis administrationis habebo **166** gloriam. Vere ministratio spiritus erit mihi in gloria ; quia ministratio mortis fuit Moysi in gloria. Hoc ita ait : *Quia si ministratio mortis*, id est veteris legis : quæ et concupiscentia majore et nova prævaricatione mortem inferebat : Si, inquam, ministratio hæc mortis *litteris* tantum *formata* non adjutorio spiritus proficua facta : formata dico *in lapidibus*. In B tabulis enim lapideis lex Moysi data fuit, ut significaret lapidea corda Judæorum. Si, inquam, hæc ministratio *fuit* Moysi valens *in* habenda *gloria* : ita dico in gloria, *ut filii Israel non possent intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ* gloria *evacuatur*. Hanc enim gloriam vultus scimus cito elapsam a Moyse. Si, inquam, ministratio mortis fuit Moysi in tanta gloria : *quomodo ministratio spiritus*, id est Evangelii cum quo per manus meas Spiritus sanctus administratur ; quomodo hoc *non erit* mihi *magis* valens *in* habenda *gloria* quam Moysi ? Non hoc dicit ut se merito præferat Moysi, sed sola dignitate ministerii. Per manus enim Moysi præcepta sola dabantur, nulla gratia : sed a Paulo C et præcepta : et per impositionem manus ejus, gratia Spiritus sancti adjuvans, ut quæ præcipiebantur, posset homo operari. Quia ait in faciem Moysi non posse intendere Judæos, signum erat quod spiritualem intellectum legis capere non poterant : quem facies, id est intellectus Moysi lucide cognoscebat. Iterum quod gloria vultus ejus evacuata est : significavit illa quæ ministrabat temporalia esse, non permanentia, pro quibus temporalem habebat gloriam. Vere ministratio spiritus erit mihi in gloria ; nam administrare spiritum, est administrare justitiam. Ministerium autem justitiæ est valens in habenda gloria. *Num si ministratio damnationis*, id est veteris legis, quæ et peccatum et prævaricationem peccati fecit ; si, inquam, hæc ministratio Moysi *est* in D *gloria, multo magis ministerium*, id est administratio justitiæ *abundat* mihi *in gloria*. Abundat ideo, quia gloria mea permanens, illa transitoria. Ubi supra ait : Ministratio mortis, mortem peccatum intelligit. Hic autem per damnationem, pœnam peccati accipit. Vere ministratio mea abundat in gloria multo magis ; *nam nec glorificatum est*, id est non debet dici glorificatum hoc *quod claruit in hac parte*, id est in facie Moysi *propter excellentem gloriam*, id est ad comparationem gloriæ meæ excellentioris. Vel ita : Non debet dici glorificatum illud quod claruit in Moyse in hac parte, id est respectu hujus meæ partis : propter excellentem gloriam, quæ partis meæ est, et non partis Moysi. Vere gloria mea super excellens est, nam mea permanet : illa autem transit.

Et vere illud quod manet est in gloria mihi, *si* Vetus Testamentum *quod evacuatur* Moysi *est per gloriam* : idem valet quod in gloria : *multo magis* Evangelium meum *quod permanet est* mihi sufficiens *in* habenda *gloria*.

Notandum est quod prius ait se ministrare spiritum, per spiritum vero justitiam, deinde quod permanet ; Moyses vero ministravit litteram contra spiritum ; damnationem contra justitiam. Hoc quod evacuatur, contra hoc quod permanet. Et sicut damnatio effectus est peccati, sic justitia effectus spiritus. Hucusque ministerium suum ministerio veteris legis prætulit, ubique deprimens pseudo, qui veterem legem reducebant. Si enim Moyses minister mortis est et damnationis, quanto magis hi qui tanta indignitate inferiores sunt Moyse? Quia excellentem gloriam exspectamus : *igitur* nos *habentes talem spem* (scilicet permanentis gloriæ) *utimur multa fiducia* : non reprimentes verbum Dei formidine cujuscunque difficultatis. Utimur quidem fiducia : *et non* facimus *sicut Moyses*, qui *ponebat velamen super faciem suam* (*Exod.* XXXIV, 33) ; ideo, *ut non intenderent filii Israel in faciem ejus* : *quod* velamen modo per Evangelium nostrum *evacuatur*. In Evangelio enim aperitur quidquid in figuris veteris legis claudebatur. Diceret **167** ille : Quare dicis velamen legis evacuatum, quæ sicut prius ita et nunc obscuratur? Contra hoc Paulus : Evacuatum est quidem velamen legis, *sed sensus* impiorum peccato infidelitatis *sunt obtusi*. Et vere obtusi : nam a tempore datæ legis *usque in hodiernum diem* meum, id *velamen* ipsum quale prius erat, *manet* in lectione Veteris Testamenti *non revelatum*. Cum enim infidelibus exponuntur figuræ veteris legis, infidelitas claudit corda eorum, et sic velamen legis non est illis revelatum. Non quia Evangelium nostrum hoc velamentum non auferat, sed *quoniam* non accedunt ad Christum : *in* quo *Christo*, id est in fide cujus, *evacuatur* hoc velamen. Velamen quidem est Veteri Testamento, non ideo quia Vetus Testamentum per Evangelium apertum sit, *sed* quia *usque in hodiernum diem*, *cum legitur* et exponitur eis : *Moyses*, *velamen* infidelitatis *est positum super* impœnitens *cor eorum*, quod velamen evacuatum est in Christo, ad quem converti nolunt. Et quod ita dicendum sit, sequens littera innuit : Velamen super cor eorum, quia non accedunt ad Christum : *sed cum conversi fuerint ad Dominum*, ablato prius velamine cordis ex quo animum pœnitendi habuerunt ; *auferetur* deinde *velamen* intelligentiæ, et aperte cognoscent mysteria legis. Vere, quia convertentur ad Dominum, auferetur velamen. *Nam Dominus est spiritus* : *ubi autem spiritus* est *Domini*, id est, spiritus Dominus intransitive dictum ; vel, spiritus Domini transitive, Deus enim seipsum dat : ubi autem est spiritus Domini, *ibi* remoto velamine est *libertas* intelligentiæ. Quod si Dominus est spiritus, spiritus autem aufert velamen, quia est libertas, igitur conversis ad Dominum auferetur velamen.

Ubi est spiritus Domini, ibi est libertas. Nos vero habemus spiritum Domini : Habemus utique. Nam *nos* discipuli Christi *revelata facie*, id est illuminata mente, *speculantes* de alto virtutum in quo positi sumus. Vel *speculantes*, id est, per speculum nondum perfecte intuentes. Vel hoc vel illo modo speculantes *gloriam Domini*, id est essentiam Deitatis : *transformamur in eamdem imaginem* : quia quam subtiliter Christus scripturas intelligit, idem per spiritum nos docuit. Transformabimur plenius resumendo impassibilitatem eamdem et immortalitatem. Transformamur dico *a claritate* virtutis, eundo *in* majorem *claritatem*. Vel a claritate fidei et spei, quæ nunc est, translati in claritatem rei, ut videamus Deum sicuti est. Transformamur, inquam, a claritate in claritatem *tanquam a spiritu Domini*, id est, quanto dignius et magis egregie spiritus Domini valet hoc efficere.

CAPUT IV

« Ideo habentes hanc administrationem, juxta « quod misericordiam [Dei] consecuti sumus, non « deficimus, sed abdicamus occulta dedecoris, non « ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum « Dei : sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum « coram Deo. Quia si etiam opertum est Evangelium « nostrum, in his qui pereunt, est opertum : in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ « Christi, qui est imago [invisibilis] Dei. Non enim « nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum « Dominum nostrum. Nos autem servos vestros per « Jesum, quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris « ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie « Jesu Christi. Habemus autem thesaurum istum « in vasis fictilibus ; ut sublimitas sit virtutis Dei, « et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, sed non « destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur. Humiliamur, sed non confundimur. « Dejicimur, sed non perimus. Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes : et **168** et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus, « in mortem tradimur propter Jesum : ut et vita « Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo « mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : « Credidi propter quod locutus sum « (*Psal.* CXV, 1), » et nos credimus, propter quod et « loquimur : scientes, quoniam qui suscitavit Jesum, « et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. « Omnia enim propter vos ; ut gratia abundans, per « multos in gratiarum actione, abundet in gloriam « Dei. Propter quod non deficimus : sed licet is qui « foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui « intus est, renovatur de die in diem. Id enim quod « in præsenti est momentaneum et leve tribulationis « nostræ, supra modum in sublimitate æternum

« gloriæ pondus operatur in nobis : non contem-
« plantibus nobis quæ videntur, sed quæ non viden-
« tur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ
« autem non videntur, æterna sunt. »

EXPOSITIO.

Et *ideo* quia speculamur gloriam Domini, eundo a claritate in claritatem. Nos propterea *habentes* hanc *ministrationem* Evangelii, non propter meritum nostrum nobis traditam, sed *juxta quod consecuti sumus misericordiam a Deo, non deficimus* in hac administratione, quæcunque adversa se nobis ingerant : *sed abdicamus* non solum aperta, sed etiam *occulta dedecoris*, id est peccati hominem dedecorantis. Nos dico *non ambulantes in astutia* extorquendæ pecuniæ, ut pseudo a subditis : *neque adulterantes verbum Dei*, ut pseudo ; *sed*, prædicando *in manifestatione* puræ *veritatis* : non enim ut illi curamus apposite loqui ad persuadendum, sed *commendantes* puritate sermonis et vitæ *nosmetipsos*, non ad oculum, ut illi, sed *ad omnem conscientiam hominum*. Licet enim verbo nos insequantur, tamen apud se laudant puritatem nostram. Commendantes dico *coram Deo*, id est in beneplacito Dei : cui placere pseudo parum, aut nihil curent. Vel ita : Quia ita sit de nobis, hoc dico coram Deo, ut ipse nobis testis sit, qui solus occulta nostra novit.

Quia dixit ibi in manifestatione veritatis, objiceret ille quibusdam occultatum esse Evangelium. Contra quod ait : Utique nos evangelizamus in manifestatione : *quod* etiam, *si opertum est Evangelium nostrum*, scitote quod *opertum est in his*, id est in peccato eorum, *qui* per infidelitatem *pereunt : in quibus* pereuntibus, *excæcavit mentes eorum :* quia adhuc *infidelium Deus hujus sæculi*, id est diabolus, qui his qui de mundo sunt dominatur ; juxta illud : « Princeps mundi hujus ejicietur (*Joan.* XII, 31). » Vel dicamus : *Deus hujus sæculi*, id est qui non tantum cœlestia, sed etiam terrena gubernat. Fuit enim error quorumdam, Deum cœlestia gubernare tantum, terrena solo casu fortunæ volvere. Vel ita : *Deus hujus sæculi*. Homines enim de mundo diversos sibi deos faciunt. Hic avaritiam colit, ille voluptatem, et ab hujusmodi deo excæcantur. Excæcavit ita *ut illuminatio* Evangelii, id est illuminatum Evangelium *non fulgeat*, sed opertum sit *illis*. *Evangelii* dico *gloriæ Christi*, id est in quo Christus gloriosus approbatur : *qui* Christus *est imago Dei*, id est repræsentans nobis Deum. Non sic imago, ut filius alius sit a Patre in substantia ; sed ideo imago ; quia qui videt Filium, videt et Patrem, imago Dei invisibilis : et quia Deus in natura Deitatis invisibilis, ideo oportuit ut per Christum fieret visibile, quod in natura sua est invisibile. Vere evangelizamus gloriam Christi. *Nam non prædicamus nosmetipsos*. Vel ibi supra jungitur : Vere non ambulamus in astutia, ut pseudo. Nam non prædicamus, id est prædicando commendamus nosmetipsos, id est hoc quod ex nobis ipsis est : *sed* prædicamus *Jesum Christum Dominum nostrum*. *Nos autem* prædicamus *servos*, non solum Jesu, sed etiam *vestros*, *per Jesum*, id est ut charitatem Jesu in vobis ædificemus. Et merito per Jesum : *quoniam Deus illuxit in cordibus nostris*, aperiens nobis mysteria sua : ut docti simus evangelizare vobis. Illuxit Deus *qui dixit*, id est qui solo dicto fecit, *splendescere* 169 *lucem de tenebris*. Cum enim in principio massa totius creaturæ tenebrosa esset, nulla formarum varietate distincta, dixit : « Fiat lux (*Gen.* I, 3) », et in hoc dicto tenebras expulit, et fecit lucere illam massam, quæ in unum confusa erat, discernendo per varias formas. Hic, inquam, Deus illuxit in cordibus nostris, *ad illuminationem scientiæ*, id est ut nos illuminaret de scientia *claritatis* Dei, id est divinæ essentiæ : de qua nos illuminare non potuit, nisi *in facie*, id est, in cognitione et fide *Christi Jesu*. Nisi enim Christus se nobis visibilem ostenderet, in quo tota Deitas, nequaquam scientiam claritatis Dei intelligere sufficeremus. Commendavit se satis secundum spiritum, nunc se multum vilificat secundum corpus, et per hanc vilificationem commendans Evangelium sibi traditum. Nisi enim gloriam Evangelii sui mirabilem intelligeret, nequaquam pro eo tot et tanta pati vellet. Illuminavit nos Deus de scientia divinæ claritatis, quæ licet adeo digna sit, tamen *istum thesaurum* claritatis Dei *habemus* nos *in vasis fictilibus*, id est in corporibus nostris. Thesaurum bene vocat. Thesaurus enim est, quod diligitur et erogatur. Vasa spiritus vocat corpora : quia spiritus nihil operaretur, nisi per administrationem membrorum. Manu enim porrigimus pauperi, et sic in cæteris. Fictilia dicuntur propter fragilitatem, quod omni corruptioni subjaceant corpora nostra. Ideo thesaurum istum habemus in vasis fictilibus, *ut sit sublimitas virtutis Dei*, id est ut in omnibus qui bene operantur virtutis Dei sola sublimetur, et extollatur : et appareat nihil esse ex nobis fictilibus : ideo competens fuit ut thesaurus Dei in fragili vase reconderetur, ne si *virtus* hominis aliqua esset, incaute sibi usurparet quod proprium *Dei* est. Vere et nos fictiles sumus, et virtus Dei est in nobis fragilibus. Nam *in omnibus* et locis et rebus *patimur tribulationem* corporis : *sed* tamen *non angustiamur* spiritu, imo dilatamur. *Aporiamur*, id est pauperamur exterius, *sed non destituimur* a Deo interius. Aporos Græce, pauper Latine. *Persecutionem patimur* de loco ad locum, *sed non derelinquimur* a Deo. *Dejicimur*, id est verberibus prosternimur, vel de alto præcipitamur, *et* tamen *non perimus*. Ut finem faciam, *semper* sumus *circumferentes* hac illac in corpore nostro *mortificationem*, id est illa quæ faciunt mortem : tribulationes, scilicet quæ sunt accessus mortis. Et debemus libenter pati : quia mortificatio hæc est *Jesu*, quam ipse pertulit pro nobis : et nos exemplo ejus hæc circumferentes : *ut vita Jesu* Christi non solum in animabus sed etiam *in corporibus nostris manifestetur*, reddita nobis immortalitate et impassibilitate. In depressione corporis sui adhuc immoratur : ostendens se hæc omnia pati ad commendationem Evan-

gelii sui et gloriæ Christi, dicens. Benedico *circumferentes mortificationem : nos enim semper tradimur.* Non ait semper, eo quod mori posset sæpius, quam semel : sed quia quotidie tanta patiebatur, quæ virtus hominis (nisi moriendo) non evaderet : sed per virtutem spiritus, Paulus in melius restaurabatur. Mortificationem vocat tribulationes, quibus paulatim propinquat ad interitum. Mortem vero dicit, ultimum ictum in quo dissolvitur. *Nos*, inquam, *tradimur in mortem :* superius dixit exemplo Jesu : hic ait, *propter Jesum*, id est amore Jesu. *Nos* dico, qui licet ita moriamur, tamen vivimus, id est vivere possemus in gloria mundi : longe melius quam pseudo vestri si reticeremus quæ Christus injunxit. Vel ita : Nos quidem secundum corpus tradimur in mortem : qui tamen per mortem carnis melius vivimus, secundum justificationem animæ. Vel ita : Nos quidem tradimur in mortem, secundum injuriam illatam corpori : qui tamen vivimus, non deficientes per virtutem Dei. Morimur propter Jesum : *ut vita Jesu manifestetur* sicut in anima, ita et *in carne nostra.* Idem in præcedenti versu **170** dixerat : sed repetit ut solvat quod hic posset objici. Vita Jesu erit in carne nostra. Quia si objicis, carnem nostram mortalem non posse fieri immortalem, quod et caro Jesu, utique dico quia in carne nostra *mortali* fiet vita Jesu et per Jesum caro quæ mortalis est, pro certo fiet immortalis. Quandoquidem in mortem tradimur : *ergo mors operatur in nobis*, quod suum est mortificando corpora nostra ; *sed in vobis* qui spreta imitatione nostra adhæretis pseudo. In vobis utique est *vita*, id est vos nihil patimini, sed malo vestro. Vel ita : Quia vita Jesu manifestabitur in vobis mortificatis, ergo mors ista operatur, i l est utile opus facit in vobis, scilicet, vitam Jesu. Quia si mors vitam Jesu in vobis operatur : tunc vita præsens quam diligitis operatur in vobis contrarium vitæ Jesu, scilicet, damnationem. Vel ita : Quia per mortem, vitam Jesu habituri sumus, ergo mors operatur in nobis quod bonum est, et per mortem nostram vita operatur in vobis : quia merito mortis nostræ in fide et justitia vivitis. Diceret aliquis : Non oporteret te a Deo mortificari, si justitiam tuam quietam haberes, nec fidem Christi in conspectum hominum assereres. Contra hoc Paulus ait se non posse reticere fidem Christi, quia habet spiritum : et per spiritum fidem : et quia fidem habet, ideo loquitur : et quia loquitur, mortificatur. Et quod sic oporteat eum facere, probat auctoritate David in persona martyrum agentis dicens : Ideo aporiamur, dejicimur, mortificamur : quia nos habentes spiritum datorem fidei, eumdem quem David et alii sancti habuerunt : vel eumdem quem vos habetis, si pro Christo pati velitis. Virtus enim spiritus nulli deficit : nisi ei qui sibi ipsi primum defecerit. Nos, inquam, habemus hunc spiritum, et ideo nos credimus propter quod, id est quia credimus. Loquimur etiam in conspectu hominum quod credimus. Quia tribulationes præmiserat non subdidit :

A Quia loquimur humiliati sumus verberibus, quod tamen inde sequitur. Credimus et ideo loquimur, agentes sicut scriptum est in David : « Credidi propter quod, » id est quia credidi, *locutus sum.* Et credendo et loquendo optimam fiduciam habemus : *scientes quoniam Deus qui suscitavit Jesum suscitabit etiam nos, cum Jesu* loco et immortalitate ponendos : *et* ibi constituet, id est in æternum mansuros locabit. *Constituet* dico *vobiscum*, quos paratus est, si vultis, suscitare cum Jesu. Ideo ait, *nos vobiscum constituet*, ne putarent illi se nulla vitæ justitia Apostolo posse pacificari : quare ostendit quod non secundum dignitates prælationum, sed secundum fructus operum singuli remunerabuntur. Per hoc etiam quod ait, *nos vobiscum*, multum eos allicit ad appe-
B titum justitiæ. Ideo dico *vobiscum constituet : nam* nos *omnia* patimur, et operamur *propter vos* instruendos : *ut gratia abundans* in me, abundet in vobis. Quomodo in Paulo abundaret satis notum est. Ut gratia, inquam, abundans in me *abundet* hac re, scilicet, *gratiarum actione :* per vos multa facta *in gloriam Dei.* Qui merito debet glorificari a nobis, qui nobis abundantem gratiam dedit : ipse quidem non ait, abundet gratia in vobis : sed per hoc quod ad agendum gratias gloriæ Dei admonet, satis hoc innuit. Frustra enim agerent gratias Deo, nisi abundarent gratia Dei. Sicut hæc omnia se pati dixit ad gloriam Dei, sic modo totum retorquet ad utilitatem Corinthiorum, dicens : *Propter quod*, id est
C quia omnia patimur propter vos, ut modo de gloria Dei sileam : etiam pro sola utilitate vestra *non deficimus* quæcunque inferantur tribulationes. Diceret aliquis : Mirum est quod te dicis non deficere, quem quotidianis tribulationibus videmus corrumpi. Ad hoc ait : Utique non deficimus, sed renovamur. *Licet, is* id est tam vilis *noster homo*, id est caro quæ nostro imperio, id est spiritui semper obedire cogitur : *qui* homo *foris est :* ut pluvias, æstus, quæcunque adversa patiatur : licet, inquam, is noster **171** homo *corrumpatur : tamen is* homo laudabilis *qui intus est*, ubi debet vexatione exterioris hominis muniri ; is, inquam, qui intus est : quanto magis is qui foris est corrumpitur : tanto magis hic *renovatur de die in diem*, id est continue. Vel *de die in*
D *diem*, id est de virtute eundo in virtutem. Dico *non deficimus :* et merito. *Nam id* tribulationis nostræ quæcunque sit magna vel parva : *quod*, scilicet, *tribulationis in præsenti est momentaneum*, id est est citissime transiens, nec intolerabile, sed *leve :* hæc, inquam, talis tribulatio *operatur in nobis pondus gloriæ æternum* : pondus contra leve, gloriæ contra tribulationis, æternum contra momentaneum : et in sublimitate, id est in cœlo contra hoc quod ait in præsenti. Pondus dictum est ab ea similitudine, quia quod in trutina pondus habet, carius est, illud autem quod leve, deterius. Ideo hæc quæ patimur levia et quasi nulla judicamus : quia *nobis non contemplantibus*, id est non affectantibus, ea *quæ videntur, sed ea quæ non videntur.* Ideo *quæ videntur* sper-

simus : quia *temporalia sunt* quæ videntur. Ideo *quæ non videntur* desideramus, quia *æterna sunt* quæ non videntur.

CAPUT V.

« Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est superindui cupientes : si tamen vestiti, et non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in tabernaculo isto, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, et scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum [Deum], et ideo contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum. Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. Sive enim mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos : æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem : et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Si qua ergo in Christo nova creatura est, vetera transierunt, et ecce facta sunt omnia nova (*Isai.* XLIII, 19; *Apoc.* XXI, 5). Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum : et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi : non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit : ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. »

EXPOSITIO.

Diceret aliquis : De æternitate invisibilium, quid scitur nisi ostendantur? Utique ait Paulus. Quandiu in terrena habitatione tenemur, videre non possumus; sed dissoluti statim accipiemus. Et causam ponit, quare videre non possumus, id est quia in mortalitate adhuc tenemur. et tempus notat, quando hæc habituri sumus solum post dissolutionem, dicens : Vere quæ non videntur æterna sunt : *nam* nos quibus credi oportet, *scimus quoniam*, **172** id est quod *si terrestris domus nostra*, id est corpus nostrum, materia et loco habitationis terrenum : quia et de terra est, et in terra habitat. Domus ideo quia anima in eo habitat velut aliquis in domo. *Si*, inquam, *domus nostra hujus* tam brevis et tam *miseræ habitationis dissolvatur*, prædictis tribulationibus pro Christo passis : hoc, inquam, scimus, quia sic dissolvetur : et quando dissolvetur *quod habemus præparatum ædificationem ex Deo*, id est corpus immortale, nobis ædificatum a Deo : non quod Deus mortale corpus non fecerit : sed quia illud per ministerium masculi et feminæ concrescere jussit. Immortale autem corpus sine ministro : et ipse idem in eo faciet immortalitatem. Habemus utique ædificationem, scilicet, *domum, non manu*, id est non per ministerium alterius *factam*, sed *æternam in cœlis* et permanentem. Per domum et per ædificationem, corpus immortale significat. Vere habebimus domum æternam in cœlis : *nam* nos *ingemiscimus* non propter ea quæ patimur, non quod de habenda immortalitate timeamus : sed ingemiscendo desideramus *in hoc*, id est in hanc immortalitatem venire. Ingemiscimus, inquam, *cupientes superindui* : nos jam induti sumus justificationem animæ : et super hoc volumus indui habitationem nostram, id est corporis immortalitatem quæ habitatio est nobis veniens de cœlo. Immortalitas enim nobis reservatur in cœlis. Hac tamen conditione dico superindui : si nos *inveniamur* in die illo *vestiti* justificatione animæ, quæ in baptismo data est nobis prima vestis. Diceret ille : Sicut vestiti ita et nudi omnes indiscrete superinduentur. Hoc removet. Vestiti quidem induentur : sed nudi justitia animæ non vestientur corporis immortalitate. Notat hic duo genera bonorum : contemplativos, de quibus modo prædixit : et eos qui in activa vita manentes, justitiam tamen Dei custodiunt : de quibus subdit dicens : Vere perfecti ingemiscunt, cupientes superindui immortalitatem : *nam* etiam nos minus perfecti, *qui sumus in tabernaculo isto* : quibus bonum est esse in carne et nutrire eam : quæ caro tabernaculum dicitur : quia in ea militare debet anima Deo . nos etiam tales *ingemiscimus* : superindui similiter cupientes : licet *gravati* simus eo corpore : *quod* tamen foventes *nolumus exspoliari*, id est ab anima separari : sed (si possibile esset) volumus sine illata morte supervestiri immortalitate : ita *ut* corpus *quod* nunc *mortale est*, non gustando mortem, repente *absorbeatur a vita* superveniente : et sic fiat immortale. Et licet dicam, nos ingemiscimus et superindui cupimus : tamen non a nobis hoc est : sed *qui efficit nos* in hoc desiderio, et ita *in hoc* ut sit *ipsum*, id est permanens in nobis hoc desiderium : qui, inquam, hoc desiderare nos facit, *Deus* est. Vel aliter præcedens versus legitur sic : Debemus ingemiscere desiderio ejus habitationis, quæ est de cœlo. Nam etiam de-

siderio terrenorum ingemiscimus. Quod ita ait : Nos qui sumus in tabernaculo isto, id est in carne ista quam nutrimus, licet gravati mole hujus carnis, tamen ingemiscimus eo quod, id est ideo, quia nolumus exspoliari carnalibus istis : sed subito vellemus supervestiri immortalitate : ut, quod mortale est, absorbeatur a vita : hoc non mutatur. Et licet ingemiscamus amore terrenorum, tamen Deus est qui efficit in hoc ipsum, ut cupiamus superindui habitatione quæ de cœlo est : præponentes cœlestia terrenis : Deus dico qui nos vere efficiet immortales. Quod ex eo credi potest : *quia dedit* jam *nobis pignus spiritus*, id est Spiritum sanctum, qui est arrha et principium immortalitatis, quam perficiet in nobis. Et quia Deus efficit nos in hoc ipsum, igitur audentes audemus. Audentes assiduitatem notat : audemus in eodem actu adhuc esse significat. *Audentes*, inquam, *semper et* bene *scientes*. Quidam enim audent quod nesciunt : sciunt quod quandoque **173** non audent. Nos utique semper audentes et scientes, *quoniam dum sumus in* hoc mortali *corpore, peregrinamur*, id est separamur *a Domino*. Peregrinus dicitur qui tendit illuc, quo nondum pervenit : sic sancti in hoc mundo tendunt ad Deum, cujus faciem nondum apprehenderunt. Vere in corpore manentes peregrinamur a Domino : *nam* hic *ambulamus per fidem*. De re autem quæ non videtur, fides dicitur : *et non* ambulamus *per speciem*, id est per veram rei operationem. Nos, inquam, audentes audemus : licet utique caro repugnet, tamen constanter *audemus : et* cum audacia *bonam voluntatem habemus*. Quidam enim audent sine bona voluntate : quidam bene volunt, qui tamen non audent. Habemus, inquam, voluntatem *magis peregrinari a corpore :* quia natura carnis est, ut nunquam velit dissolvi ; ideo ait : Magis volumus separari a corpore, *et præsentes* sic *esse ad Deum* quam remanere cum corpore : nec Domino præsentes fieri. *Et ideo* ut præsentes simus ad Dominum, *contendimus*, id est laboramus, *placere illi, sive* dum adhuc in hac vita *absentes* sumus a Deo, *sive* cum in gloria *præsentes* erimus Deo laboramus, ut hic et ibi placeamus ei. Et necesse nobis est ut placeamus illi : *nam oportet*, id est necesse est *omnes nos manifestari ante tribunal Christi*, id est coram Christo. Per tribunal, quod sedes judicis est, judicium designat : *ut unusquisque referat*, id est reportet inde *propria corporis :* non quod commissa animæ non sit relaturus, sed propria corporis, id est quæ operatus est dum in corpore vixit. Referat dico propria *prout gessit*, si tamen tempus operandi habuit. Parvuli enim, sicut baptizati per solam gratiam, salvabuntur : sic pueri non baptizati, propter solum originale damnabuntur. Referet propria prout gessit, *sive bonum* fuit, *sive malum*, quod gessit. Hic fit quæstio, ut quia ait, prout gessit, irrita videntur esse beneficia, quæ fiunt pro mortuis. Sed contra hæc dicitur : quia si mortuus ut hoc pro eo fieret, pie ordinavit ; vel, si charitative agens contra proximum hoc beneficium promeruit : gessisse dicitur mortuus quod vel disposuit fieri, vel promeruit. Quia omnes ante tribunal Christi manifestabimur : *ergo scientes* timendum esse Dominum, *suademus hominibus timorem Domini*, ut de conspectu judicis referant bonum. Opponeret ei aliquis : Suades hoc non tam ad utilitatem hominum, quantum ad commendationem tuam. Contra hoc ait : Suademus sic hominibus : *Deo autem sumus manifesti*, qua intentione suademus, seu utilitati hominum, seu commendationi nostræ. Nec solum Deo : sed etiam *spero nos esse manifestos in conscientiis vestris :* quia etsi ore de nobis maledicitis, tamen intus nobismetipsis bene sentitis. Et hoc dicentes quod manifesti simus Deo et conscientiis vestris : *non iterum* (sicut in alia epistola opposuistis) *commendamus nos vobis :* sed potius *damus vobis occasionem*, id est opportunitatem *gloriandi pro nobis*, magistris vestris. In excellentia enim magistri præcellitis alios. Pro nobis dico, ita *ut habeatis* quid respondeatis *contra eos qui gloriantur in facie*, id est in oculis hominum : *et non* gloriantur *in corde* suo ; sed male torquentur in propria conscientia, hi sunt pseudo. Vere opportunitatem habetis gloriandi pro nobis : nam quidquid facimus, facimus vel ad gloriam Dei, vel ad utilitatem vestram. Quia ita ait : *Sive* nos *excedimus mente* humanam naturam, ut audiamus illa quæ non licet homini loqui ; *sive* nos *sumus sobrii*, id est deponendo ebrietatem secretorum Dei : sobrie condescendendo infirmitati vestræ, ut quando de conjugio præcipiebat et hujusmodi. Si, inquam, sobrii sumus, hæc sobrietas *vobis* utilis est. Et bonum est nos ita sobrios esse : *nam charitas Christi* (etiam si nollemus) *urget nos*, ut contemperemus nos vobis. Vult ostendere Christum solum ad justificationem et salutem sufficere, et veterem legem quam **174** pseudo nituntur reducere, nil prodesse, sed multum nocere, dicens : Charitas Christi urget nos, *existimantes hoc, quoniam si unus*, scilicet, Christus *mortuus est pro* redimendis *omnibus : ergo omnes mortui sunt* originali peccato, per mortem unius. Nec pro hoc solo mortuus est ut peccato moreremur ; sed ut per mortem ejus justitiæ viveremus. Quod sic ait : Est Christus mortuus pro omnibus : ideo *ut qui* mortui sunt peccato, *et qui vivunt* justitiæ, *jam non vivant* attribuentes hoc quod vivunt, *sibi* (ut fiebat sub veteri lege), *sed* vivant *ei*, id est ad gloriam ejus, *qui mortuus est pro ipsis* peccato mortificandis : *et resurrexit* pro eisdem, ut in justitia resurgerent. Quando quidem in morte Christi mortui sumus peccato : et eo resurgente resurreximus justitiæ, id est, quia Christus ad omnem justificationem sufficit : *itaque nos ex hoc*, postquam Christus passus est, et resurrexit : neminem *novimus*, id est, approbavimus ambulantem *secundum carnem*, id est, secundum carnales ritus veteris legis. Objiceret ille : Quare ita improbas legem, quam Christus approbavit et tenuit ? Contra hoc Paulus. Etsi, id est quam-

vis nos olim cognovimus in tempore illo quo adhuc insistendæ erant figuræ Christum ambulantem secundum carnem, id est operantem ritus veteris legis : sed, id est tamen, nunc postquam data est gratia : jam olim quidem novimus : sed jam amplius non novimus Christum secundum carnem. Et quia jam neminem novimus secundum carnem, ergo *vetera transierunt*. Præmittit locum unde inferat, dicens : *Si qua creatura* est *in Christo*, id est si hoc est quod homo secundum recreationem animæ accipiat in Christo nova, id est innovata : vetustate peccati deposita, apparet quod vetera transierunt. Et ecce in evidenti est. *Facta sunt omnia nova* creatura in Christo. Adhuc objiceret ille : Et si Christus hoc operetur, tamen quia legem a Deo datam evacuat, non est sequendus : quia ex Deo B non operatur, sed contra Deum. Et Paulus in quo adversarius volebat infirmare rationes suas, scilicet, quia Christus secundum Deum hoc non faceret, in eodem approbat dicens Deum operari per Christum evacuationem veteris legis. In Christo facta sunt omnia nova : hæc *autem omnia* quæ Christus operatur, sunt *ex Deo* : qui Deus per Christum hoc operatur. *Reconciliavit* enim humanum genus *sibi per Christum*, id est per hominem illum, qui fuit medietas in qua connecterentur duæ extremitates longe a se differentes : homo, scilicet, et Deus : *et* qui Deus *dedit nobis*, mihi et aliis apostolis, *ministerium reconciliationis*, id est ut ministraremus hominibus, quomodo per Christum reconciliati sunt Deo, si C volunt ut reconciliati Christo reconcilientur Deo. Quia iterum Deus posset hoc operari per hominem Christum : ita quod non tota divinitas sic habitaret in homine illo. Determinat Paulus quomodo Deus fecerit per Christum, scilicet, plenitudine divinitatis habitante in eo corporaliter. Determinat etiam, quomodo ipse factus sit minister reconciliationis, scilicet, verbo tantum ut eam prædicaret gentibus. Sed Christus sic fuit minister reconciliationis, veluti per quem, et in quo res ipsa operata fuit : bene dico Deus reconciliavit nos sibi per Christum, *quoniam* quidem *Deus erat in* ipso *Christo*, id est tota divinitas in homine illo. Deus dico *reconcilians sibi mundum*, id est homines mundi per Christum. Reconcilians dico ita, scilicet, *non reputans*, id est D non exigens, sed indulgens *illis*, id est mundo, *delicta ipsorum*. Et hujus rei ministerium ita dedit nobis, quod posuit in nobis verbum reconciliationis, id est ut prædicaremus reconciliationem factam per Christum, ut homines reconciliantes se Christo, reconciliarentur Deo. Et quia Deus posuit in nobis verbum reconciliationis, ergo nos *fungimur legatione* Dei. Nec vilipendatis hanc nostram legationem, quia fungimur ea *pro Christo*, id est auctoritate Christi : scientes contemptum meum, contemptum 175 esse Christi. Et quia hac legatione fungimur pro Christo, *obsecramus* vos, fratres, *reconciliamini Deo*, declinantes a malo, facientes bonum. Reconciliamini dico, et hoc pro Christo, id est, amore A Christi, qui tanta charitate vos dilexit. Et obsecrationem nostram nolite spernere; sed habeatis eam *tanquam per nos Deo exhortante* vos, id est, obsecrationem meam sciatis esse Dei exhortationem. Bonum et dignum est vos reconciliari Deo, qui Deus eum, id est, Christum *qui non noverat peccatum* (licet per scientiam, non tamen per experientiam facti) *illum fecit Deus peccatum* pro nobis redimendis. Peccatum factus est Christus secundum pœnam peccati quam pertulit : sicut aliquem innocentem suspensum diceremus furem, secundum pœnam furti quam pateretur, licet actus furti non esset in eo. Vel Christus dictus est peccatum. Hostia enim illa quæ pro peccato offerebatur peccatum vocabatur : sic Christus quia pro peccato omnium oblatus est, peccatum dicitur. Pro nobis, inquam, Deus Christum fecit peccatum, *ut nos efficeremur*, non tantum justi, sed etiam ipsa *justitia* : nec falsa, vel legis; sed vera justitia *Dei*, et hoc *in ipso*, id est per Christum.

CAPUT VI.

« Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum « gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore ac- « cepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce « nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis. « Nemini dantes ullam offensionem, ut non vitu- « peretur ministerium nostrum. Sed in omnibus « exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in « multa patientia, in tribulationibus, in necessita- « tibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in « seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, « in castitate, in scientia, in longanimitate, in sua- « vitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, « in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma justi- « tiæ, a dextris et a sinistris. Per gloriam et igno- « bilitatem, per infamiam et bonam famam. Ut « seductores et veraces : sicut qui ignoti, et cogniti. « Quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et « non mortificati. Quasi tristes, semper autem gau- « dentes : sicut egentes, multos autem locuple- « tantes : tanquam nihil habentes, et omnia possi- « dentes. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii. Cor « nostrum dilatatum est. Non angustiamini in nobis, « angustiamini autem in visceribus vestris. Eam- « dem autem habentes remunerationem, tanquam « filiis dico, dilatamini et vos. Nolite jugum ducere « cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ « cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tene- « bras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? « Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem con- « sensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis « templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam in- « habitabo in illis : et inambulabo inter eos, et ero « illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus (*Lev.* XXVI, « 12). Propter quod exite de medio eorum, et sepa- « ramini, dicit Dominus (*Isa.* LII, 11) : et immun- « dum ne tetigeritis, et ego recipiam vos : et ero « vobis in patrem : et vos eritis mihi in filios et « filias, dicit Dominus omnipotens (*Jer.* XXXI, 9). »

EXPOSITIO.

Obsecramus adjuvantes : nos autem ut efficiamini justitia Dei adjuvantes per ministerium prædicationis Domini in vobis. Vel *adjuvantes* vos instructione et orationibus ad Deum, *exhortamur* vos, *ne gratiam Dei in vacuum recipiatis :* quasi diceret : Vos utique gratiam Dei recepistis, sed videte ne in vacuum, id est, ne inutilem vobis receperetis. Bene dico gratiam : nunc enim est gratia. *Ait enim* Pater ad Christum integrum cum membris suis, quæ est Ecclesia : Ego *exaudivi te*, id est complevi quod postulabas dimittendo peccata. Exaudivi, inquam, te *in tempore accepto :* et Deo cui in eo placuit misereri homini : et accepto homini, quia in eo se solutum a morte peccati **176** gavisus est. Exaudivi te, dimittendo peccata. *Adjuvi* etiam *te* confortatum ad bona opera similiter in tempore accepto : *in die*, id est in claritate veræ cognitionis positum. *Die*, dico, *salutis*, quia per veram cognitionem iter est ad æternam salutem. Hoc legitur in Isaia (c. XLVIII, v. 8). Modo Paulus quando hoc tempus acceptum intelligendum sit, exponit, sic : Deus ait tempore accepto, et *ecce* fratres *nunc*, id est, a passione Christi, in posterum est illud *tempus acceptabile :* et *ecce nunc est* illa *dies salutis*, in qua Deo acceptum est exaudire et adjuvare. Et ideo sic exhortamur vos : nos *nemini dantes ullam offensionem*, id est, sic nos habentes moribus verbo et habitu ut nulli generemus offensionem, in aliquo horum. Ideo non dantes offensionem, *ut non vituperetur ministerium nostrum*, id est ne apostolatus noster vituperabilis sit, quod utique esset, si quod bene doceo, in meipso non ostenderem. Nullam damus offensionem ; sed exhibemus nos ministros Dei ; et ut in eo permaneamus Deus hoc concedat, ut exhibeamus nosmetipsos in omnibus quæ loquimur et agimus, *sicut*, id est, vere *ministros Dei*, ut ibi quasi modo geniti, scilicet *in patientia multa*, id est, multipliciter patiendo corpore et animo exhibeamus nos Dei ministros. Subdit partes patientiæ : in multa patientia dico, habita *in tribulationibus*, ut quocunque modo corpus nostrum tribuletur, æquanimiter toleremus. Habita etiam patientia *in necessitatibus*, ne aliqua indigentia deficiamus. Habita iterum patientia *in angustiis animi*, et *in plagis* corporis, et *in carceribus*. Patientia etiam in seditionibus quas adversum nos concitant infideles. Patientia iterum habita *in laboribus :* manibus enim nostris laboramus, ne aliquem gravemus (*I Thess.* II, 9). Patientia habita etiam *in vigiliis*, plerumque enim eum vigilare oportuit disputantem de fide. Habita etiam patientia *in jejuniis :* quia multoties eum jejunare oportuit, modo coactione, modo indigentia, modo voluntate. Hæc omnia præmissa partes sunt patientiæ, cætera coæquæva sunt illi. Exhibeamus nos sicut Dei ministros *in castitate*, quod casti simus animo et corpore. Exhibeamus nos etiam ministros Dei, *in scientia*, ut sufficienter de omnibus docti simus. Vel, ut castitatem et scientiam unum membrum dicamus :

A Simus ministri Dei, in castitate et in scientia, id est in casta scientia : non sit versipellis scientia nostra, ut scientia pseudodoctorum. Simus etiam ministri Dei *in longanimitate.* Quod si differtur corona, patienter tamen sustinemus onera. Simus etiam ministri Dei *in suavitate*, id est in leni mansuetudine habita, *in Spiritu sancto*, non adulatoria suavitate. Exhibeamus iterum nos Dei ministros, *in charitate non ficta*, ut vere diligamus Deum et proximum : et *in verbo veritatis*, ut in pura veritate sonent verba nostræ prædicationis : non ut pseudo qui intendunt fallere mendacibus verbis. Simus etiam boni ministri *in virtute Dei*, ut per signa miraculorum comprobem me esse idoneum magistrum. Exhibeamus etiam nos ministros Dei *per arma justitiæ*, habentes B justitiam loco armorum *a dextris et a sinistris*, id est, a prosperis et ab adversis, quod nec prosperis seducamur nec per adversa dejiciamur. Quæ amodo sequuntur, partes sunt dextri vel sinistri. A dextris dico ut *per gloriam*, quod si aliqui glorificant nos, ut ibi quando voluerunt ei ædificare aras, in hac gloria exhibeamus nos tanquam Dei ministros. A sinistris sicut *per ignobilitatem*, ut quando detrahunt nobis, dicentes nos falsa prædicare. In hac ignobilitate exhibeamus nos sicut Dei ministros. Iterum *per infamiam* quæ pars sinistræ est, ut quando dicebatur ei : « Insanis, Paule (*Act.* XXVI, 24). » *Et* iterum *per bonam famam :* ut quando ab aliis prædicatio ejus extollebatur, per hæc utraque exhibeaC mus nos sicut Dei ministros. Nos iterum habiti *ut seductores*, et ab aliis habiti *ut veraces*, exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos iterum **177** habiti, *sicut qui ignoti sint* Deo, et secundum alios habiti tanquam Deo *cogniti*, in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos iterum habiti *sicut morientes*, id est in criminalia cadentes secundum quosdam, *et ecce* secundum alios in justitia *vivimus :* in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos iterum habiti *ut castigati*, secundum quosdam, qui post illata nobis verbera dicerent : Ecce non amplius audebunt loqui : et secundum alios habiti non castigati qui dicerent : Nunquam propterea reticebunt Dei verbum, quæ castigatio esset mortificatio : et ideo ait *mortifiD cati :* in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos iterum habiti *quasi tristes* secundum quosdam, quod contristemur adversis corpore vel spiritu, habiti autem secundum alios *semper gaudentes* corpore et spiritu : in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos etiam secundum quosdam habiti *egentes*, vel corporali bono vel spirituali secundum alios autem habiti quasi *locupletantes multos* in spiritualibus bonis : in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Nos iterum existimati *tanquam nihil* penitus *habentes* boni temporalis, seu spiritualis secundum quosdam : et secundum alios existimati tanquam *omnia*, id est Deum *possidentes :* in utroque exhibeamus nos sicut Dei ministros. Ut pseudodoctores in conspectu vestro deprimam :

o Corinthii, os nostrum modo *patet ad vos* : multa de gloria nostra et satis diffuse loquendo, qui in priori Epistola me servum omnium proposui. Et utique os nostrum digne patere potuit, quia *cor nostrum dilatatum est* : quæcunque enim de gloria nostra loquor, omnia in me circumspicit esse conscientia mea. Et quia os patet et cor dilatatum est, jam amplius *non angustiamini in nobis*. Quia enim simpliciter vos docui, quos rudes inveneram, dicitis culpam meam esse quod in charitate angusti estis : sed utique in exemplo nostro bene apparet quod non angustiamini in nobis : *sed angustiamini in visceribus vestris*, id est hujus tenacitatis et angustiæ fomes est in cordibus vestris. Vel aliter, ut pauca superius mutemus : Hortamur vos, ne gratiam Dei frustra recipiatis : quod ne fiat nemini sitis dantes ullam offensionem pravo opere vel exemplo, ut ministerium nostrum, id est ne magisterium nostrum per vos offendentes sit vituperabile. Ne detis offensionem, sed exhibeamus nos in omnibus, ut melius eos alliciat ad bonum, cum eisdem se inserit dicens : nos sicut Dei ministros. Et secundum hoc sicut in propria significatione erit. Omnia quæ sequuntur non mutantur, nisi quod sicut ad Paulum, sic exposita ad eos spectare dicantur. Et quia, o Corinthii, nunc multa et ampla præcepta do vobis, modo patet os nostrum ad vos multa præcipiendo, qui me prius arguebatis vos commonitos esse de paucis. Nec mirum si patenti ore multa vobis præcipio, quia cor nostrum dilatatum est, id est omnia in me invenio quæ vobis operanda trado. Et ex hoc jam apparet : quia non angustiamini in nobis si pauca operamini, sed angustiamini in visceribus vestris. Nolite autem angustiari, sed charitate dilatemini : sicut aliæ Ecclesiæ ita et vos : et hoc *dico* vobis *tanquam filiis*, vos dico spe quidem jam *habentes eamdem remunerationem* quam nos habemus, scilicet cœlestem gloriam. Et ut in mandatis Dei *dilatemini*. *Nolite ducere jugum cum infidelibus* pseudo. Per jugum veterem significat legem, quæ graviter opprimebat observatores suos. Non debetis ducere jugum cum infidelibus : quia vos justi, illi iniqui : vos lux, illi tenebræ : in vobis Christus, in illis Belial : vos fideles, illi infideles : vos templum Dei, illi idolorum. Et *quæ participatio justitiæ cum iniquitate ? Aut quæ societas luci ad tenebras ?* Nulla utique societas debet esse membrorum, ubi est differentia capitum : sed Christus caput nostrum Belial caput illorum. *Quæ autem convention Christ ad Belial ? Aut quæ pars fideli cum infideli ? Quis autem consensus* **178** *templo Dei cum idolis*, id est cum illis impiis, qui velut idolum sedes sunt dæmonis ? Sicut enim in idolo, sic in ipsis responsa dabat dæmon. Bene dico *templo Dei* : nam vos fideles *estis templum Dei vivi*, quia in vobis ipsis vivit, dum vos in bono vivere facit. Et hoc dico, sicut dicit Dominus Deus per Ezechielem licet aliis verbis. Hoc, inquam, dicit Deus : *quoniam*, id est quod *inhabitabo in illis* fidelibus justificando eos per fidem, et etiam *inambulabo* de virtute promovendo in virtutem. *Et ita* apparebit quod ego *ero Deus illorum, et ipsi erunt mihi populus*. Quicunque enim viderint justitiam eorum, dicent : Hi sunt populus Dei, et Deus habitat in illis. Nunc de hac auctoritate infert Paulus aliam de eodem Ezechiele sumptam. Ubi in captivitate Babyloniæ Judæis suadebat exire, et separari ab operibus malis gentilium. Quod si facerent, promittebat eis a Deo liberationem, dicens : *Propter quod*, scilicet, ut sitis populus Dei, *de medio impiorum exite* : non operantes quæ operantur. *Separamini etiam* ab eisdem voluntate, non tantum opere. Sic autem fieri necesse est, quia hæc dicit Dominus : *Ne* etiam *tetigeritis immundum*, id est nec etiam delectationem habueritis in immunditiis eorum, quod saltem placeant vobis. *Et si* hoc feceritis, *ego recipiam vos : et vobis* receptis *ero in patrem, et vos eritis mihi in filios*, *vel* etiam in *filias* quæ majori diligentia ornantur a parentibus. Et hæc omnia credere et facere vos oportet, quia hæc *dicit Dominus omnipotens*.

CAPUT VII.

« Has igitur habentes promissiones, charissimi, « mundemus nos ab omni inquinamento carnis et « spiritus, perficientes sanctificationem in timore « Dei. Capite nos. Neminem læsimus. Neminem cor- « rupimus. Neminem circumvenimus. Non ad con- « demnationem vestram dico. Prædiximus [Prædixi] « enim quod in cordibus nostris estis ad commo- « riendum et ad convivendum. Multa mihi fiducia « est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis. Re- « pletus sum consolatione : superabundo gaudio in « omni tribulatione nostra. Nam et cum venisse- « mus Macedoniam, nullam requiem habuit caro « nostra, sed omnem tribulationem passi sumus. « Foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur « humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. « Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in « consolatione qua [qui] consolatus est in vobis, « referens nobis vestrum desiderium, vestrum fle- « tum, vestram æmulationem pro me : ita ut magis « gauderem. Quoniam etsi contristavi vos in epi- « stola, non me pœnitet. Et si pœniteret videns « quod epistola illa, et si ad horam vos contristavit, « nunc gaudeo, non quia contristati estis : sed quia « contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim « estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum « patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum « tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem ope « ratur : sæculi autem tristitia mortem operatur. « Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari « vos, quam tam in vobis operatur sollicitudinem : « sed defensionem, sed indignationem, sed timo- « rem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vin- « dictam. In omnibus exhibuistis vos incontamina- « tos esse negotio. Igitur et si scripsi vobis, non « propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum « qui passus est, sed ad manifestandam sollicitu- « dinem nostram, quam habemus pro vobis coram « Deo. Ideoque consolati sumus. In consolatione

« autem nostra, abundantius magis gavisi sumus « super gaudio Titi : quia refectus est spiritus ejus « ab omnibus vobis. Et si quid apud illum de vobis « gloriatus sum, non sum confusus : sed sicut om- « nia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio « nostra quæ fuit ad Titum, veritas facta est : et « viscera ejus abundantius in vobis sunt : remi- « niscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo « cum timore et tremore excepistis illum. Gaudeo « quod in omnibus confido in vobis. »

EXPOSITIO.

179 Quandoquidem vobis exeuntibus de medio impiorum (dicit Dominus) eritis mihi in filios et filias etc. Igitur, o charissimi, vos *habentes has*, id est præfatas *promissiones*, ut eas apprehendamus, *mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et* ab omni inquinamento *spiritus*. Inquinamenta carnis vocat libidinem, ebrietatem et hujusmodi. Inquinamenta spiritus, ut iram, invidiam, et hujusmodi, quæ ipsam inficiunt animam sine contagio carnis. Sic nos in utroque mundemus a peccatis : *perficientes* dehinc *sanctificationem*, id est, ut malis mundati in virtutibus perfecti simus. Hoc autem perficientes *in timore Dei*, id est, non timore hominum ut quæramus apparere justi in facie et non in corde sicut pseudo, sed in timore. Nec tantum pœnarum, ut per hoc solum modo pœnas evadamus, sed in timore Dei, ut Deum timeamus offendere, qui timor dicitur charitas. Vel aliter littera illa dividitur : Mundemus nos ab inquinamento carnis : ut sit ibi versus, et nos mundati perficientes sanctificationem spiritus, id est, secundum quod docet spiritus, vel illa ratio, vel perficientes sanctificationem spiritus, id est rationis, vel Spiritus sancti. Sententia est eadem. In timore Dei similiter. Et ut mundati perficiatis sanctificationem, *capite nos*, id est, accipite imitationem nostram. Vel ut ibi versus non sit : Vos perficientes sanctificationem, *capite nos*, id est, imitamini nos sicut dictum est. Nos utique capere debetis, *neminem* enim vestrum *læsimus* improperando, quod vel canes essetis, vel hujusmodi : me autem magnificando de genere Abrahæ, ut faciunt pseudo. *Neminem* iterum vestrum *corrupimus*, perverse docendo, vel pravo exemplo depravando, ut iterum pseudo, qui falsa veris admiscendo, corrumpunt fidem vestram : pravo etiam vitæ exemplo. *Neminem* etiam vestrum *circumvenimus*, quemadmodum pseudo, qui cum aperte nequeunt extorquere a vobis, fraudulenta seductione, eliciunt magis quam impetrent. Quod autem significo vos corruptos et seductos esse ab illis pseudo : hoc *non dico ad condemnationem vestram*, id est, ut per hoc intendam condemnare vos, quasi reprobatos a Deo. Quodque non dicam ad condemnationem vestram scire potestis ex eo, *quia prædixi* in hac eadem Epistola, *quod* vos *estis in cordibus nostris*, ubi ait : Vos estis Epistola nostra scripta in cordibus nostris. Quia si vos condemnatos intenderem, nequaquam in cordibus nostris vos insererem, sed estis in cordibus nostris *ad commoriendum*, id est, ut velim vos mecum commori peccato, *ad convivendum*, id est, ut mecum vivatis justitiæ. Vel ita ut perfectioribus loquatur : Estis in cordibus nostris ad commoriendum, ut velim vos mecum mori in præsenti tribulatione, ut sic mecum sitis ad convivendum in æternitate : ideo dico *capite nos* : quia *multa fiducia mihi est apud vos* de futuris bonis ; ut cito suasioni quam facturus sum acquiescatis. *Multa* etiam *gloriatio est mihi pro vobis*. Multa enim apud alias Ecclesias glorior de bono correctionis vestræ, præferendo vos illis in exemplum. Propterea multa fiducia mihi est apud vos de futuro : jam enim *repletus sum consolatione* in omni tribulatione, quæcunque sit seu facilis, seu difficilis, seu intus, seu foris : nec quoquo modo consolor de correctione vestra : sed in tantum quod *superabundo gaudio* : magis enim de vestra correctione gaudeo, quam doleam de omni tribulatione nostra. Dicerent illi : Estne tibi tribulatio? Utique bene dico. *Nam* alibi *et* etiam *cum venissemus in Macedoniam : caro nostra non habuit ullam requiem, sed passi sumus omnem tribulationem : foris*, id est in corpore erant *pugnæ*, dum flagellis affligebant me : et *intus*, id est in animo erant *timores*, ne fideles passionibus meis scandalizarentur, et judicarent me non esse sequendum, quia condemnatum. Vel ita : *foris*, id est ab his **180** qui extra Ecclesiam erant, fidebant mihi pugnæ, sicut dictum est : *intus autem*, id est in Ecclesia, erant timores, ne a falsis fratribus seducerentur simplices. Foris et intus adeo patiebar : *sed Deus qui consolatur humiles*, id est afflictos, *consolatus est nos in adventu Titi*. Gavisus sum enim de receptione fratris qui participaret tribulationibus nostris. *Non solum autem in adventu ejus* consolatus sum : *sed etiam in consolatione qua* idem Titus *consolatus est in vobis* : per hoc solatium ejus correctionem vestram intellexi. Et ideo cum de reditu ejus gauderem simul consolatus sum : intelligens correctionem vestram in ejus solatio. Consolatus est, inquam, me Titus, *referens nobis desiderium vestrum*, quanto voto desideraretis adventum nostrum. Referens etiam *fletum vestrum* id est quod lacrymis peccata dilueretis. Referens etiam *vestram æmulationem*, id est indignationem, qua contra pseudo *pro me* quem improbant, indignamini. *Ita* referens hæc *ut magis* modo *gauderem* de pœnitentia vestra, quam prius contristatus essem de impœnitentia. Vel magis gauderem de vestra conversione, quam dolerem de mea tribulatione. Et hoc nosse debemus, quia cum Apostolus priorem Epistolam per Timotheum misisset Corinthiis, magis ad indignationem moti sunt, quam ad pœnitentiam, temerarium judicantes quod Apostolus tanta severitate auderet eos arguere : quo cognito, Paulus per Timotheum pœnituit eum scripsisse illis. Sed Tito apud Corinthios diutius morante, et Epistolam Pauli sæpius relegente, sub admonitione Tit fecerunt fructum dignum pœnitentiæ. Quo audito Apostolus magis gavisus est de pœnitentia, quam

prius doluisset de impœnitentia eorumdem. Quod sic ait : Vere per relationem Titi, factum est mihi ut gauderem : *quoniam et si contristavi vos in Epistola* prius missa, *non* tamen modo *pœnitet me* audita relatione Titi, licet prius pœniteret audita relatione Timothei. Prius quidem pœnituit, videns quod Epistola illa prius missa contristavit vos ad indignationem : licet ad horam : et ideo venialius me modo pœnitet : *nunc enim gaudeo, non* ideo *quia* prius *contristati estis, sed quia modo contristati estis ad pœnitentiam.* Merito utique gaudeo de vobis ad pœnitentiam contristatis : *nam contristati estis secundum Deum :* deserendo mala, adhærendo bonis, ita secundum Deum, *ut* jam *in nullo* facto *ex nobis patiamini detrimentum*, quia et ipsa prior contristatio de qua verebar, ne vobis fieret ad detrimentum, correcta est secundum Deum. Vere in nullo ex nobis patimini detrimentum : *nam tristitia* vestra, *quæ est secundum Deum, operatur in vobis pœnitentiam*, valentem vobis *in stabilem*, id est æternam *salutem*. Tristitia secundum Deum operatur salutem : sed *tristitia sæculi*, quæ adhuc in quibusdam est apud vos, qui nolunt contristari ad pœnitentiam, hæc tristitia *operatur mortem*, id est stabilem perditionem. Hoc congrue inservit ad deterrendum eos, qui nondum pœnitebant. Vere tristitia secundum Deum operatur pœnitentiam in salutem : nam operatur sollicitudinem, defensionem, et cæteras partes veræ pœnitentiæ. Quod sic ait : *Ecce enim* in evidenti est *hoc ipsum* tam exiguum ad comparationem salutis quam operatur : hoc ipsum dico, scilicet *contristari vos secundum Deum :* ecce *quantam sollicitudinem* proficiendi semper in melius *operatur in vobis*. Ista scilicet quæ sequuntur copulativa sunt, valentia tantum ad ornatum orationis. Operatur etiam in vobis *defensionem* : quia jam zelum Dei habentes defenditis me contra pseudo, qui me improbant. Operatur etiam *indignationem*, graviter enim indignamini contra eos, qui seduxerunt vos. Operatur etiam *timorem*. Timidi enim semper estis, ne in laqueum recidatis. Operatur etiam *desiderium*. Desideratis enim appetitum bonorum, et *æmulationem*, id est imitationem justorum. Operatur etiam *vindictam*. Si quis enim in Ecclesia vestra delinquit, statim per injunctam pœnitentiam vindicatis culpam **181** ejus. Et ut breviter bona vestra colligam, *in omnibus exhibuistis vos esse incontaminatos negotio*, id est religioni ecclesiasticæ. Vel incontaminatos esse a negotio sæculari, id est a peccato. Et quia in omnibus vos incontaminatos exhibuistis, igitur nunc apparet intentio mea quam habui in priori epistola, quia *etsi scripsi vobis, non* tamen *propter eum* solum *qui fecit injuriam*, ducendo uxorem patris, *nec* iterum *propter eum* solum scripsi *qui passus est* injuriam, tractus ad sæculares judices : *sed* scripsi *ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam* sollicitudinem *habemus pro vobis :* et hoc *coram Deo*, id est in beneplacito Dei : hoc enim bene placet Deo ut de salute vestra sollicitus sim. Vel hoc dico *coram Deo*, id est teste Deo, qui con-

A scientiam meam novit. Cum enim Paulus de fornicatore illo ageret, non ad illum dirigebat sermonem, sed ad totam Ecclesiam, intendens ne unius pollutione multi inficerentur. Et quia sollicitudo nostra pro vobis habita nunc manifestata est, quia completa, *ideo sumus consolati. In consolatione autem nostra* gavisi sumus, et de correctione vestra, et de gaudio Titi *abundantius*, quam doluissem prius de peccatis vestris, vel de tribulationibus meis. Et cum de correctione vestra et gaudio Titi abundantius consolaremur, tamen magis abundantius gavisi sumus *super gaudio Titi*, quam de correctione vestra. Similis positio. Virgilius doctior est Horatio et Lucano : magis tamen doctior Lucano, quam Horatio. Ideo Apostolus magis de gaudio Titi, quam
B de correctione Corinthiorum gavisus est : quia si non esset gaudium Titi, nec eos correctos esse crederet. Ideo etiam quia nisi Titus de hoc gauderet, exanimatus ex toto deficeret : quod nec in Ecclesia Corinthiorum, nec alibi laborare vellet. Unde ipse vel causas ponit : ideo magis gavisus sum super gaudio Titi : *quia spiritus ejus refectus est ab omnibus vobis*, etiam ab incorrectis, de quibus spem bonam habet corrigendi per eos, qui jam bene correcti sunt : qui spiritus penitus deficeret ab instructione, si Corinthios incorrigibiles inveniret. Et ideo etiam magis de gaudio Titi : *quia sicut apud illum* Titum *gloriatus sum de vobis*, o Corinthii : cum enim reformidaret venire ad vos, accusans inhumanitatem vestram, dicebam vos benignos esse, eumque
C honorifice recepturos. Si quid, inquam, gloriatus sum de vobis, *non sum confusus* in hoc : quia sicut ei prædixi, tales vos invenerit ; et ideo me dixisse non erubui : *sed gloriatio nostra quæ fuit habita ad Titum de vobis*, ita *facta est veritas*, sicut dum apud vos essemus, omnia locuti sumus vobis in veritate, id est sicut manens apud vos vera dixi vobis de aliis : sic modo vera dixi Tito de vobis. Et ideo adhuc magis de gaudio Titi : quia *viscera ejus abundantius* modo *sunt in vobis* correctis, quam prius in incorrectis. Ejus Titi dico *reminiscentis obedientiam omnium vestrum*, id est quam devote sibi obedistis, et nobis : reminiscentis etiam, *quomodo excepistis eum cum timore* animi *et tremore* corporis, scilicet in omni
D reverentia. Et videns quomodo digne excepistis eum, *gaudeo quod confido in vobis*, non tantum in hac re, sed etiam *in omnibus* quæcunque mandavero exsequendis.

CAPUT VIII.

« Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam « Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ : quod in « multo experimento tribulationis abundantia gaudii « ipsorum fuit : et altissima paupertas eorum abun- « davit in divitias simplicitatis eorum. Quia secun- « dum virtutem testimonium illis reddo, et supra « virtutem voluntarii fuerunt : cum multa exhorta- « tione obsecrantes nos gratiam, et communicatio- « nem ministerii, quod fit in **182** sanctos. Et non « sicut speravimus, sed semetipsos dederunt, pri- « mum Domino : deinde nobis per voluntatem Dei,

« ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit,
« ita et perficiat in vobis, etiam gratiam istam. Sed
« sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et
« scientia, et omni sollicitudine, insuper et chari-
« tate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis.
« Non quasi imperans dico, sed per aliorum solli-
« citudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum
« comprobans. Scitis etiam gratiam Domini nostri
« Jesu Christi : quoniam propter vos egenus factus
« est, cum esset dives : ut illius inopia vos divites
« essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis
« utile est : qui non solum facere, sed et velle cœ-
« pistis ab anno priore. Nunc vero et facto perficite,
« ut quemadmodum promptus est animus voluntatis;
« ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si enim
« voluntas prompta est, secundum id quod habet ac-
« cepta est, non secundum id quod non habet. Non
« enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio,
« sed ex æqualitate in præsenti tempore, vestra
« abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum
« abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat
« æqualitas sicut scriptum est : Qui multum, non
« abundavit, et qui modicum, non minoravit (*Exod.*
« xvi, 18). Gratias autem ago Deo, qui dedit eamdem
« sollicitudinem pro vobis in corde Titi : quoniam
« exhortationem quidem suscepit; sed cum solici-
« tior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Mi-
« simus etiam cum illo fratrem nostrum, cujus laus
« est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solum
« autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes pe-
« regrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ mini-
« stratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam
« voluntatem nostram : devitantes hoc, ne quis nos
« vituperet in hac plenitudine quæ ministratur a no-
« bis in Domini gloriam. Providemus enim bona,
« non solum coram Deo, sed etiam coram homini-
« bus. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum,
« quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse :
« nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa
« in vos, sive pro Tito, qui est socius meus et in vo-
« bis adjutor; sive fratres nostri, Apostoli Ecclesia-
« rum, gloriæ Christi. Ostensionem ergo quæ est
« charitatis vestræ, et nostræ gloriæ pro vobis, in
« illos, ostendite in faciem Ecclesiarum Dei. »

EXPOSITIO.

In hoc enim uno quomodo de futuro facturi sitis intelligo. Nunc de collectis de quibus in prima Epistola compendiose dixerat, diffusius admonet : suadens eis et exemplo aliarum Ecclesiarum, et multis inductionibus. Littera superius jungitur : Cum venissemus in Macedoniam, caro nostra non habuit requiem : sed licet in primis requiem non haberemus, tamen Deus in Ecclesiis Macedoniæ dedit pacem et gratiam. Quod sic ait : *Notam facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ*. Gratiam Dei digno nomine vocat eleemosynas : intelligens majorem esse gratiam Dei ministrandi pauperibus, quam sint genera linguarum, et quædam aliæ gratiæ. De hac gratia facio vobis notum, *quod in multo experimento tribulationis* : multas enim et acres tribulationes expertæ sunt Ecclesiæ Macedonum. In multo, inquam, experimento tribulationis fuit *abundantia gaudii ipsorum*, id est abunde gavisi sunt : quia pro Christo contumeliam pati digni habiti sunt, et paupertas ipsorum. Infideles enim pauperabant fideles. *Paupertas*, inquam, *ipsorum altissima*, id est maxima. Vel altissima, id est dignissima. Paupertas, inquam, *abundavit* : quia quanta plus dederunt, tanto pauperiores effecti sunt. Abundavit dico *in divitias* eorum : quia licet pauperes essent in habendo, divites tamen erant in administrando eleemosynam. In divitias dico, *simplicitatis eorum*. In simplicitate enim dabant, non putantes se propterea liberius posse peccare. Abundavit utique in divitias : quia fuerunt voluntarii secundum virtutem et supra virtutem. *Secundum virtutem* dare est **183** quæ sibi necessaria sunt, primum retinere, deinde quod superabundat in pauperes erogare. *Supra virtutem* dare, est nihil sibi penitus reservare. Et quod secundum virtutem et *supra virtutem voluntarii fuerunt*, inde *reddo illis testimonium* : nec coacti a nobis, sed *obsecrantes nos*, id est per quæcunque sacra adjurantes, *cum multa exhortatione*, dicentes : Ne sollicitus sis de nobis, quia laboriosi sumus, et de labore nostro (etiam si nihil nobis residuum sit) bene sustentabimur. *Obsecrantes* utique *nos* accipere *gratiam*, id est eleemosynas, ab ipsis, *et communicationem*, id est res suas, quas omnibus communicare intendebant. Communicationem dico *ministerii*, id est administrationis : *quod* ministerium *sit* deferendum *in sanctos*, qui erant Hierosolymis.

Hic notandum quod de abundantia nostra prius sustentandi sunt sancti; de eo autem quod residuum fuerit, quicunque egentes. Obsecraverunt utique nos : *et non* fecerunt *sicut speravimus*, id est non hoc animo ut vitia eorum multa pateremur, *sed* primum *dederunt semetipsos Deo*, emendantes vitia. *Deinde* dederunt se *nobis*, sumptus offerendo fratribus : et hoc *per voluntatem Dei*. Hoc enim vult Deus : prius seipsum, postea sua devovere : *ita* dederunt *ut rogaremus Titum ut, quemadmodum* bene *cœpit, ita* etiam *perficiat in vobis* alias gratias : et etiam *istam gratiam*, exemplo Ecclesiarum Macedoniæ. Non solum rogavimus Titum ut hanc gratiam perficeret in vobis, sed etiam *ut per eum abundetis in hac gratia*. *Perficere* ad Titum : *Abundare*, pertinet ad Corinthios. Vel ita : Non tantum rogavimus Titum perficere hoc in vobis; sed etiam ego ipse rogo vos ut, sicut abundatis in omnibus gratiis (scilicet *in fide*) sanam enim fidem, et bonis operibus abundantem habetis, abundatis etiam *in sermone et scientia*, quia expeditum sermonem ad exhortandum habetis, et scientiam ad intelligendum; abundatis etiam *in omni sollicitudine* : omni enim studio solliciti estis ut melius et melius operemini; abundatis *in charitate*, id est in dilectione *vestra* extensa *in nos* (sicut in his gratiis) sic rogo *ut etiam in hac gratia* eleemosynarum *abundetis*.

Et hoc *non dico quasi imperans*, id est non de hac re præceptum constituo : ne, si forte non obtemperatis imperio, rei essetis inobedientiæ. Non utique ex imperio dico : *sed* dico hoc *comprobans ingenium*, id est rationem cum voluntate. Debetis enim rationabiliter pensare quod detis, scilicet temporalia; et quid pro his recepturi sitis, scilicet æterna : et cum ratione debet esse voluntas libentissime dandi, comprobans, inquam, *bonum* ingenium etiam *vestræ charitatis* per sollicitudinem aliorum, id est per hoc quod solliciti estis supplere inopiam indigentium fratrum. Vel comprobans charitatem vestram per sollicitudinem aliorum, id est per hoc quod Titum et alios discipulos de vobis facio sollicitos.

Et utique debetis abundare in hac gratia, *nam* vos *scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi ; quoniam*, id est quod, *cum esset dives*, id est Deus in divitiis omnipotentiæ suæ, qui æternus erat, *propter nos* salvandos *factus est egenus* in tempore. Nec dives fieri voluit; sed *factus est egenus*, id est in omni egestate carnis vivens, præter egestatem justitiæ. Ideo *factus est egenus, ut inopia*, id est merito inopiæ *illius vos essetis divites* justitiæ. *Et* in hoc quod benignitatem Domini Jesu circa vos exhibitam vobis recordor, *in hoc* utique *do* vobis *consilium* salutis. Et bene dico *consilium*. *Hoc enim* (scilicet abundare in eleemosyna) *utile est vobis : qui non solum cœpistis facere, sed* etiam incœpistis *velle a priore anno*.

Nota quod prius facere, postea augmentat velle ; facere enim non sufficit, nisi ex voluntate; sed velle sufficit licet non sit copia faciendi. Cœpistis olim velle; *nunc vero perficite* id voluntate et *facto*, ita *ut quemadmodum promptus est animus*, id est discretio voluntatis **184** (quod supra vocavit bonum ingenium) *ita fit* promptus animus *perficiendi*. Et licet ita suadeam, perficiendi tamen dico *ex eo*, id est secundum hoc *quod habetis*, et ministrare fratribus ferre potestis. Ideo dico *ex eo quod habetis, quia, si voluntas vestra prompta est* ad dandum, *secundum id quod habet*, in hoc utique *accepta est* Deo, *non solum* in eo si dederit *secundum id quod non habet*. Quod ait secundum id quod habet, et quod non habet, idem est quod ait superius *secundum virtutem et supra virtutem*. Qui enim necessaria sibi reservat, et ea quæ superabundant, erogat, hic *secundum quod habet* dicitur dare; qui vero nihil sibi retinet, sed omnibus erogatis nudus nudam crucem sequitur, hic dat secundum id quod non habet. Sed quia hujus perfectionis non vidit eos capaces, hortatur ad id quod levius est. Opponeret aliquis : Cogis nos dare, ut, aliis de nostro ditescentibus, nos postea egeamus. Minime; sed secundum quod habetis, et non secundum id quod non habetis; ego enim *non* impero hoc *ut* per vestra data *sit remissio aliis*, et remissi torpescant otio, *vobis autem* inde sit *tribulatio*, unde illis remissio. Hoc quidem non impero, *sed* hoc rogo *ut vestra abundantia*, quæ est in temporalibus, *suppleat inopiam illorum* in præsenti tempore; et hoc fiat *ex æqualitate*, non ut illis tantum detis quantum vobis reservabitis; sed tantum unde æqualiter ut vos securi sitis ab egestate.

Ideo abundantia vestra suppleat illorum inopia, *ut etiam abundantia illorum*, perfectorum quæ est in virtutibus, *sit supplementum vestræ inopiæ*. Qui si divites estis terrenorum, inopes estis cœlestium. Suppleat, dico, ita *ut* vicissim suppleti *fiat æqualitas* illis in æterno bono; ut, quemadmodum sancti in hoc mundo participant fructibus laborantium, sic in futuro hi qui modo ministrant sanctis, participent remunerationem eorum. Nec ita dico *fiat æqualitas*, ut tantum accipiant imperfecti quantum perfectiores, sed in hoc æqualitas, quod singuli singulos nummos accipient, id est perfectam et sufficientem beatitudinem. Ideo non statutum fuit ut alii hominum laborarent, alii orationi vacarent, ut oratores sustentarentur aliorum labore, laboratores vero salvarentur eorum oratione. *Fiat*, dico, *æqualitas, sicut scriptum est* figurative de futura æqualitate : *qui multum* habuit, *non abundavit* super modice habentem : *et qui modicum* habuit, *non minoravit*, id est, non habuit minus eo qui multum collegit. Qui enim multum habet de gloria cœlesti, non sic abundat ut is qui minus habet indigeat : sed utrique et multum et modicum habenti æqualis est abundantia : quia utrique quod satis est, licet tamen differentia sit illis in gloria. Hoc ad litteram scriptum est de manna, quod colligebant Judæi; quia qui multum collegerat, licet amplius quam plenum gomor, non plus habuit quam gomor : et qui minus collegerat quam gomor, non minus habuit quam plenum gomor (*Exod.* xv, 18).

Dixi superius quod rogavi Titum. De hoc autem *gratias ago Deo, qui dedit in corde Titi eamdem sollicitudinem pro vobis*, quam et in corde meo. Eamdem bene dico, *quoniam* ipse *quidem* bene *suscepit exhortationem* pro vobis factam, *sed* etsi benigne suscepit, tamen *profectus est ad vos cum esset sollicitior* de vobis, *sua voluntate* quam mea exhortatione. *Misimus etiam cum illo* scilicet Tito, *fratrem* nostrum : *laus cujus est in Evangelio*. Hunc fratrem alii dicunt Lucam, alii Barnabam. Si Lucam dicimus, laus cujus est in scribendo Evangelio; si Barnabam, ita laus cujus est in prædicando Evangelio *per omnes Ecclesias*. Omnis enim Ecclesia laudat eum. Non solum autem laudatur in Evangelio, sed etiam *ab Ecclesiis ordinatus est comes nostræ peregrinationis*. Hoc magis de Barnaba videtur dicere : quem cum Paulo fratres qui erant Hierosolymis miserunt in gentes ad prædicandum Spiritu sancto dicente illis : « Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus quo assumpsi eos (*Act.* xiii, 2). » Peregrinationis ideo dicit; cum enim a Judæa mittitur in gentes, exit patriam, et ad loca peregrina transit. *Comes*, dico, factus **185** *in hanc gratiam* eleemosynarum similiter prædicandam, *quæ* gratia *a nobis* recipientibus, a vobis *ministratur* sanctis qui sunt Hierosolymis; de quo gaudere debetis, quia ministratur *ad gloriam Domini*. Et vere Deus in hac ad-

ministratione glorificatur; et, ut de gloria Domini A sileam, si non esset aliud, ministrare deberetis ad complendam voluntatem nostram, doctrina cujus filii Dei estis.

Voluntatem dico utique sequendam, quia *destinatam*, id est in hoc velle ordinatam Deo. Deus enim me sic velle disposuit. *Misimus* Titum et *cum illo* alium *fratrem*, devitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine eleemosynarum, quæ a nobis ministratur sanctis in Hierosolymis. Ideo Paulus tot idoneos testes mittebat ad accipiendas collectas, ne, si per suspiciosam personam hoc faceret, vituperarent eum, dicentes quod de copia eleemosynarum in suos usus retineret. Dico *ne quis nos vituperet*, et bene; *nam* nos sic facientes *providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram* omnibus *hominibus*. B Nemo enim aliquid vituperabile poterit suspicari, ubi tot idoneos testes viderit. In hoc verbo Pauli concipitur quod qui se talem exhibet ut de eo sinistra possit oriri suspicio, etiam si non sit reus inde, peccat tamen, dum, per negligentiam suam minus provide agens, in fratre suscitat culpam. Cum Tito autem et cum illo alio fratre misimus etiam *fratrem nostrum quem in multis probavimus*, et *sæpe sollicitum esse* de vobis. Hunc fratrem non nominat; sed credimus hunc esse Apollo, episcopum eorum, qui, in prima Epistola rogatus a Paulo, noluit ire (*I Cor.* xvi, 12), audiens illos adhuc incorrectos; sed nunc audito per Titum quod essent correcti, revertitur ad illos. Dico eum fuisse *sollicitum;* sed sciatis *nunc multo sollicitiorem* esse de vestra C salute, *confidentia multa* habita *in vobis, sive pro Tito* qui commendavit correctionem vestri illi, *sive pro his qui sunt fratres nostri*, id est et pro Tito et pro his. Pro Tito dico, *qui est socius meus* in omnibus, et maxime adjutor in vobis, et pro his qui sunt fratres nostri *apostoli*, id est legati *Ecclesiarum* gloriæ *Christi*, id est ad prædicandum gloriam Christi. Et quia tam probatas personas ad vos misimus. *Ergo* ostendite in illos charitatem vestram, et (ut plus dicam) ostendite in illos *ostensionem quæ* ostensio *est charitatis vestræ*. Si enim vos ingratos exhibueritis, palam erit vos ex timore quod in peccatis eratis, et non ex charitate ministrasse Tito et aliis; sed benignitas vestra nunc ad istos exhibita erit D ostensio vestræ charitatis, quia approbabit vos ex charitate fecisse quod prius fecistis. *Ostendite* etiam ostensionem *nostræ gloriæ* habitæ apud illos *pro vobis;* multum enim gloriatus sum et promisi quod honorifice eos suscipietis. *Ostendite* dico *in facie* cæterarum *Ecclesiarum*, ut vos sitis facies et forma, quorum similitudini imprimantur aliæ Ecclesiæ.

CAPUT IX.

« Nam de ministerio quæ fit in sanctos, ex abun-
« danti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum
« animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud
« Macedones; quoniam et Achaia parata est ab anno
« præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos.
« Misimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de vo-
« bis evacuetur in hac parte, ut quemadmodum dixi,
« parati sitis; ne cum venerint Macedones mecum,
« et invenerint vos imparatos, erubescamus nos, ut
« non dicamus [*al.*, dicam] vos in hac substantia. Ne
« cessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præ-
« veniant ad vos et præparent repromissam benedic-
« tionem hanc paratam esse, [*al.*, sic] quasi benedic-
« tionem, non quasi avaritiam. Hoc autem dico : Qui
« parce seminat, parce et metet; et qui seminat in
« benedictionibus, de benedictionibus et metet; unus-
« quisque prout destinavit in corde suo, non ex tri-
« stitia aut ex necessitate. « Hilarem enim datorem
« diligit Deus (*Eccli.* xxxv, 11). » Potens est autem
« **186** Deus omnem gratiam abundare facere in
« vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam
« habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut
« scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia
« ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.*, cxi, 9). Qui
« autem administrat semen seminanti, et panem ad
« manducandum præstabit. Et multiplicabit semen
« vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ
« vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in
« omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gra-
« tiarum actionem Deo. Quoniam ministerium hu-
« jus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis,
« sed etiam abundat per multas gratiarum actiones
« in Domino per probationem ministerii hujus, glo-
« rificantes Deum in obedientia confessionis vestræ
« in Evangelio Christi et simplicitate communi-
« cationis vestræ in illos et in omnes; et in ipsorum
« obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter
« eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo
« super inenarrabili dono ejus.

EXPOSITIO.

Ut charitatem vestram in illos ostendatis, admoneo. Nam *scribere vobis de ministerio*, id est de collectis illis, quod ministerium sit transferendum *in sanctos*, de hoc, inquam, scribere *est mihi ex abundanti*, id est superfluum judicavi. Propterea ex abundanti, *quia scio animum vestrum promptum esse* ad ministrandum; *pro quo* scilicet quia parati estis, *glorior* de vobis ita in charitate diffusis, *apud Macedonas*, dicens. *Quoniam* non solum Corinthus, sed *etiam* tota *Achaia* sub Corintho, *parata est ministrare sanctis ab anno præterito, et* sic *vestra æmulatio*, id est imitatio *provocavit plurimos* ad idem faciendum. Videndum est quanta subtilitate Paulus in primis, exemplo Macedonum, inducat Corinthios, nunc e converso Macedonas exemplo Corinthiorum. Et licet animus vester promptus sit, tamen *misimus ad vos* hos *fratres; ut quod gloriamur* apud alios *de vobis, ne evacuetur*, id est non destruatur *in hac parte*, id est in parata administratione. Misimus, inquam, *ut, quemadmodum* in alia epistola *dixi parati sitis, ne, cum Macedones mecum venerint* ad vos, *et invenerint vos imparatos, erubescamus nos in hac substantia*, id est eleemosyna non præparata. *Nos* dico *erubescamus* ut non dicamus quod vos erubescatis, qui utique si imparati estis, merito erubesco-

tis. Eleemosynam vocat substantiam : quia per eam subsistimus in præsenti. Et quia vos imparatos nolui, *ergo existimavi necessarium rogare* hos *fratres, ut præveniant* me *ad vos, et vos præparent benedictionem* eleemosynarum, non parandam cum venero, sed *esse paratam :* hanc benedictionem dico repromissam a vobis ; videte ne in promisso infideles sitis. *Præparent* dico, *benedictionem*, sic, *quasi benedictionem*, id est largam donationem, *et non quasi avaritiam*. Si enim modicum dant, magis avaritia judicabitur quam donum. Volo ut ipsi præparent ; ego etiam propria voce *hoc* ipsum *dico ;* et admoneo ut affluenter detis, *quia qui parce seminat*, id est qui avare eleemosynam dat, *metet* quidem, id est remunerabitur, sed *parce*. Seminare dicit eleemosynam dare, quia, sicut ille qui seminat, ad præsens perdit quod in futuro multiplicatum recipiat, sic qui dat eleemosynam, ad præsens perdit quod centuplicatum colliget in gloria.

Qui seminat parce, metet parce : *et qui seminat in benedictionibus*, id est in affluentia dandi, hic utique *metet de benedictionibus*, id est de copiosis remunerationibus. Et, licet adeo affluenter dare suadeam, tamen *unusquisque* tribuat *prout destinavit*, id est sicut posuit *in corde suo*, id est ex arbitrio propriæ voluntatis. *Non* tribuens *ex tristitia*, ut doleat se tribuere. *Aut ex necessitate* coacta voluntate tribuat. Posset enim coactus velle, tamen sine tristitia. Non, inquam, ex necessitate, sed ex hilaritate. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, qui hilaris hilare donum tribuit. Supponit causas quare hilariter dandum sit, quia temporalibus **187** bonis præterea virtutibus in præsenti ; in futuro cœlesti gloria merito eleemosynæ abundabit, dicens : Date in hilaritate, quia *potens est Deus abundare facere in vobis omnem gratiam*, id est et copiam temporalium, et virtutes, et futuram gloriam, ita *ut* vos *semper habentes omnem sufficientiam ;* et *in omnibus*, id est in singulis his gratiis. *Habentes*, inquam, *omnem* et *in omnibus* desiderio harum gratiarum *abundetis in omne opus bonum* ut eleemosynam et copiose et hilariter, iterum tam in vestitu quam in victu sine omni querela tribuatis. Abundetis, dico, in hoc opus bonum, *sicut scriptum est* in psalmo de eleemosynario justo (*Psal.* CXI, 9). *Dispersit*, id est non uni, sed diversis sua bona distribuit, nec intentione recipiendi ; sed *dedit*, nec eis qui non egerent, sed *pauperibus* et ideo *justitia*, id est meritum justitiæ, *ejus permanet in æternum*.

Opponeret aliquis : Malo mihi in futurum reservare quam modo dispergere, et in tempore egestatis indigere. Contra hoc Paulus exponens etiam quid supra intellexerit, dicens omnem gratiam. Debetis utique abundare in omne opus bonum, quia ille *qui administrat semen seminanti*, id est res temporales eleemosynam danti ; ille *etiam præstabit panem* in sequenti anno, non ad superfluitatem, sed *ad manducandum*. *Multiplicabit* etiam *semen vestrum*, ut affluenter habeatis ad iterandas eleemosynas. Ecce gratia in temporalibus. *Augebit etiam* merito eleemosynarum frugem, id est meritum justitiæ vestræ in vobis habitæ sine aliqua distributione eleemosynarum. Augebit, inquam, *incrementum frugum justitiæ vestræ*, accrescere faciens meritum privatæ justitiæ per meritum eleemosynæ ; ita augebit, *ut* vos *locupletati in* omnibus, et in multiplicatione seminis, et incremento justitiæ *abundetis* merito *in omnem simplicitatem*, id est in perfectam et simplicem erogationem. Nunc iterum subdit plura bona de eleemosynis provenientia, dicens : *Quæ* simplicitas *operatur per nos actionem gratiarum Deo*, quia de administratione vestra gratias agimus Deo, ecce unum bonum : Et merito gratias, *quoniam ministerium hujus officii*, id est ministratio vestræ simplicitatis *non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat in Domino*, id est in gloria Domini actione gratiarum facta per multos. Abundat etiam per probationem ministerii hujus, quia omnes approbant et magnificant hujusmodi ministrationem. Per multos, dico, *glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ*, id est in eo quod fidei confessionem fecistis in Evangelio Christi cui creditis, et in obedientia, quia fidem habentes confitemini et statim Christo obedistis. Glorificantes etiam Deum *in simplicitate communicationis*, id est in eo quod simpliciter quæ propria sunt communia facitis. Communicationis dico factæ *in* illos *sanctos et in omnes*. Glorificantes etiam *in obsecratione* ipsorum quibus ministratis. Obsecratione dico facta *pro vobis :* Ipsorum dico *desiderantium* videre *vos*. Non pro eo quod temporalia ipsis datis, sed *propter gratiam Dei* quam sciunt *eminentem* esse *in vobis*. Et quia tot bona de hac administratione consequuntur, ideo *gratias* ago *Deo super*, id est de dono ejus quod vobis contulit, scilicet gratiam eleemosynarum, *Dono*, dico, *enarrabili*, id est ut omnibus enarretur in exemplum. Vel dono *inenarrabili*, enarrari enim nequeunt quot bona de hoc dono proveniant.

CAPUT X.

« Ipse autem ego Paulus obsecro vos per man-
« suetudinem et modestiam Christi, qui in facie
« quidem humilis sum inter vos, absens autem
« confido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens
« audeam, per eam confidentiam qua existimor au-
« dere in quosdam, qui arbitrantur **188** nos tan-
« quam secundum carnem ambulemus. In carne
« enim ambulantes, non tamen secundum carnem
« militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia
« sunt, sed potentia Deo ad destructionem muni-
« tionum, consilia destruentes, et omnem altitudi-
« nem extollentem se adversus scientiam Dei, et
« in captivitatem redigentes omnem intellectum in
« obsequium Christi, et in promptu habentes ul-
« cisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit
« vestra obedientia. Quæ secundum faciem sunt
« videte. Si quis confidit Christi se esse, hoc co-
« gitet iterum apud se, quia, sicut ipse Christi est,

« ita et nos. Nam et si amplius aliquid gloriatus
« fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Do-
« minus in ædificationem, et non in destructionem
« vestram, non erubescam. Ut autem non existi-
« mer tanquam terrere vos per Epistolas, quoniam
« quidem Epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes,
« præsentia autem corporis infirma, et sermo con-
« temptibilis; hoc cogitet qui ejusmodi est, quia
« quales sumus verbo per Epistolas absentes, tales
« et præsentes in facto. Non enim audemus inse-
« rere aut comparare nos quibusdam, qui se ipsos
« commendant; sed ipsi nobis nosmetipsos me-
« tientes, et comparantes nosmetipsos nobis. Nos
« autem non in immensum gloriabimur, sed se-
« cundum mensuram regulæ quam mensus est
« nobis Deus (*Ephes.* IV, 7), mensuram pertin-
« gendi usque ad vos. Non enim quasi non pertin-
« gentes ad vos, superextendimus nos. Usque ad
« vos enim pervenimus in Evangelio Christi, non
« in immensum gloriantes in alienis laboribus, spem
« autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis
« magnificari secundum regulam nostram; in abun-
« dantia etiam in illa quæ ultra vos sunt, evangeli-
« zare, non in aliena regula in his quæ præparata
« sunt gloriari. « Qui autem gloriatur, in Domino
« glorietur (*I Cor.* I, 31; *Jer.* IX, 23). » Non enim qui
« seipsum commendat, ille probatus est; sed quem
« Deus commendat. »

EXPOSITIO.

Postquam de gratia eleemosynarum multiplici commendatione correctos sufficienter admonuit, transit ad increpandum incorrectos, qui adhuc pseudo præferebant sibi; quos pseudo plurimum hic deprimit, auctoritatem suam multipliciter et idonee commendans. Non ut per hoc quærat gloriam suam, sed hoc solum intendit ut, vilificatis pseudo, Corinthii non ultra adhæreant, sibique tam gloriose commendato exinde gaudeant adhærere. Littera sic jungitur : Vos bene correctos de gratia eleemosynarum adhortor; vos autem incorrectos hoc non admoneo, quos gratiæ Dei indignos scio; sed obsecro, id est per quæcunque sacra adjuro vos ipse ego Paulus.

Nota quod ait *ipse ego*. Dicebant enim Corinthii quod, quandiu Paulus præsens fuit, illis humiliter satis, et non ad læsionem alicujus quidquam locutus fuit, timens fortassis; nunc vero absens imperiose minabatur eis, ac si potestatem imperialem haberet in eos. Propterea ait : *Ego ipse Paulus* nunc imperiose agens, qui olim humiliter, *obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi*. Mansuetudinem dicit, ubi gratis sine judicio omnia dimisit. Modestiam dicit, quia cum ageret judicio, modeste judicabat, condiens æquitatem misericordia. Per mansuetudinem utique et modestiam Christi obsecro vos *ego Paulus, qui humilis quidem*, et omnia patiens existimor fuisse *inter vos;* quæ humilitas quidem, secundum quod opinamini, *in facie* fuit, et non in corde : simulabam enim extra humilitatem intus fovendo superbiam. Dum præsens fui secundum vos humilis eram; sed modo *absens confido*, id est confidenter et imperiose ago *in vobis*, quod quasi non auderem in aliis Ecclesiis. Non solum quasi postulans obsecro, sed quasi rem debitam exigens *rogo, ne præsens audeam*, id est : sic vos corrigere studeatis, ne, cum præsens fuero, audeam, id est secundum vos audacter præsumam. *Audeam* dico *in*, id est contra, quosdam adhuc incorrectos agere *per eam confidentiam*, id est tam confidenter et potestative, *qua* confidentia *existimor* a quibusdam absens per epistolam *audere*.

189 *Contra quosdam* dico, qui arbitrantur *tanquam nos ambulemus secundum carnem*. Ambularet Paulus secundum carnem, si vel amore temporalium, quæ ab eis acciperet, parceret eisdem. Vel si male sibi conscius timeret pati pro Christo. Bene dixi *tanquam;* nos enim vere non militamus secundum carnem. Militiam vocat suam prædicationem. Diceret aliquis : Tu quidem aliquid singulare donum Dei habes : quo ita possis egredi carnem : quod donum quia non habemus, necesse est carnem sequi. Contra hoc ait : Non militamus secundum carnem. Nos utique *ambulantes in carne;* similiter enim ut vos onus carnis patimur; et tamen eam superamus. Vere *non militamus secundum carnem : nam arma militiæ*, id est prædicationis, et omnis vitæ nostræ, non sunt carnalia. Arma militiæ vocat miracula, per quæ prædicationem suam confirmabat. Arma dicit etiam virtutes, et quæcunque bona opera. Arma militiæ *nostræ non sunt carnalia :* si enim carnem sequeremur, profecto arma illa statim nos desererent; *sed* arma nostra sunt *potentia Deo*, id est per Deum, vel ad gloriam Dei. Potentia sunt *ad destructionem munitionum;* ut facile per hæc arma destruamus quaslibet munitissimas hæreses, vel philosophicas rationes. Vere arma nostra sunt potentia destruere. Nam etiam in actu sumus destruentes : ubi actus est, potentia abesse nequit. Littera tamen ibi jungitur. Non militamus secundum carnem; nos, dico, *destruentes consilia*, id est exquisitas rationes. Destruentes *etiam omnem altitudinem* physicalis scientiæ, *extollentem se adversus scientiam Dei;* ut illos qui per naturæ legem opponunt non potuisse virginem parere, mortuum resurgere; nec solum destruentes, sed etiam *redigentes omnem intellectum* cujuscunque infidelitatis in captivitatem, quia superatis infidelibus deponunt jugum diaboli, et captivant se sub jugo Christi. Redigentes utique in captivitatem ducendo eos *in obsequium Christi :* ut qui prius male obsequebantur diabolo, amodo bene obsequantur Christo. Quod ait *omnem intellectum, omnem altitudinem*, non quod singulos infideles converterit, sed quia de omni genere infidelitatis aliquos ad fidem traxit. *Redigentes* quidem *in obsequium Christi :* quod si aliqui sunt nolentes redigi, sumus *habentes in promptu ulcisci omnem inobedientiam*, id est apostolica auctoritate omnem inobedientem damnare. In promptu hoc habet, quia nec conscientia mala eum revocat, nec temporali mu-

neve seducitur. Diceret aliquis : Quando quidem in promptu habes ulcisci, quare ergo non ulciscerís ? Ulciscar utique, non tamen modo, sed *cum impleta fuerit vestra obedientia*, id est, cum separavero de medio malorum per patientiam exspectationis eos qui de vobis obedituri sunt fidei ex voluntate.

Diligenter intuenda est subtilis modestia Pauli, qui ultionem reproborum differt, videns in hac sua exspectatione electorum salutem. Si enim inultos pateretur reprobos, atque hac causa reus esset, hos tamen benigne patiendo judicat, ne cum lolio frumentum eradicet. Quia non secundum carnem militemus, probavi per hoc quod destruimus altitudinem mundanæ scientiæ, et rebelles captivamus in obsequium Christi; quæ rationes non adeo videntur singulis; sed modo videte et cognoscite idem, scilicet, quod *non* ambulamus *secundum carnem. Videte*, inquam, per ea *quæ sunt secundum faciem*, id est quæ sunt secundum corporalem visionem, et sine omni obstaculo videri possunt. Vel ita : Illos qui secundum faciem sunt, id est qui in facie se bonos simulant : intrinsecus autem lupi sunt, illos modo videte. Si quis pseudo, confidit non Deo sed sibi : præsumptor enim est non electus ; *si quis*, inquam, *confidit sibi se esse Christi*, id est quod ipse sit apostolus Christi, non *hoc* solum, sed hoc *iterum* similiter *cogitet;* nec inaniter, sed *apud se*, subtiliter discutiens : *quia sicut et ipse Christi est* discipulus, *ita et nos* sumus. Vere **190** sicut ipse est Christi, ita et nos. Nam nos sumus ita amplius eo. Quod sic ait : *Si aliquid amplius fuero gloriatus de potestate nostra*, qua incorrectos ab Ecclesia separare possum, et de cæteris apostolicæ potestatis : *quam* potestatem *dedit mihi Dominus*, sed vobis pseudo non dedit : utique mihi dedit *in ædificationem vestram*, id est ut vos in fide et virtutibus ædificarem, et *non* dedit *in destructionem* vestram, sicut male opinantur quidam, scilicet me destructorem Ecclesiæ : si, inquam, amplius gloriatus fuero, *non erubescam* inde; quia gloria mea vere major est.

Opponeret aliquis : Cum debeas ædificare, et non destruere, noli impatienter nos cogere, ne forte potius destruas quam ædifices. Contra hoc Paulus : Licet mihi opponatis quod, cum debeam ædificare, destruam ; tamen scitote *quia quales sumus per epistolas absentes, tales erimus præsentes in facto ;* et hoc ideo *ut non existimer tanquam terrere vos* absens *per epistolas. Tanquam terrere* bene dicit : quia si minaretur absens quod implere formidaret præsens, hoc utique non esset *terrere*, sed *tanquam terrere*. Existimer ideo dico, *quoniam quidem* ipsi *inquiunt*. *Epistolæ* Pauli *graves sunt*, id est ponderosæ et multæ severitatis; *et fortes*, id est fortitudinem et quoddam imperium minitantes, *sed præsentia corporis* ejus *infirma* est. Contra hoc quod ait, *fortes, et sermo* præsentiæ ejus fuit *contemptibilis*, id est humilis satis et rudis : nunc autem gravis : ut, inquam, non existimet *tanquam terrere vos : hoc cogitet qui hujus-*

modi est, id est qui me dicit contemptibilem et infirmum. Cogitet, inquam, *quia quales sumus absentes, in verbo per epistolas misso, tales* erimus *etiam præsentes*, non solum in verbo, sed etiam *in facto;* quia quod per epistolam minamur, idem verbo et opere præsentes exercebimus. Vere quales sumus absentes verbo, tales præsentes erimus in facto. *Non enim* sumus de vestris pseudo, qui se impudenter inserunt, id est ingerunt, non missi a Deo, nec certe *audemus nos inserere*, ut (quod nobis commissum non esset) usurpemus illicite. *Aut* non audemus inserti a Deo nos *comparare quibusdam*, id est pseudo, *qui* non a Deo commendati *seipsos commendant*, commendatitias epistolas hinc inde deferentes : his non audemus nos comparare, ut mensuram officii nostri inexpletam negligamus. Quidam enim ex electione regulariter inserti, postea perverse agendo, perversis se comparant. Non ausi sumus inserere nos ; *sed ipsi* sumus *metientes nosmetipsos in nobis*, ut mensuram a Deo nobis traditam non excedamus : quod alienum est usurpando, ut illi qui se inserunt. Sumus etiam nosmetipsos *comparantes nobis :* nihil injuncti officii linquentes inexpletum. Comparantes nos nobis, non subsistentes intra propositam metam. Et licet metiamur et comparemus nos nobis, tamen nos *non gloriabimur in immensum*. Vel potest hucusque constructio duci, non supplendo sumus ita. Nos metientes et comparantes nos nobis non gloriabimur. Nos autem qui utique digne possemus, non gloriabimur in immensum, *sed* gloriabimur *secundum mensuram regulæ*, qua me et subditos idonee regulavi. Tunc fortasse diceret aliquis : Hanc mensuram tibi usurpasti. Contra quod Paulus : *Quam mensuram mensus est nobis Deus*. Iterum ille sed non usque ad nos. *Mensuram utique dico pertingendi usque ad vos*. Et vere pertingimus usque ad vos. *Non enim superextendimus nos quasi* qui *non* sumus *pertingentes ad vos* secundum mensuram nobis a Deo mensuratam. Vere non superextendimus nos. *Nam usque ad vos ex* mensura Dei *pervenimus in Evangelio Christi*, prædicando. Opponeret iterum : Ingressus es in alienum laborem. Contra hoc ait : Pervenimus ad vos, *non gloriantes in alienis laboribus*, id est super alienum fundamentum non ædificavi, *non gloriantes* dico; et non *in immensum* duplicanda est illa negatio ; vere *pervenimus usque ad vos*. Nam etiam ultra vos, quod sic ait : **191** Non in immensum gloriantes, *sed habentes spem crescentis fidei vestræ*, id est, per crescentem fidem vestram *magnificari in vobis* : viso enim fructu fidei vestræ dicetur : Magnus est doctor et institutor hujus. *Magnificari* dico *in vobis secundum regulam nostram*, id est, secundum hoc quod ex omni æquitate regulavimus vitam vestram, magnificabimur in vobis. Spem *etiam* habentes evangelizare *in illa* loca *quæ ultra non sunt ;* et hoc *in abundantia*. In multis enim locis evangelizabo. Vel *evangelizare* in abundantia signorum et sermonis : et *non* habentes spem gloriari *in aliena regula*, id est, in alieno regimine : scilicet, *in his* locis *quæ præparata*, id est

evangelizata *sunt* ab aliis apostolis. Ego nolo *gloriari* A *in aliena regula*. Similiter autem *quicunque gloriatur*, videat ut *glorietur in Domino*, mensurante sibi : nec temere sibi usurpet, quod Deus alii mensuravit. Omnem utique gloriantem oportet gloriari in mensura Domini. *Non enim* ille *qui seipsum commendat*, id est, qui se sine Deo alterius ingerit regimini, ut pseudo, *ille* utique non est *approbatus* a Deo, *sed ille quem commendat*, et cui propriam mensuram distribuit.

CAPUT XI.

« Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ « meæ, sed et supportate me. Æmulor enim vos « Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro vir- « ginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne, « sicut serpens Evam seduxit astutia sua (*Gen.* III. 4), B « ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a « simplicitate quæ est in Christo Jesu. Nam si is « qui venit, aliuni Christum prædicat, quem non « prædicavimus, aut alium spiritum accipitis, quem « non accepistis, aut aliud Evangelium, quod non « recepistis, recte pateremini. Existimo enim nihil « me minus fecisse a magnis apostolis. Nam etsi « imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus « autem manifestus sum vobis. Aut nunquid pec- « catum feci, meipsum humilians, ut vos exaltemi- « ni? Quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi « vobis. Alias Ecclesias exspoliavi, accipiens sti- « pendium ad ministerium vestrum, et cum essem « apud vos et egerem, nulli onerosus fui. Nam quod C « mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a « Macedonia, et in omnibus sine onere me vobis « servavi, et servabo. Est veritas Christi in me, « quoniam hæc gloria non infringetur in me, in « regionibus Achaiæ. Quare? Quia non diligo vos? « Deus scit. Quod autem facio et faciam, ut ampu- « tem occasionem eorum qui volunt occasionem, « ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. Nam « ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, « transfigurantes se in apostolos Christi. Et non « mirum. Ipse enim Satanas transfigurat se in an- « gelum lucis. Non est ergo magnum si ministri « ejus transfigurentur velut ministri justitiæ ; quo- « rum finis erit secundum opera ipsorum. Iterum « dico : ne quis putet me insipientem esse. Alio- D « quin velut insipientem accipite me, ut et ego mo- « dicum quid glorier. Quod loquor, non loquor se- « cundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac « substantia gloriæ. Quoniam multi gloriantur se- « cundum carnem, et ego gloriabor. Libenter enim « suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sus- « tinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si « quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si « quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem « dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In « quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego. « Hebræi sunt, et ego. Israelitæ sunt, et ego. Semen « Abrahæ sunt, et ego. Ministri Christi sunt, et ego. « Ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus « plurimis, in carceribus abundantius, in plagis « supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis « quinquies quadragenas una minus accepi. Ter « virgis cæsus sum. Semel lapidatus sum. Ter nau- « fragium feci. Nocte et die in profundo maris fui, « in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis « latronum, periculis ex genere, periculis ex gen- « tibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, « periculis in mari, periculis **192** in falsis fratri- « bus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in « fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nu- « ditate : præter illa quæ extrinsecus sunt, instan- « tia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesia- « rum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis « scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari opor- « tet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus et « Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est « benedictus in sæcula, quod non mentior. Damasci « præpositus gentis Aretæ regis custodiebat civi- « tatem Damascenorum, ut me comprehenderet « (*Act.* IX, 24), et per fenestram in sporta dimis- « sus sum per murum, et sic effugi manus ejus. »

EXPOSITIO.

Dico qui gloriatur, glorietur in Domino, et *sustineretis modicum quod insipientiæ meæ*, id est patienter ferretis aliquantulum meæ gloriationis, quæ secundum reprobos insipientia dicitur, quod utique verum concederem, si per hoc gloriam meam quærerem, sed per commendationem mei hoc solum intendo, ut vos ab errore pseudodoctorum retraham. Quare dicitur quidem insipientia, sed non est insipientia. Dico quasi postulans, *utinam* sustineretis : non hoc modo; *sed etiam* præcipio, *supportate me*, non contradicentes imperio meo, ut filii patrem, discipuli doctorem. Me utique supportare debetis, *ego enim æmulor vos*, id est ferventi motu animi diligo : et hoc *æmulatione*, id est dilectione, non mei, ut vos mihi ascribere velim, sed æmulatione *Dei;* quia Dei solius vos esse volo. Tractum est a similitudine ejus qui sponsam alterius diligit non sibi ipsi, sed ad utilitatem et honorem sponsi : sicut Joannes, quando sponsus Ecclesiæ, id est Christus esset putatus dilexit Ecclesiam, id est sponsam non sibi, sed sponso Christo dicens : « Qui sponsam habet, D sponsus est; amicus autem sponsi stat et audit eum (*Joan.* III, 29). » Æmulatio dicitur motus animi sive ad iram, sive ad amorem. Vere æmulatione Dei æmulor vos : ego *enim despondi vos*. Hæc desponsatio Ecclesiæ incipiens a baptismo durat usque ad diem resurrectionis omnium : in quo Ecclesia nuptui tradetur sponso suo Christo, recipienti tunc eam in amplexibus : quam a principio fidei subarrhavit annulo Spiritus sancti. Despondi utique vos *uni;* et si uni, ergo non mihi. Et uni *viro*, id est qui vir legitimus; non sicut ille de quo dictum est : « Hic « quem nunc habes, non est tuus vir (*Joan.* IV, 18). » Despondi vos uni viro *exhibere*, id est ut exhibeam vos illi uni viro *Christo virginem*, id est incorruptos actu peccati. Virginem dico *castam* id est carentem

æstu, quod nec voluntate consentiat iniquitati. Ego quidem volo vos exhibere Christo; *sed timeo ne, sicut serpens astutia sua seduxit Evam* (*Gen.* III. 4), *ita sensus vestri* seducti *corrumpantur* ab istis pseudo, *et* corrupti *excidant a simplicitate* fidei, *quæ* simplicitas *est in Christo Jesu*. Fides enim Christi in simplicitate consistit, non in versuta duplicitate infidelitatis.

Valde Corinthios deprimit, dum eos comparat Evæ, doctores vero eorum venenato serpenti. Timeo ne corrumpantur. Ne autem corrumpamini ab eis, non debetis eos pati. *Nam si is*, id est pseudo, *qui venit* a se, non a Deo. Vel qui venit, id est qui venditur, vobis (hic enim prædicationem suam optime venditat); si is, inquam, *prædicat alium Christum, quem* nos *non prædicavimus* vobis; *aut* si ab eo *accipitis alium Spiritum, quem non accepistis* a nobis; *aut* si ab eo recipitis *aliud Evangelium, quod* Evangelium *non recepistis* a nobis, si hæc, inquam, essent, tunc *recte pateremini* eum; sed quia alium Christum non prædicant, Spiritum sanctum non tribuunt quem a nobis accepistis, et aliud Evangelium non prædicant; ideo a vobis patiendi non sunt. Eos utique pati non debetis, sed me; quia (ut de illis sileam) *existimo me nihil minus fecisse* per quod minus separatus sim *a magnis apostolis*, id est a Petro, et ab illis qui videbantur esse columnæ; de quorum magisterio hi pseudo (falso tamen) se mihi prælerunt, quia nec illorum discipuli sunt. Hic callide respondet eis qui objiciebant ei quod, quia non esset apostolus, non acciperet sumptus de prædicatione, ut Petrus et alii. Nihil **193** utique minus illis feci: *nam etsi* visus sim vobis *imperitus sermone*, quia simpliciter locutus sum vobis, tamen scitote quod *non sum imperitus scientia*. Sed quid hoc dico? *vobis autem in omnibus* tam scientia quam sermone sum *manifestatus in* nullo esse imperitus. Vere nihil minus magnis apostolis feci, quia etiam plus illis. Et hoc latenter dicit, quasi sub quadam minoritate sui redigens, hoc modo dicens: *Aut nunquid peccatum feci, humilians meipsum*, subripiendo mihi id quod jus prædicationis exigit, *ut vos* per meam humiliationem *exaltemini?* Nisi enim me ita humiliarem, nihil accipiendo, maluissetis verbum Dei respuere, quam mihi ministrare. An, inquam, peccavi, *quoniam gratis*, id est nihil accipiendo a vobis, *evangelizavi vobis Evangelium Dei?*

Quærerent illi: Unde ergo vixisti? Ait: Ego quidem *exspoliavi alias ecclesias, accipiens* ab illis *stipendium ad ministerium vestri*, id est ad administrandum vobis Evangelium. Iterum illi: Forsitan nullo indigebas. Et ille: *Cum essem apud vos, et* pro certo omnibus *egerem, nulli* tamen vestrum *fui onerosus*. Ubi ait *onerosus*, plurimum eos de avaritia arguit. Iterum illi: Unde ergo supplebas egestatem? Bene ait Paulus: *Nam quod mihi deerat, fratres qui venerunt a Macedonia suppleverunt*, et ita in omnibus tam vestimento quam victu *servari me vobis sine* A *onere, et* similiter *servabo* de cætero. Et in hoc quod me revera sic servabo, *veritas Christi est in me*. Quasi diceret: Per veritatem Christi sic me servaturum assero. Veritas, inquam, Christi est in me, de hoc *quoniam*, id est quod *hæc gloria*, scilicet, quod sic me servabo, *non infringetur in me* hæc gloria: non tantum in Corintho, sed nec *in regionibus Achaiæ*. Iterum sic agis, quia nobis inimicaris. Contra hoc Paulus: Non utique infringetur; sed *quare?* Dicetis me ideo facere, *quia non diligo vos? Deus scit* quia vos diligo: sed quod *facio* et *faciam*, nihil scilicet accipiendo, hoc ideo facio, *ut amputem occasionem eorum* pseudo, *qui* a me *volunt* habere *occasionem* accipiendi; quia, si ego acciperem, tunc et illi. Amputem dico *ut* illi *inveniantur sicut* B *et nos*, nihil accipientes: in quo tamen facere aliquid sicut nos valde gloriantur, licet nos persequantur. Vel ita: Ut amputem occasionem pseudo, qui volunt occasionem accipiendi in quo gloriantur, id est in accipiendo: non enim quærunt aliam gloriam, nisi ut aliqui, qui eliciant in eo inveniantur sicut nos nihil accipientes. Intuenda est subtilitas Pauli. Si enim Paulus acciperet, continuo et illi; postquam autem de bonis eorum viverent, auctoritatem viderentur habere prædicandi eis: quod si ex auctoritate prædicarent, procul dubio fidem eorum corrumperent: et in hunc modum similitudo Pauli nutrimentum esset corruptionis Corinthiorum. Diceret aliquis: Tu dicis ut inveniantur sicut et nos, possuntne pseudo inveniri similes nobis? Utique ait C Paulus: *Nam hujusmodi pseudoapostoli sunt subdoli operarii*, in eo quia, *transfiguruntes se in apostolos Christi*, accipiendo si illi accipiant, abstinendo si illi abstineant, et in cæteris. *Et non* est *mirum si* in apostolos Christi sese transfigurant, *quia ipse Satanas*, caput eorum, plerumque *transfiguratur in angelum lucis;* et quia Satanas transit in angelum lucis, ergo *non est magnum* admirandum *si ministri Satanæ*, id est pseudo, transfigurantur facti velut ministri justitiæ; *finis quorum* et ministrorum Satanæ et ministrorum justitiæ *erit secundum opera ipsorum*.

Gloriatus est superius de apostolatu suo, tradito sibi a Deo; gloriatus est etiam de hoc quod plus omnibus laboravit, gratis evangelizando Evangelium Dei, et de cæteris, in quibus utique juste poterat gloriari; nunc vero transit ut referat quædam secundum carnem de gloria generis, quod tamen (sicut aperte innuit) nullam intelligit gloriam; sed tamen necesse erat ut de carnalitate generis gloriaretur. Cum enim pseudo de hujusmodi se extollerent nisi Paulus idem haberet, gloriarentur sibi esse privilegium quod Paulo deesset, et **194** sic insipientium Corinthiorum fidem facilius subverterent, quam gloriam Pauli; dum in se esse ostendit, nihilque sibi conferre, vituperat eos qui de hac re gloriantur in qua fructus non est. Littera sic jungitur: Dixi superius: *Utinam sustineretis* insipientiam meam; nunc *iterum* de eodem *dico, ne quis me putet*

insipientem esse, de præmissa gloriatione. *Alioquin*, id est si propter præmissam gloriam insipientiæ me arguitis, nunc *accipite me velut insipientem*, dum de carnalitate glorior, quæ longe præmissa gloria est inferior. Dicit *velut insipientem* : non enim judicandus est vere insipiens, quia gloriando de carnalitate non quærit in hoc gloriam suam, sed solam Corinthiorum ædificationem, quod palam est in eo dum idem reprobat carnis gloriam. *Accipite me velut insipientem, ut* sicut pseudo sic *et ego glorier*, id est referam de gloria carnis : quod, scilicet, hoc modo gloriari, *modicum* quid est, nec vere gloriæ immorandum. Bene dico *insipientem; quia quod loquor* de gloria carnis, *non loquor secundum Deum*, apud quem humilitas commendatur : carnis gloria deprimitur, *sed quasi in insipientia* hoc loquor. *Quasi* dicit, quia non vere insipiens, dum non veram esse credit carnis gloriam. Loquor quidem in insipientia immorando *in hac*, id est carnali gloria, ubi est *substantia*, id est in qua subsistere et pedem figere debemus. Et hoc ironice : quia in gloria carnis nullo modo subsistendum esse intelligit. Diceret aliquis : Cum gloria carnis non sit secundum Deum, quare in hac immoraris? Ideo utique *quoniam multi*, id est pseudo, *gloriantur secundum carnem*, ideo *et ego gloriabor*, id est pauca referam de eadem gloria. Gloriabor, tum quia multi sic gloriantur, præterea *quia* vos *suffertis*, id est grave onus eorum portatis. Suffertis, dico, *insipientes*, id est illos pseudo, in insipientia gloriantes. Suffertis, dico, *libenter*, id est a nullo coacti, quia sic libet vobis, *cum sitis ipsi sapientes*, ironice, id est cum vobis arrogetis sapientiam, male consonat hoc quod suffertis eorum insipientiam. In quibus illos sufferant exsequitur, dicens : Utique suffertis, *sustinetis enim si quis* illorum pseudo *redigit vos in servitutem*, id est cogit deservire sibi ut servos : *Si quis* etiam eorum *devorat* bona vestra. Illi enim pseudo voraciter res eorum consumebant. Sustinetis etiam *si quis* eorum *accipit*, id est capit vos ad se dolo, id est si quis vos decipit. *Si quis* etiam eorum *extollitur*, dicendo se de genere Abrahæ, vos autem canes; hæc duo, *decipere et extolli*, opportuna erant ad devorandum bona eorum et ad redigendum eos in servitutem.

Sustinetis si quis extollitur, et *si quis* se extollendo *cædit vos*, id est improperat vobis quod incircumcisi estis, et hujusmodi. Cædit, dico, non in absconso, sed *in faciem*, id est in oculis vestris præsumit improperare vobis. Cædit vos, *dico, secundum ignobilitatem* generis, quam improperat vobis. Illos utique sustinetis; nos autem minime *quasi fuerimus infirmi in hac parte*, id est impotentes gloriari secundum carnem. Sed non sumus in hoc infirmi; quia *in quocunque aliquis* eorum *audet* gloriari, *audeo similiter ego*. Ubi ait *audet* et *audeo*, notat potius præsumptionem esse quam veram gloriam. Et quod dico, *ego audeo*, hoc *dico in insipientia*, sapientia enim admonet, neque se præferre, neque alium deprimere. Vere in quo audet quis, audeo et ego. Nam si illi *sunt Hebræi*, id est Hebraica lingua diserti, *et ego* similiter. Hebræi dicuntur ab heber, prudentia, cujus hæc lingua reservata est. Si illi iterum gloriantur quod *sunt Israelitæ, et ego* similiter Israelita sum. Hebræi et Israelitæ possent esse, nec tamen de Abraham, ut proseliti, qui a gentilitate in circumcisionem transibant. Ideo addidit : Si illi *sunt semen Abrahæ* secundum carnem, similiter *et ego*.

Postquam in gloria generis se contulit illis, transit ad gloriam ministerii; non enim 195 sufficeret illis pseudo in veteribus gloriari, nisi etiam gloriarentur in discipulatu Christi. Unde sic ait : Si gloriantur quod *sunt ministri Christi*, prædicantes Christum, *et ego* similiter administro Christum. *Dico* et *ego; plus* etiam ego sum minister Christi quam illi. Et hoc *dico ut minus sapiens*, dum me præfero, illos humilio. Quod ait *plus ego*, exsequitur ita per partes : Ostensus sum plus esse minister Christi, *in laboribus pluribus*, quos, et manibus laborando, et immensis periculis sustinendo, sæpius illis pertuli. *Abundantius* etiam ostensus minister Christi *in carceribus*, quam illi, qui, ut viderentur apostoli Christi, quandoque se patiebantur incarcerari. Ostensus etiam minister Christi *in plagis supra modum* humanæ virtutis toleratis. Et *frequenter* ostensus minister Christi *in mortibus*, id est in pœnis quæ mortem cuicunque inferre sufficerent, et mihi secundum hominem, nisi quia Spiritus sanctus reservabat me. Plagas enumerat dicens : In plagis bene dico; *a Judæis* enim *accepi quadragenas*, id est quadraginta percussiones *minus una* (*Deut.* xxv, 3). Nec hoc semel, sed *quinquies*, id est quinque vicibus.

Traditio Judæorum sic habebat, ut aliquis contra Synagogam agens quadraginta ictibus puniretur, si immisericorditer contra eum agerent; sed si misericordes essent, de quadraginta quot vellent, ictus dimittere possent. Modo quia Paulum a verbo prædicationis compescere nequibant, secundum ritum suum ducebant in Synagogam : et ne penitus immisericordes arguerentur, unum ictum crudeli astutia relaxabant adhuc de plagis. *Ter* etiam apud gentiles in Macedonia *cæsus sum virgis* (*Act.* xvi, 22). *Semel* ab Ephesiis *lapidatus sum* (*Act.* xiv, 18), quando puellam a Pythonico spiritu liberavi (*ibid.*, 9). *Ter* etiam *feci naufragium*, id est ter in mari naufragatus sum. *Nocte* etiam *et die in profundo maris fui*. De hoc non legitur, sive, quemadmodum Jonas, in mare demersus sit ibique a Deo reservatus, sive in profundo, id est in medio alti maris diei et noctis continuum passus sit naufragium. Hæc naufragia patiebatur, dum ad prædicandum transiret navigio. Ostensus etiam plus minister Christi *in itineribus sæpe. Periculis*, id est per pericula *fluminum*, quorum impetus passus sum, *et per pericula latronum* verberantium et spoliantium me. Et per *pericula ex genere meo*, id est quæ a Judæis patiebar. Et per *pericula ex gentibus*, id est quæ patiebar a gentilibus.

Et per *pericula in civitate* sæpe mihi illata; et *per* A *pericula latronum* vel bestiarum in solitudine tolerata, dum causa prædicationis nemora pertransirem; per pericula etiam prætermissa in mari sæpe tolerata, per pericula etiam quæ *in falsis fratribus* sæpe pertuli; per hæc omnia præmissa ostensus sum plus esse minister Christi quam illi. Ostensus sum etiam minister Christi *in labore et ærumna*, id est in erumnoso labore, quando febres vel aliquos morbos patiebar, et me tamen laborare oportebat. In labore, dico, etiam habito *in multis vigiliis*; quia, cum tota die prædicasset, nocte laborabat unde viveret. Vel orationi plerumque invigilabat. Ostensus sum etiam minister Christi, *in fame et siti*, et *in jejuniis multis*, modo sponte, modo penuria toleratis. B Ostensus sum etiam minister Christi *in frigore et nuditate*; quia, si frigus me cogebat, nuditas erat quæ frigus fovebat. Hæc de quibus modo gloriatus sum, in corpore pertuli; sed *præter illa quæ extrinsecus*, id est in corpore sunt tolerata, est aliquid quod me vexat interius, scilicet, *quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*, id est quod omni die sollicitus sum de statu totius Ecclesiæ. Hæc sollicitudo est mea *instantia*, id est assidue mihi instat, et pungit, et graviter me stimulat. Plus est instantia quam sollicitudo. Instantia enim vexatio dicitur corporis et animi; sollicitudo solius animi.

Vere pro omnibus sollicitus sum, quia *quis* fratrum *infirmatur*, cadens in peccatum, vel etiam per **198** morbum corporis, *et ego* statim *non infir-* C *mor*, id est non judico infirmitatem ejus meam esse condolendo. Et *quis* fratrum *scandalizatur* vel in cibo, vel in aliquo alio, *et ego* statim *non uror*, id est propter scandalizatum fratrem anxietate animi non comburor? Gloriatus sum in præmissis *de his* quæ sunt meæ infirmitatis: et adhuc de eisdem *gloriabor*, *si* me *gloriari oportet*, sicut revera necesse est ut deprimantur pseudo, et ædificetur Ecclesia. Et in his de quibus gloriatus sum et gloriabor, Deus *scit quod* in nullo horum *mentior*: qui est *Deus et Pater Domini mei Jesu Christi*: et per Jesum Christum familiaris mihi: *qui* Deus *est benedictus in sæcula* per Christum Jesum; et per meam prædicationem. De hoc, inquam, non mentior, quod *Damasci*, id est apud Damascum *præpositus* illius *gentis*, præpositus D dico *Aretæ regis*, id est sub Areta rege, qui ibi imperavit, hic præpositus, conductus prece et pretio Judæorum, *custodiebat civitatem* Damascenorum, *ut me comprehenderet*. Paulus enim baptizatus ab Ananias, aliquandiu remoratus Damasci, affirmabat ibi in Synagoga, quoniam hic est Christus (*Act.* IX, 22-24), etc. Quo zelo commoti Judæi convenerunt cum judice urbis, ut Paulus comprehenderetur, qui reus esset. Præpositus volebat me comprehendere, *et* ego *per fenestram in sporta demissus sum a fratribus per murum* (domus enim in qua hospitabatur, hærebat muro), *et sic effugi manus ejus* præpositi (*Act.* IX, 25). Non effugit ut reformidaret pati pro nomine Christi; sed ut impleretur quod vox divina

dixerat de eo: « Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram regibus et filiis Israel (*Act.* IX, 15). » Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

CAPUT XII.

« Si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, « Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium « cœlum. Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana « verba quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi « gloriabor: pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero « insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem, « ne quis me existimet supra id quod videt in me, « aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. « Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a « me, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam « virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur « gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in « me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in « infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Factus sum insipiens; vos me coegistis. Ego enim a « vobis debui commendari. Nihil enim minus feci « ab his qui sunt supra modum apostoli. Tametsi « nihil sum, signa tamen apostolatus mei facta sunt « super vos in omni patientia, in signis et prodigiis, et virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse « non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. « Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos: et non « ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra « sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus « thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ego ipse pro « animabus vestris; licet, plus vos diligens, minus diligar. Sed esto. Ego vos non gravavi, sed cum essem « **197** astutus, dolo vos cœpi Nunquid, per aliquem « eorum quos misi ad vos, circumveni vos? Rogavi « Titum, et misi cum illo fratrem. Nunquid Titus « vos circumvenit? Nonne eodem spiritu ambulavimus, nonne eisdem vestigiis? Olim putatis quod « excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo « loquimur. Omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram. Timeo enim ne forte, cum « venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis, qualem non vultis, ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones, sint inter vos, ne iterum, cum venero, « humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex « his qui ante peccaverunt, et non egerunt pœni-

« tentiam super immunditia et fornicatione, et im- A « pudicitia quam gesserunt. »

EXPOSITIO.

Gloriatus sum superius de meis infirmitatibus. *Si iterum gloriari oportet* (sicut utique propter pseudo opportunum est. Interpositio), si oportet, *non expedit quidem*, id est me in nullo facit expeditum hæc gloria. Si, inquam, oportet, *veniam ad visiones*, etc.; aut jungitur ibi : Licet quantum ad me non expediat, tamen veniam ad visiones et revelationes *Domini*, et in illis gloriabor. Visiones dicit et revelationes, quia quod vidit revelatum est ejus cognitioni; sed quidam habuerunt visiones, ut Pharao et Nabuchodonosor, nec tamen visionum revelationes. Nunc de se loquendo per tertiam personam, visiones enarrat, dicens : *Scio hominem* (me scilicet) positum *in Christo*, *raptum*, etc.; et hoc factum est *ante annos quatuordecim*, nunc transactos. Quod tot annis reticuit, nondum aperiret, nisi contemptus sui ministerii eum vehementer urgeret. *Raptum*, *sive in corpore nescio*, *sive extra corpus* raptum, *nescio*, *Deus scit*. Si Paulus in corpore raptus est ad hanc visionem, corpus quidem localiter motum non est; sed anima, quæ in carne premitur, incarcerata mole carnis, ita ut nihil sentiat, nisi prius aliquo sensu corporeo excitata, anima quidem hujus ita expedita fuit in tempore ejus revelationis ut nihil sentiret carneæ molis; ipsum autem corpus ita creditur temperatum ut nullo pondere sui agilitatem animæ perturbaret. Si vero extra corpus anima C quidem, libera pondere carnis, quo Deus voluit, potuit duci, sed sive alio ducta sit, sive ibidem subsisterit, nihil impedii, quia postquam non sensit molem carnis ex voluntate Dei, videre potuit eum quem in futuro videbit sicuti est. *Hominem hujusmodi* scio *raptum usque ad tertium cœlum*, id est usque ad tertii ordinis visionem. Visio cœlum dicitur, quia pluribus celatur, paucis aperitur. Primum cœlum, id est prima visio dicitur, qua Deus corporaliter ostendit aliqua secreta; ut Gedeoni in sicco vellere et madida area (*Jud.* VI, 38), et Machabæis qui viderunt ignitas acies in aere, præfigurantes bellum (*II Mach.*, V, 2). Secundum cœlum, id est secunda visio est quando, non per rem corpoream, sed per imaginem aliquid ostenditur, ut D beato Petro imagines omnium reptilium ostensæ sunt, quando dictum est ei : « Macta et manduca (*Act.* X, 11); » quarum imaginum res ibi non erant. Tertium cœlum, id est tertia visio dicitur illa, a duabus prædictis diversa, quando neque per rem, neque per imaginem rei ostenditur; sed sicuti proprietas rei est, simplici veritate aperitur. Et hoc tertio modo manifesta sunt Paulo arcana Dei, non per rem, neque per imaginem.

Vel aliter : Sicut Dionysius Areopagita novem ordines angelorum in tres redigit, angelos, archangelos, virtutes dicens primum esse ordinem; principatus, potestates, dominationes secundum; thronos, Cherubim et Seraphim, dicens ordinem certium. Et in quanta perfectione hic tertius ordo intuetur Deum, tam perfecte Paulus vidit et cognovit arcana Dei. Vel aliter : Ut dicamus primum **198** cœlum corporeas cœli creaturas, solem, lunam, etc.; secundum cœlum, incorporeas, ut angelos; tertium cœlum, divinam essentiam, ad cujus cognitionem raptus est Paulus. Scio etiam hominem hujusmodi, *sive in corpore sive extra corpus*, *nescio*, *Deus scit*; hoc scio *quoniam*, id est quod, *raptus est in paradisum*, id est in tam deliciosam quietem mentis ut nihil sentiret carneæ molis. Paradisus enim dicitur hortus deliciarum. Et hic homo, ita raptus, *audivit arcana verba quæ non licet homini loqui*, id est quæ, juxta quod homo est, nemo intelligere sufficit. Dicit beatus Augustinus hæc arcana esse quod vidit quo- B modo Trinitas in Unitate, Unitas esset in Trinitate. Et *pro ejusmodi* homine qui sic raptus audire meruit *gloriabor*, *sed pro me*, id est secundum vires meas *nihil* unquam gloriabor, *nisi in meis infirmitatibus*. Ideo dico *gloriabor*. *Nam et si voluero gloriari*, sive in revelationibus illis, sive in infirmitatibus meis, *non ero insipiens*. Ideo *quia veritatem* in omnibus *dicam*; sed neque hoc adhuc sufficit, ut de omni veritate liceat gloriari, addendum est quia et veritatem dicam, et ad ædificationem Ecclesiæ per hoc proficiam. Quod idem in sequentibus ponit : Et licet ita possim gloriari, *tamen parco*, id est parce de gloria refero, *ne forte quis existimet me* esse *supra id quod videt in me*. Videt enim me hominem miseriis pressum; sed quia ex altera parte videt per me fieri miracula, putat de me supra humanitatem quam videt in me, ut illi qui voluerunt illi construere aras (*Act.* XIV, 12). *Vel* existimet de me supra id *quod audit ex me*, quem audit sitire, algere, cæteris miseriis subjacentem. Parco quidem gloriari, et bene facio, quia *ne magnitudo revelationum extollat me* in superbiam, *datus est mihi stimulus carnis meæ*, scilicet *angelus*, id est legatus *Satanæ*, principis dæmoniorum; quem immisit *ut me colaphizet*, id est ut, si ex magnitudine revelationum erigere cervicem volo, colaphum incutiat tentatio; et sic quod Satanas intelligit ad pœnam, disponit mihi Deus ad perfectionem.

Quidam dicunt per stimulum carnis, quascunque tentationes intelligi; alii solum tentationem libidinis. *Propter quod*, id est quia Satanas colaphizat me, *rogari Dominum ter* (finitum pro infinito) id est multipliciter, *ut* hic angelus *discederet a me*; *et* Dominus *dixit mihi* roganti : Quia ita tentaris, Paule, hoc est gratia *mea*; et hæc *gratia sufficit tibi*, id est est tibi sufficiens ad salutem; si enim hæc gratia, scilicet custodia humilitatis, tibi deesset, omnis gratia tibi collata irrita foret. Hæc, inquam, gratia sufficit. *Nam* omnis *virtus perficitur in infirmitate*, bene tolerata. Virtus enim quæ habet infirmitatem contrariam, cum qua legitime certet ut postea coronetur, perfecta est. Hucusque verba Domini, nunc Pauli : Quia virtus perficitur in infirmitate, *igitur libenter* amodo *gloriabor in infirmitatibus meis*, *ut*

merito bene toleratæ infirmitatis, *inhabitet in me virtus Christi*, quam oportet in infirmitate perfici. *Propter quod*, quia per hoc inhabitabit in me virtus Christi, amodo bene *placeo mihi in infirmitatibus meis*, scilicet, *in contumeliis*, quas verbo et opere pro Christo gaudeo pati, et *in necessitatibus* victus et vestimenti, et *in persecutionibus* de loco ad locum fugatus, et *in angustiis* animi, his omnibus pro Christo toleratis. Ideo in infirmitatibus placeo mihi, *quia, cum infirmor* in corpore, *tunc* merito, infirmitate carnis, *potens sum* spiritu. Nunc multis modis gloriatus sum; et ita me commendando *factus sum insipiens*, sicut sæpe dictum est, me extollens, alium deprimens; sed *vos coegistis me* ad hanc insipientiam. Vos utique me coegistis ut me commendarem. *Nam ego debui commendari a vobis* quod, quia non fecistis, oportuit me facere. Utique commendari debuissem **199** a vobis, *quia nihil minus fecit* per quod separatus sim *ab his* qui secundum vos *sunt apostoli supra modum* meum. Illi secundum vos supra me sunt; sed licet nihil sim reputatione vestra, *tamen signa apostolatus mei facta sunt super vos*, per quæ revera apostolus esse comprobor.

Facta dico *in omni patientia* apud vos habita, et *in signis*, curando claudos, illuminando cæcos; et in *prodigiis*, suscitando mortuos; et in *virtutibus* ut in curationibus febrium et hujusmodi. Vel, in virtutibus, humilitate, sobrietate et cæteris. Vere nihil minus illis feci, *quia quid est* hoc *quod habuistis minus cæteris Ecclesiis*, per quod illæ sint præ vobis, *nisi* hoc *quod ego ipse* qui debuissem, *non gravari vos*, aliquid a vobis accipiendo? Ironice : *Donate mihi hanc injuriam*, quia injurius fui dum vobis indulsi, in quo nemo alius suis indulsit Ecclesiis. Et sicut in præterito non gravavi vos; ita de cætero non ero gravis vobis, ego qui *paratus sum venire ad* vos. *Ecce hoc tertio* apparatu; ideo *non ero gravis vobis*, quia *non quæro quæ vestra sunt, sed* vos ipsos. Et juste vestra non requiro, *quia filii* carnales *non debent thesaurizare parentibus* carnalibus, *sed parentes filiis*. Licet filii spirituales hoc debeant parentibus spiritualibus, sed ego non solum quæ spiritualis pater debet filiis; sed etiam omnem dulcedinem carnalis patris exhibeo vobis. Non quæro quæ vestra sunt, sed ego *libentissime impendam vobis* et spiritualia : et si qua habuero carnalia quæ velitis; *et super* hoc *etiam* quod *impendam*, ipse ego impendar *pro animabus vestris*, id est paratus sum mori pro vobis salvandis, *licet* ego *plus diligens* vos, quia et spirituali et carnali lege *minus diligar a vobis*. Licet plus diligens vos, minus diligar a vobis, *tamen esto*, id est concedatur istud; non enim curo propter hoc insequi vos modo.

Objicietis iterum mihi, quod callide ne quid in propria persona a vobis acciperem me continui, ut per legatos meos callidius et amplius acciperem. Quod sic ait *Ego quidem non gravari vos* (sicut probatum est) accipiendo quidquam a vobis in propria persona; sed dicetis hoc quod, *cum essem astutus* et ex astutia ipse nollem accipere, *dolo vos cepi*, id est dolose decepi vos, quod per me nolui, per alios a vobis extorquendo.

Vel aliter ut tota littera dicat hoc solum ita : Ego quidem (sicut ostensum est) non gravavi vos; sed esto, id est istud concedetis quod negare nequitis, scilicet quod ego non gravavi vos in propria persona. Sed tamen objicietis istud quod, cum essem astutus, dolo vos cepi. Sic dictum est : Non utique decepi vos, quia, si hoc facerem, per aliquem eorum quos misi, vos deciperem, sed per neminem eorum decepi vos. Quod sic ait : *Nunquid per aliquem eorum quos misi ad vos, circumveni vos?* Minime. Circumveniret, si discipulis suis injungeret ut commendando se, quæcunque possent sibi callide congregarent. Vere per neminem eorum quos misi, circumveni vos. Nam neque per Titum, neque per alium. Quia sic ait : Ego quidem *rogavi Titum*, ut iret ad vos, *et cum illo misi fratrem*. Hic frater creditur fuisse Barnabas, qui frater et coadjutor erat prædicationis. Paulo enim et Barnabæ leguntur apostoli dedisse dextras societatis (*Gal.* II, 9). Titum utique misi : sed, *nunquid Titus circumvenit vos?* Minime. *Nonne* ego et Titus *ambulavimus* in verbo Domini *eodem spiritu*, id est eadem voluntate, vel eodem Spiritu sancto repleti? *Et nonne* ambulavimus *iisdem vestigiis*, id est iisdem operibus; quod id et non aliud quam ego Titus operatus est? Sicut enim vestigia indicia sunt ambulationis, sic opera voluntatis. Quod dico me nihil accepisse a vobis et cætera præmissa *olim*, id est ex quo incœpi me commendare, *putatis* quod per hanc commendationem quasi rei in aliquo *excusem nos* inde *apud vos*, id est quod hæc non loquamur secundum veritatem, vel ad instructionem vestri; sed ut sic tegamus culpam nostram. **200** Scitote autem quod quidquid loquimur, *coram Deo*, id est quasi in præsentia Dei *loquimur;* si enim ipse Deus adesset, nihil eorum quæ dico timore falsitatis mutare oporteret. Loquimur coram Deo nos positi *in Christo;* loquimur hæc non solum quia vera sunt; sed etiam *propter vestram ædificationem*, ut vos per hæc ædificati a pseudo non seducamini. O *charissimi*, ideo hæc omnia loquimur. Hic bene supplevit dicendo *propter vestram ædificationem*, quod supra dederat, ubi ait : Licet gloriari, veritatem enim dicam. Ideo autem ædificationi vestræ tam studiose incumbo, *quia timeo ne forte* (quod facile contingere potest) *inveniam vos non quales volo*, id est incorrectos, *cum venero; et* tunc *ego inveniar a vobis qualem me* invenire *non vultis*, id est ex districtione justitiæ culpas vestras punientem. Hæc duo scilicet, ne inveniam vos non quales volo, primum exsequitur; deinde illud, ne inveniar a vobis qualem non vultis, dicens : Videte ne inveniam vos quales non volo, scilicet *ne forte* (ad quas leviter declinatis) *sint inter vos contentiones*, quod de benignitate baptizantium litigabant vicissim. Ne etiam sint *æmu-*

lationes, id est invidiæ (quod alter alteri invidet), A de merito baptizatoris; neve sint inter vos *animositates*, quod alter alterum cogebat agere causam coram infidelibus judicibus; neve ideo sint *dissensiones*; propterea enim discordia erat inter eos et odium; neve sint *detractiones*, quod bona proximi quæ sunt detrahendo, mala quæ non sunt imponatis; neve sint *susurrationes*, id est occultæ proximorum depravationes; neve sint *inflationes*, id est ne hic qui oculus est in Ecclesia, spernat eum qui pes est, ne forte pro hac inflatione sint inter vos *seditiones*, ut alter alterum verberibus præsumat affligere. Cavete hæc non sint inter vos; *ne iterum cum venero*, iterum *humiliet*, id est affligat *me Deus apud vos*, si incorrectos invenero. Quando prima vice venit: omnesque infideles reperit; humiliatus quidem est apud eos, et afflictus diversis vexationibus; sed nunc deterius humiliabitur, si quos fideles fecit, apostatantes adhuc repererit. Humiliet me Deus, *et lugeam multos*: si enim tres sunt, multi videntur. Multos dico, *ex his qui ante* prius missam Epistolam *peccaverunt; et* admoniti per Epistolam, *non egerunt pœnitentiam* de prædictis malis. Etiam super, id est *de immunditia*, cum omne carnis peccatum immunditia dici possit; illud libidinis, quod est contra naturam, antonomastice vocat immunditiam. Nec de *fornicatione*, nec *impudicitia*, *quam gesserunt*, id est quam in gestu, et assiduo usu habuerunt, pœnitentiam egerunt. Fornicationem vocat non lege conjugali tangere mulierem. Impudicitiam vocat impudicum habitum. Cum uxore enim qui se intemperanter habet, impudicus est.

CAPUT XIII.

« Ecce tertio hoc venio ad vos, et « in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* « XIX, 15). » Prædixi enim et prædico, ut præsens « vobis, et nunc absens, his qui ante peccaverunt et « cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non « parcam. An experimentum quæritis ejus, qui in « me loquitur Christus? Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. « Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus « cum eo ex virtute Dei in vobis. Vosmetipsos ten- D « tate si estis in fide; ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Jesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis. Spero autem quod « cognoscitis quia nos non sumus reprobi. Oramus « autem Deum ut nihil mali faciatis; non ut nos « probati parcamus, sed ut vos quod bonum est, faciatis. Nos autem ut reprobi simus. Non enim « possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus « vestram consummationem. Ideo enim hæc absens « scribo ut non præsens durius 201 agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in « ædificationem, et non in destructionem. De cæte- « ro, fratres, gaudete. Perfecti estote. Exhortamini, idipsum sapite. Pacem habete, et Deus pacis « et dilectionis erit vobiscum. Salutate invicem in « osculo sancto. Salutant vos omnes sancti Gratia « Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et « communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus « vobis Amen. »

EXPOSITIO.

Ostendit quid intelligeret, dicens: *non quales volo*. Nunc ostendit quod dicebat: *Inveniar a vobis qualem non vultis*. Littera tamen ibi jungitur. *Ne cum venero*, etc. Dicerent illi: Tu ne venturus es? *Ecce*, ait Paulus, *tertio*, hoc apparatu non dico veniam; sed jam *venio ad vos*. Nec cum venero, patiar vos; sed *stabit*, id est stare oportebit, *omne verbum*, seu B eorum qui accusant, seu qui defendunt. Stare verbum dicitur, cum verum esse probatur. Stabit dico, *in ore duorum vel trium*, nec quarumlibet personarum, sed *testium*, id est eorum qui idonei sunt ad testificandum. Dicerent illi: Minitaris te venturum, sed cum veneris, quid facies? Contra hoc Paulus: Veniam utique et non parcam, *quia prædixi vobis*, cum essem *præsens*, me non parciturum ulterius, et idem nunc absens *prædico* per Epistolam, *ut præsens*, id est tanta virtute quanta præsens vobiscum agebam. Prædico, inquam, *his qui ante* prius missam Epistolam *peccaverunt*, nec adhuc correcti sunt, et cæteris omnibus quicunque in peccatum labuntur, hoc utique prædico *quoniam*, id est quod C *si venero iterum* (sicut dispono) *non parcam* iterum, sicut prius peperci, cum ex ignorantia peccavissetis. Dicerent iterum illi: Quidquid modo minetur, tamen, cum venerit, leviter poterit placari. Ad hoc Paulus: Quod non parcam, satis non creditis; sed *an quæritis* vos *experimentum ejus Christi*, id est ut ideo maneatis incorrecti, ut potentiam ultionis Christi experiamini, *qui* Christus *loquitur in me?* Non enim hæc quæ loquor a me sunt, sed a Christo. Salubrius est, ut vos corrigatis quam, dedignantes corrigi, validam manum Domini experiamini. *Qui* Christus *non infirmatur inter vos*, id est non infirmus apparuit vobis, non operando miracula; *sed potens est in vobis*, id est potentia ejus manifestata est vobis per miracula quæ Christus operatus est D per nos in medio vestri. Vere Christus potens est. *Nam et si* objicitis mihi eum in cruce damnatum, impotentem apparuisse, fateor quidem *crucifixus est*, sed *ex infirmitate*, id est secundum infirmitatem mortalitatis et passibilitatis quam in carne nostra assumpsit; sed licet ita crucifixus sit, *tamen vivit*, id est potentialiter agit *ex virtute Dei*, id est secundum deitatem, cujus virtus ab eo non recessit, et in quo omnis divinitas corporaliter habitavit.

Vere Christus vivit ex virtute Dei; *nam nos* longe inferiores illo vivemus ex virtute Dei. Quod sic ait. Nos quidem *infirmi sumus in illo*, id est in similitudine illius, ut quemadmodum ille pro nobis, sic et nos pro eo patiamur. Sic quidem infirmi sumus; *sed vivemus*, id est potentialiter agemus in vobis *ex*

virtute, id est per virtutem *Dei*, quam habemus familiarem *in eo*, scilicet Christo. Ne autem nos viventes ex virtute Dei districtius agamus in vobis, *tentate vosmetipsos*, id est subtili consideratione investigate vos. Tentate dico, *si adhuc estis in fide* quam accepistis per me. Si enim in meritis baptizantium confidunt, si vetera reducunt, in fide non sunt, quia gratiæ Dei detrahunt. Tentate si estis in fide; et vos in fide inventi ipsi probate vos, id est bonis operibus probabiles facti, fidem vestram decorate. Quod si in fide non estis, vos soli damnamini. Nihil a me requiritur, quia *an non cognoscitis vosmet ipsos* in eo *quod Christus* Jesus, id est fides Christi Jesu, *in vobis* posita est per ministerium meum, *nisi forte*, quod leviter esse potest, vos *estis reprobi*, id est a Deo reprobati, dum vos indignos exhibuistis sacramentorum fidei. Dicerent illi : Nec mirum si vos reprobi, cum ipse reprobus sis. Ad hoc **202** Paulus. Quidquid vos opponatis; tamen *spero* quod bene *cognoscitis* hoc de nobis *quod nos in nullo sumus reprobi*; et licet in nullo reprobi, sed in omnibus inveniamur probati, tamen nolumus vos esse malos, ut quidam prælati, qui ut videatur probitas eorum exercendo prælationem suam, gaudent culpis subditorum. Nos autem non sic, *sed oramus Deum* ut vos *nihil mali faciatis*; et *non* oramus hoc ut nos *appareamus probati*. Si ex auctoritate prælationis vindicaret culpam subditi, tunc probatus appareret. Hoc non oramus, *sed ut vos faciatis quod bonum est; nos* vero nihil dignum ultione invenientes in vobis *ut simus*, id est appareamus, *reprobi*. Tunc prælatus non est quidem, sed apparet reprobus, quando non invenit in quo exerceat potestatem commissi judicii. Iterum sunt quidam prælati, qui licet subditi eorum boni sint, vexant tamen eos ex imperio susceptæ potestatis. Contra hos Paulus : Ideo oramus ut non simus reprobi, vobis facientibus quod bonum est, *quia nos non possumus aliquid adversus veritatem*, id est, ubi vera justitia est, eam impugnare non licet; *sed* possumus *pro veritate* tuenda, si quis eam male vel agendo vel dicendo impugnat. Ideo oramus ut vos faciatis quod bonum est, *quia gaudemus quando nos infirmi sumus*, et potestas nostra locum non habet perfectis omnibus. *Vos autem estis potentes*, puram habentes conscientiam, et ideo judicium nostrum non formidantes. Non solum gaudemus, *sed etiam oramus* hoc, ut vos potentes sitis, scilicet *vestram consummationem*, id est justitiæ vestræ perfectionem. Et *ideo* quia gaudemus et oramus hoc, ego *absens scribo hæc vobis*; propterea ut cum fuero *præsens non agam durius, secundum potestatem* apostolatus mei. Nec utique si ex potestate agerem, grave vobis esse deberet, quia *hanc* potestatem *dedit mihi Dominus in ædificationem* vestram, *et non in destructionem*.

Postquam de his quæ fecerant satis eos corripuit, transit ut in his quæ de futuro restabant corripiat illos, dicens : In his præmissis sic vos habete ut doceo et *de cætero*, id est in futuro, *fratres, gaudete*, id est sic agite ut de opere vestro gaudium semper exspectetis, et ut vere gaudeatis; *perfecti estote*, et vos perfecti *exhortamini* imperfectos ad perfectionem. Vos vero imperfecti *idem sapite cum* perfectis exhortantibus vos, et *habete pacem* cum illis, id est ne abutamini correctione eorum; sed cum omni modestia amplectimini jussa eorum, quia si idem sapitis et pacem habetis, sic *erit vobiscum Deus pacis*, qui discordes abjicit, concordes eligit Et idem Deus dilectionis erit vobiscum, quia non sufficit pacem habere, nisi secundum Deum sequatur diligere. Et ut pax et dilectio Dei sit vobiscum, *salutate* vos *invicem in osculo*, id est alter osculetur alterum, mortificata omni contentione inter vos. In osculo dico non quod ore tantum fiat, et non corde, sed in osculo *sancto*, quod nulla iræ scintilla in occulto cordis lateat. Et sic debetis vos invicem salutare, quia *salutant vos omnes sancti*, commendantes vobis dilectionem exemplo sui. Salutatio propria Pauli sequitur. *Gratia Domini nostri Jesu Christi*, id est Dominus noster Jesus Christus dans gratiam, qua peccata dimittit. *Et charitas Dei*, id est Deus Pater cujus charitas pro salute hominum, Filium voluit incarnari. *Et communicatio sancti Spiritus*, id est Spiritus communiter procedens a Patre et Filio. Vel communicatio sancti Spiritus, id est Spiritus sanctus communicans vobis gratias suas, *sit cum omnibus vobis, amen*, et ut ita fiat vos laborate, et Deus concedat.

203 ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Galatæ sunt Græci. Hi verbum veritatis primum ab apostolo acceperunt; sed post discessum ejus tentati sunt a falsis apostolis, ut in legem et circumcisionem verterentur. Hos Apostolus revocat ad fidem veritatis, scribens eis ab Epheso.

PROLOGUS BEATI BRUNONIS IN EAMDEM.

Galatia locus quidem est in Græcia, et in ea Paulus per aliquod tempus conversatus fuerat, prædicans Galatis verbum Dei, quos etiam in fide fundaverat. Et quandiu Paulus apud eos remoratus est, satis honeste se habuerunt in fide; sed Paulo inde reverso, pseudodoctores (quorum labor erat persequi Ecclesiam Christi) introierunt ad eos impie destruendo quod Paulus religiose ædificaverat, dicentes Paulo non esse credendum, neque doctrinam ejus tenendam, quia nec cum Christo conversatu

fuerat in terris, nec ab eo edoctus vel electus, nec saltem a Petro, vel ab his qui cum Christo conversati fuerant erat instructus. Hi etiam pseudo gratiæ Dei plurimum derogabant, dicentes eam non sufficere ad salutem nisi circumcisio, et cætera veteris legis tenerentur. In quo Paulum male docuisse arguebant, cum legem destrueret quam (sicut omnibus notum est) Deus per Moysen dederat; quam ipse Christus, dum inter homines conversabatur, observaverat, et hoc dicentes apud eos qui simplices erant, videbantur inducere congruas rationes. Quibus fallaciis jam adeo fuerant seducti quod, nisi sollicitudo Pauli cito per hanc Epistolam occurreret, jam se disponebant ad circumcidendum et ad cætera legalia. In hac autem Epistola Paulus agit de commendatione personæ suæ, quam pseudo deprimebant. Agit etiam de destructione veteris legis, non quod improbet eam, eo quod tenenda fuit. Agit etiam de commendatione gratiæ Christi. Hæc tria sunt hic materia : Se in hunc modum commendat quod, cum illi objiciant ei se non vidisse Christum, nec ab eo electum vel instructum probat quod longe dignius aliis apostolis electus sit a Christo et edoctus; illos enim, dum mortalis inter mortales conversaretur, elegit et docuit secundum infirmitatem carnalis intellectus; adhuc enim carnales erant, nec mysteria divinitatis capere poterant, quia licet accepissent Spiritum, nondum tamen datus erat, nisi tantum ad remissionem. Quod idem Jesus plane innuit, ubi ait · « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus (*Joan.* XVI, 12), » etc., illos, inquam, adhuc mortalis quasi carnales docuit, sed Paulus jam factus immortalis, jam sedens in dextera Patris, jam dato Spiritu sancto elegit, vocavit et docuit, et sic apparet quod, in quo Paulus videbatur inferior, longe cæteris est gloriosior. Veterem legem sic improbat, ostendens eam datam ut esset in tempore, et veniente gratia statim finem haberet, velut umbra, veniente corpore; quæ lex, quandiu duravit, nihil aliud quam grave jugum et onus importabile et inutile fuit, quia neminem justificare potuit. Destructa lege gratiam Christi commendat, ut eam quæ sola sufficit ad salutem, et sine qua nec ante datam gratiam nec post, aliquis potuit salvari. De his omnibus sic agit, ea intentione ut Galatas volentes judaizare retrahat ne faciant, nec ultra pseudomagistros audiant.

EPISTOLA AD GALATAS.

204 CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus non ab hominibus, neque per « hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Pa« trem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum « sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ, gratia vo« bis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu « Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis no« stris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, « secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est « gloria in sæcula sæculorum. Amen. Miror quod sic « tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in « gratiam Christi in aliud Evangelium, quod non est « aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et vo« lunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, « aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter« quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. « Sicut prædiximus, et nunc iterum dico : Si quis « vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, « anathema sit. Modo enim hominibus suadeo, an « Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc homi« nibus placerem, Christi servus non essem. Notum « enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evan« gelizatum est a me, quia non est secundum homi« nem. Neque enim ego ab homine accepi illud, ne« que didici, sed per revelationem Jesu Christi. « Audistis enim conversationem meam aliquando in « Judaismo : quoniam supra modum persequebar « Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam « in Judaismo supra multos coætaneos meos in ge« nere meo, abundantius æmulator existens pater« narum mearum traditionum. Cum autem placuit « ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vo« cavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum « in me, ut evangelizarem illum in gentibus, conti« nuo non acquievi carni et sanguini. Neque veni « Hierosolymam ad antecessores meos apostolos, sed « abii in Arabiam, et iterum reversus sum Dama« scum. Deinde post annos tres veni Hierosoly« mam videre Petrum, et mansi apud eum diebus « quindecim. Alium autem apostolorum vidi nemi« nem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quæ autem « scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. « Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. Eram au« tem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in « Christo. Tantum autem auditum habebant, quo« niam qui persequebatur nos aliquando, nunc evan« gelizat fidem, quam aliquando expugnabat; et in « me clarificabant [glorificabant] Deum. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. In hoc principio hæc tria, circa quæ maxime versatur, scilicet commendationem sui, improbationem legis, approbationem gratiæ breviter colligit, dicens : *Paulus apostolus* nomen suum (quod in omni Ecclesia notum fuerat) ad auctoritatem ponit. *Paulus*, inquam, *apostolus, non ab hominibus*, eligentibus eum, *neque per hominem*, consecrantem eum, ut illi objiciunt per Ananiam. Ideo ait, non ab hominibus neque per hominem. Quidam enim non ab hominibus, sed a Deo electi; per hominem tamen sunt consecrati, et e converso. Vel ita : Paulus apo-

stolus non ab hominibus eligentibus, vel consecrantibus eum, neque per hominem, id est non per Christum mortalem, et in humanitate viventem, *sed per Jesum Christum* suscitatum. De eo quod sequitur, *suscitavit*, convenienter accipimus suscitatum. Dicerent illi : Etiam si Christus legem destruat, non credimus, quia dissentit a Deo, qui legem dedit. Ideo subdit Apostolus per Christum suscitatum, *et per Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis* ; quem frustra mori vellet, si alio modo per legem justificare posset hominem; sed quia legem irritam vidit, legem exclusit, ut per gratiam Christi perficeret in quo lex deficiebat. Paulus, inquam, *et omnes fratres qui mecum sunt*, scribimus *Ecclesiis Galatiæ*. Ideo fratres sibi in salutatione jungit, quia objiciebant pseudo Paulum **205** solum esse in destructione legis, quam Petrus et alii in suis paterentur Ecclesiis. Ubi ait se non ab homine, sed a Christo suscitato, et a Deo Patre factum apostolum, satis in hoc se commendavit. *Vobis*, o Galatæ, sit *gratia*, id est his qui peccaverunt, sit secunda remissio. His qui in justitia permanserunt, sit perseverantia gratiæ. Sit etiam vobis *pax*, id est tranquillitas animi, *a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo*, qui uterque et potest et vult.

Modo commendabit gratiam Christi per oppositum improbando legem dicens : *Qui* Christus *dedit semetipsum* non aliud sacrificium, quia nihil præter eum sufficeret. Semetipsum dico, qui tantus erat. *Semet*, ad discretionem, *ipsum* ait ad magnitudinem. Dedit semetipsum *pro peccatis nostris* delendis ; quæ si lex destruere posset, monstrum putaretur, quia jam Pater superflue in mortem traderet Filium. Nec ut peccata præcedentia solummodo tolleret, mori voluit, sed *ut*, destructis peccatis, *eriperet nos de præsenti sæculo*, in quo vidit neminem posse morari sine peccato. In quo notatur maxima virtus Christi, qui in fornace peccatorum nos liberat ab incendio peccati [*eriperet de præsenti sæculo nequam*, id est de conformitate præsentis mundi, qui non allicit, et tanto plus capit, quanto æterna minus videntur]. Eriperet, dico, quasi vi conversationis bonæ de sæculo, sed *nequam*, id est secundum nequitiam peccati, Christus a sæculo suos eripit. Quod Christus in mortem se dedit, hoc factum est *secundum voluntatem Dei et Patris nostri*, qui quia legem inutilem vidit, ut nos salvaret, ex pietate Filium in mortem tradidit. Et quia Christus dederit se pro peccatis nostris in mortem per voluntatem Dei, scitote ex eo, quia *cui* Christo cum Deo *est gloria* de remissione peccatorum, non legi *in* hæc præsentia *sæcula* : et permanebit in sæcula horum *sæculorum* consecutiva. *Amen*, id est *vere ita est*, quod Christo gloria, non legi. *Amen* quandoque affirmativum, quandoque optativum est. Et quia Christus dedit se pro peccatis nostris secundum voluntatem Dei, et legem evacuavit, *miror* ergo *quod sic*, id est tam vehementer omnibus mandatis meis derelictis; et *tam cito* : parum enim est temporis ex quo discessi a vobis. Miror, inquam, de hoc quod *transferimini*. Ut gravius eos deprimat, sic ait. Transferuntur enim insensibilia, ut lapides, ducuntur irrationalia. Aguntur ratione homines ; sed istos judicat insensibiles. Unde in sequenti vocat eos insensatos. Miror quod transferimini *ab eo*, scilicet Deo, *qui* Deus *vocavit vos* non merito legis, sed per gratiam. Vocavit dico et interius aspirando, et prædicatores adhibendo *in gratiam* Christi, id est ad hoc ut essetis participes gratiæ Christi. Transferimini dico *in aliud Evangelium*. Secundum illos, veterem legem vocat Evangelium ; *quod* tamen Evangelium *non est aliud* a nostro, *nisi sunt* illi aliqui *qui vos conturbant*, id est pseudo , qui veterem legem carnaliter docentes, dissentire faciunt ab Evangelio Christi; cum quo idem est intellectum spiritualiter. *Conturbant*, dictum est a similitudine turbatæ aquæ , in qua nihil clare discerni potest. Ita isti intellectum Galatarum turbaverant, quod jam malum a bono non discernebant. Conturbant vos, *et volunt convertere Evangelium Christi*.

Convertere dictum est, a similitudine alicujus iter agentis, qui ab obstante sibi retro, convertitur; sic et isti Galatæ, accepta fide Christi per Evangelium Pauli, jam bene directi fuerant in semita boni operis, a quo volebant eos convertere illi pseudo. Ubi ait *volunt*, innuit Galatas nondum opere consensisse illis, licet assensu. Illi volunt convertere , *sed licet nos*, id est ego vel ipse Petrus, *aut angelus* malignus veniens *de cælo* , id est in splendida figura ut facilius suadere possit. Si enim emergens de tenebris inferni torvum et informem sese ingereret ad decipiendum, non tam idoneus esset. Vel, angelus bonus veniens de cœlo, si *evangelizet præterquam*, id est præter hoc *quod evangelizavimus vobis*, sive sit apostolus seu angelus, illum non solum audeo separare a corpore Christi, sed etiam *sit anathema* ut ipse separatus sit separatio illorum. Hic callide respondet illis, qui objiciebant illi, **206** quod Judaicos ritus non pateretur in Ecclesiis suis, non intelligentes Petrum ideo pati, non quod illud approbaret, sed ne ruditatem fidei eorum potius his concessionibus nutriendam, quam nimia asperitate destruendam terreret. Hoc autem solis patiebatur Judæis : sed Paulus qui gentibus prædicabat, non habebat eis indulgere in his in quibus nunquam fuerant. Quod etiam postmodum, ut fides Christi solida esset, difficiliori labore destruere oporteret. Et quia nec angelum, nec apostolum pateremur aliud vobis prædicantem, igitur si quis pseudo evangelizaverit vobis præter id quod accepistis a me, anathema sit. Et hoc nunc iterum dico de pseudo, sicut modo prædixi de nobis et de angelo. Vel ita : Prædixi vobis cum apud vos essem, me omnes pseudo excommunicaturum ; sic etiam *nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit*. Dico *anathema sit*, et hoc et cætera præmissa, zelum Christi habens dico, quia an *modo suadeo hominibus*, id est an secundum voluntatem

hominum suasibiliter loquor : *an* suadeo *Deo*, id est ad gloriam Dei? Quasi diceret : Ideo dico, *anathema sit*, etc., quia olim quidem ante fidem suadebam hominibus, prædicans legem; sed modo in fide suadeo gloriam Dei; ideo non jam suadeo hominibus, quia non quæro placere illis. *An* enim *quæro amplius placere hominibus?* Si legem prædicaret, quam homo virtute sua poterat operari, tunc placeret hominibus : sed nolo placere, quia *si adhuc placerem hominibus*, prædicando legem, *jam non essem servus Christi*. dum quod attribuerem legi, detraherem gratiæ Christi. Vel ita : *An modo suadeo hominibus, an Deo?* Si legem prædicaret, hominibus suaderet; quæ enim lex præcipit, homo satis potest operari, ut abscindere pelliculam, immolare pecudem et hujusmodi. Quod si per hæc salvum diceret hominem, Deo detraheret salutem hominis, et ascriberet homini. Cætera non mutantur.

Ad illud quod superius dixit, *non ab hominibus, neque per hominem*, hic respondere incipit. Littera tamen prope jungitur : ideo hominibus placere non quæro, sed Christo, quia Evangelium meum non est secundum hominem, sed a Deo. Et ideo *facio vobis notum, fratres, Evangelium :* non illud vetus, sed *quod evangelizatum est a me;* hoc de eo facio vobis notum, quod *non est* mihi traditum *secundum hominem*. Et hoc probat : Vere non secundum hominem, *qui neque accepi illud* Evangelium *ab homine*, consecrante me in hoc ministerium, *neque didici* illud ab homine. Posset consecrari a Deo, et tamen postea discere præcepta illa ab homine. Non accepi ab homine, nec didici, *sed per revelationem Jesu Christi*, id est per Jesum Christum aperte revelantem mihi, non per parabolas loquentem, sicut alios apostolos docuit, dum in carne esset adhuc mortalis, et illi intellectu infirmiores : vere non didici illud ab homine, quia nec ante conversionem, nec post conversionem. Ante conversionem prius ostendit, dicens : *Audistis conversationem meam aliquando*, id est tempore infidelitatis habitam in Judaismo; hoc audistis *quoniam*, id est quod *persequebar Ecclesiam Dei supra modum* persecutorum : nemo enim tam violens erat in servos Dei. Persequebar dico *et expugnabam illam* secundum quosdam multos enim volentes converti, adhuc spirans minarum et cædis, retroduxi. Plures etiam jam fideles fidem negare coegi; expugnabam, dico, *et proficiebam in Judaismo*. Lex enim mea magis ac magis per me in incrementum proficiebat. Proficiebam dico agendo *supra multos coætaneos*, qui juvenes et laboriosi erant, ut ego. Coætaneos dico, non proselytos, sed *in genere meo*, ita filios Abrahæ ut ego et in lege nutritos. Et dico *existens æmulator*, id est imitator et amator; non tantum legis, sed etiam *paternarum traditionum*. Prophetæ enim, præter legem, quasdam traditiones dederunt, ut Zacharias jejunium primi, et jejunium quarti (*Zach.* VIII, 19.), etc. Traditionum, **207** dico, *mearum*, quia tam bene operabar illas, quod quasi meæ propriæ esse videbantur, et cum eo ita persequerer Ecclesiam Christi, apparet quod ante conversionem Evangelium non didici.

Subdit quod post subditionem non didicerit. Ego ita persequebar Ecclesiam Christi; *sed cum placuit* ei, ex gratia, non ex merito, ei dico qui *quam* potentialiter *me segregavit de utero matris meæ*, de quo nunquam exirem, nisi misericordia ejus extraheret me, tam misericorditer *vocavit me per gratiam suam* ad fidem. Vel ita : Qui me segregavit de matre mea, id est a Synagoga, in qua puer nutritus et doctus fueram, nec de sinu vel gremio, sed de ipso utero Synagogæ. Pharisæus enim eram inter principes legis, et me inde segregatum vocavit ad fidem per gratiam suam, non quia zelum legis habueram. Vocavit, inquam, *ut revelaret in me Filium suum*. Si quis enim vocationem mei considerat, intelliget omnem salutem ex Christo, nullam ex lege, quæ mihi non profuit. Nec ideo solum vocavit ut in similitudine mei revelaret gratiam suam, sed ad hoc etiam *ut evangelizarem illum in gentibus*, et notam facerem misericordiam Dei. Cum ita Deo de me placuit, *continuo non acquievi carni et sanguini*, id est Judæis male suadentibus mihi, qui nihil aliud sunt quam caro voluptuosa. Et sanguis, id est anima non secundum rationem, sed secundum quod per motum sanguinis turpia cupit. *Neque* continuo *veni Hierosolymam ad* apostolos *antecessores meos*, quia me in fide antecesserant, ut docerer ab illis, *sed* continuo *abii in Arabiam*. Hæc Arabia est in qua est mons Sina, prope Ægyptum in deserto. *Et iterum* ab Arabia *reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam*, non ut quasi minus sapiens interrogarem, sed solummodo *videre Petrum*. *Et mansi apud eum diebus quindecim*, et tam brevi spatio, si indigere, non satis possem doceri. Petrum ibi vidi; *sed alium apostolorum neminem* illo tempore *vidi, nisi Jacobum fratrem Domini*, qui episcopus erat Hierosolymis. Et sic apparet quod post conversionem nihil didici; *quæ autem scribo vobis*, scilicet quod nec ante, nec post didicerim, credite quia in his *non mentior*. *Ecce* enim *loquor* hæc *coram Deo*. Quod si Deus præsens adesset, nihil in sermone meo falsitatis argueret. *Deinde* visis Petro et Jacobo, *veni in partes Syriæ et Ciliciæ*. Ego vero *eram ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo;* quod si me non viderint, apparet me nihil ab eis didicisse. Facie quidem eram ignotus, *sed auditum tantummodo habebant* de me. Hoc, inquam, audierant *quoniam*, id est quod Paulus *qui persequebatur nos aliquando*, id est tempore infidelitatis, *nunc evangelizat fidem* Christi, *quam* fidem *expugnabat aliquando*. Et hoc audientes *in me* converso, *et* sic prædicante *clarificabant Deum*, et magnificabant misericordiam Dei.

CAPUT II.

« Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et « Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et « contuli cum illis Evangelium, quod prædico in

« gentibus. Seorsum autem his qui videbantur A
« aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut
« cucurrissem. Sed neque Titus qui mecum erat
« cum esset gentilis, compulsus est circumcidi, sed
« propter subintroductos falsos fratres, qui subin-
« troierunt explorare libertatem nostram, quam
« habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem
« redigerent. Quibus neque ad horam cessimus
« subjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud
« vos. Ab his autem qui videbantur esse aliquid
« (quales aliquando fuerint, nihil mea interest;
« Deus enim personam hominis non accipit [*Deut.*
« x, 17; *Rom.* II, 19]. Mihi autem qui videbantur
« esse aliquid, nihil contulerunt. Sed econtra cum
« vidissent quod creditum est mihi Evangelium B
« præputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim
« operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, ope-
« ratus **208** est et mihi inter gentes. Et cum cogno-
« vissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et
« Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse,
« dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut
« nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem,
« tantum ut pauperum memores essemus. Quod
« etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem
« venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti,
« quia reprehensibilis erat. Prius enim quam
« venirent quidam ab Jacobo, cum gentibus edebat.
« Cum autem venissent, subtrahebat et segregabat
« se, timens eos qui ex circumcisione erant. Et
« simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita C
« ut Barnabas duceretur ab eis in illam simula-
« tionem. Sed cum vidissem quod non recte am-
« bularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram
« omnibus : Si tu, cum Judæus sis gentiliter vivis,
« et non Judaice, quomodo gentes cogis judaizare?
« Nos natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.
« Scientes autem quod non justificatur homo ex
« operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos
« in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide
« Christi, et non ex operibus legis. « Propter quod
« ex operibus legis non justificabitur omnis caro
« (*Rom.* III, 20). » Quod si quærentes justifi-
« cari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores,
« nunquid Christus peccati minister est? Absit! Si
« enim quæ destruxi, iterum hæc reædifico, præva- D
« ricatorem me constituo. Ego enim per legem legi
« mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus
« sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero
« in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne,
« in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit
« seipsum pro me. Non abjicio gratiam Dei. Si enim
« per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus
« est. »

EXPOSITIO.

Deinde post annos quatuordecim a primo adventu transactos, *iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto etiam et Tito.* Ascendi dicit secundum situm loci. Paulus ideo secundo venit Hierosolymam, adducens secum idoneos testes, Barnabam de Judæis, Titum de gentilibus, quia Ecclesiæ quibus prædicabat, opponebant ei, quod dissentiret in prædicatione a Petro et ab aliis. Quam dubietatem removere volens, cum testibus ascendit Hierusalem, non quod dubius esset in aliquo, sed ut certum fieret his qui dubitabant quod non dissentiret a Petro. *Ascendi* non tantum quia sic volui, sed etiam ascendi *secundum revelationem*, id est quia revelavit mihi Deus sic oportere fieri; et tunc non didici ab illis, sed *contuli cum illis Evangelium*, dicens : Sic et sic prædico. Nonne et vos eodem modo? Diceret aliquis : Reticuisti quædam, quæ gentibus prædicas. Non utique ait Paulus, sed Evangelium *quod prædico in gentibus.* Nec inde verbum subticui, contuli publice cum tota Ecclesia. *Seorsum autem*, id est separatim contuli *cum his qui videbantur esse aliquid*, id est cum apostolis, non tamen seorsum cum his ut alios excluderem, et private cum his agerem; sed prius sermo meus publice fuit ad omnes, nunc ad istos. Vel ita : Contuli cum illis seorsum factis his, id est apostolis, ne viderer impotens esse defendere Evangelium meum sine auxilio eorum. Ideo sic contuli *ne forte* (quod contingere posset) *currerem*, id est currere putarer, *aut cucurrisse, in vacuum*, nisi per hanc collationem approbarem meum Evangelium. Nec tantum conferendo illud comprobavi, *sed neque* etiam *Titus qui mecum erat, cum esset* natione *gentilis, compulsus est circumcidi.* Per hoc quod ait compulsus, innuit illos pseudo multum laborasse contra Paulum, ut circumcideretur Titus. Nec tantum Titus non est compulsus ad hoc; *sed neque etiam ad horam cessimus subjectioni.* Quia sic ait : Non est compulsus circumcidi; nec *propter subintroductos falsos fratres.* Infideles enim Judæi, quibus Paulus quia infidelibus, non responderet, præmio conducebant falsos fratres, per quos Paulum impugnarent. Propter illos, inquam, *qui* dolose *subintroierunt explorare libertatem nostram*, id est fidem quæ nos liberos facit a jugo legis; *quam* libertatem *habemus in Christo Jesu.* Explorare **209** ideo, *ut nos*, si possent, *redigerent in servitutem*, id est in veterem legem quæ gravis servitus est. Per hoc fidem Christi multum commendat, quia vocat libertatem, legem deprimit quam vocat servitutem. Propter illos, inquam, *neque* saltem *ad horam cessimus subjectioni*, id est legi quæ cedentes sibi subjicit servituti. Ideo non cessimus, *ut veritas Evangelii* nostri *permaneat apud vos*, id est ut sicut prædicavimus legem esse inutilem, gratiam esse sufficientem, ita semper crederetis.

Paulus alio tempore Hierosolymam veniens, ut omnem de se suspicionem tolleret, Timotheum jam circumcisum iterum fecit circumcidi, non quod crederet aliquid jam conferre circumcisionem, sed quia imposuerant ei quidam ipsum dixisse legem omni tempore fuisse inutilem. Quod ut nihil esse probaret, Timotheum exhibuit ad circumcidendum; sed modo Titum circumcidi nulla ratione voluit, quia, si modo cum venisset Hierusalem, ut proba-

ret nihil esse circumcisionem, eum circumcideret, A dicerent Ecclesiæ gentium : Ecce falsitas Pauli quem, vellet nollet, Titum, in Hierusalem circumcidere oportuit. Ostendit per illam collationem Evangelii quod post conversionem non sit inventus inferior Petro et aliis. Adjungit etiam quod ante conversionem longe dignior illis fuerit sub lege; callide tamen quasi pro nihilo sibi sit dignitas quam ante fidem habuit. Littera sic jungitur : Contuli cum illis, et apparui secundum post acceptam fidem irreprehensibilis, sicut illi ; *sed quales fuerint aliquando*, id est ante fidem Petrus et alii, qui *videbantur* ab his secundum carnem sapientibus esse aliquid, hoc memorare quales illi fuerint qualis ego sub lege *nihil mea interest*, id est nihil confert in mea re. Verum quidem est quod ego tunc dignior illis eram, sed tamen non curo hujusmodi gloriam. *Videbantur* dicit, quantum ad illos qui Petrum et alios ita judicabant magnos. Paulum nihil. Ideo quales tunc fuerint, dicere prætereo. Scio enim quod *Deus non accipit personam hominis*, id est Deus non habet acceptum hominem propter personam generis divitiarum vel scientiæ. Dicere quales prius fuerint ; ideo nihil interesse dico in mea re, quia hoc solum mihi sufficit ad commendationem quod Petrus et alii *qui dicebantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt*, id est in nullo me correxerunt. In nullo mihi profuerunt, dum contuli cum eis Evangelium. Vel *per, autem*, copuletur dicere, quales fuerint ante fidem nihil mihi confert ; sed hoc dicere quod illi qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt ; satis est ad commendationem. Nihil quidem contulerunt mihi, sed etiam affectantes societatem nostram, mihi et Barnabæ discipulo meo dederunt dextras societatis. Quod sic ait : Nihil contulerunt, *sed* econtrario *cum* illi *vidissent quod creditum est mihi* a Deo *Evangelium præputii*, id est gentilitatis eadem dignitate *sicut Petro* creditum est Evangelium *circumcisionis*, id est in Judæos. Econtrario dicit secundum opinionem eorum qui Paulum indigniorem judicabant Petro.

Bene dico cum vidissent, viderunt enim, *quia* idem Deus *qui operatus est Petro*, id est ad gloriam et commendationem Petri, miracula per eum fecit *in apostolatu circumcisionis*, similiter *operatus est et mihi*, id est ad mei commendationem *inter gentes* ; gentium enim Apostolus erat. Cum vidissent creditum esse mihi Evangelium, *et cum* idem per effectum *cognovissent*, videntes *gratiam quæ data est mihi* (plures enim quam illi convertebam ad fidem). *Cognovissent* dico *Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur esse columnæ*, id est sustentatores Ecclesiæ. Ii enim honoratiores cæteris erant, quia Christus eos in secretioribus suis semper admittebat, coram quibus transfiguratus fuit in monte (*Matth.* XVII, 2). Ii, inquam, hoc cognoscentes, *dederunt mihi et Barnabæ dextras societatis*, intelligentes nos non inferiores illis, sed pares, non discipulos sed socios. Conjungere dextras, signum erat concordiæ, quo se invicem confœderabant antiqui.

Societatem nobiscum pacti sunt, ita *ut nos* **210** prædicaremus *in gentes, ipsi autem in circumcisionem*. Hoc tantum singulare nobis imponentes, *ut essemus memores pauperum*, qui erant Hierosolymis, quod illi nisi per nos non poterant. *Quod*, scilicet, benefacere pauperibus non solum volui, sed *etiam sollicitus fui facere*, ita quod *hoc ipsum*, id est non minus feci quam illi precati sunt

Postquam otendit illos nihil contulisse sibi, et se potius necessarium illis, secundum memoriam pauperum, addit quoddam majus, scilicet quod, cum ipse esset irreprehensibilis, reprehensibilem etiam ostendit Petrum dicens : Conferens cum Petro et aliis nihil mihi contulit, sed ego contuli Petro. Quia B *cum venisset Cephas Antiochiam* ego *restiti ei* ; nec in occulto, sed *in faciem*, id est in conspectu Ecclesiæ. Ideo restiti, *quia erat reprehensibilis* ; et si non per intellectum, tamen per exemplum. Ideo Paulus restitit Petro in faciem, quia Petrus non peccabat in se, de quo quidem secreto esset corrigendus, sed peccabat in cauta simulatione, corrumpendo Ecclesiam, et qui in publico peccabat, publice arguendus erat ; qui enim viderant offensionem, necesse erat ut iidem viderent offensæ emendationem. Petrus utique erat reprehensibilis, *quia priusquam venirent quidam* conversi *de Judæis ab Jacobo*, qui cathedram habebat Hierosolymis, priusquam hi venirent, Petrus *edebat cum gentibus*, sine discretione ciborum. Prius sic faciebat ; *sed cum* illi *venissent, subtrahebat se* a mensa gentilium, nec latenter subtrahebat ; C sed *segregabat se*, id est seorsum faciebat Judæorum mensam a grege gentilium vel in alia domo, vel in alia mensa, *timens* offendere *eos qui erant ex circumcisione*, id est Judæos, si participaret gentilibus, et huic *simulationi ejus* (non enim credebat discretionem ullam Judæi et gentilis, sed tantum pro evitando scandalo simulabat) simulationi, inquam, ejus *consenserunt cæteri Judæi, ita ut etiam Barnabas*, discipulus meus, *duceretur ab eis* Judæis *in eamdem simulationem*, et nollet communicare gentilibus. Petrus simpliciter non considerans per hoc corrumpi fidem Ecclesiæ, declinabat a scandalo Judæi fratris, per hanc simulationem. *Sed* ego, *cum vidissem, quod non recte ambularent* Petrus et qui cum eo D erant, *non recte* dico *ad* comprobandum *veritatem Evangelii*, qui prædicaverant ritus Judaicos jam inutiles, nec esse tenendos. Cum hoc vidissem, *dixi Cephæ coram omnibus* (sic enim oportebat, dum ejus simulatio totius Ecclesiæ esset corruptio.) : Hoc, inquam dixi, *si tu*, Petre, *cum sis* natione *Judæus vivis*, id est vivere soles *gentiliter*, nihil judicans immundum, *et non* vivis ultra *judaice*, ut secundum ritus illos cibos de immunditia damnes ; si, inquam, tu naturalis Judæus non judaizas : *quomodo*, id est qua ratione *gentes* quæ nunquam judaizaverunt, *cogis judaizare*, exemplo tuo, licet non ita prædices ? Nisi enim in hoc publice correctus esset a Paulo, seque ideo reprehensibilem confiteretur, putarent

non solum Judæi, sed etiam gentiles inutilem esse fidem sine lege.

Hucusque satis probavit se non esse inferiorem Petro, et aliis, imo necessarium et correctorem eorum. Modo transit ad improbandam legem, quod nullo modo tenenda sit, dicens : Gentes utique non debent judaizare : quia *nos per naturam Judæi;* si amodo judaizamus, inutiliter agimus. Quod sic ait : Nos quidem sumus Judæi per naturam in Judaismo nati, et semper insistentes operi legis. Judæi sumus, *et non* sumus *peccatores ex gentibus*, id est non peccavimus ad similitudinem gentium, adorantes idola et hujusmodi : quod non fecerant Judæi. Et cum simus per naturam Judæi, tamen non justificamur ex operibus legis. Et nos hoc *scientes quod nullus homo justificatur ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*, ut gentiles, sic *et nos* Judæi *credimus in Christo Jesu, ut* sic *justificemur ex fide Christi* tantum, *et non ex operibus legis. Propter quod*, id est quia nos Judæi *ex* fide sola justificamur non ex lege. Ergo *omnis caro*, id est omnis gentilis carni obediens, Deum nesciens, *non justificabitur ex operibus* **211** *legis*, si ea fecerit. Si enim Judæo non prosunt opera, multo minus gentili. Carnem vocat gentilem, quia nunquam in cultu legis Dei, sed semper fuit in opere carnis. Vel ita, quia si Judæus non est justus ex lege, multo minus caro, id est peccator ex gentibus. Probat iterum idem per impossibile et inconveniens. Dico quod ex fide Christi justificabimur ; quod si ita non est, hoc est quod ait : *Si* nos *quærentes justificari in Christo*, id est per fidem Christi, non dico putati existimationem stultorum non curo, sed si per fidem Christi quærentes justificationem *inventi sumus* ut gentiles *etiam nos ipsi peccatores*, quia legem deseruimus, ad fidem Christi transeuntes; si hoc, inquam, est, tunc Christus minister est peccati ; ipse enim docuit legem non esse tenendam, sed ex fide esse omnem justificationem. Sed quia exhorrebat Christum dicere ministrum peccati, dicit hoc sub admiratione sic : *Nunquid* aliquis insensatus audet dicere quod *Christus minister est peccati? Absit* hoc ut Christus minister sit peccati!

Vere Christus non est minister peccati. Nam ego destruxi legem, quam non reædifico, ne me constituam prævaricatorem. Si enim destructam legem reædificans, ideo prævaricationis reus sum. Tunc bene sequitur quod Christus, quia legem exclusit, non est minister peccati. Quia sic ait : *Si* legalia *quæ destruxi hæc iterum reædificabo*, docens ea esse tenenda, tunc profecto *constituo me prævaricatorem* legis, quam reduco. Ipsa enim lex præcipit se contemni, postquam venerit gratia, ut ibi per Moysen : « Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris; ipsum audietis tanquam me (*Deut.* XVIII, 15). » Quasi diceret : Interim donec veniat, audite me. Cum venerit (me derelicto) confugite ad eum. Reædificо ideo dicit : Imponebant enim ipsi quidam quod prius stulte docuisset legem non esse tenendam ; sed modo correctus, reducebat legem. Vere si legem reædificо, prævaricatorem legis me constituo. *Nam ego* deserui legem, per ipsam legem ita præcipientem, ne veniente gratia teneretur. Et non dicit deserui, sed *mortuus sum legi*, id est ita legem destruxi sicut nunquam amplius ad illam reversurus, quomodo a morte non fit reversio ad vitam. Legi ideo mortuus sum, *ut vivam Deo*, id est per gratiam Dei. Vere deserens legem, vivit Deo per fidem ; nam cessat a malo, et operatur bonum. Quod sic ait : *Confixus sum cruci Christi*, id est affixos habeo sensus meos per virtutem crucis Christi, ne quandiu in fide Christi sum, liceat porrigere manum vel pedem ad opus malum. Confixus sum cruci Christi, id est ad gloriam Christi, qui me sic confixit, et per hæc habemus cessare a malo. Christus si voluisset, aliud genus mortis elegisset, sed voluit ut nec ipsum genus mortis mysterio careret, præsignans hoc in affixione suorum membrorum, quæ secundum veterem hominem passi illis et mortalis usque ad diem crucis sustinuerat, ut sicut membra sua confixa, secundum virtutem hominis ad aliquos actus extendere non potuit, quod in illa cruce sic configebat hominem justitiæ, ut quandiu fidem Christi non violaret ad actum injustitiæ declinare non posset. Confixus sum cruci, cessans a malo. *Vivo autem jam non ego*, qui eram secundum legem ; *sed vivit in me Christus*, id est vivo ego ipse factus Christus per conformitatem, et per hanc partem habemus operari bonum. Vivo utique Deo per fidem, per dilectionem, per traditionem. Hoc ita ait. Ego vivo ; *quod autem nunc vivo*, positus *in carne*, quia licet caro impugnet spiritum, tamen spiritus in me vivit, et jugulat desideria carnis, quod miraculum est ita vivere in carne. Quia vero sic vivo *in fide*, id est per fidem *Filii Dei vivo*, et non per opera legis, sed per dilectionem Christi, *qui dilexit me*, hominem personaliter uniens sibi. Vivo etiam *et* per traditionem, quia Christus *tradidit semetipsum* in mortem *pro me*, redimendo a morte, quod non poterat effici per legem. Et quia per fidem vivo, et non per legem, igitur non reduco legem. Quod tamen sic ponit : *Non abjicio gratiam Dei*, quia reducere legem, **212** esset abjicere gratiam. Ideo non reduco legem, quia non per legem justitia. *Si enim per legem* esset *justitia, ergo Christus gratis*, id est superflue *mortuus est*, ut justificaret, cum per legem habeatur justitia ; sed Christum superflue, mortuum nolletis concedere.

CAPUT III.

« O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati ante quorum oculos Jesus Christus « proscriptus est, et in vobis crucifixus? Hoc solum « a vobis volo discere. An ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis « ut, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummini? Tanta passi estis sine causa? si tamen « sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex « auditu fidei? Sicut scriptum est: « Credidit Abra-

« ham Deo, et reputatum est ei ad justitiam (*Gen.* « xv, 6; *Rom.* iv, 3). » Cognoscite ergo, quia qui « ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, « prænuntiavit Abrahæ, quia « benedicentur in te « omnes gentes (*Gen.* xii, 3). » Igitur qui ex fide « sunt benedicentur cum fideli Abraham. Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto « sunt. Scriptum est enim : « Maledictus omnis « [homo] qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea (*Deut.* xxvii, « 26). » Quoniam autem in lege nemo justificatur « apud Deum, manifestum est, quia « justus ex fide vivit (*Habac.* ii, 4; *Rom.* i, 17). » Lex autem « non est ex fide : sed « qui fecerit ea, vivet in illis « (*Levit.* xviii, 5). » Christus autem nos redemit « de maledicto legis : factus pro nobis maledictum, « quia scriptum est : « Maledictus omnis [homo] qui « pendet in ligno (*Deut.* xxi, 23), » ut in gentibus « benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis « confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat (*Hebr.* ix, 17). Abrahæ dictæ sunt « promissiones, et semini ejus. Non dicit et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini « tuo qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo. Quæ post quadringentos « et triginta annos facta est lex, non irritum facit « ad evacuandam promissionem. Nam si ex lege « hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per « angelos in manu Mediatoris. Mediator autem « unius non est; Deus autem unus est. Lex ergo « adversus promissa Dei? Absit! Si enim data esset « lex, quæ posset vivificare; vere ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, « ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret fides, sub lege « custodiebamur; conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in « Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim « filii Dei estis per fidem, in Christo Jesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus; non est « servus, neque liber; non est masculus, neque « femina. Omnes enim vos unum estis in Christo « Jesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ « estis, secundum promissionem hæredes. »

EXPOSITIO.

Et quandoquidem per fidem justitia, et non per legem, *o insensati Galatæ, quis vos fascinavit ut non crederetis veritati?* Veritatem habetis in vobis, scilicet fidem Christi, quæ vere justificat, et non creditis ei. Fascinatos dicit, accusans insipientiam eorum; non enim diffe- A runt a vetulis, quæ credunt quosdam fascinatores solo visu posse corrumpere quos volunt. Vos dico fascinatos *ante oculos quorum* (quia ipsam veritatem habetis et cognoscitis) et in oculis vestris *Christus Jesus proscriptus est*. Proscriptus dicitur, qui a regno et hæreditate sua depellitur. Ii autem Christum a regno et hæreditate sua depellebant, dum seipsos in quibus regnare debebat, et qui ejus erant hæreditas, Christo subducebant. Non solum proscriptus; sed etiam Christus est *in vobis crucifixus*. Non enim magis viluit **213** Christus in oculis Judæorum et Pilati, quam in vobis, qui sic eum contemnitis. Vel ita : Ante oculos quorum Christus proscriptus est in aliis, quos malo exemplo depravastis, et etiam in vobis ipsis, qui Christum repellitis a vobis. Et licet ita sit proscri- B ptus, tamen ipse pro vobis est crucifixus, nec ita esset proscribendus. Hoc evidenter inseruit. Modo revertitur ad illud. O vos insensati, licet modo satis probaverim fidem valere, legem irritam esse, et licet vos insensati sitis, tamen vos ipsos faciam confiteri et probare quod ex fide sit justitia, et non ex lege. Quod sic ait : Multa alia occurrunt per quæ hoc probare possem, sed *hoc solum* sufficit, et hoc *volo discere a vobis an accepistis Spiritum sanctum ex lege, an ex fide*. Ex lege non, quia vos, gentiles, legem non habuistis. Et non ita simpliciter ponit, sed addit. Ex operibus legis, an ex auditu fidei, deprimens legem, cujus opera erant importabilia, commendans fidem, quæ facillime ex solo auditu habetur. Et cum ex fide Spiritum accepistis, *sic* C *modo stulti estis ut cum per Spiritum cœperitis* salvari, *nunc carne*, id est per carnalem legem *consummemini*, id est perficiamini. Plurimum desipitis cum illud quod minus est (scilicet incipere) Spiritui datis, et illud quod majus (id est perficere) attribuitis carni. Et quia per carnem consummationem quæritis, *sine causa estis passi tanta*. Vos quidem multa passi estis ab infidelibus, sed frustra. *Sine causa* dico vos tanta passos; tamen hac conditione, *si sine causa*, id est si incorrigibiles estis. Si enim pœniteatis, præsto est indulgentia. Et sic dicens revelat spem eorum. Per illos quos ex fide sola probavit habere Spiritum, quia nunquam legem habuerant. Vult modo probare de se D quod, cum utrumque habuerit, legem et fidem; per fidem tamen Spiritum accepit, non per legem. Quod nisi probaret, dubietatem relinqueret.

Unde sic ait : Quandoquidem vos ex fide Spiritum accepistis, et non ex lege, *ergo* Paulus *qui tribuit vobis* Spiritum, id est per manus cujus accepistis Spiritum sanctum, et qui *operatur virtutes* et miracula *in vobis*, dicite modo an *ex operibus legis* habuit Spiritum, *an ex auditu fidei?* Ex vobis per simile judicare potestis, quia ex fide non ex lege, licet utrumque habuerit. Ex fide habetur Spiritus. Ex fide habetur justitia, et ex fide promissio. Littera sic jungitur : Ex fide sic habetur Spiritus, sicut ex eadem fide habetur justitia. Justitia utique ex fide. *Nam Abraham credidit Deo*, id est fidem habuit, et

hoc credere, *reputatum est ei* sufficiens *ad* habendam *justitiam*. Et quia Abraham per fidem habuit justitiam, *ergo cognoscite* quia, *quicunque* sunt *ex fide*, et non ex lege (sicut nec Abraham tunc erat) *ii* per fidem *sunt filii Abrahæ*, id est justi, quia imitatores fidei sunt Abrahæ. Non solum per fidem habetur Spiritus et justitia, sed etiam in fide habetur benedictio, sicut ibi legitur. O Abraham *in te*, id est in similitudine fidei tuæ, *benedicentur* non solum Judæi, sed etiam *omnes gentes*. Sed antequam ponat hanc auctoritatem, prædicit quomodo intelligendum sit illud, *in te*, dicens : *Scriptura* in Genesi *providens*, id est ostendens Deum providisse ; sic enim ab æterno Deus deliberavit, providens, inquam, hoc *quia*, id est *quod Deus justificat* non solum filios carnis Abrahæ, sed etiam *gentes*, justificat, dico, non ex lege, sed *ex fide*. Illa Scriptura longe ante tempus gratiæ prænuntiavit, id est ostendit Deum prænuntiasse Abrahæ, quia in te per imitatam fidem benedicentur omnes gentes (*Gen.* XII, 3).

Notandum est quod, cum debeat probare de benedictione, ait : Justificat ex fide, intelligens quod ubi præcedit justitia, ibi ex necessitate sequitur benedictio. Quod hic vocat benedictionem, idem intelligit promissionem, testamentum, hæreditatem. Præterea videndum est quod non incongruo ordine ex fide prius habetur Spiritus, dehinc justitia. Ad ultimum benedictio. Post fidem enim statim datur Spiritus, sine quo nemo potest bene operari. Dehinc per adjuvantem Spiritum, sequuntur opera justitiæ. Post justitiam sequitur benedictio, **214** id est justorum operum retributio. Et quia Scriptura sic ait per fidem mediante, justitia benedictionem consequi, *igitur ii qui sunt ex fide*, id est qui esse suum collocant in fide, quod utique David et multi alii cum essent sub lege, subsistere tamen habebant ex fide. Ii utique qui sunt ex fide *benedicentur cum Abraham*, non circumciso, *sed fideli*, id est non per legem, sed per fidem. Nec hoc prætereundum est quod Abraham ex fide justificatus sit priusquam circumcisus fuerit. Vere ex fide solum habetur benedictio ; nam ex lege non habetur, sed potius maledictio. *Quicunque enim sunt*, id est subsistere se credunt *ex operibus legis*, ii sunt *sub maledicto*. Et hoc probat : Vere sunt sub maledicto ; *nam* ita *scriptum est* in Deuteronomio, id est in abbreviatione legis, quando Moyses datam legem breviter recapitulavit, et omnibus præceptis collectis postea ait : *Omnis ille qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus* (non dico permanserit voluntate : sed ita ut faciat omnia ea) « maledictus sit (*Deut.* XXVII, 26). » Et hoc dicens Moyses idem erat ac si diceret : Hanc legem non trado vobis, ad habendam in ea justificationem ; sed ad deprimendam duritiam vestram. Et scitote fugiendum vobis esse ad gratiam, ut maledictum legis evacuet gratia Christi. Ipse etiam Petrus dicit tantum esse onus legis, quantum nec ipsi patres eorum portare potuerunt.

Probavit modo, per Abraham et Moysen, justitiam haberi ex fide, et benedictionem (*Act.* XV, 11), hoc utrumque esse ex fide iterum probat per Habacuc. Et considerandum est quomodo fidem semper præferat legi, et per Abraham qui fuit ante legem, et per Moysen ejusdem legis datorem, et per Habacuc, sub ipsa lege viventem. Ex fide habetur justificatio. *Quia autem in lege nemo justificatur* (non dico apud existimationem hominum) sed *apud Deum*, *manifestum est* in Habacuc, *quia* ait quod *ex fide* fit homo *justus*, et qui justus est, *vivit*, id est promissam benedictionem apprehendit, et si ex fide sola justus vivit, tunc non ex lege. Opponeret ille : Verum quidem, quod per fidem oportet justificari hominem ; sed tamen lex adjuvat fidem, et quodammodo necessaria est fidei. Quod ita infert. Ex fide vivit justus, non ex lege. *Lex autem non est*, id est non pendet *ex fide*, nec ullum adjumentum est fidei. Sed vultis scire quid melius faciat ? Hoc, scilicet, *qui fecerit ea*, quæ lex præcipit, *vivet in illis*, id est quod habet dimittetur ei ; sed nihil merito legis augmentabitur ei. Quia dixerat superius : Maledictus omnis qui non fecerit præcepta legis, diceret ille : Quandoquidem Moyses sic ait « Licet simus in fide, necesse tamen est ut faciamus legem, ne maledictum Moysi incurramus. Contra hoc Paulus : Licet Moyses maledixerit omni non facienti legem, non tamen ideo adhæreatis legi ; *Christus* enim *redemit nos de* illo *maledicto legis*. Quod et Moyses cum malediceret, intellexit. Redemit nos Christus *factus pro nobis* redimendis, non solum maledictus, sed etiam *maledictum*. Si quis enim crucifigentium Christum voluit maledicere alicui, maledicebat, dicens : Sic tibi contingat, quomodo illi crucifixo. Vere pro nobis factus est maledictum, *quia scriptum est* in Deuteronomio : « Omnis qui pendet in ligno sit maledictus (*Deut.* XXI, 23). » Christus autem in ligno pendens, non utique ex culpa proprii criminis, sed in eo solo maledictus, quod pœnam maledicti sustinuit. Moyses enim præceperat, ut si quis reus damnaretur, in ipsa damnatione ipsi maledicerentur. Vel ita omnis qui pendet in ligno sit maledictus. Deus enim primo homine creato, benedixit ei, si in obedientia perstitisset ; sed quia peccavit, maledixit ei ; Quod maledicere nihil aliud fuit nisi spoliare eum de concessa impassibilitate et immortalitate. Christus vero, carnem veteris Adæ assumens, fuit maledictus, quia passibilis et mortalis. Quod in eo palam fuit, dum in ligno pependit ; pati enim non posset, si impassibilis esset. Objiceret ille gentilis : Et si Christus solvit maledictum legis, nobis non habentibus legem nihil profuit. Contra hoc Paulus : *Christus redemit nos*, *ut* sicut in Judæis, sic *in gentibus* **215** *fieret benedictio*, id est repromissio *Abrahæ* habenda *in Christo Jesu*, non per legem. Fieret dico promissio, ita *ut accipiamus pollicitationem*, id est rem frequenter pollicitam.

Pollicitationem dico Spiritus, id est factam nobis per Spiritum; vel Spiritus, quia jam Spiritum sanctum per quem jam partim deificamur arrham habendæ beatitudinis accepimus. Accipiamus dico, non per legem, sed *per fidem*. Quod modo probavit per auctoritatem legis et prophetæ, scilicet per fidem accipere benedictionem, idem probat per legem humanæ consuetudinis, dicens : Quia sicut testamentum cujuslibet hominis legaliter factum destrui non potest, ita lex testamentum Dei irritum facere non potest. Quod si objiciunt legem esse antiquiorem hoc testamento, et vetus non debere destrui per novum, nihil dicunt, cum hæc promissio facta sit Abrahæ longe ante legem. (Littera sic jungitur : Quod per auctoritates modo probavi, idem *fratres* nunc *dico secundum hominem*, id est per humanas consuetudines affirmo sic : *Testamentum hominis*, licet sit cujuslibet vilis hominis, *tamen* testamentum hoc *confirmatum*, id est legaliter factum, ut sint ibi testes : Moriturus testator, etc. Hoc testamentum *nemo spernit*, ut inexpletum deserat. *Aut nemo super* hoc, aliud testamentum *ordinat*. Et sicut testamentum hominis nemo destruit, ita lex testamentum Dei non facit irritum. Antequam hoc ponat, præmittit quod vere testamentum Dei factum sit, et postea quod testamentum antiquius lege fuerit. Testamentum hominis nemo spernit, testamentum autem a Deo factum est, quia *Abrahæ dictæ sunt promissiones*. Non dicit quod de diversis fuerint promissiones, sed idem multis repetitionibus et diversis temporibus est pollicitum. Abrahæ dictæ sunt promissiones, *et* per Abraham dictæ sunt *semini ejus*, id est Christo. Sicut quando promittitur patri fecunditas filiorum, augmentum hæreditatis, licet filius ejus nondum sit, tamen in patre promissio fit filio. Promissio facta est semini, hoc dicit, *et non* dicit, facta est *seminibus*. Vel ita : Semini dicit, non dicit, in seminibus *quasi in multis* debeant hæreditare gentes, *sed quasi in uno*, id est *semine tuo* hæreditabunt gentes; *qui* semen *est Christus*. Bona est relatio, qua proprium sequitur. Hic ostendit testamentum Dei factum esse ad Abraham, nunc ostendit testamentum esse antiquius lege. Dico promissiones factas Abrahæ, de eodem autem *dico quod hoc testamentum confirmatum est a Deo*, juravit enim Deus illud se impleturum. Hoc, inquam, testamentum lex non facit irritum; *quæ post quadringentos et triginta annos facta est*. Si enim testamentum cujuslibet hominis non fit irritum, quanto magis testamentum Dei, quod cum juramento pollicitus fuit, et Abrahæ tanto viro, et tanta antiquitate temporis irritum non erit! *Lex non facit irritum ad evacuandam promissionem*, id est ut evacuetur promissio.

Quod ait lex non facit irritum, sic debemus intelligere facit irritum, ut ipsa lex justificet, benedictionem tribuat, sicut per fidem fieri promissum est Abrahæ. Vere evacuetur promissio, si testamentum sit irritum per legem. *Nam si hæreditas* habetur *ex lege*, quod tamen esse nequit, si *ex lege*, *jam non* habetur *ex repromissione*. Quia si non ex repromissione, falsus est Deus qui promisit. Quod si ita est, ergo nec ullo modo habetur. Sed verus est Deus qui promisit. Ergo ex repromissione ejus et non ex lege. Si ex lege, non ex repromissione; sed ex repromissione habetur. Vere ex repromissione, quia *Abrahæ donavit Deus* hæreditatem *per repromissionem*. Ergo non per legem. Et quia probo per legem, nec justitiam, nec haberi benedictionem. *Igitur* oppones mihi *quid* profuit *lex?* Frustra videtur esse data, cum neque justificet neque salvet. Verum quidem ait Paulus, quod neque justificat, neque salvat, nec tamen ideo inutilis, quia *posita est propter transgressiones* multiplicandas, addidit enim peccatum prævaricationis quod non erat. Et necesse erat ut abundarent transgressiones. « Ubi enim abundavit delictum, superabundavit gratia (*Rom.* v, 20). » Vel ita : Posita est lex propter vitandas **216** transgressiones; lex enim puniens reum, timere facit peccatum. Iterum ille : Si propter transgressiones; ergo lex utilis tenenda. Minime ait Paulus, quia lex ad tempus posita est, *donec veniret semen*, id est Christus, de quo ait : In semine tuo, etc., *cui* semini *promiserat*, id est promissio facta fuerat. Lex dico *ordinata*, id est non permansura; sed secundum ordinem suum in tempore disposita. Prius enim lex naturalis; dehinc ista lex scripta. Ad ultimum gratia, *ordinata*, dico, *per angelos*, id est per Moysen et Aaron, qui fuerunt nuntii Dei ad populum; vel, per cœlestes angelos, quorum ministerio tradita fuit lex Moysi. Iterum ille : Quod per angelos factum est, destruere malum est. Contra hoc Paulus : Ita dico per angelos ordinata ut esset *in manu*, id est in potestate *Mediatoris* Christi Angeli enim quicunque fuissent, hoc voluerunt, ut, veniente fide, evacuaretur lex. Et quia modo dixerat mediatoris; qui enim medius est duas extremitates conjungens, videtur diversus esse ab iis quæ conjungit, ne putaretur Christus, dum mediator esset inter Deum et hominem, vel non esse Deus, sed aliud a Deo, qui conjungebat hominem. Vel si Deus esset, putarentur duo, unus qui conjungeret medius duo extrema; alter Deus, cui conjungeretur homo.

Et ad removendum hoc subdit : Dico mediatoris; *Mediator autem* concedo quod *non est unius rei* tantum mediator, sed duarum extremitatum, quia propter unum non diceretur medius. Et, licet non sit unius mediator, sed duorum, tamen propterea non sequitur quod sint duo dii, *sed unus* tantum *est Deus*. Vel aliter : Lex est posita in manu mediatoris; hic autem mediator non est unius, id est Judaici populi tantum; sed est unus, id est æque gentilis sicut judæi. Hoc inde constat, quia est Deus tam bene gentilis sicut Judæi. Infert a superiori : quia *testamentum hominis nemo spernit, aut superordinat*. Testamentum autem ante legem factum est. Ergo lex non destruit promissa Dei. Sed hoc sub interpro-

gatione sic ponit . *An* fatendum est quod *lex* sit *adversus promissa Dei*, ut per legem habeatur quod per fidem promittitur? *Absit* hoc ut lex sic adversetur promissis Dei, ut efficiat benedictionem, quæ per fidem promittitur! Vere lex non est adversus promissa Dei, ut possit benedictionem dare. *Nam si lex data esset quæ possit vivificare*, id est promissam benedictionem dare, tunc *vere justitia esset ex lege*, nisi enim justitia præcesserit, benedictio nequit apprehendi; sed ex lege non est justitia. *Scriptura* enim *conclusit*, id est ostendit conclusa. Vel Scriptura, id est eadem lex, et, per additum, peccatum quasi violenter conclusit, et conclusa esse ostendit *omnia sub peccato*. Ideo omnia conclusa sunt sub peccato, *ut* sic conclusi crederent, et illis tandem credentibus, *daretur promissio*, id est promissa benedictio, non ex lege, sed *ex fide Jesu Christi;* posset enim putari quod, licet crederent, non tamen merito fidei acciperent benedictionem.

Nota : ideo conclusit omnia sub peccato, ut crederent; nisi enim homines ita ligarentur sub vinculo peccati, quod nec viribus suis respirare possent, nunquam ad misericordiam quæ in fide constat, confugerent. Sed quamvis lex vivificare non possit, tamen opportuna fuit; quia, *priusquam veniret fides*, nos Judæi positi *sub lege custodiebamur*, id est sub custodia legis nutriebamur ad venturam gratiam. Sub lege dico *conclusi*, id est constricti in carcere velut servi. Minabatur enim pœnam, non promittebat requiem. Custodiebamur dico, ex hac custodia transituri *in eam fidem quæ* tunc figuris legis velata, *erat revelanda* per Christum. Et quia sub lege custodiebamur in fidem, *itaque lex fuit pædagogus noster*, nutriens nos ponendos *in Christo*, ideo in Christo, *ut* nos Judæi *justificemur ex fide* Christi, non ex lege. Pædagogus dicitur nutritor pueri, qui semper sequitur pedes ejus. Similiter lex pædagogus noster fuit, nutriens pueritiam et simplicitatem nostram, sicut solet puer nutriri verberibus et minis. Nos pueri eramus sub pædagogo. *At ubi*, id est postquam, **217** *venit fides*, id est maturitas morum, et jam adulti sumus; nos Judæi, *jam non sumus sub pædagogo*, id est sub lege. Ideo nos Judæi amplius non sumus sub lege, *quia* vos *omnes*, Galatæ, gentiles *estis filii Dei per fidem*, habitam in Christo Jesu non minus quam nos. Et si vobis nihil minus est apud Deum per fidem quam nobis, frustra teneremus legem, quæ per nos probatur nihil conferre nobis. Quia si nos Judæi legem, quia inutilem dimittimus, utique vos qui non habuistis, insania esset apprehendere.

Bene dico vos filios Dei in Christo Jesu. *Quicunque enim baptizati estis in Christo*, id est in institutione Christi Jesu, *induistis Christum*. Induere dicit. Homo enim per peccatum nudus et penuriam patitur et ignominiam; sed in baptismo veniens ad Christum induit eum, et ad tegendam nuditatem suam et ad gloriam. Bene dico *quicunque non est* enim *Judæus neque Græcus, non est servus neque liber; non est masculus neque femina*, id est non natio, non conditio, non sexus differens est in fide Christi. *Omnes enim vos unum* corpus *estis* per fidem *in Christo Jesu*. *Si autem vos* estis *Christi*, cum Christus sit Abrahæ supra enim dictum est et *semini tuo qui est Christus*, *ergo* per Christum vos, gentiles, *estis semen Abrahæ*. Et si semen, ergo *hæredes* benedictionis ejus, non per legem, sed *secundum promissionem*. In eodem quod superius probavit adhuc immoratur; sicut enim probavit non amplius revertendum esse ad legem, quia pædagogus fuit : fide autem perfectis, pædagogo non est opus ; idem adhuc aliis rationibus probat, scilicet Judæos non amplius debere operari sub lege, propterea quia lex loco tutoris et actoris fuit : quo tutore et actore non indiget maturitas fidei. Et hoc probat per similitudinem pupilli quem pater moriens sub tutore et actore esse disponit, donec maturitas ætatis faciat eum dignum libertate. Tutor pueri dicitur, qui contra impugnantem tuetur eum, ne exhæredari possit. Actor pueri dicitur, vel idem, vel alius; sed pro diversa causa, scilicet quia agit et dispensat bona pupilli, solvit census, respondet pro eo in causis. Lex similiter tutor et actor dicitur. Homines enim parum habentes divinæ cognitionis, et in eodem satis miseri et pupilli, indigebant prius lege quæ constringeret eos ut servos, ut, sub hac districtione nutriti, migrarent ad perfectionem fidei; et tunc lex erat eis tutor per præcepta quæ dabat, dicens : Ne facias hoc et illud. Quod si feceris, morte morieris. Sic per data præcepta tutabatur eos lex, et defendebat contra irruentia vitia, a quibus timore cessabant, nondum dilectione. Lex etiam erat ejusdem populi actor, per sacrificia quibus agebatur apud Deum ut expiarentur a peccatis. Littera sic jungitur. Non solum per id quod præmissum est, scilicet quia lex pædagogus fuit probo non ultra manendum esse sub lege, sed etiam per hoc quod lex loco tutoris et actoris fuit. Quibus quia ultra non indigemus, legem tenere injustum est. Vel aliter jungitur, ut sit adversa sententia, ita : Quia unum sumus in Christo et per fidem semen Abrahæ sumus, verum quidem est quia propter hæc non jam debemus tenere legem; sed tamen necessaria fuit, dum tutore et actore adhuc pupilli indigebamus. Et secundum hanc continuationem causa quæ prius non erat reddita modo supplebitur.

CAPUT IV.

« Dico autem : Quanto tempore hæres parvulus « est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; « sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præ- « finitum tempus a patre. Ita et nos cum essemus « parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Fi- « lium suum factum ex muliere, factum sub lege, « ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem « filiorum reciperemus. Quoniam autem estis Filii « Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra « [nostra] clamantem : Abba, Pater. **218** Itaque

« jam non est servus, sed filius. Quia si filius, et « hæres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes « Deum, his qui natura non sunt dii serviebatis. « Nunc autem cum cognoveritis Deum (imo cogniti « estis [sitis] a Deo), quomodo convertimini iterum « ad infirma et egena elementa, quibus denuo ser- « vire vultis? Dies observatis, et menses, et tem- « pora et annos. Timeo [vos] ne forte sine causa « laboraverim in vobis. Estote sicut ego, quia et « ego sicut vos, fratres, obsecro vos, nihil me læ- « sistis. Scitis autem quia per infirmitatem carnis « evangelizavi vobis jampridem et tentationem ve- « stram in carne mea non sprevistis, neque respui- « stis; sed sicut angelum Dei accepistis me, sicut « Christum Jesum. Ubi est ergo beatitudo vestra? « Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri « potuisset [posset], oculos vestros eruissetis et « dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, « verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene, « sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. « Bonum autem æmulamini in bono semper, et non « tantum cum præsens sum apud vos. Filioli mei, « quos iterum parturio, donec formetur Christus in « vobis. Vellem autem esse apud vos modo, et mu- « tare vocem meam, quoniam confundor in vobis. « Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non « legistis? Scriptum est enim quoniam Abraham « duos filios habuit, unum de ancilla (*Gen.* XVI, 15), « et unum de libera (*Gen.* XXI, 2). Sed qui de an- « cilla secundum carnem natus est: qui autem de « libera, per repromissionem; quæ sunt per allego- « riam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum « quidem in monte Sina, in servitutem generans, « quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia: « qui conjunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, « et servit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum « est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. « Scriptum est enim: « Lætare sterilis quæ non « paris. Erumpe et clama, quæ non parturis: quia « multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet « virum (*Isa.* LIV, 1). » Nos autem, fratres, secun- « dum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo « tunc is qui secundum carnem natus fuerat, per- « sequebatur eum qui secundum spiritum; ita et « nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et « filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ, cum « filio liberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, « sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit. »

EXPOSITIO.

Dixerat quidem non amplius opus esse pædagogo, sed causam non posuerat quare. Quam hic subdit, dicens: Licet vos modo unum in Christo pædagogo non egeatis, tamen dico quod vos jam indiguistis, sicut videtis quod, *quantocunque tempore* secundum dispositionem patris *parvulus est*, hic qui est *hæres* futurus quanto tempore, sive XX, sive XV, parvulus est. Licet sit destinatus hæres, tamen *nihil differta servo*, quia sæpe constringitur, et verberatur a tutore suo: *Cum*, id est quamvis, *futurus sit dominus* A *omnium*, nihil differt, sed pupillus ille *est sub tutoribus*, qui tuentur hæreditatem ejus, ne violenter auferatur, et *sub actoribus* qui causas pro eo agunt, et de hæreditate ejus disponunt. Est utique sub illis *usque ad tempus* quod *præfinitum* est a patre suo, id est, quandiu pater suus constituit eum esse alieni juris. Consuetudo enim erat usque ad XXII annos puerum esse sub patrono, ne dissiparet illicite substantiam suam. Quia Paulus non adaptat omnem similitudinem, bonum est ut adaptemus singula. *Quanto tempore* (hoc enim fuit a primo homine usque ad Christum) hic qui est futurus hæres, scilicet Judaicus populus: cui erat repromissa salus, quandiu hic hæres est parvulus omni tempore usque ad Christum, in cognitione Dei parvulus fuit, et B cum parvulus est, nihil differt populus ille a servo. Si enim præcepta sibi faceret, vitabat pœnam; sin autem, torquebatur ut servus asperrime; nihil interim differt a servo, licet sit futurus dominus omnium bonorum hæreditatis; sic populus ille pressus servitute legis, si de lege transiret ad fidem, constituendus erat dominus cœlestis hæreditatis. *Parvulus nihil differt a servo, sed est sub tutoribus et actoribus*, id est sub lege quæ tutatur eum per præcepta: et agit pro eo per sacrificia. Est utique sub illis usque ad tempus quod **219** præfinitum a Deo Patre in quo tempore de servitute legis transferretur ad libertatem fidei. Et quemadmodum parvulus hæres *sub tutoribus et actoribus est, ita et nos cum essemus parvuli* in cognitione Dei, *eramus* non liberi, C sed *servientes sub elementis*, id est sub legalibus. Quia sicut puer per elementa alphabeti transit ad cognitionem litterarum, sic per legem transeundum erat ad cognitionem Dei, in fide habendam. Elementum dicitur vel quasi elevamentum; per hoc enim ad scientiam quis elevatur. Vel quasi elimentum, ab *elimo*, *elimas*, etc. Vel quasi hylementum; hyle enim *materia*. *Eramus sub elementis mundi*, id est, quæ lex et mundana promittebat, et carnalia docebat.

Prius sic parvuli eramus. *At ubi*, id est postquam, *venit plenitudo temporis*, sive tempus plenitudinis: plenitudo ideo, quia quæcunque exspectata fuerant in anteactis sæculis, tunc fuere completa; tunc D enim perfecta justificatio, quæ antea non fuerat; tunc præsens et plena salvatio, quam ante diem illum exspectabat Abraham cum cæteris sanctis. Vel aliter: *Postquam venit plenitudo*, id est finis et consummatio temporis, quod constituerat primum præterire Deus, tunc *misit Deus Filium suum*. Cum Filius Dei ubique totus et præsens esset, hoc mittere nihil aliud fuit, quam quod eum qui invisibilis erat, in forma servi visibilem exhibuit. Filium dico, quem adeo humiliavit, ut *factum ex muliere*, id est ut eum qui infactus et sempiternus erat, facturam novam ex muliere vellet suscipere. *Factum* etiam *sub lege*, quia sub lege vixit, et legem implevit, dum hostia pro illo data fuit. Ideo sub lege, *ut* pretio sanguinis dato *redimeret eos qui erant sub lege*. Nisi enim sub

lege fieret, legemque teneret, a lege liberare, et legem destruere non posset, sicut oportuit ut mortem gustando, mortem destrueret. *Ut* redimeret, et ut redempti *reciperemus adoptionem filiorum*, id est essemus filii suscipientes adoptionem, id est hæreditatem æternam, quam nobis gratia Dei adoptavit. Ubi ait *factum ex muliere*, quæritur, cum ubique Deus totus esset, quomodo magis fuerit in utero Virginis. Cujus rei ponunt sancti similitudinem hujusmodi, quod, sicut anima, dum est in corpore, corpus ipsum sensificat, regit et vivere facit; segregata a corpore, alibi quidem tota similiter est, nec tamen ibidem officium facit: ita divinitas, licet alibi tota sit, ut in utero Virginis, non tamen sequitur quod idem operetur alibi quod in utero Virginis. Superius notasse debuimus quod, quemadmodum parvulus ille, si prius quam veniat ad maturos annos moritur, hæreditatem amittit; sic qui de lege ad maturitatem fidei transire noluerit, expers fit hæreditatis.

Dicerent Galatæ: Vos quidem, Judæi, recipietis adoptionem filiorum: sed quid proderit nobis? Ad hoc Paulus: Non solum nos sumus filii, sed quod vos gentiles similiter estis filii. Probat hoc quod *Deus misit Spiritum Filii sui*, id est eumdem quem Filius habuit, vel quem Filius dedit. Misit, dico *in corda nostra*, id est meum et vestra, Spiritum dico *clamantem*, id est clamare nos facientem: *Abba*, Judæos; *Pater*, gentiles. Et quandoquidem utrique filii sumus et clamamus. *Itaque jam non est* aliquis *servus, sed filius. Quia si Filius*, erit *etiam hæres* beatæ hæreditatis. Et quod ita futurum sit, testor vobis per Deum. Vel ita: *Hæres* erit *per Deum*, id est per misericordiam Dei, non per legem. Nunc reducit eis ad memoriam priorem statum, quem habuerunt in cultura idolorum, probans pro nihilo idola dimisisse, si legem accipiunt. Lex enim jam est idololatria ex quo venit gratia. Quia qui legem putat esse ad justificandum necessariam, derogando Deo, quod Dei est, legi attribuit, quemadmodum idololatræ attribuebant quod Dei erat, idolo. Nunc etiam si legem accipiunt, deterius erit quam prius; tunc enim per ignorantiam, nunc vero scientes et prudentes manum mittent in ignem. Littera sic jungitur: Nunc estis filii, sed tunc quidem ante conversionem serviebatis his qui non erant dii. Et si per opinionem, **220** non tamen per naturam. Tunc sic serviebatis, sed nunc, *cum cognoveritis Deum*, contra hoc quod ait *ignorantes;* et dicens *cum cognoveritis* Paulum dixisse *eos et corrigo*, imo cum vos *cogniti*, id est approbati estis *a Deo, quomodo*, id est qua ratione *convertimini iterum*, quia olim in eodem eratis, *ad elementa*, id est ad illa legalia *infirma*, id est etiam tempore suo impotentia justificare quemlibet; *et* etiam in illa infirmitate *egena*, id est alieno auxilio egentia. Hoc enim tantulum quod faciebat [fiebat] nisi per auxilium futuræ fidei non poterat, *quibus* elementis modo *servire vultis* et *denuo*. Lex enim amodo vobis erit

A idem, quod idolum fuit olim. Vere convertimini ad legem; *nam* vos *jam observatis dies*, id est Sabbata; observatis etiam *menses*, id est innovationes lunæ; *et tempora*, id est jejunia Hebræorum, in temporibus statuta; observatis etiam *annos*, id est septimum annum, et jubilæum more Hebræorum.

Et quia sic agitis, *timeo vos*, id est nihil adeo in vobis timeo sicuti vos. Timeo, inquam, *ne forte* (quod cito contingere potest) *laboraverim in vobis sine causa*, id est sine fructu utilitatis. Sed ne me frustra laborasse contingat, *estote sicut ego*, non curantes legalia, *quia et ego* fui olim legalis *sicut vos* esse vultis, et deserui. Modo videte, quam insipienter hoc velitis. Vel ita: *Estote sicut ego*, quia ego sum sicut vos, gentiliter vivens. Imponebatur Paulo
B ab illis pseudo, quod odio haberet Galatas, et ideo non aperuisset illis omnem veritatem. De quo modo excusat se, et laudat eos de priori conversatione, in qua se multum benignos exhibuere Paulo. Ideo etiam sic blanditur, quia post pauca verba asperius est eos aggressurus. Littera sic jungitur: *Estote sicut ego*, et *obsecro vos* ut sitis *fratres* mei, piam affectionem habentes erga me; *nihil* enim *læsistis me* in aliquo. Quare ego odiens vos debuerim subticuisse veritatem. Nihil me læsistis; sed scio (et vos bene *scitis*) *quia evangelizari vobis per infirmitatem carnis;* non tamen spiritus, quia si infirmabar et contemptibilis eram secundum carnem, in virtute Spiritus per miracula fortis apparebam. Prædicavi
C per infirmitatem: nec pauco tempore, sed jam pridie, quod tædio vobis esse posset mea infirmitas. Et cum tanta me premeret infirmitas, *vos* tamen *non sprevistis* cum prædicabam, neque respuistis, cum primum ad prædicandum veneram, *tentationem vestram* factam *in carne mea*. In infirmitate enim mea tentabat vos Deus, quasi diceret: Si infirmitatem Pauli abjiciunt, rei sunt. Si benigne suscipiunt, digni sunt. Respuere plus est quam spernere, sicut penitus abjicere magis est quam patiendo contemnere. Non me sprevistis, *sed excepistis me sicut angelum Dei*, et *sicut Christum Jesum*. Et cum per hoc appareat nullam odii, sed multam esse causam dilectionis, male sentit qui suspicatur inimicari vobis.
D Et quia in exceptione mei adeo benigni fuistis, *ergo ubi est beatitudo vestra*, qua sic prius Evangelio obediatis? Et vere beatitudo, *quia* ipse *testimonium perhibeo vobis, quod si fieri posset eruissetis oculos vestros, et dedissetis mihi*. Posse fieri intelligit quod opportunum est fieri.

Et quia tanta vi dilectionis mihi devincti eratis, *ergo* nec credendum est quod ego *factus sum inimicus vobis*. Quod ideo putatis quia sum *dicens verum vobis*. Si veritatem reticerem, et vos blandiments palparem, sic me judicaretis amicum. Ego non sum inimicus vobis; sed illi *æmulantur*, id est diligunt *vos non bene;* sed ideo quia *volunt vos a fide Christi excludere*, ita ut, postquam vos plenius in errorem suum duxerint, vos *æmulemini illos*, et exigant a vobis imperiose quod voluerint. Sed nolite æmulari

illos; sed *æmulamini* et me et quemlibet *bonum*, nec aliquando in malo, si forte suadeam, sed *semper in bono; et non tantum cum præsens sum apud vos* æmulamini me, sed etiam cum absens fuero. Idem quod superius probavit, scilicet legem nos esse tenendam, adhuc probat per verba ipsius ejusdem legis. Sicut enim postea ostendit veniente **221** libertate fidei repudianda est servitus legis. Littera sic jungitur : *Æmulamini* me, et quemlibet bonum. Illos vero ne æmulemini ; quod si eos æmulari vultis, *o filioli mei*, dicite mihi. Illuc usque pendet construcio: Eos qui prius erant filii secundum integritatem fidei, diminutive filiolos appellat, quia volentes adhærere perversis, plurimum diminuti erant in bono filiationis. *Filioli mei, quos ego parturio*, id est de quorum instructione, maximo conatu laboro. Parturire enim dicitur labor ille, quem in emisione pueri mater patitur, priusquam puer extra mittatur. *Quos parturio iterum;* olim enim cum infideles eratis, multum laborem habui in vobis. Parturio et laboro in vobis, donec in Christo reformemini in fide cujus reformati estis, quia illis pseudo saltem consensistis. Nec ait *donec* reformemini, sed *donec Christus formetur in vobis.* Christus enim deformatus est, et formam suam perdidit in vobis seductis. Vel, deformatus est in vobis, id est in similitudine vestri. Audientes enim alii quomodo fidei Christi detrahitis, dicunt exemplo vestro insufficientem esse ad salutem fidem Christi.

Ut magis eos deterreret, aggravavit dictum dum ait *donec formetur Christus*, quem, quasi diceret, deformastis. Filiolos vos appello; sed, licet *absens*, dicam filiolos. Tamen modo *vellem esse* præsens *apud vos, et sic mutare vocem meam*, quia si modo vos appello filiolos, præsens dicerem vos alienos detrahentes Deo, et multa alia opprobria. Quæ Paulus licet diceret, si præsens esset, noluit tamen in Epistola scribere, sciens Epistolam permansuram, et de correctione eorum confidens, quorum improperium durare noluit; et merito, cum essent corrigendi. Si apud vos essem, mutarem vocem, ideo *quoniam* nunc *confundor*, id est verecundor *in vobis*. Laudaveram enim fidem vestram apud alias Ecclesias, quæ, audientes corruptionem vestræ fidei, æstimant me reum mendacii, et super hoc erubesco. Vos filioli mei, *dicite mihi*. Vel, si placet, non oportet illuc usque protendere sic continuando : *Æmulamini* me, quod utique debetis, quia vos estis filioli mei quos iterum parturio, etc. Sententia verborum non mutatur. Et quia *confundor in vobis* seductis, modo dicite et respondete mihi : *Vos qui sub lege vultis esse, nonne legistis vos legem?* Complexionem facit illis utrinque ; ferientem, quia si legem non legerunt, stultum est transire ad illud quod nesciunt. Si autem legerunt, cum eadem lex veniente fide prohibeat se teneri, plurimum desipiunt qui eam tenere volunt. Alterum tamen membrum complexionis exsequitur, hoc est, si legem legerunt.

Dicerent illi : Quid inde si legem legimus? Ideo A quæro an legistis quoniam ipsa lex se non esse tenendam aperte innuit. *Scriptum est enim* in lege quoniam *Abraham habuit duos filios.* Multos quidem filios habuit Abraham, sed de his duobus conveniens figura fuit ad fidem et legem. Hæc autem verba non eadem inveniuntur in Genesi ; sed æque valentia. De quibus duobus filiis Moyses totum ad finem usque descripsit, quod non fecit de cæteris. Quia Paulus non secundum singula allegoriam sequitur, bonum est ut eisdem verbis eam aperiamus. Abraham qui interpretatur *pater multarum gentium*, habens duos filios, id est duos populos, significat Deum habentem duos filios, Gentilem scilicet et Judæum. Non tamen quod singuli eorum sint filii Dei, nisi qui in utroque populo, digni fuerint inventi. *Duos filios habuit Abraham,* B *unum de ancilla*, id est Ismael de Agar, *et unum de Libera*, id est Isaac de Sara. Filius de ancilla significat Judaicum populum, filium ancillæ, id est legis, qui bene dicuntur filii ancillæ, qui velut servi serviebant timore pœnæ et amore carnalium in carnalibus. Filius autem liberæ significat populum fidelem, qui in libertate fidei Deo ex dilectione servit, non ex timore nec propter temporalia, sed propter æterna. Et licet uterque esset filius Abrahæ, tamen diverso **222** modo nati. *Qui* enim fuit *de ancilla*, scilicet Ismael de Agar, hic *natus est secundum carnem*, quia et Agar juvencula erat et fecunda. Similiter legalis populus natus est de ancilla, id est de lege secundum carnem, quia et in carnalibus et amore carnalium serviebat ; si peccaret, statim in carne puniri timebat. C Filius *autem qui* fuit *de libera*, scilicet Isaac, de Sara natus est non secundum carnem. Sara enim vetula erat et sterilis, sed *per repromissionem* Dei. Deus enim, sicut pie promiserat, virtute sua nasci facit filium de sterili et decrepita. Similiter populus fidelis, qui fuit de libera, id est natus ex fide, quæ libera est per dilectionem, non sicut ex ancilla per timorem. Hic populus natus est per repromissionem, quia Deus misericorditer promiserat se per fidem facere salvationem. Ideo erat per repromissionem, quia non servit Deo desiderio carnalium, quæ videt, sed amore spiritualium quæ nemo vidit, sed per solam repromissionem Dei habiturum se confidit.

Quæ omnia, scilicet Abraham habuisse duos fi- D lios, hunc de ancilla secundum carnem, hunc de libera per repromissionem, hæc omnia *dicta sunt per allegoriam*, id est per alium intellectum quam sit litteralis hic habendum. Ipse tamen non singulorum allegoriam exsequitur, nisi solum de ancilla et libera. Vere sunt dicta per allegoriam. *Hæc enim*, id est ancilla et libera, *sunt*, id est significant, *duo Testamenta*, Vetus et Novum. *Unum quidem* Testamentum, id est legem *generans* filios *in servitutem*, quia et timore pœnæ et pro carnalibus serviebant. Illud unum dico datum *in monte Sina ;* ibi enim lex data fuit in deserto. Sina interpretatur *mandatum*, et per montem altitudinem superbiæ accipimus, ut dicamus *generans in servitutem in monte Sina*, id est in superbia mandati. Judæi enim, qui soli legem

habebant, superbiebant, dicentes se populum Dei, alios non populum, sed canes. Unum Testamentum datum est in monte Sina, *quæ est Agar*, id est quod Testamentum significat Agar. Relatio bona est per *quæ*, quia sequitur proprium feminini generis. Agar interpretatur *alienatio*, ex ipso nomine innuens Vetus Testamentum alienandum esse et destruendum. Idem significavit hoc quod non in terra repromissionis, sed in deserto datum fuit, quod nunquam per opera hujus legis venturi essent in veram terram repromissionis. Vere *in servitutem, nam Sina est mons in Arabia*. Per hoc enim quod, dum essent in captivitate, accipiebant hanc legem, significabatur quod lex in captivitate data generabat eos in servitutem; nunquam per opera legis venturos in libertatem. Idem allegoricus innuit intellectus. Arabia enim *humilitas* vel *afflictio* interpretatur. Unde sic dicimus: *Sina mons est in Arabia*, id est mandatum, et superbia est in afflictis seu, quod idem est, humiliatis. Per hoc enim quod superbiebant de mandato, et sæpissime velut mali servi affligebantur per legem, apparet quod lex illa generasset eos *in servitutem*. Sina mons est in Arabia, *qui* mons *conjunctus est*, id est assimilatus *ei Hierusalem*, id est Judaico populo videnti Deum, quia aliæ gentes tunc temporis nesciebant Deum. Hierusalem dico, *quæ nunc est*, id est quæ in præsentibus videt, et colit Deum non in spiritalibus, et ideo non visura in futuro.

Mons ille *conjunctus est*, non quod radices ejus porrigantur usque Hierusalem, sed assimilatus Judæis, quia per montem Sina significatur superbia eorum, qua de mandato superbierunt. Per Arabiam significatur afflictio eorum, qua peccantes per legem affligebantur more servorum. *Ei*, Hierusalem, quæ nunc est, et quæ servit timore pœnæ, non amore. *Servit* dico *cum filiis suis*, id est cum proselytis, qui de gentilitate in circumcisionem transeunt. Vel *servit* tota insimul Synagoga cum filiis suis propriis. Hic illo genere servitutis, hic alio. Hierusalem quæ nunc est *servit*, *sed illa Hierusalem quæ est sursum*, id est non carnalia, sed spiritalia appetens, hæc *est libera*, quia non ex timore, sed servit ex dilectione: **223** nec temporalia quærit, sed æterna. Hæc est Ecclesia fidei, *quæ* superior Hierusalem *est mater nostra*. Ecclesia enim nos genuit in libertatem fidei. Vere *libera;* nam lætatur, erumpit et clamat: Vere mater; nam filii ejus multi. Quod sic ait: Libera est mater nostra. Nam sic de ea scriptum est in Isaia: *Lætare* tu, Sara *sterilis, quæ* modo *non paris; erumpe et clama, quæ non parturis* (*Isa.* IV, 1), id est quæ nec de pariendo laboras. Ideo lætare, *quia magis multi filii tui desertæ* Saræ quam sint filii ejus Agar, *quæ* nunc *habet virum*. Habebat Agar Abraham cohabitatione, non tamen dilectione. Carebat Sara Abraham cohabitatione, quem tamen habebat dilectione, quia colebat et diligebat eam ut legitimam uxorem. Isaias, qui post longa sæcula fuit ab Abraham, frustra sic loqueretur de Sara et Agar. Ad litteram, quare sic intelligendum est? Vere libera est, nam sic ait Isaias: O tu sterilis Ecclesia! Quia quædam steriles, quæ postea pariunt per gratiam, ut eadem Sara et Elizabeth, ideo addit: *Tu sterilis, quæ non paris, lætare* animo. *Erumpe* etiam exteriori gaudio *et clama*, id est invita alios ad congaudendum tibi. Tu dico quæ non solum *non paris*, sed *nec* etiam *parturis*, id est spe carens in tempore legis de pariendo, non conaris. Probavit quod sit libera; probat etiam quod sit mater. Littera tamen respondet ad proximum. *Ideo lætare*, etc., quia *filii desertæ*, id est Ecclesiæ, quæ in tempore legis cohabitatione a Deo derelicta fuit non dilectione. In tempore etiam legis magis dilexit Deus libertatem fidei quam servitutem legis.

Filii, inquam, desertæ magis multi sunt quam sint filii ejus legis, quæ nunc habet virum. Tunc enim lex multos generabat, sed qui fideles erant, ut Moyses et prophetæ, videntes duritiam eorum, nec saltem cogitabant eos de spiritualibus docere, quos quotidie in carnalibus mandatis videbant transgressores esse. Lex quidem tunc habebat virum, id est Deum cohabitatione, non tamen dilectione. Duæ matres sunt: altera libera, altera ancilla. *Sed nos fratres*, ego et quicunque fideles, *sumus filii*, non servitutis, sed *promissionis*, id est per promissam gratiam Dei, *secundum*, id est in similitudinem *Isaac*, qui non lege carnis, sed virtute divini promissi natus fuit. Ostendit nos esse natos in similitudine Isaac, quia eadem signa quorum figura præcessit in illo, videntur hodie in filiis Ecclesiæ. Et tamen adversatur conjunctio litteræ, hoc modo: Licet simus filii promissionis, tamen *quomodo tunc* in tempore Abraham, hic *qui secundum carnem natus fuerat*, id est Ismael, *persequebatur eum qui secundum spiritum* natus est, scilicet Isaac. Ismael enim natu major verberabat Isaac adhuc tenerum; quem videbat dominum sibi et hæredem futurum. *Ita etiam* fit *nunc*, quod qui carnales sunt persequuntur spiritales et affligunt, et quia sicut Isaac affligebatur ab Ismael, ita et nos spirituales affligimur a carnalibus. Itaque, fratres, per hoc apparet quod non sumus filii ancillæ; fuimus quidem servi olim sub lege, sed jam sumus filii liberæ, id est gratiæ. Sed interserit quædam dicens: Qui secundum carnem sunt, persequuntur nos, sed non est curandum; ipsi enim ejicientur, et nos in hæreditatem introibimus.

Quod sic ait: *Quid dicit Scriptura?* In eodem Moyse invenitur quia, cum Sara vidisset Agar et puerum ejus superbientes contra se et Isaac, ait ad Abraham: *Ejice ancillam et filium ejus* (*Gen.* XXI, 16). Similiter filii gratiæ dicunt: Domine, ejice ancillam, id est legem, et filium ejus, id est Judaicum populum. *Non enim filius ancillæ*, id est legis, *hæres erit* in promissa beatitudine *cum filio liberæ*, id est fidei, quemadmodum filius Agar ancillæ non fuit hæres cum filio Saræ liberæ. *Itaque, fratres, jam non sumus filii ancillæ* (sicut expositum est), *sed liberæ*,

qua libertate, id est per hanc libertatem quam habemus, *Christus* habens eamdem *liberavit nos* per eam.

224 CAPUT V.

« State et nolite iterum jugo servitutis contineri. « Ecce ego Paulus dico vobis quoniam, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Testificor autem rursum omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini; a gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem [dilectionem] operatur. Currebatis bene : quis vos fascinavit [impedivit] veritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio hæc non est ex eo qui vocavit vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v, 6). Ego confido in vobis in Domino quod nihil aliud sapietis. Qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. Utinam et abscindantur qui vos conturbant! Vos enim in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* xxii, 39). Quia si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Dico autem in Christo. Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque illa faciatis. Quia si spiritu ducemini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (*I Petr.* ii, 11). Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. »

EXPOSITIO.

Licet enim Christus sub lege fuerit, lex tamen non est dominata ei qui peccatum non habuit; sed ex sola libertate fecit, quidquid fecit. Et quia filii liberæ sumus; et per Christum libertatem apprehendimus, sicut ex eadem lege aperte colligitur, insania est ut, qui per fidem liber est, servum se faciat per legem. Et ideo quia liberi estis *state*, id est perseverate in hac libertate fidei, *et nolite contineri jugo servitutis*, id est atteri onere legis *iterum*. Et bene *iterum*, quia *si* vos fideles jam *circumcidimini*, idem est quod ad idola converti, quibus antea serviebatis. Dicerent illi : Nolumus omnem legem suscipere nisi solam circumcisionem quam habuit Abraham, qui fuit sine lege. Contra hoc Paulus : Nolite contineri jugo legis, *quoniam Christus*, id est fides Christi, *nihil proderit vobis*, si circumcidamini, et ecce *ego Paulus*, cujus auctoritas ubique vulgata est, hoc *dico* et affirmo *vobis* quod si circumcidamini, fides Christi non proderit vobis. Non solum quia Christus non proderit vobis, sed etiam propter importabile onus legis non debetis circumcidi. Quia sic ait : *Testificor rursum*, id est vel sicut olim dum eram in lege testificabar. Vel *rursum*, id est iterum, hoc adduco ad idem dissuadendum quod per præmissa dissuadebam. Testificor *omni homini circumcidenti se quoniam*, id est quod, ipse *est debitor universæ legis faciendæ*. Circumcisio enim exigit ut sequantur cætera opera legis, quemadmodum fides post baptismum exigit ut sequantur opera fidei. Et ne putetis vos posse circumcidi, nisi onus legis per omnia portetis. Vere Christus nihil proderit **225** vobis; nam si circumcidamini, *evacuati estis a Christo*, id est inanis facta est vobis fides Christi. Dicerent illi : Malumus a Christo evacuari quam non circumcidi, sicut Deus mandavit. Ad hoc Paulus : Non solum a Christo, sed etiam *excidistis a gratia* Dei vos, *quicunque in lege justificamini*, id est per legem justificationem quæritis. Hic bene determinat quomodo prohibeat circumcisionem, scilicet ut per eam non quærant justificationem, cum tamen passus sit circumcidi Timotheum, ut tolleret a se suspicionem, uterque tamen Paulus et Timotheus intelligens nihil conferre justitiæ circumcisionem. Vere nemo justificatur in lege; *nam nos* solum qui sumus *ex fide, exspectamus spem justitiæ*, id est beatitudinem quæ ex justitia speratur. Et quod exspectatio nostra certa sit, constat ex eo quia exspectamus per Spiritum, sic nos sperare insinuantem. Ideo ex fide tantum spem habemus; *nam in Christo Jesu*, id est in fide Christi Jesu, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed* sola *fides, quæ* tamen non sit otiosa, *sed operetur;* nec contumeliose, sed *per dilectionem* Dei et proximi.

Fides sola valet in Christo, et in hac fide vos *bene*, id est per dilectionem *currebatis*, id est operabimini. Sed *quis impedivit vos* male suadendo *non obedire veritati*, quam a me didicistis? Ut autem obediatis veritati, ne consenseritis alicui carnalium, quia *hæc persuasio* eorum *non est ex eo*, id est secundum Deum, *qui* per gratiam suam *vocat* vos ad regnum. Ideo ne consenseritis, quia *modicum fermentum*, id est vel saltem consensus, vel sola persuasio, vel illi pauci male suadentes. hoc, inquam, modicum *corrumpit totam massam*, et facit acidam, id est vel totam Ecclesiam, vel omnia bona eorum. Modicum quidem fermentum corrumpit totam mas

sam; sed vos non corrumpemini. *Ego* enim *confido in vobis*, et hoc *in Domino*, id est per cooperantem vobis gratiam Dei, *quod nihil aliud sapietis* quam quod sanum est, et ego vos docui. Vos non aliud sapietis; *sed* ille *qui conturbat vos*, id est qui puritatem fidei vestræ admistione infidelitatis turbidam facit, ille *portabit judicium*, id est sustinebit damnationem; etiamsi sit Petrus, aut angelus de cœlo. Modo respondet ad illud quod imponebant ipsi pseudo, scilicet quod prius quidem destruebat circumcisionem; sed, modo Hierosolymis correctus a Petro et ab aliis, prædicabat circumcisionem. Quod falsum esse comprobat dicens: Illi vos conturbant, sed ego non conturbo vos. *Si autem*, fratres, sicuti illi imponunt, *adhuc prædico circumcisionem*, adhuc ideo, quia, dum erat Judæus, prædicabat eam: si, inquam, sic prædico adhuc, sicut a principio prædicationis patior persecutionem a Judæis. Quia sicut imponunt si prædico circumcisionem, *ergo evacuatum est scandalum crucis*. Judæi enim scandalizabantur in hoc quod per solam crucem prædicabam justificari hominem. Quod si cruci admisceam circumcisionem, et ex utroque dicam justificari, placati sunt mihi Judæi. Ego non vos conturbo, sed illi conturbant vos. Et *utinam* non solum pellicula præputii, sed *penitus abscindantur* illi *qui vos conturbant*. Non intelligit Paulus membrorum abscisionem, sed sicut abscisi testiculi non generant, sic isti abscindantur, ne quemlibet generare possint in errore suo. Conturbant utique vos, dum in servitutem legis redigere volunt. *Nam vos, fratres, vocati estis in libertatem* Dei. Hoc tantummodo videte, *ne libertatem* vestram *detis in occasionem carnis*, id est ne propter libertatem licentius vos posse peccare credatis. Nec hoc faciatis, *sed servitute invicem per charitatem spiritus*, id est, per spiritalem dilectionem agentes.

Accepta occasione vult ostendere, eis facilitatem novæ legis quæ in uno sermone impletur, et hac iterum occasione corripit eos a detractione, dicens: Servite invicem per charitatem. *Nam omnis lex impletur* **226** *in uno sermone*, in hoc scilicet: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, sicut in epistola ad Romanos exposuimus (*Rom.* III). Lex præcipit dilectionem, *quod si* spernentes legem *invicem mordetis*, detrahendo alter alteri, nec solum mordetis, sed etiam *comeditis*, id est bona proximi per invidiam penitus devoratis. *Videte ne consumamini*, id est ne devoremini *invicem*, id est tu, quia detrahis proximo; ille, quia detrahit tibi. Posteaquam satis probavit legem non esse tenendam, incipit nunc approbare fidem et gratiam. Littera sic jungitur: Videte ne consumamini secundum suasionem carnis, mordendo et comedendo vos invicem; sed *dico vobis: Ambulate spiritu*, id est perficite bene operando secundum quod hortatur vos spiritus, id est ratio. *Ambulate* dico spiritu, et hoc *in Christo*, id est quod tantum licet facere per Christum; et non aliud, ut quis secundum rationem operetur. Si in Christo A estis, secundum spiritum ambulabitis. Etiam aliud bonum inde provenit, quia *desideria carnis*, et si per impugnationem sentiatis, *non* tamen actu *perficietis*. Sed licet non perficiatis, tamen *caro concupiscit adversus spiritum*; et sic impugnationem sentitis. Vel dicamus iterum: Bene dico desideria carnis, nam caro concupiscit adversus spiritum, *et spiritus*, id est ratio concupiscit ea quæ sunt *adversus carnem*. Vere caro et spiritus alter adversus alterum concupiscit. *Hæc enim*, id est caro et spiritus, *adversantur sibi*, non caro carni, nec spiritus spiritui, sed *invicem*, id est caro in spiritum, spiritus in carnem. Adversantur, ita *ut non faciatis omnia illa quæcunque vultis*, seu carnales, seu spiritales. Nemo enim adeo justus, qui non ad vicem cadat. Nemo B adeo malus qui nos ab aliquo quod caro suadet, se aliquando cohibeat. Dixit quod si vivimus, spiritu ambulare possumus. Quia si spiritum sequimur, desideria carnis non perficimus, quia caro pugnat adversus spiritum. De qua pugna carnis et spiritus modo vult dijudicare, dicens: Caro contra spiritum; spiritus pugnat contra carnem. *Quia si* vos *ducimini spiritu*, id est ratione, *jam non estis sub lege*. Lex enim posita est ut peccatores cohibeat, sed si secundum spiritum agitis, jam non peccatis, et qui non peccat, liber est a lege. Qui spiritu ducitur, non est sub lege; qui autem carne, is captivatur sub lege. Quod æquipollenter ait: Opera spiritus neminem redigunt sub lege; sed *opera carnis* illa *sunt* C *manifesta*, non oportet improperare ea. Turpitudo enim eorum omnibus est nota et captivitas. Ideo non curat detestari carnis opera, quia sola eorum nomina satis assignant fœditatem. Opera carnis dico *quæ sunt* hæc, scilicet *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*. Fornicationem vocat cum meretrici cibus, vel conjugatis pollui; immunditiam, turpitudinem illam quæ fit præter naturam. Et etiam in incestis osculis, et in tractatione polluta. Impudicitiam vocat etiam, si non sit fornicator, vel immundus, sed in verbis et habitu, et motatione membrorum non sit pudice temperatus. Luxuriam vocat superfluitatem carnis, sive in gula, sive in coitu. Quæ luxuria etiam haberi potest in uxore si superflue ea utatur.

D Opera carnis etiam sunt *servitus idolorum*, *veneficia*, *inimicitiæ*, id est longa odia, *contentiones* in verbis, *æmulationes*, quod quilibet invidens laborat usurpare sibi bonum alterius. Sunt etiam *iræ*, id est subitæ commotiones animi. Et de ira *rixæ*, quando res agitur pugnis. Sunt iterum *dissensiones*, quæ sæpe fiunt in Ecclesia. Sunt etiam *sectæ*, pro quo in Græco habetur hæreses. Sunt etiam *invidiæ*, id est malus livor animi; qui licet se non consecuturum sciat rem proximi, invidet tamen ei, eumque eam habere nollet. Iterum *homicidia*, *ebrietates*, id est consuetæ supra modum potationes, et *comessationes et similia his quæ modo prædico vobis, sicut olim prædixi*, cum vobis primum prædicavi, ut caveatis ab illis, *quoniam qui talia agunt*, hi

non consequentur regnum Dei, si in hoc actu A
227 comprehensi sunt. Hæc prædicta sunt opera carnis; sed opera spiritus *sunt hæc*. Et non ait opera, sed ad commendationem, ait *fructus Spiritus*. His enim operibus frui prodest et oportet. Fructus, inquam, Spiritus est *charitas*, id est dilectio Dei et proximi, de qua charitate sequitur *gaudium et pax*. Gaudium vocat lætam conscientiam; pacem ad omnes ex dilectione concordiam. Est etiam Fructus Spiritus *longanimitas*, id est spes. Si enim tardat retributio; non tamen minus sperat, vel impatienter exspectat. Et est opus Spiritus *patientia*, qua quæcunque toleramus adversa; et *bonitas*, id est pia affectio animi; etiam si non habet quid tribuat; *benignitas*, id est largitas communicandi quæ habet: *mansuetudo*, quod ita attractabilis B
et affabilis est omnibus; et *fides* quæ recte credit in Deum; *modestia*, id est temperantia verborum et actus; *continentia*, qua etiam a licitis continet se aliquis; *castitas*, quod caste utitur licitis, ut vir uxore. Hæc sunt opera Spiritus, et *adversus* opera *hujusmodi non est lex;* sicut supra diximus, non estis sub lege. Hæc sunt opera carnis. Hæc sunt opera Spiritus; *qui autem sunt Christi, faciunt opera Spiritus*. Quod sic ait: *Crucifixerunt hi qui sunt Christi, carnem suam*, quod nullos sensus quandiu in Christo sunt, inclinare queunt ad vitia. Illi dico certantes *cum vitiis* et cum *concupiscentiis*. Vitia accipit in actu; concupiscentias, in voluntate. Non solum carnem crucifigamus, ne malum operemur; sed etiam *ambulemus Spiritu*, id est proficiamus bene operando secundum quod admonet ratio; C
justum est ut ambulemus Spiritu, *quia vivimus Spiritu;* et si justificati vivimus Spiritu, sequitur ut etiam ambulemus Spiritu. Vivit homo per justificationem fidei. Ambulat cum operatur ea quæ fides exigit. Et si vivimus et *ambulamus*, in hac ambulatione non *efficiamur cupidi inanis*, id est mundanæ gloriæ. Non est peccatum si bene agentes laudamur, sed si laudari cupimus; non simus cupidi inanis gloriæ. Nos dico qui hoc cupimus *invicem provocantes;* quia superbia quæ non patitur parem, nisi præferatur omnibus, indignatur, provocans ad litem. Et si non aperte provocare audentes, saltem animo *invidentes invicem*, id est D
alter alteri.

CAPUT VI.

« Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in « aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujus- « modi instruite in spiritu lenitatis, considerans « teipsum, ne et ut tenteris. Alter alterius onera « portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nam « si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, « ipse se seducit. Opus autem suum probet unus- « quisque, et sic in semetipso tantum gloriam ha- « bebit, et non in altero. Unusquisque enim onus « suum portabit. Communicet autem is qui cate- « chizatur verbo, qui se catechizat in omnibus « bonis. Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ « enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam « qui seminat in carne sua, de carne et metet « corruptionem; qui autem seminat in Spiritu, « de Spiritu metet vitam æternam. Bonum au- « tem facientes non deficiamus; tempore enim suo « metemus, non deficientes. Ergo dum tempus ha- « bemus, operemur bonum ad omnes, maxime « autem ad domesticos fidei. Videte qualibus Et- « teris scripsi vobis mea manu. Quicunque enim « volunt placere in carne, hi cogunt vos cir- « cumcidi; tantum, ut crucis Christi persecutio- « nem non patiantur. Neque enim qui circum- « ciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos cir- « cumcidi, ut in carne vestra glorientur. Mihi « autem absit gloriari nisi in cruce Domini no- « stri Jesu Christi, per quem mihi mundus cru- « cifixus est, et ego mundo! In Christo enim « Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque « præputium, sed nova creatura. Et quicunque « hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et « misericordia et super Israel Dei. De cætero « nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata « Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia « Domini Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. « Amen. »

EXPOSITIO.

228 Postquam in communitate omnem Ecclesiam correxit et instruxit, nunc divisim admonet prælatos, ut in lenitate instruant peccantes subditos, et econverso admonet subditos ut æquo animo in omni obedientia audiant prælatos, dicens: Quia vivitis Spiritu, ambulate Spiritu; *vos* autem *qui spiritales estis*, id est prælati: omnis enim perfectus etiam si officio careat, imperfecto tamen prælatus est; vos, inquam, spiritales licet *in aliquo delicto præoccupatus fuerit aliquis;* nec mirum si peccat quia homo: præoccupatus dicit non quod ex industria peccaverit, sed quia providere sibi nescivit, vos, inquam, prælati *instruite* hominem *hujusmodi in spiritu*, non furoris, sed in spiritu *lenitatis*. Nunc de plurali transit ad singularem, loquens similiter cuilibet prælato. Cum lenitate corrige delinquentem tu, quicunque prælate, *considerans teipsum*, *ne tu etiam tenteris* similiter. Sæpe enim Deus sic pie disponit ut, qui indignando obhorret casum proximi, in idem præcipitetur, vel in pejus. Nec solum instruatis delinquentem, sed etiam *portate onera alter alterius*, prælatus onus subditi. Portate dico compatiendo, orando, et jejunando ut fiat ei remissio. *Et sic* vicissim supportando vos *adimplebitis legem Christi*. Christus enim nescius peccati, dum peccata nostra in cruce portavit, hanc in se legem attulit, ut alter sic portaret peccatum proximi. Considera teipsum, ne similiter tenteris. *Nam si quis* inconsiderate agens, *existimat se esse aliquid, cum* ex se *nihil sit*, et si gratia in eo aliquid sit, ipse sic opinans *seducit seipsum*, id est seductor sui ipsius est. Nolite seduci, sed *unusquisque probet*, id est videat, an probabile

sit *opus suum, et sic* probatus *habebit gloriam* tantummodo *in semetipso*, id est apud se in conscientia, *et non in altero*, id est non in consideratione et contemptu alterius. In se debet gloriari non in altero. *Nam unusquisque* seu justus, seu peccator, *portabit* in die illo *onus suum*, id est manipulum suum, quem opera sua colligere digna sunt, seu bonum, seu malum. Vel ita de peccatore tantum sermo sit. Tu, ut juste, ne glorieris in contemptu peccatoris. Nam unusquisque peccator portabit onus suum, id est pondus peccati sui.

Admonitis prælatis, quales se debeant exhibere subditis, admonet subditos ut reverenter obediant prælatis, dicens: Prælatus cum lenitate instruat subditum. *Is autem qui cathechizatur*, id est qui instruitur, licet non exemplo boni operis : sed saltem *verbo :* is, inquam, *communicet* et obediat *et in omnibus bonis* quæ facit et hortatur. *Ei* dico *qui se catechizat*, id est qui instruit illum. Dico communicate his qui vos instruunt, et *nolite errare*, id est nolite vos excusare, dicentes non esse obediendum eis qui verbo bene docent, et non sic agunt, ideo nolite sic errare, quia *Deus non irridetur*, id est non calva occasione decipietur. Quod si deciperetur, irrisibilis esset. Vere non irridetur, *quia quæ seminaverit homo, hæc utique metet.* Et vere seminata metet, *quoniam qui seminat in carne sua*, id est qui operatur corruptibilia carnis desideria, hic utique *metet de carne corruptionem*, quia seminavit corruptionem. *Qui vero seminat in Spiritu*, id est secundum rationem, hic *metet de Spiritu spiritalia*, scilicet, vitam æternam. Postquam divisim prælatos, deinde subditos instruxit, iterum omnem Ecclesiam mistim admonet, dicens : Vos prælati in lenitate subditos instruite. Vos subditi in omni bono his qui vos instruunt, communicate. Omnes autem, tam prælati quam subditi, æque *bonum facientes non deficiamus bene operando.* Nec deficere debemus in operando, quia metemus mercedem operis tempore suo, id est opportuno, *non deficientes* in metendo. Et quia metemus non deficientes, *ergo, dum tempus* operandi *habemus*, id est in hoc mundo : *operemur bonum ad omnes, maxime tamen ad domesticos fidei.* Prius enim fidelibus necessaria ministrare debemus, dehinc si superabundat etiam infidelibus.

Ab hoc loco Apostolus propria manu præscripsit Epistolam, ne Galatæ ambigerent hanc Epistolam **229** esse Pauli, quia destruebat hic circumcisionem, de quo illi pseudo dixerant Galatis quod modo Paulus doceret circumcisionem. Unde sic ait : Ut hæc præcepta credatis esse mea, *videte qualibus litteris scripsi vobis*, ab hinc *mea* propria *manu*, ut cognitione A scripturæ meæ certi essetis hanc Epistolam esse meam. Et his quæ scripsi obedire debetis, non illis. *Quicunque enim volunt placere* illis Judæis *in carne*, id est in carnalibus persuasis, *hi cogunt vos circumcidi.* Cogunt utique, quia importuno sermone vos compellunt ad id quod rationibus comprobare nesciunt. Cogunt vos circumcidi, hoc *tantummodo* intendentes, *ut non patiantur* a Judæis *persecutionem crucis Christi*, quam prædicant. Judæi enim crucem Christi cum circumcisione bene concedebant prædicari. Vere ideo tantum ne patiantur, quia amore legis nihil faciunt. Quod sic ait : Hi pseudo *qui circumciduntur non custodiunt legem, sed* pro eo solo *volunt vos circumcidi, ut glorientur* apud alios *in carne vestra* circumcisa. Aiunt enim illis : Videte quantum B incrementum per nos lex vestra habeat, illi gloriantur in carne. *Sed mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* Ego enim nec quæro, nec prædico gloriam, nisi crucis. *Per quem* crucem. Crux enim secundum Priscianum, de dubiis generibus est; et secundum Haimonem, in Græco, masculini, et ideo translator noluit mutare relationem. Per quem crucem, vel per quem Christum crucifixum, quod idem valet. *Mundus est mihi crucifixus*, ita quod nihil amplius de suis oblectamenti offerat mihi mundus. Ego etiam crucifixus sum mundo; quod si mihi mundus aliqua offert, ita crux Christi me confirmatum astrinxit quod non possim declinare ab illa. Ideo in cruce tantum glorior, *quia in Christo Jesu neque circumcisio valet aliquid, neque præputium,* C *sed solummodo nova creatura*, id est fides quæ innovat mentem, et etiam carnem quam facit a peccatis liberam. Non ideo addidit præputium, quod aliquid putaret illud valere ad fidem, sed ut ostenderet circumcisionem non plus conferre in Christo quam præputium. Ego tantum glorior in cruce, *et quicunque hanc regulam* crucis *secuti fuerint*, ut in ea tantum glorientur, *pax* fit *super illos* Galatas qui non peccaverunt, *et misericordia*, id est secunda remissio his qui lapsi sunt. Et non tantum super illos, sed etiam *super* omnem *Israel*, non qui fuerit carnis, sed Dei. In Christo tantum quærite gloriam. *De cætero*, id est de circumcisione (quam excludo) *nemo mihi molestus sit.* Vel ita in præterito me molestati D estis, sed de cætero, id est amodo, videte ne quis mihi molestus sit. Nec debetis me molestare. *Ego enim porto in corpore meo stigmata Domini Jesu Christi.* Stigma dicitur signum, quod fit calido ferro. Hic autem Paulus catenas et cætera tormenta sustinens, pro Christo stigmata, id est signa, quod miles Christi esset, in corpore portabat. *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS.

Ephesii sunt Asiani. Hi accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide. Hos collaudat Apostolus, scribens eis ab urbe Roma de carcere, per Tichicum diaconum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Ephesus civitas est in Asia. Non hæc est Asia quæ dividit orbem, sed est provincia quædam in Græcia, habens septem civitates, quarum Ephesus metropolis est, quibus Joannes, relegatus in Pathmos insulam, scripsit Apocalypsim. Hi Ephesii audito verbo fidei a Paulo, crediderunt, et opera fidei laudabiliter **230** operati sunt. Quibus Apostolus, dum Romæ esset in carcere, scripsit hanc Epistolam, sollicite providens eis ne forte de eo quod in fide bene perstiterant superbirent, et hoc virtuti suæ ascriberent. Quod, sicut incœperat in eis misericordia Dei, pie consummabat. In hac autem Epistola materiam habet beneficia Dei. De quibus in hunc modum agit, ostendens ea esse non ex merito hominis, sed ex beneplacito Dei. Ostendit etiam beneficia Dei esse hujusmodi, quod nemo tanta perfectione ascendit in illis, quin adhuc relinquatur ei quo ascendere possit. Sicut enim homo semper habet quo recidat, ita semper habet quo crescat. Agit etiam hic, quomodo patres debeant præesse filiis, filii parentibus subjici. Similiter de dominis et servis; de uxoribus et maritis, quanta confœderatione sibi vicissim pro modo conditionis et sexus debeant subservire. De beneficiis Dei in hunc modum ideo agit, ne Ephesii de bono quod agunt occasionem habeant superbiendi, dum nihil ex se, sed totum se habere audiunt ex misericordia Dei. Iterum ideo ne torpeant in bene agendo, dum audiunt se posse invenire quo crescant in obsequio Dei. Hos Ephesios Paulus discedens ab eis in unum convocavit, dicens eis : Ecce sanam fidem tradidi vobis, videte ne hanc irritam faciatis. Ego enim amodo liber sum, sed si male egeritis, Deus hoc requiret a vobis (*Act.* xx, 27). Pro his verbis et hujusmodi solertiores fuerunt providere sibi.

EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem « Dei, sanctis omnibus qui sunt Ephesi, et fideli- « bus in Christo Jesu, gratia vobis et pax a Deo « patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus « Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui be- « nedixit nos in omni benedictione spirituali in cœ- « lestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante « mundi constitutionem, ut essemus sancti et im- « maculati in conspectu ejus in charitate. Qui præ- « destinavit vos in adoptionem filiorum per Jesum « Christum in ipsum, secundum propositum volun- « tatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua « gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habe- « mus redemptionem per sanguinem ejus in remissio- « nem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, « quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et « prudentia, ut notum faceret nobis sacramentum « voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus quod « proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis « temporum instaurare omnia in Christo, quæ in « cœlis et in terra sunt in ipso. In quo etiam nos « sorte vocati sumus, prædestinati secundum pro- « positum ejus, qui operatur omnia secundum con- « silia voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus « nos qui ante speravimus in Christo. In quo et vos « cum audissetis verbum veritatis, Evangelium sa- « lutis vestræ recepistis. In quo et credentes signati « estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus « (arrha) hæreditatis nostræ in redemptionem acqui- « sitionis in laudem gloriæ ipsius. Propterea et ego « audiens fidem vestram quæ est in Christo Jesu, « et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gra- « tias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in « orationibus meis, ut Deus, Domini nostri Jesu « Christi Pater gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ « et revelationis in agnitione ejus; illuminatos ocu- « los cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis « ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in san- « ctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis « ejus in nos, qui credimus secundum operationem « potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Chri- « sto Jesu, suscitans illum a mortuis. Et constituens « ad dexteram suam in cœlestibus super omnem « principatum, et potestatem, et virtutem, et domi- « nationem. Et omne nomen quod nominatur non « solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro; et om- « nia subjecit sub pedibus ejus. Et ipsum dedit ca- « put supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ip- « sius **231** et plenitudo ejus qui omnia in omnibus « adimpletur. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. *Paulus apostolus Christi Jesu*, quem Christus Jesus Apostolum gentibus consecravit. Unde apparet quod vobis Apostolus sit. *Paulus*, inquam, *apostolus Christi*, non per meritum suum, sed *per* solam *voluntatem* et bonum placitum *Dei*. Sic et vos quod boni estis non merito vestro, sed gratiæ Dei referatis. Paulus, inquam, *apostolus, per voluntatem Dei* scribit *omnibus sanctis*, id est perfectioribus qui in virtutibus sanciti sunt; scribit etiam *fidelibus*, id est minus perfectis, qui tamen bene servaverunt integritatem fidei. *Fidelibus* dico *in Christo Jesu*, id est qui fidem Christi Jesu custodiunt. *Sanctis* dico *et fidelibus qui sunt Ephesi*. Optat hoc Paulus. *Gratia* sit vobis perseverans, qui non peccavistis; his qui

saltem in venialibus lapsi sunt, sit gratia secundæ remissionis. Sit etiam vobis *pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo*, sicut sæpe expositum est. Ut ostendat omne beneficium esse ex misericordia Dei, in primis de beneficiis suis Deo gratias agit, dicens : *Benedictus sit Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi*, qui si Pater est Christi, nos autem fide filii Christi ; sic per Christum Pater nobis est. Benedictio nostra in Deo, nihil aliud est quam laudare et magnificare gloriam ejus. Benedictio autem Dei in nobis, exaltatio nostri est et provectus nostræ salutis. Hic nunc exsequitur duas electiones Dei in nobis. Primam, qua nos ab æterno tales futuros elegit ; alteram in tempore, quando nobis Spiritum cooperantem nobis misericorditer infudit, et utriusque electionis completiones adjungit. Primum ponens eam quæ tempore ultima fit, in qua immortalitatem et impassibilitatem recuperaturi sumus. Hanc autem quia dignior est, proponit ei quæ completur, ubi anima per misericordiam Dei ab onere peccatorum liberatur, dicens : *Benedictus* sit *Deus qui benedixit*, id est exaltavit nos. Ideo per præteritum quod futurum est designavit, ut ostenderet se adeo certum de hac futura benedictione, quomodo aliquis certus est de eo quod videt præterisse. Ideo etiam sic ait, quia intellexit sanctos jam secundum animas conregnare Christo. *Benedixit nos Deus in omni benedictione. Omni*, ideo quia sufficiens : *Benedictione* dico *spiritualis*, licet enim secundum corpus fiat hæc benedictio, tamen est spiritualis, quia sicut spiritus hominis solo intuitu gloriæ Dei sustentabitur, sic corpus pabulo visionis Dei saturabitur. *Benedictione* dico habita jam quibusdam secundum animas, et plene sanctis omnibus honoranda, non in hac terra, sed *in cælestibus*, ut etiam dignitate loci benedictio hæc commendabilior sit. *Benedixit* dico, sic *in Christo Jesu*, id est in operatione Christi Jesu, in quo Pater omnia operatur.

Ostensa impletione alterius electionis, subdit electionem quæ secundum justificationem animæ impletur hoc tempore, determinans prædictam impletionem esse ex misericordia Dei per electionem, de qua subdit, dicens : Sic nos Deus ex gratia benedixit, *sicut ex* sola gratia elegit nos *ante constitutionem mundi*. Ubi planum est non præcessisse meritum hominis. *Elegit nos* dico *in ipso Christo* in quo omnia fecit, vel in ipso permansuros. Ad hoc elegit *ut essemus sancti et immaculati :* sancti positione bonorum, immaculati emundatione malorum. Essemus utique tales *in conspectu ejus*, id est ut conspiceremus eum solum et in nullo mundum attenderemus. Vel, *in conspectu ejus*, id est qui ab eo conspicere mur. *Elegit nos*, dico, *in charitate*, id est in sola dilectione. Dicta electione quæ hic completur secundum justitiam animæ, subdit illam electionem cujus jam præposuit completionem, dicens : *Elegit nos ut essemus sancti ; quia* etiam *prædestinavit*, id est præordinavit ab æterno ; vel præparavit in tempore *nos in adoptionem filiorum* habendam. Noluit dicere immortalitatem, sed ut totum referret gratiæ Dei *in adoptionem*, id est in incorruptionem filiorum ex sola adoptione Dei nobis concessam. Adoptionem dico habendam *per Jesum Christum*. Nos dico venturos in ipsum, ut sicut ipse, sic et nos immortales **232** et impassibiles. *Prædestinavit* dico *secundum propositum voluntatis suæ*, id est secundum voluntatem suam propositam. Propositam, id est sic ab æterno præordinatam ; vel propositam, id est oblatam omnibus salvandis, nisi culpa eorum impedierit. *Prædestinavit*, inquam, ex sola voluntate *in laudem gloriæ, gratiæ suæ ;* id est ad hoc ut laudetur gratia sua, in qua gratia multiplex est gloria. Sunt enim quædam gratiæ Dei, ut ista temporalia quæ pie ministrat ; in quibus non est gloriandum, sed in incorruptione multiplex est gloria. Et hoc dixisse debueramus, quia primum incipit communiter a benedictionibus, quæ fiunt publice omnibus justis. Dehinc descendit ad illas quæ fiunt apostolis. Tertio subdit de illis, quas Deus dedit Ephesiis.

Posita duplici electione et dignioris completione præmissa, subdit completionem alterius, dicens : *In qua* gratia *gratificavit nos*, id est gratos nos fecit *in dilecto Filio suo*, id est in fide dilecti Filii sui, quem quia diligit et nos filios Filii sui diligit. *In quo Filio habemus redemptionem.* Nec per vile pretium, sed *per sanguinem Filii* effusum. *In quo* etiam *habemus remissionem peccatorum.* Omnes habent redemptionem, quia pretium sufficiens redemptioni omnium si vellent, datum est. Sed hi soli habent remissionem, qui se dignos redemptione Christi exhibuerunt. *Habemus remissionem secundum divitias ejus*, id est secundum gratiam ejus in hoc divitem, quia et originalia et actualia, et sive pauca fuerint, sive multa, omnia sine differentia remisit. Enumeratis beneficiis quæ sanctis fiunt in publico, ab hac communitate, descendit ad apostolos, dicens : *Quæ* gratia *abundavit in nobis* apostolis, *super*, id est magis quam in cæteris. Et dignum fuit, quia ab his accepturi erant alii. Abundavit dico *in omni sapientia et prudentia.* Sapientiam de cognitione divinorum dicit : prudentiam, quasi providentiam qua Paulus bene sciebat providere suis Ecclesiis. Omni, non quia omnia scirent, sed quia quidquid sibi necesse erat, tam de divinis quam de humanis, in promptu habebant. Ita *superabundavit ut nobis* apostolis *notum faceret sacramentum*, id est secretum *voluntatis suæ*, id est ordinem redemptionis humanæ. Sacramentum dicitur quasi secretum, eo quod non omnibus, sed paucis illud liceat aspicere. Notum faciet sacramentum hoc, scilicet instaurare *secundum bonum placitum ejus*, non secundum meritum hominis, quia nullum erat *quod* bonum placitum *in eo* Christo *proposuit*, id est præordinavit ab æterno. Vel *proposuit*, id est palam exposuit, Deus bonum placitum suum, si velit. *Proposuit* dico *in dispensatione plenitudinis temporum*, id est in plenitudine temporum. Tempus enim gratiæ, plenitudo temporum dicitur. Vel quia omnia ante prædicta et exspectata in eo per Christum fuere

completa. Vel plenitudo, id est finis et consummatio temporum quæ Deus ante tempus gratiæ præire constituerat. Plenitudine dico congrue dispensata. Prius enim voluit Deus experiri homines, quod libertate arbitrii et naturali lege nihil possent. Dehinc scriptam legem tradidit, per quam iterum impotentes evadere peccatum apparuerunt. Et postquam homo undique se cognovit impotentem, tunc demum apposuit Deus opportune gratiam cujus adjutorio posset homo quod per se non poterat.

Instaurare dico *omnia in Christo*, id est per Christum, *quæ in cœlis sunt* imperfecta, *et quæ in terra* sunt per peccatum corrupta. Ad hoc enim Deus fecit hominem et redemit ut diminutionem angelorum reintegraret salvato homine. Ideo etiam Christus carnem accepit ut hominem corruptum in peccatis restauraret in justitia. Sed hoc *restaurare* diversis modis accipitur. Christus enim fuit causa restaurationis angelorum; non quantum ad eos necessitas. Angeli enim puri erant, licet quibusdam sociis imminuti. Christus vero causa et necessitas restaurationis hominum. Causa ut per eum reintegraretur lapsus angelorum. Necessitas ideo quia nisi restauraretur a Christo, perditus erat per peccatum. *Instaurare* dico *quæ in terra sunt*, ita *quod in ipso* permaneant. Nisi enim in fide ejus permanserint, restauratio **233** eorum nulla erit. Vel aliter : *Instaurare in Christo* ea *quæ in cœlis sunt*, id est sanctos quorum animæ jam in cœlis regnant cum Christo, *et* ea *quæ in terra sunt, in ipso*, id est justos, qui si adhuc conversatione tenentur in terra, puritate tamen vitæ jam in ipso sunt. Dicerent Ephesii : Vos quidem apostoli ad tantam altitudinem vocati estis ad quam nos posse pervenire stultum esset saltem opinari. Ad hoc Paulus : *In quo* Christo *etiam nos* apostoli *vocati sumus*, non merito nostro, nec dignitate generis, sed *sorte*, id est divina electione. Sors dicitur divina electio, ut quando humanum judicium deficit, conferunt se homines ad electionem Dei. Non solum gratia vocati sumus, sed etiam *prædestinati*, id est præparati, sumus *secundum propositum ejus*, id est secundum quod pietas ejus de nobis proposuit. *Ejus* dico, *qui* sicut hæc in nobis, sic *operatur omnia in* singulis *secundum consilium voluntatis suæ*, id est secundum voluntatem suam consilio et discretione agentem. Vel ita : Non solum vocat nos ex gratia, sed etiam *qui omnia*, quæ post vocationem sequuntur, *operatur* in nobis *secundum consilium suæ voluntatis*, sicut dictum est. Ideo vocati et prædestinati, *ut simus in laudem gloriæ ejus*, id est ut digna laude glorificemus Deum qui vult laudari a nobis. Non quod laus nostra quidquam conferat illi, sed ut habeat causam benefaciendi nobis. Simus dico, *nos qui antequam* vos *speravimus in Christo*. In tempore tantum vos præcedimus, sed si vultis, in gloria non præcedimus. Sed fortassis præcedetis nos, cum dona Dei in sola electione consistant, non in genere, vel in prioritate temporis.

Nunc ab apostolis descensum facit ad beneficia Dei, ipsis collata Ephesiis, dicens : *In quo* Christo *vos* vocati estis sicut nos, et prædestinati non ex merito vestro, sed *cum audissetis verbum veritatis*, quia ex sola gratia misit ad vos prædicatores, et vos interius inspiratos audire fecit. Nec solum vocati, sed in quo Christo vos etiam credentes *signati estis*, ut appareatis de militia Christi, *Spiritu sancto*. Spiritu dico *promissionis*, id est vel quem Deus nobis promisit, vel qui Spiritus, jam secundum animam deificans nos, promittit nobis immortalitatem corporis in futuro. *Qui* Spiritus *est pignus*, id est arrha et principium habendæ *hæreditatis nostræ*, nobis promissæ in futura gloria. Signati estis *in redemptionem*, id est ut appareatis de his quos Christus redemit. Redemptionem dico *acquisitionis*. Per hanc enim et nos Deum acquirimus, et Deus non acquisivit. *Vocati* estis *et signati*, etc. *In laudem gloriæ ipsius*, id est ut per vos laudetur gloria ejus. Modo determinat intentionem suam, dicens : Quia vocati credidistis, et Spiritu sancto signati estis; *Propterea ego* (et sancti qui mecum sunt,) *ago gratias pro vobis*, et agens gratias non cesso. Hic bene innuit non esse torpendum illis securitate suæ justitiæ, sed omni hora de incremento perfectionis laborandum. *Ego*, inquam, *non cesso audiens fidem vestram quæ est in Christo Jesu*. Hoc ad minus perfectos respicit, de quibus in principio ait, *fidelibus in Christo Jesu*. *Audiens* etiam *dilectionem vestram* habitam *in omnes sanctos*. Hoc ad perfectiores respicit. De quibus ibidem ait *omnibus sanctis*. *Non cesso, gratias agens pro vobis, faciens memoriam vestri in orationibus meis*, pro habendis bonis. Quasi diceret : Sicut jam accepta bona intelligo esse ex gratia Dei, sic sentio de omnibus quæ habituri estis. Facio memoriam vestri, *ut Deus Domini nostri Jesu Christi*, cujus secundum humanam naturam Deus est, et Pater gloriæ ejus; Christus enim secundum deitatem quæ in eo gloria est, Dei Filius est, ut Deus et Pater *det vobis Spiritum sapientiæ et revelationis*, ut revelate possitis intelligere mysteria Dei. Sapientiæ dico, et revelationis habitæ *in agnitione ejus*, ut Deum ejusque mysteria cognoscatis.

Det etiam vobis *illuminatos oculos*, non dico corporis, sed *cordis vestri*. Tangit hic stultum errorem quorumdam (maxime gentilium) qui in primitiva fide, qui consueverant idola sua, quæ habebant manu tractare, **234** putabant cæca mente Deum rem hujusmodi esse, quæ et oculis carnis videri, et manibus posset palpari. *Det vobis illuminatos oculos, ut sciatis quæ*, id est quam digna res, et *quam* valens *sit spes*. Non tantum res sperata, sed solummodo sperare beatum est. *Quæ sit spes vocationis ejus*, id est rei ad quam vocamus, vel vocatorum, id est electorum ejus. *Et quæ* sint *divitiæ gloriæ hæreditatis ejus*, id est quam digna sit hæreditas ejus, in qua sunt divitiæ, id est nulla penuria, sed omnis copia. In qua etiam est gloria, id est permanens gaudium sine admistione doloris. *Hæreditatis* dico distribuendæ in quibuslibet sanctis. Et ut sciatis quæ sit *mayni-*

tudo virtutis, id est virtus ejus magna et incomprehensibilis. Et cum hæc magnitudo futura sit per omnes sanctos, *supereminens* tamen futura *in nos* apostolos, qui prius aliis credidimus. Et quod hanc virtutem Deus operetur in nos, probo per hoc quia jam *est operatus eam in Christo*. Quod sic ait: Virtutem hanc futuram in nos affirmo *secundum operationem potentiæ virtutis ejus*, id est secundum virtutem ejus potentialiter operantem, *quam* virtutem *operatus est in Christo*. Et hanc virtutem exponit, approbans per hoc quod similiter et possit et operetur in nobis. *Operatus est virtutem in Christo, suscitans illum a mortuis*, per quod et nos suscitabit, et apparet quod possit. *Et illum*, scilicet Christum, suscitatum *constituens ad dexteram*, id est ad æqualitatem *suam in cælestibus*, et ita quod *supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem*.

Hic quatuor ordines angelorum habemus; et per hoc quod sequitur *omne nomen*, intelligimus reliquos ordines. *Quod* nomen *nominatur*, id est nominabile est, *non solum in hoc sæculo, sed etiam* quodcunque nominabitur *in futuro*. Hoc ideo addidit, ne quis objiceret ei: Secundum hoc quod parum de angelis modo cognoscitis, concedo Christum supra poni illis, sed secundum hoc quod de illis in futuro plenius cognoscetis, caro Christi non supraponetur illis. Contra hoc ait: Non solum quod nominatur in hoc sæculo, sed etiam supra omne illud quod de angelis cognoscetur in futuro, eum supraposuit omnibus et omnia supposuit ei. Quidam enim sunt suprapositi multis, qui, licet inferiores, non tamen sunt subjecti eis. Unde ait: *Omnia subjecit sub pedibus ejus* (*Psal.* VIII, 8), id est tam plena subjectione, ut ille qui pedibus substernitur, vel *sub pedibus*, id est sub humanitate Christi omnia subjecit. Diceret ille: Et quid per hoc probas, si Christum suscitatum super omnia posuit, et omnia ipsi subjecit? Bene per hoc probo, ait Paulus, *quod ipsum* Christum Deus *dedit caput supra omnem Ecclesiam; quæ* Ecclesia *est corpus ipsius* Christi. Et putatis quod in capite gloriosus, et in corpore remaneat ignominiosus? Ecclesia est corpus, *et plenitudo ejus* Christi, qui Christus per eam adimpletur. Nisi enim justi resuscitentur eundo usque ad ultimum justum, corpus Christi remanet imperfectum. *Qui* Christus licet plenitudine Ecclesiæ *adimpleatur*, ipse tamen est *omnia*, id est omnis perfectio, in *omnibus*, id est in singulis membris, quia nec ipsa membra possunt adimplere eum, nisi per ipsum.

CAPUT II.

« Et vos [convivificavit] cum essetis mortui « delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando « ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secun- « dum principem potestatis aeris hujus spiritus; qui « nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus et « nos omnes aliquando conversati sumus in deside- « riis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et « cogitationum. Et eramus natura filii iræ, sicut et « cæteri. Deus autem qui dives est in misericordia, « propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, « et cum essemus mortui peccatis, convivificavit « nos in Christo, cujus gratia estis salvati. Et conre- « suscitavit et consedere fecit in cœlestibus in Christo « Jesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus « abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos « **235** in Christo Jesu. Gratia enim salvati estis per « fidem et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, « non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim « sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus « bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. « Propter quod memores estote quod aliquando vos « qui gentes eratis in carne, qui dicebamini præ- « putium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne « manufacta; qui eratis illo in tempore sine Christo, « alienati a conversatione Israel et hospites testa- « mentorum, promissionis spem non habentes, et « sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo « Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis « prope, in sanguine Christi. Ipse enim est pax « nostra, qui fecit utraque unum, et medium pariе- « tem maceriæ solvens inimicitias in carne sua. « Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos « condat in seipso in uno novo homine faciens « pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore, Deo « per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. « Et veniens evangelizavit pacem vobis qui longe « fuistis, et pacem his qui prope, quoniam per « ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu « ad Patrem. Ergo jam non estis hospites et ad- « venæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, « superædificati super fundamentum apostolorum « et prophetarum, ipso summo angulari lapide « Christo Jesu; in quo omnis ædificatio constructa « crescit in templum sanctum in Domino, in quo « et vos coædificamini in habitaculum [tabernaculum] « Dei in Spiritu sancto. »

EXPOSITIO.

Dixit superius Ephesios ex electione Dei vocatos, Spiritu sancto signatos, seque pro eis orare ut quod Deus pie cœpit in illis quotidiano perficiat incremento; et postquam tam dignos eos dixit in hac novitate gratiæ, reducit eis ad memoriam priorem statum quem habuerunt in peccatis, ut memores immunditiæ suæ non audeant præsumere, nisi de gratia Dei, quasi merito suo aliquid novitatis habuerint. Iterum propter hoc commemorat eis statum infidelitatis, ut cum videant quod gratia Dei eos de injustitia ad justitiam traxerit, certum habeant quod, si jam justi laborent, Deus qui illis injustis contulit, multo amplius et libentius conferet jam justificatis, si promereri voluerint. Littera sic jungitur: Nos apostoli credidimus, et vos similiter credidistis; vel ibi: Deus suscitavit Christum *a mortuis*, et vos similiter suscitavit a morte peccati; vel cum verbo quod inferius sequitur, sic construere possumus. Christum *dedit caput supra Ecclesiam*, et *vos convivificavit Christo*. Quocunque

tamen jungatur, ibi tamen pendet sententia, ubi ait : Christum *dedit caput supra Ecclesiam*, et vos dedit membra ipsius. *Vos*, inquam, *cum essetis mortui delictis et peccatis*. Mortui ideo, quia ita consepulti peccato quod nulla vi humana poterant evadere laqueum peccati. Delicta vocat, quando quod Deus præcipit non faciendo deserimus. Peccata dicit actus illos, fornicari, furari, et hujusmodi. *Peccatis* dico *vestris*, id est quæ jam consuescendo in illis, quasi vestra propria feceratis. Quomodo in peccatis fuerint, exsequitur, dicens : *In quibus* peccatis vos *aliquando*, id est tempore infidelitatis, *ambulastis*, id est de malo in pejus præcipitabamini, *secundum sæculum mundi hujus*, id est sequentes sæcularitatem, quæ nunquam de Deo, sed semper sollicita est de mundanis. Et ut magis aggravet peccatum, addit non solum secundum sæculum, sed etiam *secundum principem spirituum*, id est secundum diabolum qui princeps est, imperium habens super cæteros malignos spiritus ; vel *secundum principem* spiritus, ut collective accipiamus, quasi dæmonorum; vel *secundum principem spirituum*, id est aliorum dæmonum. Sicut enim in bonis angelis quidam prælati sunt, quidam subditi, sic in malignis distinctiones eædem sunt, et tamen unus solus omnibus prælatus esse creditur. *Principem* dico *potestatis aeris hujus*, id est qui potestatem habet in hoc aere ; commovet enim plerumque ventos et turbines in aere, quibus noceat hominibus, et fructibus terræ, ut ventus ille qui a regione deserti veniens, subruit domum, et filios Job oppressit **236** ab eo (*Job* I, 19), permissione tamen Dei, creditur immissus. Quos malignos spiritus ideo in aere conversari Deus disposuit, quia si in terra cum hominibus essent, et fructus terræ corrumperent, et homines ipsos intolerabiliter affligerent. Per hoc autem quod eos vocavit spiritus, vult curiosos reddere homines ut provide agant, quia hostis qui imminet, invisibilis est. Per hoc iterum quod in aere esse dixit, de eodem nos admonet, quia insidiator prope est.

Qui princeps diabolus *nunc*, quando vos gratia Dei ab eo liberavit, *operatur in filios diffidentiæ*, id est de quorum salute nos diffidimus ; Spiritus enim significabat Paulo in quibus laborare deberet, et in quibus non, sciens cor eorum impœnitens. Vel, *in filios diffidentiæ*, qui diffidunt de salute ; audientes enim quod resurrecturi sint, cœlum ascensuri, stultum hoc judicant, et ideo nolunt converti. Et cum de tantis peccatis gratia Dei ad justitiam vos traxerit, videte ne, unquam præsumentes, gratiæ Dei detrahatis. Quod ad augmentum perfectionis pervenire possint ex sequentibus indicat, quasi respondendo objicientibus sibi Ephesiis. Nobis tanto onere peccati prius depressis, non licet sperare de aliqua perfectione, sed sufficit si aliquo modo possimus salvari. Ad hoc Paulus removendum, se et apostolos parificat illis, quia ante fidem similiter fuerunt in peccatis, tamen dissimili modo, sicut indicabunt sequentia. Unde sic ait : *In quibus* peccatis *etiam nos* apostoli, sicut vos Ephesii omnes, etiam Petrus, *aliquando*, id est ante fidem, *conversati sumus*. Vere in peccatis ; nam *in desideriis carnis nostræ*, ut quod caro suggerebat, desideraremus. Nec solum in desideriis, sed etiam *facientes* opere *voluntatem carnis*, sicut comedere ad superfluitatem, et luxuriari. Facientes etiam voluntatem *cogitationum*, in quibus non ita caro delectatur ut laborare de gloria mundi ; vel, dictante avaritia multa pati pro congregandis multis. Nec tantum in actualibus istis, sed etiam *eramus*, nos Judæi, *filii iræ*, id est geniti ad vindictam tolerandam, *natura*, id est propter originale nos Judæi, sicut et cæteri, licet tunc falso opinaremur per circumcisionem mundari a peccato Adæ. Ira Dei nihil aliud est quam vindicta. Si continuemus, vel ad illud quod ait : Nos credidimus, et vos credidistis ; vel ad illud : Suscitans Christum et vos suscitavit ; tunc hic bene versus erit. Si autem inferius ad illud, *convivificavit*, porrigatur constructio, nondum finitur versus ita dicendo. *Cum* essetis *mortui*, *convivificavit* vos *Christo;* Deus autem fuit qui convivificavit ; vel, si ibi finis est, versus sic continuabimus : Nos quidem eramus in peccatis, *sed Deus qui dives est* et copiosus *in misericordia*, misericordia enim ejus super omnia opera ejus (*Psal.* CXLIV, 9), Deus utique *propter charitatem suam nimiam*, id est, incomprehensibilem *qua* charitate *dilexit nos*. Putarent illi : Dilexit nos justificatos, sed non quod diligit aliquos in peccato. Ad hoc Paulus : Dilexit dico etiam *cum essemus mortui peccatis*. Ne videatur absurdum, quod Deus diligere dicitur hominem in peccatis ; creaturam enim suam ubique semper diligit, sed malum quod in ea est, odit.

Deus, inquam, quia dilexit nos *convivificavit*, id est vivere *nos* fecit per justitiam animæ, *Christo*, id est ad similitudinem Christi, quod sicut ille justus, sic et nos justi. *Gratia cujus*, scilicet, Dei ut nos, sic etiam vos *estis salvati*, id est convivificati per justitiam animæ ; vel si pendeat infra constructio, ut dicamus convivificavit nos et vos Christo ; tunc dicemus cujus gratia estis salvati de futura salvatione. *Convivificavit* nos prima resurrectione animæ, *conresuscitavit* etiam secunda corporum resurrectione. Propter certitudinem quam inde habet, quod futurum est significat per præteritum. *Et* nos conresuscitatos Christo *fecit consedere*, ut jam in quiete regnaturos. *Consedere* dico Christo *in cœlestibus*, ut hæc beatitudo commendabilior sit etiam ex loco : *Consedere* dico Christo *in Christo Jesu*, et **237** cum eo et per eum, ideo convivificavit, et resuscitatos consedere fecit, *ut* per hoc *ostenderet in sæculis supervenientibus* his, id est futuris, *divitias gratiæ suæ*, id est divitem gratiam suam *abundantem in nobis*. Gratiæ dico factæ *in bonitate*, id est ex solo beneplacito suo, quia ad promerendum gratiam nullum præcessit meritum. Bonitate dico facta *super nos*, id est quæ nos superavit, quia tanta est quod nec eam intellectus noster capere sufficit. Et hæc

omnia dico *in Christo Jesu*; in ipso enim, et per ipsum, hæc omnia in nobis operatur Deus. Ideo voluit Deus hæc nota fieri his qui erant futuri, ut intelligeret homo quanta (si vellet) sperare posset de bonitate Dei. Modo ponit illud quod meritum videtur hominis, id est fidem, et meritum non esse ostendit. Vere in bonitate, *nam* vos *per gratiam salvati*, id est justificati estis. Concedo etiam ut apponas *per fidem;* etenim, id est fides non est ex vobis promerentibus ut fidem habeatis. Vere fides *non* est *ex vobis*, nam est donum Dei, et non ex operibus vestris. Et ideo Deus omnia ex gratia, et nihil ex operibus esse voluit, *ut non gloriaretur aliquis*. Videns enim angeli casum et hominis fuisse ex superbia, multum præcavere voluit homini a superbia. Et sicut fides ex dono Dei, sic opera quæ fidem sequuntur per gratiam Dei. Bene dico, *ut ne quis glorietur* in fide; nam etiam in operibus quæ sequuntur fidem, non reliquit Deus homini unde posset gloriari. Quod sic ait: *Nos sumus factura ipsius* Dei, cum nihil in bono essemus *creati in Christo*, id est per Christum Jesum *in bonis operibus*, *quæ* opera *præparavit nobis Deus*, *ut in illis ambulemus*, per eum proficiamus et crescamus. Vel, *factura* sit ablativus, ita factura, id est per facturam Dei sumus *creati in Christo*. Nihil ibi mutatur.

Quod supra ait: Nos fuimus in peccatis sicut vos, modo determinat dicens Judæos non tam graviter peccasse, sicut gentiles, sed licet ante fidem etiam viles Judæi abominarentur gentiles, Deus tamen sine discretione personarum parificavit eos, non illis qui prius improperant eis, sed sanctis ac perfectis. Et per hoc probat eos et gratiæ Dei multum obnoxios, et quod de incremento justitiæ, secure si volunt, possunt laborare, dicens: *Propter quod*, ut *ne quis* vestrum *glorietur*, *estote memores quod aliquando tempore* infidelitatis *vos gentes*, id est tales quales in peccato geniti eratis *in carne*, id est in operibus carnis. Vos dico *qui præputium*, id est ipsa immunditia *dicebamini ab ea circumcisione*, id est Judæis, quæ dicitur circumcisio, id est ipsa munditia. Et nihil est, quia hæc circumcisio in carne erat non in corde, *facta* etiam *manu* cujuscunque, non per Spiritum sanctum. Memores etiam estote quia *illo tempore* infidelitatis *eratis sine Christo*, quia Christus non promittebatur vobis. Eratis *et alienati a conversatione Israel*, id est Judaici populi; non enim tunc conversabantur vobis; vel, si forte cum eis conversabamini, ut proselyti; eratis *hospites testamentorum*, id est instabiles, id est modo euntes, modo redeuntes ad legem ducebamini. Testamenterum ideo pluraliter dicit, quia Moyses suum, Isaias suum, et quilibet propheta suum habebat Testamentum. Eratis etiam tunc *non habentes spem promissionis* factæ ad Abraham, nec enim licebat tunc gentibus sperare salutem; et eratis *sine Deo*, idola adorantes. Vos dico *in hoc mundo*, id est his mundanis adhærentes. Olim sic eratis, *sed nunc vos*, *qui aliquando eratis longe* a Deo et a Judæis, *facti estis prope*, utrique *in Christo Jesu*, id est per Christum Jesum. Et quomodo per Christum determinat: *In sanguine*, id est per effusionem sanguinis *Christi*. Probat de utroque, sed de Judæis primum, dicens: Vere facti estis prope Judæos, *quia ipse* Deus *est pax nostra*, id est pacificavit nos simul, gentiles et Judæos, *qui* Deus *facit utraque*, id est Judæum et gentilem, *unum* per unitatem fidei et morum et sacrificii. Unum autem hoc modo: *solvens parietem medium*, id est qui in medio positus, alterum separabat ab altero. **238** Hic paries fuit ex parte Judæorum, observationes eorum; ex parte gentilium, cultus idolorum. Et hunc parietem eorum solvit, dum idololatriam et ritus Judaicos evacuavit. Parietem dico *maceriæ*. Maceria dicitur, secundum quosdam, paries firmiter compactus et connexus. Hic paries erat maceria, id est fortis et ad destruendum difficilis, quia Judæi, auctoritate legis et prophetarum, ritus suos tuebantur. Gentes autem, per philosophiam, suum (in quo male consueverant) defendebant; vel dicitur maceria congeries lapidum sine cœmento congregata. Sic ille paries fuit maceriæ, id est debilis et Christo levis ad diruendum, ut sicca congregatio lapidum, et, soluto medio pariete, *solvit in carne sua* quam assumpsit *inimicitias* utriusque populi. Destructis enim ritibus Judæi et gentilis, jam non erat unde inimicarentur sibi. Quomodo solverit inimicitias ostendit in parte Judæorum, quorum ratio magis oppugnabat; sed quia gentibus nulla ratio erat, de his nihil subdidit. Solvens inimicitias, quia *evacuans legem* carnalium *mandatorum*, *decretis*, id est datis mandatis ex discretione inventis, ideo evacuans, hinc legem, inde idolum, *ut duos*, id est Judæum et gentilem, *condat utrumque in semetipso;* et quia in se condere posset adhuc divisos addit. *Condat*, inquam, *faciens pacem*, id est pacificans eos sibi vicissim. Et in quo pacem fecerit, subdit: *Faciens pacem* dico *in* se *uno novo homine*. Novo, quia homo gratiæ, ideo novo; quia, si esset legalis, oppositus esset gentili; si iterum gentilis, oppositus esset Judæo, et neuter consentiret inimico suo. Probavit quod gentilis sit prope Judæum; probat eumdem esse prope Deum, dicens: Et ideo solvens inimicitias *ut reconciliet Deo ambos*, id est Judæum et gentilem copulatos *in uno corpore*, id est in Ecclesia. Reconciliationis modum subdit. *Reconciliet* dico, *interficiens* ipse Christus *in semetipso inimicitias* quæ erant inter Deum et hominem. Ita *in semetipso* quod per crucem, id est per mortem crucis.

Hæc autem omnia parum prodessent, nisi prædicata forent; ideo addit: *Et* ipse Christus *veniens* in carnem *evangelizavit* per apostolos *pacem* ad Deum restitutam *vobis* gentibus, *qui longe fuistis* a Deo, quia sine Christo et sine Deo in hoc mundo eratis. Evangelizavit *etiam* pacem *his*, id est Judæis, *qui prope erant*, quia Deum colebant. Hoc prædicare fecit, *quoniam per ipsum* Christum ambo et Judæus et gentilis, *habemus accessum ad Patrem* Deum, non ambo positi *in uno Spiritu* fidei, cum hic prius esset

in Spiritu legis, hic in spiritu idoli. Et quia ambo in eodem Spiritu positi accessum habemus ad Deum, ergo vos gentiles Ephesii *jam non estis hospites* Testamentorum, sicut illi improperabant. *Et* jam non estis *advenæ*, id est non ultra vocamini proselyti, quia licet tunc stabiles essent in lege, semper tamen dicebantur adventitii. *Non estis hospites, sed estis concives;* nec eorum qui vobis improperabant, sed *sanctorum*, id est quorumlibet perfectorum. *Et* non estis *advenæ*, sed *domestici*, id est naturales de domo; nec eorum, sed domestici *Dei*. Vos dico *superædificati* hodie pietas; cras super hanc ædificabitur humilitas. Et sic *superædificati super fundamentum*, id est doctrinam *apostolorum et prophetarum*, quorum doctrina fundata est Ecclesia. Vel *super fundamentum*, id est Christum, super quem apostoli et prophetæ fundati sunt. Ædificati *ipso* dico *Christo Jesu* existente *lapide*, propter firmitudinem, *summo*, id est consummante justitiam vestram, *angulari*, id est utrumque populum Judæum et gentilem in se connectente. Lapis iste ubi ad litteram fuerit, certum non habemus; fuisse tamen credimus quod, donec in consummatione utriusque parietis, non idonee poni potuit; sed in summo mirabili convenientia utrumque parietem coagulavit. Hic lapis significavit Christum, Judæum et gentilem in perfectione fidei copulantem. Qui Christus sicut est summus consummator 239 justitiæ, sic est et principium justitiæ. Quod sic ait : *In quo* lapide *omnis ædificatio constructa* per fidem, *crescit* per operationem *in templum sanctum*, ut sit homo templum in quo habitet Deus. Sanctum dico *in Domino*, id est per Dominum. *In quo etiam* lapide Christo, *vos* gentes *coædificamini* cum Judæis *in habitaculum*, id est ad hoc ut sitis habitaculum *Dei*. Coædificamini dico *in Spiritu sancto*, id est per Spiritum sanctum, purificantem vos Deo.

A

B

C

CAPUT III.

« Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu « pro vobis gentibus, si tamen audistis dispensatio- « nem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis. « Quoniam secundum revelationem notum mihi fa- « ctum est sacramentum, sicut supra scripsi in bre- « vi (*Sap.* I, 19), prout potestis legentes intelligere « prudentiam meam in ministerio [al., *mysterio*] « Christi, quod in aliis generationibus non est agni- « tum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est « sanctis apostolis ejus, et prophetis in spiritu, esse « cohæredes gentes, et concorporales, et compartici- « pes promissionis ejus in Christo Jesu per Evan- « gelium, cujus factus sum minister, secundum do- « num gratiæ Dei, quæ data est mihi, secundum « operationem virtutis ejus. Mihi enim omnium « sanctorum minimo (*I Cor.* XV, 9) data est gratia « hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divi- « tias Christi, et illuminare omnes quæ sit dispen- « satio sacramenti absconditi a sæculis in Deo qui « omnia creavit, ut innotescat principatibus [prin- « cipibus] et potestatibus in cœlestibus per Eccle- « siam, multiformis sapientia Dei, secundum præfi- « nitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu « Domino nostro. In quo habemus fiduciam et ac- « cessum in confidentia per fidem ejus. Propter « quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro « vobis, quæ est gloria vestra. Hujus rei gratia « flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu « Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, et in « terra nominatur, ut det vobis, secundum divitias « gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum « ejus in interiorem hominem, Christum habitare per « fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et « fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus « sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimi- « tas, et profundum; scire etiam supereminentem « scientiæ claritatem Christi, ut impleamini in om- « nem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est « omnia facere superabundanter quam petimus, « aut intelligimus secundum virtutem quæ opera- « tur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia et in Christo « Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. « Amen. »

D

EXPOSITIO.

Ut magis obnoxios reddat gratiæ Dei, dicit quod Deus fecerit eum Apostolum propter illos; vinctus est etiam pro eisdem; revelavit etiam e. Deus mysteria sua propter eorum utilitatem. *Vos coædificamini* in Christo, et *gratia hujus rei* ut et vos coædificemini. *Ego Paulus vinctus Jesu Christi*, quem afflictum non oportet contristari. *Vinctus* utique *pro vobis gentibus;* si enim saluti vestræ non prædicarem, nequaquam in vinculis essem. *Pro vobis* dico, ita *tamen si audistis dispensationem gratiæ Dei*, id est gratiam, scilicet, apostolatum ex gratia Dei mihi traditum. Gratiam dico dispensatam a Deo, quia Deus bene dispensavit apud se, quare me Apostolum constituit. Vel quam gratiam ego dispenso vobis et cæteris Ecclesiis. Si, inquam, audistis gratiam, *quæ data est mihi in vobis*, id est sicut vere credidistis me esse Apostolum vobis, ita vere credite me esse vinctum pro vobis. Gratia utique hæc data est mihi, *quoniam sacramentum*, id est secretum Dei, *factum est mihi notum secundum revelationem*, id est ita ut revelate sciam inde loqui. Notum factum est dico, sicut *supra scripsi vobis in brevi* sermone, ubi ait : *Ipse est pax nostra*, et est vera, usque ad *ergo non estis hospites*. Ita scripsi *prout* bene *potestis intelligere*. Potestis utique *legentes*, id est si attente perlegitis illud. *Intelligere* dico, non tantum sacramentum, sed etiam potestis intelligere *prudentiam meam*, habitam *in mysterio*. Idem est 240 quod in sacramento *Christi*, quia et mysterium novi, et prudenter aperire scio, *quod* mysterium *non est cognitum filiis hominum in aliis generationibus*, id est in aliis ætatibus. Vel si aliquibus non ita cognitum *sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus*, nec in hoc videar gloriari quia revelatum est in Spiritu sancto *etiam prophetis*, id est quibuslibet illuminatis sensu hoc mysterium, scilicet, *gentes esse cohæredes* Judæis in

futura ætate; et hic esse *concorporales*, id est in eodem corpore Christi; id est in Ecclesia esse etiam *conparticipes promissionis* factæ ad Abraham. Cohæredes dico concorporales conparticipes esse *in Christo Jesu*, *qui fecit utraque unum* esse sic *in Christo*, et hoc *per Evangelium*, prædicatione cujus, ad fidem veniunt.

Quod Evangelium non est meum, sed *cujus* Evangelii *factus sum minister*. Nec hoc ex merito meo, sed *secundum donum gratiæ Dei :* quam gratiam iterum non promerui ut haberem, sed *quæ data est mihi secundum operationem virtutis* ejus, quia virtus ejus operata est multa per meam infirmitatem. *Data est mihi*. Et cui *mihi ?* Mihi utique *minimo omnium sanctorum*, *data est* gratia hæc, scilicet *evangelizare in gentibus divitias Christi investigabiles*, id est incomprehensibiles. Datum est etiam mihi *illuminare omnes* de hoc; *quæ*, id est *quam* digna *sit dispensatio*, id est impletio *sacramenti absconditi a* prioribus *sæculis*. *In Deo* tamen, id est in notitia Dei existentis; qui Deus ignorare non potuit, *quia omnia creavit*. Ideo *evangelizare*, *illuminare*, *ut* sapientia Dei per ecclesiam quæ in prædicatione nostra constituitur, *sapientia*, inquam, *Dei* per hoc *innotescat principibus et potestatibus*, id est ordinibus angelorum, existentibus *in cœlestibus*. Angeli enim nescientes salvationem hominum, mirantur et laudant Deum, cum, per prædicationem Apostolorum, visa conversione, intelligant salvationem eorum. *Sapientia Dei multiformis*, quia hunc lenitate sermonis, hunc asperitate infirmitatis convertit indiverso modo in diversis. *Multiformis* dico, ostensa *secundum præfinitionem sæculorum*, id est in sæculis a Deo ordinante præfinitis. *Quam* præfinitionem, id est hoc quod in sæculis se facturum præfinierat, *fecit*. id est complevit *in Christo Jesu Domino nostro*, *in quo*, id est per quem Christum *habemus fiduciam* accedendi ad Deum. Nec solum fiduciam, sed etiam habemus *accessum ad Deum*, non timentes repulsionem, sed *in confidentia*, id est de introductione confidentes. Confidentia dico habito *per fidem ejus*, scilicet Christi, cui et in quem credimus.

Commemoravit se propter utilitatem eorum consecratum a Deo Apostolum. Vinctum etiam se propter eos, revelata sibi esse mysteria Dei ad instruendum eos. *Propter quod*, quia hæc omnia facta sunt propter vos, quia etiam accessum habetis ad Deum per fidem Christi nobiscum, propter hoc non modo precor, sed quasi rem debitam *peto*, et a vobis exigo, *ne deficiatis in tribulationibus meis*. Ideo per hanc exhortationem vult eos præmunire Paulus, quia dubitabat ne forte tribulatione et afflictione magistri contemptui haberent, quod ab eo qui contemptibiliter tractabatur didicissent. Tribulationibus dico meis, habitis *pro vobis*. Ideo enim Deus me permittit affligi ut qualis vestra sit fides in tentatione mea apparere faciat. Deus enim Abraham et quoslibet alios non ideo tentavit, quod quid futurum esset ignoraret, sed ut fidem eorum probabilem indicaret

A mundo, *quæ* tribulatio *est gloria vestra*. Si enim a tribulatione mea vires boni operis sumitis, tunc digni estis gloria. Si autem propter me tribulatum deficitis, ignominia digni estis. *Et gratia hujus rei*, id est ne deficiatis, quia hæc res grata est mihi, vos scilicet non deficere, ideo *flecto genua*. Sicut per genu erigitur corpus, et humiliatur, ita per genu erectum et flexum, elatio mentis et humiliatio accipitur. Paulus utique genua carnis flectebat, ut humilitatem spiritus innueret. *Flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi*; qui et Pater nobis est, cum simus filii Christi, cujus Pater **241** est. *Ex quo* Patre, id est ex institutione et exemplo cujus est nobis *omnis paternitas*, id est sunt nobis omnes patres, *quos vel in cœlis* habemus angelos provisores
B nobis, *vel* quos habemus *in terra* ut episcopos, et quoslibet Ecclesiæ Patres. *Paternitas* non ita simpliciter est, sed *nominatur*, id est quicunque nominabiles dignitate virtutum sunt nobis Patres. Vel ita : Paternitas nominatur, id est ii provisores nostri patres dicuntur solo nomine, id est nuncupative tantum, non substantialiter quod Deus solus est. *Flecto genua* ad Deum : *ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ*, id est abundanter et gloriose, scilicet, cum potentia. Det dico *virtute corroborari*, id est ut vos corroborati sitis in bono. Et hanc virtutem in vobis non vestram esse credatis, sed *per spiritum ejus*, ut gratiæ Dei omnia ascribatis. Det dico virtutem non exterius, sed *in interiore homine*.

Ideo Deus virtutem justitiæ in anima ordinavit,
C quia si esset in corpore quod omni adversitati expositum est, sicut corpus, tam cito deficeret virtus quæ longe melius sedet in anima, de quo ait Christus : « Postquam occiderint corpus, animæ non habent quid faciant (*Matth.* x, 28), » ut det vobis Spiritum, et ut det vobis *habitare Christum in cordibus vestris :* non quod ibi corporaliter sedeat : sed *per fidem*. Licet ubi Spiritus, ibi Christus, tamen neutrum est superfluum, quia Spiritus per dilectionem, Christus per fidem. *Flecto genua* ideo ut vos *radicati et fundati in charitate*. A similitudine arboris in altum radicatæ, et ex abundantia humorum, quibus in alto radices abundant copiose fructificantis, ait *radicati*, id est fructificantes in charitate, *et fundati*,
D id est super fundamentum in quo firma sit et crescat ædificatio domus Dei. *Ut* vos, inquam, radicati et fundati *possitis comprehendere*, intellectu et utilitate *cum omnibus sanctis*, id est sicut comprehendunt omnes sancti, *quæ sit latitudo*, *et longitudo*, *et sublimitas*, *et profundum*. Latitudo, a dextera in sinistram crucis Christi, amplitudinem dilectionis significavit qua etiam pro inimicis oravit. Longitudo crucis a capite in pedes, perseverantiam dilectionis significavit, quia cum dilexisset suos, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII, 1). Sublimitas crucis, id est pars illa quæ supereminebat capiti, in qua Pilatus titulum scripsit, respectum divinum significavit, ut innueret Christus se non amore mundi pati, sed ut faceret voluntatem Patris sui, qui est in cœlis. Pro-

fundum, dicta est pars illa crucis quæ in terra fixa A fuit, quod profundum designat occultam gratiam Dei, qua sine merito bona multiplicat suis eisdem nescientibus quare sic faciat. Hæc tamen in ipsis intelligimus, sic exponendo : Possitis comprehendere quæ sit latitudo, id est quam latos oporteat vos esse in charitate, ut etiam bene faciatis his qui vos oderint. Et longitudo, id est quam longos et perdurantes in dilectione oporteat vos esse, ut etiam si expedit non formidetis mori pro Deo vel proximo. Et quæ sit sublimitas, quomodo superno respectu, non respectu mundi quælibet bona faciatis. Et quod sit profundum, id est occulta gratia Dei in vobis, qua vos sine merito justificavit, et provehit ut *etiam possitis scire charitatem Christi*, id est quomodo Christus vos dilexerit.

Charitatem dico *supereminentem* omni *scientiæ*. Nulla enim scientia comprehendere sufficit quanta sit charitas Christi. Vel ita : Possitis scire charitatem scientiæ Christi, secundum scientiam. Ignorantes enim plerumque diligimus, sed, si cognitionem rei quam diligimus habeamus, multo magis in bonitate rei cognitæ diligenda accendimur. Ideo ait charitatem scientiæ *Christi*, id est secundum scientiam de Christo habitam. Charitatem scientiæ dico supereminentem charitati ignorantiæ. Bonum quod ignoratur minus diligitur. Possitis comprehendere et scire, ideo *ut impleamini* eundo *in omnem*, id est in omnium bonorum *plenitudinem Dei*, id est ex Deo habitam. Ego *flecto genua ut* vos *possitis comprehendere* et scire. *Ipse autem Deus potens est facere omnia quæcunque* opportuna **242** sunt. Facere dico *abundanter supra quam petimus, aut supra quam intelligimus*. Nemo enim hominum auderet hoc petere a Deo ut Filium suum Deum, hominem faceret; quod tamen fecit. Nemo etiam intelligere posset quo ordine pietatis hominem perditum restauravit, et innumera bona quæ facit, et ideo bene ait, supra *quam petimus, aut intelligimus*. Et quod tanta potens sit facere probare possumus, eundo *secundum virtutem, quæ* virtus ejus *operatur in nobis*, quia, si considerantur ea quæ nobis contulit potestas miraculorum, et multa alia, per hæc plane colligimus quod ex voluntate potens sit de cætero consummare omnia in nobis. *Ei autem qui* sic *potens est facere, ipsi* soli non humanæ virtuti, sit *gloria in Ecclesia*, id est in consideratione bonorum, quæ confert Ecclesiæ, *et* etiam *in Christo Jesu*, quia nec ipsi Christo secundum hominem de bonis quæ gessit gloria debetur, sed Deo. *Gloria* dico permanens *in omnes generationes;* ab Abel enim primo justo nulla præteriit generatio, quæ non haberet aliquos in quibus gloriaretur Deus. *Generationes* dico *sæculi*, a principio usque ad finem. Sæculi dico *sæculorum*, in quo multa sæcula continentur, ipsi gloria. Amen, pro certo ita est.

B

C

D

CAPUT IV.

« Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino ut « digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum « omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, « supportantes invicem in charitate. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Rom.* XII, « 10). Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati « estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, « una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater « omnium, qui super omnes, et per omnia, et in « omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data « est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus « (*Psal.* LXVII, 19). Quod autem ascendit, quid est, « nisi quia et descendit (*Joan.* III, 15) primum in « inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est et « qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret « omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, « quosdam autem prophetas. Alios vero evangelistas, « Alios autem pastores, et doctores (*Cor.* XII, 28), « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis « filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis « plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli « fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in « charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, et « connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniusque cujusque membri, augmentum corporis facit in « ædificationem sui in charitate. Hoc igitur dico et « testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut « et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris « obscuratum habentes intellectum, alienati a vita « Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum; qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam (*Rom.* I, 21-31). Vos « autem non ita didicistis Christum, si tamen illum « audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in « Jesu. Deponite [*al.*, deponere] vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur, secundum desideria erroris (*Col.* III, 8). Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite « novum hominem, qui secundum Deum creatus est « in justitia et sanctitate veritatis (*Rom.* VI, 48). « Propter quod deponentes mendacium, loquimini « veritatem unusquisque cum proximo suo (*Hebr.* « 12; *I Petr.* II, 3), quoniam sumus invicem membra. « Irascimini, et nolite peccare (*Psal.* IV, 5). » « Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur jam non « furetur (*Jac.* IV, 7); magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat « unde tribuat necessitatem **243** patienti. Omnis « sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si « quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det « gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiri-

« tum sanctum Dei, in quo signati estis in die re-
« demptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indigna-
« tio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis,
« cum omni malitia. Estote autem invicem benigni,
« misericordes, donantes invicem (*Colos.* III, 12, 13),
« sicut et Deus in Christo donavit vobis. »

EXPOSITIO.

Postquam admonuit eos diversis modis ne intumescerent de bonis gratiæ Dei, neve torperent, sed semper de proficiendo in melius vigilarent, quæ utraque admonitio videtur versari circa magis perfectos, transit ad moralem instructionem, quæ magis pertinere videtur ad minus perfectos. Prius instruens omnes in communi, dehinc conditiones sexus et ætates divisim. Littera sic jungitur : Quia Deus *potens est facere* vobis supra *quam petimus aut intelligimus. Itaque obsecro*, id est per omnia sacra *vos* adjuro, *ego vinctus in Domino*, id est propter Dominum, quem in vinculis offendere non est minima culpa. *Obsecro*, inquam, *ut ambuletis* per gradus virtutum *digne, vocatione qua vocati estis;* non enim vocati estis ad complenda desideria carnis, sed ut secundum spiritum carnem mortificetis, scilicet, ambuletis *cum omni humilitate*, et in animo habita, et foris ostensa. Culpa enim est intus esse humilem, et foris simulare superbiam, cum sic de se occasionem tribuat maledicendi, et occultetur virtus cujus imitatione potuit instrui proximus. Foris autem humilem, intus esse superbum. nulli dubium quin sit culpabile in omni humilitate, *et* in omni *mansuetudine*, ut tractabilis sit ad omnes et affabilis, *et cum* omni *patientia* servata in quibuslibet adversis, *supportantes invicem* alter alterum, si molestiam intulit ei. Vel *supportantes*, id est compatiendo proximo si forte lapsus fuerit, eumque adjuvando oratione, et jejunio. *Supportantes* dico *in charitate*, non in exspectatione vindictæ. Vos dico solliciti servare unitatem in vobis, ut sit apud vos idem velle, idem nolle. *Unitatem* dico *Spiritus*, id est quam dictat Spiritus sanctus *servare eam* in *vinculo pacis;* quæ pax exterius servata vinculum est, et nutrimentum spiritualis unitatis. Et ut hanc unitatem servetis, *estote unum corpus*, id est unum in operatione. *Et* estote *unus spiritus*, id est unum in voluntate. Ita sitis unum corpore et spiritu, *sicut* res illa ad quam *vocati estis* una est. Quod sic ait : Vos estis vocati *in una spe*, id est ad unam rem speratam. Spe dico *vocationis vestræ*, id est qua digna est vestra vocatio. Iterum debetis esse unum corpus, et unus spiritus, quia *Dominus unus* vobis dominatur, et *fides* vestra *una* est, et indifferens; et *baptisma* vestrum *unum* est, omnes æque justificans; non secundum quod quidam dicunt, secundum merita diversorum baptizantium dignius vel indignius. Et est *unus Deus*, id est creator omnium, et unus *Pater omnium*, qui vos secundum dilectionem filiorum gubernat. *Qui*, Dominus Deus Pater dominando, creando, diligendo, *est super omnes* potestate. Est etiam *per omnia* loca, nec ullatenus ab eo licet effugere. Qui si ita communiter est super omnes et per omnia, tamen in omnibus electis est familiarius, dando gratias suas.

Hic potest intelligi Trinitas. *Super omnes*, Pater; *per omnia*, Filius; *in nobis*, amor Patris et Filii, id est Spiritus sancti. Quia dixerat sumus *unum corpus, unus spiritus, unus* est nobis *Dominus, una fides*, ne per hoc male opinarentur omnes æqualiter esse in hac nova gratia, ut nemo prælatus, nemo subditus, nemo servus, nemo Dominus, determinat hoc dicens : Licet unum simus, unumque Deum, et unam fidem habeamus, tamen *unicuique nostrum data est gratia* Dei, non eadem omnibus, sed *secundum mensuram donationis*, id est donatoris *Christi*. Huic illa gratia, huic ista, et plerumque in eadem gratia diversitas, quia hic minus, hic plus habet de eadem gratia. *Propter quod* comprobandum **244** (scilicet quod sit donator gratiarum Spiritus sanctus *dicit* in Psalmo (*Psal.* LXVII, 19) : Homo Christus *ascendens in altum*, id est super altitudinem cœlorum, *captivitatem*, id est humanam naturam prius a paradiso et cœlo expulsam *reduxit* in se homine *captivam*, quia a loco (qui ipsi per peccatum naturalis erat) ablatam revexit ad cœlos, scilicet ad patriam prius ipsi (nisi peccaret) destinatam. Homo enim, in puritate creatus, paradisum habuit ad habitandum, ut tibi peracta obedientia inde transferretur ad cœlos; sed quia peccavit et repromissum cœlum perdidit, et a loco habitationis, id est a paradiso depulsus in terra ista captivatus est. Quam terram peccatum ita homini fecit naturalem, sicut justitia, quandiu in ea fuit paradisum naturalem fecit. Iterum Christus destructo peccato hominis, humanam naturam a miseria ista (qui locus jam ipsi per peccatum naturalis erat) captivam; quia a naturali loco ablatam reduxit ad priorem patriam, scilicet ad cœlos. Sed quanto prior captivitas miserior, tanto secunda gloriosior. Ascendens Christus utique in altum, *dedit dona hominibus*, quia misit Spiritum sanctum in corda discipulorum. Et quia dedit dona, probatum est Christum esse donatorem gratiarum. Quis autem intellectus colligi debeat ex eo quod ait *ascendens in altum*, vult explanare, non tamen digrediens ab intentione. Dico *ascendens*. Sed *quid est*, id est quid per hoc intelligendum est *quod* Dominus *ascendit? Ascendens* et *ascendit* pro eodem habet, nisi hoc intelligamus quod, si ascendit, sequitur quod prius quam ascenderet *descendit*, id est in humili loco fuit. Si enim ascendit, sequitur quod de inferiori ad superius ascendit. Descendit dico *in inferiores partes terræ*, id est in infernum qui utique in terra, sed in inferiori parte esse creditur. Ideo probavit eum qui ascendit, prius in humili loco, sicut verum hominem habitasse, ut scientes Christum datorem gratiarum, sicut nos sumus, ita esse hominem, fiducialibus ab eo petamus gratias suas, qui nisi comparticipasset humanitati nostræ, multo nobis inexorabilior esset. Et quia ille ascendit primum, igitur qui descendit et *qui ascendit super*

omnes cœlos, ipse unus et idem est indivisus Christus, homo Deus.

Vel aliter : Quid est quod ascendit humanitas Christi, nisi quia primum descendit divinitas in inferiores partes terræ, id est ad uniendam sibi humanitatem inter homines? Si enim usque ad globum solis et lunæ descenderet, infra esset, sed ad terras descendere fuit inferius. Et licet alius videatur ascendens, id est, homo alius descendens, id est Deus ; tamen qui descendit et qui ascendit super omnes cœlos, ipse idem est unus divisa persona. Sic iterum bene ad intentionem : Quia cum tantam videamus ejus potentiam ut homo Deus super cœlos ascenderit, fiducialiter postulare possumus ab eo qui omnia potest. Ascendit ideo *ut adimpleret omnia* donis suis, juxta quod idem ait : « Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos (*Joan.* XVI, 7). Postquam probavit Christum donatorem gratiarum, ostendit diversitatem donorum. Bene dico *adimpleret omnia*, *et enim* ipse Christus *dedit quosdam quidem*, id est discrete ab aliis *apostolos*. *Quosdam autem* dedit *prophetas*, qui revelarent Scripturas ; *alios vero evangelistas*, id est prædicatores ; *alios autem pastores et doctores*, id est episcopos, qui de mensa corporis Christi subditos pascant, et de Novo et Veteri Testamento doceant. Ideo alios et alios dedit *in opus ministerii*, quia si uni omnia daret, dum unus ad omnia non sufficeret, ministeria Christi imperfecta remanerent. Ministerii dico valentis *ad consummationem sanctorum*, id est ut qui jam justi sunt ad perfectionem ascendant. Ministerii etiam valentis *in ædificationem corporis Christi*, id est ad hoc ut de iis qui adhuc sunt increduli ædificetur corpus Christi, id est Ecclesia. Dicerent illi quos (ne propter unitatem Ecclesiæ se debère esse æquales putarent) admonuit. Parum prodest quod fidem accepimus, si semper in subjectione nos oporteat permanere. **245** De hoc consolatur eos dicens : Ne grave sit vobis si alii subjiciuntur, alii præferuntur. Cito enim hujus diversitatis erit finis. Diversitatis dico non amplius duraturæ, nisi *donec occurramus* secundum desiderium sanctorum ait. Occurramus omnes existentes *in unitate fidei*, id est quibus una de Christo fides, *et* existentes in unitate *agnitionis filii Dei*, id est in unitate bonorum operum fidem sequentium, per quæ opera filius Dei agnoscitur. Vel, in unitate agnitionis Dei, ut de cognitione Deitatis non laboremus, *donec occurramus in virum perfectum*, id est ut simus perfectus vir, impassibilitate et immortalitate recepta. *In virum perfectum* dico, scilicet *in mensuram*, id est in metam *ætatis Christi*. Ætatis dico *plenitudinis*, id est in qua Christus plenitudinem habuit, scilicet post resurrectionem factus impassibilis et immortalis. Vel aliter : Occurramus in virum perfectum, sicut dictum est, et in metam ætatis Christi triginta trium annorum et dimidii ; quæ ætas fuit plenitudinis.

Postquam enim ad illam ventum est, non est quo crescat caro, nec in augmento virtum, nec longitudinis. Omnes enim, sive juniores sive seniores, in eodem puncto ætatis resurrecturi sumus in quo Christus mundum exivit et resurrexit. Ideo alios prophetas, alios doctores vel pastores dedit, *ut jam* olim quidem sic fuimus, sed amodo *non simus parvuli* intellectu. Nec simus ex nobis *fluctuantes*, modo bene, modo male agentes, *et* ut non per alios *circumferamur modo* hac, modo illac, *omni vento doctrinæ*. Alludit similitudini. Mare enim, mundum ; ventus, seductores ; navis, Ecclesiam, quæ modo infra, modo supra persecutione malorum depellitur, significat. Doctrinæ dico factæ *in nequitia hominum* ; nequissimi enim sunt seductores hujusmodi. Doctrinæ etiam factæ *in astutia*, latenter seducunt simplices. Astutia dico tendente *ad circumventionem erroris*, id est ut nos circumveniant de errore suo. Non simus fluctuantes, *sed crescamus in charitate*, id est in dilectione Dei et proximi. *Veritatem*, id est puram a mendacio doctrinam non solum audientes, sed etiam facientes opere. Crescamus eundo *per omnia* bona cooperatione et consensu. Crescamus dico in illo adjuvante in quo satis crescere possumus, quia *qui est caput*, id est altitudo in qua semper ascendendum est et qui est *Christus* rex noster, *ex quo* capite Christo *totum corpus* Ecclesiæ *compactum* est per fidem. Et quia nondum sufficit, possint enim compingi in eamdem fidem, et se invicem non sequi, sicut ligna solummodo compacta, si trahatur unum, non sequitur alterum. Et hoc malum esset si membra caput non sequerentur, ideo addit corpus Ecclesiæ compactum per fidem, *et connexum per charitatem*. Dilectio enim clavus est, quo sine divisione ligantur. Compactum dico et connexum *per omnem juncturam fidei*, charitatis, et omnium virtutum. Juncturam dico quæ est causa *subministrationis*, id est alterum membrum subministret alteri. Subministrationis dico factæ *secundum operationem quæ* fit in mensuram uniuscujusque membri Ecclesiæ. Aliud enim membrum magis, aliud minus, secundum quod facultas sibi est, subministrat. Totum, inquam, corpus sic compactum et connexum facit *augmentum corporis* Ecclesiæ. Secundum incrementum justitiæ in fidelibus facit, et valens *in ædificationem* sui corporis, id est Ecclesiæ cujus membrum est, *ædificationem*, sicut supra, secundum incredulos qui ædificantur ad fidem. Augmentum et ædificationem dico *factam in charitate*, id est secundum dilectionem Dei et proximi.

Vel ita construamus, non mutata sententia : *Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis* facit *augmentum corporis in ædificationem sui*, facit dico secundum operationem distributam in mensuram uniuscujusque membri, et hoc totum *in charitate*, quia Deus *quosdam dedit apostolos, alios evangelistas, alios doctores*, hoc autem *ad consummationem* **246** vestri. Iterum, quia totum corpus Ecclesiæ compinxit et connexuit per juncturam fidei et charitatis, igitur *hoc dico* et præ-

cipio vobis, nec simpliciter dico, sed *etiam testificor in Domino*, id est in hac admonitione vestri Deum testem adduco, ne amplius quidquam de vobis a me, sed (si peccatis) de manibus vestris requirat. Hæc verba Paulus habuit ad illos, quando convocata Ecclesia Ephesiorum ait : « Non amplius faciem meam visuri estis : state in eo quod vos docui : Mundus enim ego sum amodo a sanguine vestro (*Act.* xx, 25). » Videte quid feceritis, quia requiretur de manibus vestris. *Testificor*, inquam, *in Domino, ut jam non ambuletis sicut* olim ambulastis, *et gentes* adhuc *ambulant*. Ubi ait *jam*, significat eos prius ambulasse. Non ambuletis sicut gentes ambulant *in vanitate*, id est in sæcularitate *sui sensus*. Sensus enim mundi vanitas est. *Gentes* dico *habentes intellectum*, id est naturalem rationem *obscurata tenebris*, id est adeo ut per totum tenebræ et nihil sit luminis. *Gentes* dico *alienati a vita Dei*, id est ab æternitate in qua Deus vivit. Alienati cognitione et participatione sicut idem ait : Alienati *per ignorantiam*, quia ignorant vitam Dei, quæ ignorantia est in illis *propter cæcitatem cordis*, id est propter excæcatum cor eorum. Cum enim prius prædicatum est illis verbum Dei, facultatem habuerunt intelligendi ; et non intelligendi, sed quia elegerunt ignorare, ideo excæcati sunt adeo quod jam impotentes sint quod bonum est animadvertere. Hæc non ideo loquitur illis, quod Ephesii in aliquo male erraverint, sed quia verebatur ne faciles essent ad ritus gentilium retrahi, in quibus ante fidem fuerant conversati. Quod non erraverint colligitur ex eo quod paulo inferius vocabit eos sanctos ; *qui* excæcati *desperantes*. Cum enim audiunt : Homo resurget in gloria, conregnabit Christo etc., frivolum hoc putantes desperant, et ideo tradiderunt semetipsos, et non tantum consensu et voluntate euntes in operationem omnis immunditiæ, quia quod male voluerunt, deterius operati sunt. In operationem immunditiæ dico, in avaritia. Quanto enim immundius operabantur, tanto avidiores facti sunt immunditiarum.

Vel aliter : *Tradiderunt se in immunditiam et in avaritiam*. Gentes sic impudice et immunde ambulant ; *vos autem non ita didicistis Christum ambulasse*, quem sequi debetis. Hac tamen conditione dico, *si audistis*, id est intellexistis *illum* Christum, *et* si *edocti estis in ipso*, id est in informatione ipsius. Quod utique verum est, quod audistis eum, et in ipso edocti estis, non de falsitate, sed *sicut est veritas in Jesu*. His enim quæ docui vos de Christo, nihil falsitatis admiscui, ut Nicolaitæ, qui prædicant Christum non improbasse communem usum mulierum, et cæteris falsitatibus veritatem Christi confundunt. Et quia secundum veritatem edocti estis in Christo, igitur *deponite vos veterem hominem*. Vel ita : *Edocti* utique *estis in Jesu deponere vos veterem hominem*, non quod carnem ab eo derivatam deponatis, quæ semel deponitur per mortem, sed deponite eum *secundum pristinam conversationem*, id est secundum vetustatem operationis peccati. Deponite A etiam eum *secundum desideria erroris*, id est vel de errore venientia, vel in errorem præcipitantia, qui vetus homo in ipso suo opere corrumpitur. Quanto enim frequentius peccat, tanto ipsa caro magis debilitatur et deformatur. Vel in eadem sententia recte sequamur litteram. Deponite veterem hominem qui corrumpitur, non solum secundum opus, sed etiam deponite secundum desideria erroris. Veterem deponite, *novum autem* hominem *induite*. Et ideo *renovamini*, jam enim per baptismum semel novi facti sunt, ait : Iterum *renovamini* in *Spiritu sancto* illuminatore *mentis vestræ*. Vel intransitive *renovamini spiritu mentis vestræ*, id est sequendo spiritalem mentem vestram, *et* sic renovati *induite novum hominem*. *Novum* ideo quia nova facit omnia, *qui* novus homo *creatus est*, **247** non secundum legem carnis, sed *secundum Deum*, de Spiritu sancto conceptus et natus. Induite dico Christum *in justitia* servata ad proximum, *et* in *sanctitate*, id est possidentes vos ipsos in sanctificationem Deo. Sanctitate dico et justitia non simulationis, sed *veritatis*, ne simulemus nos esse justos, cum mali simus. *Propter quod*, id est quia vetus homo deponendus est, novus induendus, ideo assumamus membra novi, deponentes membra veteris scilicet *deponentes mendacium* quod membrum veteris est. *Loquimini unus quisque veritatem cum proximo suo*. Veritas enim membrum est Christi. Veritatem loqui debemus cum proximo, *quoniam sumus membra invicem*, id est alter alterius. Sic qui defraudat proximum, in corpore suo fraudem facit, iterum induendo novum.

Irascimini contra peccatum fratrum, *et* in irascendo *nolite* sic *peccare*, ut de contemptu peccati improvide ruatis in contemptum proximi. Sic enim peccatum odiendum est ut nihil minus diligatur creatura Dei. In irascendo autem non peccabitis, si *sol*, id est divinitas illuminans vos, vel sol, id est illuminata ratio vestra *non occidat*, id est non destruatur *super*, id est propter *iracundiam vestram*, quod ira in vobis non superet rationem. *Sol occidat super iracundiam*, a similitudine eorum dictum est quibus, in valle positis, mons magnus superesset super quem eis occideret sol, dum altitudo montis a valle solem averteret. Vel aliter quasi diceret : Video vos non posse penitus contineri ab ira. Patior vos. *Irascimini* et ita quod *nolite peccare*, id est iram actu consummare. Et hoc cavendum utile erit, si sol non occidat super iracundiam vestram, id est si priusquam veniat vespera, deponatur ira. Dicerent illi : Præcipis *nolite peccare*, sed quomodo potest hoc ne peccemus fieri ? Ad hoc ait : Ut peccatum evadere possitis, *nolite locum*, id est opportunitatem peccandi *dare diabolo* in vobis, sed fugite eum. *Nolite locum dare diabolo ;* sed ille *qui prius furabatur, jam* amodo *non furetur*. Ad litteram *Sed magis laboret*, id est laborare eligat *operando manibus suis*, non homicidia vel hujusmodi, sed *quod bonum* et utile *est*. Et adeo laboret ut habeat sibi, *et unde tribuat* proximo *necessitatem patienti*. Iterum aliud : *Omnis*

sermo malus non procedat, id est nullus sermo malus procedat *ex ore vestro*. *Sed si quis* sermo est *bonus* et utilis *ad ædificationem fidei*, id est ut proximum ædificet in fide, ille procedat. Ita tamen *ut det gratiam audientibus*, ut gratus sit iis qui audiunt, et loco, et tempore. Vos prælati (sicut dictum est) docete. Et, vos auditores, *nolite contristare*, non dico solum eos qui vos instruunt, sed qui in eis loquitur *Spiritum sanctum*. Spiritum, dico, *Dei*. Videte quam gravis culpa, quia si prædicatorem, et spiritum in eo loquentem; et si spiritum, offenditis et Deum; ita qui prædicatorem offendit, Deum offendit : *Nolite contristare Spiritum, in quo Spiritu signati estis ;* vos enim cera, Spiritus sigillum impressum vobis. Signati dico *in die redemptionis*, id est baptismi, in quo ab omni peccato redempti estis. *Nolite contristare Spiritum*, sed *tollatur a vobis omnis amaritudo* animi, *et ira*, id est subita commotio animi *et indignatio*. Si enim ignobilis superabundat vobis nobilibus, ne indignemini. *Et clamor*, ne inordinate conclametis litigando, *et blasphemia* facta in Deum vel proximum. Qui enim sic ait : Quare hoc Deus fecit? Videtur dixisse quod Deus non bene fecerit. Ut breviter omnia removeam ; hæc *cum omni malitia*, id est omnis malitia *tollatur a vobis*. Ne sitis amari vel blasphemi, *sed estote benigni*, id est largi invicem alter dando alteri. Et si non habetis quid detis, estote saltem *misericordes* animo, *donantes invicem*, id est indulgendo alter alteri, *sicut Deus donavit vobis* peccata *in Christo*, id est per Christum.

248 CAPUT V

« Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi, « et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit « nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem « et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio « autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec « nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut tur- « pitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad « rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc « enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, « aut immundus, aut avarus, quod est idolorum « servitus, non habet hæreditatem in regno Christi « et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis; propter « hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite « ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando « tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis « ambulate : Fructus enim lucis est in omni boni- « tate, et justitia et veritate: Probantes quid sit be- « neplacitum Deo. Et nolite communicare operibus « infructuosis tenebrarum ; magis autem redarguite. « Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et « dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine « manifestantur. Omne enim quod manifestatur lu- « men est. Propter quod dicit : Surge qui dormis, « et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus. « Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, « non quasi insipientes, sed ut sapientes (*Col.* III, 5), « redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Pro- « pterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes « quæ sit voluntas Dei (*Rom.* XII, 2; *I Thess.* IV, 5). « Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed « implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis « in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, « cantantes et psallentes in cordibus vestris Do- « mino, gratias agentes semper pro omnibus, in « nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. « Subjecti invicem, in timore Christi. Mulieres viris « suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir ca- « put est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ « (*I Cor.* XI, 3); ipse salvator corporis ejus. Sed si- « cut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres « viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras « (*Col.* III, 18; *I Petr.* III, 1), sicut et Christus di- « lexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut « illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in « verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Eccle- « siam, non habentem maculam, aut rugam, aut « aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immacu- « lata. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut « corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum « diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio ha- « buit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ec- « clesiam : quia membra sumus corporis ejus de carne « ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo « patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, « et erunt duo in carne una (*Gen.* II, 28; *Matth.* « XIX, 5). Sacramentum hoc magnum est. Ego autem « dico, in Christo et in Ecclesia. Verumtamen et « vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut « seipsum diligat, uxor autem timeat virum « suum. »

EXPOSITIO.

Et quia Deus donavit peccata, *ergo estote imitatores Dei*, *sicut filii charissimi*, dimittendo alter alteri. Nec solum donando imitamini, sed etiam *ambulate in dilectione*, ut alter alterum diligat, *sicut et Christus dilexit nos*. Dilexit utique; etenim *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*. In veteri lege oblationes dicebantur panes propositionis, luminaria, et hujusmodi. Hostia vero, quod mactabatur in altari. In Christo vero, oblatio fuit omnia illa bona quæ gessit usque ad diem mortis. Hostia autem dictus est, quando seipsum obtulit in ara crucis, et illa vetus hostia dicebatur esse suavissimus odor Deo, secundum sacrificium Christi, quod præfigurabat ; secundum se enim fetidum erat. *Estote imitatores Dei*, non autem fornicatores. Quod sic ait : *Fornicatio omnis immunditia* (sicut sæpe exposuimus) *aut avaritia*, non solum dico non sit, sed *nec* etiam *nominetur in vobis*, id est ne vos tales improvide exhibueritis unde quis male saltem possit opinari. Dico non nominetur in vobis, *sicut decet sanctos*, quod estis vos, non tantum coram Deo, sed etiam providere bona coram hominibus.

249 Vocans eos sanctos, innuit se non scribere hæc, quia peccaverint, sed propter hoc solum et sibi da

cætero provideant. Fornicatio non nominetur in vobis, *aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Turpitudinem vocat attrectationes et illas mulierum deosculationes; stultiloquium, in illis qui laborant apposite loqui mulieribus ad persuadendum. Scurrilitas est pectere et ornare se, ut placeant illis qui judicant curialitatem, quæ scurrilitas *non pertinet ad rem*, id est non spectat ad aliquam utilitatem, et ideo non nominetur in vobis, *sed magis actio gratiarum*, id est sic honeste vos habete, ut in vobis agant gratias Deo qui bona vestra viderint. Ideo hæc non nominentur in vobis, quia qui hujusmodi est, non habet hæreditatem in regno Dei. Vel ita : Non solum ideo non nominentur in vobis, quia non pertinent ad rem; sed etiam ideo quia auferunt regnum Dei. Quod sic ait : *scitote hoc, intelligentes*, id est subtili intelligentia hoc discutientes, *quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod*, scilicet avarum esse *est servitus idolorum.* Dum enim avarus magis diligit pecuniam quam Deum, eam sibi facit Deum. Fornicator, inquam, cum illis *non habet hæreditatem in regno Christi et Dei*, et ne ab hæreditate regni alieni sitis videte. *Nemo seducat vos verbis inanibus*, id est falsis et mendacibus. Hoc ait propter illos Nicolaitas, qui suadebant Deo non displicere quæcunque carnalia.

Videte, nemo seducat vos; *Nam propter hæc* quæ superius prohibita sunt, *venit ira*, id est vindicta *Dei in filios diffidentiæ*, id est de quorum salute diffidimus, vel qui de salute Dei diffidunt. Et quia propter hæc venit ira Dei, *ergo nolite effici participes eorum*, id est fornicationis, immunditiæ, aut avaritiæ. Ideo non debetis participare his, quia modo difficilius esset vobis peccare, quam olim; tunc enim per ignorantiam, sed nunc prudentes manum mitteretis in ignem. Quod sic ait : *Eratis aliquando*, id est ante fidem *tenebræ*, id est ignorantes; *nunc autem lux in Domino*, id est illuminati per Dominum. Et ideo *ambulate ut filii lucis* debent ambulare. *Ambulate* dico in omni bonitate habita in vobis, et justitia servata ad proximum, et in veritate ut vera verba dicatis. Ideo *in his* quia sic ambulare est non simpliciter opus, sed *fructus lucis*, id est fructiferum opus illuminatorum. *Ambulate ut filii lucis, probantes*, id est probabiliter considerantes, *quod est beneplacitum Deo.* Et ut quod beneplacitum est ei faciatis, *nolite communicare operibus tenebrarum*, id est tenebrosorum. Operibus dico *infructuosis* et inutilibus, nolite communicare, *sed magis redarguite opera* tenebrarum. Non debetis communicare, *quia turpe est etiam dicere, nedum facere ea quæ fiunt ab ipsis in* occulto. « Qui enim male agit lucem odit (*Joan.* III, 20). » Opera tenebrarum redarguite. Modo assumit : *Omnia autem quæ arguuntur a lumine*, id est reprehenduntur ab illuminatis, manifestantur per confessionem, et dum *arguuntur* pœnitet se male egisse. Et utile est si manifestantur. Omne enim quod sic per confessionem manifestatur lumen est id est jam incipit esse in lumine justitiæ, cum pœnitet se male egisse. Vel aliter : Omnia quæ arguuntur a lumine (sicut dictum est) manifestantur ipsis qui reprehenduntur; prius enim ignorabant pondus peccati sui, quod per reprehensionem agnoscunt. *Omne autem quod sic manifestatur lumen est*, quia in eo quod jam cognoscit peccatum suum, quodammodo illuminatur, et appropinquat justitiæ. *Propter quod* comprobandum, scilicet quod tenebræ fiunt lumen per manifestationem, *dicit* Spiritus sanctus in me. Hæc enim auctoritas alibi non invenitur in Scripturis. Dicit, inquam, ita : *Tu qui dormis* per ignorantiam in peccato : *surge* per cognitionem peccati, seu per confessionem, et cognito peccato *exsurge a mortuis*, id est a peccatis quæ generant mortem. Vel a mortuis, id est a numero mortuorum, id est peccatorum, faciendo fructus dignos pœnitentiæ, et sic tibi exsurgenti *illuminabit Christus*, in fundendo gratiam

Dixit superius redarguite opera tenebrarum; quæ enim arguuntur per manifestationem, de tenebris **250** fiunt lumen, et quia de redargutione tanta sequitur utilitas ut quod tenebrosum est fiat lumen. *Itaque fratres* redarguite opera tenebrarum : et ut libere redarguatis, *videte quomodo ambuletis caute*, id est ne forte inveniatur in vobis, quod in aliis redarguitis. *Caute ambuletis, non quasi insipientes;* qui enim quod in se est, in alio reprehendit, insipienter agit, dum quod sibi in alio displicet in se sibi placet : *Non quasi insipientes, sed ut sapientes*, id est prius purgantes conscientiam, et tunc libere mala proximi redarguentes. *Caute*, inquam, ambulate. Nos dico, *redimentes tempus.* Secundum beatum Gregorium tempus redimere, est anteacta mala fletibus diluere. Cum enim male agimus, tempus perdimus; eum vero mala quæ gessimus per pœnitentiam emendamus, et deinceps bene agimus, tempus perditum redimimus. Vel *redimentes*, id est præparantes vobis tempus. Tunc enim tempus redimimus, cum nos ad agendum quod bonum est idoneos præparamus. Sicut enim qui male agit, tempus perdit, sic qui bene agit tempus quidem habet, sed non redimit; sed præparando se, ut sit idoneus ad bene agendum, his præparationibus tempus redimere dicitur. Videte ut caute ambuletis, et tempus redimatis, *quoniam dies mali*, id est homines in diebus istis mali *sunt.* Et *propterea* quoniam dies mali sunt, *nolite fieri imprudentes*, id est improvide arguentes, *sed intelligentes*, id est ex intelligentia et calliditate mala proximi corripientes. *Intelligentes*, dico, *quæ sit voluntas Domini.* Voluntas enim Dei est magis humiliter condescendere proximo, quam nimia asperitate eum deterrere. Nolite fieri imprudentes, *et nolite inebriari vino, in quo* vino *est* cum ebrietate *luxuria; sed inebriamini Spiritu sancto.* Quod sic ait : *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis*, id est cum intellectu eorum quæ profertis. *Loquentes*, dico, *in psalmis.* Psalmus dicitur cantus ille qui motu manuum fit in instrumento illo, quod dicitur psalterium. Unde sic ait : *Loquentes in psal-*

mis, id est in his quæ pertinent ad instructionem mortalitatis. *Loquentes in hymnis.* Hymnus dicitur laus Dei cum cantico; hymnos etiam hic vocat, vel laudes Dei vel gesta sanctorum similiter ad gloriam Dei. *Loquentes* etiam *in canticis spiritalibus.* Canticum dicitur exsultatio de cœlesti bono, et ideo ait spiritalibus : quibus canticis maxime utuntur monachi, agentes ibi in desiderio futuræ beatitudinis. Non solum cum intellectu loquentes psalmos, hymnos, cantica, sed etiam operantes quod loquuntur. Quod sic ait : *Cantantes* in hymnis *et* canticis, *et psallentes*, id est bene operantes in psalmis. Cantare in hymnis et canticis pro modo suo operari est. *Cantantes* dico, *et psallentes Domino in cordibus vestris*, id est ex dilectione non quasi coacti; *agentes* et am *gratias semper* Deo et Patri, qui et creavit et diligit. *Gratias* dico *pro omnibus* seu adversis, seu prosperis. *Agentes* dico *in nomine*, id est ad glorificandum nomen *Domini nostri Jesu Christi.* Vos dico, *subjecti invicem* alter alteri *in timore*, id est in dilectione *Christi.*

Postquam hæc præcepta in publico dedit, admonet separatim sexus et conditiones, quomodo cohærere debent alter alteri. Littera sic jungitur : Dico *subjecti* estote *invicem*, sed *mulieres* alio genere subjectionis *subditæ sint viris suis*, ita subditæ *sicut Domino.* Ideo viris subjiciantur ut Domino, *quoniam vir caput*, id est rector *est* et principium *mulieris*, *sicut et Christus caput* est *Ecclesiæ*, gubernando eam quam formavit de latere suo. Sicut enim de costa viri mulier (*Gen.* II, 21, 22), sic de latere Christi Ecclesia. *Ipse* etiam Christus *salvator* est *corporis ejus*, id est Ecclesiæ, eam enim salvat; sed vir regere quidem potest mulierem, sed salvare nequit. Et licet in hoc differant, quod Christus salvat Ecclesiam, vir non salvat mulierem; tamen non propterea minor sit subjectio. Sed *sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres subjectæ sint viris suis in omnibus* quæ oportet. Mulieres subdantur viris. Vos autem *viri* non dico estote subditi mulieribus, sed *diligite uxores vestras;* nec parum, *sed sicut Christus dilexit* **251** *Ecclesiam.* Dilexit utique; et enim *tradidit seipsum* in mortem *pro ea, ut sanctificaret illam a* peccatis, *mundans eam lavacro aquæ.* Hic aquam ostendit necessariam absolutioni. Mundans dico *in verbo.* Verbum dicit prolationem Trinitatis. Verbo dico *vitæ*, id est in quo Verbo accipitur vita justitiæ. Vel Verbo vitæ, id est Christo qui in baptismo vitam nobis justitiæ restituit. Sanctificaret ideo *ut* in die nuptiarum ipse *sibi exhiberet Ecclesiam*, decore virtutum *gloriosam*, *non habentem maculam*, id est aliquid criminale, *aut rugam*, id est dolositatem : *aut aliquid ejusmodi*, quod vel macula videatur esse vel dolus, *sed ut sit sancta*, positione virtutum, *et* ut *sit immaculata*, remotione vitiorum.

Sicut Christus Ecclesiam, *ita diligant viri uxores;* ita etiam debent diligere *ut corpora sua.* Vere ita ut corpora. *Qui enim attigit suam uxorem, diligit seipsum.* Uxor enim caro viri est, et ideo debet eam diligere. *Nemo enim unquam habuit odio carnem suam, sed nutrit* cibis, *et fovet eam* vestimentis. Martyres etiam qui carnes suas tradiderunt ad ignem, dicentur dilexisse carnem, dum eam voluerunt pati ad horam, ut sic requiesceret in æternum, Sicut infirmus qui carnem suam medico tradit ad urendum, et secandum, ut per asperitatem unius diei habeat longo tempore quietam sanitatem corporis. Nutrit dico et fovet, *sicut Christus* nutrit et fovet *Ecclesiam* scilicet nos qui Ecclesia ejus sumus; ideo nutrit nos, Ecclesiam suam, *qua sumus membra corporis ejus* Christi, id est Ecclesiæ. Nos dico existentes quidam *de carne ejus.* Hi sunt infirmi minus fortes in Ecclesia. Quidam vero existentes *de ossibus ejus*, id est de robustioribus in Ecclesia. Christus carnem habuit, secundum infirmitatem cujus tædebat et pavebat. Habuit ossa, id est rationem secundum quam dicebat : « Spiritus promptus est (*Matth.* XXVI, 41). » Sic hodie in Ecclesia quidam caro, quidam ossa dicuntur. In hoc etiam verbo mittit nos ad primam creationem, quando Adam videns Evam creatam ait : « Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II, 23). » *Propter hoc*, quia uxor caro viri est, *relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo*, vir et uxor, *in carne una.* Cum homo caro sit patris et matris in carne, quorum originem habuit; magis dicitur vir caro mulieris, et secundum naturam creationis, quæ de viro mulier formata est. Et secundum vim illius conjunctionis in qua mirabiliter transeunt in unitatem carnis, adeo ut dicant physici quod, si sanguis viri et mulieris, qui carnaliter commisti sint, in eodem vase ponatur, indivisibiliter commiscetur. Si vero sanguis eorum qui rem simul non habuerint, similiter ponatur, non sic admiscetur, sed sanguis viri per se et mulieris, sicut ante vel post positum est, remanet. Propterea quia una caro sunt, vir debet uxorem diligere. Præterea ideo quia *hoc*, id est relinquet homo patrem, etc., *est magnum*, id est magnæ rei *sacramentum.* Quod enim ait : *Relinquet homo patrem*, significat Filium Dei reliquisse Patrem, dum ipsi per naturam deitatis invisibilis sicut Pater, sub forma servi præbuit se visibilem. Reliquit iterum matrem, id est Synagogam in qua nutritus erat, et adhæsit uxori suæ, id est Ecclesiæ quam sibi annulo fidei desponsavit. Hoc, inquam, est sacramentum. *Ego autem dico* rem hujus sacramenti existere *in Christo, et in Ecclesia*, sicut dictum est. Si omnis alia causa in conjugio cessaret, celebrandum tamen esset pro sola dignitate rei cujus figura est. Sed licet res hujus sacramenti in Christo tantum sit et in Ecclesia, non in viro et muliere, *verumtamen et vos singuli*, non ille uxorem proximi, sed *unusquisque diligat suam sicut seipsum; uxor autem* non solum diligat, sed etiam *timeat virum suum.* Sic viri ad uxores, et uxores se habeant ad viros.

CAPUT VI.

« Filii, obedite parentibus vestris in Domino « (*Col.* III, 20): hoc enim justum est. Honora pa- « trem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum « primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis lon- « gævus super terram (*Exod.* XX, 12; *Eccl.* III, 9; « *Matth.* XV, 4). **252** Et vos patres nolite ad ira- « cundiam provocare filios vestros: sed educate illos « in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite « dominis carnalibus cum timore et tremore, in « simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Non ad « oculum servientes, quasi hominibus placentes, « sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex « animo. Cum bona voluntate servientes, sicut Do- « mino et non hominibus; scientes quoniam unus- « quisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet « a Domino, sive servus, sive liber. Et vos do- « mini eadem facite illis, remittentes minas: scien- « tes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis; « et personarum acceptio non est apud eum « (*Rom.* II, 11; *Act.* X, 34; *I Petr.* I, 17). De cætero, « fratres, confortamini in Domino, et in potentia « virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut pos- « sitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non « est nobis colluctatio adversus carnem et sangui- « nem, sed adversus principes et potestates, adver- « sus mundi rectores tenebrarum harum, contra « spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea « accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in « die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo « succincti lumbos vestros in veritate, et induti lo- « rica justitiæ, et calceati pedes in præparationem « Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum « fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea « exstinguere. Et galeam salutis assumite, ac gla- « dium spiritus (quod est verbum Dei), per omnem « orationem et obsecrationem orantes omni tem- « pore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni in- « stantia et obsecratione pro omnibus sanctis; et pro « me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, « cum fiducia notum facere mysterium Evangelii; « pro quo legatione fungor in catena ita, ut in ipso « audeam, prout oportet me, loqui. Ut autem et vos « sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vo- « bis nota faciet Tychicus, charissimus frater et fi- « delis minister in Domino: quem misi ad vos in « hoc ipsum ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et « consoletur corda vestra. Pax fratribus, et chari- « tas cum fide, a Deo patre et Domino Jesu « Christo. Gratia cum omnibus, qui diligunt Domi- « num nostrum Jesum Christum in incorruptione. « Amen. »

EXPOSITIO.

Vos etiam, *filii*, *obedite parentibus vestris*, ita tamen quod *in Domino*; in his enim quæ contra fidem sunt, parentes audiendi non sunt. *Obedite* dico; *hoc enim justum est*, hoc scilicet *honora patrem tuum et matrem*, *quod mandatum primum* est in secunda tabula. Duæ tabulæ datæ sunt Moysi. In prima posita sunt tria mandata, pertinentia ad Deum scilicet diliges Deum tuum, et Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et non assumes nomen Dei tui in vanum, etc. In secunda tabula septem mandata posita sunt, ad homines pertinentia. Hoc autem: *Honora patrem*, præpositum est aliis sex. *Hoc* etiam *mandatum fuit datum in promissione*, quia statim post mandatum subjuncta est mandati promissio; hæc scilicet *ut bene sit tibi* honoranti patrem, *et ut sis longævus super terram* hanc, et in vera terra repromissionis longævus, quia permanens. Filii obediant parentibus. *Et*, *vos patres nolite filios vestros provocare ad iracundiam*, *sed educate illos in disciplina*, docentes eos quæ eis addiscenda sunt, *et in correptione*, ut si peccaverint, quomodo decet corripiatis. Disciplina et correptione dico *Domini*, id est secundum Dominum facta. Filii obedite parentibus; vos etiam, *servi*, *obedite dominis*, etiam *carnalibus*. Obedite dico *cum timore* animi *et tremore* corporis. Et *in simplicitate cordis vestri*, id est sine omni dolositate, obedite illis *sicut Christo* obedire- tis. Vos dico *non servientes* illis *ad oculum*, id est ut in facie Domini devoti sitis; retro autem superbi. Dico non servientes ad oculum, *quasi per* hoc *placeatis hominibus*, *sed sicut servi Christi*, *ex animo*, non coacti, facientes *voluntatem Dei*, id est sicut bonum esset vobis facere voluntatem Dei, ita sitis servientes illis *cum bona voluntate sicut Domino et non* sicut *hominibus*. Ideo ait *sicut Domino*, cum enim pro peccato suo vel parentum servi facti sint, si hanc pœnam peccati patienter tulerint Deo magis obedire videntur quam homini, qui eos sub hac conditione pro peccato redegit. Servite illis sicut **253** Domino, *scientes quoniam unusquisque*, *sive servus sive liber*, *percipiet a Domino* remunerante sibi *quodcumque bonum fecerit*. Servi, obedite dominis, *et vos domini facite illis eadem*, non quod illis serviatis, sed ut labores eorum pie remuneretis. Eadem facite illis, *remittentes minas*, id est nolite eos vexare minis, *scientes quia idem Dominus illorum et vester est in cœlis*, et scientes *quoniam acceptio personarum non est apud Deum;* non enim minus diligit servum quam liberum; solummodo bonus sit.

Postquam singulares admonitiones ad sexus et conditiones fecit, revertitur ad communem Ecclesiæ admonitionem, timens defectum eorum, et sciens eos non amplius visuros faciem suam. Sic filii ad parentes, servi ad dominos se habeant, et e converso. Vos autem *fratres*, in communi *de cætero*, id est in futuro, *confortamini*, id est fortes estote *in Domino*, et ut confortemini *state in potentia virtutis ejus*, id est potentes estote per virtutem ejus. Virtutem hic vocat arma quæ sequuntur, quibus potentes sunt contra hostes. Ut autem fortes et potentes sitis, *induite vos armaturam Dei*, ut armis Dei induti *possitis* more pugnantium *stare adversus insidias diaboli*, id est diabolum insidiantem vobis, et ne in hac pugna negligentes sitis, *quia non est no-*

bis colluctatio adversus carnem et sanguinem, id est contra visibilem hostem. Ubi ait *colluctatio*, innuit pugnam esse de proximo. *Sed* est nobis colluctatio *adversus principes*, id est malignos spiritus; qui etiam aliis spiritibus principantur, *et* etiam *adversus potestates*, id est eos spiritus qui super principes potentiam habent. Et *adversus rectores mundi*, non quod sæculum hoc regant, sed rectores *tenebrarum harum*, id est horum in peccatis tenebrosorum; eos enim tantum, non alios regunt. Et est nobis pugna *contra spiritualia*, id est contra invisibiles hostes. Spiritualia dico *nequitiæ*; nequissimi enim sunt hi spiritus. Hæc autem pugna est *in cœlestibus*, id est non pro terrenis, sed ut cœlestia gaudia auferant a vobis. Vel, secundum Augustinum, *contra spiritualia* habitantia in cœlestibus, id est in aere. Et *propterea* quia contra principes et spiritualia pugna est, *accipite* ideo spiritualem *armaturam Dei*, id est virtutes, *ut* per hæc arma *possitis resistere in die malo*, id est in tempore hoc qui dies malus dicitur, quia sancti in hoc tentationibus affliguntur. Nec solum resistere, sed etiam possitis *stare perfecti* consummata justitia. *Stare* dico *in omnibus*, tam adversis quam prosperis. Et quia in hac pugna armatura Dei necessaria est, ergo accipite cingulum, loricam, scutum etc. Quod sic ait : *State in* pugna *succincti lumbos vestros*, id est habentes cingulum in lumbis, quo reprimatur luxuria. *Succincti* dico *in veritate*, ne forte extra simuletis castitatem, intus lasciviam habeatis. Vel *succincti lumbos* in charitate, quod dilectio Dei cingulum sit lumborum, mortificans in nobis luxuriam. State etiam *induti loricam justitiæ*, id est, justitia sit vobis lorica, sine læsione quoslibet ictus excipiens. Non ideo dicit veritatem cingulum lumborum, et justitiam esse loricam, quin e converso idem dicere bonum esset.

State etiam *calceati pedes*, id est affectiones vestras bene habentes munitas. Non dico tantum in Evangelio, sed etiam *in præparatione Evangelii*, ut primum in vobis ostendam quod aliis Evangelizabitis. Hæc enim præparatio bona est. Evangelii dico *pacis*, id est per quod inter Deum et hominem pax reformatur. Calceati pedes vos dico, *sumentes in omnibus* impugnationibus *scutum fidei*, id est fidem, A scutum et protectionem vobis. *In quo* scuto fidei *possitis exstinguere omnia ignea tela* illius *nequissimi* adversarii. *Assumite etiam galeam salutis*, id est spes et desiderium æternæ salutis sit vobis galea, qua caput hoc involvatis. Sicut enim caput dignius membrum est, sic futura salus dignior respectus est. Assumite etiam *gladium Spiritus sancti*, quod, id est *qui gladius verbum Dei est*. Et hoc gladio, scilicet verbo Dei feriuntur hostes et cadunt. Vos dico *orantes per omnem*, id est per omnismodi *orationem* **254** *et per* omnem *obsecrationem*. Oratio dicitur ut simpliciter : Deus adjuva me; obsecratio, cum adjuramento, ut : Per passionem tuam, libera nos, Domine. *Orantes*, dico, *omni tempore* non lingua tantum, sed *spiritu*, id est ex corde. B *Et in ipso*, id est in orando sitis *vigilantes in omni instantia et in* omni *obsecratione*, facta *pro omnibus sanctis*, facta *etiam pro me* ad hoc *ut detur mihi sermo in apertione oris mei*, id est ut aperto ori accommodetur gratia sermonis. Et ut detur mihi *cum fiducia notum facere mysterium*, id est secretum Evangelii mei. *Pro quo* mysterio revelando *fungor legatione positus in catena. Ita* detur cum fiducia *ut audeam in ipso* Evangelio *loqui, prout me oportet*, non amplius venturus ad vos. De his quæ vobis agenda sunt, sic vos docui. *Ut autem et vos sciatis* tribulationes, *quæ circa me sunt;* et quid ego agam in illis. *Tychicus, charissimus frater et fidelis minister in Domino, nota faciet vobis omnia.* C *Quem* Tychicum *misi ad vos in hoc ipsum ut cognoscatis* per eum *quæ circa nos sunt, et ut consoletur corda vestra* cum audieritis me pati pro nomine Christi, pro quo omne onus leve est, omne jugum ferre suave est (*Matth.* XI, 30). Hic Tychicus fuit per quem hanc Epistolam misit, intendens per utrumque eos consolari. Vobis *fratribus* sit *pax et charitas cum fide*, id est et fides *a Deo Patre et Domino Jesu Christo. Gratia* sit *cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum*. Diligunt dico *in incorruptione*, id est in integritate dilectionis. Dictum est a similitudine sponsæ, quæ se maritum diligere probat, dum ei integritatem suam reservat. Vel ita : Gratia sit illis *in incorruptione*, id est in spe incorruptionis, id est vitæ æternæ. *Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Philippenses sunt Macedones. Hi accepto verbo veritatis, perstiterunt in fide, nec receperunt falsos apostolos. Hos collaudat Apostolus, scribens eis a Roma de carcere per Epaphroditum

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Philippi civitas est in Macedonia : inde Philippenses. Ii autem de numero eorum fuerunt, quos in secunda Epistola ad Corinthios adeo magnificavit Paulus, dicens : Seipsos primum dederunt; deinde D sua (*II Cor.* III, 5). Apud hos Philippenses aliquandiu conversatus fuerat Paulus, prædicans eis verbum Dei, et per eum susceperunt fidem Christi; quibus confortatis in mandatis Dei, discessit ab eis.

Sed cum Romæ esset in vinculis, propter absentiam et tribulationem pastoris, existimaverunt persecutores justitiæ et pseudo apostoli, depravatores veritatis, sibi datam esse opportunitatem aggrediendi quos Paulus instruxerat Philippenses, ut et facilius cederent persecutioni, propter afflictionem et contemptum magistri, et ut pseudo opportunius perverterent fidem eorum, absente Paulo qui confirmaret eos. Quam utramque pugnam (scilicet persecutorum et pseudodoctorum) Paulus intelligens, scripsit eis hanc Epistolam, in qua agit de illa duplici pugna persecutorum et pseudodoctorum, eo A modo ut approbet eos persecutionem libenter debere pati pro fide Christi, cum Apostolum suum gaudentem audiant in vinculis, qui dignus habitus sit pro nomine Jesu contumeliam pati; cum etiam sciant Jesum pro salute eorum passum. Iis et aliis causis patientiam cum humilitate commendat eis. Iterum doctrinam eorum pseudo illis adeo deprimit ut vocet eam stercora, et multas dat rationes, quare non sint audiendi. Et in hunc modum agens de hac utraque pugna, intendit eos armare in hoc bello per hanc Epistolam, ne vel cedant persecutioni, vel consentiant errori.

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

255 CAPUT PRIMUM.

« Paulus et Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis et diaconibus. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc, confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis et in defensione et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensa in diem Christi, repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in laudem et gloriam Dei. Scire autem vos volo, fratres quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in cæteris omnibus, et plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem, et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant; D quidam, ex charitate, scientes quoniam in defensione Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere; existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem per vestram orationem et subministrationem Spiritus Jesu Christi, secundum exspectationem et spem meam, quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, B sive per vitam sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, et quid eligam ignoro. Coarctor autem e duobus : desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium est propter vos. Et hoc confidens scio quia manebo et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et gaudium fidei, ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos. Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut, sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii, et in nullo terreamini ab adversariis; C quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo : quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini : idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me. »

EXPOSITIO

Paulus, etc. Nomina dignitatis hic non apposuit, sciens Philippenses non dubitare de apostolatu Pauli, quem magistrum et Apostolum suum confitebantur, dum, sicut illis tradiderat Paulus, in fide operabantur; sed intendens commendare eis humilitatem, cum patientia humilitatis nomen (se servum dicens) inseruit. Unde sic ait : *Paulus et Timotheus*. Non ideo Timotheum apposuit quod cum Paulo Epistolam scripserit, sed quia in eadem voluntate Paulo concessit; ideo etiam, quia, sicut in sequentibus innuit, missurus erat eis in proximo Timotheum. Cui ut in omnibus obedirent, dignum fuit præscribere commendatione Pauli. Paulus et Timotheus, *servi Jesu Christi*, sic et vos servitutem Christi in omni humilitate patientes custodite. Paulus, inquam, et Timotheus scribunt *omnibus sanctis qui sunt Philippis*. Sanctis dico *in Christo Jesu*, id est in fide Christi Jesu sanctis et confirmatis. Ubi ait *omnibus sanctis*, communitatem Ecclesiæ intelligit, id est, subditos, quibus in eadem salutatione præla-

vos adjungit, dicens: **256** Scribunt *omnibus sanctis*, id est subditis *cum episcopis*, id est et episcopis *et diaconibus* in eadem Ecclesia. Hic per episcopos accipimus presbyteros; cum in eadem civitate non sint, putandum plures esse episcopos. Vel si etiam Philippi regio esset diversas habens civitates, absurde transiret ab episcopis ad diacones, intermissis presbyteris. Nec absurdum est, si sacerdotes dicantur episcopi, cum, secundum Augustinum, quilibet paterfamilias, quia super intendit domui, episcopus possit dici. Paulus, inquam, et Timotheus sic scribunt: *Gratia vobis et pax a Deo nostro Patre, et Domino Jesu Christo.* Sicut sæpe expositum est. Hic modo in primis mistim de utraque pugna commendans eis humilitatem cum patientia agit, usque illud inferius, ubi ait: *Scire autem*, etc. Quasi diceret: Audiens fidem et patientiam vestram, *gratias ago Deo meo*, id est mihi bene in vobis faventi. Nostrum dicimus Deum, quando pie concedit quod precamur. Gratias, inquam, ago Deo meo *in omni memoria vestri*, quia, quoties audio aliquid de vobis (quia digna fide Christi sunt), gratias ago Deo, non in quadam, sed *in omni memoria vestri*. In omnibus bonum audiens de vobis, *gratias*, inquam, *ago Deo in omni memoria vestri faciens deprecationem pro vobis omnibus*, quia nemo se indignum mea intercessione facit: Et hoc *cum gaudio*. Si peccarent illi, precaretur quidem pro eis, sed in tristitia.

Quia vero perfecti sunt, restat ut oret pro eis *cum gaudio*. *Faciens*, inquit, *deprecationem in cunctis orationibus meis*. Nunquam enim oro quod prætermittam vos. Orationibus dico non raro, sed *semper*, id est continue celebratis. Ago, inquam, gratias semper, id est *de communitate vestra* ostensa *in Evangelio Christi*. Communicastis enim Evangelio Christi, credendo quam cito audistis. Faciendo etiam opera fidei, et prædicando aliis mecum fidem Christi. Vel ita: *Gratias ago super communicatione vestra*, id est de hoc quod res vestras communes exhibuistis omnibus sanctis. *Communicatione* dico facta *in Evangelio*, id est secundum Evangelium Christi, quia vos primum Deo, dehinc vestra sanctis tradidistis, et in Evangelio per hæc et omnia præcepta adimplendo. *Communicatione* dico incœpta *a prima die* conversionis vestræ *usque nunc*, id est ad præsentem diem. *Ago gratias, faciens pro vobis deprecationem*, et *hoc ipsum*, id est sicut postulo integrum *confidens* me impetraturum; non tamen ex virtute vestra, sed ideo *confidens*, quia Deus *qui cœpit in vobis bonum opus*, ipse idem *perficiet*. Ideo ait *cœpit* et *perficiet*, et, ut superius, *gratias ago*, ut ostendat principium et finem justitiæ suæ totum ex gratia Dei esse. Ideo etiam ait *confidens*, quia si pietas Dei bona cœpit in illis qui mali erant, multo magis credendum est ut in iis qui jam justi sunt, perficiat consummationem. *Perficiet* dico *usque in diem Christi Jesu*, in morte cujusque, quantum ad eum qui moritur, incipit dies Christi. Ex hoc enim jam nihil facit præter voluntatem Christi, qui, dum viveret A diem suum habuit, faciens bonum vel malum, quod voluit. Vel si dicimus diem Christi, diem judicii, tunc erit ad probationem. Ita perficiet in vobis opus bonum usque, id est, assidue faciens hoc in justis usque in diem Christi Jesu, id est, quandiu mundus durabit. Confidens et faciens deprecationem tantam *sicut est justum*; id est, non minus precor pro vobis quam justitia vestra et benignitas, qua me honorifice suscepistis exigit. *Justum*, inquam, *est mihi* qui nullius beneficio ingratus sum, sed benigne recompenso. *Sicut*, inquam, *justum est mihi* non solum deprecari, sed etiam *sentire* hoc *pro vobis*; sentio enim tribulationem vestram ex vi compassionis, ac si eam in carne mea sustinerem. *Pro vobis* dico *omnibus*, quia omnes perfecti estis. *Sentire* me B dico et sentio, *eo quod habeam vos* non in labiis tantum, sed *in* ipso *corde*. Tribulor enim interius pro vestris tribulationibus. Habeo vos in corde, et dum sum *in vinculis*, et dum sum *in defensione*, et positus *in confirmatione Evangelii*. *In vinculis meis* habeo *vos in corde*, memorans vos **257** pati persecutionem sicut et me. *Et in defensione Evangelii*, id est in quo defendo fidem contra pseudo, qui nituntur pervertere eam. Habeo *vos in corde*, memor quod vos cum pseudo pro tuenda fide vestra decertatis. Per vincula et defensionem utriusque pugnæ eorum faciens mentionem, confortat eos in utraque. Habeo etiam *vos in corde, in confirmatione* Evangelii, id est quando simplicibus Chris- C tianis confirmo fidem suam per Scripturas etc. Memor sum vos similiter fidem simplicium confirmare.

Et sicut memor sum tribulationum vestrarum, sic et vos estote participes humilitatis meæ. Inutilis enim est patientia, quam non comitatur humilitas. Quales habeo vos in corde: tales, scilicet *omnes vos esse socios gaudii mei*, remunerationis meæ in æterno gaudio, sicut enim tribulationis meæ, participes eritis gaudii. Vere habeo vos in corde. *Testis enim mihi est Deus, quomodo*, id est quam infinito desiderio ego *cupiam omnes* vos esse, non in pedibus Christi, sed *in visceribus Christi Jesu*, id est non in inferioribus; sed inter magis dilectos Dei qui dicuntur viscera ejus. Et quia sic cupio de vobis, ideo D *oro hoc ut charitas vestra magis*, proficiendo *abundet*, temperata *in* omni *scientia*, id est in omnimoda discretione. Ideo scientia necessaria est charitati, quia, si sine discretione fuerit, plerumque sic obhorrebit aliquid veniale in proximo ut intemperate reprehendendo suscitet litem, vel aliquid majus crimen, cum, si discrete ageret, melius per lenitatem proximum corrigeret, ideo ait *charitas abundet in* omni *scientia*. Et quia quidam habentes scientiam, plerumque actum ejus obliviscuntur, addit, *et in omni sensu*, id est in omni animadversione, ut semper memoriter animadvertamus et in promptu habeamus scientiam. *Abundet* ita *ut* non tantum bona a malis, sed etiam *probetis*, id est probabiliter eligatis *potiora*, id est de bonis meliora. *Pro-*

betis ita *ut sitis sinceri*, id est puri in vobis, *et sine offensione* ad proximum, sic eundo *in diem Christi*, quod nihil in die judicii mundandum inveniatur in vobis. Vos dico *repleti* tunc in die Christi *fructu*, id est remuneratione *justitiæ* vestræ quam hic habuistis. Repleti dico *per Jesum Christum*, distributorem illius fructus. *Justitiæ* dico habitæ *in gloriam et laudem Dei*, id est ita ut dicatur in vobis gloriosus et laudabilis Deus in sanctis suis. Vel ita. Tales sitis *in diem Christi*. Vos dico interim dum vivitis *repleti* non justitia (quæ facultatem non habeat operandi) sed *fructu*, id est operibus justitiæ, ut et justitia et opera justitiæ in usu vobis sint. *Repleti* dico per Jesum Christum, ex quo omnis justitia. Et hoc *in gloriam et laudem Dei*, id est ut Deo totum et vobis nihil ascribatis. Gloria Dei, dicitur claritas deitatis. Laudem Dei accipimus in iis quæ videmus corporalibus oculis. *Sinceri*, si componimus ex *sin* et *cæra*, perducitur media syllaba, nominativus, singularis sincerus, habens duo pluralia sinceri et sinceres, ut diaconus diaconi et diacones. Si secundum Isidorum, ex *sine* et *carie* componimus, media syllaba corripitur, et singulari caret.

Hucusque mistim de utraque pugna tractavit; hic separatim de pugna persecutorum incipit, dicens. Audiens bona de vobis, *gratias ago*. Deprecor cum gaudio *confidens* de vobis. Ego sic ago : *Vos autem volo scire, fratres, ea quæ circa me sunt*. Hæc ideo eis notificat ut exemplo suo ad patientiam et humilitatem eos inducat. *Scire*, inquam, *vos volo*, quia ea *quæ circa me sunt*. *Circa*, ideo quia undeque circumvallant me mala. Vel *circa*, quia extra in corpore affligor, sed intus, in anima vires congrego. Ea, inquam, *quæ circa me sunt, venerunt ad profectum Evangelii magis* quam ad detrimentum, sicut ipsi putaverunt quod ligato Paulo, alligatum esset verbum Dei. Venerunt ad profectum, *ita ut vincula mea*, id est utilitas vinculorum meorum *manifesta fierent in Christo*, id est in magnificatione nominis Christi. *Manifesta* dico *in omni prætorio, et in cæteris omnibus*, id est apud principes, et apud inferiores. Et si enim ubique non sciatur Paulus esse in vinculis, tamen utilitas vinculorum suorum ubique diffunditur, dum fides Christi per eum dilatata ubique prædicatur. Vel ita : *Venerunt ad profectum, ita ut* ipsa eadem *vincula mea fierent manifesta in Christo*, id est quæ pro Christo patiebar. *Manifesta* dico *in omni prætorio, et in cæteris omnibus* locis. Ubique, enim dicebant : Videte constantiam. Pauli, qui etiam in vinculis non cessat prædicare fidem Christi. Ita fierent manifesta, *ut plures ex fratribus confidentes in Domino, vinculis meis*, id est propter vincula mea in quibus positus audacter prædicabam, exemplo meo confisi auderent abundantius loqui gentibus sine timore verbum Dei; qui prius propter timorem non audebant. Ii sunt boni fratres, sed *quidam quidem*, id est discreti a bonis, quia perverse *prædicant Christum et propter* A *invidiam*, quia volunt diminuere nomen Pauli, in quo non est alligatum verbum Dei. Et si non putent se posse usurpare sibi laudem Pauli, prædicant etiam *propter contentionem*, certantes se parificare Paulo in laude prædicationis. *Quidam autem* qui boni sunt *prædicant Christum*; et si non patiantur tribulationem *propter bonam voluntatem* habitam ad omnes, quia vellent venire omnes homines ad agnitionem veritatis. *Quidam* etiam similiter boni ex *charitate*, id est privata dilectione, quam habent erga me, prædicant Christum, *scientes quoniam* ego *positus sum* in vinculis *in defensione*, id est propter defensionem *Evangelii*. Vel ita : *Scientes quoniam* ego *sum positus*, id est ordinatus a Deo *in defensione*, id est ad hoc ut defendam Evangelium, ii prædi- B cabant ex privata charitate dicentes : Dilectus noster Paulus ; quia ligatus est, non potest modo instruere Ecclesias suas, suppleamus vicem ejus, ne forte quod ædificavit, evertant illi pseudo. Et sic carnalis dilectio erat ad profectum Evangelii.

Quidam autem perversi, sicut illi, ex privata charitate, sic isti *ex contentione*, id est ex privato odio *annuntiant Christum, non sincere*, id est non in puritate, *existimantes se* hoc modo *suscitare pressuram*, id est aggravationem *vinculis meis*, id est mihi posito in vinculis. Ii enim perversi disputaverant cum Paulo, et Paulus superaverat eos; nunc autem quod audierant ab eo prædicabant, ideo ut cum diceretur eis : Quare verba ejus scilicet damnati Pauli C prædicatis? dicerent hoc, non a nobis, sed sic ab illo accepimus, portet ille pœnam istorum, et iis verbis infideles concitati vehementius desæviebant in Paulum. Objiceret aliquis ad hoc quod superius ait : *Vincula mea venerunt* ad profectum Evangelii, in bonis quidem qui exemplo tuo animati prædicaverunt, profuerunt quidem; sed in iis qui ex invidia et contentione prædicabant, vincula tua nil profuerunt. Ad hoc Paulus. Profuerunt utique etiam in iis; *quid enim* nocet *dum*, id est solum modo *annuntietur Christus omni modo*, scilicet *sive per occasionem* suscitandi mihi pressuram, ut faciunt pseudo, *sive per veritatem*, ut annunciant boni? Ego non curo quicunque sit annuntians; solummodo auditores in fide proficiant. *Gaudeo in hoc* quod Christus annun- D tiatur per occasionem, et in hoc gaudeo, quod suscitant mihi pressuram, nec modo solum, *sed* semper *gaudebo* in eodem. In Deo gaudeo et gaudebo, *scio enim quia hoc*, id est quod pressura mihi suscitatur, *proveniet mihi in salutem* per vestram orationem intercedentem pro me, *et per subministrationem*, id est per fulcimentum et sustentaculum Spiritus. Sicut enim columna in medio posita sustentat domum, ne cadat; sic Spiritus fulcit mē. *Spiritus* dico *Jesu Christi*, id est quem Christus dat, pro quo patior proveniet dico in salutem *secundum exspectationem et spem meam*, id est non minus salutis conferens quam exspecto et spero. Exspectatio dicitur longanimitas in sustinendo, sine certitudine tamen. Spes vero certa præstolatio; ideo *secundum spem*,

quia non confundar, id est non erubescam in aliquo, ut ego deficiam in Evangelio Christi propter instantem tribulationem. *Non confundar, sed sicut semper*, id est de præterito magnificatus est, *ita et nunc*, id est in futuro *magnificabitur Christus*, non solum in anima, sed etiam in fragiliori parte, id est *in corpore meo. Magnificabitur* utique *sive per vitam sive per mortem*, id est in vita corporis et in morte. Debeo magnificare Christum per vitam, **259** nam *Christus est vivere mihi*, id est ego ad aliud non vivo, nisi ut magnificem Christum. Debeo magnificare per mortem; nam Christus est mihi *lucrum mori*, id est ad moriendum, ipsum enim Christum accipiens lucror, si pro Christo morior. Vel ita: Per mortem debeo magnificare Christum; nam mori est mihi lucrum, id est nam in morte lucror ego, accipiens in cœlis retributionem laborum meorum. Et cum mori sit mihi lucrum, restat ut eligam mortem.

Adversa sententia, sed tamen licet mori sit lucrum, *vivere in carne est mihi fructus operis*, hic scilicet quod per vitam magnificabitur Christus. Et quia mori mihi est lucrum tantæ beatitudinis, et vivere in carne est mihi fructus magnificandi Christum, en, id est ecce, *quid* horum *eligam ignoro*, vitam an mortem, ideo ignoro quia coarctor. Vel non solum ignoro, sed etiam *coarctor*, habens desiderium *e duobus*, id est de dissolvi, et de permanere in carne; sed *dissolvi et cum Christo esse multo melius*, quantum ad me. *Permanere autem in carne necessarium est propter vos*, ut Christus per me magnificetur in vobis. *Et hoc*, id est quod necessarius et utilis ero *confidens. Scio quoniam manebo* et etiam diu *permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, et* ad *gaudium fidei vestræ*, id est ut de merito fidei gaudeatis. Tunc habet justus gaudium de fide, cum jam non timet adversa, et securus est de præmio. Permanebo vobis ad profectum, *ita ut gratulatio*, id est exsultatio vestra, vel actio gratiarum, utrumque enim significat gratulor, et gaudeo et gratias ago, gratulatio, inquam, vestra *abundet in Christo*, id est in laudem Christi *Jesu, in me*, id est in consideratione mei. Abundet dico *per meum adventum iterum* factum *ad vos*. Abundabit utique *tantummodo* videte *ut* vos *conversemini digne Evangelio Christo*, id est sicut decet et docet Evangelium, quod accepistis. Ita digne, *ut sive cum venero et videro vos, sive absens* quocunque modo fuero, vel absens vel præsens audiam de vobis hoc, *quia statis in uno* Spiritu sancto justificante vos. Et quia in eodem spiritu stare possent; hic in humilitate, hic in castitate; tamen non habentes inter se dilectionem, ideo addit *unanimes* in dilectione, et *collaborantes* per patientiam tribulationum *fidei Evangelii*, id est quam fidem in Evangelio didicistis. Audiam etiam quod vos *in nullo terreamini ab adversariis, quæ* causa, scilicet quod volunt terrere vos, *est illis causa perditionis, vobis autem*, qui interriti statis, est *causa salutis. Et hoc* vobis *a Deo* quod non terremini, ideo, *quia vobis donatum est pro Christo*, id est pro merito Christi, *non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro illo.* Vos dico, *habentes idem certamen quale et vidistis in me*, cum apud vos essem, *et* quale *nunc audistis de me* quod patior Romæ. Vos autem imitamini quod me in humilitate pati videtis, sectantes patientiam et humilitatem.

CAPUT II.

« Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua « viscera miserationis, implete gaudium meum, ut « idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, una- « nimes idipsum sentientes. Nihil per contentionem, « neque per inanem gloriam, sed in humilitate su- « periores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua « sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo « Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam « arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet- « ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in si- « militudinem hominum factus, et habitu inventus « ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens « usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter « quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi no- « men quod est super omne nomen: ut in nomine « Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, « et infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia « Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. « Itaque, charissimi mei, (sicut semper obedistis) « non in præsentia mea tantum, sed multo magis « nunc in absentia **260** mea, cum metu et tre- « more vestram salutem operamini. Deus est enim, « qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro « bona voluntate. Omnia autem facite sine murmu- « rationibus et hæsitationibus (*I Petr.* IV, 9), ut « sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine re- « prehensione in medio nationis pravæ et perversæ; « inter quos lucetis sicut luminaria in mundo; ver- « bum vitæ continentes ad gloriam meam in die « Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in « vacuum laboravi. Sed et si immolor supra sacri- « ficium, et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et con- « gratulor omnibus vobis. Idipsum autem et vos « gaudete et congratulamini mihi. Spero autem in « Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos, « ut et ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos « sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui « sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes « enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu « Christi (*I Cor.* XIII, 5). Experimentum autem ejus « cognoscite, quia, sicut patri filius, mecum « servivit in Evangelio. Hunc igitur spero me mit- « tere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt. « Confido autem in Domino, quoniam et ipse ve- « niam ad vos cito. Necessarium autem existimavi « Epaphroditum fratrem et cooperatorem et com- « millitonem meum, vestrum autem apostolum, et « ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos, quo- « niam quidem omnes vos desiderabat, et mœstus

« erat propterea quod audieratis illum infirmatum. « Nam et infirmatus est usque ad mortem : sed Deus « misertus est ejus, non solum autem ejus, verum- « etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam habe- « rem. Festinantius ergo misi illum, ut viso illo « iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. Exci- « pite itaque illum cum omni gaudio in Domino, et « ejusmodi cum honore habetote ; quoniam propter « opus Christi usque ad mortem accessit, tradens « animam suam, ut impleret id quod ex vobis de- « erat erga meum obsequium. »

EXPOSITIO.

Dixit superius : Vincula *quæ circa me sunt, venerunt ad profectum Evangelii;* quod etiam vos patimini, vobis est causa salutis, et ita vobis pati donatum est pro merito Christi. Ex istis nunc infert dicens : Quia et me pati profectus est Evangelii, et quæ pro Christo similiter patimini vobis est causa salutis; ergo, fratres, *implete gaudium meum*, quod gaudium jam incepistis, ex quo pro Christo contumeliam passi estis. Implere gaudium intelligit, si ita pro Christo patiantur ut habeant humilitatem patientiæ semper associatam. Hic enim apertius hortabitur eos, ut cum patientia habeant humilitatem, ne, si patiuntur pro Christo, ideo se quasi digniores cæteris præferant. Patientia enim sine humilitate inutilis est. Implete gaudium meum *si qua consolatio* vobis est *in Christo*, id est si ex Christo consolationem quæritis in aliquo. Vel (ut de Christo sileam) *si quod solatium charitatis*, id est fraternæ dilectionis habere vultis, tunc implete gaudium meum. Vel ita : Si qua consolatio mihi datur apud vos in Christo, id est propter amorem Christi, et si quod solatium charitatis, id est fraternæ dilectionis mihi est apud vos quod me pro fraterna charitate consolari velitis, tunc implete gaudium meum; et, *si* est vobis *qua*, id est aliqua *societas spiritus*, id est si in Spiritu sancto societatem habetis cum aliis Ecclesiis; et *si* sunt in vobis *aliqua viscera*, id est aliqui pii affectus *miserationis*, id est exhibitionis misericordiæ, *implete gaudium meum*. Viscera hic ponuntur quasi misericordia ; pius autem affectus (etiam si nihil operetur) misericordia dicitur. Effectus autem misericordiæ miseratio vocatur, ideo tam obnixe obtestatur eos quia vult eos tenere humilitatem, sine qua patientiam eorum intelligit irritam. *Implete* dico *gaudium*, ita *ut sapiatis idem*, id est ut prosperitates proximi tam bene sapiant in vobis ac si vestræ sint. Sapiatis dico, *habentes eamdem charitatem*, id est ad omnem proximum æquam dilectionem. Licet enim quandoque oporteat habere majorem familiaritatem ad quosdam, sicut Christus habuit ad Joannem, hæc tamen non est dicenda charitas, sed major familiaritas, quæ habetur secundum quod quidam sunt opportuniores ad **261** quædam, alii minus.

Sitis etiam *sentientes idipsum* in adversis proximi, ut angustiam ejus non solum in animo sentiatis, sed sic pungat vos ut propria. Vos dico *unanimes*, id est æquum animum compassionis ad omnem proximum habentes. Vos iterum *nihil facientes per contentionem*, ut alter qui magis patitur contendat se præferre alteri minus patienti. Vel, nihil disponentes de rebus ecclesiasticis per contentionem, *neque* facientes aliquid *per inanem*, id est propter mundanam *gloriam*, *sed* estote *arbitrantes* alios *superiores vobis invicem*; quod alter reputet alterum se superiorem; nec hoc ficta superbia, sed *in humilitate*, ut, sicut alter præponit sibi alterum, sic eamdem humilitatem habeat in corde putans eum, quem præponit, superiorem se. Et quomodo alter alterum sibi superiorem arbitretur, consilium ponit, dicens : Ut arbitremini alter alterum superiorem sibi, *non* sitis *considerantes singuli* bona, *quæ sua sunt* ; *sed ea* tantum bona considerate *quæ sunt aliorum*. Si enim (postpositis vestris) virtutes aliorum attenditis, sic eos vobis superiores arbitrabimini. Ut utrumque commendet eis, humilitatem et patientiam, exponit quanta fuerit humilitas et patientia Christi, dicens : Bene dico *in humilitate;* nam hoc debetis habere in vobis quod non solum in me, sed etiam *in Christo Jesu* præcipue videtis. Nec solum habete *hoc*, sed etiam *sentite*, id est per experientiam rei probate. Ideo ait *sentite*. Multi enim sunt qui existimant se omnia posse pati pro Christo, qui, si forte venirent ad experimentum, deficerent. *Sentite*, inquam, *in vobis* humilitatem, patientiam; *quod* in me *et in Christo Jesu* precipue videtis; *qui* Christus Jesus *cum esset in forma*, id est in æqualitate *Dei* patris, ita invisibilis, coæternus, et consubstantialis illi scivit se esse æqualem Deo. Et in hoc quod scivit, major humilitas. Si enim ignorata altitudine sua, ita se humiliaret, humilitas ejus propter ignorantiam non adeo commendabilis esset. Sciens utique se esse æqualem Deo, *non arbitratus est rapinam*, ut sibi usurparet rem alienam. Vel sic in eadem sententia : Arbitratus *se esse æqualem Deo*, non faciendo rapinam, sicut malignus angelus, quod dicens : « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 13); « et homo cui serpens dixit. « Eritis sicut dii (*Gen.* III, 5). » Hic uterque rapinam fecit, dum quod Dei proprium erat, male sibi usurpare voluit. Christus autem non rapinam, quia arbitratus est rem propriam.

Et licet Christus esset in forma Dei, tamen *exinanivit*, id est evacuavit claritatem deitatis, dum eam sub forma servi posuit. *Exinanivit* dico *semet*, id est ipsam deitatem, *ipsum*, id est in eodem, tamen cum Patre permanentem ; sic enim assumpsit quod non erat, ut maneret quod erat, et in hoc multa humilitas. Si enim quilibet rex amisso jure regni humilis sit, non multum est ; sed si habens jus regni, ab eo se in humilitate manens alienat, commendabilis est ejus humilitas. *Exinanivit*, dico, *accipiens formam servi*. Incomparabilis est humilitas, ubi Dominus elegit esse servus. Iterum formam servi posset accipere sine corruptione, ut non sentiret miserias carnis. Ideo addit, *factus*, id est fa-

cturam novam accipiens *in similitudinem hominum*. Sic enim passibilis fuit et mortalis ut alii homines. Iterum *in similitudine hominum* esse posset, manus habens et pedes, et non haberet se ut homo. Ideo subdit *et habitu*, id est, in habendo se *inventus* est *ut homo*, a tentatore diabolo. Diabolus enim investigabat eum an esset Deus, an homo; sed, cum invenit eum esurientem, putavit eum solummodo hominem. Nec solum factus est *in similitudinem hominum*, sed etiam *humiliavit semet* (qui tantus erat) *ipsum*, scilicet in gloria tamen deitatis perdurantem. Humiliavit dico, *factus obediens* Patri in omnibus, *usque ad mortem*, nec mortem personæ quæ digna esset, *sed mortem crucis*. Quod genus mortis præ omni alio ignominiosius erat. Ubi ait *mortem*, commendat in eo patientiam. Ubi ait *crucis*, humilitatem. *Propter quod*, id est quia, in tanta humilitate et patientia Deo obedivit, ipse se merito suo *et Deus* secum *exaltavit*, id est in magna altitudine posuit, **262** *illum*, scilicet ad dexteram suam. *Et illi* exaltato *donavit nomen*, id est honorificentiam, *quod* nomen *est super omne nomen*, id est superius omni nominabili, *ita* super, *ut in nomine*, id est ad honorem, *Jesu omne genu flectatur*, id est omnia ipsi plene subjiciantur, sicut ille qui genuflectit, subjicitur. *Omne genu* dico, quia *cœlestium*, id est angelorum, et *terrestrium*, id est hominum, *et infernorum*, id est dæmonum et animarum, quæ ibi sunt, *flectatur genu*, *et omnis lingua confiteatur*. Hoc erit in die judicii, quando, velint nolint, Christum confitebuntur impii.

Confiteatur dico, *quia*, id est quod, *Dominus Jesus Christus est in gloria*, id est in æqualitate *Dei Patris*, secundum deitatem, et post Patrem primus, quantum ad humanitatem super omnem creaturam; quod Christus adeo patiens et humilis fuit, et per utrumque sic exaltatus: *itaque*, *charissimi mei*, *operamini vestram salutem*, id est vestri exaltationem, conjungentes in vobis patientiæ humilitatem. Vos, inquam, *sicut semper obedistis* mihi, quandiu apud vos eram, ita modo *cum metu* animi *et tremore* corporis, timendum enim semper est stanti ne cadat. Operamini vestram salutem, ut non in præsentia mei tantum dicamini obedisse, sed multo magis nunc in absentia mea probetur vestra obedientia. Ideoque nunquam securi, sed semper cum metu et tremore, *quia Deus est qui operatur in vobis* (ut nihil vobis relinquam) etiam *velle*; et postquam per gratiam dederit velle, similiter in vobis operatur *perficere*. Nec hoc pro vestro præcedenti merito, sed solummodo *pro bona voluntate sua*, Deus omnia operatur in vobis; vos autem, cooperantes Deo, *facite omnia sine murmurationibus*, ne si diu vos pati necesse sit, contra Deum impatienter murmuretis, quasi vos injuste permittat affligi. Omnia etiam facite *sine hæsitationibus*, id est ne dicatis: Cras vigilabo, jejunabo cras, pro Christo pati incipiam sic. Ideo facite *ut sitis sine querela*, id est ut non sit in vobis de quo erga vos homo juste possit conqueri. Et ut sitis *simplices filii Dei*, id est ut simplex filiatio Dei per innocentiam sit in vobis, ut etiam sitis *sine reprehensione*; quod nec aliqua occasio appareat in vobis, unde reprehensibiles videamini, licet culpa non sit in vobis. Dicerent illi: Grave est sine reprehensione vivere inter tot invidentes justitiæ. Ad quod ille: Verum quidem est, quia vos habitatis *in medio nationis pravæ et perversæ* in se, id est pervertentis alios, *inter quos* tamen per fidem et bona opera *lucetis sicut luminaria in mundo*. Sicut enim sol et luna mundum illuminant, sic justitia vestra tenebras eorum illuminat. Vos, dico, *continentes verbum vitæ*, id est Evangelium Christi, in fide cujus vita æterna habetur. Continentes dico ad modum vasis quod liquorem infusum sibi bene continet et propinat aliis; sic et vos, in vobis verbum Dei custoditis, et aliis ministratis. Continentes dico *ad gloriam meam*; quod si ego gloriam habiturus sum de hoc quia verbum vitæ continetis, multo magis vos qui promeremini. Gloriam dico, mihi habendam *in die Christi*, quando Christus suos remunerabit. Habebo utique gloriam meam, *quia* ego *non cucurri in vacuum*, *neque laboravi* in vacuum.

Cucurrit secundum illos quos facile convertit. Laboravit secundum difficiliores in accessu fidei. *Cucurri* quidem *et laboravi* in vobis, nec me pœnitet; sed etiam, si oporteat me immolari pro vobis, in hoc *congratulor vobis*. Quod sic ait: Etiam *si ego immolor supra sacrificium fidei vestræ*, *et* supra *obsequium* fidei vestræ, id est, ego fidem vestram obtuli Deo, quasi sacrificium in odorem suavitatis. *Et obsequium*, id est bona opera vestra in quibus post fidem Deo obseruti estis. Sed si adhuc post hos labores oporteat me immolari pro vobis, *gaudeo* inde *et congratulor*, id est gratias refero. Vel congaudeo cum *omnibus vobis*, qui gaudere debetis, si voluntas Dei fuerit ut ego immoler pro vobis. *Vos* autem *idipsum* recompensando mihi, ut pro me similiter immolemini, *gaudete et congratulamini mihi*, qui vos ad rem tam dignam armavi, sicut est pro **263** Christo immolari. Iterum: Scio, vos ad patientiam et humilitatem per Epistolam ædifico. *Spero autem in Domino Jesu cito me mittere Timotheum ad vos*. Ideo *ut* ego, *cognitis quæ circa vos sunt*, *sim bono animo et* securo de vobis; quos propter instantem utrinque pugnam vereor perturbari. Ideo Timotheum magis mittam ad vos, *neminem enim habeo tam unanimem* vobis, et *qui* tam *sincera affectione sollicitus sit pro vobis*. Vere *neminem; omnes enim* qui modo mecum sunt, *quærunt quæ sua sunt*, *non* ea *quæ* sunt *Jesu Christi*. Illum pro vobis sollicitum mittam ad vos. Vos autem honorifice eum suscipiendo *cognoscite*.

Non dicit eum simpliciter, sed *experimentum ejus*, id est eum mihi bene expertum. In multis enim experimentum habui. Experimentum bene dico, *quoniam* ita *servivit mecum in Evangelio*, *sicut filius* obediens *patri*. Et quia sincera affectione vos diligit, et sicut patri mihi servivit. *Igitur spero hunc me*

mittere ad vos, mox ut videro finem eorum *quæ circa me sunt*. Ideo sic ait. Nero enim disposuerat se in proximo daturum de eo sententiam, an eum occideret, an reservaret. Sperabat autem se evasurum, quia plures de domo Cæsaris instruxerat ad fidem, qui de sua liberatione laborabant. Propterea subdidit : *Confido autem in Domino, quoniam ipse* ego *cito veniam ad vos*. Et licet me venturum dicam, et Timotheum missurus sim, tamen interim *necessarium existimari mittere ad vos Epaphroditum fratrem meum et cooperatorem* in prædicatione, et commilitonem in tribulatione. *Vestrum autem apostolum*, id est vel legatum, quia hunc legaverant ad Paulum, vel apostolum, id est prædicatorem eorum, vel episcopum eorum, *et ministrum necessitatis meæ*, id est qui quæ misistis mihi, ministravit in tempore necessitatis. Ideo existimavi hunc mittendum ad vos, etsi necessarius esset mihi, *quoniam quidem desiderabat omnes vos, et erat mœstus*, non pro se verberato, sed propterea *quod audieratis illum infirmatum*, et nolebat vos contristari pro eo. Hic Epaphroditus, dum Paulo ministraret, interceptus a custodibus, vehementer afflixerunt eum verberibus. Infirmatum dico ideo ; *nam* utique *infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus ejus, non solum autem ejus, verumetiam* in eo *misertus est mei*. Et quia vos dolebatis de eo, *ergo festinantius* quam facerem (necessarius enim mihi erat) *misi illum*, ideo *ut viso eo, gaudeatis iterum*. Olim enim cum apud vos erat, gaudebatis. *Et* ideo misi ut *ego sim sine tristitia*, quia de vobis contristatis pro eo tristitiam habeo. Et quia adeo diligit vos, et vos eum, mittimus ad vos. Itaque *excipite eum cum omni gaudio*, non in citharis et tibiis, sed gaudio habito *in Domino*, et hominem ejusmodi qui tanta passus est pro vobis, *et* adeo vos diligit, *habetote cum* omni *honore*, et justum est, *quoniam* ipse *accessit usque ad mortem propter opus Christi*, quod operabatur in me, *tradens animam suam*, et *ut impleret erga meum obsequium id quod deerat ex vobis;* vos quidem pecuniam mittebatis. sed præter eum nemo erat qui auderet ministrare mihi. Per hunc Epaphroditum Paulus hanc illis Epistolam misit.

CAPUT III

« De cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes, quanquam et ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis circumcisus octavo die ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus (*Act.* XXIII, 6), secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam quæ in lege est conversatus sine **264** querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu, quæ ex Deo est justitia in fide ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionis illius, configuratus morti ejus, si quomodo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis ; non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim. Sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus ; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelavit [revelabit]. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis (*Rom.* XVI, 17), nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est. Unde etiam salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua possit etiam subjicere sibi omnia. »

EXPOSITIO.

Postquam eos sufficienter instruxit in pugna persecutorum, commendando semper cum patientia humilitatem, instruit eos in alia pugna, quam inferebant illis pseudodoctores, deprimendo eis legem et extollendo fidem. Quasi diceret : Sicut vos docui, patientes et humiles estote ad persecutores; *de cætero*, id est de alia pugna quam vobis inferunt pseudo, ita vos instruo, fratres mei, *gaudete in Domino*, id est ne quæratis gaudium alibi, sicut illi male docent in carnalibus. Sed omne gaudium vestrum ponite in Domino. Ipse enim solus justificat, et nihil eorum ad hoc prodest quæ prædicant pseudo. Propterea non in carnalibus, sed gaudete in Domino. Et ut gaudere sciatis in Domino, *mihi quidem* qui promptus sum et diligens ad instructionem filiorum, *non* est *pigrum ;* quod fortassis repetere pigeret alios non loqui, Verba enim cito a memoria elaberentur; sed *scribere vobis*, ut manente scriptura perduret in vobis traditionum mearum memoria, mihi non pigrum. *Vobis autem* erat *necessarium* me non pigere, sed scribere. Ut autem gaudeatis in Domino, *videte canes*, id est providete vobis ab illis pseudo, quæ congrue canes dicuntur. Quia sicut canis ei, quem videre consuevit, applaudit etiam si ille

veniat ad destructionem domus, vel ad interfectionem sui; illis autem quos non consuevit oblatrat, etiam si illi veniant ut pascant eum, vel ad utilitatem domus: sic isti pseudo carnalibus quos consueverunt, applaudunt, licet sit in hoc et mors eorum et destructio domus, id est Ecclesiæ; prædicatoribus autem veritatis oblatrant, solummodo, quia non consueverunt in istis qui tamen veniunt ad vivificandum eos, et ad ædificationem domus Dei. Et de hujusmodi pseudo ait: Videte canes applaudentes consuetæ carnalitati, oblatrantes insolitæ spiritualitati: quibus non sufficit contradicere veritati, sed etiam sunt mali operarii superseminantes zizania, et hos *malos operarios videte*, ne falsa doctrina seducant vos. *Videte* etiam vos eosdem *concisionem*, qui sicut concisa pellicula cæsum habent corpus, sic omnem intellectum cæsum et separatum habent a bono. Qui non solum concisi sunt, sed etiam sunt concisio aliorum quos seducunt. Vere illi carnales sunt concisio, *nam nos* spirituales soli *sumus circumcisio*, id est, purificatio **265**, id est, non solum purificati, sed etiam doctrina et exemplo sumus aliorum purificatio. Abscisio enim illius superfluæ pelliculæ signum erat omnia superflua circumcidenda esse a corde. Illi vero concisa pellicula cor habent incircumcisum: nos vero rem tenentes, id est circumcisionem cordis, umbram eorum negligimus.

Nos, inquam, *sumus circumcisio, qui servimus Deo*, non in carne quæ vile quid est, sed in digniori parte, scilicet in *spiritu*; quantum enim spiritalitas præeminet carnalitati, tantum servitus nostra eorum servituti: servimus Deo in spiritu, *et gloriamur in Christo Jesu*, id est, Christus Jesus est gloria nostra et gaudium nostrum, et nulla gloria nobis in alio. Ita gloriamur in Christo Jesu, non dicam ut non gloriemur in carne, sed etiam *non habentes* vel minimam *fiduciam in carne*, id est in carnalibus quæ suadent. Dicerent illi: Fortassis nec tibi esset unde confideres in carne: Nam se, etc. Ad hæc ille: Non erubesco vel confido in carne, *quanquam ego habeam*, id est habere possem, *confidentiam si* qua esset *in carne*. Ego utique haberem confidentiam, si qua esset in carne; nam *si quis videtur confidere in carne:* (hic dico *alius*, id est longe diversus a me, qui in Christo tantum confido) *ego* utique *magis* illo in carne possem confidere. *Magis* ideo, quia *ego circumcisus octava die secundum legem*; ille fortassis jam adultus transiens ad Judaismum, fuit circumcisus. Circumcisio quæ fiebat octava die, significabat quod per justitiam cujus forma erat circumcisio, reversuri eramus ad illam octavam, quam per culpam Adæ perdidimus. In signum cujus octavæ diem Dominicam celebramus. Hic enim mundus per septem dies volvitur; finito autem mundo, incipiet hæc octava non habitura finem in æternum. Quia circumcidebantur octava die etiam qui non erant de Israel, ut filli proselytorum; ideo addit: Ego etiam sum *de genere Israel*, quia iterum quidam secundum alterum parentem de Israel, secundum alterum de gentilibus ut David, qui secundum alteram partem fuit de genere Ruth. Gentilis ideo addit natus *de tribu Benjamini*; quia iterum quidam de Benjamin ad idola lapsi sunt, apposuit *Hebræus* natus sum *ex Hebræis*. Fui etiam *Pharisæus*, id est egregius *secundum legem*, et per intellectum, et per completionem legis. Phares *divisio*; inde Pharisæus *divisus*, quia separati erant a populo, egregii in lege, intellectu et contemplatione. Fui etiam *persequens Ecclesiam Dei secundum æmulationem*, id est propter zelum et dilectionem defendendæ legis. Ut omnibus illis in lege prælatus esse videar, *conversatus* sum *in lege sine querela*; sic enim me servavi quod nemo de me potuit conqueri. *Sine querela* dico *secundum justitiam*, non quæ vera est, sed *eam quæ est in lege*, quam homo satis potest operari per se. Abscindere enim pelliculam illam, mactare hircum, et hujusmodi, facile quilibet potest operari. Et quia tantus in lege fui, si qua in carne gloria esset, nulli major quam mihi, tam præeminens in lege fui; *sed* tamen ea *quæ* ante gratiam *fuerunt mihi lucra*; lucrum enim erat operari figuras, dum adhuc exspectaretur veritas.

Hæc utique prius lucra, modo *arbitratus sum detrimenta*, id est verum bonum destruentia *propter Christum* amplexandum. Quandiu enim in umbra essem, corpus, id est Christum, non comprehenderem. Sed licet dicam propter Christum hæc vetera me dimisisse, *verumtamen* ut hanc causam, id est Christum, sileam, *existimo* ego *omnia esse* decentia verum bonum solummodo *propter eminentem scientiam* quam modo in Scripturis assecutus sum. Prius enim dum eram in lege, videbar habere scientiam legis, quam in veritate non habebam; sed veniens ad Christum, tunc primum habui veram scientiam Scripturarum longe eminentem illi quam prius habere putabar. *Scientiam* dico *Jesu Christi Domini mei*, id est quam Jesus Christus venientibus ad se distribuit. Secundum Ambrosium, amore motus Dominum suum dixit. *Propter quem* Christum comprehendendum non solum arbitratus sum, sed etiam *feci* videri aliis, hæc *omnia* carnalia *detrimentum*. **266** Nec solum ea *arbitror* detrimentum, sed etiam *ut stercora*. Omnem enim adhærentem sibi coinquinant, hæc ideo arbitror stercora, *ut* sic *Christum faciam lucrum* meum, quia deserens illa, lucror mihi Christum in futuro plenius habendum; ideo etiam sic arbitror ut interim dum nondum plene accipio Christum, *inveniar* membrum *in illo*, id est in corpore ejus. Ego dico jam *non habens meam justitiam*; meam utique, quia *quæ* justitia *est ex lege*. Opera autem legis quilibet potest operari, scilicet habens illam justitiam *quæ est ex fide Jesu Christi*, id est quam habemus per hoc quod in Christum Jesum credimus. Diceret ille: Justitiam legis dicis esse tuam; illam autem quæ est ex fide Christi, opponis quasi tua non sit. Ita ait Paulus: Mea non est, sed *quæ justitia est ex Deo*. Justitia dico sicut habetur per fidem ita perdurans in fide. Quia opinaretur

aliquis : Verum quidem est quod ex Deo fides, et nisi per fidem non potest haberi justitia ; sed jam habita justitia, non est ultra necessaria fides, ideo ait, quia sicut per fidem ortum habet justitia, sic perdurare habet in fide, et non sine illa.

Dixit superius quod per Christum habebatur eminens scientia, etiam in hoc mundo. Nunc autem subdit quod per eum habeatur longe major cognitio ; sed hæc in futuro, quando Dominum visuri sumus sicut est. Quæ justitia est *in fide*. Justitia dico valens *ad agnoscendum illum* in gloria, sicut est, non sicut modo per speculum, et *ad virtutem resurrectionis ejus*, id est ad resurgendum in immortalitate ; quæ nostra resurrectio virtus est resurrectionis ejus. Resurrectio enim ejus hoc efficit, ut nos similiter resurgamus. Justitia iterum valens *ad* habendam *societatem passionum illius* ut, quemadmodum ille pro nobis, sic nos pro eo patiamur. Passiones Christi vocat, quæ ante crucem toto tempore [corpore] toleravit. Valens etiam ad habendam configurationem *mortis ejus*, ut nos omni modo configuremur morti ejus. Ut sicut ille ex sola dilectione mortuus est pro nobis, sic et nos in dilectione ejus mori gaudeamus. Id quod diximus significant verba ejus, quæ tamen sic construuntur : *Inveniar in illo ego*, dico, *configuratus morti ejus*. Diceret aliquis : Quare ita vis configurari morti ejus, cum justitia tua sine morte ad habendam gloriam sufficiat ? Ad hæc Paulus : Ideo configurari volo morti ejus, *si quomodo* ego non curarem quocunque genere passionis vel mortis hæc haberem. *Si quo modo*, inquam, *occurram*. Servus et dominus sibi invicem occurrunt ; hic bene serviendo, ille bene remunerando. Sic Paulus occurrit Christo, dum moritur pro eo, sicut Christus mortuus est pro Paulo. *Occurram* dico tendens ad resurrectionem. Vel ita : Si quo modo occurram *ad resurrectionem*, ut in occurrere desiderium sanctorum notemus, *quæ* resurrectio *est ex mortuis*. Nos enim extra societatem mortuorum resurgemus, sed impii non resurgent ex mortuis, quia de die in diem morientur. Ideo dico *si quo modo* ; quia *non* intelligo *quod jam acceperim* aliquid de gloria illa ad quam tendo ; *aut* quod *jam perfectus sim* in cognitione Christi, ad cujus cognitionem sic modo utimur fide, sicut aliquis utitur speculo ad cognitionem cujuslibet rei. Nondum accepi, sed *sequor* sicut rem non habitam, et quam desidero. *Sequor*, inquam, *si quo modo* (sicut supra dictum est) *comprehendam* eum. Ex abundantia affectionis ait, comprehendam. Ac si diceret : Si eum consequi possem, in amplexus meos includerem. *Comprehendam* dico in eo modo *in quo comprehensus sum a Christo Jesu*, quando ut sicut Christus me perfecte cognoscit sicut sum, ita ego cognoscam eum sicut est. Vel ita : *Comprehendam* Christum in eo modo claritatis. *in quo* ego *comprehensus sum a Christo Jesu*, quando me vocavit in via, ut in quanta claritate tunc erat, possem eum amplexari. Ideo dico *comprehendam*, quia ego, *fratres*, et si raptus sum ad tertium cœlum, tamen

A *non arbitror me comprehendisse* Christum, nisi per speculum fidei. Non arbitror me comprehendisse, sed *persequor unum*, id est rem **267** unam, de quo uno ille clamabat : « Unam petii a Domino, hanc requiram (*Psal.* XXVI, 4). » Unum sequitur, qui in eadem operatione boni semper est. Duo sequitur, qui modo bonum, modo malum operatur. Persequor unum ego quidem *obliviscens* ea *quæ retro sunt*, id est temporalia et quæcunque carnalia. Vel ita : *Obliviscens quæ retro sunt*, id est præterita merita ; *ad ea vero quæ sunt priora*, id est potiora, quia æterna, vel ad ea merita quæ sunt priora utilitate, et si posteriora præcedentibus tempore. Ideo ultima priora, quia præcedentia irrita essent, nisi sequerentur ista quæ faciunt vim illa habere. Ad illa quæ sunt priora B omni desiderio *extendens meipsum* et carne et spiritu, eundo sic *ad destinatum*, id est ad rem mihi destinatam, scilicet *ad bravium*, id est ad præmium laboris. Bravium dico *vocationis Dei* ad quod accipiendum vocat me Deus.

Vocationis dico *supernæ*, id est in supernis cœlorum habendæ, *in Christo Jesu*, distributore hujus bravii suis certatoribus. In his verbis et certitudinem et commendationem rei quam exspectat, inserit. Per *destinatum* et *vocationis* certitudinem, per *supernæ* et *Dei*, et *in Christo Jesu*, dignitatem ejus rei significat. Quia ego Paulus nondum accepi aliquid, nec adhuc perfectus sum : sed sequor *ut comprehendam*, extendens me ad destinatum bravium C supernæ vocationis, ergo vos quicunque perfecti estis hoc idem sentite, scilicet, vos nondum Christum eo modo accepisse, aut in cognitione ejus adhuc perfectos esse. Nec hoc per secundam personam dicit, sed more suo, ut eos melius inducat sese interserit, dicens :

Quicunque perfecti sumus, hoc sentiamus. Quod supra ait : *Non quod jam perfectus sim*, videtur oppositum ad hoc quod hic ait, *perfecti sumus*, sed non impedit. Ibi enim ait de perfectione cognitionis Dei, in qua nemo in hoc mundo perfectus est. Hic ait de perfectione virtutum, quam habere possumus in hoc mundo, in qua perfectione multi gradus sunt. Paulus enim perfectior alio, et quilibet sine nævo criminali vitam ducens, perfectus dicitur. Et quia D dixit sentiamus nos sic imperfectos, ne ideo de solemni, quia *si quid aliter*, id est minus perfecte, *sapitis*, *Deus* qui quod jam sapitis *vobis revelavit*, hoc etiam quod sapiendum restat vobis revelabit. Vel ita : *Si quid aliter sapitis*, id est quod jam ad aliquem gradum cognitionis pertingitis, *Deus hoc revelabit vobis*, et sic faciet illud quod restat. Vel ita : *Sentiamus* nos imperfectos, *et si* vos *aliquid aliter sapitis*, quam sapiendum sit, a carnalibus decepti, *Deus revelabit vobis hoc* quomodo sentire debeatis, qui jam aliquid fecit in vobis. Dicerent illi : Et quia, sicut dicis, sumus imperfecti, ideo stare non possumus, nec mirandum si labimur. Ad hoc Paulus : Licet nondum perfecti simus, *rerumtamen* oportet *ut sapiamus*, id est intelligamus *idem omnes*. Nec in

carnalibus idem, sed illud idem ad quod intelligendum fide *pervenimus*, *et* oportet ut *permaneamus in eadem regula*, id est in eadem rectitudine vivendi. Ut autem in eodem permaneatis, o vos, *fratres*, *estote mei imitatores*, quia, si opponitis me, quem non videtis non posse imitari, ad hoc respondeo : *Observate*, id est diligenter considerate, *eos qui ita* secundum fidem *ambulant*, *sicut* adhuc *habetis*, credo, in memoria *formam nostri*, quemadmodum docebamus et vivebamus dum apud vos essemus. Sicut enim faciem hominis olim visi quis recolligit, sic et vos formam nostræ doctrinæ et morum. Ideo dico, qui ita secundum formam nostram ambulant; *multi enim ambulant* in genere mali, *quos* multos *sæpe* cum apud vos eram, *dicebam vobis* esse *inimicos cruci Christi*, dum enim aliunde quam per crucifixum Christum dicunt hominem justificari, pro certo inimicantur cruci Christi. Tunc si dicebam vobis, *nunc autem* idem *dico* dolens *et flens*, et de damnatione eorum, et de seductione vestri.

Ut ab hujusmodi consensu Philippenses retrahat, improbat illis pseudo; partem vero suam approbat, dicens : *Finis quorum* inimicorum Christi est *interitus*, id est æterna damnatio, et *Deus quorum est venter*, id quod continet **268** pro eo quod continetur, id est esca. Deum enim per escam se purificari credunt; quod Dei est, escæ attribuunt. Vel ita : *Quorum Deus venter est ;* non enim amore Dei prædicant, sed ut ventrem impleant, *et gloria ipsorum* qui terrena sapiunt, id est qui carnalia sectantur et docent, est *in confusione*. Dicuntur enim truncati. Erubescere etiam possunt, dum illi rationales credunt, se justificari per immolationem irrationalis hirci. Finis eorum est interitus, sed *nostra*, non solum voluntas, sed etiam *conversatio* qui crucem Christi diligimus, *est in cœlis* ; terrenis enim postpositis, anhelamus ad cœlestia. *Unde*, id est quia, conversatio nostra est in cœlis, hac fiducia securi *exspectamus* ad judicium *salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum*, *qui corpus humilitatis*, id est abjectionis *nostræ* (nos enim per peccatum nosmetipsos abjecimus a gloria in qua conditi eramus) : corpus, inquam, hoc *reformabit*, quando enim primum hominem creavit, in multa eum claritate formavit. In resurrectione autem majori adhuc claritate reformabit *corpus nostrum configuratum corpori*, id est in eadem figura positum in qua suum corpus erit, nec corpori mortalitatis, quod prius habuit, sed corpori *claritatis suæ ;* quam claritatem immortalitatis accepit in resurrectione, et in hac eadem claritate immortalitatis corpus nostrum reformabit. Et hoc notandum quod nostra humilitas ejus fuit claritas. Quia autem potens sit reformare, subdit dicens : Reformabit agens *secundum operationem ;* in *qua* operatione non solum hoc facere, sed etiam *possit sibi omnia subjicere*

CAPUT IV.

« Itaque, fratres mei charissimi et desideratissi « mi, gaudium meum et corona mea, sic state in « Domino, charissimi. Evodiam rogo, et Syntychen « deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiam rogo « et te, Germane compar, adjuva illas quæ mecum « laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et cæteris « adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro « vitæ. Gaudete in Domino semper, iterum dico : « Gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus ho- « minibus. Dominus enim prope est. Nihil solliciti « sitis, sed in omni oratione et obsecratione, cum « gratiarum actione petitiones vestræ innotescant « apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem « sensum, custodiat corda vestra et intelligentias « vestras in Christo Jesu. De cætero, fratres, quæ- « cunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque « justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, « quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus « disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et acce- « pistis, et audistis, et vidistis in me, hæc cogitate et « agite, et Deus pacis erit vobiscum. Gavisus sum au- « tem in Domino vehementer, quoniam tandem ali- « quando refloruistis pro me sentire, sicut et sentieba- « tis. Occupati autem eratis. Non quasi propter penu- « riam dico. Ego enim didici in quibus sufficiens sum. « Scio et humiliari, scio et abundare. Ubique et in « omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et « abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo « qui me confortat [confortavit]. Verumtamen bene « fecistis, communicantes tribulationi meæ. Scitis « autem, et vos Philippenses, quod in princi- « pio Evangelii, quando profectus sum a Macedo- « nia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione « dati et accepti, nisi vos soli, quia et Thessalo- « nicam semel et bis in usum mihi misistis. Non « quia quæro datum, sed requiro fructum abundan- « tem in ratione vestra. Habeo autem omnia, et « abundo. Repletus sum acceptis ab Epaphrodito « quæ misistis in odorem suavitatis hostiam acce- « ptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat « omne desiderium vestrum secundum divitias suas « in gloria in Christo Jesu. Deo autem et Patri « nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen. Salu- « tate omnem sanctum in Christo Jesu. Salutant « vos qui mecum sunt fratres. Salutant vos omnes « sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. « Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu « vestro, Amen. »

EXPOSITIO.

269 Et quia *reformabit* nos qui conversamur *in cœlis*, *itaque*, *fratres mei*, sic nobiscum conversamini. Fratres dico *charissimi*, pro jam bene gestis, *et desiderantissimi*, id est qui me multum desideratis. Vel *desideratissimi*, id est plurimum a me desiderati. Vos dico *gaudium meum* in præsenti; bonum enim mihi est gaudere de vestra perfectione; vos *et corona mea* in futuro, pro vobis enim coronari confido. Vos, fratres, *state in Domino sic*, id est vel sicut vos docui, vel sicut usque modo stetistis, sicut *charissimi* de præterito, ita *charissimi* pro futuro bono. Vos ita in communi admoneo; sed *Evodiam*, quasi quæ cito consentiat, *rogo*, *et Syntychen*, quæ minus videtur

exorabilis, *deprecor*, *sapere* utrasque *idipsum*, id est unitatem fidei. Idipsum dico non in lege, sed *in Domino*. Hæ duæ matronæ erant, quæ ministraverant Apostolo et discipulis in prædicatione; sed per muliebrem levitatem quod fecerant Apostolo, idem faciebant illis pseudo, putantes se bene agere, et super hoc redarguuntur a Paulo. *Rogo etiam te*, o *Germane*, qui mihi *compar* es in prædicatione Evangelii, *adjuva illas* docendo, ne sic errent ulterius, (et dignum est,) quia *quæ laboraverunt mecum in Evangelio*, de suis mihi ministrando; quæ etiam laboraverunt *cum Clemente et cæteris adjutoribus meis*, similiter ministrando. *Nomina*, id est merita, *quorum*, per quæ coram Deo nominabiles sunt, nomina, inquam, *sunt in libro vitæ*. Liber vitæ mens divina dicitur, in qua boni ab æterno memoriter scripti sunt. Hic Germanus erat coadjutor Pauli in prædicatione. Has personas ex nomine sic admoneo, in commune autem hoc præcipio : *Gaudete* non in lege, non in carnalibus, sed *in Domino* (sicut admonui in principio); nec ad horam, sed *semper gaudete in Domino*, et *iterum* idem *dico : Gaudete* in Domino. Si semel diceret gaudete, non videretur hoc velle quam aliud; sed quia hoc magis suadere intendit, nunquam nimis dicit quod nunquam nimis fit. Ita autem gaudete in Domino ut *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, ad exemplum boni. Modestiam dicit quasi mensuram, ut sic mensurati sint, ne ultra Dominum gaudium quærant, nec infra gaudere præsumant. Ultra Dominum gaudium quærit, qui fidei adjungit carnalia. Infra subsistit, qui in propriis viribus gaudium quærit.

Dicerent illi : Bonum esset ad cultum Dei legem adjungere fidei. Ad hoc Paulus : Sic estote modesti, *quia Dominus prope est*, id est paratus semper est auxiliari modestis. Iterum illi : Si teneremus disciplinam legis, ad corrigendum inquietos esset utilis. Ad hoc iterum Paulus : *Nihil sitis solliciti*, id est ne sitis dubii de auxilio Dei, quod vobis accelerat dimissio legis. Vel latius accipiamus hoc ita ut ad utramque pugnam respondeant hæc verba. Quasi diceret : Vos utrinque impugnamini, sed gaudete in Domino semper, quia digni estis a persecutoribus, et a pseudo pro nomine ejus pati. Iterum dico : *Gaudete*. Duplex est pugna, duplex exhortatio. Sic autem gaudete, ut modestia, id est temperantia, patientiæ vestræ nota sit omnibus hominibus. Ut autem modesti sitis, scitote quia Dominus prope est, qui non deserit sperantes in se. Et quia prope est, nihil ergo solliciti sitis, id est ne persecutores dubitetis. Ne sitis dubii, *sed* petite *in omni oratione, et obsecratione, et cum gratiarum actione*. Oratio dicitur, quando res impetrabilis petitur et deprecative. Obsecratio dicitur, quando per adjuramenta et quod ad impetrandum difficile videtur postulamus. Redditio etiam gratiarum ad impetranda futura utilis est, sicut ingratum esse nocuum est. Sic autem petite *ut petitiones vestræ innotescant apud Deum*, id est cognitæ et approbatæ sint apud Deum. Tunc apud A Deum innotescit petitio, si qui petit justus est, et si quod petit, idoneum est. Petitiones dicuntur de rebus quæ modo opportunæ sunt, modo transeunt, ut pluvia in siccitate, æstus in messe. Quod ex vobis potestis, facite, et in quo vos deficitis Deus ex pietate suppleat. Quod sic ait : *Pax Dei*, id est Deus pacis, et congrue **270** (quia pugnam patiebantur) nominat hic Deum pacis : *pax*, inquam, *Dei quæ exsuperat omnem sensum :* intellectus enim hominis eam capere non sufficit; pax, inquam, hæc *custodiat corda*, id est voluntates vestras, *et intelligentias vestras in Christo Jesu*, qui totius boni custodia est. Quidam idem intelligunt, sed non idem volunt. Quidam idem volunt, qui tamen idem non intelligunt.

De præteritis sic vos instruxi; *de cætero*, id est de B futuro, *fratres*, *cogitate quæcunque sunt vera*, *quæcunque pudica*. Hæc duo, *vera* et *pudica*, circa fidem accipiuntur, quorum alterum sine altero licet nequeat esse in fide. Si enim veritas est in fide et pudicitia, quia si falsa fides est, est etiam adultera, tamen non sunt superflua, quia verum et pudicum, diversas laudes signant in fide. *Cogitate* etiam, *quæcunque justa* ad proximum, *quæcunque sancta* in vobis, *quæcunque* etiam sunt *amabilia*, *id est* pro quibuscunque amatur religio vestra, et *quæcunque* sunt *bonæ famæ*, id est de quibuscunque bona loquuntur homines. Ita tamen dico bonæ famæ *si qua virtus* est in eis. Vel *si* non est tanta virtus, sit ibi saltem *aliqua laus disciplinæ;* sufficit enim solummodo disciplina C Christiana, ut appareat laudabilis. *Cogitate*, inquam, *hæc* omnia, *quæ et didicistis a me*, *et etiam accepistis* a me; et turpe est ut deseratis quæ bene incœpistis, *quæ etiam audistis esse in me*, *et* cum apud vos essem *vidistis in me*. *Hæc* non solum cogitate, sed etiam *agite*, *et* tunc *Deus pacis erit* cooperando *vobiscum*. Sic vos de futuris admoneo, de præteritis autem *garisus sum vehementer in Domino*, scilicet, quod *tandem* multo tempore præterito, et tunc *aliquando*, id est semel non amplius *refloruistis*. Cum enim apud vos eram, tunc circa me floruistis, nunc autem refloruistis non solum ministrare, sed etiam *sentire pro me*. Sic enim gravis fuit vobis mea egestas, ac si vos eisdem indigeretis. Sentire dico, *sicut* olim cum apud vos eram, pro me *sentiebatis*. D Refloruistis convenienter ait. Sicut enim de flore, ita fructus exspectatur de hac administratione. Nunc tandem refloruistis, sed prius *occupati eratis*, et ideo excusabiles estis, si aliunde impediti non ministrastis. *Garisus sum* utique, et *non* hoc *dico* quasi *propter penuriam*, quæ mihi gravis esset; *ego enim didici esse sufficiens in quibuscunque sum*. *Scio* enim *et humiliari*, id est pauperari. *Scio etiam abundare*. Ille scit humiliari, qui non frangitur egestate; scit abundare, si cum auctoritate novit subditis imperare, non tamen sibi ad gloriam, sed ad utilitatem Ecclesiæ. *Scio humiliari et abundare;* ego enim *sum institutus*, id est assuetus ubique, id est in omni loco, sive sint ibi pauci, seu plures, seu pauperes, seu divites. Et *in omnibus* rebus sum ego institutus, *et saturari*,

et esurire; et (ut latius dicam) *scio abundare et penuriam pati*. Et licet dicam *scio pati*, etc., tamen hæc *omnia possum*, non in viribus meis, sed *in eo* adjuvante *qui me* per gratiam suam *confortavit*. Et licet dixerim me non propter penuriam gavisum esse, *verumtamen* non sum ingratus beneficiis, sed *bene fecistis communicantes tribulationi meæ*, id est mihi tribulato. Dico *scio abundare et penuriam pati; vos* autem, o *Philippenses*, hæc *scitis*, quia *quando projectus sum a Macedonia*, in principio Evangelii, *nulla Ecclesia communicavit mihi in ratione*, id est in consideratione *dati et accepti*, ut consideraret me dare sibi spiritualia, et me debere ab eis accipere carnalia. Vel econverso quod acciperet a me spiritualia, et deberet dare temporalia.

Nulla, inquam, *communicavit, nisi vos soli, qui misistis mihi Thessalonicam et semel et bis*, non tamen in congregandum thesaurum, sed *in usum*, id est quod usui meo sufficeret. Dicerent illi : Ideo nos laudat, ut sic nos ad dandum inducat. Ad hoc Paulus : *Non* ideo vos laudo, *quia quæro datum*, id est ut detis mihi, *sed requiro abundantem fructum in ratione*, id est in administratione *vestra* ex ratione facta. Quasi diceret . Non amore accipiendi quæro a vobis, sed ut exhibeam me capacem materiam vestræ **271** benignitati, ut sic fructificare possit. Ideo non quæro datum, quia ego *habeo omnia*, quæ oportet, *et abundo* in illis. Abundo utique, *quia repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis in odorem suavitatis* A *Deo*. Per incensum (qui dicitur odor suavis Deo) significatur oratio. Hæc autem eleemosyna non minus grata fuit Deo quam devota oratio. Misistis et hanc eamdem *hostiam acceptam Deo*, nec quoquomodo acceptam, sed bene *placentem* Deo. Hostia vocabatur, quod pro devictis vel devincendis hostibus offerebatur. Ili autem, si se vel verberibus, vel jejuniis mactarunt, ut invisibilis hostis tentationes superarent, non magis placerent Deo quam hæc administratio. Repletus sum a vobis, *Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum*. Non secundum hoc quod meruistis, sed *secundum divitias suas*. Impleat dico *in gloria* et hoc *in Christo Jesu*, distributore gloriæ. Quia me replevistis sic oro pro vobis; *Deo autem et Patri nostro* pro his et pro omnibus B quæ bene gerimus, sit *gloria in sæcula* horum *sæculorum* consecutiva. *Amen. Salutate omnem sanctum in Christo Jesu*. Hoc ait de discipulis suis, si forte pertranseuntes viderent illos. *Salutant vos fratres qui mecum sunt*. Hoc iterum de discipulis suis qui secum erant ait. *Salutant vos omnes sancti*; hæc ait de conversis. *Maxime autem* salutant vos hi *qui sunt de domo Cæsaris*. Voluit significare eis, de familia Neronis quosdam per eum conversos esse, quorum ope existimabat se evasurum ut visitaret eos. Signum Epistolæ. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro* sit, ut in spiritalibus Deo serviatis, in quo et semper gaudetis. *Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES.

Colossenses, sicut et Laodicenses, sunt Asiani; et ipsi prævenli erant a pseudoapostolis. Nec ad hos accessit Apostolus, sed et hos per Epistolam corrigit. Audierat enim verbum ab Archippo, qui et ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus jam ligatus, scribit eis ab Epheso, per Tychicum diaconum, et Onesimum acolythum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Ili Colossenses Asiani erant, affines Laodicensibus, quibus in Apocalypsi Joannes scribit cum cæteris Ecclesiis, quibus similiter Paulus Epistolam scripsit, quia tentabantur similiter a pseudoapostolis, et præcepit ut Epistola Colossensium legeretur in Ecclesia Laodicensium; et e converso. His autem Colossensibus non prædicaverat Paulus, nec ad eos venerat, sed Archippus discipulus Pauli, filius fortasse Philemonis, cui Paulus pro Onesimo reconciliando scribit, prædicaverat illis, et ad fidem eos converterat. Quibus jam sic in fide promotis, Epaphras quidam, ex eodem populo natus, instructus eti m a Paulo in fide, superveuit, affirmans quod Archippus prædicaverat illis. Quem libenter audierunt concives sui, et per eum incrementum acceperunt fidei. Dum autem florerent in fide ambulantes C secundum doctrinam Archippi et Epaphræ, supervenerunt pseudo, prædicantes illis legem. Populus autem adhuc rudis, existimans eos esse audiendos non minus quam illos priores, fere incipiebat consentire eis. Sed Epaphras, audiens Apostolum prope esse Ephesi, pertransiit ad illum, nuntians illi ordinem rei, et postulans ab eo ut prædicationem suam, **272** et Archippi confirmaret per Epistolam illis missam, eorum vero partem qui contradicebant, improbaret. Hac occasione Paulus scribit eis hanc Epistolam, in qua materiam habet Christum et legem; hi enim Christum, illi legem prædicabant. De his sic agit approbando fidem Christi, multis et evidentibus causis, et improbando legem non ultra jam esse tenendam. Ea intentione de utroque sic agit ut D confirmet eos in puritate fidei qui est Christus.

EPISTOLA AD COLOSSENSES

CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem « Dei, et Timotheus frater, his qui sunt Colossis, « sanctis, et fidelibus fratribus in Christo Jesu.

« Gratia vobis et pax a Deo patre nostro. Gratias A « agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, « semper pro vobis orantes, audientes fidem ve- « stram, in Christo Jesu, et dilectionem quam ha- « betis in sanctos omnes, propter spem quæ repo- « sita est vobis in cœlis, quam audistis in verbo « veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut et « in universo mundo est, et fructificat et crescit « sicut in vobis, ex ea die qua audistis et cogno- « vistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis « ab Epaphra, charissimo conservo nostro, qui « est fidelis pro vobis minister Christi Jesu; qui « etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in « spiritu. Ideo et nos ex qua die audivimus, non « cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut im- « pleamini agnitione voluntatis ejus in omni sa- B « pientia et intellectu spiritali, ut ambuletis digne « Deo per omnia placentes, in omni opere bono « fructificantes, et crescentes in scientia Dei, in « omni virtute confortati secundum potentiam cla- « ritatis ejus in omni patientia et longanimitate, « cum gaudio gratias agentes Deo et Patri, qui di- « gnos nos fecit in partem sortis sanctorum in lu- « mine. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et « transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. In quo « habemus redemptionem et remissionem peccato- « rum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus « omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt « universa in cœlis et in terra, visibilia et invisi- « bilia, sive throni, sive dominationes, sive princi- C « patus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso « creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in « ipso constant : et ipse est caput corporis Eccle- « siæ, qui est principium primogenitus ex mor- « tuis (*I Cor.* xv, 20), ut sit in omnibus ipse « primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem « plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum « reconciliari omnia in ipsum, pacificans per san- « guinem crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ « in terris sunt. Et vos cum essetis aliquando alie- « nati et inimici sensu, in operibus malis, nunc au- « tem reconciliavit in corpore carnis ejus, per mor- « tem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et ir- « reprehensibiles coram ipso, si tamen permanetis « in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe D « Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in « universa creatura, quæ sub cœlo est, cujus factus « sum ego Paulus minister; qui nunc gaudeo in « passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt « passionum Christi, in carne mea, pro corpore « ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego mi- « nister secundum dispensationem Dei, quæ data « est mihi in vobis, ut impleam verbum Dei. My- « sterium quod absconditum fuit a sæculis et gene- « rationibus; nunc autem manifestatum est sanctis « ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias « gloriæ sacramenti hujus in gentibus, quod est « Christus, in vobis spes gloriæ, quem nos annun- « tiamus corripientes omnem hominem, et docentes « in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem « perfectum in Christo Jesu, in quo et laboro, cer- « tando secundum operationem ejus quem operatur « in me in virtute. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. Quia hic auctoritas necessaria erat, dignitatis nomen non intermisit, dicens : *Paulus apostolus*, **273** non legis, sed *Christi Jesu*. Apostolus dico *per voluntatem Dei*. Scitote quia qui mihi contradicit, contradicit et voluntati Dei : qui autem Archippo et Epaphræ discipulis [coadjutoribus] meis, similiter et mihi et Deo. Paulus, inquam, *et Timotheus frater* scribunt *his qui sunt Colossis*. His dico *sanctis*, id est qui sanciti sunt et confirmati in justitia fidei. *Sanctis*, inquam, *et fidelibus fratribus*, id est minus perfectis. Sanctis et fidelibus dico *in Christo Jesu*, quia si Christus Jesus vobis ad sanctificandum sufficit, frustra legem apprehendere vultis. Timotheum ideo secum in salutatione ponit, quia notus erat illis, et habebant eum magnæ auctoritatis. Illic autem auctoritate sola opus erat. Non enim contradicebant Petro vel Paulo, vel cuiquam Christum prædicanti, sed simpliciter opinabantur illos pseudo sic esse ex Paulo, ut illos veros. Paulus, inquam, et Timotheus sic scribunt. *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro*, sicut sæpe expositum est. Nunc in primis commendat fidem eorum, quam tradiderant illis Archippus et Epaphras, dicens : *Audientes fidem vestram gratias agimus Deo :* pro qua utique non agerem gratias, si esset imperfecta. Sed agimus gratias Deo, *et Patri Domini nostri Jesu Christi*, cujus fides tradita est vobis. Cui sicut ego consentio, sic Christus et Pater ejus Deus. Videte ne vos negligentes discipulos contemnatis me magistrum, quia si me, et Christum et Patrem ejus Deum contemnitis. Gratias agimus nos, *orantes pro vobis*, ut in fide quam accepistis proficiatis, quod utique non orarem nisi fidem hanc approbarem. *Orantes* dico non raro, sed *semper*. Videte ne laborem orationis meæ irritum faciatis.

Unde gratias agat, proxime subdit, commendando fidem, sicut tradiderant illis Archippus et Epaphras, dicens : *Gratias agimus, audientes fidem vestram* esse *in Christo Jesu*, et audientes bonum effectum vestræ fidei, scilicet dilectionem, quam habetis in omnes sanctos quibus ex charitate vestra communicatis. *Dilectionem dico* habitam *propter spem*, id est propter rem speratam; quæ spes est *posita*, id est abscondita *vobis*, et reservata in tam digno loco sicut *in cœlis*. Per hoc quod dicit, speratam positam esse et absconsam, commendat meritum eorum, qui sperant a Deo quod nec viderunt nec audierunt. Ubi aît *in cœlis*, dignitatem speratæ rei ex loco in quo futura est, ostendit. Dicerent illi : Spes ista ex lege habetur. Ad hoc Paulus : *Quam* rem speratam et *audistis* et intellexistis *in verbo veritatis*. Neque hæc veritas in lege fuit, sed veritatis *Evangelii*. Lex enim falsitatis est verbum, sed Evangelium verbum est veritatis. Iterum illi : Malumus non obedire tibi, quam rem inauditam suscipere. Ad hoc Paulus : *Quod* Evange-

lium (pertransiens jam multas Ecclesias) *venit ad vos*. Quod autem omnis Ecclesia tenet, vosne repellere vultis? Iterum illi : Pervenit utique ad nos, sed non sic integrum ut ad alios. Ad hoc ait : Pervenit utique ad vos, *sicut* pervenit *in universum mundum*. In hac enim eadem fide quam tradiderunt vobis, totus mundus post Christum abit. *Pervenit* dico *et est*, id est sic permanet in universo mundo, *et fructificat* bene operando, *et crescit* tam numero quam cognitione Dei. Non per aliud quam traditum est vobis, sed *sicut* isti posuerunt *in vobis*. Dicerent illi : Crescit quidem in nobis, ex quo cœpimus audire hos qui noviter intraverunt. Minime, ait Paulus, sed crescit *ex ea die quæ audistis fidem ab Archippo, et cognovistis* per testimonia Scripturarum, approbatam vobis *gratiam Dei* quæ est in fide. Gratia enim legis in manu abscindentis pelliculam vetulæ consistit.

Gratiam Dei dico *in veritate*, credite mihi, quia hæc est vera gratia Dei. Gratia legis umbra erat. *Audistis* dico, et sicut vos *didicistis*, et utique turpe est didicisse, quod derelinqueretis, et e converso : *Didicistis* dico *ab Epaphra charissimo nostro*, qui ita servit Christo in Evangelio ut Petrus vel ego. Ne ergo minus audiatis eum. Dicerent illi : Vocas eum conservum ; sed alia ministravit nobis, quæ a te non didicit. **274** Minime, ait Paulus, quia *qui est fidelis minister*, nil addens, nil diminuens. Minister dico *Christi Jesu*, id est vel quia Christum ministrat, vel quia Christus instituit eum ministrum, vel minister ad honorem Christi. Et quod minister est, hoc certe *pro vobis*, qui populus ejus estis, quia nisi pro dilectione vestra esset, credo non ministraret. *Qui etiam manifestavit nobis* non odium vestrum, non dissensionem, sed *dilectionem vestram* esse *in spiritu*, id est contemnere carnalia, diligere spiritualia.

Ostenso unde gratias agat cum approbatione acceptæ fidei, subdit quod oret pro eis inserendo improbationem legis, dicens : Et quia manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu, *ideo oramus pro vobis et non cessamus orantes, ex ea die qua audivimus fidem et dilectionem vestram. Orantes* dico *et postulantes*, id est quasi rem justitiæ vestræ debitam, cum fiducia petentes *ut impleamini agnitione voluntatis ejus*, id est ut plenarie cognoscatis voluntatem Dei. Impleamini dico *in omni sapientia*. Sapientiam hic ponit quasi scientiam, et quod ait in omni sapientia idem valet quod in omni cognitione activæ vitæ. Impleamini etiam in *omni spiritali intellectu*, ut, sicut in corporalibus, sic voluntatem Dei intelligatis in spiritalibus. *Ut* intelligentes voluntatem ejus *ambuletis per omnia*, id est bene operemini. *Ambuletis* dico, *digne Deo*, id est ut sitis digni habere Deum. Vel digne Deo ut Deus dignum judicet habitare in vobis. Vos dico sic ambulando *placentes*. Vel ambuletis placentes per omnia, quod idem valet. Nec in ambulando subsistere velitis, sed *in omni opere bono fructificantes*, id est incrementum habentes. Vos dico sic fructificando *crescentes in scientia Dei*, id est in cognitione divinæ essentiæ, quam nemo habere potest nisi prius operetur quæ sunt Dei ; non enim per cognitionem ad opera, sed per opera præmissa ad cognitionem ascenditur. Hæc scientia Dei et agnitio voluntatis ejus quam præmisit longe a se differunt : ibi enim ait, quid velit Deus, quid non velit ; quod facile patet quibuslibet : hic autem de cognitione divinæ essentiæ, quam aperit puritas vitæ, convenienter ascendit. Prius enim intelligenda est voluntas Dei ; qua intellecta, ambulandum est in ea, nec ibi subsistendum, sed in melius fructificandum. Tum demum patet introitus ad cognitionem divinæ essentiæ. Quo postquam venitur, restat solummodo perseverare. Unde ait : Postquam fructificaveritis et creveritis in scientia Dei, estote *confortati*, id est roborati et perseverantes, *in omni virtute*, id est humilitate, temperantia et quæcunque sunt.

Confortati dico *secundum potentiam ejus*, id est ita confortati sicut ipse potens est vos confortare. Potentiam dico *claritatis ejus*, id est quæ vos clarificavit. Qui enim cum essetis in tenebris peccatorum, vos clarificavit justificatos, facilius poterit et debet consummare jam justos. In omni virtute dico, scilicet *in omni patientia et longanimitate* confortati *cum gaudio*. Quia has duas virtutes vidit magis necessarias ad perseverandum, ideo subjungit *in omni patientia*, id est ut sicut acerbitatem malorum, sic et opprobria patiamur. Qui enim pati non vult contendit, repercutit, et sic dilectio perit. Addidit etiam *in longanimitate*. Qui enim longanimis in sustinendo non est, si differtur remuneratio, projicit onus Dei, et sic omnis virtus in illo perit. Iterum patientes et longanimes esse malum est, nisi ex voluntate, et ideo addit *cum gaudio*, ut non tristentur ; sed gaudeant pati et diu exspectare. Vult illis modo improbare legem, dicens se et alios apostolos qui in lege nati fuerunt, quia in tenebris tunc erant, legem deseruisse, et gratias agere Deo, ex eo quod ad fidem vocavit eos ; et si naturales legis, illa neglecta, adhærent fidei. Stultum est eos qui nunquam in lege fuerunt, et fidem acceperunt, confundere puritatem fidei admistione legis. Unde sic ait : Non cessamus orantes pro vobis, *et gratias agentes Deo Patri, qui nos fecit dignos in partem sortis*, id est participationem hæreditatis *sanctorum*, id est, quam habituri sunt sancti. Nos dico positos *in lumine*, id est in vera cognitione. Vel *in lumine*, id **275** est in Christo illuminante nos. Patrem ait secundum diversos possessores, non quia ibi sint segregatæ partes, quia omnibus una beatitudo. Hæreditatem sanctorum vocat sortem, quia non per meritum hominis datur, sed sorte, id est divina electione. Quomodo dignos hac sorte fecerit subdit, dicens : Posuit, inquam, *in lumine, qui* primum *eripuit nos de potestate tenebrarum*, id est vel dæmonum vel peccatorum, vel ignominiæ. Potestatem ideo dicit, quia vis humana per se non poterat evadere. *Et* nos ereptos *transtulit*, id est transformavit, *in re-*

gnum Filii, id est ut Filius suus regnaret in nobis. *Filii* dico *dilectionis suæ*. Omnes enim præter istum filii fuerunt iræ. Omnes enim in peccato nati; sed hic solus Filius dilectionis, quia a peccato immunis. De quo Pater ait : « Hic est Filius meus dilectus, » etc. (*Matth.* III, 7.) Modum ereptionis subdit : *In quo* Filio *habemus redemptionem;* pretium enim sanguinis in cruce datum est omnibus sufficiens. Per quem etiam habemus *remissionem peccatorum* in baptismo; *qui* Filius secundum divinam naturam *est imago Dei invisibilis*, id est plena repræsentatio Patris, quia quidquid in Patre, totum est in Filio, non tamen *imago*, quod aliud sit, nisi quantum ad distinctionem personarum, sed plena identitas in substantia. Possumus construere, *invisibilis imago Dei*, vel *imago Dei invisibilis*. Et ex his verbis habemus Filium consubstantialem Patri, quia, si omnia de substantia Filii quæ de substantia Patris dicuntur, profecto consubstantialis est ei.

Filius dico *primogenitus omnis creaturæ*, id est ante omnem creaturam genitus ex Patre; ipse solus genitus, cætera creata non modo illius genita; nec ipse creatus, et in his verbis habemus eum coæternum Patri. Vere genitus est ante omnem creaturam, *quia universa sunt condita in ipso*, id est per ipsum, juxta illud : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* CIII, 24), » hoc est in Filio. Universa dico, quia *visibilia et invisibilia in cœlis*, ut angeli, sol et luna, et visibilia et invisibilia in terra, ut spiritus animalium, et omnia terræ corpora. *In cœlis* bene dico, quia *sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia creata sunt per ipsum*, et ita per ipsum quod creata contineantur *in ipso*, id est intra amplitudinem ejus; ipse enim in omnibus et jam extra. Et *ipse est ante omnes* dignitate secundum utramque naturam, et omnia creata constant *in ipso*, id est existere habent *per ipsum*. Sicut enim esse non poterant, nisi per ipsum, sic nec creata consistere, nisi per ipsum, et *ipse* Christus *est caput*, id est principium et regimen *Ecclesiæ*. Quod ita ait : Caput *corporis* Ecclesiæ, quia sicut corpus hominis omnes sensus habet in capite, sic Ecclesia omnes vires suas habet in Christo, capite, principio suo et rectore. Opponeret ille : Quare dicis Christum caput Ecclesiæ, cum Abel et multi justi fuerint prius illo, tempore? Hoc ita removet : Vere caput Ecclesiæ, quia, *qui est principium* Ecclesiæ. Licet enim multi sancti carnem Christi præcessissent tempore, nunquam tamen salvarentur, nisi per fidem membra essent capitis Christi. Potuit itaque caput esse Ecclesiæ, quia *primogenitus* est *ex mortuis*. Primus enim omnium surrexit ex mortuis. Et primogenitus, quia ipse habet omnem hæreditatem Patris. Et quicunque inde aliquid habet, oportet ut ab illo habeat. Sicut primogenitus filius habet omnem hæreditatem patris, et nemo quidquam nisi ab eo. Nec primogenitus repudiandus, ut Esau; sed ita primogenitus ut *ipse sit tenens primatum in omnibus* creaturis. Princeps enim constitutus est omnium, ideo primatum tenens, *quia* [*complacuit Deo* Patri *habitare in ipso* Filio *plenitudinem omnium* bonorum, sicut Joannes ait : « De plenitudine ejus omnes accepimus (*Joan.* I, 16). *Et* placuit Deo per eum Filium *reconciliare sibi omnia*, tam gentiles quam Judæos.

Omnia tamen dico manentia *in ipso*. Qui enim in ipso non manserit, expers erit reconciliationis. Placuit reconciliare *pacificans mundum* sibi, vel Judæos et gentiles inter se per sanguinem non fusum aliquo genere honestæ mortis; sed *per sanguinem crucis ejus;* quod genus mortis contemptibilissimum **276** erat. Pacificans dico *Deo, sive quæ in cœlis sunt*, id est sanctos quorum animæ jam regnant in cœlis, *sive quæ in terris* sunt, id est eos qui adhuc peregrinantur in terra. Vel ita : *Sive quæ in cœlis sunt*, id est angelos, *sive quæ in terris* sunt, id est homines. Ante Christum inter angelos et homines dissidium erat : sed justificatus homo, mox pacem habuit cum angelo. Nunc tandem descendit ad illud quod intendebat ex præmissis, dicens : Nos Judæos pacificavit, et vos gentiles similiter reconciliavit. *Vos* dico, *cum*, id est quamvis, *essetis aliquando*, id est tempore infidelitatis, *alienati* a Deo per ignorantiam : *et* essetis *inimici*, id est inimicaremini Deo, *sensu*, id est ex voluntate. Inimici etiam *in operibus malis*. Vel, quamvis essetis inimici sensu, tamen reconciliavit vos, *nunc autem reconciliavit in corpore*, nondum immortali, sed corpore *carnis ejus*, id est adhuc mortalis. Et si in corpore mortali hoc fecit, quid faciet in immortali? Longe amplius. Reconciliavit in corpore *per mortem;* ut enim vos reconciliaret, pati voluit mortem, id est ut exhibeat *vos sanctos* positione virtutum, *et immaculatos*, remotione malorum, *et irreprehensibiles coram ipso* Deo. Quod nec subtilitas ejus (cujus oculis omnia nuda sunt) inveniat in eis quid reprehendat. Ita tamen dico exhibeat, *si* vos *permanetis fundati et* firmi *in fide*. Et si permanetis *stabiles* quantum ex vobis est. *Et immobiles* si immineat persecutor *a spe*, id est a sperata re. *Spe* dico *Evangelii*, id est quam speratam beatitudinem promittit Evangelium; *quod* Evangelium *audistis* a discipulis nostris. Nec debetis illud refellere, quia sic accipiunt omnes justi. Et hoc ita ait : *Quod* Evangelium *prædicatum est universæ creaturæ*, et permanet sic in universa creatura. Creaturam vocat justos per excellentiam, quia licet omnes sint creaturæ Dei, justi tamen privilegio quodam creaturæ dicuntur in quibus prior generatio quæ fuit in delicto carnis per baptismum deleta est, et novitas fidei generavit eos novos filios in Christo. Unde sic ait : *In universa creatura*, id est in omnibus justis in fide Christi nova creatura factis. Universa dico, non unius regionis, sed *quæcunque sub cælo est*. Vel ita : Creatura quæ sub cœlo est, id est quæ adhuc peregrinatur in mundo, post modicum, merito fidei transferenda super cœlos. Et in hoc verbo satis commendat fidem illis.

Modo ponit auctoritatem suam, quæ necessaria erat illis ad confirmationem dicens : *Cujus* Evangelii

ego Paulus (cujus auctoritati contraire non licet) *factus sum* a Deo, non utique dator, sed *minister; qui* etiam ut magnificem Evangelium, *nunc patior* positus in vinculis, et *in passionibus* illis *gaudeo pro vobis* instruendis. Si enim viderent Paulum refugientem pro fide pati, vituperarent fidem ex ipso Paulo qui ostenderet in se non esse patiendum pro ea. Gaudeo, inquam, *et* gaudens *adimpleo ea* passionum Christi *quæ* adhuc *desunt*, et implenda mihi restant. Passiones suas dicit esse Christi, et quia Christus sic eum pati instituit, et quia patitur pro nomine Christi. Adimplere se dicit, quia ad mortem vadit, in qua est consummatio passionum. Vel ita : Adimpleo ea *passionum Christi*, quæ adhuc desunt. Christus multas passiones habuit, patiendo opprobria, vexationes, et flagella, ad ultimum, mortem. B Sic Paulus opprobria, verbera, multas afflictiones passus erat, et ad mortem festinabat, ut sicut Christus pro eo, sic ipse moreretur pro Christo. Adimpleo passiones Christi : non in damno rei, non in opprobriis solum, sed *in carne mea*. Ipsam enim carnem exhibeo ad pœnam, et hoc *pro corpore ejus*, scilicet Christi multiplicando. Non corpore quod receptum est super cœlos, sed pro corpore *quod est Ecclesia*. Potuisset dixisse simpliciter pro Ecclesia ; sed ubi ait : *Pro corpore ejus quod est Ecclesia*, plurimum commendavit fidem, quæ facit hominem membrum hujus corporis, cujus caput est Christus. *Cujus* iterum Ecclesiæ *ego factus sum minister secundum dispensationem*, quia scio dispensare unicuique pro modo suo ; huic majorem, illi **277** minorem gratiam. Dispensationem dico *Dei*, id est quia vel Deum ipsum dispenso, vel quia Deus me dispensatorem instituit, secundum dispensationem *quæ data est mihi in vos*. Videtur hoc superfluere, *quæ data est mihi in vos*, quia dixerat, *secundum dispensationem ;* sed quibusdam tradita est dispensatio, qui tamen prævenit martyrio, non habuerunt tempus dispensandi ; sed Paulus et officium dispensationis accepit, et data est ei facultas dispensandi.

Licet ad illos non fuerit, dicit tamen sibi datam esse dispensationem in eos, quia de apostolatu ejus sunt, et per discipulos ejus edocti. Data est mihi ideo, *ut impleam verbum Dei*, quod et locutus ab D æterno, et in tempore vaticinatus est per prophetas suos. Magnæ auctoritatis apud Deum Paulus se asserit, cum dicat per se compleri quod tot ante tempora prædictum fuit, et donec ad ipsum inexpletum remansit, scilicet salvationem gentium. Verbum Dei dico, id est *mysterium quod absconditum fuit a* prioribus *sæculis*, *et* ita a sæculis quod etiam a *generationibus*, id est quod quicunque in priori genitura erat, hoc secretum ignoraret. Licet pauci tunc cognovissent, et hi justificati per fidem venturi ut Abraham. Olim fuit absconditum, sed *nunc* in diebus gratiæ, *manifestatum est sanctis ejus*, scilicet Christi, nec omnibus, sed illis *quibus Deus voluit*. Ut ibi apparuit, quando discipuli reprehenderunt A Petrum, quia recepisset gentilem Cornelium, nondum plene cognoscentes mysterium Dei de salute gentium ; quibus Deus voluit *notas facere divitias gloriæ*. *Divitias* ideo, quia infinita sunt dona Dei ; *Gloriæ*, quia gloria est in omnibus illis. *Divitias* dico *sacramenti hujus*, cujus minister factus sum. *Sacramenti* dico *in gentibus ;* salus enim gentium fere omnibus occulta erat, sed de salute Judæorum non dicitur mysterium, quia illis aperte Christus promissus erat in lege, cum in gentibus non esset Deus, *quod* sacramentum *est Christus*, qui in lege sub mysterio fuit promissus. *Christus* dico *spes gloriæ in vobis*, id est in quo vobis sperare licet omnem gloriam et remissionem peccatorum, et justitiam vitæ, et futuram gloriam. *Quem* talem scilicet spem totius gloriæ (futuræ) *nos annuntiamus*, omni fiducia *corripientes omnem hominem et docentes*, corripientes errantem a veritate, vel fidei contradicentem. Docentes et eum qui nihil scit, vel adhuc simpliciter sapit, corripientes et docentes *in omni sapientia*, id est tam de corporeis rebus quam de spiritalibus, ideo, *ut exhibeamus* non Judæum tantum, sed *omnem hominem*, nec gentilem minus, Judæum perfectius ; sed omnem hominem æque *perfectum in Christo Jesu*, qui solus ad perfectionem sufficit. *In quo*, id est in qua re, ut omnem hominem perfectum exhibeam, non solum corripio et doceo, sed *etiam laboro, certando*. Laborat jejunando, vigilando, et per hujusmodi certat contra persecutores sustinendo, contra pseudo fidem confirmando. Laboro et certo agens C *secundum operationem ejus quam operatur in me in virtute* miraculorum, id est, sic Deus cooperatur mihi in labore et certamine, sicut in operatione miraculorum, in quo etiam infideles virtutem Dei confitentur in me esse.

CAPUT II.

« Volo enim vos scire qualem sollicitudinem
« habeam pro vobis, et pro his qui sunt Laodiciæ,
« et quicunque non viderunt faciem meam in carne,
« ut consolentur corda ipsorum, instructi in cha-
« ritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus
« in agnitione mysterii Dei Patris et Christi Jesu,
« in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ
« absconditi. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat
« in sublimitate sermonum. Nam et si corpore
« absens sum (*1 Cor.* v, 3), sed spiritu vobiscum
« sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et fir-
« mamentum ejus quæ in Christo est fidei vestræ.
« Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum
« nostrum, in ipso ambulate, radicati et superædifi-
« cati in fide, sicut et didicistis, abundantes **278** in
« illo in gratiarum actione. Videte ne quis vos
« decipiat per philosophiam et inanem fallaciam,
« secundum traditionem hominum, secundum ele-
« menta mundi, et non secundum Christum, quia
« in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis cor-
« poraliter, et estis in illo repleti, qui est caput
« omnis principatus et potestatis. In quo et circum-
« cisi estis, circumcisione non manufacta in ex-

« spoliatione corporis carnis, sed in circumcisione
« Jesu Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et
« resurrexistis per fidem operationis Dei, qui susci-
« tavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis
« in delictis et præputio carnis vestræ, convivifica-
« vit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens
« quod adversus nos erat chirographum decreti,
« quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de
« medio, affigens illud cruci, et exspolians princi-
« patus et potestates, traduxit confidenter palam,
« triumphans illos in seipso. Nemo ergo vos judicet
« in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut
« neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra
« futurorum ; corpus autem Christi. Nemo vos
« seducat volens in humilitate et religione angelo-
« rum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus
« sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo
« totum corpus per nexus et conjunctiones submi-
« nistratum et constructum, crescit in augmentum
« Dei. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis
« hujus mundi, quid adhuc tanquam viventes mundo
« discernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis,
« neque contractaveritis ; quæ sunt omnia in
« interitu, ipso usu, secundum præcepta et doctri-
« nas hominum, quæ sunt rationem quidem haben-
« tia sapientiæ, in superstitione et humilitate, et
« non ad pascendum corpori, non in honore aliquo
« ad saturitatem carnis. »

EXPOSITIO.

Ideo *laboro* et certo, quia *sollicitudinem habeo pro vobis*, et hanc *volo vos scire qualem*, id est quam infinitam, sollicitudinem habeam *pro vobis* confirmandis, *et pro his qui sunt Laodiciæ*. Quos contra eamdem rem armavit per Epistolam illis missam. Sollicitus etiam sum pro his affinibus vestris, *quicunque non viderunt faciem meam in carne*. Fama enim viderunt me, ideo sollicitudinem habeo, *ut* ipsi *consolentur corda ipsorum*, id est sua. Ipsi dico *instructi* per me *in charitate*, id est in dilectione Dei, ut memores Christum pro sola dilectione passum esse pro eis, accensi dilectione ejus patiendo festinent occurrere illi. Instructi dico in charitate, et instructi in agnitione mysterii Dei, ut cognoscant aliqua mysteria (secreta) Dei. Vel quomodo Trinitas in Unitate sit, et e converso, vel aliquid hujusmodi. Si quis enim cognoverit quodlibet mysterium Dei, pro certo per hoc augmentabitur in dilectione ejus. Et quia ad invisibilia humanus sensus penetrare nequit nisi per visibilia, præmittit instructi in charitate *et in omnes*, id est transeundo per omnes *divitias plenitudinis intellectus* : omnes divitias, ut de omnibus rebus aliquid sciant, licet non perfecte : plenitudinis, ut de singulis plenariam habeant cognitionem. Vel plenitudinis, ut de tribus vel quatuor ad plenum omnes divitias, ut de omnibus plena sit illis cognitio. Et per omnes divitias plenitudinis intellectus instructi *in agnitionem mysterii Dei Patris Christi Jesu*. Ut enim perveniamus ad altitudinem cognitionis divinæ, primum oportet nos considerare corporea, quæ subjacent oculis ; dehinc incorporea in nobis, id est animas. Per animas, iterum incorporea in cœlis, ut angelos, et ab angelis conscendimus ad Deum, intelligentes eum ex puritate creaturarum magis purum, magis spiritalem et incomprehensibilem. *In quo* Jesu Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, id est in quo omnis sapientia de spiritalibus, et scientia de corporeis recondita est, sicut in thesauro ; ipse enim est thesaurus. De plenitudine omnes sine diminutione ditantur. Thesauri dico *absconditi*, id est paucis revelati.

Dicerent illi : Thesauros istos non vidimus, ut in utroque sapientiam et scientiam habeamus. Ad hoc Paulus : Et si in Christo **279** totius boni thesaurum invenitis, frustra legem fidei adjungere vultis. In Christo sunt thesauri sapientiæ et scientiæ. *Hoc autem* ideo *dico* in Christo, scilicet omnes esse thesauros, *ut nemo decipiat vos in sublimitate*, quia illi pseudo plurimum student in sublimibus verbis. *Sublimitate* dico *sermonis*, quia hæc sublimitas in sermone tantum est, non in sententia, sed fideles simplicitatem habent in verbis, sublimitatem in sententiis. Ideo dico : *Nemo vos* de futuro *decipiat* ; nam nondum decepti estis. *Et si*, id est licet enim *absens sum* a vobis *corpore*, *sed*, id est tamen, *vobiscum sum* præsens *spiritu*. Hanc gratiam multi sanctorum habuerunt, ut Martinus et Nicolaus, quam creditur præcipue habuisse Paulus, ut absens sciret per spiritum, quid Ecclesiæ suæ facerent, vel ad quid se disponerent. *Spiritu vobiscum sum gaudens*. In hoc verbo innuit eos nondum lapsos. *Gaudens* dico de vestra perfectione, *et videns ordinem vestrum*, id est quam congruo ordine ad singula vos contemperetis ; parum est enim bona agere, si fiant sine ordine, ut ille qui jejunat incomposita veste, seu intemperato sermone, in jejunio suo se judicat. Videns etiam *firmamentum fidei vestræ*, id est confirmatam fidem vestram *quæ est in Christo*, non in lege, et quia confirmati estis in fide, et ego congaudeo ordini vestro. *Ergo*, *sicut accepistis* non legem, sed *Dominum Jesum Christum*, *sic ambulate* non in lege, sed *in ipso*. Possent enim Christum accepisse, et in lege ambulare. *Ambulate*, *radicati* secundum fructum piæ operationis, *et* ædificati, ut sitis domus Deo ad inhabitandum. Hæc bene ad prælatos, in quibus Deus sedens distribuebat gratias suas subditis, per manus prælatorum, ædificati hodie et cras *superædificati*, et sic semper in incremento boni operis. *Radicati* dico et *superædificati in ipso*, *et confirmati* in *fide*, ut in bono perseveretis. *In fide* dico non alia, sed *sicut* vos *didicistis* (non enim aliam trado). Et confirmati *in actione gratiarum*, quæ plurimum valet ad impetrandum de futuro. Et justum est ut *confirmati* gratias agatis, quia jam estis *abundantes* multis bonis in illo Christo acceptis.

Dico *ambulate*. Ut autem libere ambuletis, *videte ne quis decipiat vos*. Hæc dicens, ad illud supra

respicit *nemo vos decipiat*. Decipiat dico *per philosophiam*. sicut illi reputant, *et* quam ego dico *inanem fallaciam*. Fallacia, quia nulla veritas ibi, inanis, id est sine utilitate. Sunt enim multa mendacia, ut poetarum quæ sunt inutilia. *Philosophiam et inanem fallaciam* dico, existentem *secundum traditionem hominum*, id est humaniter sapientium, scilicet secundum legem; quæ lex ante Christum quidem fuit traditio Dei. Sed ubi Veritas venit, et Deus eam cessare voluit jam non Dei, sed traditio hominum lex fuit. Secundum traditionem hominum *et fallaciam* dico, exercitatam *secundum elementa*. Eamdem legem elementa vocat, quia, sicut pueri per elementa prius addiscunt, ut sic transeant ad perfectionem litterarum, sic illa legalia elementa dicta sunt, quia populus carnalis impotens capere spiritalia instruebatur per carnalia, ut in his assuetus in cultu Dei transiret, postmodum ad serviendum in spiritualibus. Elementa dico *mundi*, quia et præcepta carnalia erant, et carnales qui accipiebant. Hæc philosophia est secundum elementa mundi, *et non secundum Christum*, quem *accepistis et didicistis*. Vere qui legem tradunt, non sunt secundum Christum, *quia in ipso* Christo est *omnis plenitudo;* quod illi non credunt qui extra Christum, scilicet in lege aliquam justitiam quærunt. In ipso Christo *habitat* omnis plenitudo *divinitatis*. *Habitat bene* ait. Quia sic est divinitas in Christo ut in æternum permaneat in illo. *Plenitudo divinitatis*, id est plenaria et perfecta divinitas, quæ nullatenus est imperfecta. *Omnis* in Christo, quia omnes gratiæ quæcunque in omnibus fuerunt, in Christo sunt, et abundantior adhuc gratia, quia in eo dicitur humanata divinitas, quia, sicut anima unitur corpori, sic ipsa divinitas personaliter unita est homini illi. Divinitas diversis modis est ubique. Est enim **280** in omni creatura, secundum quod nec esse habet sine divinitate, nec permanere. Hoc et alio modo est in sanctis, quia, per gratiam; et hoc utroque modo fuit in Christo, et adhuc abundantius, quia (sicut dictum est) ad quem modum anima in carne hominis humanatur, sic divinitas humanata est in Christo. Plenitudo divinitatis habitat in Christo *corporaliter*, id est impletive, non quod divinitas facta sit corpus, sed quia umbræ præcesserant, et in Christo veritas umbrarum fuit, quia impletio omnium quæ prædicta vel præfigurata erant.

Probat iterum idem. Vere tradentes legem *non* sunt *secundum Christum*. Nam vos *estis repleti* omnibus bonis *in illo*, id est per Christum, quod dicunt non posse fieri sine lege. *Qui* Christus *est caput*, id est principium et regimen *omnis principatus et potestatis*. Per hos duos reliquos ordines accipiamus. In his verbis ostendit posse Christum omnia replere, quia, si angelos, haud de hominibus dubium est. Vult veritatem omnium quæ lex præcipit in Christo ostendere, dicens : *In quo* Christo non solum repleti, sed *etiam circumcisi estis, circumcisione non manu facta*, sicut in lege, *in exspoliatione* cutis A *carnis*. Nihil enim aliud fit ibi, nisi quod abscinditur cuticula carnis, *sed* estis circumcisi *in circumcisione Christi*, qua vos Christus purificavit. Vel ita construamus : *Circumcisi estis circumcisione non manufacta. Circumcisione* dico *facta in exspoliatione corporis;* quod corpus erat *carnis*, id est superabatur a sensualitate. Exuistis enim corpus secundum carnalitatem, ut jam obediat spiritui, *circumcisione non manufacta*, sed in circumcisione Christi, qua Christus omnia superflua, et dependentia vitia a vobis amputavit; in hac *circumcisi* et purificati *estis*. Exspoliamur corpore carnis in baptismo, in quo peccata deponuntur, et liberum arbitrium hominis accepta justitia confortatur, ut jam, si velit, bene agere possit. Non solum sumus circumcisi deposi- ß tione peccatorum, sed etiam *consepulti Christo in baptismo*, ubi confortandum est arbitrium nostrum. *Consepulti* itaque, quia Christus sepultus ad actus veteris hominis ultra non rediit; sic nos, si velimus uti ratione, confortati in baptismo non revertemur ultra ad actum vetustatis peccati. *In quo etiam* Christo *resurrexistis*, quantum ad justificationem animæ. *Resurrexistis* dico *per fidem operationis Dei*, id est quam fidem Deus operatur in vobis. Resurrectio Christi duplicem resurrectionem operatur in nobis : primam quam jam adepti sumus, secundum animam; alteram quam exspectamus in immortalitate corporis reparata. Et quod futuram corporum resurrectionem habituri simus, probat per resurrectionem Christi, quæ et causa est et figura nostræ C resurrectionis, dicens : Sicut resurrexistis prima resurrectione animæ, sic etiam vos convivificabit in immortalitate corporum. Sed hujus rei probationem præmittit, dicens : Qui Deus sicut *suscitavit* Christum *a mortuis*, ita *et vos, cum*, id est quamvis, *essetis mortui*, ita ut viribus vestris ad justitiam nullo modo respirare possetis. *Mortui* dico *in delictis*, id est in prævaricatione naturalis legis. Delictum enim dicitur, quando quod debetur, negligitur. Mortui etiam *in præputio carnis vestræ*, id est in originali peccato, quod congrue per præputium significat, in quo sedes est generationis. Hoc autem originale contrahimus, quia in concupiscentia parentum geniti sumus.

D Licet ita essetis mortui, tamen *convivificavit*. Quod futurum est, per præteritum dicit, ostendens se adeo certum de hoc futuro sicut de præterito. *Convivificavit* ponendos *cum illo* in eadem dignitate loci; posset enim reddita immortalitate convivificare, et alibi quam cum Christo ponere. *Convivificavit*, inquam, *donans vobis* gentibus *omnia delicta*, et originalia et actualia. Et sic vos ab originali per fidem liberavit; sicut etiam nos Judæos, qui falso putabamur per circumcisionem inde liberari. Quod ita ait : *Delens* similiter *chirographum decreti*, id est legis, in qua Deus quid vellet fieri **281** decreverat. *Quod* chirographum *erat adversum nos* Judæos. Chirographum dicitur manuscriptio, quod in duo partitur ut utrinque memoria factæ rei teneatur. Hujus autem chirographi partem

habebat diabolus, qua Judæos accusabat apud Deum de transgressione legis; alteram partem habebat Judæus, quem similiter propria accusabat conscientia. Unde sic ait : *Chirographum*, id est memoriam peccati, *quod* de decreto, id est de lege veniebat, et adversabatur *nobis*, illud delevit; nec solum chirographum, sed etiam ipsum decretum, id est ipsam legem, quæ erat contraria nobis, quia et magis nos instimulabat diabolus, et majori ardore in vetitum tendebamus, et peccatum prævaricationis lex adjungebat. *Ipsum*, inquam, decretum *tulit de medio*, id est de communitate, ut nec Judæo relinqueret nec gentili tenendam. Posset enim auferre peccatum legis, et dimittere legem. Ipsum tulit de medio, *affigens illud cruci*, id est ipsam legem confixit, ut ultra non teneretur, quando expirans ait : « Consummatum est (*Joan.* XIX, 30); » ostendens finem esse et completionem omnium eorum quæ in lege præcesserant, et ulterius umbram non esse tenendam, postquam veritas orta est. *Affigens dico illud cruci*. In cruce enim (sicut diximus) finem legi posuit, omnibus consummatis, sicut prædicta fuerant.

Opponerent illi : Quomodo dicis nos non posse, nisi per Christum justificari, cum Abraham et cæteri sancti qui præcesserunt, sine eo justificati sint? Probat Paulus eosdem similiter liberatos per Christum, dicens : Sicut nos contemporaneos sibi liberavit a lege et a peccato legis, sic ipse *exspolians principatus et potestates* apud inferos. Non ait de quibus exspoliavit, sed per *exspolians* significat Christum spolia sua ab inferis revexisse. *Exspolians*, inquam, *traduxit*, ceu victor prædam per medios raptores, ipse dico *triumphans illos* principatus inferorum *confidenter*, id est non dubius de triumpho. Triumphans dico, *in semetipso*, non per angelum, vel quemlibet ministrum, sed per seipsum. Quod (eum scilicet triumphasse) *palam* est angelis et hominibus. Quia Christus donavit omnia delicta. Peccatum legis et legem tulit de medio. Videte ergo nemo vos ulterius inducat in legem. Et ut magis deterreat, ait : *Nemo vos judicet*, id est faciat judicabiles, id est damnabiles. *Judicet* dico, si non reductos in tota lege, saltem in aliquo, quia pro minima traditione damnaremini. Quod ita ait : Nemo vos judicet *in cibo*, vel vitato propter immunditiam, vel sumpto propter munditiam, *aut in potu*, sumpto similiter vel vitato, *aut in parte diei festi* observata. Dies festus quiddam totum apud illos erat, partes habens, neomeniam, sabbatum, exitum de Ægypto, introitum terræ repromissionis, etc. Unde subdit *aut* in parte *neomeniæ*, id est innovationis lunæ, *aut* in participatione *sabbatorum*, quæ Judæi celebrare consueverunt. Ideo, per *aut*, unamquamque partem disjungit, ut ostendat vel minimam partem sufficere ad damnationem observantis. Si autem copulasset per *et*, videretur pro omnibus simul, et non pro uno tantum observantem judicari. Neos *nova*, mene *luna*; inde neomenia, *innovatio lunæ*; quam celebrare signum erat innovationis corporis nostri, quam futuram exspectamus in incorruptione. Quæ neomenia et sabbatum jam non debent celebrari, quia *sunt umbra futurorum*, id est præfigurantia futuram veritatem, sicut umbra visa prope corpus esse designat. *Futurorum* ait, secundum tempus legis, quando præsens erat umbra, futura veritas. Hæc sunt *umbra futurorum*. Sed *Christus est corpus*, id est veritas et impletio omnium horum; vel *corpus est Christus*, id est impletio pertinet ad Christum; ipsius enim est implere quæ figurata fuerant.

Quia dixerat : *Nemo vos judicet*, subdit modos illos in quibus timendum erat ne seductos illos condemnarent dicens : Ut autem non judicemini, videte : *Nemo vos seducat* **282** *in humilitate* sermonis, id est occultorum foris ostensa, *et* in *religione* habitus barbarum vel jejuniorum simulata *humilitate et religione* dico *angelorum;* non enim magis humiles aut religiosos se exhiberent angeli Dei, apparentes hominibus, quam isti pseudo ad oculum. Vel, *angelorum*, id est verorum prædicatorum, qui nuntii Dei sunt ad populum, quorum auctoritatem isti pseudo simulatorie sibi usurpant. *Nemo*, inquam, vel hoc vel illo modo *seducat vos*, *volens*, id est amans, et facere in se et vobis persuadere ea, *quæ non vidit*, id est quæ nunquam intellexit, quia figuras videt et veritatem nescit. Ille dico *ambulans* et in sacramentis Ecclesiæ quæ recepit et hoc *frustra*. Nihil enim illi proderit baptismus qui detrahit fidei. Qui licet humilitatem foris ostendat, *inflatus tamen* est intus *sensu*, quia gloriatur subtiliter se sentire, quod simplicitas aliorum capere non sufficiat; et hic morbus elationis maxime regnat in hæreticis. *Sensu* dico *carnis suæ;* hic enim secundum sensus carnis judicat de singulis, non aliter intelligens quam subministrant ei oculi et aures carnis; in quo non differunt a mutis animalibus, quæ etiam sensum habent de rebus secundum quod vident et audiunt. *Inflatus* utique *et non tenens caput*, id est non concordans capiti suo Christo. Ille non tenet caput Christum qui aliunde quam a capite, unde vigeat, requirit, et sicut membrum non est capitis, si aliunde vigorem capit, quod fieri nequit; sic qui fidei unitatem relinquit, Christo non valet conjungi.

Ex quo capite *totum corpus* Ecclesiæ *constructum per conjunctiones* fidei et cæterarum virtutum, et *subministratum* quod alteri subministretur ab altero *per nexus*, id est per charitatem, quæ clavus est et nervus connectens membrum membro. Sicut enim in humano corpore membra prius constructa, id est simul congregata, si non conjungerentur, id est unumquodque loco suo aptaretur, sine nervis adhuc alterum membrum non sequeretur alterum; et ideo oportet ut conjuncta membra nervis connectantur, et tunc tandem alterum alteri subministrat; sic in corpore Ecclesiæ nos diversa membra in unum construimur, et congregata secundum discretionem

virtutum, conjungimur per fidem, etc. Sed quia nondum alterum colligatum est alteri, necessaria est dilectio, quo clavo connexa membrorum diversitas sibi invicem cohærendo subserviat. *Corpus*, inquam, sic *constructum et subministratum crescit* et numero membrorum, et incremento virtutum, donec veniat *in augmentum Dei*, id est usquequo augeatur in mensuram quam Deus proposuit, id est donec impleatur numerus fratrum, ultimo justo apposito. Nunc aliquantulum aspere invehitur in quosdam eorum qui jam incipiebant, et si non operari, saltem animo consentire et discernere dicentes : Quare melius sequeremur illos quam istos? et hujusmodi. Unde sic ait : Quia per Christum tota Ecclesia *crescit in augmentum Dei*, quare igitur *discernitis* quasi dubii cui adhærere debeatis, Christo an legi? Sed præmittit quare non debeant discernere, dicens : *Si* vos *estis mortui cum Christo*, quia mors Christi operata est in vobis mortem peccati ; *mortui* dico *ab elementis*, quia prius elementa, solem, lunam, et cætera colebatis, quod idem facitis, si legem accepta gratia tenetis ; elementa dico *hujus mundi*, quia et mundani qui colunt, et mundana sunt quæ coluntur : *si*, inquam, *mortui estis ab elementis*, quod nec respirare ad horum culturam debetis, *quid*, id est quare, *adhuc tanquam virentes in mundo*, id est carnaliter sicut prius in cultura mundi *discernitis*, dicentes *ne tetigeritis* cadaver? vel hujusmodi, quidquid lex prohibet ne tangatur. *Neque gustaveritis* porcum? vel aliquid hujusmodi. *Neque contrectaveritis* quæ scilicet tangere non licet? ut sunt pudenda contrectare, *quæ omnia sunt in interitum*, id est operantur damnationem. Non tamen semel facta, sed *ipso usu*, id est, si quis negligens traditiones legis, hæc in usu **283** habuerit.

Quod dico ea esse *in interitum*, hoc non secundum me, sed *secundum præcepta et doctrinas hominum*, id est humaniter sapientium dico. Præcepta vocat, quod solo imperio auctoritatis suæ compellebant hoc facere. Doctrinas, quando aliquas rationes ad probandum quod suadebant videbantur adducere. Hæc sunt præcepta hominum, quæ etiam sunt *habentia*, id est videntur habere, *rationem quidem sapientiæ*, a qua longe discreta sunt. Rationem dico habentia *in superstitione*. Superstitio dicitur, veræ religioni superaddita falsa religio. Hi autem qui acceptæ fidei legem superaddebant, merito superstitiosi dicuntur. *In superstitione* dico *et humilitate* foris simulata, videntur rationem habere. Quæ etiam sunt secundum verba eorum *ad non parcendum corpori*. Dicunt enim nos non tenere legem, ut liberius indulgeamus nobis in his quæ jucunda sunt corpori, se autem more legis Dei nolle parcere corpori. Quæ etiam *non* sunt illis *in honore aliquo*. Dicunt enim se ideo secundum legem humiliari quia non quærunt honorari a populo sicut nos ; quæ etiam non sunt illis *ad saturitatem carnis*. Dicunt enim se, ut legem observent, velle macerare carnem, et nos destruere legem ut de omnibus liceat ingurgitare ventrem. Vel aliter, ut non *ad parcendum corpori*, etc. serio dicantur a Paulo, sic : Quæ dicunt rationem videntur habere, sed utique non habent. Quæ etiam sunt *ad non parcendum corpori*, et stultum est ut in quo damnant animam, corpori saltem non parcant. Quæ etiam *non* sunt *in honore aliquo*. Dum enim fidei Christi legem quasi necessariam apponunt, in hoc dehonorant Deum. David etiam et alios sanctos qui in lege nullam dixerunt esse justitiam, inhonorant, dum legem apponentes fidei, contradicunt eorum testimoniis. Quæ etiam non sunt *ad saturitatem carnis*. Extremæ autem est amentiæ, ut damnemus animam, carnem affligere.

CAPUT III.

« Igitur si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei « sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super « terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Chri- « stus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebi- « tis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra « vestra, quæ sunt super terram. Fornicationem, « immunditiam, libidinem, concupiscentiam ma- « lam, et avaritiam (*Ephes.* v, 3.) quæ est simula- « crorum [idolorum] servitus ; propter quæ venit « ira Dei super filios diffidentiæ [incredulitatis] in « quibus et vos ambulastis aliquando, cum viverc- « tis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, « iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, « turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri « invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum « actibus suis, et induentes novum (*Ephes.* iv, 23) « eum qui renovatur in agnitionem Dei secundum « imaginem ejus, qui creavit eum ubi non est gen- « tilis et Judæus, circumcisio et præputium [ma- « sculus et femina], barbarus et Scytha, servus et « liber, sed omnia et in omnibus Christus. Induite « vos ergo sicut electi Dei (*Ephes.* vi, 11), sancti, « et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, hu- « militatem, modestiam, patientiam, supportantes « invicem et donantes vobismetipsis ; si quis adver- « sus aliquem habet querelam, sicut et Dominus « donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, « charitatem [*al. add.* continuam] habete, quod est « vinculum perfectionis. Et pax Christi exsultet in « cordibus vestris ; in qua et vocati estis in uno « corpore, et grati estote. Verbum Christi habitet « in vobis abundanter, in omni sapientia docentes « et commonentes vosmetipsos, in psalmis et hym- « nis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes « in cordibus vestris Deo. Omne quodcunque faci- « tis in verbo aut in opere, omnia in nomine Do- « mini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et « Patri per ipsum (*I Cor.* x, 31). Mulieres, subditæ « estote viris, sicut oportet, in Domino (*Ephes.* v, « 22 ; *I Petr.* iii, 1). Viri, diligite uxores vestras, et « nolite amari esse ad illas. **284** Filii, obedite « parentibus per omnia ; hoc enim placitum est in « Domino. Patres, nolite ad indignationem (iracun-

« diam] provocare filios vestros, ut non pusillo
« [pusillanimes] animo fiant (*Ephes.* VI, 4). Servi,
« obedite per omnia dominis carnalibus, non ad
« oculum servientes, quasi hominibus placentes,
« sed in simplicitate cordis timentes Dominum (*I*
« *Petr.* II, 18). Quodcunque facitis, ex animo opera-
« mini sicut Domino, et non hominibus, scientes
« quod a Domino accipietis retributionem hæredita-
« tis. Domino Christo servite. Qui enim injuriam
« facit, recipiet id quod inique gessit (*Rom.* II, 11).
« Et non est personarum acceptio apud Deum
« (*Ephes.* VI, 9; *Act.* X, 34). »

EXPOSITIO.

Et quia *mortui cum Christo*, jam ultra non vivitis mundo. *Igitur* quærite *quæ sursum sunt*, id est cœlorum jucunditatem, et omnem justitiam, ad id quod sursum est ducentem. De *sursum* dicitur quidquid de mundo non est. *Quærite* dico, *si consurrexistis cum Christo*, id est quia resurrectionem animæ per Christum adepti estis, quæ sursum sunt, et potestis et quærere debetis. *Sursum* dico, scilicet *ubi Christus in dextera Dei sedens*, id est in æqualitate Patris quiescens et judicans. Christus autem, in dextera Patris sedens, causa, signum et certitudo est nos cum Christo surrecturos. Nec solum *quærite*, sed *sapite*, id est dulcedinem prælibate eorum *quæ sursum sunt*. *Sapite*, inquam, *quæ sursum sunt, et non* ea *quæ* sunt *super terram*. Non debetis sapere quæ sunt super terram; vos *enim mortui estis* terrenis. Debetis sapere quæ sursum sunt. Nam *vita vestra est in Deo*, et in tanta dignitate quod *cum Christo*. *Vita* dico *abscondita*, id est non omnibus, sed paucis revelata. In hoc verbo multi erraverunt, dicentes stultum esse hominem pro eo laborare quod homini revelatum non sit. Nunc illa vita vestra est abscondita; *sed cum apparuerit Christus*, veniens ad judicium, Christus, dico, *vita vestra*, in cujus æternitate vobis paratur æternitas, tunc, apparente Christo, *vos* etiam *apparebitis cum ipso* ponendi *in gloria*. Lege satis improbata et fide sufficienter commendata, sicut in Epistola ad Ephesios, subjungit moralem instructionem, prius docens in publico Ecclesiam, deinde sexus, ætates, et conditiones, dicens : Quia vita vestra *in Deo* est, appariturі estis *cum* Christo *in gloria, ergo mortificate membra quæ* vestra *sunt super terram*, id est in terrenis hærentia. Hæc membra vocat peccata, quæ membra sunt corporis peccati, sicut in sequentibus innuit. *Membra mortificate vestra*, scilicet *fornicationem*, ut est habere rem cum uxore proximi. Aliud membrum *immunditiam* et *libidinem*, id est libidinosam voluntatem, et *concupiscentiam*. Et quia de bonis concupiscentia dicitur, addidit *malam*, ut est concupiscere rem alienam. Mortificate etiam in vobis *avaritiam, quæ est* illicita congregando et retentando, quæ avaritia est *servitus idolorum*. Qui enim Deum postponit ut pecuniam augere possit, spreto Deo, pecuniam colit. *Propter quæ* supradicta *venit ira*, id est vindicta *Dei* etiam *super filios incredulitatis*. Quod si A hi qui fidem non acceperant, damnati sunt pro hujusmodi, quid putatis de vobis qui fidem accipiendo, hæc omnia abdicastis? *In quibus* membris corporis peccati, *vos etiam* sicut alii *incredduli ambulastis aliquando, cum viveretis in illis*, scilicet tempore infidelitatis.

Olim ambulastis in illis. Sed *nunc*, jam fideles facti, *deponite* vos, et prædicta, et omnia quæ sequuntur, scilicet *iram*, id est subitam commotionem animi, *indignationem*, id est ne de aliqua prosperitate inferioribus vobis indignemini. Deponite etiam *malitiam* et animi et corporis, et *blasphemiam* in Deum et proximum. Deponite etiam omnem *turpem sermonem de ore vestro*. Et *nolite mentiri invicem*, ut alter alterum decipiat. Utique breviter B omnia hujusmodi interdicam, sitis *exspoliantes vos veterem hominem*, id est habitum peccatorum **285** *cum actibus suis*. Quidam enim habitum deponunt peccati, qui quandoque cogente fragilitate in actum peccati labuntur. Non tamen resumentes habitum peccati, licet actum, quia post casum festinant ad pœnitentiam. Exspoliantes vos veterem hominem, *et induentes novum*, id est habitum virtutum, *eum* scilicet *qui renovatur* quotidie crescens in novitate justitiæ. *Renovatur* dico, tendens *in agnitionem Dei*, quia semper crescit in cognitione deitatis quantum in virtutibus ascendit. *Renovatur*, inquam, *secundum imaginem*, id est puritatem *ejus qui creavit eum* pro modo suo ei se conformando, *ubi*, id est in quo novo C homine *non est masculus et femina*, id est nemo recipitur vel abjicitur propter sexum. Ubi etiam *non est gentilis vel Judæus*, id est nil nocet esse gentilem, nil prodest fuisse Judæum ; gentilis et Judæus dico generatione. Et quia quidam de Judæis in gentilitatem, et quidam de gentibus transierunt in circumcisionem, ideo addit ubi *non est circumcisio et præputium*, quia non plus prodest fuisse circumcisum quam esse præputiatum. Ubi item *non est Barbarus et Scytha*, qui barbarior est barbaris. Ubi non est *servus et liber;* sic enim in corpore virtutum, servus suscipitur ut dominus. Substantiæ enim nec nocent, nec prosunt in novo homine, quia omnis substantia creatura bona Dei est, sed qualitates, ut justitia, vel injustitia, quæ a nobis superadduntur, D hæ vel prosunt vel impediunt. Gentilis et Judæus ibi non sunt, *sed Christus*, id est virtus veniens ex Christo, *est omnia*, id est omnis perfectio. Et ita quod *in omnibus*, id est in singulis, sit omnia.

Et quando quidem novus homo induendus est, ergo *induite vos* membra novi hominis. *Induite* dicit et secundum decorem, quia nuditate peccati deturpati eramus et secundum depulsionem frigoris iniquitatis, *Induite*, inquam, *vos, sicut electi Dei*, id est, quos Deus ab æterno et in tempore per ministros ad fidem vocando elegit. *Electi* dico *et sancti*, id est positione virtutum in bono sanciti, et in utroque, id est in electione et sanctificatione *electi induite vos* misericordiam. Et ad majorem incitationem expresslus ait : *Viscera misericordiæ*, ut in ipsis vi-

sceribus redundet pia affectio. Induite vos etiam cum misericordia animi hoc membrum novi hominis, scilicet *benignitatem* largiendi, et *humilitatem* in verbo et incessu, *et modestiam*, id est temperantiam in omnibus, et *patientiam*, si adversa incumbunt. *Supportantes* vos *invicem*, id est alternis orationibus et jejuniis alter alterius onera portando. *Et si quis* vestrum *habet querelam*, id est justam repetitionem cujuslibet rei, *adversus aliquem* fratrem, *donantes vobismetipsis* invicem, nec ut pretium relaxetis, et minus solito diligatis, sed *sicut Dominus donavit vobis*, debitum dimittendo, et dilectionem superaddendo, *ita et vos* condonate vobis invicem. *Patientiam*, etc., *induite; super hæc autem omnia*, id est superiorem et digniorem his omnibus, *habete charitatem*. Vel ita : *Super hæc*, id est magis laborate ad habendam charitatem quam ad præmissa. *Quod*, scilicet, habere charitatem *est vinculum*, id est colligamentum *perfectionis*, id est cæterarum virtutum quæ perfectum faciunt. Omnes enim virtutes congregatæ sine charitate, sunt quasi pulvis dissolutus, qui facile ad impulsionem venti (quia sine cæmento fuit) dispergitur. Sic enim virtutes sine cæmento charitatis congregatæ facile cedunt cuilibet tentationi. Et ut in charitate perfecti sitis, *pax*, id est exterior concordia, *pax* dico *Christi*, id est quam Christus in mundo habuit, et habendam docuit, sit in vobis, ita quod *in cordibus vestris*, non coactione, sed ex voluntate pacem habeatis ad omnes, et ita sit in cordibus quod ibi *exsultet*, id est de quotidiano gaudeat incremento. *In qua*, id est ad quam, pacem habendam *vocati estis* a Deo *in uno corpore*, id est non tantum ut ad unitatem corporis veniatis, sed ut in illa unitate permaneatis. Pax sit in cordibus vestris. *Et* vos *estote grati*, id est gratias **286** semper agentes Deo de collatis vobis beneficiis. *Grati* dico, *docentes et commonentes vosmetipsos*.

Sed in quo docere et commonere se debeant præmittit, dicens : Ut possitis vos docere et commonere, *verbum*, id est doctrina, *Christi*, id est vel de Christo, vel quam Christus docuit, *habitet* continue *in vobis*. Et ita quod *abundanter*, id est abundantiam habeatis *in omni sapientia* id est in omni genere intellectus historici, moralis et allegorici, *docentes vosmetipsos*, studendo in Scripturis, et bene docti *commonentes* alter alterum. Plurimum enim valet exhortatio, etiam in rebus quas bene scimus. *Docentes et commonentes* dico *in psalmis*, in quibus bona moralitas continetur; et *in hymnis*, in quibus laus Dei, vel sanctorum ad gloriam Dei refertur; *et in canticis spiritualibus*, id est de spiritualium bonorum gaudio agentibus. Nec solum *docentes et commonentes*, sed etiam *cantantes Deo*, id est ad gloriam Dei, non solum in labiis, sed etiam *in cordibus vestris*. *Cantantes* dico *in gratia*, id est in consideratione gratiæ Dei, qua peccata condonans vos justificavit. Ut paucis absolvam quid vobis faciendum sit : *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere*, hæc et *omnia* seu in habitu, seu in cogitatione, *facite in nomine*, id est ad honorem, *Domini* nostri *Jesu Christi*. Vel aliter : *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere*, ita quod sit *omne*, id est perfectum, non pro laude hominum factum, facite *in nomine Domini* nostri *Jesu Christi*. Vos dico, *semper agentes gratias Deo et Patri, per ipsum* Christum, per quem omnia bona vobis contulit. Actio enim gratiarum plurimum valet ad impetrandum.

Postquam in communi Ecclesiam admonuit, separatim instruit sexus, ætates, conditiones, dicens : Invicem vos supportate, sed vos, *mulieres*, amplius quam cæteri *estote subditæ viris vestris, sicut oportet*. Opportunum enim est mulierem subditam esse viro. Subditæ tamen *in Domino*, id est secundum Dominum. Si enim volunt vos supponere adulteris, in hoc nolite subdi. Vos autem, *viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas*. Nimia enim austeritas quandoque peccatum generat. Et vos, *filii, obedite parentibus* per omnia, ita tamen quod *in Domino*, non in cultura idoli vel homicidio. Obedire dico, *quia hoc*, scilicet obedire parenti, *placitum est Deo*. Et vos, *patres, nolite provocare ad iracundiam filios vestros, ut non fiant pusillo*, id est modico, *animo*, in patiendo, et percussi a vobis, repercutiant vos. Et vos, *servi, obedite per omnia dominis*, etiam *carnalibus, non servientes* illis *ad oculum*, id est quandiu estis in oculis eorum, *quasi* per hanc servitutem *placeatis hominibus* tantum, *sed in simplicitate cordis* servite illis, *timentes* in hoc Dominum *Deum* qui pro peccato vestro vel parentum, vos servos constituit, ut de filiis Cham legimus (*Gen.* IX, 25). Nec objiciatis quod domini male retribuunt vobis, *scientes quod* vos *accipietis a Domino* Deo *retributionem hæreditatis*, id est hæreditatem retributam vobis, quia jugum impositum vobis a Deo patienter sustinuistis. Et cum dicam mulieres subditas esse, viros diligere, filios obedire, servos servire, in omnibus his *servite Domino Christo*, ne, propter obsequium hominis, contemnatis Deum. Vos, servi, sic operamini, quia *quicunque facit injuriam*, sive sit servus, sive sit dominus, *recipiet id quod inique gessit*, id est mercedem iniquitatis in futuro. Ideo dico *quicunque injuriam facit*, quia *apud Deum non est acceptio personarum*, ut hic acceptus sit, *quia liber*; ille projectus, quia servus.

CAPUT IV.

« Domini, quod justum est et æquum servis præ-
« state, scientes quoniam et vos Dominum ha-
« betis in cœlo. Orationi instate [instantes], vigilan-
« tes in ea in gratiarum actione, orantes simul et pro
« **287** nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermo-
« nis, ad loquendum mysterium Christi (propter
« quod etiam vinctus sum), ut manifestem illud, ita
« ut oportet me loqui. In sapientia ambulate
« (*Ephes.* v, 15) ad eos qui foris sunt, tempus
« redimentes. Sermo vester semper in gratia sale
« sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos uni-
« cuique respondere. Quæ circa me sunt omnia vo-
« bis nota faciet Tychicus, charissimus frater et fi-

« delis minister, et conservus in Domino, quem mi-
« si ad vos ad hoc ipsum ut cognoscat quæ circa
« vos sunt, et consoletur corda vestra, cum One-
« simo charissimo, et fideli fratre, qui est ex vobis.
« Omnia quæ hic aguntur nota faciet vobis. Salu-
« tat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus
« consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata.
« Si venerit ad vos, excipite illum. Et Jesus, qui
« dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione. Hi soli
« sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt
« solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est,
« servus Jesu Christi, semper sollicitus pro vobis
« in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni
« voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo,
« quod habet multum laborem pro vobis, et pro his
« qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli. Salutat vos
« Lucas (*II Tim.* IV, 11), medicus charissimus, et
« Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiciæ et
« Nympham, et quæ in domo ejus est ecclesiam.
« Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite
« ut et in Laodicensium Ecclesia legatur. Et dicite
« Archippo : Vide ministerium quod accepisti in
« Domino, ut illud impleas. Salutatio mea manu
« Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gra-
« tia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen. »

EXPOSITIO.

Servi, obedite dominis, et vos, *domini, præstate servis quod justum est*, et secundum quod merentur, *et* quod est *æquum*, id est ut pensetis eos æque homines esse sicut vos, *scientes* quoniam servi *et* vos domini *habetis* eumdem *Dominum in cœlo*. Admonitis his personis, iterum ad publicam instructionem Ecclesiæ revertitur, dicens : Vos, servi et domini, sic vicissim agite : Universa autem ecclesia, *instate orationi vigilantes*, vel nocturnis vigiliis, vel studiosi *in ea* vigilantes semper in *actione gratiarum, orantes, simul etiam pro nobis*, quando oratis pro vobis. Vel *simul*, id est tota ecclesia pro me communem orationem faciat, *ut Deus aperiat nobis ostium sermonis*, id est labia per quæ egreditur sermo. *Aperiat* dico *ad loquendum mysterium Christi*, id est salutem gentium, quæ usque ad Christum sub mysterio latuit. Aperiret Deus sibi os, si sermo ejus auditoribus fuerit gratiosus. Quia propter compositiones verborum, propter subtilitates sententiarum, nunquam os erit apertum, nisi Spiritus operetur in cordibus auditorum, *propter quod*, id est quia, loquor mysterium Christi, post multas afflictiones, *etiam* nunc *vinctus sum* ad loquendum, *ita ut* ego *manifestem illud* mysterium, *ita sicut oportet me loqui* pro loco, tempore ac capacitate auditorum. Et sicut ego loquor verbum Christi, ita et vos prædicate. *Ambulate ad eos qui foris sunt*, id est ad infideles. *Ambulate* dico *in sapientia*, id est in omni discretione prædicando. Vos dico *redimentes tempus*, id est comparantes vobis opportunitatem ambulandi in sapientia. Hoc esset redimere tempus, si vocarent ad cœnam, et captarent ibi benevolentiam, ut sic adjid quod vellent, facilius inducerent.

A Ut in sapientia ambuletis, *sermo vester semper sit in gratia*, id est gratiosus auditoribus, et ex eo, quod sit *conditus sale*, id est contemperatus sapienti discretione. Vel ita : *Sermo vester sit conditus sale*, ita quod semper sit *in gratia*, id est in commendatione gratiæ Dei, et nunquam in lege. Ita *conditus sale, ut sciatis quomodo oporteat vos respondere unicuique* interroganti, pro simplicitate ejus vel prudentia. Sic vos de præmissis instruo ; omnia autem *quæ circa me sunt*, et vincula et cætera, *nota faciet vobis Tychicus, charissimus frater et fidelis minister.* Credite illi quia nihil præter fidem ministrabit, *et conservus in Domino*, quia, sicut ego, sic **288** servit Domino in Evangelio, et patitur pro eo. *Quem* Tychicum *misi ad* vos, *ad hoc* manifestandum, et ad
B *ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt*, et ego per eum, *et consoletur corda vestra*, desolata pro vinculis meis. Nota faciet Tychicus, *cum Onesimo charissimo et fideli fratre ;* audite eum, *quia* natus *est ex vobis*. Hi duo *facient vobis nota omnia quæ hic aguntur*. Ideo commendavit eos, ut crederent illis, sicut et sibi. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus*, qui, sicut ego, pro Evangelio in vinculis captivatur. Salutat vos etiam *Marcus, consobrinus Barnabæ. De quo* utroque non recipiendo *accepistis mandata* a me. Sed *si* uterque modo *venerit ad vos, excipite illum*, utrumque reconciliatos mihi. Hic Marcus nolens obedire Paulo in quadam legatione divisus est ab illo ; Barnabas autem, amore carnali nimium ductus, abiit cum Marco (*Act.* XV, 39). Paulus vero ne quid extra fidem prædicarent segregati ab illo, scripsit Ecclesiis ne audirent eos qui modo correcti, erant cum Paulo ; et ideo de eis excipiendis iterum scripsit. Salutat vos etiam *Jesus, qui dicitur Justus*, testimonium justitiæ habens ab omnibus. *Qui* Marcus, Barnabas, Jesus, *sunt ex circumcisione*, et *hi soli* ex circumcisione *sunt adjutores mei, in* prædicando *regno Dei. Qui* etiam *fuerunt mihi solatio* in vinculis. *Salutat vos Epaphras, qui est* natus *ex vobis*. Ille dico *servus Christi Jesu*, et *sollicitus pro vobis in orationibus, semper* habitis. *Pro vobis*, inquam, *ut stetis perfecti* in eo quod accepistis, non ut aliud accipiatis. *Et* ut stetis *pleni in omni voluntate*, id est plenarie cognoscentes omnem volun
D tatem *Dei*. Vere *sollicitus pro vobis ;* nam ego *perhibeo illi testimonium, quod habet multum laborem*, vigilando, orando pro vobis, *et pro his qui sunt Laodiciæ, et qui sunt Hierapoli*. Vicinæ Ecclesiæ erant Colossensibus. *Salutat vos Lucas, medicus charissimus*. Hic fuit evangelista. *Et Demas* vos salutat. *Salutate fratres qui sunt Laodiciæ*. Salutate *etiam Nympham* illam matronam, *et ecclesiam quæ est in domo ejus*. Hæc solita erat ministrare prædicatoribus, et timebat Paulus ne seducta ministraret illis pseudo. *Et cum fuerit lecta apud vos hæc Epistola, facite ut etiam legatur in Ecclesia Laodicensium, et* ut *vos legatis eam quæ est Laodicensium. Et dicite Archippo*, episcopo vestro, qui, quia contemptus est a vobis, ab officio cessavit, dicite illi : *Vide*, id est

provide, age *ministerium quod accepisti in Domino, ut impleas illud*, quia modo correcti parati sumus obedire tibi. Dignum est enim ut quem contemptus vester deposuit, obedientia vestra restituat. Hic Archippus, iratus quia audierant contra se illos pseudo, dixerat se non amplius episcopaturum eis. A *Salutatio* scripta *mea manu; mea* dico non notarii, sed mea *Pauli*. Præmittit quiddam salutationi. *Estote memores vinculorum meorum*, ut vel mihi ministretis in vinculis. Vel, ut exemplo meo pro Christo patiamini. Salutatio hæc est : *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM PRIMAM AD THESSALONICENSES.

Thessalonicenses sunt Macedones. Hi in Christo Jesu accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, etiam in persecutione civium suorum. Præterea nec receperunt falsos apostolos, nec ea quæ a falsis apostolis dicebantur. Hos collaudat Apostolus, scribens eis ab Athenis per Tychicum diaconem, et Onesimum acolythum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Thessalonicenses sunt in Macedonia. Hi, audito verbo fidei a Paulo, crediderunt, accepta multa gratia in ipso exordio fidei. Sed Paulo reverso ab eis, quidam (sicut ab eo acceperant) imitatores Pauli perstiterunt in bono; quidam autem eorum paulatim corrupti sunt, labentes in **289** foveam fornicationis. Cœperunt etiam esse otiosi, laborare nolentes, et curiosi, rumores urbis multo studio perquirentes. Errantes etiam dubitando de resurrectione mortuorum. Quare etiam se supra modum affligebant in morte amicorum, putantes eos non amplius resurrecturos. Cum autem duæ partes eorum essent, altera directo itinere Pauli incedens; altera, sicut dictum est, a via veritatis B aberrans, Paulus ab Athenis Timotheum ad eos direxit. Quo reverso, ubi Paulus quorumdam fidem, aliorum errorem per Timotheum certus cognovit, scribit illis hanc Epistolam, in qua utramque partem eorum, perfectos scilicet et errantes, habet materiam : bonos de perfectione fidei collaudando, et ad incrementum bonorum, quæ cœperunt adhortando; errantes a curiositate, otio, fornicatione, et a dubitatione habita de futura resurrectione congruis rationibus retrahendo. In qua re aperta satis est ejus intentio, scilicet ut boni de incremento laborent; alii, dimisso errore, bonorum perfectioni fide et opere se conforment.

EPISTOLA I AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus, et Silvanus et Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratia vobis et pax. Gratias « agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine « intermissione, memores operis fidei vestræ, et « laboris, et charitatis et sustinentiæ spei Domini « nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum, scientes, fratres dilecti a Deo, electionem « vestram, quia Evangelium nostrum non fuit ad « vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in « Spiritu sancto, et in plenitudine multa, sicut sci- « tis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos « imitatores nostri facti estis, et Domini, excipien- « tes verbum in tribulatione multa cum gaudio « Spiritus sancti, ita ut facti sitis forma omnibus « credentibus in Macedonia et in Achaia. A vobis « enim diffamatus est sermo Domini, non solum « in Macedonia et in Achaia, sed in omni loco « fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita « ut non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi « enim de nobis annuntiant qualem introitum ha- « buerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad C « Deum a simulacris servire Deo vivo et vero, et « exspectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit « ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. Sicut moris ejus est, salutationem præmittit, dicens : *Paulus, et Silvanus, et Timotheus;* Sylvanum secum in salutatione ponit, quia in conversione eorum secum collaboravit, auctoritatem habens apud ipsos. Timotheum ideo, quia ex consilio Timothei qui ab eis reversus fuerat, hanc eis Paulus scribit Epistolam. Ideo etiam Timotheum ponit, ut noverint nihil eorum quæ fiunt apud eos latere Paulum. Paulus et Silvanus et Timotheus scribunt *Ecclesiæ Thessalonicensium*. Ecclesiæ dico D existenti *in Deo Patre, et Domino Jesu Christo*, id est hoc quod est Ecclesia, habet a Deo Patre et Jesu Christo. Perseveret itaque in fide ipsius, a quo jam nomen accepit electionis. Hoc, inquam, scribunt, *gratia vobis et pax*. In primis partem eorum quæ fidei integritatem servaverat, alloquitur; fidem eorum magnificans, et gratias illis in principio fidei concessas, ut per laudem Apostoli, animentur in melius, dicens : Audientes fructum fidei vestræ,

agimus gratias Deo, nec raro sed *semper*, et *pro omnibus* vestris, qui in eo quod *vobis* tradidi, perseverastis. Agimus gratias, *facientes memoriam*, id est Deum memorem *vestri in orationibus nostris*, habitis *sine intermissione*, quia et jugis est oratio, et in nullo vos prætermitto. Unde **290** gratias agat, subdit : Gratias agimus *memores operis fidei vestræ*. Cum multa sint opera fidei, hoc præcipuum [principium] fides habet confiteri quod credit. Hi autem in conspectu persecutorum non formidabant Christum confiteri. Memores etiam *laboris* vestri. Hi enim pauperati ab infidelibus, laborabant unde viverent. Memores etiam *charitatis* vestræ. Adeo enim proximos diligebant ut illis otiosis fructum laborum suorum communicarent. Memores etiam *sustinentiæ* vestræ. Multa enim patiebantur ab infidelibus. Sustinentiæ dico *spei*, id est speratæ rei. Res enim quam speratis, tantam patientiam operatur in vobis. Spei dico *Domini nostri Jesu Christi*. Ad Christum enim pertinet impletio hujus spei, habitæ *ante Deum et Patrem nostrum*. Sic enim confidenter sperabant, ac si jam Deum præ oculis haberent.

Commendata fide et charitate eorum, dicit magis miras gratias Deum contulisse illis in initio fidei quam aliis Ecclesiis. Et hæc dicit ad incitationem eorum, facientes memoriam vestri in orationibus nostris, *scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram*, id est quos quia dilexit, elegit. Et iterum post electionem amplius dilexit, ideo dilecti præposuit electioni, ut ostenderet bona eorum esse ex dilectione Dei. *Scientes* dico *electionem vestram;* hanc, scilicet, *quod Evangelium nostrum non fuit ad vos tantummodo in sermone*, ut scilicet sola verba fierent in vestra conversione; *sed* fuit *in virtute* miraculorum, *et in Spiritu sancto*. In ipsa enim acceptione fidei multas gratias habuistis; et ita in virtute et in Spiritu, ut *in multa plenitudine* et miraculorum et gratiarum spiritualium. Sic ista, scilicet et virtutes miraculorum et gratias Spiritus sancti fuisse in vobis scimus, *sicut vos scitis* hoc visibile de nobis *quales*, id est quam vehementer tribulati *fuerimus in vobis;* et hoc *propter vosipsos* lucrandos, non propter aliud commodum. Sic fuit ad vos Evangelium nostrum, *et vos* statim *facti estis nostri imitatores, et* quia *nostri*, ideo imitatores *Dei*, quem gloriosum est imitari. *Imitatores* dico *in multa tribulatione* tolerata, *excipientes*, id est in excipiendo, *verbum;* ut primum enim accepistis verbum fidei, statim cum fide incœpistis pati. *Tribulatione* dico accepta non invita, sed *cum gaudio Spiritus sancti*, quia affluentia gratiarum, quæ erat in vobis, faciebat vos gaudere in tribulationibus. Fuistis nostri imitatores, *ita ut facti sitis forma patientiæ omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia*, qui prius vobis crediderunt. Videntes enim vos præcedere illos ad coronam, laudabant fidei vestræ velocitatem, accusando suam tarditatem. Illis utique facti estis forma; *sermo enim Domini diffamatus est a vobis*, id est notificatus exemplo vestro, *non solum in Macedonia et Achaia*, *sed etiam in omni loco* adjacente illis. Nec solum sermo Domini, sed etiam *fides vestra* plurimum profecta est, *quæ* fides *est ad Deum*, id est gloria mundi spreta, Deum solum desiderat. Ita *est profecta ut non sit nobis necesse loqui quidquam de introitu nostro ad vos*, vel de conversione vestra. Ideo non est necesse quidquam loqui, *quia ipsi* eidem *annuntiant de vobis*, id est ad gloriam vestræ fidei, *qualem*, id est quam difficilem, *introitum habuerimus ad vos*. Multa enim passi sumus in veniendo et apud vos, propter quæ tamen non sprevistis verbum ex me. *Annuntiant* etiam *de vobis*, id est quam perfecte *conversi estis ad Deum a simulacris*. In quibus, simulatio tantum, nulla veritas. *Conversi* dico non tantum credere, sed etiam *servire Deo vivo*, id est æterno qui vitam æternitatis daturus est vobis. Deo vivo *et vero*, id est in quo veritas, sicut in idolo simulatio. Nec quoquomodo *servire*, sed etiam *conversi estis exspectare Filium ejus*, venturum *de cœlis* ad judicium. Adeo enim bene agendo securi sunt, ut gaudeant occurrere judici, non formidantes pœnam, sed de præmio securi. *Quem* Filium Deus *suscitavit ex mortuis* factum nobis *Jesum*, id est Salvatorem, **291** cujus suscitatio nostram operatur resurrectionem; *qui* Filius *eripuit nos ab ira*, id est ab ultione, *ventura* impiis. Eripuit utique in baptismo dimittens peccata.

CAPUT II.

« Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad « vos, quia non inanis fuit, sed ante passi multa, et « contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fidu- « ciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evan- « gelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim « nostra non de errore, neque de immunditia, ne- « que in dolo, sed sicut probati sumus a Deo, ut « crederetur nobis Evangelium ; ita loquimur, non « quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat « corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in « sermone adulationis, sicut scitis ; neque in occa- « sione avaritiæ, Deus testis est ; nec quærentes ab « hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, « cum possemus vobis oneri esse, ut Christi apo- « stoli. Sed facti sumus parvuli in medio vestrum, « tanquam si nutrix fóveat filios suos. Ita deside- « rantes vos cupide, volebamus tradere vobis non « solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, « quoniam charissimi nobis facti estis. Memores « enim estis, fratres, laboris nostri et fatigationis : « nocte et die operantes, ne quem vestrum grava- « mus, prædicavimus vobis Evangelium Dei. Vos « testes estis et Deus quam sancte et juste et sine « querela vobis qui credidistis, affuimus, sicut sci- « tis, qualiter unumquemque vestrum (tanquam pa- « ter filios suos) deprecantes vos, et consolantes, « testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui « vocavit vos in suum regnum et gloriam. Ideo et « nos gratias agimus Deo sine intermissione, quo- « niam, cum accepissetis a nobis verbum auditus « Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum,

sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in A
« vobis qui credidistis [*al. add.* in ipsum]. Vos enim
« imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei,
« quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu, quia eadem
« passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et
« ipsi a Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum
« et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non
« placent, et omnibus hominibus adversantur, pro-
« hibentes nos gentibus loqui ut salvi fiant, ut im-
« pleant peccata sua semper. Pervenit enim ira
« Dei super illos usque in finem. Nos autem, fra-
« tres, desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu,
« non corde, abundantius festinavimus faciem ve-
« stram videre cum multo desiderio, quoniam vo-
« luimus venire ad vos. Ego quidem Paulus et semel
« et iterum, sed impedivit nos Satanas. Quæ est B
« enim nostra spes aut gaudium, aut corona glo-
« riæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum
« Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis
« gloria nostra et gaudium. »

EXPOSITIO.

Dicendo superius *qualem introitum* et quales fratres, bis significaverat vobis difficultatem introitus sui; quam, quia exsecutus non fuerat, modo satis callide inserit, dicens: Non oportet me dicere qualem introitum habuimus ad vos: *nam*, vos *ipsi fratres*, satis *scitis introitum nostrum ad vos, quia*, id est quod, *non fuit inanis*, id est inutilis. Inanis esset si pro rebus mundi pateretur, vel si pati resurgeret, vel, si in eis fructum fidei non faceret. Non fuit C inanis, *sed ante*, id est in veniendo, *passi* sumus *in Philippis* acerbitatem tribulationis, et etiam *affecti contumeliis*, id est afflicti opprobriosis verbis. *Passi et affecti* dico *sicut* vos *ipsi scitis*. Nos, inquam, ita passi et affecti fuimus apud vos *in multa sollicitudine*, id est curiosi de domesticis rebus. In multa enim penuria eramus, et curiosi ne vos, videntes contemptum nostrum, contemneretis in nobis verbum Dei. Et licet in tanta sollicitudine essemus, tamen *habuimus fiduciam loqui ad vos Evangelium Dei. Habuimus* dico *in Domino nostro*; præ nimia enim difficultate vis humana in nobis deficiens compellebat nos Deum consulere. Ideo fiduciam habuimus *quia exhortatio nostra facta ad vos non* erat **292** *de errore*, id est de suasione erroris, ut docerem vos errare in fide, *neque de immunditia*, sicut illi Nicolaitæ qui suadent mulieres omnibus esse communes. *Neque* exhortatio nostra est *in dolo*, id est in deceptione. Posset enim esse *neque de errore, neque de immunditia*, et tamen *in dolo*, si intenderet accipere ab eis. Non fuit in dolo, *sed sicut probati*, id est probabiliter sumus inspecti *a Deo*, *ut* ab illo *crederetur nobis Evangelium*. Sicut probati sumus, *ita loquimur*, id est non minus in nobis Deus invenit quam se inventurum prævidit. *Loquimur* dico, *non* solum non *placentes*, sed nec etiam facti *quasi* placentes *hominibus, sed* quærentes placere *Deo, qui probat corda nostra*, id est cui etiam aperta est nostra voluntas.

Vere non quasi placentes hominibus, *neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut* vos *scitis*, et vos in testes appello. *Neque* fuimus in sermone *avaritiæ*; nec etiam *in occasione* ut saltem suspicari posset de nobis; et *Deus* inde *testis est*. Et *non* fuimus *quærentes gloriam ab hominibus*, quia *neque a vobis, neque ab aliis*. Non fuimus in occasione avaritiæ, *cum*, id est quamvis, *possimus vobis esse oneri, accipiendo temporalia a vobis ut apostoli Christi*. Non quærentes gloriam, *sed facti sumus parvuli in medio*, id est humiles in communitate *vestrum*. Nullus enim fuit cui non condescenderim. *Parvuli* dico, *tanquam nutrix* condescendens parvulo, et multa sustinens ab illo. Nec nutrix conducta pretio, sed *si foveat* proprios *filios*, quibus ex dilectione sola parvula sit; nihil ibi quærens præter filios. Tanquam nutrix filios ita desiderantes vos, non res vestras cupide, *volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam*, si oporteret, *animas vestras*. Ideo *quoniam facti estis nobis charissimi*, facta sumus utique parvuli tanquam nutrix. Vos enim, *fratres, memores estis laboris nostri et fatigationis*: posset enim laborare non usque ad fatigationem, sed plerumque a Deo laborabat ut magis defessus desisteret quam voluntarius. Bene dico *laboris et fatigationis*; nos enim *prædicavimus in vobis Evangelium Dei, operantes nocte ac die*, quantum diei residuum erat a prædicatione et oratione. Ideo sic operantes, *ne quem vestrum gravaremus*; et quod ita fecerim, *vos estis testes et Deus quam sancte* in me, *et* quam *juste* ad proximum, *et sine querela*, id est innocenter, sine omni malo, *fuimus vobis qui credidistis*. Quia *sancte et juste fuimus vobis*, sic notum habetis *sicut scitis* hoc, *qualiter testificati sumus unumquemque vestrum, deprecantes vos et consolantes* tribulatos *tanquam pater* consolaretur *filios suos*.

Testificati sumus *ut ambularetis digne Deo*, id est ut essetis digni habere Deum. Vel, ut dignum sit Deum habitare in vobis: *qui* Deus *vocavit vos in suum regnum*, id est ad hoc ut modo regnaret in vobis, qui prius eratis regnum diaboli, *et* in habendam *gloriam* in futuro. Et quia in regnum Dei vocati estis, *ideo nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam, cum a nobis accepissetis verbum auditus*, D id est ex solo auditu exciperetis verbum *Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut verbum Dei* (*quod verum est*), *qui* Deus *operatur in vobis* quotidie *qui credidistis*. Et vere operatur in vobis. *Nam vos, fratres, facti estis imitatores Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa*; quæ sunt dico *in Christo Jesu*. Imitatores in hoc, *quia passi estis eadem et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi* passi sunt *a Judæis*. Qui Judæi non mirum si persequuntur eos, *quia occiderunt Dominum Jesum et prophetas. Nos etiam persecuti sunt*, in quo utique *non placent Deo*, licet persequendo nos, arbitrentur obsequium se præstare Deo. Qui etiam Judæi *adversantur omnibus hominibus*, id est utilitati omnium hominum, *prohibentes nos loqui gentibus, ut salvæ*

fiant. Prohibentes ideo *ut semper impleant peccata* A *sua*, donec juste et sufficienter probati sint, et **293** impii ad cumulum damnationis veniunt. Ideo sic prohibent *quia ira*, id est excæcatio, *Dei venit super illos usque in finem*, quando Deus auferet velamen de cordibus eorum, et tunc reliquiæ salvæ fient (*Rom.* IX, 27; XI, 5). Vel, *usque in finem*, id est ad mortem, quando tradentur perpetuo igni. Et quia vos eadem passi estis, ideo, *fratres, nos desolati a vobis*, causa enim desolationis nostræ veniebat a nobis, non quia plangeremus casum, sed quia timebamus; *desolati* dico *ad tempus*, id est ex quo Timotheum ad vos misimus, donec per eumdem constantiam vestram audivimus; ubi ait ad *tempus*, innuit eos non peccasse: *desolati* dico remoto ore, id est sermone nostro a vobis, et *aspectu* remoto: B *non* tamen remoto *corde abundantius*, quam prius *festinavimus videre faciem vestram cum multo desiderio*. Bene dico *cum desiderio, quoniam voluimus venire ad vos*, et in ipso itinere jam eramus. *Ego quidem Paulus*, quidquid alii formidarent, *et semel et iterum* venire volui; *sed Satanas impedivit nos*. Satanas ideo, ut, remota consolatione magistri, facilius vos pervertere posset. Deus ideo hoc consensit, ut vos de tentatione superata gloriosiores haberet; ideo Satanas impedivit, quia vos estis spes nostra, etc. Vel ita: Ideo venire voluimus, quia *quæ est nostra spes* habenda in futuro, *aut* quod est *gaudium* tunc iterum mihi paratum, *aut corona gloriæ*, id est gaudium illud non erit mediocre, sed C *corona gloriæ*, id est, corona gloriosa: dico quod est *gaudium* et *corona* mea? Sed *nonne vos estis* per puritatem vitæ positi nunc ante Dominum nostrum Jesum? *Estis* dico *corona* præparata mihi *in adventu ejus*. Vere tunc eritis gaudium mihi et corona, quia etiam jam, ubi carne pressus, minus intelligo, *estis vos gloria nostra et gaudium*.

CAPUT III.

« Propter quod non sustinentes amplius, placuit « nobis remanere Athenis, solis [*al.*, solos]; et misi- « mus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum « Dei in Evangelium Christi, ad confirmandos vos « et exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur « in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quod in « hoc positi sumus. Nam et cum apud vos essemus, D « prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, « sicut et factum est et scitis. Propterea et ego « amplius non sustinens, misi ad cognoscendam « fidem vestram, ne forte tentaverit vos is qui « tentat, et inanis fiat labor noster. Nunc autem « veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante « nobis fidem et charitatem vestram, et quia me- « moriam nostri habetis bonam semper, deside- « rantes nos videre, sicut nos quoque vos; ideo « consolati sumus, fratres, in vobis in omni neces- « sitate et tribulatione nostra per fidem vestram, « quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. « Quam enim gratiarum actionem possimus Deo « retribuere pro vobis in omni gaudio quo gaude- « mus propter vos ante Dominum Deum nostrum, « nocte ac die abundantius orantes, ut videamus « faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt « fidei vestræ? Ipse autem Deus et Pater noster, et « Dominus Jesus Christus [*al. deest* Christus] dirigat « viam nostram ad vos. Vos autem Dominus mul- « tiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in « invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in « vobis ad confirmanda corda vestra sine querela, « in sanctitate ante Deum et Patrem nostrum, in « adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus « sanctis ejus. Amen. »

EXPOSITIO.

Propter quod *quia eadem passi estis*, et quia *nos desolati* sumus *a vobis*, et quia *vos estis gaudium*, B *et corona* nostra, *propter* hoc *non sustinentes amplius*, sustinentes ideo ait quia, donec per Timotheum **294** consolatus eos est, et per eumdem quomodo in fide starent accepit, quasi grave pondus timens casum eorum sustinuit. Non sustinentes amplius, *placuit nobis*, mihi et Silvano, *remanere Athenis, solis*, id est ita ut soli essemus a solatio Timothei, qui necessarius erat nobis. Hic significat ab Athenis hanc se direxisse Epistolam. Remansimus Athenis, *et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelium Christi*. Commendo eum vobis, ipsum audite. *Misimus*, inquam, *ad confirmandos vos*, ut in melius proficeretis. Confirmandos *et exhortandos* dico *pro fide vestra* custodienda, ne C erret vel deficiat. *Confirmandos* dico, *ut nemo vestrum moveatur in tribulationibus istis*, quas et vos patimini et nos patimur. Ubi ait: *Nemo moveatur*, innuit eos nondum motos, et se nolle saltem unum a fide moveri. Nec debetis moveri; *ipsi enim* bene *scitis, quod* nos et vos *positi sumus in hoc* ut adversa patiamur. Scitis utique. *Nam cum apud vos essemus, prædicabamus vobis nos esse passuros tribulationes, sicut* utique pro dicto meo *factum est, et* vos bene *scitis* esse factum. *Propterea*, id est quia, passus sum tribulationes, ne tribulatio magistri causa esset defectus vestri, *ego non amplius sustinens, misi ad cognoscendum fidem vestram*, ut per legatum fidem vestram cognoscerem. Misi ideo, *ne forte tentaverit vos is qui tentat*, id est, cujus officium est tentare: D *et* ne sic *labor noster fiat inanis* vobis, succumbentibus tentationi. Olim misi: *nunc autem Timotheo a vobis veniente ad nos, et* eo *annuntiante nobis fidem* quam firmiter tenetis, *et charitatem vestram*, qua omnes nos diligere probatis: annuntiante etiam *quia*, id est quod, *habetis memoriam nostri bonam*, sicut debetis: *desiderantes* semper *videre nos, sicut nos quoque* desideramus videre *vos*: illo hoc annuntiante, *consolati sumus, fratres, in vobis. Ideo*, id est pro eo quod sic annuntiante de vobis, et non propter aliud. posset enim hoc ipsi annuntiari, et pro alio consolari: consolati sumus in vobis *per fidem*, id est propter fidem *vestram* firmiter stantem. Vel, per fidem vestram juro me consolatum esse, quam diligens non pejerarem. Consolati dico

In *omni necessitate*, id est penuria : et in omni *tribulatione nostra*, quam a persecutoribus patior : quia nec etiam afflictio mea potest gaudium perturbare quod habeo de vestra firmitate. Ideo dico nos consolatos : *quoniam nunc* etiam in tribulatione et penuria *vivimus*, id est in gaudio nos vivere credimus : *si vos statis in Domino*, quod utique verum est, quia stetis. Illud *si* approbativum est.

Merito ideo vivimus : quia *quam actionem gratiarum possumus retribuere Deo pro vobis :* in fide et charitate manentibus. *Possumus* dico nos positi *in omni gaudio, quo gaudemus propter vos*, existentes *ante Deum nostrum*. Vel, gaudemus ante Deum nostrum propter vos : placet enim in conspectu Dei, quod oblitus meæ tribulationis, congaudeo bonis vestris. *Retribuere* ideo dicit, quia bona quæ Deus tribuit Ecclesiis Pauli, Paulus annumerat collata esse sibi. Gaudemus non solum gratias agentes : sed etiam *orantes nocte et die abundantius*, quam prius nondum audita perfectione vestra : orantes hoc, *ut videamus faciem vestram : et* præsentes ea *compleamus* in vobis *quæ adhuc desunt fidei vestræ*. Paulus cum primum tradidit illis fidem, quia adhuc simplices erant, non sufficientes capere mysteria Dei, secundum ea quæ fidei necessaria erant, eos initiavit : sed quia modo perfecti sunt, si modo esset apud eos, aperiret Scripturas et mysteria Dei : quæ sicut prius superflua essent eorum simplicitati, sic modo deerant eorum perfectioni. Oramus videre faciem vestram : *ipse autem Deus et pater noster, et Dominus Christus dirigat viam nostram*, id est faciat directum iter nostrum ad vos. Sive autem veniam, sive non veniam, *Dominus* semper *multiplicet vos* secundum augmentum membrorum : *et faciat abundare charitatem vestram in invicem :* quod omnes vicissim diligatis vos in Ecclesia : *et in omnes*, id est etiam ad infideles, transeat charitas vestra. **295** Faciat abundare, *quemadmodum et nos* abundamus charitate *in vobis. Abundare* dico, *ad confirmanda corda vestra*, ut voluntas vestra in omni bono sit confirmata. *Confirmanda* dico, *sine querela*, ut nulla sit ibi injustitia, et confirmanda *in sanctitate*, ut in bonis sanciti sitis et confirmati. *Sanctitate* dico, habita *ante Deum et Patrem nostrum*, id est in beneplacito Dei Patris. *Corda* dico sic confirmanda *in adventu*, id est in consideratione adventus *Domini nostri Jesu Christi*. Qui enim bene semper memor erit adventus Christi ad judicium, timebit peccando provocare eum. Vel ita : *Confirmanda in adventu*, id est usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. *Christi* dico venturi *cum omnibus sanctis suis*, qui cum eo judicaturi sunt mundum. Vel, *confirmanda cum omnibus sanctis ejus*, ut sic confirmet et vos quemadmodum confirmavit sanctos suos. *Amen*, id est ita fiat, ut vos sic confirmemini.

CAPUT IV.

« De cætero ergo, fratres, rogamus vos et obse-
« cramus in Domino Jesu, ut quemadmodum acce-
« pistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et
« placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis.
« Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Do-
« minum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei san-
« ctificatio vestra (*Rom.* XII, 2; *Ephes.* VI, 17), ut
« abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque
« vestrum vas suum possidere in sanctificatione et
« honore, non in passione desiderii, sicut et gentes
« quæ ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur,
« neque circumveniat in negotio fratrem suum,
« quoniam vindex est Dominus de his omnibus,
« sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. Non
« enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in
« sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non
« hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spi-
« ritum suum sanctum in nobis. De charitate au-
« tem fraternitatis non necesse habuimus scribere
« vobis. Ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis
« invicem (*Joan.* XIII, 34). Etenim illud facitis in
« omnes fratres, in universa Macedonia. Rogamus
« autem vos, fratres, ut abundetis magis, et ope-
« ram detis ut quieti sitis, et vestrum negotium
« agatis; et operemini manibus vestris, sicut præ-
« cepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui
« foris sunt, et nullius aliquid desideretis. Nolumus
« autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut
« non contristemini, sicut et cæteri qui spem non
« habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est
« et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per
« Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus
« in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui
« sumus, in adventu Domini non præveniemus eos
« qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu
« et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de
« cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent
« primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur,
« simul rapiemur cum illis in nubibus obviam
« Christo [*al.*, Domino] in aera, et sic semper cum
« Domino erimus. Itaque consolamini invicem in
« verbis istis. »

EXPOSITIO.

Hucusque partem perfectorum collaudavit, et ad incrementum perfectionis adhortatus est. Nunc incipit instruere partem illam, quæ videbatur corrumpi fornicatione, curiositate, otio, et de resurrectione dubitando, dicens : Vos perfectos sic laudo, et ad incrementum invito. *De cætero ergo, fratres*, id est ad alteram partem agens, *rogamus vos* quasi rem debitam, *et obsecramus* mitius agentes, dum precamur quod imperare licet : obsecramus, inquam, *in Domino Jesu*, si de illo gaudere vultis, *ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo; ambulare* dicitur, in his quæ ex dilectione sine quibus homo nequit salvari; *placere* in his quæ ex dilectione homo superaddit, ut servare **296** virginitatem, nihil possidere in mundo; quæ si non faceret, posset tamen salvari : oporteat ambulare, sicut credo, quod ambulatis, licet sic vos admoneam : rogamus et obsecramus, *ut abundetis magis*, ambulando et placendo

admoniti a me, quam prius. Et oebetis abundare ; *scitis enim quæ*, id est quam digna, *præcepta dederim vobis per Dominum Jesum*, sic instituentem mihi. Digna utique præcepta dedi vobis. *Num hæc est voluntas Dei vestra sanctificatio*, id est ut vos sanctificati sitis, remoto omni vitio a vobis. Hæc est, inquam, vestra sanctificatio, *ut vos abstineatis a fornicatione*, ne corrumpatis uxorem proximi. *Et ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere*, id est suum corpus. Sicut enim miles in tabernaculo, sic spiritus in corpore militare debet Deo : manibus, ministrando pauperibus ; pedibus, visitando infirmos, et similia, in cæteris membris. *Possidere* ideo dicit, quia corpus ita debet domari a spiritu ut possideatur quasi servus rationis, portans quodcunque onus imponitur sibi. *Possidere* dico *in sanctificatione*, ut fiat sanctum in habitatione virtutum, *et* possidere in *honore*, ut non inclinetur ad actum turpitudinis, et *non in desiderio*, ut saltem desideret turpem actum, nedum operetur. Desiderio dico quod est esse in passione. Gravis enim passio est animi vivere in desiderio carnis. Vivere in passione desiderii, *sicut* falsi Christiani, *et gentes quæ ignorant Deum*, faciunt. Abstinete a fornicatione, et ab adulterio. Quod sic ait : *Ne quis supergrediatur fratrem suum in* ullo privato *negotio* cum uxore ejus habito, *neque circumveniat* in eodem. Supergredi esset, si violenter raperet alterius uxorem. Circumvenire, si seductione pretii vel precis subverteret uxorem proximi consentire sibi. Hanc sententiam non satis aperte innuunt verba libri, sed priora et sequentia hanc velle videntur. Vel illa priora mutantur. Abstinete a fornicatione cum meretricibus, ut sciat unusquisque vestrum possidere suum vas, id est suam uxorem quæ corpus est viri in sanctificatione, id est, in munditia et in honore. Non in turpitudine, et *non in passione desiderii*, id est ne nimis carnaliter afficiatur circa uxorem, *sicut gentes* faciunt *quæ Deum ignorant*. Illud quod sequitur non mutatur, ideo nemo *circumveniat fratrem*, etc., *quoniam Dominus vindex est de his omnibus*, tam de fornicatione, quam de adulterio, *sicut prædiximus vobis* cum essemus apud vos, *et testificati sumus* testimoniis Scripturarum.

Vere Dominus vindex est de his ; *nam Deus non vocavit nos in immunditiam* operandam, *sed in sanctificationem* habendam, et quia non in immunditiam, sed vocavit nos Deus in sanctificationem. *Itaque qui spernit hoc* cavere, scilicet a fornicatione et adulterio, *non spernit hominem, sed Deum*, qui vocat in sanctificationem : spernit etiam hospitem suum Spiritum sanctum. Quod sic ait : *Qui* Deus *dedit Spiritum suum sanctum in nobis*, quem si Deum spernitis, cum Deo spretum perditis. De fornicatione et adulterio sic vos instruimus ; sed *de charitate fraternitatis non habemus necesse scribere vobis, quia vosipsi didicistis a Deo* vel interius inspirante, vel in Evangelio hoc docente, *ut diligatis invicem*, ubi ait : « Hoc est præceptum meum (*Joan.* xv, 12), » etc. Ideo iterum non est necesse scribere vobis, quia vos *facitis illud* præceptum dilectionis *in omnes fratres* existentes *in universa Macedonia*. Sed licet non sit necesse ideo scribere vobis, tamen *rogamus vos* omnes, *fratres, ut magis* solito *abundetis* in charitate, *et detis operam ut sitis quieti*, non ita per urbem curiosi rumoribus inquirendis; *et ut* sitis quieti, *agatis vestrum negotium*, ne, contemptis propriis, aliena negotia curetis. In his verbis vitium curiositatis interdicit. *Et ut* sitis quieti, *operemini manibus vestris*, unde vobis habeatis, ne otiosi alienos labores illicite consumatis. Hic otiositatem prohibuit. *Operemini* dico, **297** *sicut* parentes *præcepimus vobis*. Operemini, quia præcepimus vobis, *et ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt*, id est in conspectu infidelium, ne habeant in quo possint detrahere vobis. Ideo etiam operemini, *ut nullius aliquid desideretis*, id est ut habentes de proprio labore res alterius non concupiscatis, quod egestas veniens ex otio desiderare compellit.

Nunc dubietatem quam de resurrectione habebant, congruis rationibus absolvit, dicens : De charitate non est necesse scribere vobis; *sed de dormientibus nolumus vos ignorare, fratres*. Dormientes vocat mortuos, ut ostendat tam facile Deum resuscitare mortuos quam facile est dormientem suscitari e somno. Ideo nolumus vos ignorare de dormientibus, *ut non contristemini* immoderate super mortes propinquorum, *sicut gentiles* et etiam falsi Christiani, *qui non habent spem* resurrectionis futuræ. Et de resurrectione desperantes sic contristari non debetis, *quia, si credimus quod Jesus resurrexit*, et ut veram ejus resurrectionem probet, præmittit : *Jesus* vere *mortuus est et resurrexit;* si hoc, inquam, credimus, *ita et* credere debemus quod *eos qui*, vivendo *per Jesum, dormierunt per Jesum*, id est vita quorum et mors in Jesu fuit, *eos*, inquam, *adducet Deus cum eo*, id est cum Jesu impassibiles, immortales in gloria. Falsam quorumdam opinionem, qui dicebant corpora in die illo adhuc integra posse resurgere, ea vero quæ essent dissoluta in cineres, nunquam resurgere, destruit, dicens : Vere qui dormierunt adducentur cum Jesu ; *nam hoc dicimus vobis in verbo Domini*. Deus enim hoc nobis revelavit, *quia*, id est quod, *nos qui vivimus in adventu Domini, et qui residui sumus* tot malis. Ponit se quasi futurum in die ultimo, ideo quia persecutio apostolorum et fidelium sub Antichristo futurorum, simili difficultate comparabitur. Unde idem alibi. Nos sumus « in quos fines sæculi devenerunt (*I Cor.* x, 11). » *Nos*, inquam, *qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt* in resurrectione qui ante nos dormierunt, ut Abraham et cæteros. In hoc versu utrumque fecit, et veritatem resurrectionis omnium approbavit, et de quibus dubitabant, eorum resurrectionem prius futuram esse ostendit.

Hic tamen notandum quod justorum resurrectionem solummodo approbat. Vere nos residui non

prævenlemus priores, *quoniam ipse Dominus* Christus *descendet de cælo in jussu* et cum imperio, qui olim descendit in obedientia et humilitate; descendet etiam *in voce archangeli*. Sive hic, archangelus significet Christum propria voce insonaturum, sive alium angelum determinatum, non habemus quis illam vocem daturus sit ad quam resurgent mortui. In voce archangeli *et in tuba Dei;* vox enim illa erit quasi tuba, quæ suos excitat, adversarios terret, sic vox illa invitabit sanctos ad palmam, impios deterrebit ad pœnam. Sic, inquam, Jesus descendet, *et* tunc *mortui qui* jam diu *sunt in Christo*, ut Abraham et cæteri, *surgent primi*. Et *deinde* post illos *nos qui vivimus*, in tempore illo, et *qui relinquimur* tot persecutionibus Antichristi, *simul rapiemur cum illis* prioribus *in nubibus*. Nubes enim portabunt nos obviam *Domino in aera*, ubi de omnibus judicabit, *et* exinde *erimus cum Domino semper* nos electi. *Erimus*, inquam, sic, id est cum corporibus resumptis in incorruptione. Et quia ex his verbis approbata est vobis veritas resurrectionis, *itaque consolamini invicem in verbis istis*, id est alter alterum, dicentes : Vere resurgemus impassibiles, cum Domino erimus, etc.

A

B

CAPUT V.

« De temporibus autem et momentis non indigetis « ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, « quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet « (*Apoc.* III, 3). Cum enim dixerint **298** : Pax et « securitas, tunc repentinus eis superveniet interi- « tus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient. « Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos « dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes « enim vos filii lucis estis, et filii diei : non sumus « noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus « sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus. « Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii « sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, « sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis, et « galeam spem salutis (*Ephes.* VI, 17). Quoniam non « posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem « salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, « qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive « dormiamus, simul cum illo vivamus : propter « quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum, « sicut et facitis. Rogamus autem vos, fratres, ut « noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt « vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis « illos abundantius in charitate, et propter opus « illorum pacem habete cum eis. Rogamus autem « vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pu- « sillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad « omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui « reddat, sed semper quod bonum est sectamini in « invicem et in omnes. Semper gaudete, sine inter- « missione orate (*Eccli.* XVIII, 22; *Luc.* XVIII, 1), « in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas « Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. Spiritum « nolite exstinguere, prophetias nolite spernere. « Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab « omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus « pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus « vester et anima et corpus sine querela in adventu « Domini nostri Jesu Christi servetur. Fidelis est qui « vocavit vos, qui etiam faciet. Fratres, orate pro « nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. « Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epistola hæc « omnibus sanctis fratribus. Gratia Domini nostri « Jesu Christi vobiscum. Amen. »

C

D

EXPOSITIO.

Postquam resurrectionem corporum satis dilucide approbavit, subdit de illa ultima die, quæ justis ad gloriam, impiis futura est ad pœnam, ut terrore illius diei hi qui in peccato fornicationis, curiositatis et otii erant, resipiscant; desiderio futuræ gloriæ conformitati bonorum se inserant. Littera sic jungitur : De resurrectione mortuorum quia ignorabatis, scripsimus vobis; sed *de temporibus* futuris usque ad diem judicii, id est quot tempora, seu centum, seu mille anni futuri sint usque ad diem judicii: vel, *de temporibus*, id est, an æstate an hieme, an die, an nocte futurum sit judicium, *et de momentis*, id est qua hora diei vel noctis, æstatis an hiemis. De his utique, fratres, *non indigetis ut scribamus vobis*. Ideo non indigetis, *quia vosipsi diligenter*, id est diligenti investigatione Scripturarum, *scitis* hoc quod nos inde scimus, id scilicet, *quia dies Domini ita veniet sicut fur* venit *in nocte*. Diem non ideo dicit, quod determinate sciat in die futurum judicium, sed ideo, quia tunc in illo judicio omnia erunt quasi in die, id est in aperta manifestatione quæ prius fuerant occulta, domini dicit hunc esse diem, quia tunc incipient omnia fieri ex voluntate et imperio Domini, sed nunc fiunt in hoc mundo non ex voluntate Dei multa, sed fiunt ex permissione. *Dies*, inquam, *Domini veniet ita sicut fur*, ut magis occultus sit veniens in nocte. Fur quidem si in die veniat, facilius providere nobis possumus ab eo; sed si in nocte, nox ipsa opportunitatem ministrans adjuvat furis iniquitatem. Ideo dies ille venire dicitur sicut fur in nocte, quia, sicut quilibet dives, sero multa circumdatus opulentia, nocte interceptus a fure, in crastina se nudum invenit, sic illi qui in peccatis negligunt a die illo providere sibi, sero divites in mundanis, in crastino sublati de mundo invenientur nudi, perditis temporalibus, et æternis mancipati incendiis. Dies Domini hic maxime intelligitur dies judicii; quæ tamen dies Domini in morte uniuscujusque incipit.

299 Notandum etiam quod dies illa impiis quidem, nolentibus providere sibi, sicut fur in nocte veniet; sed justis semper vigilantibus, quacunque hora veniat, non venit sicut fur, quia potius tunc augebuntur quam in aliquo diminuantur. Vere ita veniet sicut fur, *quia cum* illi amatores mundi *dixerint : Pax* est nobis in præsentibus *et securitas* de futuro, *tunc superveniet eis repentinus interitus*, id est improvisa damnatio. *Repentinus* dico, *sicut dolor*

habenti in utero repentinus supervenit. Non determinat quid in utero habeat, sed hoc esse dictum de prægnante muliere satis intelligitur. Et propter utrumque, prægnantis dolori comparavit, et quia ille dolor subitus est, nec scit prægnans determinare sibi horam certam, sed ubicunque intercepta fuerit, parit; et propter majorem angustiam hujus doloris, sic in illo die et improvisus veniet interitus et omni plenus angustia. Ne videretur hic interitus esse transitorius, sicut dolor prægnantis, subjungit: Superveniet quidem interitus, *et non effugient* impii illum interitum semper in eo perdurantes. Quia modo tanta asperitate verborum eos deterruit, in sequentibus demulcet eos dicens eos non esse quibus debeat hic interitus supervenire. Impii quidem non effugient repentinum interitum, *sed vos, fratres, non estis in tenebris*, id est in ignorantia et obscuritate peccati, *ut illa dies comprehendat vos, tanquam fur.* Comprehenderet eos si in peccatis impœnitentes inveniret. Vere non estis in tenebris. *Nam vos omnes estis filii lucis*, id est geniti in luce fidei, *et* estis *filii diei*, id est in bonis operibus generati, quia sicut lux præcedit, dies sequitur; sic fides prior est, opera bona sequuntur. Filii lucis et *non* estis filii *tenebrarum*, id est ignorantiæ, et non filii *noctis*, id est densitatis peccatorum. Sicut enim tenebræ noctem præcedunt, sic prius ignorantia veritatis, et per ignorantiam venitur in densitatem peccati. Et quia filii lucis et diei sumus, non noctis et tenebrarum, *igitur non dormiamus*, id est non torpentes simus sicut infideles, et etiam falsi fideles; *sed vigilemus*, id est in bono operando studiosi simus *et sobrii*, id est non amore temporalium inebriati *simus*.

Debemus vigilare et sobrii esse, quia *qui dormiunt*, id est torpescunt, illi *dormiunt nocte*, id est propter noctem, id est densitatem peccatorum in quibus sunt, *et qui sunt ebrii*, amore temporalium, obliti cœlestium, hi *sunt ebrii nocte*, id est propter noctem, id est (sicut dictum est) densitatem peccatorum. Qui ebrii sunt nocte sunt ebrii, sed *nos qui sumus* non noctis sed *dici, simus sobrii*, id est non amore temporalium excæcati. *Simus*, inquam, *sobrii, induti loricam fidei.* Et bene fidem loricæ comparavit, quia sicut in lorica multi hami sunt concatenati in unum, sic in fide multa sunt ad credendum necessaria, concatenata tamen in eamdem unitatem. Induti etiam loricam *charitatis* qua Deum diligamus et proximum, secuti simus: et bene protecti fide et charitate ad omnem impetum hostium. Et induti *galeam* hanc, scilicet *spem* futuræ *salutis*, ut sicut galea protegit caput, ita mens nostra spe futuræ beatitudinis obvolvatur. Debemus sperare salutem, *quoniam Deus non posuit nos in iram*, id est in perditionem, *sed* posuit nos in prænissis, fide, charitate et spe, *in acquisitionem salutis*, id est ut per hoc acquiramus perpetuam salutem. Salutis dico habendæ, *per Dominum nostrum Jesum Christum.* Ponit meritum Christi, quo istam salutem nobis promeruit, dicens: *Qui* Christus *mortuus est pro nobis, ut* nos *vivamus simul cum illo* in æterna gloria. *Sive vigilemus*, id est sive vivi in adventu Christi inventi fuerimus, *sive dormiamus*, id est sive mortui inveniamur. *Propter quod*, id est quia fidem, charitatem et spem dedit nobis in acquisitionem salutis, ideo *consolamini invicem eos* qui noverunt hæc, *et ædificate alterutrum* eos qui ignorant *sicut* credo quod vos *etiam facitis.*

Postquam partem perfectorum de fide et bono fidei satis collaudavit, alteram vero partem de correctione admonuit, **300** subditos et prælatos abhinc alternatim ædificat quomodo se contemperare debeant subditi prælatis, et e converso, dicens: Bonos de incremento laborare, errantes a peccatis declinare admoneo. *Vos autem, fratres*, qui subditi estis, *rogamus ut noveritis eos qui laborant inter vos*, id est, prælatos, qui jejunando, orando et docendo, de salute vestra laborant: *noveritis* dicit, ut in his quibus indigent, ministrent illis: *qui laborant* dico, *et præsunt vobis in Domino* sic disponente, *et* qui *monent vos* ad meliora; non solum *ut noveritis*, sed etiam *ut abundantius habeatis illos in charitate* quam soliti sitis. Et *habete pacem*, id est concordiam, *cum eis*, si vos acrius reprehendunt, *propter opus illorum*, id est scientes quia sic exigit opus ministerii illorum, ut vos aberrantes ad viam justitiæ compellant. Subditos sic rogamus; *vos autem, fratres*, qui prælati estis, *rogamus* hoc, *corripite* asperiori correctione *inquietos*, id est curiosos vagantes per urbem, *consolamini pusillanimes*, pusillum animum in passione tribulationum habentes. Vel *pusillanimes*, id est pusillam confidentiam de misericordia Dei habendo, pro immanitate scelerum desperantes; *suscipite infirmos*, id est eos qui infirmæ sunt fidei, de resurrectione desperantes, suscipite ad sanandam infirmitatem fidei, sicut medicus suscipit ægrotum. Et *estote patientes ad omnes*, et ad inquietos, et ad pusillanimes, et ad infirmos, ne, si contradicunt, conferatis ideo manus ad litigium. Dicerent illi: Patimur quidem illos, sed non ultra docebimus eos. Ad hæc Paulus: *Estote patientes*, et in patiendo *videte ne quis reddat alicui malum pro malo*, subticentes verbum instructionis, licet prius impatienter auditum, *sed semper sectamini id quod bonum est*, id est utile ad instructionem Ecclesiæ. Sectamini dico et *invicem*, id est inter vos in Ecclesia, *et* etiam transeundo *in omnes*, docendo etiam infideles. Et *semper*, sive pati oporteat, sive non, *gaudete, et orate sine intermissione* determinatarum horarum, ut certa tempora orationis non negligatis. Vel, *orate sine intermissione*, ut, sive dormiatis, sive vigiletis, semper oretis. Et, juxta hanc sententiam, dicunt sancti illum semper esse in oratione qui in nullo offendit, sed, sive vigilet, sive dormiat, semper ad Christum anhelat. *Et in omnibus* quæcunque facitis, vel dicitis, *agite gratias Deo*, sive incumbant adversa, sive demulceant vos prospera. Orate et agite gratias, quia *voluntas Dei hæc est in omnibus vobis*: ut omnes oretis et agatis gratias. *Est* dico *in Christo Jesu*, id

est in institutione Christi Jesu, cumque sit institutio Dei et voluntas, oportet orare, gratias agere. Quod ibi ait : *Semper gaudete*, etc., ad prælatos spectat; et ad subditos, omnes *gaudete* et *orate*. Vos autem, prælati, *nolite exstinguere Spiritum*, ut ea quæ Spiritus sanctus ministraverit subditis, occultetis. Et vos, subditi *nolite spernere prophetias*, id est revelationes Scripturarum, factas vobis a prælatis. Et licet dicam *nolite spernere*, tamen *omnia probate*, id est probabiliter prius considerate, ne admistione falsitatis decipiamini. Et postquam probaveritis, *tenete* illud *quod bonum*, id est utile *est*, et *abstinete vos* non solum ab eo quod malum est, sed etiam *ab omni specie mala*, id est ab eo quod aliquam imaginem mali retinet, etiamsi malum sit. Ideo maxime dixit *a specie mala*, quia illi hæretici mutuabant voces fidei, ut per æquipollentias vocum, simplices traherent in errorem. Vos, prælati et subditi, facite quod potestis; *ipse autem Deus pacis* perficiat in vobis illud in quo deficitis, scilicet *sanctificet vos per* omnia, et in sanctificatione ab eo data vos conservet perseveranter. Quod ita ait : *Sanctificet vos, et servetur integer*, id est non corruptus aliqua tabe mali, *spiritus vester*, id est ratio vestra, ne velit consentire sensualitati, *et anima*, id est sensualitas, ne male suadeat rationi, *et corpus* servetur *sine querela*, ne polluatur opere cujuslibet turpitudinis. *Servetur* dico *in*, id est usque, *adventum*, vel *in adventu*, id est in consideratione adventus *Domini nostri Jesu Christi*. **301** *Orate* et cætera quæ sequuntur facite, quia *fidelis est* Deus *qui vos per gratiam vocavit, qui etiam faciet*, id est in vobis consummabit, id ad quod vocati estis. Nos ita laboramus pro vobis, et, vos, *fratres, orate pro nobis, et salutate omnes fratres* ex dilectione nostra *in osculo sancto*, ut alter osculetur alterum.

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM SECUNDAM AD THESSALONICENSES.

Ad Thessalonicenses secundam scribit Epistolam Apostolus, et notum facit eis de temporibus novissimis, et de adversarii dejectione. Scribit hanc Epistolam ab Athenis per Titum diaconum et Onesimum acolythum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Hanc iterum Epistolam scribit Thessalonicensibus, ideo quia in præcedenti epistola ex verbis Pauli, ubi dixerat : *nos qui vivimus rapiemur obviam Domino in aera*, etc., sumpserant hanc suspicionem ut ipsis viventibus futurum putarent Antichristum diemque judicii. Unde et plurimum erant perterriti. Sed quia malum erat eos de falsitate terreri, judicavit Paulus ideo iterum scribere eis, ne si non determinaretur hæc ambiguitas, dum post dies Pauli invenirent non contigisse quod Paulum putabant sic prædixisse, et in hoc et in omnibus quæ docuerat, arguerent Paulum de mendacio, et sic a via veritatis, quam illis tradiderat, recederent. Præterea aliud malum ex hac dubietate posset contingere ut si Satanas, videns illos credentes in proximo futurum judicium, ostenderet se in aere insignitum diademate, seque Christum venientem ad judicium asserens, falleret Thessalonicenses, de quibus pervertendis tanto amplius laborabat quanto eos perfectiores esse sciebat, vel, in somniis apparendo, eos in eodem ludificaret. Ideo etiam hanc iterum scripsit, quia illi curiosi et otiosi non ad imperium Pauli fuerant correcti. Scripsit iterum ideo, quia persecutiones ad patientiam quarum eos in priori armaverat, nondum defecerant; sed fortassis augmentatæ fuerant. Hæc tria, persecutiones, diem judicii, et illos incorrectos, materiam habuit, armando eos ad patienda omnia, ostendens justis gloriam qui tribulantur, eosque tribulantibus futuram damnationem. Determinans etiam certis et evidentibus signis futuram diem judicii. Illosque incorrectos præcipiens a communione Ecclesiæ sequestrari, non tamen jam eis, sed scribens Ecclesiæ de illis. Ea utique intentione sic agit ut qui patiuntur pro Christo perseverantes sint in patiendo, et qui territi erant propinquitatem putantes judicii, non terreantur de falsitate : et qui adhuc incorrecti fuerant, saltem erubescendo, se a communione aliorum projectos resipiscant. Salutationem præmittens ait :

EPISTOLA II AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus et Silvanus et Timotheus, Ecclesiæ « Thessalonicensium in Deo Patre nostro et Domino « Jesu Christo. Gratia vobis et pax a Deo Patre no- « stro et Domino Jesu Christo. Gratias agere de- « bemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut di- « gnum est, quoniam supercrescit fides vestra, et « abundat charitas uniuscujusque vestrum in invi- « cem, ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in Eccle- « siis Dei pro patientia vestra et fide, et in omnibus « persecutionibus vestris et tribulationibus, quas « sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni

« habeamini in regno Dei, pro quo et patimini, si « tamen justum est apud Deum retribuere 302 tri- « bulationem [retributionem] his, qui vos tribulant, « et vobis qui tribulamini requiem nobiscum in re- « velatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtu- « tis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui « non noverunt Deum, et qui non obediunt Evan- « gelio Domini nostri Jesu Christi. Qui pœnas da- « bunt in interitu æternas a facie Domini, et a glo- « ria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis « suis, et admirabilis fieri in omnibus qui credide- « runt, quia creditum est testimonium nostrum su- « per vos in die illo. In quo etiam oramus semper « pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus no- « ster, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ « [*non hab.* suæ], et opus fidei in virtute, ut clarifi- « cetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, « et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et « Domini Jesu Christi. »

EXPOSITIO.

Paulus, et Silvanus, et Timotheus scribunt *Ecclesiæ Thessalonicensium* existenti *in Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo.* Sicut totum in priori Epistola exposuimus, in primis collaudat eos de passionibus suis, supponendo gloriam eorum qui patiuntur, et pœnam eorum qui passiones inferunt, sic eos armando ad patientiam, dicens : *Gratias agere debemus Deo*, id est non solum gratias agimus, sed *semper* debitores gratiarum sumus Deo *pro vobis*, quia *fratres* estis. Agere dico, *ita ut dignum est :* quia magna sunt dona Dei, et multa, oportet et magnas et multiplices agere gratias, ideo *quoniam fides vestra supercrescit.* Vel super hoc quod prius erat majorata. Vel super tribulationes crescit, quas omnes superat, *et* ideo agere gratias, quoniam *abundavit charitas*, id est dilectio *uniuscujusque vestrum in invicem.* Hoc tantum ad perfectos spectare intelligendum est. Ita supercrescit fides, abundat charitas *ut etiam nos ipsi* qui non gloriaremur de parva re *in Ecclesiis Dei, gloriemur in vobis*, id est in ostensione perfectionis vestræ. Glorior apud alias Ecclesias *pro patientia vestra*, qua pro Christo patimini omnia, *et* pro *fide* vestra in integritate, servata fide et patientia. Dico habita *in omnibus persecutionibus vestris*, quando de loco ad locum fugamini, *et* in *tribulationibus*, quando verberibus et opprobriis tribulamini, *quas* persecutiones et tribulationes vos *sustinetis in exemplum justi judicii Dei*, id est ex justo judicio Dei. Justum enim est sanctos tribulari, ut purificentur ; impios potestatem habere in justos, ut impietas eorum consummetur. Et ita sustinetis ex justo judicio, ut sitis in exemplum justi judicii. *In vobis* enim exemplificare possumus aliis quam justum sit judicium Dei. *Sustinetis* ideo *ut digni habeamini in regno Dei*, id est in quibus Deus regnet in præsenti. Vel digni sitis recipi in futuro regno Dei. Vos, sicut intelligo, sustinetis ut digni habeamini *pro* eo, *quo* eodem ut digni habeamini in vos, etiam secundum intellectum et voluntatem vestram *patimini*. Quod judicium Dei justum sit, quo justi ad purificationem affliguntur, impii ad consummationem iniquitatis hic prosperantur, probat per affectus, et finem utriusque justi et impii. Ideo per finem ; quia per ista quæ videntur non posset dare idoneas causas quare justus affligeretur, impius prosperaretur ; juxta illud quod ait David in eo psalmo *Quam bonus* (*Psal.* LXXII, 16) : Existimavi ut cognoscerem, quare hic pœna justo, prosperitas tribuatur impio ; sed hoc cognoscere labor est, id est, si attendo tantum ea quæ sunt ante me, id est præsentia, judicium Dei justum est, quo justi ad purificandum in præsenti affliguntur, impii ad augmentum impietatis prosperantur.

Hac tamen conditione justum esse dico, *si justum est apud Deum.* Apud homines enim qui secundum visum judicant, sanctos affligi, malos prosperari injustum est. *Si*, inquam, *justum est apud Deum retribuere* in futuro *tribulationem, qui vos* modo *tribulant, et vobis qui* modo *tribulamini* in futuro retribuere *requiem*, tunc est justum vos justos hic per tribulationes purificari, et impios concessione prosperitatis ad futuram tribulationem præparari : *Vobis* utique retribuere *requiem nobiscum* 303 habendam, in eadem enim gloria eritis in qua et nos apostoli. Nunc determinat modum gloriæ justorum, et damnationes impiorum, ut justos lætificet, impios deterreat, dicens : Retribuet impiis tribulationem, nobis requiem, *in revelatione Domini Jesu*, id est quando Dominus Jesus, qui nunc infidelibus occultus est, omnibus in judicio revelabitur. *Jesu* dico, venturi ad judicium *de cœlo*. Ubi ait *de cœlo*, potentiam venientis indicat. Venturi dico *de cœlo cum angelis virtutis ejus.* In illo adventu angeli *virtutis* esse dicuntur, quia tunc omnia potentialiter, et bonos in requiem, et malos porrigent in ignem ; sed in præsenti quandoque eos etiam quibus præsunt ab impiis patiuntur affligi, tunc autem non sic. In his verbis æque et lætificat justos, quibus veniet ad salutem, et deterret malos, quibus veniet ad pœnam. Modo subdit quæ tantum sunt ad deterrendum malos, dicens : Veniet Jesus de cœlo *in flamma ignis*, id est in ignita flamma. Illa flamma præcipue ignis esse dicitur, quia flamma præsentis ignis contemperatur admistione aquæ, et cæterorum elementorum, sed futura flamma adeo terrens et aspera erit quod nullius elementi admistione videbitur contemperari. *In flamma ignis* Christus dicitur venire, non quod flamma circa eum sit, sed quia eo adveniente consurget illa, sicut quilibet princeps dicitur venire in igne et occisione, quia eo adveniente et multi occiduntur, et multa comburuntur. Ignis dico *dantis vindictam*, id est pœnam *his qui non noverunt Deum*, id est qui fidem non habuerunt, non tamen solum, sed etiam *his* qui si fidem habuerunt, *non* tamen *obedierunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi ;* qui utrique, et non cognoscentes Deum, et non obedientes Evangelio *dabunt* æternas *pœnas in interitum*, id est in locum pœnarum, projecti *a facie Do-*

mini, ne ultra videant eum : *et* projecti *a gloria* A *virtutis ejus*, juxta illud : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI, 10). » *Dabunt* ea similitudine dicit, quia non majoris donum gaudii possunt dare sanctis quos afflixerunt quam pœnas quas patientur.

In his verbis impios perterruit. In sequentibus lætificat justos, dicens : Impii dabunt pœnas *cum* Christus *venerit glorificari*, id est ut gloriosus appareat *in sanctis suis* remunerandis, quia et si in hoc mundo per miracula et quædam alia gloriosus videtur in sanctis, tunc longe amplius glorificabitur in illis, quando illos ab omni inquietudine ereptos, gloria indeficienti circumvallabit. Nec solum glorificari, sed *etiam* (quod majus est) *admirabilis venerit fieri in omnibus qui crediderunt*, id est qui per solam B fidem salvabuntur, si ætatem operandi non habuerint. Ideo retribuet vobis requiem, quia testimonium nostrum *in die illo*, id est hoc, quod testificati sumus vobis de die illo quo sanctis requiem, impiis retribuet tribulationem : hoc, inquam, *creditum est* a vobis, quia bene credidistis huic testimonio nostro, quod *testimonium* fuit *super vos*, quia bene supposuistis dorsum oneri quodcunque imponebamus, credentes et operantes quod docebamus, *in quo die* ut Dominus *dignetur*, id est faciat *vos* dignos *sua vocatione*, *nos etiam semper oramus pro vobis*, ut in futuro *dignetur vos*, et ut in præsenti *impleat omnem voluntatem bonitatis*, id est in omnibus ad plenum bonam voluntatem habeatis, *et* ut impleat in vobis C *opus fidei*. Confiteri Christum in oculis persequentium, hoc est opus quod fides exigit. Opus fidei dico, *in virtute* : cum enim confitetur quis fidem coram persequente, tunc necessaria est virtus constantiæ. Oramus etiam *ut nomen Domini nostri Jesu Christi in hoc mundo clarificetur in vobis*, secundum fidem agentibus, *et* ut *vos* in futuro clarificemini *in illo* remunerante vobis, non *secundum* meritum vestrum, sed secundum abundantem *gratiam Domini nostri Jesu Christi*.

304 CAPUT II.

« Rogamus autem vos, fratres, per adventum Do-
« mini nostri Jesu Christi et nostræ congregationis
« in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu.
« Neque terreamini, neque per spiritum, neque per D
« sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos
« missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos se-
« ducat ullo modo. Quoniam nisi venerit discessio
« [dissensio] primum, et revelatus fuerit homo pec-
« cati, filius perditionis, qui adversatur et extolli-
« tur supra omne quod dicitur Deus, aut quod co-
« litur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se
« tanquam sit Deus. Nonne retinetis quod, cum
« adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis ? Et
« nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tem-
« pore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis,
« tantum ut qui tenet nunc, teneat donec de medio
« fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Domi-
« nus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet
« illustratione adventus sui eum, cujus est adven-
« tus secundum operationem Satanæ, in omni vir-
« tute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni
« seductione iniquitatis his qui pereunt, eo quod
« charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fie-
« rent Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut
« credant mendacio, ut judicentur omnes qui non
« crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.
« Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro
« vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit nos Deus
« primitias in salutem in sanctificatione spiritus, et
« in fide veritatis, in qua et vocavit vos per Evan-
« gelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini
« nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state, et tenete
« traditiones quas didicistis, sive per sermonem,
« sive per Epistolam nostram. Ipse autem Dominus
« noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui
« dilexit nos, et dedit consolationem æternam et
« spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra et
« confirmet in omni opere et sermone bono. »

EXPOSITIO.

Postquam ad patientiam sufficienter eos armavit, determinat certa et evidentia signa dando futurum diem, pro quo illi territi erant, putantes prope instare illum diem. Quasi diceret : Spe futuræ retributionis ad patientiam sic vos armamus ; ne autem cito moveamini, rogamus *vos* quia *fratres : rogamus*, inquam, *per adventum Domini nostri Jesu Christi*, id est, si in ipso adventu Christum salutarem habere vultis, *et* per adventum *nostræ congregationis in ipsum*, id est, si cum congregatione fidelium obviam Christo advenire vultis, vel *congregationis* venturæ in idipsum quod Christus est, scilicet in incorruptionem : hoc, inquam, *rogamus vos, ut non cito moveamini*. Cito esset, si toto tempore vitæ moverentur. *Moveamini* dico *a vestro sensu*, id est ab eo quod sensistis, et per me docentem intellexistis. *Neque terreamini quasi instet dies Domini*, quia revera non instat. *Terreamini* dico *neque per spiritum* malignum, quocunque modo significantem hæc vobis ; *neque per sermonem*, id est per doctrinam illorum pseudo; *neque per epistolam missam* a deceptoribus, *tanquam per nos*. Signabant enim epistolas nomine Pauli, ut hoc genere fraudis seducerent Ecclesias Pauli. Rogamus, ne terreamini, et *ne aliquis* unquam *seducat vos* præmissis modis, vel *ullo* alio *modo*, ut credatis instare diem Domini, *quoniam* non instabit hic dies, *nisi primum venerit discessio*. Discessionem vocat Ambrosius, quoniam Romanum, id est Christianum imperium, quocunque mutetur, sive Constantinopoli, sive alibi, nihil impedit solummodo Christianum duret imperium. Quoniam, in quam, hoc Christianum imperium dissolvetur, quod nec reges erunt qui hæreticos puniant, pervasores ecclesiarum destruant, nec Romano pontifici, qui spiritale imperium habet, mundus in unitate fidei subjectus erit, sed sic ab utroque Christiano imperio, et sæculari, sicut sunt reges, et spiritali, ut 305 papa, mundus discedet ; tunc primum para-

tum erit jumentum quod ascendet Antichristus, id est infideles, qui membra Antichristi certatim in destructione fidei cooperentur tali capiti, et facta hac discessione veniet Antichristus in sua opportunitate. Sed si modo veniret mundo, obediente ex majori parte Romano pontifici in unitate fidei, et regibus Christianis adhuc fidem tuentibus, imparatum haberet jumentum, quod ascenderet, et non suo modo proficere posset. Quando tamen futura est illa discessio in sede beati Petri, etsi in paucis, fides tamen perdurabit. Quod dicunt sancti obtinuisse illam orationem Christi, de qua Petro ait : « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua (*Luc.* XXII, 32).

Alii vocant discessionem (ut de sæculari imperio taceant) quando homines ab unitate fidei discedent, et diversas erroris vias ingredientur, tunc veniet ascensor Antichristus strato jumento quod ascendat. Nisi, inquam, *primum venerit discessio, et* facta discessione *revelatus fuerit*, qui modo occultus est homo. Contra hoc quod dicturus est, Deum vocat eum hominem, ab omni deitate alienum. *Homo*, inquam, *peccati*, quia sicut Christus homo justitiæ, sic iste totius peccati; *et filius perditionis*, id est genitus ad perditionem suorum, sicut Christus ad salvationem justorum; qui etiam et nomine et opere *adversatur* Christo. Unde et Antichristus vocabitur; *et* qui *extollitur supra omne quod dicitur Deus*, id est quod nuncupative Deus dicitur, et non est substantialiter, ut sunt sancti, secundum illud : « Ego dixi : Dii estis (*Psal.* XXXI, 6) : » Qui etiam extollitur supra omne *quod colitur* Deus, et vere Deus est. Extollitur, *ita ut sedeat in templo Dei* (ad litteram in Hierusalem) in quo Christus docuit, asserens se esse verum Deum, Christum autem fuisse deceptorem et magum. Sedeat dico in templo Dei, *ostendens se sicut sit Deus*. Nisi, inquam, hæc signa præcesserint, non prius instabit dies Domini. Et credere etiam debetis non aliter instare diem Domini, quia *non retinetis* memoriter, *quod cum adhuc essem apud vos dicebam vobis* hæc præcessura esse diem Domini. In eo quod ait, *cum adhuc essem*, significat se circa horam discessus sui hæc tradidisse illis. Mos enim erat Pauli in primis simplicitatem Ecclesiarum simplicibus fovere documentis; sed, illis jam perfetis, eoque volente recedere, tunc primum revelabat illis occulta mysteriorum Dei.

Facta discessione veniet Antichristus, *et quid* hoc sit quod *nunc detineat* eum, ne ad præsens veniat, vos bene *scitis*, hoc scilicet detinet eum, *ut reveletur in suo*, id est in sibi opportuno *tempore;* sed si, durante unitate fidei et Christiano imperio, veniret, in suo non tempore revelaretur. Vere in suo tempore revelabitur, *nam* etiam *jam* non suo tempore *operatur mysterium iniquitatis*, id est mysticam et velatam iniquitatem, per membra præcedentia hoc nefandum caput. *Tantummodo* hoc residuum est ad revelationem ejus, *ut qui nunc tenet*, id est detinet eum, ne veniat, scilicet Christianum imperium et unitas fidei, *detineat* eum tandiu, *donec*, mutas fidei et Christianum imperium *fiat de medio*, id est sublatum auferatur de communitate. Ab ea similitudine dictum est, qua dicimus : Hic homo mortuus factus est de medio, id est sublatus de communitate hominum. Vel ita : Tantummodo hoc moratur Antichristum *ut qui nunc tenet* Christianum imperium et unitatem fidei, *teneat* hoc tandiu, *donec*, iniquitas, quæ modo est sub mysterio, *fiat de medio*, id est de communitate, ut sicut modo fides in communi est, iniquitas in occulto, sic in tempore Antichristi fides sit in occulto, iniquitas in communi, quia membra ejus non plus erubescent actum impietatis quam pietatis, et qui fidem habeant, paucissimi erunt. Et tunc postquam hic qui nunc detinet eum, auferetur de medio, vel postquam iniquitas fiet de medio, *tunc*, inquam, *revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui*. Dicit beatus Ambrosius Jesum se ostensurum Antichristo, et clamante **306** Jesu, interficietur hic impius; sed quid clamabit, nescimus. Dicunt alii quod Michael solo terrore suo interfecturus sit hunc Antichristum. Jesus quidem interficiet eum, et postea destruet eum damnatum et in corpore et in anima.

Destruet dico *illustratione adventus sui*, id est, eo adveniente ad judicium in magna claritatis illustratione. *Eum* dico *adventus, cujus est secundum operationem Satanæ;* quia sicut Christus operatione Spiritus sancti, sic iste secundum operationem Satanæ adveniet. *Operationem* dico quam facturus est *in omni virtute*, scilicet *in signis et prodigiis*. Signa minora, prodigia vocat; majora, miracula. Signis et prodigiis dico *mendacibus*, vel quia non erunt in rei veritate, sed ita, per magicam, videbuntur esse. Vel *mendacibus*, quia, etsi miracula vera sint, ideo tamen mendacia, quia quod probare intendunt, exitus rei falsum probabit, Antichristum scilicet non esse Deum; ad quod probandum miracula præcesserant. Erit etiam adventus ejus *in omni seductione iniquitatis*, quia omni genere impietatis seducet. *Seductione* dico facta *his qui pereunt*, quia justi non seducentur. Pereunt merito, *eo quod non receperunt charitatem veritatis*, id est Christum qui est pura veritas, et in quo tanta charitas ut in mortem traderet se pro nobis. Non receperunt, *ut salvi fierent* per eum, ex quo omnis salus. Et *ideo* quia noluerunt salvari *mittet illis Deus operationem erroris*, id est erroneum operatorem Antichristum, *ut credant mendacio*, et *ut judicentur*, id est damnentur, *omnes qui non credunt veritati*, id est Christo; *sed consenserunt iniquitati*, id est Antichristo

Quia dixerat superius venturum Antichristum *in omni virtute* signorum et prodigiorum, *et in omni seductione*, ut damnentur omnes non credentes veritati, sed consentientes iniquitati, ne in his verbis deterrerentur illi, timentes hunc esse venturum in diebus suis, super hoc consolatur eos Paulus, dicens non eos visuros diem Antichristi. Littera sic jungitur : Veniente quidem Antichristo judicabuntur consentientes iniquitati; *nos autem debemus*

semper agere Deo gratias Deo (sicut supra exposuimus) pro vobis, *quia fratres estis dilecti a Deo*, id est quos Deus dilexit. Ideo præcipue gratias agere *quod* ex dilectione *elegerit* nos, me et *vos* Deus, non finem Ecclesiæ, in quos veniat Antichristus, venturus in novissimis. Sed elegit nos *primitias*, id est primitivos in fide; elegit, inquam, *in* habendam æternam *salutem* per hoc quod posuit nos *in sanctificationem Spiritus*. Per Spiritum enim sanctum justificavit nos in baptismo, quæ sanctificatio via est in illam salutem. *Et* ut sanctificaret, posuit nos *in fide veritatis*, ut confiteremur Christum, qui est pura veritas, sicut Antichristus error et mendacium. *In qua* fide habenda, sicut elegit nos, ita *et vocavit vos per Evangelium nostrum*, ut totum vobis esset ex gratia.

Vocavit, inquam, non in otium, sed *in acquisitionem gloriæ*, id est ut, operando quomodo fides exigit, gloriam vobis cum dignis operibus acquiratis. *Gloriæ* dico, *Domini nostri Jesu Christi*, id est eamdem quam habet Dominus Jesus Christus, ad illam acquirendam vos vocavit. Considerandum est quomodo præpostero ordine omnia posuerit. Prius enim vocantur; deinde in fide confitentur; fidem confitentes per baptismum sanctificantur; sanctificatis (si perseverant) salus æterna reservatur. Quandoquidem, fratres, vocati estis in sanctificatione Spiritus, et in acquisitione gloriæ. *Itaque state*, id est fortes estote in bono opere, quod cœpistis: *et tenete* perseveranter *traditiones* vitæ fidei et habitus, *quas* a me *didicistis, sive per sermonem*, dum prædicaverim vobis, *sive per Epistolam nostram*, ad vos directam. Moneo, state et tenete. Ut autem tenere possitis, *ipse Dominus noster Jesus Christus, et Deus, et Pater noster* voluntatem jungit semper cum potentia. Pater, nomen piæ voluntatis; Deus, est potentiæ. *Qui dilexit nos et dedit* nobis *æternam consolationem*, in 307 præsenti enim tribulatione incipit nos consolari, continuans consolationem usque in æternam requiem. Qui etiam dedit nobis *spem bonam* singulariter dicendam. Spes enim de cœlesti gloria super omnia quæ sperantur, dicenda est bona. Hanc utique spem dedit nobis *in gratia*, quando nobis remisit peccata; in baptismo solvere, scilicet nos a peccatis, tribuit nobis spem habendæ gloriæ. Ipse, inquam, Deus, qui per gratiam tot bona jam tribuit *exhortetur corda*, id est voluntates vestras stare in quo estis, et de incremento laborare, *et confirmet*, id est fortes et perseverantes faciat *in omni opere bono*, *et* in omni *sermone bono*, ut nulla vobis desit perfectio.

CAPUT III.

« De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei « currat et clarificetur, sicut et apud vos, et ut li- « beremur ab importunis et malis hominibus. Non « enim omnium est fides. Fidelis autem Deus est, « qui firmabit vos, et custodiet a malo. Confidimus « autem de vobis, fratres, in Domino, quoniam quæ « [quæcunque] præcepimus, et facitis, et facietis. « Dominus autem dirigat corda vestra in charitate « Dei. et [*al. add.* in] patientia Christi. Denuntia- « mus autem vobis, fratres, in nomine Domini no- « stri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre « ambulante inordinate, et non secundum traditio- « nem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis « quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam « non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem « manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatiga- « tione nocte et die operantes, ne quem vestrum « gravaremus. Non quasi non habuerimus potesta- « tem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis « ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, « hoc (hæc) denuntiabamus vobis, quoniam si quis « non vult operari, nec manducet. Audivimus enim « inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil ope- « rantes, sed curiose agentes. His autem qui ejus- « modi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Do- « mino Jesu Christo, ut, cum silentio operantes, « suum panem manducent. Vos autem, fratres, no- « lite deficere benefacientes. Quod si quis non obe- « dierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, « et non [ne] commisceamini cum illo, ut confun- « datur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed « corripite ut fratrem. Ipse autem Deus [Dominus] « pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. « Dominus [Deus] sit cum omnibus vobis. Salutatio « mea manu Pauli, quod est signum in omni Epi- « stola. Ita scribo: Gratia Domini nostri Jesu « Christi cum omnibus vobis. Amen. »

EXPOSITIO.

De patientia conservanda, de cognitione ultimæ diei et adventu Antichristi vos instruxi. Nunc, *fratres, de cætero*, id est de alia re, vos adhortor, scilicet hoc: *Orate pro nobis, ut sermo Domini currat*, id est multos in fide per nos comprehendat, et ita ut in omnibus *clarificetur* sermo Domini integritate fidei et exsecutione pii operis. In quibusdam enim currit sermo Domini, qui satis cito credunt, sed quia in vitiis remanent, non clarificatur in illis. *Clarificetur* dico, sicut in aliis Ecclesiis clarificatus est, *et apud vos*. *Orate* etiam *ut* ego, et qui mecum prædicant, *liberemur ab hominibus importunis*, qui quem arripiunt multa importunitate afficiunt et malis. Duplex malum notat, importunitatem, scilicet de suasione mali esse importunum. Ideo dico orate ut liberemur, *quia fides non est omnium*, id est, quia nondum omnes fideles sunt, sed multi fidem persequuntur. Vel ita: *Orate ut liberemur ab importunis et malis*, quia *fides non est omnium* illorum, id est, in omnibus illis non est qui fidem habeat. Neque quia dixerat *orate ut liberemur*, dicerent illi Quid sperandum est de nobis, cum magister noster adeo sibi timeat? ad hoc ait: Licet dixerim, *orate ut liberemur*, tamen confido quia Dominus *fidelis est*, qui pro se patientibus ait: « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20): » *Deus*, inquam, est fidelis, *qui* (ut de me sileam) *confirmabit vos in bono* quo estis, *et custodiet a malo*, ne cadatis. Volens quiddam novum suadere

308 illis, scilicet ut subtrahant se ab illis otiosis et curiosis, qui per priorem Epistolam noluerunt corrigi, captat eos collaudando de præmissis, dicens : De observatione patientiæ, de die judicii, de oratione facienda pro nobis nos quidem sumus vos adhortati, sed bene *confidimus de vobis in Domino, quoniam quæcunque præcepimus et* modo *facitis, et* in futuro *facietis*. Ut autem benefaciatis, *Dominus dirigat corda vestra*, id est faciat directas voluntates vestras *in charitate Dei*, ut sicut Deus vos dilexit, et vos eum diligatis, et *in patientia Christi*, sicut Christus passus est pro vobis, ita et vos pro Christo patiamini. Nos autem dico, scientes vos facturos quæcunque ex Deo præcipimus, *denuntiamus vobis*. Scitote hoc præceptum Dei esse, non nostrum, nisi tantum quod vobis, fratres, nuntiamus *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, id est, si curatis nomen et honorificentiam Domini Christi. Hoc ex eo denuntiamus, *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate*, id est naturalem ordinem deserente. Hoc enim etiam gentiles inordinatum asserunt negligere propria, curare aliena, ut quidam curiosi inter vos faciunt. *Fratre* etiam dico, *non* ambulante *secundum traditionem quam acceperunt a nobis*, id est quo modo tradidimus illis, et pollicentes se sic servaturos sicut acceperunt. Ideo simpliciter dico, *sicut acceperunt a nobis* tradentibus illis, et non expono hanc traditionem, quia vos ipsi bene *scitis quemadmodum oporteat vos imitari nos*.

Ne illi aberrando dicerent : In oratione, jejunio, vigiliis scimus te imitandum, determinat quid intendat dicens : Imitamini in hoc quod *non fuimus inter vos inquieti*, id est curiose discurrentes per urbem ; *neque manducavimus* apud vos *panem* otiosum sumptum *ab aliquo* ; nec nostrum panem *gratis*, id est sine labore otiosi, *sed* fuimus *operantes nocte et die*, et *in labore et fatigatione*, id est laborantes usque ad fatigationem. Nocte ideo præposuit, quia nocte maxime vacabat operibus, orationi et prædicationi præcipue vacans in die. *Operantes* ideo, *ne gravaremus* aliquem vestrum, accipientes a vobis necessaria. Paulus non ab istis, sicut nec a Corinthiis quidquam accipere voluit, diversa tamen intentione. A Corinthiis enim noluit, quia erant avari. Ab istis noluit, sed magis operari, ut in se daret eis exemplum depulso otio laborandi. Operabamur, *ne* A *quem vestrum gravaremus* ; tamen *non* ideo *quasi non habuerimus potestatem* accipiendi a vobis si vellemus, *sed ut daremus vobis nosmetipsos formam ad imitandum nos*, ut deserentes otium, exemplo meo de labore viveretis. Intendebamus utique dare vobis formam operandi. *Nam* etiam *cum essemus* præsentes *apud vos, denuntiabamus hoc vobis quod si quis* vacans otio, *non vult operari, nec manducet* de laboribus alienis. Ideo præcipio nolentem operari non manducare, *quia audivimus quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed agentes curiose*, rumores urbis sollicite perquirendo. *His autem qui sunt ejusmodi*, id est nihil operantes et curiosi, *denuntiamus* ex auctoritate Dei, *et obsecramus in Domino Jesu Christo*, id est præcipimus et B precamur, si in Christo salvari volunt, *ut* ipsi *operantes* pulso otio et *cum silentio*, non de rumoribus curiosi, *manducent panem suum*, id est non alienum, sed proprio labore lucratum. Ne autem quia dixerat : Unusquisque manducet suum panem, putarent illi qui solebant ministrare pauperibus, non ultra esse ministrandum illis, ait : Licet dixerim *manducent suum panem, vos* tamen, *fratres, bene facientes* fratribus qui indigent, *nolite deficere* bene faciendo, quia non omnibus potest sufficere suus labor. Denuntiamus illis ut operentur, etc. *Si* vero *aliquis* eorum *non obedierit* huic *nostro verbo* mandato *per epistolam, hunc notate*, id est significate mihi quis ille sit, *et* interim *non commisceamini cum illo, ut*, vobis C non communicantibus illi, *confundatur*, id est erubescat de peccato suo. Et licet non commisceamini cum illo, tamen *nolite eum existimare quasi inimicum*, ut eum odio habeatis, *sed* ex dilectione *corripite eum ut fratrem*. 309 Ut autem in omnibus quæ præcepi vobis perfecti sitis, *ipse Dominus* pacis *det vobis pacem sempiternam*, id est hic et in futuro, *et in omni loco*, id est apud domesticos et apud extraneos. Et ut veram pacem habeatis, *Dominus sit cum omnibus vobis*. *Salutatio* scripta *mea manu*. *Mea* dico *Pauli, quod signum* ita scribo *in omni Epistola*, quam mitto. Hoc signo discernite ne fraudulenter sub nomine meo inferant vobis suam epistolam illi pseudo qui dicebant vobis me intelligere propinquum esse diem judicii. Hæc, inquam, est salutatio : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus* D *vobis. Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM PRIMAM AD TIMOTHEUM.

Timotheum instruit et docet de ordinatione episcopatus, et diaconii, et omnis ecclesiasticæ disciplinæ : scribens ei a Laodicia per Tychicum diaconum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Consuetudo erat apostolorum ut cujuslibet civitatis populo, doctrina eorum converso ad fidem, non ibi subsisterent, sed (consecrato ibi episcopo, qui fideles factos instrueret de his quod post fidem tenenda sunt,) transirent ad alios populos congregandos ad fidem. Cujus rei formam Paulus tenens conversis Ephesiis, consecravit illis in episcopum Timotheum, collaboratorem Evangelii, ut, Paulo prætereunte ad Macedonas convertendos, haberent Ephesiani Timotheum, qui eos de singulis instrueret, ne forte, illis sine doctore dimissis, periret labor Pauli in eis. Quos Ephesios Paulus primus

ad fidem convertit; quibus Joannes evangelista postmodum in episcopum præfuit, Timotheo in opus Evangelii a Paulo revocato. Hanc autem Epistolam cum tribus aliis quæ sequuntur, scribit ad personas: duas ad Timotheum; tertiam ad Titum; quartam ad Philemonem; cæteras scribit ad Ecclesias. Consecrato (sicut dictum est) Timotheo Ephesiis in episcopum, consurgunt contra eum pseudodoctores, dicentes, licet nova lex inducta sit, cum ea tamen tenendam esse circumcisionem et veterum ritus sacrificiorum. Quo intellecto, Paulus Epistolam hanc dirigit ad Timotheum, non quod de eo ambigat quod in aliquo consensurus sit pseudodoctoribus, sed ut doctrina ejus, roborata auctoritate Pauli, idem cum Timotheo docentis, majoris auctoritatis sit et reverentiæ, Ephesianis audientibus a Timotheo idem doceri quod a Paulo, cui tradita est hæc doctrina a Christo. In hac autem Epistola Paulus agit de ecclesiastico ordine, docens ab Ecclesia repellendos pseudodoctores, illisque denuntiandum ne perverse doceant; quod si ideo non desistunt, populis denuntiandum est, ne eos audiant. Docet hic etiam Paulus Timotheum de ordine sacerdotali et levitico, quomodo eligendi sint et probandi. Docet etiam de ordine viduarum, quomodo ministrare deceat illas in Ecclesia. Docere autem, etiamsi sapientissimæ sint, nunquam mulieribus permittendum. Sic docendo de ecclesiastico ordine intendi Paulus ut, pro modo doctrinæ suæ, teneat Ephesiana, omnisque cum ea Ecclesia.

EPISTOLA I AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus Jesu Christi, secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei « nostræ. Timotheo dilecto filio in fide gratia, misericordia, et pax a Deo Patre et Christo Jesu « Domino nostro. Sicut rogavi te, ut remaneres « Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares « quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent « **310** fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ « est in fide. Finis autem præcepti est charitas, de « corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. « A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in « vaniloquium, volentes esse legis doctores, non « intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex, « si quis ea legitime utatur, scientes [sciens] hoc « quia justo lex non est posita, sed injustis, et non « subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, « fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis [plagariis], mendacibus, et perjuris, et si « quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est « secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod « creditum est mihi. Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio. Qui « prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum, « quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu. Fidelis sermo « et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus « venit in hunc mundum peccatores salvos facere, « quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam « consecutus sum ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem « eorum, qui crediturі sunt illi in vitam æternam. « Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli « Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. « Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, « secundum præcedentes in te prophetias, ut milites « in illis bonam militiam, habens fidem et bonam « conscientiam, quam quidam repellentes, circa « fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymenæus « et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non « blasphemare. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. Scripturus discipulo, salutem præmittit dicens: *Paulus*; quod quidem nomen est humilitatis. Paulus enim *quasi modicus* dicitur. Hic autem ubi auctoritate opus est, auctoritatis nomen est; Paulus enim nomen multum notum erat. Unde ut magis refelleret pseudodoctores ait: *Paulus apostolus*, id est *legatus* vel *missus*. Cum autem omnes sancti, legati Dei sint, præcipue apostoli sic vocantur, sub quibus omne genus sanctorum, supra quos vero solus Christus, invenitur. *Apostolus*, inquam, *Christi Jesu*, quia a Christo solum apostoli missi sunt. Ab apostolis autem cæteri sancti, ut a Paulo Timotheus. Quia si Paulus apostolus Christi sit, constat quod qui Paulo contradicit, contradicit et Christo, qui Paulum misit; qui vero Timotheo a Paulo misso, et in Paulum et in Christum offendit. Paulus, inquam, apostolus Christi Jesu *secundum imperium*. Ponit in aliis Epistolis *secundum voluntatem*, sed ut majorem districtionem signaret, posuit hic *imperium*. Volumus enim quædam, quæ non imperamus; quæ autem fieri imperamus, et volumus, et, ne non fiant, prohibere videmur. Unde ait *secundum imperium Dei* Patris. Deus enim Pater imperavit me apostolum fieri. *Dei* dico *Salvatoris nostri*, id est qui imperio suo obedientes salvat; non obedientes vero a salute alienat. Unde timendum est, non parentibus imperio Timothei, quia, nec mihi, nec Deo, qui imperavit me Apostolum esse, obediunt, et sic a salvatione Dei alieni sunt. *Secundum imperium Dei* Patris dico; *et* secundum impe

rium *Christi* regis et sacerdotis. Secundum hominem dico qui et immolavit seipsum in ara crucis, ut nos mundaret a delictis, seque immolandum nobis quotidie in altari dedit. Regis etiam, quia et bona dat, et in bonis regit. *Christi* dico Jesu, id est *Salvatoris*, qui et in præsenti salvat a malis, et in futuro salutem æternam daturus est suis. Christi Jesu dico, auctoris *spei nostræ*, id est recuperandæ impassibilitatis et immortalitatis, quas per eum nos recuperaturos speramus, qui carnem nostram in se verbo Dei unitam extulit supra omnem creaturam, nihil supra eam relinquens præter divinitatem sibi cohærentem. Spes enim dicitur, non de his quæ habemus, ut justificationem **311** a peccatis in baptismo, sed de his quæ nos habituros credimus, ut immortalitatem et impassibilitatem per Christum. Spes enim est exspectatio futuræ bonæ rei cum desiderio.

Paulus, inquam, apostolus sic et sic optat, mandat, vel aliquid tale *Timotheo filio* bene imitanti se, quem genuit *in fide*, quia, cum infidelis esset, fidelem eum fecit *Filio* dico *dilecto* peculiari et speciali modo, quia, cum omnis utique fidelis diligendus sit, quidam tamen in eis sunt qui privilegio amoris diligendi sunt. Paulus, inquam, mandat Timotheo hoc, sibi, vel tibi, Timothee, *gratia*, *misericordia*, *et pax*. In aliis ponere solet *gratia* tantum *et pax*, significans ibi per gratiam, quod hic per misericordiam, remissionem scilicet peccatorum; quæ gratia dicitur, quia gratis sine pretio vel merito nostro dimittuntur. Misericordia, remissio dicitur, quia per misericordiam Dei peccata dimittuntur. Misericordia itaque, id est remissio peccatorum, et pax, id est tranquillitas animi quam hic habent sancti prælibantes per hoc dulcedinem æternæ pacis. Hæc, inquam, misericordia et pax sint perseverantia tibi. Non ideo hoc optat, cum bene sciat remissionem peccatorum factam esse Timotheo, sibique partem sanctorum esse, sed ut in his permaneat. Hæc duo, *misericordia* et *pax*, omni fideli optanda sunt, et provenire possunt; hoc autem tertium, id est *gratia*, prælatis tantum optandum est et provenire potest. Accipit enim per gratiam donationem Spiritus sancti, qui utique, non a prælatis, sed per ministerium eorum, sine differentia meritorum, sive justi, sive injusti sint prælati (solummodo pura sit consecratio eorum), datur his quos sanctificant, si idonei sint in quibus habitare debeat Spiritus; « non enim habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I, 4). » Quia si quæritur cur subditi, propter peccata, Spiritum sanctum accipere non mereantur, cum per ministerium prælatorum qui peccatores sunt (solummodo justa sit sacratio eorum) detur? Ad hoc respondendum est quia a Deo, et non a prælato, qui quod non habuit dare non potuit; datur tamen per ministerium prælati. Nec sine causa Deus per ministerium hoc dare voluit, cum, si sine ministris Spiritus sanctus daretur, unusquisque, præsumendo Spiritum sanctum A se habere jactaret, et sic ministri Ecclesiæ, etiam qui justi essent, in contemptum venirent. Cujus rei Christus formam relinquens, suscitato Lazaro, dixit discipulis: « Solvite eum et sinite abire (*Joan.* II, 24), » ostendens neminem posse solvi nisi per ministros, quibus hæc ministeria credita sunt. *Gratia* utique *misericordia*, et *pax*, sit tibi *a Deo* qui, cum Deus sit, hæc et omnia potest. *Deo* dico *Patre*, qui, ex eo quod Pater est, voluntatem et piam affectionem circa te et omnem filium habet. Sit etiam tibi hoc idem *a Christo Jesu*, qui cum sit rex, et salvare venerit, voluntatem similiter habet. *A Christo* dico *Domino nostro*, quem, quia Dominus est, hoc et omnia posse apparet.

Finita salutatione incipit Epistolam dicens: O Timo- B thee, ita fac subaudi, *sicut rogavi te*, ubi ait *sicut*, notat quantitatem. Quasi diceret: Ego multis modis frequenti repetitione monui te, ut docendo insisteres, et *sicut* monui te omnibus modis, omni assiduitate fac. Ubi ait: *Rogavi*, cum qui prælatus erat, dicere posset ut discipulo præcepi, satis commendat Timotheum, insinuans eum talem qui non ex imperio coercendus esset, sed ex quadam paritatis dignitate cohortandus. Sicut, inquam, rogavi *te ut remaneres Ephesi ad* ordinandum ibi ecclesiasticum ordinem, *cum* ego, conversis Ephesianis, *irem in Macedoniam*, ut Macedonas verbo prædicationis converterem, in quo et tu mihi necessarius esses, teque mecum iturum ex voluntate obtulisti; videns tamen quod major necessitas incumberet, dimisi te, C ut Ephesianos instrueres. Hic primum incipit de pseudodoctoribus repellendis, dicens: Remaneres, inquam, ideo *ut denuntiares*. Nuntiare dicimus inter pares; denuntiare autem, ut a prælato subditis. Denuntiares utique *quibusdam*, id est doctoribus illis qui singularem doctrinam inducunt a communione Ecclesiæ declinantes. Hoc, inquam, denuntiares **312** *ne docerent aliter*, id est quidquam alienum a doctrina mea qua Ephesios docui, et tu adhuc doces. Quia si doctores te denuntiante illis nollent desistere, denuntiares subditis *ne intenderent* doctrinis eorum, vel audirent eos. Cujus rei forma adhuc servatur in Ecclesia. Prius enim perversus prælatus ab Ecclesia prohibetur. Quia si inobediens non cessat, subditis dehinc interdicitur obedire illi. Non in- D tenderent, dico *fabulis* pseudoprædicatorum, qui dicunt circumcisionem et vetera sacrificia tenenda esse in nova lege. Fabula dicitur illud ubi verba tantum sunt, res autem non est; sic in doctrina eorum. Verba quidem erant nuda a rei veritate, quia circumcisio et illa quæ docebant, salvare non poterant. Intenderent, inquam, fabulis *et genealogiis*, id est sermonibus de generatione sua factis. Dicunt enim quod sibi, natis de carne Abraham et David, salus solum repromissa sit, et non aliis. Genealogiis, dico, *interminatis*, id est prohibitis ne aliquis confidat in illis. Vel interminatis, id est nullum terminum, nullumque finem habentibus ubi subsistant probata sicut dicunt. Si quis enim considerat, vide-

lat multos filios Abrahæ secundum carnem reprobatos, ut Esau; inveniet etiam multos, non de carne Abraham genitos, quos tamen Deus elegit, ut Job.

Quæ genealogiæ *præstant quæstiones*, id est Ltigia, et nullas solutiones. Hoc, inquam, præstant *magis quam ædificationem*, quam nullo modo præstant. Hic enim magis electivum est de non participantibus agens. Ædificationem utique virtutum non præstant; quæ ædificatio est non per circumcisionem, sed *quæ est in fide*, id est per fidem. Omnis enim justificatio est ex fide, quæ ut fundamentum jacitur; et super hanc quasi fundamentum cæteræ virtutes ædificantur. Probat quod in fide sit ædificatio Dei, dicens: Si ex fide procedit bona conscientia, id est spes: ex spe autem purum cor, et de puro corde charitas. *Charitas* vero sit *finis*, id est impletio totius *præcepti*, seu novæ seu veteris legis. Quia si hoc modo ex fide sequitur omnis præcepti impletio, tunc in fide est omnis ædificatio Dei, et non alibi. Sed in fide est impletio totius mandati, igitur et ædificatio Dei. Quia transverso ordine sic ponit: Vere *in fide* est ædificatio Dei; *finis* enim, id est quia impletio totius præcepti veteris seu novæ legis *est charitas*, id est dilectio Dei et proximi, in quo mandato universa lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII, 40). Qui enim hoc mandatum, id est charitatem impleverit, novam et veterem legem procul dubio implevit. Vel autem legatur ibi sic continuatim. Ubi ait superius, *ne docerent et* ne *intenderent*, innuit quosdam perverse et docentes et intendentes. Unde sic ait: Licet illi pseudo aliter doceant quam ego, tamen *finis*, id est omnis impletio legis *charitas est*, sicut ego doceo. Unde quod ipsi docent vetera non sunt reducenda. Charitas procedit *de puro corde*, id est de munda intelligentia; quod aliquis purum intellectum habeat conservans se in puritate qua Deus purificavit eum in baptismo. Intelligens diligendum sibi esse creatorem suum, nec in aliquo offendendum. Charitas etiam procedens *de conscientia bona*, id est de spe. Non quia conscientia sit idem quod spes, sed ea affinitate qua illi cui malæ conscientiæ scrupulus abest, et ubique in animo se circumspectans, nihilque quod eum mordeat inveniens; sic tandem sperare licet: qui enim se peccatorem conspicit, timendum illi est de peccato, non sperandum. Charitas etiam procedens *de fide non ficta*. Nos enim credimus Christum verum Deum et verum hominem, non fingentes illum vel hominem sine Deo, vel Deum sine homine. Et ut quidam pseudo dicunt habuisse Christum non verum, sed æreum corpus. Vel ita: Fide dico nostra robusta et inviolabili non ficta, id est non fragili ad modum fictilis vasis, sicut est doctrina pseudodoctorum.

Commendata parte sua, improbat partem adversariorum dicens: *A quibus* charitate, scilicet, conscientia bona, et fide: *quidam aberrantes*, id est illi singularem doctrinam inducentes separati

A **313** et per hoc errantes. Separatio enim a veritate error est. Aberrantes utique *conversi sunt*, non ad fidem, sed *in vaniloquium*, loquentes quæ vana et inutilia sunt, circumcisionem scilicet tenendam esse dicentes. Quibus non sufficit hæc vana apud se loqui, sed, quod deterius est, *volentes esse doctores legis*, id est docentes tenendas esse carnales observantias legis. Et hoc satis impudenter, *non intelligentes neque* ea *quæ loquuntur*, id est circumcisionem, quam docent, ideo sub veteri lege in carne tenuisse, ut figuraret circumcisionem cordis tenendam esse in tempore gratiæ, et non carnis. *Neque* etiam intelligentes Scripturas prophetarum *de quibus*, id est per quas *affirmant* circumcisionem et vetera sacrificia, quæ loquuntur, tenenda esse in B tempore gratiæ, vel e converso. Non intelligentes ea quæ loquuntur de prophetis ad probandum quod tenenda sint ea quæ docent. Neque intelligentes circumcisionem et sacrificia, cujus rei mysteria essent, cum fierent, de quibus ipsi affirmant quod adhuc tenenda sint. Quia improbavit partem adversariorum, dicens *non intelligentes*, etc. Hoc utique non sufficeret, nisi et partem suam commendaret, et causam commendationis insereret. Posset enim aliter sic ipsi objici. Si doctrina pseudodoctorum perversa est, tua vero non melius approbanda, unde melius adhærendum tibi judicas quam illis? Ad hoc refellendum, improbata parte adversariorum, subdit et approbat suam, dicens: Pseudo utique doctores non intelligunt legem, nos autem scimus, id est C intelligimus legem. Et quidam amplius addit quod valet ad causam, dicens: *Scimus utique* non solum legem, sed etiam hoc de lege scimus *quia lex est bona*, id est utilis et justificans spiritualiter intellecta, secundum quod nos intelligimus. Sed, secundum carnalem intellectum eorum potius non bona, quia neminem justificat, et crudelis est. Unde quod ipsi de lege intelligunt, non est reducendum. Lex utique bona est, *si quis utatur ea*, id est intelligentia ejus *legitime*, id est secundum quod lex ipsa docet et præcipit, scilicet, ut spiritualiter intelligatur. Scimus utique de lege quod bona est, *scientes* hoc etiam, de eadem lege, *quia lex* vetus *non est posita justo*, id est sub nova lege justificato. Nec D etiam sub ipsa veteri lege posita est alicui justo. Lex enim data est ut vel puniret reum, vel peccare volentem coerceret ne delinqueret. Sed qui justus est, non est coercendus; non enim voluntatem habet peccandi, nec est per legem puniendus. Macula enim in illo nulla est qui justificatus est. Unde et justis illis qui sub veteri lege fuerunt, quantum ad se, non esset necessarium tenere legem, qua tamen congrue usi sunt, ne, illis respuentibus legem, contemptui fieret lex, utque auctoritate eorum devotius tenerent eam hi quibus propter peccata necessaria erat. Ideo etiam justi tenuerunt veterem legem ut quod ipsa præfigurabat de Christo et de tempore gratiæ, ipsi attestarentur implendo legem. Justo utique non est posita lex, *sed injustis* id est Judæis

quibus ante legem datam Moyses moralia præcepta dedit, quæ non observando injusti facti sunt. Injustis utique, *et non subditis*, id est Judæis, qui Deo, danti per Moysem legem, noluerunt subdi ut ab injustitiis recederent. Quos vocet injustos et non subditos exponit, dicens : Lex utique posita est *impiis*, id est irreligiosis animo contra Deum, *et peccatoribus*, id est quod irreligiose cogitant, irreligiose operantibus, *et sceleratis*, id est eis qui videntes sacrificare idolis vel hujusmodi, placuit illis ut similiter prævaricarent. Lex etiam posita est *contaminatis*, id est illis qui violentia tormentorum compulsi sunt sacrificare idolis. Hæc quatuor contra Deum principaliter fiunt. Cætera quæ sequuntur contra se et contra proximum fiunt, non quod omnia peccata contra Deum non sint, sed quia quatuor prædicta Deum specialiter sine aliquo medio videntur offendere. Posita est etiam lex *parricidis*, id est interfectoribus patrum, quibus, cum multum deberent, ex eo quod homines essent, longe ideo magis patres erant; *matricidis* etiam similiter **314** et *homicidis*, et *fornicariis*, id est maculantibus se adulterio, vel quolibet genere fornicationis, et *concubitoribus masculorum*, quod deterius est, quibus non sufficit se maculare, nisi etiam corrumpant alios; et *plagiariis*, id est plagas proximo inferentibus; vel, *plagiariis* quasi plagiosipis, id est plagam de re viva inferentibus, ut si quis furaretur patri filium suum, vel hujusmodi. *Mendacibus* etiam qui fallaciis incumbunt, quodque mendacio Pauli deterius est *perjuris*, his et hujusmodi posita est lex. Præter hæc etiam imposita est illi *si quid aliud* a prædictis quod *adversatur sanæ doctrinæ*, id est naturali et morali legi. Moralia enim præcepta sicut in veteri, sic in nova lege perdurant. Unde ait : *Quæ* sana doctrina *est secundum Evangelium*, id est sequitur novam legem. Evangelium dico *gloriæ*, id est quod prædicat gloriosum Deum. Vel Evangelium gloriæ, id est quod sequentibus se dat æternam gloriam. Gloriæ dico *Dei beati*. Qualem enim beatitudinem Deus habet, talem ab eo habituri sunt sancti. Beatus enim dicitur cui nihil deficit; sanctis autem, cum Christo nihil defuturum est. Hoc nomen Deus nullo adjectivo indiget, ut dicatur beatus, vel aliquid horum, sed ut innueret cujusmodi gloriam habiturus sit Deus et daturus suis apposuit *beati*, quasi diceret : Gloria quam Deus habet et dat, et sibi et quibuscunque dat, sufficit. Et quia sana doctrina et Evangelium se invicem sequuntur, ideo hæc tantum tenenda sunt et non reinducenda circumcisio et vetera. Hic ingreditur ostendere quod quia recessit a veteri lege, omnia bona sibi collata sint; cui legi quandiu adhæsit, semper in præcipitium malorum ruit.

Unde sic ait : *Quod* Evangelium *creditum est mihi*, id est prævidit misericordia Dei me idoneum, cui crederet Evangelium. Evangelium autem bonum nuntium dicitur, *eu* enim *bonum; angelium* vero *nuntium*. Unde angelus *nuntius* dicitur. Et ideo quia Deus credidit mihi Evangelium, *gratias ago ei*, et non legi, pro hoc beneficio, et pro his quæ sequuntur, qui Deus *existimavit me fidelem*. Hic aiunt quidam insidiosa esse verba Pauli, quasi diceret · Inde gratias ago Deo quia, cum infidelis essem, fecit me fidelem. Quodque dignus essem qui fidelis fierem existimavit, id est providentia Dei quæ falli nescit ab initio præordinavit, meque factum fidelem confortavit, id est fortem fecit, quod neque mors, neque gladius poterit me separare a charitate ejus. Et postquam mihi credidit Evangelium pacis, *ponens* me *in ministerio*, id est in ipso opere prædicandi; multis enim prælatis creditur Evangelium; qui tamen torpentes non ministrant subditis quod creditum est illis. Positus sum in ministerio *Christi Jesu*, id est ad honorem et gloriam Christi Jesu Domini nostri. Vel confortavit me in Christo Jesu Domino nostro, qui mihi cædes anhelanti, in via apparuit. Egò utique fidelis factus sum, etc., postquam deserens legem subdidi me gratiæ Dei. *Qui prius* cùm essem sub lege in omnia mala præcipitabat. *Fui* enim tunc *blasphemans*, Christum dicens eum hominem sine Deo, filium fabri et similia. Fui etiam *persecutor* quorumlibet justorum (*Actor.* IX, 1). Fui etiam *contumeliosus*, quia si quos comprehendere poteram contumeliis et verberibus afficiebam; *sed* qui adeo perversus sub lege eram, statim ut hanc dimisi *consecutus sum misericordiam*, id est remissionem peccatorum. De hoc autem consecutus sum misericordiam, quia, id est *quod ignorans feci*, id est ignoranter peccavi, et quia Christum ignorabam, ideo *in incredulitate* manebam. Sic quia pro quod legimus; non enim sufficeret ad causam, ut quia ignoranter peccaverit, ideo misericordiam consecutus sit. Alio modo tamen quia legitur ad causam. Quasi diceret aliquis : Tu olim sub lege, legem prædicabas tenendam. Tu vero, relicta eadem lege, legem prædicas relinquendam. Cui ergo credi debeat, vel tibi sub lege, vel tibi non sub lege ambigimus.

Contra hoc ait : Mihi sub lege non fuit credendum, quia ignorans feci, et quia ignoravi, ideo in incredulitate **315** mansi. Nec solum misericordiam, id est remissionem peccatorum consecutus sum, sed etiam *gratia Domini nostri abundavit in me* super misericordiam : quia et peccata remisit, et multas alias gratias dedit, ut cognitionem divinæ essentiæ, etc. Vel aliter. Dum persecutor eram Ecclesiæ Christi, multum zelum legis habui, sed tamen nunc superabundavit gratia Dei in me, quia si tanta oportuisset me pati pro veteri lege quanta pro Christo patior, utique defecissem. Cætera sicut dicta sunt. Superabundavit, inquam, gratia *cum fide et dilectione*: quia fides et dilectio Dei semper creverunt in me; *quæ* fides et dilectio *est in Christo Jesu*, id est habetur per Christum Jesum, et non per legem. Hanc autem misericordiam quam ego consecutus sum, facile est et vos consequi. Ut enim peccatores salvi fierent, Christus Jesus in hunc venit mundum. Sed

antequam hoc dicat, præponit commendationem rei quam dicturus est sic : *Sermo iste* quem vobis manifesto, est *fidelis*, id est talis cui fides adhibenda sit, et qui bene sit credibilis. Nec solum fidelis est, sed *etiam dignus acceptione*, id est qui acceptabilis esse debeat. Sunt enim multi sermones credibiles, non tamen acceptione digni, quia inutiles. Hic autem sermo, et credibilis, et acceptus, quia utilis. Dignus utique acceptione non una vel in uno solo tempore ut vetus lex, sed *omni*, id est et in præsenti et in futuro, et secundum corpus et secundum animam, quia in omni tempore, et secundum utrumque salvat. Hic, inquam, est ille sermo, *quia*, id est quod *Christus* Jesus *venit in mundum hunc*, id est adeo despicabilem, et in quo tot miserias eum pati oportuit. Venit, inquam, *salvos facere peccatores*, qui si per legem salvari possent, frustra Deus Christum suum in miserias hujus mundi deponeret. *Quorum* peccatorum ego et quicunque legalis *primus*, id est præcipuus et deterrimus *sum*. Deteriores enim invenit Deus Judæos, legi adhærentes, quam quoscunque exleges.

Quod supra posuit absolute, hic ponit cum causâ, dicens : Licet deterrimus in peccatoribus essem, tamen *consecutus sum misericordiam, ideo, ut Christus Jesus in me primo*, id est maxime peccatore, vel primum, id est maxime *ostender et patientiam ;* non in qualibet una re, sed *omnimodam*. Pertulit enim me blasphêmantem, persequentem, et contumelias sanctis inferentem. *Omnem* utique patientiam ostendit in me, *ad informationem eorum qui crediturі sunt illi*, id est ut per me doceret nemini desperandum, propter immanitatem scelerum, quin credat in eum. Crediturі sunt enim illi *in vitam æternam*, id est ut per fidem hanc habeant vitam æternam. Et quandoquidem Christus salvare peccatores venit, ad quod lex insufficiens fuit, Christo *igitur regi sæculorum* inde sit *honor et gloria :* quia nec legi, nec alii præter Christum debetur inde gratia.

Aut sic continuatur. Christus in me ostendit omnem patientiam ; illi autem Christo Regi sæculorum *immortali*, id est immutabili, qui semper in eodem est, *et invisibili*, id est cujus deitatem nulla creatura sufficit intelligere ; huic Deo Creatori soli (salvare enim solus potest), huic tanto et tali *sit honor et gloria*. Honor dicitur, ut de virtutibus, humilitate, prudentia, et hujusmodi, quæ homo potest habere. Gloria dicitur de his quæ Dei solum sunt et non hominis, ut resurgere tertia die, et hujusmodi. Honor, inquam, illi sit et gloria *in sæcula* præsentium *sæculorum* consecutiva, et hoc quod precor *amen*, id est certe ita erit. Quandoquidem ex Christo Jesu omnis salvatio, et ex lege nulla, ideo, *o Timothee fili, commendo tibi hoc præceptum*, ut in omnibus palam sit te nulli posse parcere vel tolerare in hac re. Hoc enim præceptum est quod transgredi non licet, summaque tibi obedientia commendatum, *ut milites* excludendo ab Ecclesia pseudodoctores ; milites, etiam disponendo alium ecclesiasticum ordinem, milites utique *bonam militiam*. Si semel vel in uno militaret, implesset quod dixerat, *milites*, sed ut semper et in omnibus se velle eum militare ostenderet : **316** addidit *militiam bonam*, id est utilem. Utile enim erit sic te militare. *Commendo*, inquam, *ut milites* in illis prophetiis, id est in omni visione et intellectu quem habes de Deo. Prophetia enim *visio ;* propheta *videns* dicitur. Milites moneo *secundum prophetias præcedentes in te*, id est secundum quod tempore præcedenti edoctus es in sacris Scripturis. Timotheus enim patre gentilis, matre vero Christiana editus (*Act.* xvi, 1), ab ipsa pueritia traditus est sacris litteris imbuendus. Unde ait *secundum prophetias in te præcedentes*. Vel aliter : Commendo tibi ut milites secundum prophetias præcedentes in te, id est de te. Spiritu enim prophetiæ edoctus, assumpsi te in opus Evangelii. Vide autem ne degenerando a fide mendacem facias Spiritum, qui ut te eligerem docuit me. Militare debes, tum quia bonum et utile est : tum quia bene potes, *habens fidem* per quam plene justificatus es, habens *etiam conscientiam bonam ;* non enim tibi prædicanti objici potest quod bene doceas et male vivas. Modo paulisper revertitur ad pseudodoctores, dicens : *quam* bonam conscientiam *quidam repulerunt a se*. Qui enim perverse agit et docet, non habet unde sibi bene conscius sit : et quia repulerunt hanc, ideo *naufragaverunt circa fidem*, id est fregerunt navem suam, circumeuntes fidem, et non ingredientes ad eam. *Ex quibus* pseudodoctoribus naufragantibus *est Hymenæus et Alexander* principes eorum qui circumcisionem reducere volebant, *quos* ego *tradidi Satanæ* (*I Cor.* v, 5), id est separavi excommunicatos ab Ecclesia. Nec ideo ut in æternum pereant : sed *ut* sic *discant non blasphemare*, id est ut hoc modo correcti et pœnitentes, quiescant a perversitate sua, et jam non blasphemantes auferantur iterum Satanæ, recepti in sinum Ecclesiæ. Nota quod excommunicare est tradere Satanæ, quia cum excommunicatur quis, Satanæ traditur, cujus erat priusquam per baptismum justificaretur.

CAPUT II.

« Obsecro igitur primum omnium fieri obsecra-
« tiones, orationes, postulationes, gratiarum actio-
« nes, pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro
« omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut
« quietam et tranquillam vitam agamus, in omni
« pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acce-
« ptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes ho-
« mines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis
« venire. Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et
« hominum homo Christus Jesus, qui dedit redem-
« ptionem semetipsum pro omnibus. Cujus testi-
« monium temporibus suis confirmatum est, in quo
« positus sum ego prædicator et apostolus (*II Tim.*
« i, 11). Veritatem dico, non mentior ; doctor gen-
« tium in fide et veritate. Volo ergo viros orare in
« omni loco, levantes puras manus sine ira et dis-
« ceptatione. Similiter et (*al.*, autem) mulieres in

quibus ante legem datam Moyses moralia præcepta dedit, quæ non observando injusti facti sunt. Injustis utique, *et non subditis*, id est Judæis, qui Deo, danti per Moysem legem, noluerunt subdi ut ab injustitiis recederent. Quos vocet injustos et non subditos exponit, dicens : Lex utique posita est *impiis*, id est irreligiosis animo contra Deum, *et peccatoribus*, id est quod irreligiose cogitant, irreligiose operantibus, *et sceleratis*, id est eis qui videntes sacrificare idolis vel hujusmodi, placuit illis ut similiter prævaricarent. Lex etiam posita est *contaminatis*, id est illis qui violentia tormentorum compulsi sunt sacrificare idolis. Hæc quatuor contra Deum principaliter fiunt. Cætera quæ sequuntur contra se et contra proximum fiunt, non quod omnia peccata contra Deum non sint, sed quia quatuor prædicta Deum specialiter sine aliquo medio videntur offendere. Posita est etiam lex *parricidis*, id est interfectoribus patrum, quibus, cum multum deberent, ex eo quod homines essent, longe ideo magis patres erant; *matricidis* etiam similiter **314** et *homicidis*, et *fornicariis*, id est maculantibus se adulterio, vel quolibet genere fornicationis, et *concubitoribus masculorum*, quod deterius est, quibus non sufficit se maculare, nisi etiam corrumpant alios; et *plagiariis*, id est plagas proximo inferentibus; vel, *plagiariis* quasi plagiosipis, id est plagam de re viva inferentibus, ut si quis furaretur patri filium suum, vel hujusmodi. *Mendacibus* etiam qui fallaciis incumbunt, quodque mendacio Pauli deterius est *perjuris*, his et hujusmodi posita est lex. Præter hæc etiam imposita est illi *si quid aliud* a prædictis quod *adversatur sanæ doctrinæ*, id est naturali et morali legi. Moralia enim præcepta sicut in veteri, sic in nova lege perdurant. Unde ait : *Quæ* sana doctrina *est secundum Evangelium*, id est sequitur novam legem. Evangelium dico *gloriæ*, id est quod prædicat gloriosum Deum. Vel Evangelium gloriæ, id est quod sequentibus se dat æternam gloriam. Gloriæ dico *Dei beati*. Qualem enim beatitudinem Deus habet, talem ab eo habituri sunt sancti. Beatus enim dicitur cui nihil deficit; sanctis autem, cum Christo nihil defuturum est. Hoc nomen Deus nullo adjectivo indiget, ut dicatur beatus, vel aliquid horum, sed ut innueret cujusmodi gloriam habiturus sit Deus et daturus suis apposuit *beati*, quasi diceret : Gloria quam Deus habet et dat, et sibi et quibuscunque dat, sufficit. Et quia sana doctrina et Evangelium se invicem sequuntur, ideo hæc tantum tenenda sunt et non reinducenda circumcisio et vetera. Hic ingreditur ostendere quod quia recessit a veteri lege, omnia bona sibi collata sint; cui legi quandiu adhæsit, semper in præcipitium malorum ruit.

Unde sic ait : *Quod* Evangelium *creditum est mihi*, id est prævidit misericordia Dei me idoneum, cui crederet Evangelium. Evangelium autem bonum nuntium dicitur, *eu* enim *bonum; angelium* vero *nuntium*. Unde angelus *nuntius* dicitur. Et ideo quia Deus credidit mihi Evangelium, *gratias ago ei*, et non legi, pro hoc beneficio, et pro his quæ sequuntur, qui Deus *existimavit me fidelem*. Hic aiunt quidam insidiosa esse verba Pauli, quasi diceret · Inde gratias ago Deo quia, cum infidelis essem, fecit me fidelem. Quodque dignus essem qui fidelis fierem existimavit, id est providentia Dei quæ falli nescit ab initio præordinavit, meque factum fidelem confortavit, id est fortem fecit, quod neque mors, neque gladius poterit me separare a charitate ejus. Et postquam mihi credidit Evangelium pacis, *ponens* me *in ministerio*, id est in ipso opere prædicandi; multis enim prælatis creditur Evangelium; qui tamen torpentes non ministrant subditis quod creditum est illis. Positus sum in ministerio *Christi Jesu*, id est ad honorem et gloriam Christi Jesu Domini nostri. Vel confortavit me in Christo Jesu Domino nostro, qui mihi cædes anhelanti, in via apparuit. Ego utique fidelis factus sum, etc., postquam deserens legem subdidi me gratiæ Dei. *Qui prius* cùm essem sub lege in omnia mala præcipitabat. *Fui* enim tunc *blasphemans*, Christum dicens eum hominem sine Deo, filium fabri et similia. Fui etiam *persecutor* quorumlibet justorum (*Actor.* IX, 1). Fui etiam *contumeliosus*, quia si quos comprehendere poteram contumeliis et verberibus afficiebam; *sed* qui adeo perversus sub lege eram, statim ut hanc dimisi *consecutus sum misericordiam*, id est remissionem peccatorum. De hoc autem consecutus sum misericordiam, quia, id est *quod ignorans feci*, id est ignoranter peccavi, et quia Christum ignorabam, ideo *in incredulitate* manebam. Sic quia pro quod legimus; non enim sufficeret ad causam, ut quia ignoranter peccaverit, ideo misericordiam consecutus sit. Alio modo tamen quia legitur ad causam. Quasi diceret aliquis : Tu olim sub lege, legem prædicabas tenendam. Tu vero, relicta eadem lege, legem prædicas relinquendam. Cui ergo credi debeat, vel tibi sub lege, vel tibi non sub lege ambigimus.

Contra hoc ait : Mihi sub lege non fuit credendum, quia ignorans feci, et quia ignoravi, ideo in incredulitate **315** mansi. Nec solum misericordiam, id est remissionem peccatorum consecutus sum, sed etiam *gratia Domini nostri abundavit in me* super misericordiam : quia et peccata remisit, et multas alias gratias dedit, ut cognitionem divinæ essentiæ, etc. Vel aliter. Dum persecutor eram Ecclesiæ Christi, multum zelum legis habui, sed tamen nunc superabundavit gratia Dei in me, quia si tanta oportuisset me pati pro veteri lege quanta pro Christo patior, utique defecissem. Cætera sicut dicta sunt. Superabundavit, inquam, gratia *cum fide et dilectione* : quia fides et dilectio Dei semper creverunt in me; *quæ* fides et dilectio *est in Christo Jesu*, id est habetur per Christum Jesum, et non per legem. Hanc autem misericordiam quam ego consecutus sum, facile est et vos consequi. Ut enim peccatores salvi fierent, Christus Jesus in hunc venit mundum. Sed

antequam hoc dicat, præponit commendationem rei quam dicturus est sic : *Sermo iste* quem vobis manifesto, est *fidelis*, id est talis cui fides adhibenda sit, et qui bene sit credibilis. Nec solum fidelis est, sed *etiam dignus acceptione*, id est qui acceptabilis esse debeat. Sunt enim multi sermones credibiles, non tamen acceptione digni, quia inutiles. Hic autem sermo, et credibilis, et acceptus, quia utilis. Dignus utique acceptione non una vel in uno solo tempore ut vetus lex, sed *omni*, id est et in præsenti et in futuro, et secundum corpus et secundum animam, quia in omni tempore, et secundum utrumque salvat. Hic, inquam, est ille sermo, *quia*, id est quod *Christus* Jesus *venit in mundum hunc*, id est adeo despicabilem, et in quo tot miserias eum pati oportuit. Venit, inquam, *salvos facere peccatores*, qui si per legem salvari possent, frustra Deus Christum suum in miserias hujus mundi deponeret. *Quorum* peccatorum ego et quicunque legalis *primus*, id est præcipuus et deterrimus *sum*. Deteriores enim invenit Deus Judæos, legi adhærentes, quam quoscunque exleges.

Quod supra posuit absolute, hic ponit cum causa, dicens : Licet deterrimus in peccatoribus essem, tamen *consecutus sum misericordiam, ideo, ut Christus Jesus in me primo*, id est maxime peccatore, vel primum, id est maxime *ostender et patientiam;* non in qualibet una re, sed *omnimodam*. Pertulit enim me blasphemantem, persequentem, et contumelias sanctis inferentem. *Omnem* utique patientiam ostendit in me, *ad informationem eorum qui crediturі sunt illi*, id est ut per me doceret nemini desperandum, propter immanitatem scelerum, quin credat in eum. Crediturі sunt enim illi *in vitam æternam*, id est ut per fidem hanc habeant vitam æternam. Et quandoquidem Christus salvare peccatores venit, ad quod lex insufficiens fuit, Christo *igitur regi sæculorum* inde sit *honor et gloria :* quia nec legi, nec alii præter Christum debetur inde gratia.

Aut sic continuatur. Christus in me ostendit omnem patientiam; illi autem Christo Regi sæculorum *immortali*, id est immutabili, qui semper in eodem est, *et invisibili*, id est cujus deitatem nulla creatura sufficit intelligere; huic Deo Creatori soli (salvare enim solus potest), huic tanto et tali *sit honor et gloria*. Honor dicitur, ut de virtutibus, humilitate, prudentia, et hujusmodi, quæ homo potest habere. Gloria dicitur de his quæ Dei solum sunt et non hominis, ut resurgere tertia die, et hujusmodi. Honor, inquam, illi sit et gloria *in sæcula* præsentium *sæculorum* consecutiva, et hoc quod precor *amen*, id est certe ita erit. Quandoquidem ex Christo Jesu omnis salvatio, et ex lege nulla, ideo, *o Timothee fili, commendo tibi hoc præceptum*, ut in omnibus palam sit te nulli posse parcere vel tolerare in hac re. Hoc enim præceptum est quod transgredi non licet, summaque tibi obedientia commendatum, *ut milites* excludendo ab Ecclesia pseudodoctores; milites, etiam disponendo alium ecclesiasticum ordinem, milites utique *bonam militiam*. Si semel vel in uno militaret, implesset quod dixerat, *milites*, sed ut semper et in omnibus se velle eum militare ostenderet : **316** addidit *militiam bonam*, id est utilem. Utile enim erit sic te militare. *Commendo*, inquam, *ut milites* in illis prophetiis, id est in omni visione et intellectu quem habes de Deo. Prophetia enim *visio;* propheta *videns* dicitur. Milites moneo *secundum prophetias præcedentes in te*, id est secundum quod tempore præcedenti edoctus es in sacris Scripturis. Timotheus enim patre gentilis, matre vero Christiana editus (*Act.* xvi, 1), ab ipsa pueritia traditus est sacris litteris imbuendus. Unde ait *secundum prophetias in te præcedentes*. Vel aliter : Commendo tibi ut milites secundum prophetias præcedentes in te, id est de te. Spiritu enim prophetiæ edoctus, assumpsi te in opus Evangelii. Vide autem ne degenerando a fide mendacem facias Spiritum, qui ut te eligerem docuit me. Militare debes, tum quia bonum et utile est : tum quia bene potes, *habens fidem* per quam plene justificatus es, habens *etiam conscientiam bonam;* non enim tibi prædicanti objici potest quod bene doceas et male vivas. Modo paulisper revertitur ad pseudodoctores, dicens : *quam* bonam conscientiam *quidam repulerunt a se*. Qui enim perverse agit et docet, non habet unde sibi bene conscius sit : et quia repulerunt hanc, ideo *naufragaverunt circa fidem*, id est fregerunt navem suam, circumeuntes fidem, et non ingredientes ad eam. *Ex quibus* pseudodoctoribus naufragantibus *est Hymenæus et Alexander* principes eorum qui circumcisionem reducere volebant, *quos* ego *tradidi Satanæ* (*1 Cor.* v, 5), id est separavi excommunicatos ab Ecclesia. Nec ideo ut in æternum pereant : sed *ut* sic *discant non blasphemare*, id est ut hoc modo correcti et pœnitentes, quiescant a perversitate sua, et jam non blasphemantes auferantur iterum Satanæ, recepti in sinum Ecclesiæ. Nota quod excommunicare est tradere Satanæ, quia cum excommunicatur quis, Satanæ traditur, cujus erat priusquam per baptismum justificaretur.

CAPUT II.

« Obsecro igitur primum omnium fieri obsecra-
« tiones, orationes, postulationes, gratiarum actio-
« nes, pro omnibus hominibus, pro regibus, et pro
« omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut
« quietam et tranquillam vitam agamus, in omni
« pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acce-
« ptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes ho-
« mines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis
« venire. Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et
« hominum homo Christus Jesus, qui dedit redem-
« ptionem semetipsum pro omnibus. Cujus testi-
« monium temporibus suis confirmatum est, in quo
« positus sum ego prædicator et apostolus (*II Tim.*
« 1, 11). Veritatem dico, non mentior; doctor gen-
« tium in fide et veritate. Volo ergo viros orare in
« omni loco, levantes puras manus sine ira et dis-
« ceptatione. Similiter et (*al.*, autem) mulieres in

« habitu ornato cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa (*I Petr.* III, 3) : sed, quod « decet mulieres, promittentes pietatem per opera « bona. Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto (*I Cor.* « XIV, 34), neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est (*Gen.* I, « 27), deinde Eva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Salvabitur autem per filiorum generationem si permanserit (permanserint) in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. »

EXPOSITIO.

Postquam Paulus admonuit Timotheum ut militaret, consequenter insinuat in quibus eum militare præcipiat, dicens : Quandoquidem Christus salvare peccatores venit in hunc mundum, in cujus rei prædicandæ ministerio me constituit, ut et per eum salvemini, et prædicatio mea in vobis fructificet. *Igitur*, id est propter hæc præmissa, *obsecro* ut oretis. Nisi enim Deus per Spiritum sanctum operetur in cordibus vestris, sermo meus **317** inutilis erit. Obsecro igitur *primum omnium*, id est potissimum ante omnia *fieri obsecrationes*, etc. Quia vidit Apostolus in omni genere orationis prævalere celebrationem missæ, in qua memoria fit passionis Christi, per quam omne hominum genus redemptum est, ideo cum et aliis modis orandum sit, hoc genus orationis, quia prævalere vidit, præposuit, dicens : Primum omnium, id est ante omnia obsecro fieri obsecrationes. *Orationes* illas quæ obsecrationes, id est juxta et antequam corpus Dominicum saeretur, præcedunt (ut in principio missæ) vocat obsecrationes, quasi juxta sacrationem dictas. Orationes autem et *postulationes*, et *gratiarum actiones* fieri obsecro. Orationes vocat preces illas, in quibus, cum dicuntur, substantia illa panis et vini, in altari apposita, transit in corpus et sanguinem Christi. Postulationes vocat preces quæ fiunt post communionem, ut illud : « Perfice in nobis, Domine, quod tua sancta continent, » id est postquam nos pavisti hoc corpore et sanguine tuo, restat hoc quasi ex debito, ut quod pie cœpisti perficias, pascens nos indeficienti cibo gloriæ tuæ in cœlis, quod hic in altari prælibamus Postulatio enim dicitur, quasi oratio facta de re quæ jam misericordia vel merito debetur. Gratiarum actiones vocat, ut illud quod in fine missæ dicitur *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*. Ut hoc dicentes innuamus totum referendum esse gratiæ Dei quod dedit, et quod in æternum daturus est. Hæc autem obsecro fieri *pro omnibus hominibus*, ut salvi fiant ex voluntate Dei. Quod si quæritur cur pro omnibus jubeat orare Apostolus, cum quidam a Deo reprobati sint, pro quibus qui orat videtur offendere Deum, qui eos reprobat. Contra hæc dicitur quod Deus quidem ex benignitate et clementia sua velit omnem hominem salvum fieri, quia, quantum in se est, in Deo non remanet, sed benignitatem Dei injustitia impiorum avertit.

Unde in Deo duplex voluntas consideratur. Altera benigitatis et clementiæ, qua omnes vult salvos fieri ; altera est voluntas justitiæ Dei, qua malos reprobat, bonos eligit. Secundum autem voluntatem benignitatis Dei, præcipit Apostolus orare pro omnibus, ut quod Deus pie vult, et nos, sequendo pietatem ejus, velimus, utque voluntas Dei fiat oremus, quod si non fieret, a clementia Dei dissentire videremur. Vel aliter præcedentia legamus, ut demissa mentio in his non sit. *Obsecro fieri obsecrationes*, id est adjurationes illas, ut in lætania, ubi adjuratur per passionem, per resurrectionem et similiter, quasi si quis adjuraret Deum pro conversione cujuslibet sceleratissimi, quod vix a Deo impetrari posse videretur ; impio autem illo per preces justi converso faceret, justus orationes pro eo, ut Deus cum fide daret illi virtutes quæ sequuntur. Quibus acceptis jam restarent postulationes (sicut dictum est) pro cœlesti gloria quæ jam habenti virtutes debetur. Pro his autem omnibus, id est conversione, possessione virtutum, concessione cœlestis gloriæ, sequuntur gratiarum actiones ; quod fecit Justinus presbyter, qui, suscepto spiritu Laurentii in cœlis, in actionem gratiarum sacrificium laudis Deo obtulit. Obsecro autem hoc fieri pro omnibus hominibus (sicut dictum est).

Quia fortassis putarent quidam non esse orandum pro principibus et tyrannis, qui premunt Ecclesiam Dei, adjungit : Sic dico orandum pro omnibus, ut nec etiam persecutores Ecclesiæ excludam, sed orate etiam *pro regibus*, *et* pro *omnibus qui in sublimitate* sæculari *sunt*, seu ducibus, seu consulibus. Et pro eis vos orare non solum proficiet illis, sed etiam vobis. Ad hæc *ut*, illis a tyrannide sua cessantibus, *agamus vitam quietam* a persecutione, nec in una re, sed *etiam tranquillam*, id est in omni re quietam. Tranquillitas Ecclesiæ plurimum prodest quibusdam tenerioribus, qui in pace Ecclesiæ justificationem suam conservant ; quos si tormenta comprehenderent, fortassis a fide recederet. **318** Et ideo orandum esse dicit pro regibus et principibus. Agamus dico vitam tranquillam *in omni pietate*, id est religione, *et* in omni *castitate*, id est in integritate fidei ; quæ si persecutio ingrueret, non sic in omnibus integra perduraret, ideo moneo orare pro omnibus. *Hoc enim* ut oretur pro omnibus *bonum*, id est utile *est* ad profectum Ecclesiæ, *et* tale bonum quod sit *acceptum* et gratum Deo. Nec sicut in tempore placeat, et in tempore displiceat, sed sic acceptum ut sit *coram Deo*, id est ut semper maneat in oculis beneplaciti ejus. Deo dico *Salvatore nostro*, *qui* quomodo nos salvavit, *vult omnes homines salvos fieri*, secundum voluntatem benignitatis suæ, sicut supra dictum est. *Et* ut salvi fiant, vult omnes *venire ad agnitionem veritatis*, id est veræ fidei per quam iter est ad salutem. Probat quod dixit. Vere Deus vult omnes salvos fieri ; quod pa-

tei ex eo, *quia unus est Deus*, id est creator omnium. Cumque Deus omnium creator sit, non est causa quare benignitatem suam neget uni, et det alteri creaturæ, quam impius utique sibi negat, quia impie agit, salva et integra perdurante ad omnes benignitate Dei. Inde etiam palam est quod Deus velit omnes salvos fieri, quia unus est *mediator Dei et hominum*, et non plures mediatores. Unde constat quia omnibus æque velit proficere, factus est omnium mediator. Christus mediator dicitur, quia duo extrema et a se prorsus divisa, Deum scilicet, in quo omnis justitia et nihil injustitiæ, et hominem, in quo omnis injustitia et nihil justitiæ, concordes fecit per assumptam sibi humanitatem, justificans hominem. Probat adhuc Deum velle omnes salvari dicens : Hic autem mediator, cum in deitate gloriosus esset, homo factus est, tam vilis res et tam contumeliosa quod nunquam fieret, nisi vellet salvare homines. Hic autem mediator est Christus, immolans sacrificium pro nobis semetipsum Deo, et rex dirigens nos ad salvationem. Hic autem est Jesus salvator quem hoc nomen designat Salvatorem omnium, *qui* Christus Jesus *dedit redemptionem*, nec aurum vel argentum, sed *semetipsum* pretium dedit *pro omnibus* redimendis.

Sed licet non omnibus pretium illud profuerit, quia in impietate perduraverunt, Christus tamen pretium dedit, quod sufficiens esset saluti omnium, si omnes boni esse vellent. Et quia pro omnibus redemptionem dedit, omnes æque salvare voluit, *cujus* rei (scilicet, quod omnes vult salvos fieri) *testimonium confirmatum* est, quia quod prophetæ testati sunt ante Christum de eo Salvatore, confirmavit Christus, implendo omnia quæ de se prophetæ prædixerant. Hæc autem per impletionem confirmata sunt *temporibus suis*, id est congruis, ut nativitas Christi quodam tempore in alio, passio et cætera de Christo diversis temporibus. Nisi enim Christum testimonia prophetarum præcessissent, parum vel nihil crederetur ei, quod idem innuit, cum duobus discipulis post resurrectionem apparens ait : « O stulti et tardi corde ad credendum in his quæ locuti sunt prophetæ (*Luc.* XXIV, 25), » etc. Quod etiam ipse alibi in Evangelio ait : In hoc est verbum verum : quod alius est qui seminat, et alius qui metit (*Joan.* IV, 37). » Prophetæ quidem seminaverunt, Christus autem cum apostolis suis seminis fructus collegit. Ad idem probandum, quod Deus vult omnes salvos fieri, auctoritatem suam adducit, dicens : *In quo*, id est in qua re prædicanda, scilicet quod Deus pro salute omnium pretium dederit semetipsum et cætera quæ præmissa sunt, ego *positus sum prædicator* a Deo, ut hoc prædicem omnibus, et magnæ dignitatis prædicator, quia etiam *Apostolus* ad hoc prædicandum constitutus, et ego procul dubio *dico veritatem*, nec in qualibet una parte sed ita quod *non* alicubi *mentior*, et ego jam constitutus sum *doctor gentium in fide et veritate*, id est jam multos discipulos docui, qui fideles sunt et veritatem præ-

dicant. Quia si discipuli mei veri sunt, constat me doctorem eorum non esse mendacem. Quia prædicatorem et Apostolum se nominat, non elationis verba sunt, sed ut per hanc auctoritatem dictorum suorum fidem corroboret.

319 Quoniam quidem sufficienter probatum est orandum esse pro omnibus hominibus, *ergo volo omnes viros*, et mulieres *orare*, ut secundum voluntatem Dei salventur. Volo utique viros orare non tantum in ecclesia, sed etiam *in omni loco, habentes puras manus*, etc. Hic docet quales se præparare debeant ad orandum. Puras manus vocat mundas affectiones, ut nihil velint dari sibi a Deo, quod Deum dare nefas sit, sed maxime omnium salvationem postulent. *Puras* dico *levantes* per incrementa boni operis et piæ orationis, et hoc *sine ira*, id est sine odio proximi. Qui enim odit proximum, ab unitate Ecclesiæ se discerpit. *Et sine disceptatione*, id est sine diffidentia, orate, facti tales quales timore peccati non oporteat disceptare an Deus daturus sit vobis quod petitis, necne. Quasi diceret : Orate cum dilectione Dei et proximi. *Mulieres etiam* cum viris volo orare, similiter sine ira et disceptatione existentes *in habitu*, non qui ornet illas, sed *ornato*, id est qui ornetur ab illis, quod tanta sit reverentia mulierum ut etiam earum vestimenta videantur ornata, quia sanctæ mulieres illis utantur. Manentes *cum verecundia*, ut pudibundæ omnia faciant, *et* cum *sobrietate* cibi, potus et verborum. Cum aliis virtutibus has duas maxime commendat mulieribus, quia vidit eas maxime laborare morbo impudicitiæ et intemperantiæ. Mulieres dico *ornantes se non* in tortis *crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa*, id est non studentes cultui corporum, sed per bona opera quæ foris operantur, *promittentes pietatem*, id est in propatulo mittentes religionem mentis *per bonam operationem* exhibitam foris. In orando volo viros et mulieres similes esse ; sed in docendo, vel interrogando volo dissimiles esse. *Mulier* enim *discat*, audiat sermonem in ecclesia, non interrogando, neque respondendo, sed sit *in silentio*, et si in aliquo hæsitat, cum venerit domum, virum interroget. Discat autem in silentio *cum omni subjectione*, post viros stando capite velato, aspectu in terram fixo. Cum enim in ecclesia convenimus, ibi Judici repræsentamur, quem per seductionem mulieris in iram provocavimus ; cujus rei memor mulier, quod totius perditionis auctor fuerit, in præsentia Judicis multum debet verecundari. Ut *discat*, concedo mulieri. *Docere autem* virum doctrina spiritali illud *nullo modo permitto mulieri, neque dominari* aliquo spiritali dominio *in virum, sed* semper *esse* non solum *in silentio* interrogandi vel respondendi, sed etiam in silentio confabulandi cum aliquo in ecclesia

Ideo mulier non debet dominari in virum, *quia Adam primus formatus est, deinde Eva*. Ordo autem creationis eorum signat virum debere dominari in mulierem, non mulierem in virum. Cum enim ante

hominem, vel eodem momento cum homine, Deus, si vellet, creare posset mulierem, non sine re tempore posteriorem viro fecit, ideo adhuc mulier non debet in virum dominari; etenim *Adam non est seductus* illo modo quo mulier, ut crederet se gustu pomi fieri Deum, sed in hoc quidem seductus fuit quia, suadente sibi muliere quam Deus in adjutorium sibi dederat, utrumque existimavit posse fieri, et uxori se morem gerere, et patrati sceleris acta pœnit ntia a Deo se posse veniam obtinere. Adam non est seductus, *mulier autem seducta fuit*, credens se fieri Deos ut serpens suaserat, *in prævaricatione*, id est in actu peccati, scilicet in comestione pomi. Et propter tot causas mulier semper subjici debet viro, non præferri; spiritali prælatione dico, si enim servos habet, licet bene dominari in illis sæculari dominio. Potest etiam mulier mulieribus spiritali modo præesse, sed viro nunquam. Ne autem alicui videretur mulierem non posse salvari, quia causa fuerit totius perditionis, et quia idem Paulus adeo detestatus sit mulierem, subdit de salute ejus dicens: Licet mulier seducta sit non seducto viro, *tamen* mulier *salvabitur*. Non solum virgo vel continens, sed etiam vadens *per generationem filiorum*, id est etiam nupta. Hac conditione dico **320** *si permanserit in fide*, quod sanam fidem habeat, *et* in *dilectione* Dei et proximi, *et* in *sanctificatione* quam accepit in baptismo. Permanserit dico in his *cum sobrietate*, quam ideo repetit quod in hac plurimum soleant peccare mulieres, ideo conjugatas salvari posse dixit, quia, si de virginibus vel viduis solum dixisset, putaretur intellexisse salvari non posse conjugatas, quæ cum salvandæ sint, constat per hoc de salute virginum et viduarum. Vel continuemus aliter: Licet *mulieri non* permittam *docere* in Ecclesia, tamen *salvabitur*, id est poterit salvationem mereri *per generationem filiorum*, id est spiritualiter instruendo domi filios suos, salvabitur hac lege *si* (quantum in illa erit) filii ejus *permanserint in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate*, sicut dictum est.

A

B

C

D

CAPUT III.

« Fidelis sermo. Si quis episcopatum desiderat, « bonum opus desiderat. Oportet enim episcopum « irreprehensibilem esse unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis « autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, « ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem et illum testimonium habere « bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium « incidat, et in laqueum diaboli. Diaconos similiter « pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, « non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium « fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur « primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diacones sint « unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, et « suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent, et multum fiduciam « in fide quæ est in Christo Jesu. Hæc tibi scribo, « fili Timothee, sperans me venire ad te cito. Si « autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in « domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, « columna et firmamentum veritatis. Et manifeste « magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, et justificatum est in spiritu, « apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. »

EXPOSITIO.

Postquam communitatem Ecclesiæ admonuit orare, et ex hoc publicum præceptum in omnibus dedit, subdit quædam divisa præcepta, quæ non de omnibus agant, scilicet de sacerdotio et diaconatu, insinuans quales, et quomodo ad istos ordines sint promovendi. Quod præceptum quia vidit onerosum et difficile quibusdam, antequam proponat commendat, dicens: Hic *sermo* quem dicturus sunt *fidelis* est, id est credi debet, et nemini est onerosus. Hic utique est sermo quem commendo: *oportet episcopum esse irreprehensibilem*. Hic autem per episcopum significat sacerdotem. Superflue enim Timotheum, qui Ephesiorum episcopus erat, de ordinando episcopo Ephesiis instrueret, cum eo ibi episcopante, alium ibidem episcopari absurdum esset, nec credendum est. Præterea si de diaconibus præceptum daret (prætermisso sacerdotali ordine qui præcedit) absonum videretur et inordinabiliter factum. Nec mirum si per episcopum signat presbyterum, cum in hac eadem Epistola, per presbyterum significet episcopum. Et quia volentem episcopari irreprehensibilem esse necesse est, ideo *si quis desiderat episcopatum*, id est super sibi commissos intendere, hic desiderat non aurum, non divitias, non jucunditatem sæculi, sed *opus*, id est laborem *bonum*, id est utilem sibi et his supra quos intendit. Episcopus enim *superintendens* dicitur, scopos enim *intentio*, epi *super* interpretatur. Et quoniam qui desiderat episcopatum, operari **321** bonum desiderat, ergo oportet episcopum, id est necesse est volentem episcopari esse irreprehensibilem, quia si sit reprehensibilis quandiu in eo est, bonum operari nequit. Irreprehensibilem vocat nullius criminalis reum, qui, etiam licet crimen non habeat, custodit se sic quod nec in eo aliqua criminis occasio videatur, unde criminosus suspicetur. Hunc autem episcopum, id est volentem sacerdotio fungi, oportet fuisse *virum unius uxoris*, quod unam tantum uxorem (dum sibi uxorari licuit) habuerit. Non quod in episcopatu eam habeat, vel quod si nullam habuit, repudiari debeat, sed magis accipi. Ideo viro multarum uxorum negat sacerdotium, quia, illo soluto a priore uxore, cum se-

cundas nuptias contraxit, indicavit se continere non posse, incontinentem autem episcopari non licet. Et ut irreprehensibilis sit, *oportet episcopum esse sobrium* et verbo, et opere. *Prudentem* etiam qui sciat de thesauro pectoris sui novam et veterem legem proferre.

Oportet etiam eum esse *non vinolentum*, jugi potatione dissolutum. *Non* etiam *percussorem* corporali percussione, habet enim spiritalia arma, quibus uti debet contra adversarios, verbum scilicet Dei, quare non oportet eum uti corporalibus armis. Non percussorem, *sed modestum*, id est totius moderationis custodem. Oportet eum esse *non litigiosum*, id est non convicium pro convicio reddentem, sed ad omnia patientem. *Non* etiam *cupidum*, ne cupiditas prohibeat eum bona Ecclesiæ erogare in pauperes, quorum patrimonia sunt, non propria episcoporum. Oportet etiam eum fuisse *bene præpositum domui* suæ, quod privatam familiam suam bene coercuerit a quibusque vitiis; nec solum reliquam familiam, sed etiam *filios habentem subditos*, id est qui nec in filiis coercendis paterna affectione deceptus sit. Nec ita dico ut post patratum vitium correxerit eos; sed cum *omni castitate*, id est omni integritate servata, quia adeo districtus fuit in custodia filiorum quod ad actum sceleris eis pervenire non licuit. Sic scientem præesse domui suæ, bonum est in sacerdotium promoveri. Sed *si quis nescit præesse* privatæ *domui suæ*, in qua pauca disponenda sunt, *quomodo* hic *habebit diligentiam*, id est diligentem custodiam *Ecclesiæ Dei*, in qua tot et tanta procuranda sunt? Præter prædicta oportet eum *non* esse *neophytum*, id est noviter conversum, *ne*, si adhuc rudis in fide promoveatur in sacerdotium, *elatus in superbiam* cogitando secum, Si modo non essem conversus, non esset præter me qui sciret præesse Ecclesiæ, sic superbiendo *incidat in judicium*, id est damnationem diaboli, qui per superbiam damnatus fuit, ut et hic neophytus similiter per superbiam damnetur. Neque hæc solum necessaria sunt illi, sed *etiam oportet*, id est necesse est *illum habere bonum testimonium*, non solum a fidelibus, sed *etiam ab his qui sunt foris*, id est extra fidem, scilicet ab infidelibus, *ut non incidat in opprobrium*, quia si modo infideles videant illum sacerdotem factum, prædicantem verbum Dei, convicientur ei dicentes : Tu qui paulo ante furabaris, adulterabas, etc., jactas te modo magistrum nostrum, in cujus ore etiam bona contemptibilia sunt. Hic autem hoc audiens, accensus ira alterna reddat opprobria, et hoc modo incidat in laqueum diaboli, qui iis dolis laborat illaqueare eum. Quare oportet eum qui promovetur in sacerdotium, etiam cum infidelis fuit, sine querela conversatum fuisse inter suos.

Quales presbyteros oportere esse diximus, oportet esse diaconos sobrios, et cætera quæ non reponit. Per hoc quod ait similiter intelligenda esse in ordinatione diaconorum significavit, qui ordo parum dignitate discrepat a sacerdotio. *Diaconos*, inquam, A *oportet esse pudicos*, id est custodes castitatis, et *non bilingues*, id est non inter fratres discordias seminantes, *non deditos multo vino*, quo quidem sobrie licet uti; *non sectantes turpe lucrum*, ut nec fenerent, nec negotientur; *habentes* etiam *mysterium*, id est secretum *fidei*, ut cognoscant illa secreta fidei nostræ, quæ simplicitas vulgi capere non sufficit. Diaconorum enim officium est evangelizare verbum Dei populo: 322 in cujus rei signum traditur eis Evangelium ad legendum. Quare oportet eis nota esse arcana fidei qui de fide sunt docturi. *Et* licet hæc omnia habeant, tamen antequam ordinentur, *probentur primum* interrogationibus illis, quibus ante ordines solent interrogari, ut illud. Vis servare castitatem et similia? Hi utique B probentur, et similiter sacerdotes de quibus hoc non præmiserat. *Et sic* demum ordinati *ministrent*, id est res Ecclesiæ in necessariis usibus distribuant, ut in cibis pauperum et similibus.

Statutum enim fuit etiam in primitiva Ecclesia, ut illi septem diaconi res ecclesiasticas et domesticas disponerent, pauperibus ministrarent (*Act.* VI, 2), etc., ut apostoli hujusmodi curis soluti, liberius vacarent prædicationi. Unde adhuc si jure fit, per manus diaconorum ministeria distribuuntur Ecclesiarum. Ministrent dico *non habentes ullum crimen* actu, nec etiam suspicione, tanta enim vigilantia debent se circumspicere, quod occasionem non habeat hostis, vel suspicari criminale quid de illis. C Non habentes crimen, idem est quod supra ait *irreprehensibilem*. Hic inserit præceptum de mulieribus ante et post agens de diaconibus, quod intersertum nisi ad diaconos aliquomodo pertineat, inconveniens hic ordo videtur. Ut autem quod ait de mulieribus convenienter insertum judicetur, sic exponimus : *Mulieres* quæ nuptæ fuerint his qui in diaconatum promoventur, *similiter* oportet esse *pudicas*, id est necesse est profiteri castitatem, sicut viros earum. Melius enim esset ut cum viris in castitate conjugii manerent, quam separatæ a viris impudice viverent.

Et ideo viri earum non recipiantur in Ecclesia, nisi et mulieres eorum profiteantur castitatem, quas non solum pudicas esse oportet, sed etiam *non detrahentes*, quia si detractioni vacant, melius fuisset D esse cum viris, qui corrigerent eas. Oportet etiam eas esse *sobrias* in cibo, in potu et in vestitu. Sint etiam *fideles in omnibus*, id est justificationem a peccatis, quam per fidem acceperunt, salvam per omnia custodientes. Vel ita : Fideles sint in omnibus, quod si quid de ecclesiasticis committitur illis (ut ministrare pauperibus) fideliter exsequantur. *Diaconos* etiam *sint*, id est fuerint *viri unius uxoris, qui filiis suis bene præsunt, et suis domibus*, sicut de episcopo fuit expositum. Vel si placet mulieres diaconissæ, scilicet moniales, similiter oportet esse pudicas, etc., sicut dicta sunt. Ne autem cuilibet difficile esse videretur sic se præparare pro habendo diaconatu, ait : Non sit vobis onerosum tales et

tiles fieri ut hunc ordinem conscendatis, *quia qui bene* et religiose *ministraverint* in diaconatu, *acquirent per* hoc *sibi majorem gradum*, bonum, id est utilem sibi, presbyteratum scilicet seu episcopatum. Et si forte non accepto majori gradu moriantur, quia bene ministraverunt in diaconatu, acquirent *multam*, id est multiplicis boni *fiduciam*, scilicet cœlestis : *in fide*, id est justificari per fidem *quæ est in Christo Jesu*. Vel ita, ut quamdam privatam fidem intelligamus. Sic acquirent fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu, id est in persona Filii. Licet non in una persona plena fides sit, sed in tribus. Fidem privatam in Christo dicit, quod per redemptionem et cætera, quæ propria personæ Filii sunt : confidit se salvari. *Hoc* de ordine sacerdotali et levitico et cætera *scribo tibi, fili Timothee, sperans me* tamen (licet modo tibi scribam) *cito venire ad te*.

Ubi ait se scribere cum cito sit venturus, multam necessitatem (ut observentur ea quæ scribens imperat) per hoc innuit. Cito quidem spero me venturum ad te ; *sed si* forte *tardavero*, scribo, *ut* per hoc *scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei*, id est quanta vigilantia custodire debeas fideles, in quibus Deus ut in domo habitat. Et quia domus de paucis dici possit, addit : *Quæ* domus *est Ecclesia*, id est in qua Deus multos ad fidem convocavit. Ecclesia dico *Dei viri*, id est qui vitam æternam, quam habet, dat suæ Ecclesiæ. Quæ Ecclesia est columna secundum quosdam firmos et directos in fide, *qui columna* dicuntur quantum ad se. *Firmamentum* etiam *veritatis* dicuntur, quantum ad alios debiles in fide, qui, nisi firmarentur exemplo et exhortatione istorum, titubarent in fide ; in qua Ecclesia **323** est sacramentum, id est Christus : *et hoc sacramentum pietatis*, id est totius religionis *magnum est*, quia magnitudinis ejus non est finis. Est utique hoc sacramentum in ea manifestum, id est apparens per multa miracula quæ operatur Deus per membra Ecclesiæ. Christus ab ea similitudine sacramentum dicitur, sicuti sub veteri lege quædam sacramenta in templo recondebantur quæ non licebat videre populo, sic in Christo licet multa videantur, tamen multa in eo absconsa sunt quæ nulla creatura comprehendere sufficit. Sacramentum autem res mysteriis involuta dicitur. Quod sacramentum, id est Christus, *manifestatum est in carne*, quia per verbum Dei incarnatum, deitas quodammodo per carnem visibilis facta est ; quæ, nisi in carne, penitus invisibilis erat. Hoc ideo sacramentum, id est Christus *justificatum est*, non quod peccatum habuerit, sed homo ille quem Deus assumpsit justus factus est *in spiritu*, id est per spiritum, scilicet per deitatem conunitam sibi, quia cum alii homines ex concupiscentia carnis concipiantur, Christus ex dilectione patris conceptus est. Hoc iterum sacramentum *apparuit angelis*, id est fecit se Christus cognosci ab angelis, per hæc quæ homo factus operatus est in terris. His enim visis, multum profecerunt angeli de cognitione Dei, non enim omnia mysteria revelata fuerant illis. Hoc etiam sacramentum *prædicatum est gentibus* ab apostolis, *creditum est* etiam *in mundo*, mundus enim jam credit in Christum. *Assumptum est* etiam *in gloria*, ubi sedet in dextera Patris, occurrentibus illi angelis in die ascensionis suæ.

CAPUT IV.

« Spiritus autem manifeste dicit, quia in novis-
« simis temporibus discedent quidam a fide, atten-
« dentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum,
« in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteria-
« tam habentium suam conscientiam, prohibentium
« nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit, ad
« percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et
« his qui cognoverunt veritatem. Quia omnis crea-
« tura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod
« cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur
« enim per verbum Dei et orationem. Hæc pro-
« ponens fratribus, bonus eris minister Christi
« Jesu, enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ
« quam assecutus es. Ineptas autem et inanes
« [aniles., *i. e.* infructuosas] fabulas devita (*II Tim.*
« II, 23). Exerce autem teipsum ad pietatem. Nam
« corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Pietas
« autem ad omnia utilis est, promissionem habens
« vitæ, quæ nunc est, et futuræ. Fidelis sermo, et
« omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus
« et maledicimur, quia speramus in Deum vivum,
« qui est salvator omnium hominum, maxime
« fidelium. Præcipe hæc et doce. Nemo adolescentiam
« tuam contemnat ; sed exemplum esto fidelium
« in verbo, in conversatione, in charitate, in fide,
« in castitate. Dum venio attende lectioni, exhorta-
« tioni et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in
« te est ; quæ data est tibi per prophetiam cum
« impositione manuum presbyteri [presbyterii].
« Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus
« manifestus sit omnibus. Attende enim tibi et
« doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et tei-
« psum salvum facies, et eos qui te audiunt. »

EXPOSITIO.

Ne modo Timotheus objiceret Paulo : quoniam tantum sacramentum (ut ais) in Ecclesia est, non multum me vigilare oportet pro custodia ejus, quia per hoc sacramentum sufficienter custodietur. Contra hoc Paulus ait : Scias omni vigilantia conservandam esse Ecclesiam Christi, quia *in novissimis temporibus discedent quidam a fide*. Hoc autem non leviter a quolibet accepi, sed *Spiritus* sanctus *dixit mihi non* sub aliquibus figuris, sed *manifeste*, quia in novissimis temporibus discedent quidam hæretici a fide Christi, *attendentes spiritibus erroris*, id est dæmonibus loquentibus per ora seductorum, attendentes non tantum rationibus eorum, sed etiam *doctrinis*, id est assertionibus doctrinarum eorumdem *dæmoniorum, loquentium mendacium in hypocrisi*, id est in simulatione boni, cum vere mali sint, *et habentium suam conscientiam*, id est **324** mentem suam totius mali consciam, *cauteriatam*, id est foris

manifesta adustione signatam. Cauteriare a *caveo, caves*, dicitur, cauterium enim adustio illa dicitur, quæ fit deprehensis furibus, ut qui viderint illos, per hoc signum caveant sibi ab illis, scientes quod fures sunt. Ab ea similitudine dicit *habentium conscientiam cauteriatam*, quia dolosæ mentis suæ quædam signa foris emittunt, per hoc quia prohibent nubere. Hæc est enim coctura illa quæ nobis aperit malum conscientiæ eorum, quod *prohibent nubere*, id est quod præcipiunt non nubere : et præcipientium adhuc *abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum fidelibus*, et hoc *cum actione gratiarum*, quia de hoc agendæ sunt gratiæ creatori Deo, ne forte si sine benedictione perciperemus (quod sæpe auditum est) diabolus cum iis ingrederetur. Creavit utique ad percipiendum fidelibus, *et his*, id est etiam eisdem talibus *qui cognoverunt veritatem*, hanc scilicet quia omnis creatura Dei, in eo quod a Deo creata est, bona et utilis est omni hoc credenti ; si autem nociva est alicui, ut coluber, propterea fit quia non credidit bonam esse sibi hanc creaturam Dei, ut, si modo crederet quis non esse bonum se comedere carnem etiam licitam, et tamen comederet, peccaret, quia uteretur eo quod bonum esse dubitaret. Cognoverunt etiam fideles nihil esse rejiciendum. Determinat quod dicit non rejiciendum. Illud scilicet quod percipitur, id est quod percipiendum est cum actione gratiarum, non enim omnis caro comedenda est. Percipere, inquam, et agere gratias bonum est, *quia* creatura illa quæ in cibum sumitur, *sanctificatur per verbum*, id est per Filium Dei. Per Filium enim et omnia creavit, et omnia creata sanctificavit. Sanctificatur *etiam per orationem*, id est et per benedictionem quæ præcedit, *et per gratiarum actionem* quæ sequitur.

Nota, cum de tempore Antichristi Timotheum Paulus instruat, innuit membra Antichristi per longa tempora caput suum præcedere. Innuit etiam quod hæc instructio omni Ecclesiæ, et secundum omnia futura tempora facta sit. *Hæc* quæ superius dicta sunt, nuptiis non detrahere, cibos, quos Deus ad percipiendum fidelibus creavit, non derogare, et cætera præmissa tu *proponens*, id est in propatulo ponens *fratribus*, licet sic proponendo quibusdam videaris nimis remissus et indulgens carnalitati, sic tamen *eris minister Christi Jesu bonus*, id est utilior illis qui modum nimia districtione excedentes prohibent nubere, et uti carnalibus. Sic debes proponere, tum quia sic bonus, id est utilis eris, præterea quia potes ; tu enim *enutritus*, id est extra rudimenta et nutrituram puerilem positus doctus es *verbis fidei*. Nosti enim in quem, et quomodo te oporteat credere. Enutritus etiam es verbis *bonæ doctrinæ*, id est utilem morum instructionem didicisti, *quam* doctrinam plenarie *assecutus es* per me, qui et te baptizavi, et quæ adhuc docenda erant sufficienter docui. Hic enim Timotheus a matre fideli litteris sacris addiscendis puer traditus est, non tamen donec a Paulo baptizatus est ; et ideo dicit eum enutritum esse in fide, sciens quod in Christum credere oporteat. Enutritum etiam bona doctrina, id est instructione morum. Talia propone fratribus ; *sed* fabulas ineptas quæ nullam veritatem habent, ut de prohibitione ciborum et nuptiarum ; *fabulas ineptas etiam inanes*, id est inutiles, quæ, licet veritatis similitudinem teneant, ut reducere circumcisionem, sine omni utilitate tamen sunt ; illas non solum sicut prænonui interdicas, sed *devita*, si quis inde tecum secreto velit discutere ; nec etiam solus studeas in illis, sed potius *exerce* te, nec partim, sed *teipsum* totum et corpore, et animo *ad pietatem*, id est ad doctrinam et custodiam religionis, utque totus fortiter vacare possis pietati, ne supra modum carnem tuam affligere velis. Nam hæc *corporalis exercitatio* per jejunia *utilis* quidem, sed respectu pietatis *ad modicum* valet. Quid enim prodest prælatum sic se affligere, ut præ debilitate carnis instructioni subditorum **325** nequeat vacare? Afflictio corporis parum est utilis : *pietas autem*, id est ex pietate miserationis intendere filiorum instructioni : hæc, inquam, pietas *utilis est* ; non ad quædam, sed *ad omnia*. Ideo de afflictione corporis Timotheum sic quodam modo redarguit : quia noverat eum adeo jejunare, et a potu vini se cohibere, quod stomachus ejus ideo debilitaretur : quare præcipit illi in sequentibus uti vino. Quæ pietas est *habens promissionem vitæ quæ nunc est*, id est vitationem mali et augmentum justitiæ, quæ in hac vita licet habere. Habet etiam promissionem *futuræ* et perpetuæ vitæ. Hic autem *sermo*, quem dixi intendere pietati, nec ita corpus affligere, ut impediatur pietas, *fidelis* est, *et* est *dignus omni acceptione* : quia confortato corpore fovetur pietas utilis ad omnia. Quodque acceptum esse debeat exercere ad pietatem apparet inde : quia *in hoc*, id est in pietate *laboramus* nos, cibos de labore manuum quærentes. *Maledicimur* etiam ab infidelibus : ideo *quia speramus* intendentes *in Deum vivum*, qui vitam æternam quam habet dabit sperantibus in se. In eo merito sperandum est *qui est Salvator omnium hominum*, bonorum et malorum salvatione temporali : quia « solem suum facit oriri super justos et injustos (*Matth.* v, 45). » Cumque sit omnium Salvator, *maxime* tamen et præcipue *fidelium est*, quibus vitam æternam dabit, quam negabit impiis : quos tamen in hoc mundo salvat in temporalibus bonis. Quoniam quidem exercere te ad pietatem bonum est, et nos in eodem laboramus : quos tamen in hoc mundo imitari debes.

Tu igitur vacando pietati *præcipe* his qui sciunt, sed pigri sunt ad operandum : *hæc* scilicet præcepta quæ præmissa sunt. Si qui etiam sunt nescientes, *doce* eos et hoc utrumque cum tanta severitate et munditia, ut *nemo contemnat tuam adolescentiam* ; ut honestas vitæ et habitus ætatem tuam annis juvenilem moribus faciant maturam. Nemo, inquam, te contemnat : *sed esto exemplum* quorumque *fidelium in verbo* : in humilitate alloquens omnes *in conversatione*, omnibus omnia factus *in charitate*, id est

in dilectione proximi *in fide*, id est in justificatione permanens. Et *in castitate*, quæ virtus gemma virtutum est in juvene. Ideo de castitate juvenem instruit, adolescentia enim ætas est magis lascivire appetens quam alia. Et ut sis exemplum fidelium *attende lectioni*, id est assidue revolve sacram paginam, *dum*, id est donec ego *venio*. Postquam enim ad te venero sufficienter monebo te : viva enim vox magis animat quemcunque quam lectio : sed tamen multi satis sciunt, qui, nisi lectione incitarentur, torperent dum monitor eorum abesset ; et ideo ait : Attende lectioni, et attende *exhortationi*, id est exhortare eos qui docti sunt, et tamen ad operandum pigri. Attende etiam *doctrinæ*, id est doce eos qui nesciunt : et ut in his attentior sis, *noli negligere gratiam* Spiritus sancti *quæ est in te* collata. Gratiam dico pontificalem, *quæ data est tibi per prophetiam*, id est per prævisionem ; spiritu enim prophetiæ prædoctus, vidi te idoneum pontificali gratiæ : et hæc data est tibi *cum impositione manuum presbyterii*, id est episcopi qui consecrando te episcopum, manus tibi imposuit. Vel presbyterii, id est presbyteratus : quia licet unus specialiter manus imponat et conseeret, tamen cæteri episcopi qui astant eumdem cum illo consecrant.

Nota quod per impositionem manus Spiritus sanctus datur : non ideo fit quin sine hoc posset dari ; sed ideo manus imponitur, ut plenam subjectionem per hoc discat exhibere Deo et consecratori suo ille qui sacratur. Unde sacrator ille hanc prælationem habet super eum quem consecrat, quod nunquam ab eo ultra judicabitur. Prophetia etiam illa quam dixit, quia non ita modo potest fieri, non enim sic modo spiritales sunt episcopi, fit tamen secundum quod potest fieri : ubi qui consecrandus est præsentatur consecratori, et requiritur de fide et cæteris ut habet Ordo. Et (ut conserves gratiam quæ in te est) *meditare hæc* quæ moneo : et *esto in his* per operationem **326** *ut* sic meditando et operando *profectus tuus manifestus sit omnibus*, et exemplo tuo proficiant. Utque sic proficere possis, attende tibi subtiliter, corrige vitam tuam, et te undique circumspecto *attende doctrinæ*, id est doce alios. Vita enim tua si sit laudabilis prædicationem tuam commendabit, et ideo *insta in illis*, id est in directione vitæ et doctrina subditorum. *Hoc enim faciens*, id est instando in illis *teipsum salvum facies*. Attendendo tibi, *eos etiam* salvos facies per doctrinam *qui te audiunt*.

CAPUT V.

« Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam pie regere et mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum : et instet obsecrationibus et orationibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est vivens, mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum (et maxime domesticorum) curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens : si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt : habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem et otiosæ discunt circuire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non oportet. Vòlo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam. Si quis fidelis habet viduas, subministret illis ut non gravetur ecclesia : ut his quæ vere viduæ sunt sufficiat. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura : Non alligabis [in frena] os bovi trituranti (*Deut.* xxv, 4 ; *I Cor.* ix, 9). Et : Dignus est operarius mercede sua. Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus (*Deut.* xix, 15, 45). Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis ejus, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, quorumdam autem et subsequuntur. Similiter autem et facta bona manifesta sunt, et quæ aliter se habent, abscondi non possunt. »

EXPOSITIO.

Et ne Timotheus (quem sic admonuit, *præcipe, doce*, etc., indiscrete doceret, non attendens diversitates ætatum et sexuum, subjungit Paulus quomodo singula ætas docenda sit, dicens : Licet dicam *præcipe, doce*, vide tamen *ne* cum austeritate *increpaveris seniorem* ætate, *sed obsecra* cum tanta diligentia, *ut patrem ; juvenes* autem obsecra, *ut fratres ; anus* vero, *ut matres ; juvenculas, ut sorores*. Et quia Timotheus juvenis erat, ideo cum de juvenculis diceret, *in omni castitate* apposuit ; rectissime enim in alloquio juvencularum juvenis de omni castitate admonetur, ne saltem minima carnis titillatione circa eas moveatur. Timotheo instructo qua discretione docere deberet subdit præceptum de viduis, determinans quæ de bonis Ecclesiæ debeant sustentari, et quæ non, dicens : Juvenculas sic obsecra ; *Viduas* vero confugientes ad Ec-

ecclesias *honora* eo modo quo honorandæ sunt : **327** dando scilicet victum et vestimentum illis solum *quæ sunt vere viduæ*, nolentes ulterius reverti ad ea quæ mundi sunt, ut amplius nubere velint; illis etiam quæ sunt desolatæ, quod subdit inferius. Desolatas vocat quæ filios vel parentes non habent qui eas sustentare queant, vel cum quibus ipsæ rebus suis, si quas habent, possint uti et instruere eos. Honora, inquam, eas quæ vere sunt viduæ, sed *si qua vidua habet filios aut nepotes*, hæc utique quia desolata non est, *discat* (primum quam sumptus Ecclesiæ accipiat) specialiter *regere domum suam*, id est filios ac nepotes : et si parentes adhuc habet; discat *reddere mutuam vicem parentibus*, qui eam aluerunt cum infans esset. Benefaciat, inquam, parentibus quia *hoc*, id est et suos specialiter regere, *acceptum est coram Deo* magis quam si parentes in calamitate desereret. Vidua quæ filios habet non transeat ad Ecclesiam, *sed* illa *quæ vere vidua est* nolens amplius reverti ad conjugium; *et* quæ est *desolata* non habens filios aut nepotes, illa *speret in Deum*, id est sustentetur bonis Ecclesiæ, *et* ibi *instet obsecrationibus et orationibus nocte et die.*

Vel aliter ut in hoc versu determinetur quæ sit vere vidua. Dico alendas ab Ecclesia vere viduas; ne autem decipiaris in illis, scito quod illa vere vidua est et desolata, quæ sperat in Deum, et non in filios aut nepotes, et quæ instat obsecrationibus et orationibus nocte et die. Quæ vere vidua est hæc solum sperat in Deum, vel speret. Nam illa *vidua quæ est in deliciis* carnis, *vivens* mundo, *mortua est* Deo, et talis non debet recipi in Ecclesiam. *Hoc* etiam *præcipe* de viduis quod cum sint vere viduæ et desolatæ, *sint* et *irreprehensibiles*, id est nec crimen habentes, nec occasionem criminandi se in aliquo tribuentes. Vidua quæ habet filios aut nepotes regat eos, *quia si qua* vidua *non habet curam suorum* quos regere debet, et *maxime* præ cæteris curam *domesticorum*, id est filiorum aut nepotum, hæc talis *negavit fidem*, quam promisit Deo. Planum est enim quod, curam proximi non habens, proximum non dilexerit, et sic nec Deum diligit. Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Quia si nec Deum diligit, fidem plane negavit. *Est etiam deterior infideli*, qui nunquam fidem habuit, quia reus est pacti quod Deo pepigit, et sic irritum fecit. Vel ita : Vidua regat filios et nepotes; si quis autem eorum expellat matrem viduam volentem sustentari ab illis, quod æquipollenter ait : Si quis non habet curam suorum, fidem negavit, et est infideli deterior. Hæc autem vidua est, si quæ præmissa sunt habet. *Non* tamen *eligatur* ad recipiendum in Ecclesia *minus sexaginta annorum, quæ* etiam *fuerit uxor unius viri*, ne ducendo secundum, rea incontinentiæ visa sit, quæ etiam vixerit studiosa *in operibus bonis. Habens* etiam *bonum testimonium* ab Ecclesia : *si filios educavit* spiritualibus documentis; *si pauperes hospitio recepit; si lavit pedes sanctorum*, id est si omne pietatis opus prædicatoribus exhibuit; non formidans minas persecutorum qui damnabant quoscunque ministrantes sanctis; *si* etiam *subministravit patientibus tribulationem*, id est sanctis incarceratis. Ut omnia comprehendam, *si subsecuta est omne bonum opus*, eligatur.

Viduæ sexaginta annorum eligantur, *adolescentiores autem viduas*, quæ non sunt tot annorum, illas volo nubere, et ideo *devita*, non accipias eas in ministerium Ecclesiæ. Devita ideo *quia si* suscipias, *cum*, id est postquam *fuerint luxuriatæ*, id est præ nimia abundantia lascivientes, *volunt nubere*. Et hoc *in Christo*, id est legaliter non meretricari, tales illæ *habentes damnationem, quia* sic frangendo vota, *fecerunt irritam* etiam *primam fidem*, quam in baptismo pollicitæ fuerant, ubi a diabolo se abrenuntiare dixerant, cui frangendo votum continentiæ quam voverant, se iterum mancipaverunt, patenter innuentes, quia egentes confugerunt ad subsidia Ecclesiæ, non amore continentiæ. Quæ non solum **328** nubere volunt : sed etiam *simul* congregatæ *discunt circuire domos*. Et hoc ideo quia *otiosæ* sunt, et *non solum otiosæ, sed etiam verbosæ*, inquirentes rumores urbis. *Loquentes* etiam curiose, et cum multo studio ea *quæ non oportet*, scilicet quælibet impudica. Et quia propter otium in tantam perniciem delabuntur, ergo propter hoc *volo juniores viduas*, quæ præfixos annos non habent, volo, inquam, eas *nubere, filios procreare, matresfamilias esse*, ut habeant quibus intendant, et non solito modo otientur. Et sic volo eas *non dare ullam occasionem adversario*, id est infideli *gratia maledicti*, id est cui valde gratum est, habere occasionem maledicendi de fidelibus. Propterea malo eas nubere quam recipi in Ecclesia, *jam enim quædam* voventes continentiam *conversæ sunt* ab eo quod voverunt, euntes *retro post Satanam*. Quod si hæ viduæ non inveniunt cui possint nubere, volo quod si qua, vel *si quis fidelis habet* has *viduas*, vel matrem, vel sorores, vel filias, *subministret illis, et non gravetur Ecclesia* in sustentatione illarum, ut possit sufficere his quæ sunt vere viduæ et desolatæ.

Dato præcepto de viduis, insinuat quibus modis presbyteri sint honorandi a populo, dicens : Sic præcipe de viduis. Præcipe etiam ut *presbyteri* habeantur *digni duplici honore*, et spiritali, ut inclinetur eis, et obediatur eorum præceptis, et corporali ut temporalia ministrentur eis sufficienter a subditis. Hi utique presbyteri *qui præsunt bene*, id est quorum prælatio utilis est subditis, quia vel vacant instructioni eorum, vel orant pro eis. Cumque hic duplex honor omni presbytero debeatur, his tamen *maxime* impendatur *qui laborant in verbo* fidei, docentes quid credere oporteat, *et* in *doctrina*, id est in instructione morum. Duplicem honorem dixit exhibendum esse presbyteris, quorum alterum, id est spiritalem, quia vidit nulla ratione posse negari, ad eum probandum nihil subdidit. Sed alterum scilicet de rebus populi sustentare sacerdotem : quia vidit quosdam avaros hoc negaturos, probat hoc auctoritate Veteris et Novi testamenti, dicens : Sicut præ-

cipio digni habendi sunt presbyteri, quia dicit Scriptura : *Non alligabis os bovi trituranti* (*Deut.* XXV, 4; *I Cor.* IX, 9). Mos fuit veteribus (et adhuc est in aliquibus partibus) ut segetes in area positas conterent boves, et cætera docta ad hoc opus animalia; sed tamen proprium bovum hoc erat ut hoc modo contrita messe, grana seligerentur a paleis. De quibus præcepit Moyses ne bovi conterenti in area alligaretur os, sed de eo in quo laborabat licenter comederet, hoc præcipiendo intendens aliud, scilicet ut prædicator triturans in area Domini de labore suo sufficientia sibi susciperet ab illis pro quorum instructione laboraret. Dicit etiam Dominus in Evangelio. « *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X, 7), » id est prædicator ab his in quibus instruendis operatur, quæ necessaria sibi sint accipiat. Quia iterum vidit Apostolus quod, presbytero reprehendente vitia subditorum, quidam male moverentur, volentes depravare vitam presbyteri, ne hoc temere crederetur, ait : Presbyter sic honoretur a subditis, *adversus* quem *presbyterum noli recipere accusationem* factam de crimine, *nisi sub duobus vel tribus testibus.*

Quod si de debito, vel de qualibet re sæculari convenitur, respondeat singulis. Nunc utique, quia magis ac magis in deterius lapsi sunt homines, nec multo pluribus testibus, conceditur hodie, ut respondeat presbyter, nisi interpelletur de hæresi. Sub duobus vel tribus testibus respondeant presbyteri. Si autem *peccantes* sint, id est si presbyteri in eo quo arguuntur, peccasse convincantur, *argue* eos *coram omnibus*, ut sicut crimen eorum, sic pœnitentia criminis omnibus palam sit, ne forte si privatim pœniteant, non pœnitere putentur qui ab omnibus peccasse deprehensi sunt. Ideo coram omnibus argue *ut* hoc viso *timorem habeant* peccandi *cæteri* sacerdotes, **329** scientes simili pœna se plectendos, si peccaverint. Vel cæteri, id est subditi, qui viso quanta districtione coerceantur prælati, magis timeant sibi qui sunt subditi. Ne autem aliquos presbyteros contingat sic de peccato convinci (non enim parvum malum est eos in scelere deprehendi, qui forma boni esse debent aliis); ne hoc utique contingat, præcipio ne quem consecres sacerdotem sine præcedenti examinatione. Ut autem hoc mandatum nulla causa prætereas, obtestor te *coram Deo* Patre ut Deus hoc non a me, sed de manu tua requirat, si tamen feceris. *Testor* etiam coram *Christo Jesu*, qui futurus est judex omnium, ut in judicio non me, sed te inde arguat. Testor etiam coram *electis angelis* : ministerio quorum in die judicii boni separabuntur ab impiis, ut in die illo rei hujus mihi testes sint, nec me ideo repellant a parte piorum. *Testor te*, inquam, *ut hæc* quæ dicturus sum *custodias*, scilicet nihil facias, id est neminem ad sacerdotium promoveas *sine præjudicio*, id est sine præcedenti examinatione. Præjudicium accipitur hic, quasi præcedens judicium : sed in canonibus præjudicium præcipitata sententia dicitur. Cumque præmisso judicio quemlibet examinaveris, si eum indignum sacerdotio per examinationem inveneris, *nihil* facias *declinando in partem* aliam ab eo quod docuit examinatio : ut quem malum examinando invenisti, postea seductus aliquo modo consecres in sacerdotem. Si vero probatus inventus sit dignum secundum quod modo visum est, tamen *nemini* eorum *cito manus imposueris*, id est non statim consecres, sed differas adhuc per congruum tempus, ut si forte quid latet in eo quod examinatio facta non invenerit, per dilationem temporis inveniatur. Et nihil faciendo sine præjudicio, nec præceps in consecratione alicujus non *communicaveris alienis peccatis.* Si enim non examinares, vel nimis cito consecrares, particeps esses omnium criminum quæ injuste consecratus committeret in sacerdotio : Utique alios subtiliter examines, digne consecres : *custodi teipsum castum*, id est in omni virtute integrum.

Quia autem de castitate eum admonuit, ob cujus custodiam vino non utebatur : quare et stomachus ejus debilitabatur, ne penitus a vino abstinendum sibi esse crederet, ait Paulus : *Noli bibere aquam adhuc.* Per hoc quod dixit *adhuc*, designavit eum prius uti aqua. Noli bibere aquam, *sed utere* non semel, sed in usu habe. Utere, inquam, *vino :* sed *modico*, id est custodiendo modum, scilicet non propter ebrietatem, sed *propter stomachum tuum*, id est propter morbum crebro stomacho insidentem; *et* propter *frequentes tuas infirmitates*, id est propter multiplices accessus et æstuationes ejusdem morbi, ut quilibet febricitans morbum quidem semper in se habet, licet modo acrius, modo remissius patiatur, sed accedentes æstus febris vicissim patitur, et non semper. Sic iste Timotheus naturam quidem morbi in stomacho jugiter habebat, sed accessus morbi vicissim difficillime patiebatur. Ideo necessaria est examinatio priusquam presbyter consecretur, quia *peccata* quædam *quorumdam hominum manifesta sunt præcedentia ad judicium;* quia priusquam veniatur ad judicium vel ad discussionem, præcesserunt discussionem illam quædam peccata illorum qui probandi sunt satis cognita per solam famam. De his autem quæ palam sunt non oportet discutere. *Quosdam autem subsequuntur* peccata discussione facta : quia priusquam de his discussio fieret, occulta erant crimina quæ per discussionem aperta sunt, et propter hæc occulta crimina necessaria fuit discussio. *Similiter* ut de malis quædam *bona facta* eorum qui probandi sunt *manifesta sunt*, et examinatione non egent, *et* e converso bona eorumdem *quæ habent se aliter*, id est quæ non sunt manifesta, *abscondi non possunt* in discussione : ad quæ bona invenienda opportunum fuit discutere. Et quia sic in quibusdam peccata, in aliis **330** bona facta occulta sunt : ideo necesse est eos qui consecrandi sunt examinare, ut qui mali inventi fuerint, reprobentur; qui vero boni, promoveantur. Hæc sententia beati Augustini est. Ambrosius autem sic ad proximum verba jungit : Moneo te uti vino, in

quo te obedientem esse bonum est : quia licet non omnibus appareat hoc te bene agere, ne ideo reformides : quia verum quidem est quod quædam bona facta manifesta sunt, et quædam facta quæ aliter se habent, id est quæ manifesta non sunt, non possunt abscondi in die judicii ; ita si modo non videris bene agere utendo vino, quia prius noverunt te omnes abstinere ab hoc ob custodiam sobrietatis, ne cures : quia licet non modo, tamen in die judicii manifestum erit te bene egisse, dum, mihi obediendo, usus es vino. Quod quædam bona manifesta sint, quædam vero non, apparet per contraria, quia peccata quorumdam hominum manifesta sunt præcedentia ad judicium : quorumdam autem et subsequuntur, sicut expositum est. Similiter in ordine litteræ legitur.

A

B

CAPUT VI.

« Quicunque sunt sub jugo servi dominos suos « omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini « et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles ha- « bent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : « sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti : « quia beneficii participes sunt. Hoc doce et exhor- « tare. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis « sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ « secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, « nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pu- « gnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, con- « tentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, confli- « ctationes hominum mente corruptorum : et qui C « veritate privati sunt, existimantium quæstum esse « pietatem. Est autem quæstus magnus, pietas cum « sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mun- « dum, haud dubium quia nec auferre quid possu- « mus. Habentes autem alimenta et quibus tega- « mur, his contenti simus. Nam qui volunt divites « fieri, incidunt in tentationem et in laqueum dia- « boli, et desideria multa et inutilia et nociva, quæ « mergunt homines in interitum et perditionem. « Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam « quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruc- « runt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, « hæc fuge. Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, « charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bo- « num certamen fidei : apprehende vitam æternam D « in qua vocatus es, et confessus bonam confessio- « nem [fidem] coram multis testibus. Præcipio tibi « coram Deo qui vivificat omnia, et Christo Jesu qui « testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam « confessionem, ut serves mandatum sine macula « irreprehensibile usque in adventum Domini nostri « Jesu Christi : quem suis temporibus ostendet bea- « tus et solus potens Rex regum et Dominus domi- « nantium, qui solus habet immortalitatem, et lu- « cem habitat inaccessibilem : quem nullus homi- « num vidit, sed nec videre potest : cui honor et « imperium sempiternum : Amen. Divitibus hujus « sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare « in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præ- « stat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, « divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, « communicare, thesaurizare sibi fundamentum bo- « num in futurum, ut apprehendant veram vitam. « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas « vocum novitates, et oppositiones falsi nominis « scientiæ : quam quidam promittentes, circa fidem « exciderunt. Gratia tecum. Amen. »

EXPOSITIO.

Quia iterum vidit Paulus quosdam servos ad fidem conversos indignari, nec velle servire dominis suis infidelibus, putantes absurdum esse, ut si quis fidelis esset serviret infideli : nec etiam fidelibus dominis, dicentes, cum omnes fideles in Christo **331** fratres sint, debere fieri omnes ejusdem conditionis. Ut malum hujus opinionis refelleret, ait : Sicut prædixi de consecrandis presbyteris observa ; præcipe etiam hoc, ut *quicunque servi sunt sub jugo* infidelium dominorum, *arbitrentur dominos suos dignos omni honore ;* fide tamen in omnibus custodita. Ideo per jugum infideles signavit, qui difficilius premebant servos quam fideles domini. Ideo sic dominis subjiciantur, *ne*, si aliter fieret, *blasphemetur nomen Domini*, dicentes Deum injustum, qui conditiones mutaverit, et servos qui pro peccatis suis seu parentum servi facti sunt, ut Cham filius Noe, cum generatione sua (*Gen.* IX, 25), quia pudenda patris detexit, liberos non fecerit, ideo etiam serviant dominis, ne *doctrina*, id est prædicatio sanctorum blasphemetur et contemptibilis fiat, dum quæ sua sunt, dominis auferat. Illi *autem* servi *qui habent fideles dominos, non contemnant* eos *quia fratres sunt* in Christo ; *sed magis*, non quod plura debita solvant, sed majori dilectione *serviant* eis, ideo *quia fideles sunt, et dilecti* a Deo, et quia *participes sunt beneficii* Dei, id est justitiarum quæ habentur in præsenti, et futuræ beatitudinis. Hos scilicet servos subjectos esse dominis *doce* eos, qui nesciunt, *et exhortare* superbos, qui sciunt et servire dedignantur. *Si quis* vero pseudo *aliter docet*, servos scilicet non debere servire dominis, *et* a te prohibitus ne hoc doceat, *non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et* non acquiescit *ei doctrinæ quæ est secundum pietatem.* Doctrina enim Dei pia est, non mutans conditiones, nulli tollens quod suum est. Etiam ideo pia quia per hoc dominos multum invitat ad fidem et allicit, quam utique doctrinam, si servos eis auferret, intolerabilem judicarent et abjicerent. Servis etiam per hæc pia est : quia cum pro peccatis suis, seu parentum servi facti sunt, si pœnam hanc peccati patienter sustinent, merentur justificari per humilitatem ; si vero renuunt, damnantur per superbiam. Si quis, inquam, aliter docet, nec prohibitus desistit ; hic abjiciatur ut *superbus* et *nihil sciens*, cum se putet aliquid scire, et omnes homines unius conditionis esse asserat. Nihil, inquam, sciens, *sed languens*, id est dissolutus et languidus *circa quæstiones* quas objicit et absolvere nescit ; *et* circa *pugnas verborum*, id est circa

pugnantia verba, ut illud : « Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 36) ; » et illud : « Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris (*Luc.* XX, 25), » quæ tamen sibi contraria non sunt.

Ex quibus pugnis verborum *oriuntur invidiæ*, quod domini invident superbientibus servis. Oriuntur etiam *contentiones*, quia domini contendunt cum servis verbis. Oriuntur etiam *blasphemiæ*, quia (sicut dictum est) blasphematur inde Deus, et doctrina ejus. Oriuntur etiam *malæ suspiciones*, quia putant domini quod prædicatores accipiant munera a servis. Oriuntur etiam *conflictationes hominum* prædicantium hoc, quia etiam pugnant cum his qui hoc prædicant. *Hominum* dico, id est perditorum *mente corruptorum*, id est qui corruptum habent intellectum, *qui* etiam *privati sunt* omni *veritate* verborum. *Hominum* dico adhuc *existimantium pietatem*, id est Christianam doctrinam *esse quæstum*, id est qui ex doctrina sua putant licere sibi per hoc congregare divitias, sed falso putant, quia *pietas* non est quæstus temporalium, sed *est quæstus magnus*, id est magnæ et incomparabilis rei pietas, *cum sufficientia*, id est cum victu et vestitu, quod cuique sufficere debet. Ideo quia nos nudi nati *nihil intulimus in hunc mundum*, *et haud dubium* est quin exeuntes de mundo non *possumus auferre quid* inde. Ne autem, quia se nudos dixerat intrare mundum, nudosque reverti, putaret in nuditate conversandum esse in mundo. Contra hoc ait : Licet nihil intulerimus in mundum : tamen dum in eo manemus simus *habentes alimenta et* indumenta *quibus tegamur :* non in quibus luxuriemus, et *his* alimentis et tegumentis *simus contenti :* ideo quia videmus **332** eos *qui volunt divites fieri* quod *incidunt in tentationem* animi, *et* per hanc *in laqueum diaboli*, id est in opus tentationis. Postquam etiam divites facti sunt, incidunt in *multa desideria :* cupiunt enim domos et prædia. Desideria dico *inutilia :* nec solum sine utilitate, sed etiam *nociva :* quia *mergunt homines* desiderantes *in interitum*, *et* post mortem in æternam *perditionem*. Vere hæc desideria sic mergunt homines. Nam *cupiditas est radix omnium malorum :* non quod singula mala fiant per cupiditatem pecuniæ, sed nullum genus est mali, in quo genere non sit factum aliquod malum per cupiditatem divitiarum. *Quam* cupiditatem *quidam appetentes*, *erraverunt a fide :* negantes Deum desiderio divitiarum, quas ut cupide augerent, *inseruerunt se multis doloribus*, vexantes corpora sua et animas, per mare, per terras. Qui cupiditati vacant, errant.

Sed *tu*, o *homo Dei*, Timothee, *fuge hæc* desideria, hæc fuge, *sectare vero justitiam*, erogando tua indigentibus proximis, quod cupiditas nunquam facit. Sectare etiam *pietatem*, quia si tam rara habes, ut non inde possis dare proximo sine tua indigentia (quod faceres justitia non te cogeret), impertire tamen ei ex pietate. Sectare etiam *fidem*, quam quidam negaverunt propter cupiditatem. Sectare etiam *charitatem*, id est dilectionem Dei et proximi. Sectare etiam *patientiam*, id est patienter sustine, si quis tua rapuerit. Sectare etiam *mansuetudinem*, id est noli litigare sicut cupiditas facit. Sectare hæc, et *certa certamen :* frequentiam notat. Certamen dico *fidei*, quod *bonum* et utile est pro fide Christi certare : *et apprehende vitam æternam*, *in* quam habendam *vocatus es* de infidelitate per gratiam. *Confessus* es etiam (dum in episcopum consecrareris) *coram multis testibus*, qui te mecum consecrabant, *confessionem*, a qua recedere non debes : quia bona, id est utilis est tibi et subditis, si in ea perseveraveris. Monui superius ut cupiditatem fugeres, et contraria cupiditati sectareris, quod ut facias non solum moneo, sed et *præcipio tibi*, faciens cum admonitione mandatum : ut si hoc transgrediaris, reus inobedientiæ convincaris. Præcipio, inquam, tibi hæc *coram Deo* Patre, ut nihil Deus amplius requirat de manu mea, *qui* Deus *vivificat omnia*. Vide ergo ut (implendo quæ præcipio) vivas in eo per quem vivunt omnia. Præcipio etiam tibi hoc coram *Christo Jesu*, qui judex omnium nihil horum a me requirat in die judicii, *qui* Jesus *reddidit testimonium sub Pontio Pilato*. Cum enim interrogaretur a Pilato : Filius Dei es tu? respondit : Tu dixisti : quia revera Filius Dei ego sum (*Matth.* XXVII, 11) : sic et tu, Timothee, confitere Christum, etiam si tormenta vel mors immineat.

Reddidit, inquam, testimonium, scilicet *confessionem bonam*, id est utilem, quid enim tam utile ad redemptionem quam et quod fuit, et confessus est se esse Filium Dei? Profecto si negasset, non crucifigeretur, nec genus humanum redimeret : et ideo utile fuit confiteri quod esset Filius Dei. Pilatus a Ponto insula Pontius vocabatur. Quia nec hæretici invertere possent dictum esse de alio Jesu, vel alio Pilato : multi enim tunc Jesus dici poterant, ideo Paulus addidit Pontio. Præcipio, inquam, *ut serves* hoc *mandatum* quod amplius sine culpa præterire nequis. Mandatum dico *sine macula*, quia in nulla parte doctrinæ meæ maculatio aliqua potest inveniri : sed in doctrina hæreticorum licet aliquod bonum præmittatur, ut sic melius fallant, macula tamen cito invenitur inserta. Mandatum dico non solum sine macula, sed etiam *irreprehensibile :* quia nec occasio reprehendendi inde potest concipi, si quis sane attendat. Serves dico *usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*, id est usque in diem mortis tuæ : quando enim moritur quis fidelis, eo die dicitur Deus ad eum venire, quia tunc recipit eum Deus in gloria, quem, quasi alienum a se in miseriis mundi dum viveret, dereliquerat : quandiu **333** enim justus detinetur in mundo, videtur Deus non venire ad eum, quia ibi permittit eum affligi, sed cum justus carne solvitur, venire Deus ad eum dicitur, cujus animam suscipit in requie. Diceret fortassis Timotheus : Sustinerem Deum, si non tardaret ejus adventus. Contra hoc ait Paulus : Bone vir, sustine : quia quem adventum ostendet Deus suis, id est, congruis temporibus : quando enim

tempus idoneum viderit, adveniet tibi. Causam ponit quare sustinere debeat dicens : Servare debes hoc, donec Deus adveniat, quia ille *beatus* beatitudinem dabit tibi si sustineas : et ille *solus potens* potentem te faciet super omnes persecutores. *Rex* etiam *regum* regem te faciet : quia nec persecutorem, nec tentationem cum eo positus timebis : qui etiam *Dominus* est *dominantium* : et faciet te dominari inimicorum tuorum.

Nota quod quidam potentes sunt, nec tamen dominantur aliorum. *Qui* Deus *solus habet immortalitatem*, id est immutabilitatem : quia semper in eodem statu permanet : qui etiam *habitat lucem*. Loquitur de Deo a similitudine illius qui habitaret in splendida regione. Habitat, inquam, lucem : quia omnis vera lux habitat in eo. Lucem dico *inaccessibilem*, id est ad quam lucem intelligendam nullus accedere potest : quod ipse determinat, dicens *inaccessibilem*, ideo, quia quam lucem in Deo, vel *quem* Deum in luce, *nullus hominum* secundum hominem *vidit*, *sed nec* de futuro secundum quod homo est *videre potest* : *cui* Deo est gloria secundum deitatem ; *honor*, secundum hominem ; *imperium*, secundum judicium quo judicat, et judicaturus est omnes. Imperium dico duraturum in *sempiternum* : et quod opto ut sit ei gloria et honor, *Amen*, id est certe ita erit et deesse nequit. Nota quod dicit Nullus hominum Deum vidit : in eo quod homo est accipi debet : quia et Paulus raptus est ad tertium cœlum, ubi audivit quæ non licebat audire homini : cum tamen Paulus et antequam raperetur, et post, homo fuerit. Et cum de Joanne evangelista idem factum sit, ideo homo secundum quod est homo, lucem Deitatis videre non sufficit : quia anima hominis incarcerata deprimitur in carne, ideoque nec aliquid videre potest, vel cogitare, nisi excitata aliquo corporeo sensu, visu, vel auditu, vel hujusmodi. Quia si quandiu anima in carcere carnis clauditur, nequit facere quidquam ; si non excitetur per corporeos sensus : de quibus planum est, quod vix parum de Deo intelligunt : credendum est quod nec anima hominis, quandiu in homine est, in cognitione Dei corporeos sensus excedit. Si autem anima Pauli, seu Joannis, de Deo vidit quod videre homini non licuit, credi oportet quod vel anima ejus penitus illa hora corpus deseruit, vel si in corpore mansit, omnes sensus corporis excessit, et secundum hæc extra hominem fuit : quia tunc temporis quasi mortui fuere corporei sensus. Unde visiones magis dormientibus ostenduntur quam vigilantibus. Dum enim homo dormit, corporei sensus nihil tunc sentiunt : anima vero tunc sola vigilat.

Quia superius dixerat Paulus : Habeamus alimenta et indumenta quibus tegamur ; ne ideo Timotheus arbitraretur pauperes tantum recipiendos, divites vero ab Ecclesia repellendos, contra hoc ait : Licet alimentis et tegumentis contentos nos esse debere dixerim, ne tamen abjicias divites, sed *divitibus hujus sæculi præcipe non sapere sublime*, id est non propter divitias superbire ; *neque sperare in incerto divitiarum*, id est in incertis divitiis, quasi qui hodie habet, cras fortasse non habiturus est, *sed* sperare *in Deo* ; et causam subdit quare : *qui* Deus *præstat nobis omnia abunde* : non solum ad utendum, sed etiam *ad fruendum*, id est, cum jucunditate utamur illis. Frui dicimus de re quæ suavis est et utilis : uti vero de re, quæ, licet utilis sit, amarum tamen usum habet ; ut plures potationes quæ amarum gustum habent, et utiles sunt. Præcipe etiam divitibus *bene agere* : eosque *fieri divites in bonis operibus* : quæ auro et argento potiora 334 sunt. Præcipe etiam *facile tribuere* sua pauperibus ; nec hoc solum, sed etiam in bonis suis *communicare* pauperibus, ut divitias non magis faciant proprias sibi, quam egenis ; et sic distribuendo sua, præcipe illos *thesaurizare sibi fundamentum*, id est virtutes in quibus firmiter fundati sint. Qui enim hodie castus est, cras incestus, hic quasi in lubrico et non in fundamento eam habuit. Fundamentum dico *bonum*, id est utile, *in futurum* ; ad hoc *ut per* illud *apprehendant vitam æternam* qui hic in virtutibus fundati sunt. Ut autem de divitibus et de omnibus quæ præcepi sanam observantiam facias, ideo, *o Timothee, custodi depositum*, id est commissum et creditum tibi donum Spiritus sancti. Utque bene custodias, esto *devitans novitates*, id est alternas æquipollentias vocum fidei nostræ : quia profanæ sunt. Hæretici enim voces quibus fidem Dei confitemur, mutant, ponendo æquipollentes : donec sensim per has æquipollentias incautum fidelem deceperint : quare præcipit novitates vocum devitare. Devita etiam *oppositiones*, id est disputationes sophistarum. Oppositiones dico *scientiæ* quæ est *falsi nominis* : falso enim vocatur scientia, quia vero nomine vocaretur insipientia. *Quam* falsam scientiam *quidam promittentes*, id est jactantes se habere, *exciderunt circa fidem*, id est perierunt : qui noluerunt ingredi ad fidem. Et ut hoc depositum custodias, *gratia Dei* sit *tecum, Amen*, id est ita certe erit ; vide tamen ut perseveres.

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM SECUNDAM AD TIMOTHEUM.

Item Timotheo scribit de exhortatione martyrii, et omnis regulæ veritatis : et quid futurum sit temporibus novissimis : et de sua passione, scribens ei ab urbe Roma.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Præmissa Epistola a Roma missa dicitur esse Timotheo a Paulo. Quia si primam constat, quia et a Roma hanc secundam misit. Postquam enim Paulus Romam venit, inde non discessit donec pro Christo

martyrium sustinuit. Hanc iterum Paulus cum esset Romæ in vinculis Timotheo rescripsit. Audierat quidem de eo multa bona, sed tamen aliquantulum remissum : et timore passionum et mortis, non (sicut deberet) prædicationi instantem : quare in hac Epistola agit ad eum de passionibus et morte : prætendens passiones suas illi cum passionibus Christi et morte : ostendens quantus fructus de passionibus his proveniat : easque multis modis commendat ei : eo fine ut sic exhortatus, paratus sit pati et mori pro Christo; et quasi morti ultro se ingerens, omni instantia prædicet verbum Dei.

EPISTOLA II AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus apostolus Jesu Christi per voluntatem « Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in « Christo Jesu : Timotheo charissimo filio gratia et « misericordia et pax a Deo Patre et Christo Jesu « Domino nostro. Gratias ago Deo meo cui servio a « progenitoribus meis in conscientia pura [bona], « quod sine intermissione habeam tui memoriam in « orationibus meis, nocte ac die : desiderans te videre, « memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear. Re- « cordationem accipiens ejus fidei quæ est in te non « ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, et « matre tua Eutice [*al.*, Eunice]; certus sum autem « quod 335 et in te. Propter quam causam admoneo « te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per im- « positionem manuum mearum. Non enim dedit no- « bis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dile- « ctionis, et sobrietatis. Noli itaque erubescere testi- « monium Domini nostri, neque me vinctum ejus, « sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei : « qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta : « non secundum opera nostra, sed secundum pro- « positum suum et gratiam, quæ data est nobis in « Christo Jesu ante tempora sæcularia. Manifestata « est autem nunc per illuminationem Salvatoris no- « stri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, « illuminavit autem vitam et incorruptionem per « Evangelium : in quo positus sum ego prædicator, « et apostolus, et magister gentium. Ob quam cau- « sam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio « enim cui credidi, et certus sum quia potens est « depositum meum servare in illum diem. Formam « habe [habens] sanorum verborum quæ a me au- « disti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bo- « num depositum custodi, per Spiritum sanctum « qui habitat in nobis. Scis enim hoc, quod aversi « sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est « Philetus et Hermogenes. Det misericordiam Do- « minus Onesiphori domui : quia sæpe me refrige- « ravit, et catenam meam non erubuit : sed cum « Romam venisset, sollicite me quæsivit, et inve- « nit. Det illi Dominus invenire misericordiam a « Domino in illa die : et quanta Ephesi ministravit « mihi, tu melius nosti. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. *Paulus apostolus Christi esu per voluntatem Dei*, sicut in præcedenti expositum est. *Apostolus* dico *secundum promissionem vitæ*. Promissa est utique vita legitime certantibus : quam promissionem bene sequor, legitime certans. Tu vero animatus sequere mecum *promissionem vitæ* : non præsentis, sed ejus vitæ *quæ est in Christo Jesu*, id est æternæ. Si enim legitime certamus, vitam æternam utique habebimus. Paulus scribit hæc : *Timotheo charissimo filio* : sint tibi *gratia, misericordia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro*, sicut supra exposuimus. Hic in primis blanditur ei Paulus, ut sic melius inducat eum in id quod suadere nititur dicens : *Gratias ago Deo* cui ego *servio* edoctus *a progenitoribus meis*, id est ab Abraham, Isaac et Jacob. Hic enim Paulus de tribu Benjamin. *Servio* dico *in pura conscientia* : in nullo enim conscientia mea carpit me; sic et tu puram habe conscientiam, et sic servare poteris commissam tibi gratiam De hoc utique *gratias ago*, quod *habeam memoriam tui sine intermissione in orationibus meis*, id est, quia Deus te talem fecit, cujus me velit et dignum sit semper esse memorem : ita quod nec semel orare possum sine tui memoria, *nocte ac die*, id est continue, *desiderans videre te*. Si enim te viderem, non utique me præsente formidares mortem. Ego dico *memor tuarum lacrymarum*, quas effudisti : quia in pace te dimitterem Ephesi . volentem mecum transire et sustinere vincula et mortes. Vide ut sicut me præsente, sic modo, visa epistola mea, ultro te ingeras passionibus et morti. Ideo utique *te videre* desidero, *ut implear gaudio*. Si enim præsens essem, mortem utique non formidares : de quo plurimum gauderem. *Accipiens* etiam *recordationem ejus fidei quæ est in te non ficta*, id est non inventitia, vel non fragilis : *quæ* fides *habitavit et jam primum in avia tua Loide, et in matre tua Eunice*. Quia si in progenitricibus tuis et in muliebri sexu exemplum habes fidei, quasi jam naturalis sit tibi, debes utique per hoc plurimum fervere in fide. *In matre et in avia tua* fides fuit. *Certus autem sum quod etiam in te* habitat fides : sed utinam ferveret!

Propter quam causam, quia et fidem et exemplum fidei, quasi naturale in te video, *admoneo te, ut gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum* (cum enim te consecrarem episcopum per impositionem manuum mearum, gratiam Spiritus sancti accepisti); volo utique ut illam *gratiam* aliquantulum in te sopitam *resuscites*, id est evigiles : et æstuante illa gratia in te, gaudeas pati et mori pro

336 nomine Christi. Memor illius : quia *Deus dedit nobis* Spiritum sanctum : *non spiritum timoris sed virtutis*, id est constantiæ : ut virtuose tolereremus omnia ; et spiritum *dilectionis* Dei. Dedit etiam spiritum *sobrietatis*, id est temperantiæ. Temperantia enim nutrit dilectionem, dilectio virtutem : ubi enim dilectio, ibi profecto non est timor. Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Vide ergo ut, sicut socius mihi fuisti suscipiendi gratiam Spiritus sancti, sic imitator sis passionum mearum. Et quandoquidem *spiritum virtutis et dilectionis* mecum accepisti : itaque *noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi.* Quia si improperatur tibi quod crucifixum adores, confitere plane quia sic adoras. *Neque* etiam erubescas *me vinctum ejus.* Quia si quis iterum improperat : Ecce magister tuus in vinculis damnatus est ; ne ideo verecunderis, *sed collabora Evangelio* et prædica mecum *secundum virtutem* Dei, id est, sequendo constantiam quam dilectio Dei nutrit : *qui* Deus *liberavit nos* a jugo diaboli, *et vocavit* nos *vocatione sua sancta*, id est ad hoc ut essemus sancti. Et ad hanc sanctitatem non *vocavit* nos merito operum nostrorum, sed *secundum propositum suum*, id est *secundum* provisionem suam qua nos misericorditer prævidit idoneos sibi futuros : et sicut vocatio, sic nec provisio fuit ex aliquo merito, sed secundum *gratiam, quæ data est*, id est quæ præordinata est *nobis* dari *in Christo Jesu ante tempora sæcularia*, id est ab æterno ante hæc tempora nostra, quæ volvuntur per sæcula Olim promissa fuit hæc gratia dari nobis. *Nunc* autem in tempore Christi *manifestata*, id est impleta est, sicut promissa fuerat *per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi*, id est per Christum in lumine cognitionis nostræ positum per assumptam sibi humanitatem.

Ad quod forte diceret Timotheus : Nolo mori, sed manere in hac illuminatione. Contra hoc Paulus : Ne timeas mori ; quia Christus moriendo quidem *destruxit mortem*, et etiam destructa morte *illuminavit*, id est revelavit et cognitam fecit, *vitam* non transitoriam, sed *incorruptionem*, id est vitam incorruptibilem, in qua impassibiles et immortales erimus. *Illuminavit* dico *per Evangelium* suum : *in quo* Evangelio prædicando *ego positus* a Deo *prædicator, et apostolus, et magister gentium :* quem pro tot auctoritatibus justum est, ut non erubescas imitari. *Ob quam causam*, id est quia hoc Evangelium docui gentes, passus sum multa. *Hæc* etiam vincula nunc *patior : sed* tamen *non confundor*, id est non erubesco, sed gaudeo pati pro Christo : sic et tu ne erubescas. Ideo patiens non confundor : quia scio cui credidi, id est in quo fidem habui : scilicet in Deo. Vel ita : *Scio cui credidi*, id est cui commisi passiones meas et opera : *et certus sum* de mercede horum ; *quia* ille cui commisi *potens est depositum*, id est commissum, *meum servare* usque *in illum diem* remunerationis omnium. Et quia vides quod Deus custodit quod penes eum deponitur, tu igitur exemplo illius custodi depositum, id est episcopalem gratiam tibi commissam. Hoc enim *depositum* bonum, id est utile, est, si custodiatur. Neque hoc viribus tuis custodire te posse opineris, sed per coadjuvantem Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Utque depositum bene custodias, *esto habens formam sanorum verborum, quæ a me audisti*, id est adeo expresse conformare mihi, ut videaris esse Paulus. Formam meam utique habe *in fide* conservanda *et in dilectione* habenda : quæ fides et dilectio sunt *in Christo Jesu*. Plurimum autem necesse est ut tu *depositum custodias : eo* quod *aversi sunt a me omnes* discipuli, *qui*, me relicto, *sunt in Asia* : et hoc idem tu bene *scis : ex quibus est Philetus et Hermogenes.*

Hos ideo determinat sibi ex nomine, ne si venirent ad eum, putans adhuc eos fideles, facilius possent suadere ipsi, et quasi ex parte Pauli fallere. Ephesus enim in Asia erat. Hi aversi sunt a me, sed Onesiphorus permansit : et ideo *det Dominus* non soli, sed etiam *domui Onesiphori misericordiam*, id est retributionem misericordiæ quam mihi **337** fecit : *quia sæpe refrigerarit me*, et in fide consolando, et necessaria ministrando : *et non erubuit catenam meam.* Vide ne et tu erubescas : sed amplectaris. Non utique erubuit : *sed cum venisset Romam, sollicite quæsivit me, et* quæsitum *invenit.* Et quia me invenit, *det illi Dominus* Pater *invenire misericordiam*, id est fructum hujus misericordiæ, *a Deo*, id est a Christo judice, *in illa die*, judicii. Romæ in vinculis sic ministravit. *Quanta* etiam *Ephesi ministravit, tu nosti melius*, quam hæc quæ modo ministravit : vel, melius quam alii discipuli.

CAPUT II.

« Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est « in Christo Jesu : et quæ audisti a me per mul- « tos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, « qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut « bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo im- « plicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui « probavit. Nam et qui certat in agone, non co- « ronatur nisi legitime certaverit. Laborantem « agricolam oportet primum de fructibus accipere « [percipere]. Intellige quæ dico . dabit enim tibi « Dominus in omnibus intellectum. Memor esto « Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis « ex semine David, secundum Evangelium meum, in « quo laboro usque ad vincula, quasi male operans : « sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia « sustineo propter electos : ut et ipsi salutem con- « sequantur, quæ est in Christo Jesu cum gloria « cœlesti. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, « et convivemus : si sustinemus, et conregnabi- « mus : si negaverimus, et ille negabit nos : si non « credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum « non potest. Hæc commone [commoneo] testificans « coram Deo. Noli contendere verbis, ad subversio- « nem audientium. Sollicite autem cura teipsum

« probabilem exhibere Deo operarium inconfusibi- A
« lem, recte tractantem verbum veritatis. Profana
« autem et vaniloquia devita. Multum enim profi-
« ciunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer
« serpit. Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui
« a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem
« esse jam factam, et subverterunt quorumdam fi-
« dem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens
« signaculum hoc : cognovit Dominus qui sunt ejus,
« et discedit ab iniquitate omnis qui invocat [nomi-
« nat] nomen Domini. In magna autem domo non
« solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea
« et fictilia : et quædam quidem in honorem, quæ-
« dam autem in contumeliam. Si quis ergo emun-
« daverit se ab istis, erit vas in honorem sanctifi-
« catum et utile Domino ad omne opus bonum pa- B
« ratum. Juvenilia autem desideria fuge : sectare
« vero justitiam, fidem, spem, charitatem et pacem,
« cum his qui invocant Dominum [nomen Domini]
« de corde puro. Stultas autem et sine disciplina
« quæstiones devita, sciens quod generant lites.
« Servum autem Domini non oportet litigare, sed
« mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,
« cum modestia corripientem eos qui resistunt ve-
« ritati : ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad
« cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli
« laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius volun-
« tatem. »

EXPOSITIO.

Quia propter aversionem quorumdam magis ne- C
cessarius es : quia etiam exemplo perseverantium
de fortitudine admoneris : *ergo tu, fili mi* Timothee,
confortare, id est fortis esto, non paveas. Confor-
tare, inquam, *in gratia quæ est in Christo Jesu*, id
est in pontificali doctrina, cujus gratiam contulit
tibi Deus. Vel, confortare in gratia, id est in remis-
sione peccatorum, et vita æterna prædicanda.
Hæc enim est gratia quæ est per Jesum Christum.
Utque confortatus magis proficias, *hæc* quæ tibi
docenda commendo, *commenda* et tu *fidelibus*, id
est constitue sub te prædicatores, qui tecum præ-
dicent populo Dei : hi autem sint sanæ fidei : cum-
que sint fideles, oportet esse tales *qui erunt idonei*
et scientia et gratia eloquentiæ *docere alios* sibi
commissos. Talibus, inquam, commenda hæc *quæ* D
tu *audisti a me*, id est quæ ego docui te, appro-
bando ea *per multos testes*, id est per multa testi-
monia legis 338 et prophetarum. Quod enim te
de fide Christi docui, totum in lege et prophetis
præsignatum ostendi. Ne forte Timotheus putaret
se modo posse quiescere, constitutis sub se prædi-
catoribus, contra hoc ait Paulus : Licet quosdam
ut doceant alios præfeceris, ne tamen ideo tu tor-
peas : sed *labora sicut miles Christi Jesu*, id est
memor esto te militare in castris Christi. Labor
autem congruit militanti, non otium. Labora sicut
miles *bonus*, id est utilis. Quomodo *bonus* determi-
nat in sequentibus, dicens : Si miles bonus fueris,
sæcularibus negotiis non implicabis te. *Nemo* enim

militans Deo, implicat se sæcularibus negotiis, id est non intendit discussionibus sæcularium causa-
rum, sed spiritualium. Habet enim mundus sæcu-
lares judices, qui judicant de temporalibus. Epi-
scopi autem vacare debent doctrinis spiritualibus.
Vel ita : Militans Deo non se implicat negotiis sæ-
cularibus, ut in prædicatione sua negotietur et
vendat eam, requirens ideo pretium ab auditoribus.
Ideo militans Deo, se non implicat his *ut placeat ei*,
scilicet Deo, cui bene vivendo bonam existimatio-
nem de se præbendo, per anteactam vitam proba-
vit se placiturum. Probat ab eo quod minus est,
militans Deo non implicat se mundanis, ut sic
placeat Deo. *Nam* etiam (quod minus est) ille *qui*
certat in agone, id est in certamine aliquo, ut in
palæstra vel in stadio, hic *nisi certaverit legitime*,
id est secundum legem ejus certaminis, *non coro-
natur*, id est non accipit laudem vel bravium.

Ne modo opinaretur Timotheus quia interdixe-
rat ei negotia sæcularia, nihil in temporalibus acci-
piendum esse a subditis, ait Paulus : Licet interdi-
cam tibi sæcularia negotia, tamen volo te accipere
de fructu prædicationis temporalia. Te enim *labo-
rantem* in cultura Dominici agri *oportet accipere de
fructibus illius agri*, id est temporalia quæ ager, id
est populus, dare potest. Accipiat, inquam, primum
de fructu quod sibi sufficiat : et si superabundat,
secundario accipiant pauperes. Vel primum, id est
multum inde accipiat : quia res quam ministrat,
plurimum digna est. Accipere autem de prædica-
tione quod sufficiat, non est negotium sæculare. Vel
ita jungamus : Dico non implices te sæcularibus,
nec necesse tibi est ; quia de fructibus prædicationis
in qua laboras, accipies quæ opportuna fuerint tibi.
Quod æquipollenter ait, ne forte Timotheus absur-
dum judicaret vivere de prædicatione : quia Paulus
non ita, sed de manuum labore viveret. Ait Paulus:
Ea quæ dico, id est te de fructu prædicationis op-
portuna accipere, *intellige* causam quare non acci-
piam quod jubeam te accipere. Hujus rei causam
dicunt esse sancti, quod quia Timotheus infirmus
erat, et si, laboraret manibus, prædicationi non
posset insistere : Paulus autem, fortis et laboriosus,
erat ad utrumque sufficiens, ideo ipse nihil acci-
piebat, et ideo accipere Timotheum volebat. Poteris
utique causam hanc intelligere : quia *Dominus da-
bit tibi intellectum*, et in hac re et in omnibus
More boni militis labora sicut præmonui. Et ut ita
labores, memor esto resurrectionis Christi : et te
cum eo (si bene laboraveris) resurrecturum. Spem,
inquam, habens resurgendi, *memor esto Christum
Jesum resurrexisse a mortuis*. Solus Christus a
mortuis resurrexit : quia postea nec actum mor-
talitatis habuit, nec mori potuit : sed Lazarus
et quicunque resuscitati, mortem iterum passi
sunt.

Diceret fortassis Timotheus : Quia Deus fuit, et
potuit resurgere. Contra hoc Paulus : Resurrexisse
dico Jesum *ex semine David*, id est secundum quod

horno fuit; quia secundum carnem solum filius David fuit. Resurrexit utique *secundum Evangelium meum*, id est secundum quod ego prædico; cui credendum est, quia apostolus a Deo missus sum. Vel ita: Ex semine David fuit Christus secundum Evangelium meum: *in quo* quia resurrexit, prædicando ego *laboro usque ad vincula*. Propterea enim quia sic prædico, in vinculis positus constringor, *quasi male operans*, 339 id est quasi deprehensus in aliquo crimine. Quasi diceret: Et pœnam patior, et (quod amplius gravat) opprobria. Si enim putarent me pati pro justitia, solatio mihi fieret. Et ego quidem in vinculis teneor: *sed verbum Dei non est alligatum*: quia etiam in vinculis prædico. Vide igitur, ne et in te timor alliget *verbum Dei*. Memor esse debes Christum surrexisse: quia *ideo* quod memor sum, scilicet resurrectionis illius, credo me resurrecturum: per eum, *sustineo omnia* vincula et opprobria. Diceret aliquis: Etiam si hæc non sustineres, munditia vitæ et fides sana sufficeret. Contra hoc ait: *Sustineo* utique *propter electos* Dei salvandos: *ut et ipsi* prælecti a Deo *consequantur salutem*, id est justificationem a peccatis in præsenti, *quæ* salus *est in Christo Jesu*. Consequantur, inquam, hanc salutem *cum cœlesti gloria*: quia per remissionem peccatorum, quæ hic fit, pervenitur ad æternam gloriam. Hic autem *sermo* quem dixi, laborandum scilicet esse spe resurrectionis, *fidelis* est et bene credibilis. Fidele est utique et bene credibile: quod si legitime laboras, resurges quemadmodum Christus. *Nam si sumus commortui*, derelinquentes actus veteris hominis Adæ, *convivemus* etiam cum ipso, facti impassibiles et immortales ut ille; Christus utique quandiu in mundo conversatus est, actus omnes veteris hominis (præter peccatum) habuit. Esurivit enim (*Matth.* IV), sitivit (*Joan.* XIX), fatigatus est, ut patet in Evangelio Joannis (*Joan.* IV, 6), ad puteum cum Chananæa (*Joan.* IV) loquens qui vere mortalis et passibilis erat. Sed postquam mortem pro omnibus pertulit, neque manum, neque pedem, ad actus veteris hominis extendit: factus impassibilis et immortalis. Si vero nos commorimur ei in baptismate, quod in cruce ad justificationem hominum consecravit, effundens aquam de latere suo, ut justificati per baptismum ulterius ad actus veteris hominis, id est ad miserias peccati, sensus nostros non extenderemus: *convivemus* illi: facti cum eo impassibiles et immortales. Si vero hujus mortis participes non fuerimus, nec vitæ ejus participabimur. Si solummodo commorimur ei: vivemus cum eo. *Si* vero (quod majus est) *sustinebimus*, ut martyres, quibus mori peccatis non satis fuit, sed pro justitia voluerunt pati: nos utique quia sustinebimus, *conregnabimus*, id est non solum vivemus, sed etiam palma et quidam triumphus fiet nobis pro dignitate martyrii. Licet omnibus esse cum Christo sufficiat, tamen in illa beatitudine discretiones sunt dignitatum. Vere si commorimur, *convivemus*: quia *si negaverimus* Deum, male agendo: *ille* etiam *negabit nos*, vitam æternam non tribuendo.

A Negare enim Dei est bona æterna non tribuere.

Diceret fortassis Timotheus: Incredibile videtur, quod Deus propter peccatum abneget eum qui fidem ei confessus sit. Contra hoc Paulus: Si non credimus quod negantem se sit negaturus Deus, *ille* tamen *permanet fidelis*, id est verax et credibilis, qui ait: « Qui erubuerit me coram hominibus, ego erubescam eum coram Patre meo (*Luc.* IX, 26). » Sic autem permanet fidelis, quod impossibile est eum non veracem esse. *Non* enim *potest negare seipsum*, id est se esse Deum: si enim mentiretur, utique Deus non esset. *Hoc*, scilicet, ut commoriaris Christo, et sic doceas alios spe convivendi ipsi, *commoneo*, *te testificans*, hoc tibi *coram Deo*, ne amplius requirat Deus sanguinem Timothei de manu Pauli.

B Et licet te tanta districtione commoneam, tamen *noli contendere verbis*, immoderate docendo quod doceo. Vel ita: *Hoc*, id est commoriendum esse Christo spe convivendi, *commone* alios, testificans *hæc* eis coram Deo: ne sanguis eorum de manu tua requiratur. Et in commonendo *noli contendere verbis*, *ad nihil enim utile est* litigare, *nisi ad subversionem audientium*. Si enim insipientes audiunt quoslibet litigare, eos qui magis clamosi sunt, putant justiorem causam habere. Stultorum est enim stultis adhærere. Si vero neuter litigantium clamore superaverit, 340 dubitant simplices, utri magis adhærendum sit. *Noli contendere*: sed *sollicite cura exhibere teipsum* totum, et corpore et animo *probabilem*, id

C est laudabilem Deo. Ut autem sis probabilis, oportet te esse *operarium inconfusibilem*: quod non erubescas prædicare crucem Christi, etc. Et *recte*, id est sine contentione, cum omni modestia, *tractantem verbum veritatis*. Ut autem recte queas tractare verbum Dei, *devita profana*, id est illa penitus abominanda. Devita etiam *inaniloquia*, id est quæ si non ita profana sunt, inutilia tamen sunt. Devita ideo, *quia* hæc inania verba *multum proficient ad impietatem* persuadendam: *et sermo eorum*, inania loquentium, *serpit* paulatim *ut cancer*, qui morbus paululum carnis primum occupat, sed paulatim magis ac magis augmentatur, donec occidat. Et sic hæretici prius callide inducunt, quod nec prodesse nec nocere videatur, et dehinc alternando rationes, sensim

D in maximam hæresim excrescit doctrina eorum. *Ex quibus* vaniloquis *est Hymenæus*, *et Philetus*, *qui exciderunt a veritate* fidei.

Determinat quæ sit hæresis eorum, ut si forte venerint ad Timotheum, præcaveat sibi: *dicentes resurrectionem jam esse factam*, vel in his qui cum Christo surrexerunt, vel in baptismo, in quo a morte peccati ad vitam virtutum resurgimus. Illa enim trina immersio, sepulturam Christi trium dierum: elevatio vero, resurrectionem Christi significat. Et sic dicentes *subvertunt fidem quorumdam*. *Sed* licet illi subvertant, tamen *fundamentum Dei*, id est in quibus fides bene fundata *est*, et qui e converso in fide per Deum fundati sunt: hoc, inquam, *fundamentum* est *firmum habens signaculum*. Hoc dictum

est a similitudine strenui ducis, qui signum dat militibus suis, quo discreti fiant ab aliis. Sic Deus signat suos ut, viso signo, diabolus prætereat eos, sciens nihil sibi esse cum illis. Signum autem hoc est : *Cognovit Dominus qui sunt ejus;* hoc Paulus ex parte sua ponit, significans electionem Dei in justis, dicens : *Dominus cognovit* ab æterno qui futuri *sunt ejus.* Hoc autem sequens Isaiam ait. Agens de potestate liberi arbitrii dicens : *Discedat* omnis homo qui potens est per libertatem arbitrii et *qui invocat nomen Domini* fide et opere, *ab iniquitate.* Divina electione et libero arbitrio, quod per bona opera occurrit divinæ electioni. His duobus signati sunt, qui in justitia sunt permansuri. Deus enim sic unumquemque electum prævidit futurum bonum, ut et opera bona simul in eo prævideret. Quicunque autem electione B Dei et bonis operibus liberi arbitrii signantur, Dei fiunt. Ne tamen ideo mireris, si in domo Dei hoc fit, ut quidam a fide recedant : alii in fide perseverent : quia etiam *in* qualibet *magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea :* sicut in domo Dei quidam sunt perfectiores, alii perfecti sub illis ; *sed etiam* sunt in eadem domo *lignea vasa* et *fictilia :* sicut in domo Dei quidam mali, alii deteriores. *Et quædam quidem* eorum vasorum sunt *in honorem,* in quibus potiones bonæ reconduntur. *Quædam autem* sunt *in contumeliam :* ut ad recipiendum urinam, et hujusmodi : tamen sicut honorabiliora vasa in domo sunt necessaria, eodem modo vasa contumeliosa. Sic in Ecclesia Dei mali et boni utrique C modo suo necessarii sunt. Si enim mali non essent, non esset meritum bonorum. Si enim non sit persecutio, ubi patientia bonorum?

Quoniam quidem vasa aut *in honorem* sunt, aut *in contumeliam :* et nihil ibi medium est : *ergo si quis mundaverit se ab istis,* id est si quis non fuerit vas in contumeliam, *erit vas in honorem* Deo. Vas dico *sanctificatum,* id est justificatum a peccatis *et etiam utile Domino :* quia *paratum* est *ad omne opus bonum* faciendum. *Profana devita :* nec hoc solum : sed etiam *fuge desideria juvenilia,* id est quæ lubricam juventutem instimulant. Hæc fuge, *sectare vero justitiam,* id est æquitatem ad omnes. *Fidem* in Deum : *castitatem* carnis et animi. *Pacem,* id est concordiam, 341 habeto cum his qui de puro corde invocant Dominum. Nec solum juvenilia fugias, sed etiam *devita quæstiones stultas* in quibus nec scientia est, nec esse videtur. Devita etiam eas quæ licet non ita stultæ sint, sunt tamen *sine* fructu Christianæ *disciplinæ,* ut dialecticæ *quæstiones : sciens* hoc *quod* quæ sunt hujusmodi, *generant lites. Servum autem Domini* (quod tu es, et esse debes) *non oportet litigare : sed* oportet *esse mansuetum,* id est in omnibus moderatum *et ad omnes,* scilicet, *docibilem,* id est cum habilitate docentem alios ; *patientem* etiam quæcunque inferantur ei : et *corripientem cum modestia eos qui resistunt veritati,* non cum litigio : ideo sic corripientem, *ne quando,* id est ut aliquando, *det Deus illis pœnitentiam.* Fortassis enim aliquando A se male egisse pœnitebunt, veniendo sic *ad cognoscendam veritatem* fidei : et agnita fidei veritate *resipiscant a laqueis diaboli,* id est a peccatis quibus diabolus illaqueaverat eos : *a quo* diabolo *tenentur captivi,* quandiu in peccatis sunt. Tenentur, inquam, *ad* exsequendam *ipsius* diaboli *voluntatem.*

CAPUT III.

« Hoc autem scito, quod in novissimis diebus in-
« stabunt tempora periculosa : et erunt homines
« seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphe-
« mi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,
« sine affectione, sine pace, criminatores, inconti-
« nentes, immites, sine benignitate, proditores, pro-
« tervi [procaces], cæci, tumidi : voluptatum amato-
« res magis quam Dei, habentes speciem quidem
« pietatis, virtutem [veritatem] autem ejus abne-
« gantes. Et hos devita. Ex his enim sunt qui pene-
« trant domos, et captivas ducunt mulierculas, one-
« ratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis :
« semper discentes, et nunquam ad scientiam ve-
« ritatis pervenientes. Quemadmodum autem Jam-
« nes et Mambres restiterunt Moysi (*Exod.* VII, 11);
« ita et hi resistunt veritati, homines corrupti
« mente, reprobi circa fidem : sed ultra non profi-
« cient. Insipientia enim eorum manifesta erit om-
« nibus, sicut et illorum fuit. Tu autem assecutus
« es meam doctrinam, institutionem, propositum,
« fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,
« persecutiones, passiones : qualia mihi facta sunt
« Antiochiæ, Iconii, Listris, quales persecutiones
« sustinui : et ex omnibus eripuit me Dominus. Et
« omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, per-
« secutionem patientur. Mali autem homines et se-
« ductores proficiunt in pejus ; errantes, et in erro-
« rem mittentes. Tu vero permane in his quæ di-
« dicisti et credita sunt tibi : sciens a quo didice-
« ris : et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ
« te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est
« in Christo Jesu Omnis enim scriptura divinitus
« inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum,
« ad corripiendum, ad erudiendum in justitia : ut
« perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum in-
« structus. »

D

EXPOSITIO.

Devita stultas quæstiones : devita etiam homines habentes speciem pietatis, etc. Sed priusquam hoc ponat, præmittit causas, quare tales devitandi sint, dicens : Non solum quod præmissum est faciendum esse scias, sed etiam *hoc scito, quod in novissimis diebus,* id est circa finem mundi, *instabunt tempora periculosa,* id est in tempore illo instabunt docendo, et eos qui non consentient affligendo periculosi doctores : qui credentes sibi in multa demergent pericula : *et* tunc in temporibus illis *erunt homines amantes seipsos,* id est carnalitati suæ morem gerentes his modis. Erunt enim *cupidi,* id est amatores pecuniæ. Erunt etiam *elati,* id est aliis se superponere cupientes. Erunt *superbi,* id est in adeptis

honoribus illicite gloriantes. Erunt etiam *blasphemi* A contra Deum et doctrinam ejus. Erunt etiam *non obedientes parentibus*, seu carnalibus (quod nefas est), seu spiritalibus, ut episcopis et presbyteris. Erunt *ingrati* : quia si quis bona docuerit eos, unde grati esse debuerant, molesti erunt doctoribus suis. Erunt etiam *scelesti* : homicidia et hujusmodi scelera patrantes. Erunt *sine affectione*, piam voluntatem non habentes ad proximum ; **342** etiam si nihil dare queunt. Erunt *sine pace*, id est sine concordia : sed semper in litigio. Erunt *criminatores*, id est justis crimina imponentes : cum ipsi sint *incontinentes* : sed passim ruunt ad quæcunque scelera. Erunt *immites*, id est sine omni mansuetudine crudeles. Et *sine benignitate*, id est sine largitate, B non erogantes sua indigentibus. Erunt etiam *proditores*, tradentes justos ad mortem. Erunt etiam *protervi*, id est de maledictis inverecundi : et etiam si reprehenduntur, inde impatientes. Erunt etiam *tumidi*, id est inflati animo : etiam si nec honorem nec spem honoris habeant : et hi tales erunt, *amatores voluptatum*, id est totius luxuriæ, *magis quam Dei* : quem in nullo videntur diligere. De his autem subtiliter cavendum est tibi. Hi enim sunt *habentes speciem pietatis*, id est simulantes se religiosos, et virtutem ejus pietatis, id est dilectionem, quæ virtus est totius religionis. Valida enim est sicut mors dilectio. Vel *virtutem*, id est veritatem religionis, opere *abnegantes* : *et hos* tales *devita*.

Diceret Timotheus : Quare de his præmunis me, C qui futuri sunt circa finem mundi ? Ideo ait Paulus : Hos devita ; quia *ex his* futuris in novissimis diebus *sunt* illi *qui penetrant domos*, etc. Notandum est quia ex quo cœpit mundus, habuit in eo Deus regnum suum, et diabolus suum. In Abel enim Deus, et in Cain diabolus regnare cœpit. Deus autem regnum suum assumendo carnem, et quæ secuta sunt operando consummavit regnum suum, remittendo peccata, etc., quomodo consummari potuit in præsenti : quod regnum ad plenum consummabit in futuro, dando vitam æternam. Sicut autem Deus in bono : sic diabolus in perfectione iniquitatis consummaturus est regnum suum circa finem mundi per Antichristum. Et sicut patriarchas et prophetas adventum Christi Deus præcedere voluit ; sic multa D membra Antichristi præcedent caput suum, id est Antichristum. Contra cujus membra Paulus instruit Timotheum, dicens : Ex his quos descripsi, sunt pseudodoctores, qui penetrant domos, non audentes docere in plateis, ne doctrina eorum pateat in audientia bonorum : sed ut liberius seducant, privatim in domibus docent, et sic *mulierculas* (quæ quolibet vento doctrinæ leviter falluntur) *ducunt* seductas quolibet inductu illo factas *captivas* : quia captivatæ sunt a Deo, et datæ sunt sub jura diaboli. Vel ad cumulum improperii sicut feminas : sic et viros vocat mulierculas, id est molles omni vento doctrinæ cedentes : ut audito nomine improperii sui citius erubescant et convertantur ad Dominum. Mulierculas dico *onerotas peccatis*, dum seductæ sunt diabolo : *quæ* mulieres *ducuntur variis desideriis* : quia *semper discentes*, *et nunquam pervenientes ad scientiam veritatis*, id est semper laborantes, et nunquam ad perfectionem venientes. Et isti tales non tantum in domibus privatis docent, sed etiam hi homines resistunt veritati in aperto : *quemadmodum Jamnes et Mumbres*, duo fratres magi in Ægypto, *restiterunt Moysi* coram Pharaone, faciendo quædam per incantationes suas quæ Moyses faciebat, nec tamen omnia (*Exod.* VII, 11). Hi *homines* dico *corrupti mente*, id est depravati intellectu et opere : et circa fidem errantes. Ad quam quia non ingrediuntur, reprobati sunt a Deo.

Ne modo his prædictis deterreretur Timotheus, consolatur eum Paulus, dicens : Tales quidem futuri sunt ; sed ne timeas quia *ultra non proficient*. Ideo quia *insipientia illorum* sicut Jamnæ et Mambræ ad ultimum *manifesta erit*, illi non ultra proficient : tu autem, quasi diceret, proficere debes et potes : *tu* enim *assecutus es meam doctrinam* in scientia : et meam *institutionem* in dispositione vitæ et in moribus : et meum *propositum*, quia sicuti vitam æternam finem laboris mei proposui : ita et tu assecutus es etiam *fidem* : quia sane credis ut ego ; et *longanimitatem* in spe : quia paratus es, quandiu Deo placebit, mecum sustinere. Habes etiam *dilectionem* Dei et proximi : et *patientiam*, id est ipsam virtutem : etiamsi nihil operari necesse sit, et actus illius patientiæ, scilicet *persecutiones* de loco ad locum, et *passiones* tormentorum. **343** Nosti etiam *qualia facta sunt mihi Antiochiæ*, *Iconii*, *Lystris*, et, præter hæc, *quales persecutiones* ego *sustinui* in multis locis. Sed quid inde timendum ? *Ex omnibus* enim eruit *me Dominus* ; et sic eruet te de his quæ te pati contigerit. Incitari debes ad continentiam exemplo meo, et omnium religiosorum. *Omnes* enim *qui volunt pie*, id est religiose, *vivere in Christo Jesu*, *patientur persecutionem* : et ideo ne turberis si aliqua pateris. Pie viventes patientur : *homines autem mali* in se *et seductores* aliorum *proficient* quidem *in* mundanis [immunditiis], sed hoc totum erit illis in pœnis, et in damnationem. Ipsi dico, *errantes* in se, et ideo mali *mittentes* etiam alios *in errorem*, et ideo seductores. Ipsi errabunt : *tu vero permane in* his præceptis *quæ didicisti* a me, et in his quæ *credita sunt tibi*, id est in pontificali gratia, *sciens* et rememorans hæc *a quo* et quanto doctore *didiceris* ista. Si enim recordaris meæ auctoritatis, contemptui fiet tibi falsa doctrina. *Et* te inde memorem esse volo : *quia* tu *nosti sacras litteras ab infantia*, traditus scholis a matre tua, quæ fidelis fuit : *quæ* omnia *possunt te instruere ad* habendam *salutem* æternæ vitæ, ad quam itur per fidem, quæ fides est *in Christo Jesu*. Vere sacræ litteræ possunt te instruere ad salutem : quia *omnis scriptura inspirata divinitus*, id est spiritualiter secundum Deum intellecta, *utilis est ad docendum* eos qui nesciunt, et *ad arguendum*, id est ad convin-

cendum eos qui fidei contradicunt, et *ad corripiendum* peccantes et se peccasse non abnegantes, et *ad erudiendum* eos qui adhuc rudes sunt et simplices. Erudiendum dico *in justitia*, id est ad hoc ut justificentur, exuendo rudimenta infidelitatis. Sic, inquam, eruditur *ut* quantum in doctore est, *sit* ille qui, eruditur *perfectus homo* Dei. Perfectus ita ut sit *instructus ad omne opus bonum* faciendum.

CAPUT IV.

« Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judi-
« caturus est vivos et mortuos, et per adventum et
« ipsius regnum ejus : prædica verbum, insta oppor-
« tune, importune ; argue, obsecra, increpa in
« omni patientia et doctrina. Erit enim tempus, cum
« sanam doctrinam non sustinebunt : sed ad sua
« desideria coacervabunt sibi magistros prurientes
« auribus : et a veritate quidem auditum avertent,
« ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in
« omnibus labora ; opus fac evangelistæ, ministe-
« rium tuum imple, sobrius esto. Ego enim jam
« delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bo-
« num certamen certavi, cursum consummavi,
« fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona
« justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die
« justus judex : non solum autem mihi, sed et his
« qui diligunt adventum ejus. Festina venire ad me
« cito. Demas enim me dereliquit, diligens hoc sæ-
« culum, et abiit Thessalonicam, Crescens in Gala-
« tiam, Titus in Dalmatiam. Lucas est mecum so-
« lus. Marcum assume et adduc tecum : est enim
« mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi
« Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud
« Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime
« autem membranas. Alexander ærarius multa
« mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum
« opera ejus ; quem et tu devita, valde enim restitit
« verbis nostris. In prima mea defensione nemo
« mihi affuit ; sed omnes me dereliquerunt : non
« illis imputetur. Dominus autem mihi astitit et
« confortavit me, ut per me prædicatio impleatur,
« et audiant omnes gentes, quia liberatus sum de
« ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere
« malo, et salvum faciet in regnum suum cœleste :
« cui gloria in sæcula sæculorum. Amen. Saluta
« Priscam et Aquilam, et Onesiphori domum. Era-
« stus remansit Corinthi. Trophimum autem reli-
« qui infirmum Mileti. Festina ante hiemem ve-
« nire. 344 Salutant te Eubulus, et Pudens [*al.*, Pru-
« dens], et Linus, et Claudia : et fratres omnes [*al.*
« *non habet* omnes] ejus. Dominus Jesus Christus
« cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen. »

EXPOSITIO.

Et quia Scriptura Dei nota tibi utilis est ad docendum, et ad arguendum, et ad corripiendum : ideo *testificor* tibi *coram Deo*, ne hoc ultra a me exigat. *Et* coram *Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos* : quos invenerit vivos in hora judicii, qui sub momento dissolventur et resurgent. Judicaturus est etiam ante diem judicii mortuos, A Vel judicaturus est vivos ac mortuos, id est justos et peccatores. Testificor etiam tibi *per adventum ipsius* Christi, ut ita paratus sis quasi qui quotidie judicem advenientem exspectet, ut timore ejus facias quæ hortor. Testificor etiam tibi per *regnum ejus*, in quo ipsi conregnabunt sancti, ut amore conregnandi Christo studiose facias quod moneo. Hoc, inquam, testificor tibi : *Prædica verbum*, id est doctrinam Dei, et prædicando *insta opportune* eis qui libenter audiunt. Insta etiam *importune* eis qui primitus ad audiendum difficiles sunt, sed postmodum cognita ratione libenter audiunt. *Argue* etiam, id est convince, contradicentes fidei. *Obsecra* etiam justos, ut semper in melius promoveantur. *Increpa* etiam debita austeritate deprehensos in peccatis. B Hæc autem fac *in omni patientia* : ut quæcunque inferantur libenter sustineas ; nec ita ut docere desistas, sed semper esto *in doctrina*. Ideo tanta instantia te docere commoneo : quia *erit tempus* circa finem mundi, *cum* homines *non sustinebunt sanam doctrinam*. Si autem in tempore illo non roboretur Ecclesia doctrina apostolica, peribit fides. Sanam doctrinam non patientur, *sed coacervabunt sibi magistros* juxta *sua desideria*. Si luxuriosi fuerint, luxuriosum : et sic in cæteris. Homines dico tunc *prurientes auribus*, id est nova et inaudita audire cupientes ; in quibus veritas non erit : *et a veritate quidem avertent auditum* suum, sed *ad fabulas* (in quibus rei veritas non est) *convertentur*.

Illi sic intendunt fabulis : *tu vero vigila*, id est C omni sollicitudine præcave tibi : et *labora in omnibus* (si potes) convertendis. Utque labor tuus idoneus sit, *fac opus evangelistæ*, id est prædicatoris : scilicet quod operandum prædicas, operare. Et ita fac ut impleas *tuum ministerium*, id est officium prædicatoris, quod non infra subsistas, sed quidquid prædicatoris est facias, et laborando in aliis et in te opere complendo quod alios docueris. Et licet sic moneam, fac opus evangelistæ : tamen *esto sobrius*, non ultra modum abstinentiæ deditus, ne nimietate jejunii debilitatus (quomodo decet) incumbere nequeas prædicationi. Propterea tanta instantia te commoneo : quia *ego jam delibor*, id est sacrificor, et paulatim in vinculis quotidie deficio : *et* D *tempus meæ resolutionis*, id est dies mortis meæ, *instat* et in proximo est : quem diem instare ex eo certus sum, quia *certavi certamen* (frequentiam notat) *bonum*, id est utile Ecclesiæ Dei. Certavi utique patiendo quæcunque pati oportuit, et *cursum*, id est velocitatem bene agendi, ubi non ita pati necesse fuit, hunc utique *consummavi* : quia adeo ascendit mea justitia, quod ultra non habet quo ascendat ; et in certando et in currendo *servavi fidem*. Et quia jam consummavi cursum, ideo *in reliquo*, id est in vita quæ nobis futura relinquitur, *reposita est*, id est custoditur, *mihi corona justitiæ*, id est promerita per justitiam : *quam* coronam quasi debitam *reddet mihi Dominus in illa die* futuræ retributionis, nec mihi negare potest : quia est *justus*

judex : et justitia exigit ut hoc mihi reddatur. Mihi quidem, sed *non solum mihi, sed* etiam omnibus *his qui diligunt adventum ejus* judicii, id est qui puram habent conscientiam : qui enim sibi male conscii sunt, hi utique adventum judicis non diligunt, sed formidant. Per hoc plurimum animat Timotheum, quod ait præparari coronam justitiæ diligentibus adventum Dei.

Instructo Timotheo in his quæ publice agenda erant, de quibusdam propriis mandat ei, dicens : **345** Quia in proximo dies *meæ resolutionis instat* : ideo *festina cito venire ad me :* et necessarius mihi es : *quia Demas* apostatando *reliquit me, diligens hoc* præsens *sæculum, et* ille *abiit Thessalonicam. Crescens* vero, alius discipulus in fide permanens, abiit *in Galatiam. Titus* vero abiit *in Dalmatiam.* Et sic, aliis dispersis, *solus Lucas mecum est.* Veni, inquam, et in veniendo *assume Marcum, et adduc tecum* ad me. Hic *enim est mihi utilis in ministerio.* Fortassis missurus erat eum Apostolus in aliquam legationem. *Tychicum autem misi Ephesum,* ubi tu episcoparis. Tu vero *veniens* ad me *affer tecum penulam quam apud Carpum reliqui Troade :* affer etiam *libros : et maxime* præ cæteris affer *membranas,* quibus opus habeo ad mittendas Epistolas. Penula vestis erat tradita Tharsensibus a Romanis : propterea quia sponte, et non bello in imperium Romanorum devenerant : quam ideo jubebat afferri, ut comprobaret se esse civem Romanum, sicut appellaverat apud Festum. Seu penula alia vestis erat : quam contra frigus afferri sibi postulabat, acturus hiemem in carcere. Dum autem venies ad me, cave tibi ab Alexandro : hic enim *Alexander ærarius* (nomen dignitatis) *ostendit mihi multa mala :* nec inde curo : quia *Dominus reddet ei secundum opera ejus. Quem* Alexandrum *tu etiam devita* : hic *enim valde restitit verbis nostris.* Veni utique : quia necessarius es. *In prima enim defensione mea,* quando defendi me in conspectu Neronis, *nemo* discipulorum *affuit mihi : sed omnes dereliquerunt me.* Ut autem hoc *non imputetur illis,* precor : illi *dereliquerunt me ;* sed *Dominus astitit mihi : et* astando *fortem fecit me :* ideo et adeo *ut prædicatio impleretur per me,* non cedentem minis ejus. Si enim consentirem ipsi, inexpleta fieret prædicatio : ideo etiam confortavit : *ut* hæc *audiant gentes :* et hoc etiam audiant *quod liberatus sum,* ut non consentirem, *de ore leonis,* id est Neronis, vel diaboli, per Neronem invadentis me : nec solum a leone, sed *liberavit me Dominus ab omni opere malo,* ne quid male operarer : *et* me liberatum *salvum faciet,* translatum *in regnum suum cæleste : cui* Domino est *gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Accepta autem hac Epistola, *saluta Priscam et Aquilam, et familiam Onesiphori. Erastus* autem *remansit Corinthi :* et *Trophimum reliqui Mileti infirmum :* et quia tot absentes sunt, *festina venire* ad me *ante hiemem.* De his autem qui nobiscum sunt, *salutant te Eubolus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et omnes fratres.* Et ego saluto te. *Dominus Jesus Christus* sit *cum spiritu tuo :* et concedat ut *gratia* sit *nobiscum,* id est dilectio inter me et te cœpta persev.ret. *Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD TITUM.

Titum commonefacit et instruit de constitutione presbyterii : et de spirituali conversatione, et næreticis vitandis : qui traditionibus Judaicis credunt ; scribens ei a Nicopoli.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Paulus, conversis Cretensibus, consecravit ibi Titum archiepiscopum, qui eos instrueret de quibuscunque opportunum videret. Cum autem Paulus isset Nicopolim (quod hæc Epistola videtur innuere in sequentibus), scripsit hanc Epistolam ad Titum. Audierat enim de eo, quod nimis simpliciter episcopale exerceret officium : quia hæreticos, seu quoslibet perversos, non expellebat ab Ecclesia pontificali imperio, sicut deceret. Denuntiabat quidem eis quod male agerent, et desistere deberent : sed eis ab incœpto malo non cessantibus (quod pontificalis dignitas exigeret), non coercebat eos, sed humiliter patiebatur. **346** Quare Paulus hanc Epistolam scribit ad Titum : agens in ea de pontificali officio : eo modo ut instruat eum quales consecrare debeat episcopos per civitates sui archiepiscopatus : maxime circa hanc instructionem immorans, ut potestate et imperio pontificali utatur : quia licet simplicem esse bonum sit, tamen nimia humilitas episcopi incommodum facit regimini Ecclesiæ : et ideo monet Titum, ut cum imperio episcopali doceat, exhortetur, et arguat : et si qui hæretici corrigi nolunt, ab Ecclesia depellat. Et sic de episcopali officio agens, intendit Titum perfectum reddere episcopum. Ut per exemplum istius, quoscunque episcopos nimia simplices animatos redderet, et episcopali imperio utentes.

EPISTOLA AD TITUM.

CAPUT PRIMUM.

« Paulus servus Dei, apostolus autem Jesu Chri-
« sti secundum fidem electorum Dei et agnitionem
« veritatis, quæ secundum pietatem est in spem vi-
« tæ æternæ : quam promisit, qui non mentitur, Deus
« ante tempora sæculária : manifestavit autem tem-

« poribus suis verbum suum in prædicatione, quæ « credita est mihi secundum præceptum Salvatoris « nostri Dei. Tito dilecto filio secundum commu- « nem fidem gratia et pax a Deo Patre et Christo « Jesu Salvatore nostro. Hujus rei gratia reliqui te « Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas « per civitates presbyteros sicut et ego disposui ti- « bi : si quis sine crimine est, unius uxoris vir, fi- « lios habens fideles, non in accusatione luxuriæ « aut non subditos. Oportet enim episcopum sine « crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non su- « perbum, non iracundum, non vinolentum, non « percussorem, non turpis lucri cupidum : sed ho- « spitalem, benignum, prudentem, sobrium, ju- « stum, sanctum, continentem, amplectentem eum « qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, « ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos « qui contradicunt arguere. Sunt enim multi etiam « inobedientes, vaniloqui et seductores : maxime « autem qui de circumcisione sunt, quos oportet « redargui : qui universas domos subvertunt, do- « centes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit « quidam ex illis, proprius illorum propheta : Cre- « tenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres « pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob cau- « sam increpa illos dure, ut sani sint in fide : non « intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum « aversantium [*al.*, avertentium] se a veritate. « Omnia munda mundis : coinquinatis autem et in- « fidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt « eorum et mens et conscientia. Confitentur se nos- « se Deum, factis autem negant : cum sint abomi- « nati [*al.*, abominabiles] et incredibiles, et ad « omne opus bonum reprobi. »

EXPOSITIO.

Paulus, etc. Sicut mos ejus est, salutationem præmittit dicens : *Paulus servus Dei*, id est simplex et humilis ad modum servi. Hic innuit bonam quidem esse simplicitatem. *Servus* utique Dei, *sed* tamen *apostolus Jesu Christi*, id est agens et coercens singulos quomodo apostolicæ sublimitatis imperium exigit. Tu itaque exemplo meo sic esto simplex, ut pontificale imperium non impediat nimia humilitas. Non ideo dixit *servus Dei* et *apostolus Christi*, quin et apostolus sit Dei et servus Christi : sed ideo ut innuat, quod per Christum Deus Pater in ministerium apostolatus Paulum direxerit. Apostolus dico *secundum fidem electorum Dei*. Sequitur enim et prædicat *fidem* quam tenuerunt prophetæ, et quicunque electi Dei. Apostolus etiam secundum *agnitionem veritatis*, id est secundum quod agnovit de vera cognitione Dei. Non cujuslibet veritatis dico, sed ejus *quæ est secundum pietatem*, id est quæ veritas sequitur cultum Dei. Fides dico et agnitio veritatis, euntia *in spem vitæ æternæ*: **347** quia per fidem acceptam, et per agnitam veritatem, speramus nos consequi vitam æternam. Nec frustra : quia *quam* vitam *promisit*, id est se daturum præordinavit : nec de hac promissione dubitare licet : *promisit* enim hanc ille *qui non mentitur* et mentiri non potest : quia *Deus* est. Nec in tempore promisit : sed ut diligentia promissæ rei in Deo consideretur, promisit hæc *ante tempora sæcularia*, id est ab æterno sic prædinavit ante tempora, quæ volvuntur per sæcula. Promisit, inquam : *manifestavit autem*, id est complevit quod promiserat *suis*, id est in congruis temporibus vitam æternam : quia Abel vidit inde aliquid, perfectius autem Abraham : et ita paulatim prophetæ, quanto amplius propinquabat redemptio, tanto magis de ea cognoverunt : et Joannes magis omnibus, qui digito demonstravit vitam æternam, id est Christum : sed maxime in tempore gratiæ *manifestavit* Deus vitam æternam, scilicet *Verbum suum*, id est Filium incarnatum, natumque et aliis modis. Manifestavit etiam hoc Verbum *in prædicatione*, *quæ credita est*, id est per prædicationem quæ commissa est *mihi*. Credita utique mihi est *secundum præceptum Dei*, id est quia Deus ita præcepit. Dei dico *nostri Salvatoris*. Paulus, inquam, talis et talis scribit, *Tito dilecto* quodam speciali modo.

Tito dico *filio secundum communem*, id est catholicam, *fidem*, in qua eum genui, et non secundum carnem. Catholicon enim *commune* vel *universale* dicitur. Vel Tito *filio* optat sapere *secundum communem*, id est vulgarem, *fidem* : et non secundum privatas doctrinas hæreticorum. Sit tibi, Tite, *gratia* : et secundum remissionem peccatorum, et secundum episcopale officium. Sit etiam tibi *pax*, id est tranquillitas animi, quanta hic haberi potest. Hæc utique tibi sint *a Deo Patre* qui potest, et qui voluntatem habet. *Et a Jesu Christo*, qui similiter et potest, *Salvatore nostro*, et voluntatem habet. Finita salutatione, sic alloquitur Titum : O Tite, ego *reliqui te* consecratum archiepiscopum *Cretæ gratia hujus rei*, id est pro hac re, quæ, si fiat, grata erit mihi. Res autem illa hæc est : *ut* tu *corrigas*, id est ut corrigendo quæ corrigenda sunt perficias *ea quæ desunt*. Hoc autem dictum est de moribus. *Et* corrigendo mores *constituas* etiam *presbyteros*, id est episcopos *per* singulas *civitates* subjectas tuo archiepiscopatui. Constituas, inquam, eo modo *sicut et ego tibi disposui*. Ubi ait : *Sicut ego tibi disposui*, notat quod cum apud eum esset, instruxerit eum de consecratione episcoporum. Eum scilicet constitue episcopum, *si quis fuerit sine crimine*, id est, sine actu et infamia cujuslibet criminalis. Qui etiam fuerit *vir unius uxoris*, ut idem alibi exposuimus. *Habens* etiam *filios fideles*, id est, qui in fide sana filios suos instruxerit : *et non* habens eos *in accusatione luxuriæ* : quod nec etiam malus rumor inde exierit. Si enim filios suos permisit luxuriari, exemplum dedit non se bene correcturum filios Ecclesiæ. *Aut non* habens filios non *subditos*, id est inobedientes sibi. Si enim remissus apparuit in privatis filiis, ostendit quod non sufficienter coerceret creditam sibi Ecclesiam. Ideo volo ut qui *sine crimine* fuerit, constituatur episcopus : *oportet enim episcopum*

esse sine crimine, et actu, et suspicione, *sicut dispensatorem Dei*, id est, sicut eum qui Doum ipsum dispensat his quibus prædicat. Oportet etiam episcopum *non* esse *superbum*, id est, non cupientem se superponere aliis. *Non iracundum*, sed bene regat animum. *Non vinolentum*, id est non multo vino deditum. *Non percussorem*, id est qui corporalibus armis non percutiat; habet enim arma sancti Spiritus : vel non percutientem conscientias auditorum ; ne tale quid prædicet unde prava opinio oriatur. *Non cupidum turpis lucri*, id est non negotiis sæcularibus implicitum : *sed hospitalem*, qui pauperes hospitio receperit : receptisque pauperibus, et quibuscunque *benignum*, id est, large sua ministrantem. *Sobrium* etiam cibo, potu et vestitu. *Justum* etiam **348** et ad proximos sibi. *Sanctum* etiam ad Deum. *Continentem* etiam, ut exemplum continendi sit aliis. Et præter hæc oportet eum esse *amplectentem*, id est diligenter et assidue tractantem, *sermonem fidelem*, id est veracem : nec omnem verum, sed eum *qui est secundum doctrinam*, id est qui idoneus est ad prædicationem. Sunt enim multa vera quibus intendere episcopum culpa esset.

Et ideo amplectatur hunc sermonem, *ut* et per usum et per scientiam *potens sit exhortari* fideles *in doctrina sana*. Possit etiam per usum *et* per scientiam *arguere eos qui contradicunt* sanæ doctrinæ, id est convincere infideles qui fidem impugnant. Et necesse est ut sic *potens sit arguere : quia sunt multi inobedientes* episcopis. Sunt etiam *vaniloqui*, loquentes inutilia : *et* in hac vana locutione sunt *seductores*, id est habent artem et calliditatem seducendi auditores per vaniloquia. Possent enim vana loqui sine calliditate seductionis : et *maxime* præ omnibus seducunt illi *qui sunt de circumcisione* Judæi : *quos* ideo *oportet redargui :* quia præcipui seductores sunt. Hi enim *qui* de circumcisione venerunt, *subvertunt* non solum patremfamilias domus : sed etiam *universas domos*, id est omnem familiam, *docentes gratia*, id est amore, *turpis lucri* ea *quæ non* credere, nec docere *oportet*. Vere in Cretensibus sunt mali seductores : quod approbat *quidam ex illis* Cretensibus *proprius*, id est naturalis *ipsorum ;* quare magis credendum est ei : hic autem *propheta*, id est videns, secundum quod subtiliter consideravit vitia Cretensium : hic autem dictus est Epimenides, qui dixit hoc de illis : *Cretenses semper* sunt *mendaces* et sunt *bestiæ*, bestialiter meditantes ; et *malæ*, id est quomodo meditantur, sic crudeliter operantes. Sunt etiam *pigri ventres*, id est luxuriantes et onerantes se cibis. Ideoque ad omne bonum tardi. Ne autem de veritate horum dubitaretur, quia gentilis fuit ille qui hoc dixit, asserit hoc Paulus dicens : *Testimonium hoc*, quod Epimenides testatus est de Cretensibus, *verum est : ob quam causam*, quia mendaces sunt, etc., *increpa eos*, scilicet Cretenses *dure*, id est scilicet cum austeritate et pontificali imperio, *ut sani perseverent in fide, non intendentes Judaicis fabulis :* quia quod de circumcisione reducenda docent, fabulæ sunt, nec rei veritatem habent. Non debent intendere his, quia fabulæ; et quia sunt mandata hominum, et non Dei : olim enim sub veteri lege Deus quidem mandavit circumcisionem et cætera ; sed postquam venit tempus gratiæ, Deus præcepit hoc non fieri. Et ideo ait : Non intendant *mandatis*. non Dei, sed *hominum aversantium se a veritate*. quia veritatem legis, spiritalem scilicet intellectum, nolunt accipere. Ex quibus sequentibus innuit, quod hi tales a quibusdam cibis abstinendum esse prædicarent, dicens : Non est intendendum fabulis Judæorum, qui judicant quosdam cibos immundos, cum *omnia* quibus uti consuetudo est, sint *munda mundis*, id est his qui in munditia et sanctitate percipiunt ea.

Hos enim cibos Deus condidit ad sustentationem servientium sibi : quare *munda* et digna sunt his qui mundo corde et opere Deo serviunt. Omnis etiam creatura in eo quod a Deo creata est, munda est. Hic tamen non est necesse de omnibus agere. *Mundis* conscientia et fide *omnia* sunt *munda*, *sed coinquinatis* conscientia *et infidelibus*, etiam quod mundum reputant, non *est* illis *mundum*. Cum enim in Creatorem non credant, et inquinatam habeant conscientiam, injustum est eos uti aliqua creatura Dei. Nihil illis est mundum : *sed mens*, id est intellectus, fides scilicet, *eorum et conscientia sunt inquinatæ :* quare nihil eis est mundum. Fortassis diceret aliquis : Quare isti sunt inquinati, cum confiteantur Deum? Scio quidem (ait Paulus) quod *confitentur ore se nosse Deum*, sed quid hoc prodest? *Negant* enim Deum in *factis* suis. *Negant* pro certo, *cum sint abominati*, id est male ominati : vel a numero hominum redempti per Deum. Cum etiam sint *incredibiles*, id est non habiles credere pro nimietate impietatis **349** suæ. Cum etiam sint *reprobati ad omne bonum opus :* quia nihil quod boni similitudinem habeat operantur. Plerumque enim quidam infideles faciunt talia, quæ licet vere bona non sint, bona tamen esse videntur.

CAPUT II.

« Tu autem loquere quæ decent sanam doctri-
« nam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani
« in fide, in dilectione, in patientia, anus similiter
« in habitu sancto, non criminatrices, non multo
« vino servientes, bene docentes, ut prudentiam
« doceant adolescentulas ut viros suos ament, fi-
« lios suos diligant, prudentes, castas, sobrias,
« domus curam habentes, benignas, subditas viris
« suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes
« similiter hortare, ut sobrii sint. In omnibus te-
« ipsum præbe exemplum bonorum operum, in do-
« ctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sa-
« num, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est
« vereatur [*al.*, vincatur] : nihil habens malum di-
« cere de nobis. Servos dominis suis subditos esse :
« in omnibus placentes, non contradicentes, non
« fraudantes, sed in omnibus fidem bonam osten-
« dentes : ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent

« in omnibus. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris « nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut ab- « negantes impietatem et sæcularia desideria, so- « b.ie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo : « exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ « magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Qui « dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret « ab omni iniquitate : et mundaret sibi populum « acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc « loquere et exhortare, et argue cum omni imperio. « Nemo te contemnat. »

EXPOSITIO.

Reprobi sic perverse agunt : *tu vero* non sic, sed *loquere ea quæ decet* loqui, *sanam doctrinam*. Hoc scilicet loquere senibus, *ut senes sobrii* sint, non dediti potationi. Sint etiam *pudici*, id est casti. Sint *prudentes*, ut noverint docere juniores : sint *sani in fide* sint sani *in dilectione :* ut sicut domesticos, sic omnes alios diligant. Sint etiam sani *in patientia :* quod non sic patiantur convicia, quod ad opprobria impatientes sint. *Anus similiter* admone, ut sint *in habitu sancto*, id est qui sanctitatem earum indicet : et ut *non* sint *criminatrices*, id est non imponant crimina quibuslibet, qui morbus maxime vetularum est. *Non* sint etiam *servientes multo vino*, sed *bene docentes* : nec in ecclesia vel viros doceant; sed ita dico, *ut adolescentulas doceant prudentiam :* hanc scilicet, *ut ament viros suos*, et non adulteros : *et* etiam *diligant filios suos* omni sollicitudine, foventes eos : et doceant eas esse *prudentes*, et *castas*, et *sobrias*, et in cibis, et in ornamentis : et *habentes curam domus*, id est, laborent cum viris bene procurare familiam. Doceant etiam eas esse *benignas* in erogatione eleemosynarum, et *subditas viris suis :* non super viros habentes imperium. Hæc omnia admone fieri : *ut verbum*, id est prædicatio, *Dei non blasphemetur :* si enim mulieres contra viros superbirent, si essent incestæ, etc., opinarentur insipientes sic contineri in Christiana doctrina, et ideo blasphemarent verbum Dei. *Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint*, et temperati. Ut autem omnes convenienter corrigas, *præbe teipsum exemplum* aliis *bonorum operum :* nec in quibusdam, sed *in omnibus* operibus. Præbe, inquam, te exemplum eis *in doctrina* : ut quod utile auditoribus sit doceas : et *in integritate* omnium virtutum, quod perfectus et integer sis in bonis; et doce *in gravitate*, id est cum severitate et imperio pontificali. Et *verbum* doctrinæ tuæ sit *sanum :* nihil infidelitatis habeat admistum; sit etiam *irreprehensibile* : quod nec aliqua occasio reprehensionis inde queat concipi : et hoc ideo expedit, *ut is qui est ex adverso*, id est infidelis insidiator, *vereatur malum dicere de nobis :* nihil habens unde male dicere possit. Hortare etiam *servos esse subditos dominis suis*, ne superbiant contra eos : sed bene sint *placentes* **350** *eis in omnibus* sibi imperatis : *non contradicentes* eis in aliquo, et *non fraudantes*, vel de rebus sibi creditis, vel de labore sibi imperato : ut cum laborare debent vacent otio : A *sed ostendentes in omnibus* actionibus suis *fidem* Christianam esse *bonam*, id est utilem : *ut* sic faciendo *ornent in omnibus doctrinam Dei Salvatoris nostri.*

Cum enim servi facti fideles non subducant : sed devotius dominis utique serviant, ornatur per hoc doctrina Dei et laudatur, quæ servos sic instruxit fideles et subditos esse dominis. Ideo moneo te laborare in omnibus : seu servi sint, seu domini, seu senes, seu juniores : quoniam Deus pro omnibus salvandis apparuit. Apparuit utique cum Verbum Patris factum caro in utero Virginis præbuit se visibile hominibus. *Apparuit*, inquam, *gratia Dei*, id est, Deus per gratiam : non ex meritis hominum : sed per solam misericordiam. Dei dico *nostri Salvatoris :* et sicut pro nobis salvandis apparuit quod jam per fidem justificati sumus, sic pro *omnibus hominibus* salvandis apparuit : et ideo in omnibus laborare debes. Et quia apparere Dei non ad salutem sufficeret, nisi ab eodem instrueremur, ait, apparuit Deus per gratiam *erudiens nos* omnes; hoc scilicet : *ut* nos *abnegantes impietatem*, id est culturam idolorum, *et* abnegantes *desideria sæcularia*, id est quæ et sæculum ministrat, et quorum causa est, *vivamus sobrie*, id est temperate in nobis ipsis : et *juste* ad proximum : et *pie* vivamus ad Deum : etiam *in hoc* tam fragili corpore, in quo vix juste vivere licet : sic sobrie, juste et pie vivendo *exspectantes beatam spem*, id est speratam beatitudinem, *et* exspectantes *adventum gloriæ Jesu Christi*, id est, quando Christus qui prius in humilitate ut erudiret nos apparuit, adveniet cum gloria judicare sæculum. Christi dico, magni *Dei et nostri Salvatoris* : quia tunc in judicio, velint nolint, confitebuntur eum magnum Deum et Salvatorem sanctorum : venientem tunc cum potestate magna et majestate : qui usque ad illum diem nunquam confessi sunt Christum esse Deum. *Qui* Christus Jesus inter hos duos adventus *dedit semetipsum pro nobis :* ideo *ut redimeret nos ab omni iniquitate*, id est et a fragilitate carnis, et a potentia et suggestione diaboli. Priusquam enim Christus in cruce nos redimeret, non poteramus obniti diabolo, et suggestioni ejus, nec fragilitati nostræ carnis : a quo periculo nisi nos Deus liberaret, etiamsi *mundaret* nos ab omnibus peccatis, nihil tamen prodesset : nisi et virtutem daret resistendi suggestionibus diaboli et fragilitati carnis. Qui enim primum hominem in tanta virtute creatum subvertere potuit, quanto magis eum qui tot miseriis passibilitatis et mortalitatis premitur? Dedit etiam semetipsum ut nos mundaret ab omni delicto : seu originali, seu actuali, in baptismo. Nos dico, factum *populum acceptabilem* sibi post emundationem baptismatis : per hoc quia sectatorem bonorum operum : prius enim ab imperio diaboli et fragilitate carnis eruit, dehinc ab omni delicto mundat, et hoc utrumque in baptismo : postea per positionem bonorum facit nos acceptabiles Deo. *Hæc* predicta, Deum scilicet apparuisse per

gratiam, venturum autem in judicium cum gloria etc., *loquere* et doce eos qui nesciunt : *et exhortare* eos qui sciunt : ut præparent se dignos secundo adventui. Quod si admoniti obedire renuunt, *argue* eos *cum omni imperio*, id est episcopali severitate : ita ut *nemo te contemnat*, id est ut nimia humilitas tua non generet contemptum pontificalis auctoritatis.

A

CAPUT III.

« Admone illos principibus et potestatibus subdi-
« tos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum
« paratos esse : neminem blasphemare, non liti-
« giosos esse, **351** sed modestos, omnem osten-
« dentes mansuetudinem ad omnes homines. Era-
« mus enim aliquando et nos insipientes et incre-
« duli, errantes, servientes desideriis et voluptati-
« bus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles,
« odientes invicem. Cum autem benignitas et hu-
« manitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex
« operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum
« suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum
« regenerationis et renovationis Spiritus sancti,
« quem effudit in nos abunde, per Jesum Christum
« Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius,
« hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Fi-
« delis sermo est. Et de his volo te confirmare, ut
« curent bonis operibus præesse qui credunt Deo.
« Hæc sunt bona et utilia hominibus. Stultas autem
« quæstiones, et genealogias, et contentiones, et
« pugnas legis devita. Sunt enim inutiles et vanæ.
« Hæreticum hominem post unam [*al.*, primam] et
« secundam correptionem devita, sciens quia sub-
« versus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit
« proprio judicio condemnatus. Cum misero ad te
« Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Ni-
« copolim. Ibi enim statui hiemare. Zenam legis-
« peritum et Apollo sollicite præmitte, ut nihil illis
« desit. Discant autem et vestri bonis operibus præ-
« esse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.
« Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos
« qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vo-
« bis. Amen. »

B

C

EXPOSITIO.

Ne modo Titus, quia dixerat Paulus *omni imperio*, opinaretur commissum sibi populum, sibi tantum subjici debere, et non potestatibus mundi, hæc removendo ait : *Admone illos*, Cretenses, *subditos esse principibus* mundi, ut regibus *et* cæteris *potestatibus*, solvendo tributa, et census debitos illis. Admone etiam illos obedire dicto, id est præceptis, principum, nec tamen ad opus nefarium ; sed *paratos esse ad omne opus bonum*, quod præcipitur eis a principibus suis. Si enim ad culturam idoli ire juberent eos principes, seu ad quodlibet nefarium, non esset eis eundum : « Oportet enim magis obedire Deo quam hominibus (*Act.* v, 29). » Admone eos etiam, *neminem* dominorum suorum *blasphemare : nec* etiam *litigiosos*, id est nec decertare contra dominos, *sed modestos* et bene temperatos, *ostendentes* omnem *mansuetudinem* et humilitatem : non tantum ad dominos, sed etiam *ad omnes homines*. Propterea sic volo omnes obedire etiam infidelibus dominis, quia fortassis qui modo infideles sunt fient cito fideles sicut et nos. *Eramus enim aliquando*, id est paulo ante, *insipientes*, etiamsi sapientes mundi essemus. Et quia de cognitione Dei nihil sapiebamus, ideo eramus *increduli*, non habentes fidem Dei. Eramus etiam *errantes*, id est peccantes, et *servientes desideriis*, quia si desiderabamus pecuniam seu honores, multo labore serviebamus ad hæc consequenda ; servientes *etiam voluptatibus* carnis *variis*, id est secundum omnes sensus. Quod enim oculus videbat, vel auris audiebat, manus hoc comprehendere laborabat. Nos dico, *agentes in malitia*, quia quæ mala licet erant, inferebamus proximis, agentes etiam *in invidia*, quia cum amplius non poteramus, proximis invidebamus. Nos dico *odibiles* aliis, et e converso *odientes* alios, eundo *invicem*, id est in recompensationem odii. Tales prius eramus, *sed cum benignitas Dei*, id est Deus per benignitatem, *et humanitas* Dei *apparuit :* designat quare, et per quid hoc factum fuerit, propter benignitatem scilicet et per humanitatem : cum utique Deus causa benignitatis per humanitatem conjunctam Verbo Patris apparuit mundo ; *Dei* dico, *nostri Salvatoris*, quia sicut pro nobis, sic pro eis qui adhuc infideles sunt salvandis apparuit : *nec* hoc fuit *ex operibus justitiæ quæ nos aliquando fecimus*, id est, hoc, ut Deus appareret, nunquam promerueramus ; *sed secundum suam misericordiam fecit nos salvos* Deus *per lavacrum regenerationis*, id est per baptismum in quo prima generatio, quæ in peccatis est, destruitur : et secunda spiritualis, scilicet generatio habetur : et per lavacrum *renovationis*. Baptismus enim quia præcedit, tales nos efficit, qui quotidie crescendo in melius, magis ac **352** magis renovamur ; juxta illud : « Renovamini spiritu mentis vestræ (*Ephes.* IV, 23). » Unde ait : *regenerationis*, per evacuationem malorum ; et *renovationis* per positionem bonorum : quod utrumque et regeneratio et renovatio est *Spiritus sancti ;* per spiritum enim sanctum et remittuntur peccata, et accipiuntur virtutes. *Quem* Spiritum sanctum *effudit* Deus *in nos abunde*, id est sufficienter ad remissionem omnium delictorum ; effudit, inquam, *per Jesum Christum Salvatorem nostrum* secundum hominem hoc intellectum. Deus enim qui in homine illo erat, per hominem illum dedit Spiritum sanctum : ad hoc *ut* nos *justificati per gratiam ipsius* Dei, *simus hæredes vitæ æternæ* : et hoc *secundum spem*, id est secundum quod speramus dum in hoc mundo tenemur.

D

Hic sermo quem dixi, scilicet per *lavacrum regenerationis* nos salvari, et *hæredes* futuros esse *vitæ æternæ*, etc. : hic, inquam *sermo fidelis est* et bene credibilis. Et ideo *de his* quæ prædixi, *volo te*, o Tite, *confirmare* Cretenses, *ut* hæc firmiter credentes, *curent præesse bonis operibus*, ut si hodie bene operantur, cras meliora operando præesse faciant

hodiernis bonis. Curent etiam præesse aliis, dando exemplum bonorum hi *qui credunt Deo*. Et *hæc*, scilicet præesse bonis operibus, *sunt bona* illis ipsis, *et* sunt *utilia hominibus* eos imitantibus. De his confirma Cretenses ; *sed stultas quæstiones et genealogias* et contentiones quæ certant inter se de intellectu Scripturarum, *et pugnas legis*, id est quæ sibi invicem videntur contraire, quæcunque sunt hujusmodi, *devita. Sunt enim inutiles*, sine aliquo fructu, (quodque pejus est) *vanæ*, id est sine veritate; quæstiones has devita. Devita etiam *hæreticum hominem*, id est ab unitate fidei divisum. Devita dico, si incorrigibilis fuerit *post unam*, id est primam, *et secundam correptionem*, quia si bis admonitus non pœnituerit, hic qui est *ejusmodi*, id est hæreticus, *subversus est* ; non per ignorantiam, sed sciens et prudens manum mittit in ignem, *et* hic talis *delinquit proprio judicio*, id est ex propria deliberatione, nullo impellente eum, et ideo *condemnatus* est a Deo.

Nota quod ex hoc loco colligitur quod si quis imprudenter errat, et errorem suum non defendit, hic non est judicandus hæreticus : sed ille tantum qui quod male de fide sentit (quod deterius est) incorrigibilis asseverat et defendit. Quod si hac ratione Simoniacos negamus esse hæreticos : sciunt enim se male agere, nec approbant, sed ambitiose cæcantur : contra hoc dicitur, quia quid ipsi intenderint pretio comparantes dona Spiritus sancti nescitur ; soli enim Deo occulta cordium revelata sunt, sed secundum quod in exterioribus eorum factis dona A videmus, judicamus de interioribus : quia enim in episcopatu eos manere videmus, quem per pretium adepti sunt, judicamus de eis ut de credentibus pecunia posse possideri Spiritum sanctum. Quod si dicunt beneficia temporalia solum se emisse, et non consecrationem, ideoque non esse Simoniacos, longe deterius sentiunt. Scriptum est enim : Qui separaverit se, dicatur illi anathema. Sicut enim corpus et anima nequeunt separari ut alterum vivat ; sic beneficium temporale a spiritali in episcopo nequit separari. Hoc sentiendum de ordinibus et temporalibus honoribus.

Postquam docuit Titum de rebus ecclesiasticis, scribit ad eum de quibusdam privatis dicens : *Cum misero ad te*, o Tite, *Arthemam aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim ; ibi enim statui hiemare*. Et antequam venias, *præmitte Zenam peritum legis*, vel Scripturæ divinæ, vel sæcularis, *et* cum eo *Apollo*. Hos utique præmitte *sollicite*, id est bene procuratos, dando illis quæ necessaria sunt ; ita dico sollicite, *ut nihil desit illis*. Quod si quæris unde hæc accipias, volo et jam ut nostri Cretenses *discant præesse bonis operibus*, de die in diem meliorando : sic utique præesse, administrando *necessarios usus* prædicatoribus, *ut* hi Cretenses *non sint infructuosi* doctoribus suis ; sed ministrent quæcunque usui eorum necessaria sunt. « Laborantem enim agricolam oportet primum de **353** fructibus accipere (*II Tim.* II, 6). » *Salutant te omnes qui mecum sunt*, et tu *saluta eos qui nos amant in fide*, id est fideles. *Gratia Dei sit cum omnibus vobis. Amen.*

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Philemoni familiares litteras facit pro Onesimo servo ejus, scribens ei ab urbe Roma de carcere per ipsum Onesimum.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

Paulus familiares litteras scribit ad Philemonem, quem ad fidem converterat, Romæ vinctus in carcere. Accepta inde occasione, quia quidam servus Philemonis Onesimus, cum adhuc infidelis esset, a domino furtim elapsus, de pecunia domini secrete asportaverat. Dumque se absentaret a domino, venit Romam ad Paulum in carcere. Ibique accepto verbo fidei, a Paulo baptizatus est ministravitque Paulo exinde et fortassis de furata pecunia. Quem Paulus reconciliare cupiens, remittit servum cum hac Epistola ad dominum, in qua agit de Philemone, obsecrans eum multis et diversis causis ut indulgeat servo quod peccavit. In qua re intendit nos instruere, et orandum esse pro delinquente, si pœnituerit, et parcendum esse (ab eo qui habet potestatem) delinquenti, si ad misericordiam confugerit.

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

« Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus fra-
« ter, Philemoni, dilecto adjutori nostro, et Appiæ
« sorori charissimæ et Archippo commilitoni no-
« stro, et Ecclesiæ quæ in domo tua est. Gratia vo-
« bis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu
« Christo. Gratias ago Deo meo, semper memo-
« riam tui faciens in orationibus meis, audiens
« charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino
« Jesu, et in omnes sanctos, ut communicatio fidei

« tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni in
« Christo Jesu. Gaudium enim magnum habui, et
« consolationem in charitate tua, quia viscera
« sanctorum requieverunt per te, frater. Propter
« quod multam fiduciam habens in Christo Jesu im-
« perandi tibi quod ad rem pertinet, propter cha-
« ritatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus
« senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi, obse-
« cro te pro meo filio, quem genui in vinculis, One-
« simo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem
« et mihi et tibi utilis, quem remisi tibi. Tu autem
« illum ut mea viscera suscipe [filium meum cha-
« rissimum]. Quem ego volueram mecum detinere,
« ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii.
« Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne
« velut ex necessitate bonum tuum esset, sed volun-
« tarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a
« te, ut in æternum illum reciperes, jam non ut ser-
« vum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime
« mihi. Quanto autem magis tibi et in carne et in
« Domino? Si ergo habes me socium, suscipe illum
« sicut me. Si autem aliquid nocuit tibi aut debet,
« hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu.
« Ego reddam, ut non dicam tibi quod et teipsum
« mihi debes. Ita, frater, ego te fruar in Domino, re-
« fice viscera mea in Christo [Domino]. Confidens
« in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et
« super id quod dico facies. Simul autem et para mihi
« hospitium. **354** Nam spero per orationes vestras
« donari me vobis. Salutat te Epaphras concaptivus
« meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, De-
« mas et Lucas, adjutores mei. Gratia Domini nostri
« Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen. »

EXPOSITIO.

Paulus vinctus, etc. Ut citius ad misericordiam moveat Philemonem reticendo hic dignitatum nomina, ut, *apostolus Christi*, etc., inducit nomina miseriarum quas patiebatur, dicens : *Paulus vinctus Christi Jesu*, quem ideo gravius est offendere, quia in vinculis premitur. Videretur enim Paulus contemptui esse Philemoni vel in nullo compati, si audiens eum vinctum esse, clanderet servo, pro quo precabatur, viscera misericordiæ : cum nec Paulus vinctus esset pro culpa sua, sed pro Christo Jesu. Utque quanto plures viderit deprecantes, tanto citius indulgeat Philemoni, ait : *Paulus et Timotheus fratres* scribunt *Philemoni*, quadam spiritualitate ; nec hoc solum *dilecto*, sed etiam *adjutori nostro*, qui non cessat adjuvare et sustentare de rebus suis fideles nostros. Scribunt etiam Paulus et Timotheus *Appiæ* uxori Philemonis, *sorori* nostræ secundum fidem, et quadam singularitate dilectionis *charissimæ*. Ideo Apostolus scribit mulieri, ut illa videns sibi ab Apostolo fieri quod in sexu muliebri non consueverat, conveniendo dominum suum, flectet eum ad parcendum servo. Scribunt etiam Paulus et Timotheus *Archippo* filio Appiæ et Philemonis, *nostro commilitoni*, militat enim Deo nobiscum in prædicatione. Hic est Archippus qui Colossenses fundavit in fide, A quem ideo in hac Epistola salutat, ut benevole hortetur parentes indulgere Onesimo. Scribunt etiam *Ecclesiæ*, id est familiæ ad fidem Christi convocatæ, *quæ* Ecclesia *est in domo tua* : ideo totam familiam salutat, quam tam digno nomine, id est ecclesiam appellat, ut omnis familia secum pro Onesimo apud Philemonem intercederet, dicens : *Vobis* omnibus patrifamilias, matri, filio, et familiæ sit *gratia*, id est remissio peccatorum, *et pax*, id est tranquillitas animi. Sint, inquam, vobis hæc *a Deo patre nostro* : qui potest et vult, *et* a *Domino Jesu Christo*, qui similiter vult et potest.

Ut Apostolus exorabilem faciat, ait : Ego *audiens charitatem tuam*, id est dilectionem Dei et proximi, audiens etiam *fidem*, id est te in fide Christi perB severare ; ideo charitatem præposuit, quia intendebat eum movere ad indulgendum proximo : *quam* charitatem *habes in Domino Jesu*, ut in eo qui fundamentum est dilectionis, quam etiam habes *in omnes sanctos*, id est in omnes sanctificatos per baptismum ; quare et in Onesimum sanctificatum in fide, habenda est charitas, et bonitas : hoc, inquam, audiens, *ago gratias Deo meo*, *faciens memoriam semper in orationibus meis*. Ego enim de concessis bonis gratias ago, et ut semper incrementum habeant, oro *ut communicatio fidei tuæ*, id est ut fides tua, quæ bona tua sanctis communicat, *fiat evidens*, id est omnibus appareat esse, *in agnitione omnis boni*, id est per fidem promovearis ad omne bonum, et C illud sit omnibus agnitum, ideo pro incremento charitatis tuæ sic oro. Ego *enim habui gaudium magnum*, *et* cum gaudio *consolationem in tua charitate*, id est in administratione tuæ charitatis, et gavisus et consolatus sum, *quia viscera sanctorum*, id est conversi per prædicationem sanctorum, *requieverunt per te* administrantem eis. O *frater* Philemon, multam enim quietem habuerunt per te depellentem frigus, et esuriem eorum. *Propter quod*, id est quia tantam charitatem circa sanctos habere consuevisti, ex eo *habens multam fiduciam* non tantum quia sic meruerim, sed *in Christo Jesu imperandi tibi*. Possum enim, si volo, auctoritate apostolatus, accepta a Christo Jesu, imperare tibi *quod ad rem pertinet*, id est ad utilitatem tuam. De eo enim quod utile est D cogere te possum, si placet, sed imperium prætermittendo, **355** *obsecro* te *propter charitatem magis* quam imperem propter auctoritatem. Et obsecrandus es a me : *cum* tu *sis talis ut Paulus*, scilicet, *senex*. Ætas enim consimilis hortatur ut senex seni consentiat, nec hoc solum, sed etiam magis ad exaudiendum invitat hoc quod Paulus *nunc*, id est, in tempore quo obsecro, est *vinctus Jesu Christi*. Qui enim eum in vinculis non exaudit, profecto Jesum Christum, pro quo vinctus est, offendit. *Obsecro*, inquam, te per hæc præmissa, *pro meo filio quem genui in vinculis*. Sicut enim si parentes filium generarent in carcere, acceptior esset illis, quia in adversitatibus suis natus esset, sic Paulus commendat Onesimum, quem incarceratus baptizavit, qui fidem

Christi non erubuit propter vincula Pauli. Præmissa multa recommendatione, ejus nomen ad ultimum subdit.

Obsecro, inquam, *pro filio quem* ego spiritualiter *genui*, scilicet *Onesimo*, *qui fuit tibi inutilis*, furtim elabendo a te, *aliquando*, id est cum infidelis esset, *nunc autem* factus fidelis, *utilis* fuit *mihi* ministrando in vinculis, *et* per hoc utilis *tibi*. Quidquid enim ipse boni fecit, inde tibi debetur, cujus et servus est, et fortassis pecunia fuit. *Quem* Onesimum *remisi tibi* cum hac Epistola. *Tu autem suscipe eum sicut mea viscera*, id est scito hunc esse in visceribus meis. Quare si hunc non suscipis, mea viscera abjicis. *Quem* Onesimum *volueram detinere mihi;* etenim esset mihi necessarius *ut* hic *mihi ministraret*, mihi detento *in vinculis Evangelii*, id est quæ vincula patior, propter Evangelium quod prædico; quæ ministratio esset *pro te*, id est pro tua utilitate. Si enim hic servus tuus demptus mihi ministraret, tibi qui dominus eras mercedem acquireret. Sed licet mihi necessarius esset, tibi autem, si demptus mihi ministraret, utilis, tamen *nihil horum facere volui sine tuo consilio*, ideo ut *ne*, id est ut non esset bonum hoc tuum *velut ex necessitate*, id est velles nolles, *sed* ut esset *voluntarium*. Debes eum suscipere, ideo quia *discessit ad horam a te, forsitan* propter hoc *ut* modo *reciperes eum æternum*, id est perpetuo manentem tecum. Si enim in infidelitate perdurans conspectui tuo semper astaret, in hoc sæculo (quod parum est) tecum esset, quia mortuus cum impiis deputaretur, tu vero cum justis: sed modo quia fidelis est, et nunc et in futuro tecum est permansurus, ideo ait *forsitan*, quia dispositio Dei incerta est hominibus. Et *jam* amplius *non* habeas eum ut *servum* solummodo, *sed* habeas eum *charissimum fratrem in Domino pro servo*, id est in loco servi. Vel quod habere scilicet ut fratrem, plus servo, id est quam haberet servum charissimum, mihi pro certo charissimum. Quia si mihi adeo charus est, cui tantum in Deo frater est, quanto magis autem tibi charus esse debet, et in carne secundum quam servus est, et in Domino, in quo tibi frater est. Quandoquidem adeo charus est *mihi*, ergo suscipe illum sicut me, si vis habere me A socium. Si enim odisti eum, qui tibi proximus est profecto nec Deum diligis: et non diligenti Deum non est habenda ulla communio. Modo fortassis diceret ille: Reddat quæ abstulit, et ego indulgeam ipsi. Bene enim justum est dimittere, sed pecuniam repetere religio Christiana non prohibet. Contra hoc Paulus: *Suscipe illum. Si autem nocuit tibi aliquid*, subducendo se tibi, *aut* si *debet* aliquid, quod, te nescio, asportavit, ideo non minus misereris ei · sed *hoc* totum *imputa mihi*, quasi ego horum debitor sim. Et mihi sane imputare debes et potes. *Ego* enim *Paulus scripsi mea manu: Ego reddam* tibi quod debet Onesimus. Ideo ait *mea manu;* ponebat enim quædam signa in Epistolis suis, ut suas esse nemo dubitaret qui signa videret. Quod B ille debet ne reputas imputare mihi: *ut non dicam tibi* indurato et indulgere nolenti, *quod* tu *debes mihi* non hoc solum, sed etiam *teipsum*. Paulus jus habebat super eos, et in rebus eorum quos ad fidem converterat. Ut negationem obtendere **356** non audeat, subjungit adjurationem, dicens: *Frater* Philemon *ita ego fruar te in Domino*, si indulseris Onesimo, ut est illud Horatii (3, 1): *Sic te diva potens*, etc. Et ideo *refice viscera mea*, id est Onesimum *in Christo Jesu*, id est propter Christum. Hoc ut, scilicet, reficias eum. Et *præmissa scripsi tibi, confidens de obedientia tua:* confido enim te obediturum mihi super his. *Sciens* etiam quod tu facies Onesimo quod dico, *et etiam super his* postulo, quia non solum indulgebis: sed reddita ipsi gratia tua (si quibus C indigeat) ministrabis. Sic facias. *Simul etiam* cum istis mandatis, *para mihi hospitium. Nam spero me donari vobis per orationes vestras.* Per hoc etiam quod se adventurum dicit, Philemonem ad miserandum servo inducit. Si enim Apostolus veniens inveniret dominum immisericordem, severius corriperet eum. *Salutat te Epaphras in Christo Jesu.* Vel *concaptivus meus* in Christo Jesu: qui propter Christum Jesum captivitatem mecum patitur. Salutant te etiam *Marcus, Aristarchus, Demas, Lucas, adjutores mei. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro*, id est cum Philemone et ejus familia. *Amen.* Sicut in principio, sic in fine omnes salutavit, ut omnium affectiones circa Onesimum mitigaret.

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

In primis dicendum est cur apostolus Paulus in hac Epistola scribenda non servaverit morem suum, ut vel vocabulum nominis sui, vel ordinis describeret dignitatem. Hæc causa est quod ad eos scribens qui ex circumcisione crediderant, quasi gentium apostolus et non Hebræorum: sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem ipse demonstrans, meritum officii sui noluit anteferre. Nam simili modo etiam Joannes apostolus propter humilitatem in Epistola sua nomen suum eadem ratione non prætulit. Hanc ergo Epistolam fertur Apostolus ad Hebræos conscriptam Hebraica lingua misisse; cujus sensum et ordinem retinens Lucas evangelista, post excessum apostoli Pauli Græco sermone composuisse dicitur.

PROLOGUS B. BRUNONIS IN EAMDEM.

In Judæa erant Ecclesiæ, in fide Christi constitutæ, quibus et ipse Christus prædicaverat: et per apostolorum doctrinam ejus, et quibus ascendens instituendas Ecclesias commiserat, fidem susceperant, D et de Christo incarnationem, mortem, et resurrectionem, et cætera bene credebant; sed in eo plurimum errabant, quod circumcisionem, et quædam legalia observabant: credentes sine his neminem

posse salvari, et in hoc detrahentes eminentiæ et fidei Christi. Et super hoc multas verisimiles adducebant rationes, scilicet quod Christus sub lege natus, legem per omnia observasset, et si quando de solutione legis incusaretur, reddebat rationes quod legem in nullo solveret, ut ibi, quando opposuerunt ei quia in Sabbato curaret non observare Sabbatum, reddidit rationem et ait: *Si vos in die Sabbati bovem vel asinum solventes adaquatum ducitis sine transgressione legis, quomodo ego solvendo hominem a dæmonio legem transgredior?* (*Luc.* XIII, 15.) Non recordantes quod Christus finem illi legi posuisset, dum vetus Pascha celebravit, et illi veteri mox novum Pascha (novum scilicet sacrificium) consecravit, tradens corpus et sanguinem suum apostolis suis; ostendens quidquid præceserat umbram fuisse, nunc autem primum veritatem se tradere. Propter hoc quia Christum legem viderant observasse, quia iterum Petrus et alii, qui prædicaverant Judæis a circumcisione et hujusmodi legalibus, non eos coegerant recedere, timentes impatientiam eorum quia mallet omnem fidem deserere, quam 357 his in quibus consueverant renuntiare. Sciebant enim Petrus et alii quod sic enutrirent eos in pueritia, non posse eos aliter perduci ad virilitatem perfectionis. Propter hoc, inquam, circumcisionem cum fide Christi tenebant; sed Paulus videns Christum inutilem illis esse, quandiu legem cum fide tenerent, juxta illud quod ad Galatas ait: « Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit (*Gal.* v, 2), » ex superabundanti hanc illis Epistolam scripsit, cum tamen gentium tantum Apostolus esset, agens secundum quod ad Romanos ait: « Honorificabo ministerium meum, si quomodo ad æmulationem provocem carnem meam (*Rom.* XI, 14), » etc. Quare, quia non erat eorum Apostolus, nomina dignitatis in hac Epistola præponere noluit, sicut solet in singulis.

A Ideo etiam hæc reticuit quia exosus erat illis, propterea quia legem persequebatur, et ubique destruebat. Unde sæpius incusaverunt eum, imponentes ei quod legem a Deo non esse datam diceret, et omni tempore fuisse inutilem. Quare ut se purgaret ab istis, oportuit eum in Hierusalem secundum ritus Judæorum purificare et purificatum in templum ascendere (*Act.* XXI, 26; XXIV, 18), et Timotheum discipulum circumcidere (*Act.* XVI, 3). Si autem, cum ut persecutorem legis suæ eum odio haberent, dignitatis suæ nomina præposuisset, in principio obstreperent, dicentes nec audiendum illis esse inimicum suum, etiam si secundum rationem suaderet. Propter hæc devitanda dignitatis suæ mentionem non fecit. Quasi diceret: Nulla mea auctoritas
B vos compellit, sed attendite auctoritates legis vestræ et prophetarum, et ex ipsa lege et prophetis intelligetis in Christo fuisse finem legis. Et quia in cæteris nomen suum non præposuit, dixerunt quidam hanc non esse Pauli; sed alii Barnabæ, alii Lucæ, alii Clementis esse dicebant. Contra quos sic argumentatur Hieronymus: Si quia Pauli nomine non titulatur, Pauli non est, ergo, quia nullius nomine titulatur, sit nullius. Lucas utique hanc de Hebræo transtulit in Græcum. In hac autem Epistola materiam habet eminentiam Christi et inutilitatem legis comprobans per eamdem legem et prophetas eorumdem in Christo finem habuisse; legalia quæ nec eo tempore quo esse debebant alicui proderant, nisi per
C fidem venturi, sed Christus sic ad justificationem sufficit, ut adjutorio legis non indigeat, et si lex admisceatur, fidem irritam faciat. Eo fine sic de Christo et lege ait, ut Judæi legalia deserant, et in eminentia Christi justificationem quærant et accipiant. Circa finem etiam Epistolæ instruit eos de moralitate, quia sicut vitium naturale Judæis semper fuit, luxuriosi nimis erant in cibis et in libidine.

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.

« Multifariam multisque olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime [in] diebus istis « locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula. Qui « cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, « quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. « Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus « es tu, ego hodie genui te; et rursum: Ego ero « illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. Et cum « iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, « dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad « angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spi-
D « ritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Fi- « lium autem: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, et virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti « justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te « Deus tuus oleo exsultationis [lætitiæ] præ participibus tuis, et tu in principio, Domine, terram « fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli. « Ipsi peribunt, 358 tu autem permanebis, et « omnes ut vestimentum veterascent; et velut amictum mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem « ipse es, et anni tui non deficient. Ad quem autem « angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, « donec [quoadusque] ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? (*Psal.* CIX, 1, 2.) Nonne om- « nes sunt administratorii spiritus in ministerium « missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? »

EXPOSITIO.

Multifariam, etc. Nunc in principio probare intendit Christum Filium Dei audiendum esse, conferendo eum prophetis, qui, si ideo audiendi fuerunt quia Deus per eos ut per instrumentum locutus est, multo magis observanda sunt præcepta Christi, in quo Deus locutus est, ut in Filio. Confert iterum Christum angelis, quia si verba angelorum per eos prophetarum prolata observabantur, observanda sunt verba Christi longe amplius, qui longe melior angelis est effectus. Et hæc omnia quæ præmittit spectant ad conclusionem [illationem] inferius positam, ubi ait : *Propterea abundantius*, etc. Quasi diceret : Observate quæ dicta sunt a Filio, quia *Deus olim loquens patribus* nostris, id est prioribus Judæis qui et in carne et in cultu Dei patres nobis sunt, loquens, inquam, patribus *in prophetis*. Non enim prophetarum erant, quæ loquebantur, sed Dei loquentis per eos ut per instrumentum. In hoc nomine quod Deus est, multum opponebant Paulo, dicentes quia Deus immutabilis esset. Legem autem Deum dedisse negari non posset, immutabilem debere esse legem, quam, qui mutari non poterat, dedisset. *Olim*, inquam, *Deus loquens patribus in prophetis multifariam*, id est multoties, ut cum positione dictionis non insistamus. Multoties, inquam, quia et Abraham, et Isaac, et Jacob, et unicuique eorum multis vicibus. Loquens etiam *multis modis*, quia modo per somnia ut Danieli, modo aperta voce, ut Moysi, nunc interiori aspiratione, ut David. Vel mutifariam, id est diverso genere locutionis, ut huic in somnio, illi sermone aperto, illi interius aspirando, et ideo diversis modis, quia si in somnio tantum, putaretur inane quod ita fuisset auditum, sed ubi hic aperto sermone, hic in somnio, alius interna aspiratione, omnes idem et de eodem perhibebant, certiorem fidem tot modis intellectæ rei faciebant. *Multifariam*, inquam, id est multo genere locutionis, et *multis modis*, id est diversis operationibus, ut in ardenti rubo Moysi, in vellere sicco et udo Gedeoni, et similiter multis aliis. Olim loquens patribus in prophetis, *locutus est nobis in Filio*. Quod ad illud antiquius præsens tempus, posuit loquens, et ad illud quod quasi præsens erat, posuit præteritum locutus, significat idem se loqui per Filium quod locutus est per prophetas, nisi quod in prophetis occulta veritas, et adhuc complenda, in Filio autem aperta veritas et completa. Dicens etiam Deus loquens patribus *locutus est nobis filiis* eorumdem patrum, innuit eidem populo non diversa fuisse locutum, sed si per prophetas Judæis per Filium solis loqueretur gentibus, posset opinari ad diversos populos de diversis fuisse locutum. Locutus est nobis *novissime*, scilicet in *diebus istis*, adhuc enim multi supersunt qui eum loquentem et audierunt et viderunt. Vel ita : Locutus est diebus istis, sicut dictum est.

Locutus dico *novissime*, quæ hæc locutio Dei per Filium novissima fuit, nullius novitate locutionis ulterius immutanda, sed olim locutus in prophetis est novissime, quia veritatem locuturus in Filio destructurus erat umbram, quam loquebatur in prophetis. Et si prophetas audistis, quia Deus locutus est in prophetis, *abundantius* observate quæ de Deo in Filio audistis. Nunc incipit magnificare Filium, modo secundum humanam, modo secundum divinam, modo secundum utramque simul substantiam dicens : *Quem* Filium Deus Pater *constituit*, id est firmiter stabilivit *hæredem universorum*, id est firmum possessorem omnium non hæredem quasi Pater ejus decesserit, **359** quod in humanis legibus fit, sed hæredem secundum quod idem ait : « Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). » Hæc constitutio secundum quod homo est, facta est in eo, in quo secundum divinam ab æterno fuit omnis plenitudo; *per quem* iterum *fecit* non solum cœlestia, sed *etiam sæcula*, id est quæcunque sæcularia videtis, juxta illud : « Omnia in Sapientia fecisti (*Psal.* CIII, 24). » Hoc secundum divinam dictum est de Filio; *qui* Filius *cum sit splendor gloriæ*, id est divinæ essentiæ Patris, quæ divinitas per excellentiam gloria dicitur, et consideratione illius nihil gloriosum videtur. Filius, inquam, splendor est gloriæ, quia sicut radius solem significat lucere, ita Filius radius est notificans Patrem, non tamen aliud a Patre, sicut nec radius aliud est a sole. Hoc autem secundum utramque naturam, maxime secundum divinam dictum est de Filio. Qui Filius etiam cum sit *figura substantiæ ejus*, id est plena ostensio essentiæ Patris. Figura autem, non quod diversus a Patre, sed idem; eadem enim substantia Filius est cum Patre, hæc secundum divinam tantum. *Portans* etiam *omnia*, quia, sicut nisi per Filium creari non poterant, sic nisi per Filium creata subsistere non possent. Portans omnia *verbo*, id est sola voluntate, sicut quemlibet regem judicaremus potentem, qui solo verbo gubernaret imperium suum. Portans, inquam, omnia verbo *virtutis suæ*, id est virtuoso verbo suo.

Hæc omnia nihil adhuc ad illos, quia dicerent : Quid prodest nobis si per eum facta sunt omnia, si splendor sit gloriæ, etc. Ad hoc Paulus respondet : Filius dico *faciens purgationem peccatorum*, id est purgans homines a peccatis, et quod purgare possit comprobatur ex præmissis; per quem facta et portata dicuntur omnia, et qui cum Patre eadem est substantia, etc. Quod etiam tempore legis Judæi confitebantur, ubi dicebant eidem Christo : « Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? » (*Marc.* II, 7.) Hoc plane ostendebant neminem posse salvari a peccatis per legem. Purgationem peccatorum faciens. Hoc de Filio dictum est secundum divinam. Qui Filius cum sit talis et talis, *sedet ad dexteram majestatis*, id est ad æqualitatem paternæ majoritatis. Majestas enim dicitur essentia Dei, nec in illo paradiso unde pulsus est Adam, sed sedet *in excelsis* cœlorum, locatus in dextera Patris, hoc se-

cundum humanam. Nunc Filium comparat angelis, ita tamen ut longe præferat illis dicens : Filius, inquam, *effectus tanto melior angelis, quanto differentius hæreditavit nomen*, id est honorificentiam postquam resurrexit et ascendit. Differentius ideo quia cum adhuc esset passibilis et mortalis, differens nomen habuit, quia angeli ministrabant ei (*Matth.* IV, 11), sed ascendens multo differentius nomen possedit. Et quia differentius esse posset, non tamen præ angelis, ideo ait *differentius*, ita ut sit *præ illis* angelis. Vere nomen hæreditavit præ angelis. Nam vox Patris ait ad illum : *Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7) ; quod nulli angelorum dixit. Sed ad majorem confirmationem sub interrogatione, hoc ita ait : *Cui angelorum dixit aliquando*, id est nec priusquam confirmarentur, nec postquam per casum aliorum confirmati sunt : Dixit, inquam : *Tu es filius meus* consubstantialis, non adoptivus, *ego* enim Pater *genui te hodie* (*ibid.*), id est in æternitate. Propter infirmitatem intellectus nostri, cum hodie (quod nota præsentis temporis est) posuit præteritum *genui*, ne si diceret hodie gigno te, suspicaremur eum non ab æterno genitum de Patre. Et ideo *genui* dixit, secundum infirmitatem nostram, *hodie* secundum divinitatem in qua nihil præteritum, nihil futurum, sed omnia ibi hodie præsentia.

Et rursum *cui angelorum dixit* hoc *aliquando?* vel sine interrogatione. *Rursum* Pater hoc ait de Filio. Ubi ait *rursum* de eodem significat esse dictum. Ait Pater : *Ego ero illi*, id est ad honorem illius, ero illi *in patrem et ipse* filius *erit mihi in filium* (*II Reg.* VII, 14) ad me magnificandum. *Ero* et *erit* posuit, non quia hic Pater, ille Filius non sit **360** ab æterno, sed quantum ad communem notitiam hominum. Nec ad hoc ille Pater, nec iste Filius, sed in die judicii erit Pater, erit Filius, cum omnes impii cognoscent Christum esse Christum Filium Dei ; quod viventes negaverunt. Hæc duo secundum divinitatem dicta sunt de Christo. *Et iterum* dicit Pater de eodem Filio, *adorent eum omnes angeli Dei* (*Psal.* XCVI, 7), sed præmittit quando hoc dictum sit. *Cum* Pater *introducit*, id est ostendit introducendum *Primogenitum*, suum Christum *in orbem terræ*. Introducit ideo quia in interiora cordium ductus est ; cum, inquam, introducendum ostendit, dicit. Illud et jungitur in littera psalmi, *adorent eum*, scilicet Filium secundum humanam naturam *omnes angeli Dei*. Et hoc de eo post resurrectionem accipiendum est. Illud præcedens *ero illi in Patrem*, in Isaia invenitur, in psalmo etiam : « Misericordias Domini, » quod idem valet, ibi habetur : « Ipse invocabit me, Pater meus es tu (*Psal.* LXXXVIII, 27). » Illud quod sequitur, « adorent eum, » habetur in psalmo : « Dominus regnavit, exsultet terra (*Psal.* XCVI, 7), » nisi quod ibi est *adorate*, hic *adorent*. Dicit etiam Pater de eodem Filio pertinens ad angelos. Hoc, scilicet, *qui* Filius *facit* cœlestes *spiritus suos angelos*, id est suos legatos mittens eos quo placet. Nec tantum illos inferiores : sed etiam *flammam ignis*, id est seraphim, qui ordo dignitate alios præcellit. Facit *ministros suos* etiam secundum humanam naturam obsequentes illi. Hoc Pater ait, pertinens ad angelos. Hoc autem idem ait ad Filium. O Deus Fili, *thronus tuus*, id est judicialis sedes tua *permanet in sæculum sæculi*. Et merito, quia *virga regni tui* est *virga æquitatis*, id est directa æquitas et inflexibilis. Virga regis recta, et ideo de ære solet fieri, ut signum sit directæ et inflexibilis æquitatis, quæ æquitas in Christo directa est et inflexibilis. Merito iterum thronus tuus est in æternum · quia tu *dilexisti justitiam*, id est omne bonum non coactus, sed ex dilectione amplexatus es. *Et* sicut dilexisti justitiam, ita *odisti iniquitatem*, id est omne malum. Quidam enim sic diligunt justitiam ut tamen quasdam injustitias odio non habeant.

Et propterea ut thronus tuus esset in æternum, ut virga æquitatis esset tibi, ut diligeres justitiam, *propter hæc* omnia ut existerent in *te*, o Deus Fili, Deus Pater *unxit*, ego scilicet qui loquor, unxi te. Alii per ministros ut David et Saul uncti sunt ; Christus autem propria operatione Patris. Unxit te, inquam, *Deus tuus* consubstantialis tibi, *oleo*, id est Spiritu sancto, quia sicut oleum carnem, sic Spiritus sanctus fovet et demulcet animam. Oleo dico *exsultationis*. Et merito dicitur exsultationis, quia homo ille per spiritum de quo conceptus est, a peccato permansit immunis. Unctus est Christus Spiritu sancto in utero Matris. Accepit iterum Spiritum sanctum in baptismo, quando in specie columbæ super eum visus est (*Matth.* III, 16), non tamen in baptismo Spiritum accipiens, quasi nova justificatione indigeret, sed ut ostenderet quod Spiritum sanctum hominibus in baptismo ad justificandum tribueret. Unxit te Deus oleo *præ participibus tuis*, id est præ apostolis et cæteris, qui Spiritum sanctum acceperunt. Præ illis ideo quia Christus de Spiritu sancto, omnes alii de semine carnis concepti sunt. Hæc omnia secundum humanitatem de Filio dicta sunt ; hæc Pater dixit de Filio, et iterum propheta ad Patrem de eodem Filio, secundum divinam. O Domine Pater, *tu fundasti terram*, id est firmiter stabilisti hanc Ecclesiam : quæ terra dicitur comparatione superioris Ecclesiæ angelorum. Fundasti dico *in principio*, id est per principium quod est Filius juxta quod idem de se ait : « Ego principium qui et loquor vobis (*Joan.* VIII, 25). » Fundasti terram, et cœlum, id est majores sanctos, ut apostolos, qui mysteria tua compluunt subditis. Hos, inquam, non solum fundasti, sed dicendi sunt propria *opera manuum tuarum*. In excellentia enim horum apparet manus tua fuisse operata, sicut quilibet artifex diceret : Hæc imago egregia opus meum est, sed in illa deterius facta non cognosco me, cum tamen utraque opus ejus sit. Et *ipsi* **361** cœli *peribunt*, id est morte destruetur quidquid ex natura sua erunt, sed *tu permanebis in illis*, id est justitia et cætera quæ tu operaberis, in illis permanebunt, *et omnes* sive cœli, sive terra *veteru-*

scent, id est paulatim corrumpentur miseria carnis.

Veterascent dico, et peribunt *ut vestimentum*, id est secundum corpus quod in eis est, circumdans animam tanquam vestimentum. Ipsi peribunt, *et tu mutabis eos velut amictum*, id est corpus, quod quasi amictus animæ est. Mutabis impassibile factum et immortale. *Mutabuntur* etiam secundum animas gloriosiores factas, et in cognitione Dei proficientes. Ipsi peribunt et veterascent, *tu autem es idem ipse*, id est immutabilis contra hoc quod ipsi veterascunt, *et anni tui non deficient*, id est æternitas tua permanens est. Contra hoc quod illi morte peribunt, non solum per præmissa major angelis comprobatur, sed etiam per hoc dictum Filio : « Sede a dextris, » quod nulli dictum est angelo. Quia ad quem angelorum dixit Pater aliquando, sicut idem verbum supra notavimus, *Sede*, id est judica et quiesce *a dextris*, id est in potioribus *meis*, *quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2), id est ita plenarie subjectos tibi, ut scabellum subjicitur pedibus? Per pedes tamen humanitas Christi intelligitur, quæ ultima pars in illo. Hæc autem plena subjectio, consummanda est in ultimo judicio secundum humanitatem Filii. Vere nulli angelorum dixit hoc quod dixit Filio, *sede a dextris*, quia angeli ministri sunt Filii, hoc autem repugnans est ut ministri sint Christi, et ejusdem dignitatis. Quod ita ait : Ideo constat hoc non esse dictum alicui angelorum, quia *nonne omnes* angelici *spiritus* quotquot *sunt*, sunt *administratorii*, id est dispositi ut administrent Christo? Et quia quidam ministri constituti sunt, quibus imperare non audent domini, ad hoc removendum addit. Ita dico administratorii, quod *missi in ministerium* quocunque sibi placet etiam *propter eos*, id est propter homines. Multum subjectos constat esse Christo, imperio cujus deserviunt etiam hominibus, qui minores sunt angelis. Propter eos dico, *qui capient hæreditatem salutis*, id est qui possidebunt æternam salutem in hæreditatem, id est firmam sibi possessionem.

CAPUT II.

« Propterea abundantius oportet observare nos « ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim « qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit « justam mercedis retributionem, quomodo nos « effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quæ « cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab « eis qui audierunt, in nos confirmata est, con- « testante Deo signis et portentis et variis virtutibus, « et Spiritus sancti distributionibus secundum suam « voluntatem. Non enim angelis subjecit Deus or- « bem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est « autem in quodam loco quis dicens. Quid est homo « quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam « visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab ange- « lis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti « eum super opera manuum tuarum. Omnia subje- « cisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei « subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc « autem necdum videmus omnia subjecta ei. Eum « autem qui modico quam angeli, minoratus est, « videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria « et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus « gustaret mortem. Decebat enim eum, propter « quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios « in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per « passionem consummare. Qui enim sanctificat et « qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam « causam non confunditur fratres eos vocare, di- « cens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in « medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum : Ego ero « fidens in eum. Et iterum : Ecce ego et pueri mei « quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communi- « caverunt carni et sanguini, et 362 ipse similiter « participavit eisdem, ut per mortem destrueret « eum, qui habebat mortis imperium, id est diabo- « lum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam « vitam obnoxii erant servituti. Nusquam enim an- « gelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. « Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut « misericors fieret et fidelis Pontifex ad Deum, ut « repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo « passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari. »

EXPOSITIO.

Ex omnibus superioribus infert; ad hoc enim comprobandum omnia adduxit, dicens : Quia si in prophetis et in Filio locutus est Deus, quia per Filium omnia facta sunt, quia major est angelis, quia dictum est Filio : « Sede a dextris, » quod nulli dictum est angelo, *propterea oportet nos observare ea quæ audivimus* a Filio abundantius quam ea quæ audivimus a prophetis. Prophetas quidem abundanter, sed Filium abundantius oportet audire, *ne forte* non audiendo Filium, *pereffluamus*. Nos multis miseriis et peccatis quotidie effluimus, sed, si non observemus mandata Christi, pereffluimus, quia omne bonum elabetur a nobis, et pœna totius justitiæ nobis residua erit. Probavit Filium esse audiendum, tum quia in Filio locutus est Deus, sicut in prophetis, tum quia Filius major est angelis, et hoc per auctoritates eorumdem probavit; modo mandata Filii observanda dicit ideo quia non effugient pœnam qui neglexerint propositam sibi a Filio salutem. Quod ita probat : Vere quæ audivimus a Filio nisi observaverimus, pereffluemus, id est puniemur, quia si sermo angelorum non impletus pœnam intulit non observantibus, tunc salus Filii neglecta, qui major est angelis, pœnam inferet negligentibus. Quod ita : *Si sermo*, id est ostensio voluntatis Dei, seu in lege, seu in prophetis, *qui* sermo *dictus est per angelos*. Angeli enim et Moysi legem et cæteris prophetis ministrabant, quæcunque illi docebant, si, inquam, hic sermo *factus est firmus*, id est confirmatus est, sicut lex data Moysi, per quædam

miracula, id est per tonitrua ibi audita, etiam quibusdam minis et pollicitationibus confirmata. Si, inquam, sermo per angelos factus est firmus, *et* ideo *omnis prævaricatio et inobedientia.* Prævaricationem vocat, non solum dimittere quod præcipitur in lege, sed etiam contra legem facere, ut qui jubetur diligere proximum, non tantum non diligit, sed etiam occidit. Inobedientia dicitur non implere quod in lege præcipitur; etiam si nihil contra legem operetur : ut qui jubetur diligere non diligat. Ideo ait omnis prævaricatio et inobedientia, et non omnis prævaricator et inobediens, significans unam solam prævaricationem, vel inobedientiam non effugere pœnam. Prævaricator autem vel inobediens multarum prævaricationum vel inobedientiarum reus esse potest. Si, inquam, omnis prævaricatio et inobedientia *accepit retributionem mercedis*, id est mercedem retributam. Merces dicitur quæ, pro qualitate facti, sive malum sive bonum sit, redditur. Retributio significat quantum meruit tantum esse redditum ei. Retributionem, dico, *justam*, quia sic retribuendo Deus agit ex justitia, nec putetis eum sic misericordem esse ut obliviscatur justitiæ.

Si, inquam, prævaricatio vel inobedientia sermonis dicti per angelos accepit retributam mercedem, *quomodo nos effugiemus* illud pereffluere *si neglexerimus*, non dico prævaricatores exstiterimus, sed (quod minus est) si saltem neglexerimus, id est intelligere contemnamus, non dico sermonem, sed *salutem?* Verbum enim Christi creditum credentibus, causa efficiens est salutis. Salutem dico *tantam*, id est indeficientem. Salus enim hæc quando remittuntur peccata principium habet; positionem virtutum habet incrementum, in æterna beatitudine consummationem. Nec eos reddit inexcusabiles, quod nequeant opponere se, quasi remotos hanc audisse salutem dicens : *Quæ* salus *cum accepisset initium* non constitutionis, quia ab æterno **363** sic fieri erat dispositum; sed initium *enarrari per Dominum* angelorum, id est per Christum quod Christus enarrare cœpit hanc salutem. Tunc, inquam, cum accepisset hoc initium *confirmata est in nos*, id est in vos Judæos *ab eis qui audierunt* ab ipso ore Christi, scilicet per apostolos, quorum justitia et auctoritas firmitatem hujus salutis vobis commendavit. Confirmata dico, *Deo contestante.* Ipsi enim apostoli auctoritate sua satis hanc attestabantur, sed Deus idem testabatur cum illis *signis et portentis.* Signa vocat, ut morbos depellere, quod ars medicinalis posset efficere. Portenta autem, quæ contra naturam erant, ut cæco nato oculos aperire, Lazarum suscitare : quæ et aliud significabant. Contestante autem etiam Deo *variis virtutibus*, hic veras virtutes significat, ut justitiam, prudentiam, et hujusmodi, quæ ministrabat fidelibus suis. Contestante etiam *distributionibus*, id est per distributiones *Spiritus sancti*, huic enim genera linguarum, illi revelationes Scripturarum, et cæteris cæteras gratias distribuebat.

His omnibus factis *secundum voluntatem suam* (non enim considerabat meritum, sed beneplacitum misericordiæ suæ) dixit quod negligentes salutem Christi non effugient ejus vindictam. Nunc subjungit, quod vindicandi in omnes habeat potentiam. Dixi : *Quomodo nos effugiemus*, et vere non effugiemus vindictam negligentes salutem Filii, cum prævaricatores sermonis angelorum puniti sint, quia Filio subjiciet orbem terræ quem angelis non subjecit. Hic locus fidem facit a minori. Quod ita ait : *Deus* pater *non subjecit orbem terræ angelis*, ministerio quidem eorum multa in orbe fiunt. Sed omnia spectant ad Dei imperium. Orbem terræ dico *futurum* subjectum ei *de quo loquimur*, scilicet Christo. Vel ita : Orbem non subjecit angelis, quod, scilicet, ut subjiciatur, futurum est ei, de quo loquimur, Christo. Quod autem orbis subjiciendus sit Christo, probat auctoritate David; qui tamen de hac subjectione futura loquitur, quasi de præterita, sicut admissus in divino consilio. Et ut certius exaltationem Christi super omnia probaret, præmittit humilitatem ejus, ne si (tacita humilitate) exaltationem assereret, ambigeretur alium esse qui humiliatus, alium qui exaltatus est. Unde sic ait : Non ego solus dico orbem subjiciendum Christo, sed etiam *testatus est* idem mecum *quis dicens in quodam loco* (*Psal.*, VIII, 5, 6). Hæc auctoritas adeo nota erat, quod nec auctoris, nec loci in quo erat nomine indigeret. Hæc, inquam, testatur David loquens ad Patrem. O Domine, *homo* ille Christus *quid est*, admirative, id est magnum quid futurus est, sed quantum quid sit; hoc tamen totum per hoc quod tu *memor es ejus* hominis. Memor fuit Deus hominis Christi, quando eum immunem a peccato conservavit. Hominem eum appello, aut ut expressius dicam homo ille Filius hominis magnum quid est in eo *quod* tu *visitas eum*. Sicut medicus ut visitet, ingreditur ad infirmum, sic Deus visitavit Christum in sepulcro, ingrediendo ad eum ut incorruptibilis resurgeret. Ubi ait *Filius hominis* et verum hominem, et non de semine viri natum ostendit, hominis enim Filius, non hominum. Et sicut cognovi ejus incarnationem, sic minorationem ejusdem, *minuisti* enim *eum* Filium Dei in virtute per assumptam naturam passibilitatis et mortalitatis. Minuisti dico *paulo minus*, id est minus per paulum, quia licet mortalis, tamen in hac mortalitate imperabat angelis. Minuisti paulo minus separatum *ab angelis*, id est ab illa dignitate loci, Deus enim homo factus inter homines est conversatus.

Posita humiliatione Christi, incipit de exaltatione dicens : *Coronasti eum gloria*, id est claritate immortalitatis *et honore* : quia ipsi flectitur omne genu. Coronasti ab ea similitudine dicit, qua sicut victor revertens de triumpho, coronam suscipit; sic Christus triumphata morte, gloria et honore coronari meruit. Et eum coronatum *constituisti super opera manuum tuarum* super homines et angelos, quæ proprie dicuntur opera manuum Dei, et ita super

opera, quod *omnia subjecisti sub pedibus* **364** *ejus*, id est ipsi plenaria subjectione. Posset enim superior esse dignitate; quod non tamen inferiora aliqua subjectione essent ei obnoxia. Modo Paulus quod David ait *omnia subjecisti*, quomodo intelligendum sit, exponit dicens, ait David : Omnia subjecisti. *In eo autem quod* Scriptura *subjecit*, id est ostendit subjecta *ei omnia, nihil dimisit non subjectum ei*, quia ubi ait *omnia* nihil excipit. Si enim habetur, superius jungitur. Benedico orbem futurum Christo subjectum, quia in eo quod subjecit ei omnia, nihil dimisit non subjectum ei. Et licet dixerit omnia subjecisti, *nunc* tamen *nondum videmus omnia* esse *subjecta ei*, quare dicebam futurum subjectum ei. Hodie enim aliquid subjicitur, sed necdum omnia, cras iterum aliquid, et necdum omnia, et istud necdum dici poterit, donec in judicio etiam subjicientur ipsi impii.

Opponeret aliquis : Sicut necdum subjecta sunt, sic nec in æternum subjicientur. Ad hoc Paulus : Licet necdum subjecta sint ei omnia, tamen quia partem prophetiæ in eo completam videmus, scilicet coronatum gloria et honore, certi sumus partem quæ restat implendam, scilicet ut subjiciantur ei omnia. Quod ita ait : *Eum qui minoratus est modico*, id est per modicum *quam angeli;* posset enim ab eo quod erat minorari, ut tamen remaneret major angelis, ait minor factus quam angeli. Eum, inquam, *videmus* jam *Jesum*, id est salvantem suos, *coronatum gloria et honore*, id est claritate immortalitatis, et quod omne genu flectatur illi. Coronatum, inquam, non sine merito, sed *propter passionem*, quæ passio non quoquomodo tolerabilis; sed passio *mortis*. Hic jam ostendere incipit, non solum propter potentiam et ultionem mandata Christi debere observari, sed (ut illa prætermittamus) propter dilectionem qua nos adeo dilexit ut pro salvatione nostra mortem eligeret. Minoratus ideo, *ut gustaret mortem pro omnibus* prædestinatis, vel pro omnibus universaliter. Pretium enim datum est omnibus, si velint, sufficiens. Gustaret dicit, propter amaritudinem mortis, quæ interius illi sapuit. Vel gustaret, quia mors illa cito præteriens, quasi in gustu fuit, non inebrians per moram. Gustaret, inquam, et hoc *gratia*, id est per gratiam, *Dei*, non enim hoc promeruerat homo. Ideo gustaret mortem pro omnibus *quia decebat eum*, id est Deum Patrem *propter quem* glorificandum facta sunt *omnia*, *et per quem* facta sunt *omnia*. Eum dico *qui adduxerat*, id est adducendos prædestinaverat *multos filios*, id est homines justificatos *ad gloriam*, id est ad salvationem. Eum, inquam, decebat *auctorem salutis eorum* filiorum (scilicet Christum) *consummare per passionem* mortis sicut promisit. Frustra enim facta essent omnia, si homo non redemptus periret. Omnis enim creatura terrena homini deservit; ut homo in illis materiam habeat laudandi Deum. Si autem homo non salvaretur, dispositio Dei falleretur, qui propter se glorificandum fecerat omnia, cum in nullo glorificaretur, damnato homine. Et cum propter Deum glorificandum, et per Deum facta essent omnia, consilium ejus impleri oportuit, ut glorificaretur in creaturis, ne, non providere salutem his quæ fecerat, absurdum esset. Consummatio Christi in resurrectione incipit, perfectionem habitura in die judicii, quando omnia subjicientur ei.

Probat quod decuit consummare Christum per passiones, quia dicerent illi satis indecens esse ut quod auctor erat salutis, cui omnia deberent subjici, eum in ignominias passionis deponere. Unde ait : Vere sic eum consummare non dedecuit *quia qui sanctificat* prædestinatos ad gloriam, id est Christus, *et qui sanctificantur*, id est prædestinati *omnes* pendent *ex uno*, id est ex Deo Patre. Sic enim Christus homo potestati Dei subjectus est, sicut hi qui per eum salvantur. Et cum Christus ex Deo pendeat, non dedecuit si disposuit de eo quomodo sibi placuit. Probat quod sanctificans et sanctificati ex uno pendeant per auctoritates, sic dicens : *Propter quam causam*, quia sanctificans et sanctificati ex uno sunt, propter hoc, inquam, *non confunditur*, id est non erubescit **365** Christus *eos vocare fratres*, dicens in psalmo : *Nuntiabo nomen tuum* (id est honorificentiam tuam) *fratribus meis*, et *laudabo te* positus *in medio Ecclesiæ* (*Psal.* XXI, 23), quasi columna sustinens et fulciens domum, ne quid in ea ruat. Et iterum probat idem auctoritate Isaiæ loquentis in persona Christi sic : *Ego* Christus *ero fidens in eum* (*Psal.* XVII, 3), id est in Deum Patrem. Cumque in Deum se dicat confidere, apparet eum sicut alios ex Deo pendere. *Et iterum* probat quod sanctificans et sanctificati ex uno sint, dicens in Isaia : *Ecce ego* Christus paratus sum obsequio Dei *et pueri mei, quos Deus dedit mihi* (*Isai.* VIII, 18). Ubi ait : *Ecce ego*, et *Deus dedit mihi*, ostendit se ex Deo pendere. Probavit quod non dedecuit, concludit modo quod per passionem oportuit Christum auctorem esse salutis hominum, dicens : Quia Christus qui sanctificat, et homines qui sanctificantur ex uno sunt. Ergo Christus participavit eisdem hominibus, similiter ut passibilis et mortalis fieret. Et quare qui sanctificat participavit eisdem ? *Ideo quia pueri* quos sanctificabat *communicaverunt carni et sanguini*, id est corpori et animæ. Per sanguinem enim animam accipit, non quod sit anima, sed quia sedes est animæ. Communicare carni et sanguini dicit, veros homines esse. Et quare Christus ideo participavit humanitati ? quia pueri quos sanctificabat homines erant; propterea, scilicet *ut per mortem* pro puerorum salute passam *destrueret eum, qui habebat imperium mortis*, id est diabolum, qui imperabat lege mortis omni homini. Nisi enim per mortem non posset destruere mortem; mori autem non posset, nisi homo fieret, *et ideo* oportuit eum participare *eisdem* similiter. Deus enim hominem primum purum et in libertate creavit, quem diabolus seductum (quia imperium Dei transgressus est) imperio suo ut servum mancipavit. Homo autem corruptus per peccatum nullo

virtute hanc servitutem evadere potuit. Cum autem homo per se servus factus esset, si per alium liberaretur quam per hominem, violentia esset, et diabolus injuriam sibi fieri juste reclamaret.

Propterea ut homo redimeretur, oportebat inveniri hominem in quo peccatum non esset, ut diabolus, in eo usurpans sibi potestatem in quo, quia peccatum non esset, nullam haberet, per hoc quod homini sine peccato mortem (quæ pœna est peccati) inferret, usurpando quod suum non erat, juste pro hac præsumptione perderet omnem hominem quem juste possederat. Homo autem sine peccato inveniri non potuit inter homines, quia omnes in concupiscentia nati. Si autem (ut quidam opponunt) angelica natura incarnaretur, cum uterque angelus et homo in natura habeat peccare, facillime caderet, cum utramque naturam per se constet cecidisse. Sic relinquitur humanam naturam nullo modo sine peccato posse consistere, nisi uniretur ei divinitas. Deo etiam (sicut aiunt sancti) Deus voluit homo fieri ut per hoc homines redderet magis obnoxios suæ dilectioni. Ostendit Christum non solum per mortem destruxisse mortis imperium, sed etiam merito mortis suæ legem (quæ Judæos in servitute tenuerat) evacuasse. Unde sic ait : *Ut per mortem destrueret diabolum, et* ut per mortem *liberaret eos*, Judæos ad quos hic sermo erat, *qui per* totam vitam *timore mortis obnoxii fuerant servituti*, id est legi, quæ ut servos cogebat eos, dicens : Si hoc feceris, morte morieris. Sed Christus, nolens vos servire timore mortis, legem evacuavit, ut sicut servi prius timebatis, sic modo per gratiam liberi diligatis. Vere *participavit similiter* ut homines sanctificaret, *nusquam enim apprehendit*, id est in nulla Scriptura legitur apprehendisse *angelos*, id est angelicam naturam, ut angelos redimeret, *sed apprehendit*, id est legitur apprehendisse *semen Abrahæ*, carnem sumens de Abraham, ut qui per fidem semen sunt Abrahæ, eos salvaret. *Unde* quia semen Abrahæ apprehendit, *debuit similari fratribus per omnia* passibilis factus et mortalis, *ut misericors* (quod erat in natura) *fieret* operis exhibitione, *et* 366 *pontifex*, id est factus nobis pons, quo transeamus ad Deum. Pontifex dico *fidelis*, quia nec ab his quos ducebat, nec a Deo cui tradebat munera suæ ductionis quæsivit. Similari etiam ideo, *ut repropitiaret*, id est propitiando remitteret, *delicta populi*. Et vere potens est repropitiare delicta populi, *nam in eo*, id est in inferiori ejus substantia *in qua ipse passus est* sub Pilato, *tentatus* a diabolo, *potens est* ipse auxiliari *eis* quicunque *tentantur*, et a tentationibus liberare.

CAPUT III.

« Unde, fratres, sancti vocationis cœlestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum : qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant ; Christus vero tanquam filius in domo sua. Quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea quadringenta annis. Propter quod offensus [infensus] fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, incredulitatis discedendi a Deo vivo. Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus ; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus, dum dicitur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione. Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen. Quibus autem infensus est quadraginta annis ? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto ? Quibus autem juravit non introire [quibus autem juravit ut non introirent] in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt ? Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem. »

EXPOSITIO.

A superioribus infert quod ex vindicta et potentia Christus timendus est, quia iterum ex dilectione pro vobis mortem gustavit rediligendus a vobis, quia potens et præsto est tentatis auxiliari. *Unde*, id est per hæc omnia, o vos *sancti fratres, facti participes cœlestis vocationis*. Ad participanda enim cœlestia bona vocati estis. Vos, inquam, diligendo et operando quæ præcipit, *considerate* Jesum, id est *Salvatorem, Apostolum* quem Pater legavit ad vos, et *pontificem*, id est factum nobis pontem, quo transeamus in gloriam, *Jesum* pontificem *confessionis nostræ :* quia quidquid alii faciant, nos eum fide confitemur Salvatorem nostrum. Comparavit Jesum prophetis, comparavit eum angelis, ita ut illis omnibus majorem ostenderet. Nunc eum comparat Moysi, ita iterum ut digniorem Moyse asserat, quanto filius dignior est dispensatore servo. Unde sic ait : Considerate Jesum, *qui* Jesus *fidelis est ei*, id est Deo Patri *qui facit illum*, id est qui facturam humanam univit Filio. Fidelis ideo quia non suam, sed Patris gloriam semper quæsivit, nec timore territus, vel amore seductus mandata Patris occultavit. Fidelis, inquam, est ei, *sicut et Moyses* fidelis fuit *in omni domo illius* Jesu, vel Dei Patris, in qua Moyses non

dominus, sed minister erat. *In omni* ideo, quia in omnibus quæ necessaria erant et in docendo, et in pascendo, et in ducendo domum illam, id est populum Judæorum, fideliter enutriebat. Vel ita construamus. Jesus fidelis est Deo, sicut Moyses fidelis fuit. **387** *Jesus* dico *fidelis in omni domo illius*, tam in Judæis quam in gentilibus : non in quadam domo *sicut Moyses* in Judæis. Illud *sicut* similitudinem tantum notat, non quantitatem ; probat per effectum quod ait : Vere Jesus fidelis est, sicut Moyses. *Nam* Jesus *habitus est dignus* ; iste, inquam, Jesus, qui filius longe præcellit ministrum dignus est gloriæ, sicut Moyses, qui etiam *amplioris gloriæ* dignus est *præ Moyse*, id est quam Moyses vel præ Moyse existens in merendo. Tanto utique amplioris, *quanto ampliorem honorem domus*, id est in domo apud eos, scilicet qui in domo sunt. Vel domus, id est de domo fabricata *habet ille qui fabricavit illam* domum. Ampliorem dico quam ille qui dispensator est in ea. Nunc duo residua sunt ad probandum, et quod domus non a se, sed ab alio fabricata sit, et quod Christus eam fabricaverit

Hæc autem omnia de spirituli domo accipienda sunt. Sæpe enim contigit ut, in domibus nostris honorabilior esset qui in ea ministrabat quam ille cujus erat domus. Quasi diceret : Bene dico qui fabricavit illam ; per se enim non potest fabricari, *omnis namque domus fabricatur ab aliquo*. Ad hoc ille : Si ab aliquo, non tamen a Deo. Ad hoc Paulus : Vere domus fabricatur a Deo ; nam *Deus est qui creavit omnia*, quod si omnia creavit, constat quod et domum ; quam quia fabricavit, sequitur ut amplioris gloriæ habeatur in illa quam qui in domo tantum ministrat. Propterea quia fabricavit domum, in qua Moyses dispensavit, præ Moyse ideo dignus habitus est. Propterea etiam amplioris gloriæ est, quia *Moyses quidem* ut famulus in domo non sua ; Christus vero Filius in domo sua. Quidem, et vero, distributivæ conjunctiones sunt. Moyses quidem *fidelis erat in tota domus ejus*, scilicet Dei Patris vel Christi, *tanquam famulus*, quia solummodo famulabatur in ea. Famulus autem qui hodie est in domo, cras fortassis expelletur, nunquam adeo fidelis erit, sicut filius qui hæreditate possessurus est domum. Moyses tanquam famulus erat *in testimonium eorum*, id est ut solummodo testificaretur ea, non ut gratiam adjutricem ad operanda mandata dare posset ; eorum, dico, *quæ dicenda erant*, id est quæ conveniebant dici illi carnali populo, qui spiritalia capere non posset. Moyses tanquam famulus in domo non sua ; *Christus vero* sic erat fidelis *tanquam filius*, quem illius domus manebat hæreditas. Filius, dico, *in domo* non alterius, sed *sua*. *Quæ domus* Christi *nos* renati per gratiam *sumus*, hac conditione dico, sumus domus, *si retineamus fiduciam spei*, id est spem futuræ beatitudinis cum fiducia, ut fiducialiter speremus ; et si retineamus *gloriam* spei, id est gloriosam spem, quia de jucunditate cœlesti. Retineamus dico fiduciam spei *firmam*, id est perdurantem *usque ad finem* vitæ, quando quod modo speramus accepturi sumus. Quapropter quia retinendo fiduciam et gloriam spei sumus domus Christi. Propter hoc videte, fratres, ne forte quod contingere potest, sit in aliquo vestrum. In aliquo ideo ait quia plures sciebat in Ecclesia posse esse perfectos, *ne*, inquam, *sit in aliquo vestrum cor incredulitatis*, ut increduli sitis, putantes Christum non sufficere ad justificationem, sed legem esse necessariam. Cor dico incredulitatis *malum*, id est in multa mala præcipitatum. Ex quo enim incredulus est aliquis, præceps ruit in actum peccati. Nec parum nocet cor incredulitatis, quod est habere cor *discedendi a Deo*. Et male vobis si a Deo discedetis, quia Deo dico *vivo*, a quo qui discedit, vitam perdit, qui ad eum incedit, vitam invenit.

Videte ne sit in aliquo cor incredulitatis quod ego prohibeo, *sicut* idem prohibens *dicit Spiritus sanctus* in David his verbis (*Psal.* XCIV, 8, 11) : *Hodie*, id est in tempore gratiæ, sic enim David loquebatur quasi spiritu præsens in diebus Christi. Per *hodie* autem totum tempus gratiæ, a Christo usque in finem mundi intelligitur. Hodie, inquam, in diebus Christi, *nolite obdurare corda vestra ; si audieritis vocem ejus*, sicut revera audietis. Illud *si* affirmativum est. Nolite obdurare cor, **388** agentes *sicut in exacerbatione*, id est multoties exacerbando me *fecerunt patres vestri*. De multis exacerbationibus unam reponit, dicens : Nolite obdurare *secundum diem*, id est sicut illi obdurati sunt in die tentationis, *quando tentaverunt* me, dicentes : « Nunquid poterit hic parare mensam populo suo ? » (*Psal.* LXXVII, 19.) Tentationis dico factæ *in deserto*, ubi magis confugiendum illis esset ad auxilium Dei, quam ad provocandum eum per tentationem. Vos autem positi in deserto mundi hujus, videte ne per tentationes Deum irritetis, *ubi*, id est in quo deserto *tentaverunt me patres vestri*. Videte si secundum carnem patres sunt, ne sint patres secundum imitationem. Tentaverunt, inquam, et *probaverunt*, id est probabilem me invenerunt ; etenim *viderunt opera mea quadraginta annis*, in quibus me omnia posse experti sunt. *Propter quod*, scilicet quia tentaverunt me, *offensus fui*, id est iratus *huic* tam pessimæ *generationi*, et dixi *de illis*. *Isti semper errant*, et hoc *corde*, id est ex propria deliberatione, quia serio peccant, potentes et scientes recte agere. Et, licet sic dicerem illis, tamen *ipsi non cognoverunt vias meas*, id est cognoscere noluerunt opera mea, in quibus ambulare debuissent ; sed quia non cognoverunt, *si* ipsi *introibunt in requiem meam*, quam illis pollicitus eram ? Defectio orationis, ut intelligantur quælibet inconvenientia, quasi diceret : Si introibunt, nemo mihi credat ulterius. Vel quælibet hujusmodi. Illud *si* quidam dicunt esse quasi *non*, attendentes vim sententiæ, non dictionis. Si introibunt dico *ut* ego *jurari*, id est firmiter stabilivi eos non intraturos ; juravi utique *in ira mea*, id est quando iratus eram illis ; quod utrumque et ira et

juramentum aufert eis introire in requiem. *Si, quibus, ibi*, sit eadem manet in sententia sic : Si intrabunt in requiem meam illi, quibus in ira mea juravi quod non essent in requiem intraturi. Et quia, fratres, propter cor in incredulitate obduratum patribus vestris requies negata est, ideo, fratres, videte ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo, sicut expositum est. Ne, inquam, sitis increduli, sed adhortamini vosmetipsos de incremento virtutum dicentes per singulos dies : *Venite, exsultemus*, etc., donec, id est *quandiu cognominatur* in vobis *hodie*, id est tempus gratiæ. *Cognominatur*, ideo ait, ne remoti a diebus Christi putarent minus sibi conferre Christum quam temporaneis. *Hodie*, inquam, *cognominatur*, quia hæc gratia quæ etiam ultimis tribuitur, cognata est gratiæ datæ in diebus Christi, tantum valens posteris quantum primitivis.

Adhortamini, inquam, *ut non obduretur aliquis ex vobis fallacia*. Scitote enim quod diabolus vos fallit, si forte obduramini. Fallacia dico causa *peccati*, quia, postquam deceptus est aliquis, magis ac magis dehinc præcipitatur in peccatum. Debetis vos adhortari et non obdurare, quia, quod non eramus, *effecti sumus* per gratiam, *participes Christi*, id est partem capientes cum Christo in hæreditate Patris. Hac tamen conditione dico participes, *si retineamus firmum usque ad finem vitæ*, quod nunquam deseramus *initium substantiæ ejus*, id est fidem quæ est initium bonorum, et per quod jam deificamur, et divinæ substantiæ quodammodo participamus. Retineamus, dico, *dum*, id est quandiu, *dicitur* in nobis : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum patres vestri* obduraverunt *in illa exacerbatione* præfata. Bene dico in exacerbatione. *Quidam enim* eorum, *audientes* mandata Domini, *exacerbaverunt* Deum. *Non tamen universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen*, id est per ducatum Moysi exacerbaverunt Deum, quia nec Caleb, nec Josue. Similiter et vos profecti ab Ægypto per Moysen, id est a tenebris infidelitatis per Christum consecrantem vobis aquam remissionis, nolite exacerbare Deum. Vere quidam exacerbaverunt, quia *quibus infensus est* Deus *quadraginta annis*, *nonne illis qui peccaverunt* (et non impune) ne impunitatem promittatis vobis, quia *cadavera quorum* peccantium *prostrata sunt in deserto ?* Illis utique Deus infensus fuit. **369** Iterum ad idem : *Quibus autem juravit* Deus *non introire in requiem ipsius*, id est in cœlestem Hierusalem, ubi est vera requies, *nisi illis qui fuerunt increduli :* et in verbis Domini fidem non habuerunt? Quibus pro peccato prostratis sicut abstulit terram repromissionis ; sic veram requiem quæ significabatur per illam terram : Videte itaque ne vos increduli (quod utique estis) si legem quasi necessariam fidei reducitis non credentes posse justificare Deum pro incredulitate non intretis in requiem. Deus quidem juravit eos non intraturos in requiem · et sicut juravit, impletum videmus : *quia non potuerunt* intrare *in requiem propter incredulitatem suam*.

A

CAPUT IV.

« Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione « introeundi in requiem ejus existimetur aliquis ex « nobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est, « quemadmodum et illis : sed non profuit illis sermo « auditus, non admistus fidei ex his quæ audierunt. « Ingrediemur enim in requiem qui credimus : « quemadmodum dixit. « Sicut juravi in ira mea, « si introibunt in requiem meam (*Psal.* XCIV, 11). » « Et quidem operibus ab institutione mundi perfe- « ctis : dixit enim quodam loco de die septima sic : « Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus « suis (*Gen.* II, 2). » Et in isto rursum : Si introi- B « bunt in requiem meam. Quoniam ergo superest « introire quosdam in illam, et hi quibus prioribus « annuntiatum est, non introierunt propter incre- « dulitatem, iterum terminat diem quemdam, hodie « in David, dicendo, post tantum temporis (sicut « supra dictum est) : Hodie si vocem ejus audieritis, « nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Jesus re- « quiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur « posthac die. Itaque relinquitur Sabbatismus po- « pulo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus, « etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a « suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam re- « quiem : ut ne in idipsum quis incidat increduli- « tatis exemplum. Vivus est enim sermo Dei et ef- C « ficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et per- « tingens usque ad divisionem animæ ac spiritus : « compagum quoque ac medullarum, et discretor « cogitationum, et intentionum cordis (*Eccli.* XV, 20). « Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu « ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis « ejus, ad quem nobis sermo. Habentes ergo ponti- « ficem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium « Dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non « enim habemus pontificem, qui non possit compati « infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia « pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo « cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miseri- « cordiam consequamur, et gratiam inveniamus in « auxilio opportuno. »

D

EXPOSITIO.

Et quia propter incredulitatem intrare non potuerunt in requiem, igitur *timeamus ne forte aliquis ex* nobis *existimetur* secundum veritatem *deesse* ab illa requie. Sed præmittit possibilitatem introeundi nobis concessam dicens. Timeamus, inquam, *ne relicta pollicitatione*, id est frequenti promissione *introeundi in requiem ejus*, scilicet Dei : unde nos habere constat facultatem introeundi, ne, inquam, hac relicta per incredulitatem existimetur aliquis nostrum deesse a requie. Bene dico pollicitatione ; *etenim nobis nuntiatum est* (*quemadmodum et illis*) per fidem posse intrare in requiem. Illis quidem nuntiatum fuit, *sed* tamen *non profuit illis sermo* nuntiationis *auditus* tantum, et *non admistus fidei*, ut crederent

his qui a Deo audiebant. Fidei dico acceptæ *ex* his *quæ audierunt*, ut sicut audiebant, sic Deum impleturum crederent. Vel ita : Sermo auditus et non admistus fidei, ex his, id est propter ea quæ audierunt ab illis exploratoribus reversis, non profuit illis. Secundum hanc sententiam ad historiam nos mittit, quando duodecim exploratores missi a Moyse revertentes terruerunt filios Israel, dicentes (*Num.* XIII, 28, 34) : Terram quidem esse fructiferam : sed filios Enachim ibi esse giganteæ staturæ, quorum in conspectu stare non possent ; quibus et hujusmodi auditis dixerunt : « Faciamus **370** nobis ducem et revertamur in Ægyptum (*Num.* XIV, 4), » in incredulitate exacerbantes Deum. Vere sermo auditus tantum quia non est admistus fidei, non profuit illis : nam quia in nobis est admistus fidei proderit nobis. Locus a contrariis. Quod ita ait : Nos *qui credidimus*, id est qui fidem auditis admiscuimus, *ingrediemur in* veram *requiem :* cujus et figuram et veritatem illi (quia increduli) perdiderunt. Nos, inquam, ingrediemur; *quemadmodum dixit* nos per fidem ingressuros ; ubi ait : *Sicut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.* Et hoc dicere fuit per contrarium, quia ubi illos propter incredulitatem non intraturos dixit in requiem, ibidem per contrarium nos, quia credimus dixit ingressuros in requiem. Vel singula reddamus singulis. Nobis nuntiatum est de requie illa, quia nos qui credidimus ingrediemur requiem : illis non profuit sermo auditus tantum, quemadmodum dixit : sicut juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.

Dixit superius : Videte ne sit in aliquo vestrum cor incredulitatis, quia propter incredulitatem non intraverunt in requiem pollicitam, de qua requie nuntiatum est vobis, quod si fidem habeatis, hanc requiem habere potestis. Quibus autem modis, et quibus temporibus nuntiatum sit subjungit, ostendens duas nuntiationes de hac requie factas esse in figura, quia nemo adhuc requiem illam habere poterat : cujus requiei tertia nuntiatio facta est, non in figura, sed in ipsa veritate, quando jam et haberi poterat, et habebatur ipsa requies, scilicet in diebus gratiæ. Littera sic jungitur : De requie illa utique nuntiatum est nobis : nam et in hoc loco et in illo, et in alio. Illud *et* diversitates locorum ubi de requie agitur significat : illud *quidem* discretionem temporis : quia tempus quo primum de requie hac *nuntiatum est*, scilicet constitutio mundi, longe distabat a tempore impletionis, scilicet a diebus Christi. Unde sic ait : Nuntiatum quidem nobis est de requie : et quidem *operibus perfectis* incipiendo *ab institutione mundi :* nuntiatum est nobis de requie illa. Facto homine, perfecta dicuntur esse opera Dei, cum omnis creatio mundi fuerit propter hominem : si homo caput creaturarum deesset, imperfecta essent omnia propter hominem creata. Et quia a Deo perfici et consummari secundum opinionem quorumdam possent, et non principium habere a Deo, Ideo ait incipiendo ab institutione mundi. Vere perfectis operibus nuntiatum est nobis. *Dixit enim* Scriptura vel Moyses *in quodam loco de septima die sic.* Ideo non determinans locum dicit in quodam loco, quia et hic locus Scripturæ satis notus erat illis, et quia hic locus discretus et egregius erat, ubi de salvatione sermo habebatur : dignitate, inquam, discretus ab illis, ubi de tauro immolando habetur sermo. Vel si ibi non sit, enim, nihil oportet repetere, sed dicamus operibus perfectis. Dixit in quodam loco de die septima, sic illud et quod sequitur vim habet in ordine litteræ, unde sumptum est; quasi diceret : Hoc et hoc fecit Deus; *et* his factis *requievit die septima.* Non dicitur Deus requievisse, quasi qui labore aliquo vexaretur; sed ut per hoc significaret requiem futuram ait : *Deus requievit*, id est cessavit *ab* omnibus *operibus suis*, quod nihil postea operaturus sit; cujus materia vel similitudo in priori creatione non præcesserit, materia in rebus corporeis ; similitudo in corporeis ut in animabus. Statim sexta feria facto homine, Sabbato requievit, quasi per hoc diceret homini : Si obediens mihi fueris, hæc eadem requies peracta obedientia parata est tibi. Ubi ait : requievit die septima, sic de requie nuntiatum est, ut et figura requiei exspectaretur, scilicet terra repromissionis. Et veritas figuræ in diebus Christi, ante quem nemo veram habuit requiem. Sicut in præfato loco, sic etiam in isto rursum nuntiatum est. Vel dicit Scriptura de requie illa ubi ait rursum de eodem significat esse dictum.

Sic, inquam, nuntiatum est : *Si introibunt in requiem meam.* Ubi enim hoc dicendo incredulis negabat requiem, significabat esse requiem fidelibus possidendam. Hæc autem Scriptura invenitur in David, qui jam **371** de figura, scilicet de terra illa promissionis non poterat prophetare : quam filii Israel jam multo tempore possederant. Et ita secundum David non de figura quæ jam habebatur, sed de veritate rei quæ in Christo exspectabatur hæc prophetia erat. Secundum Moysen autem qui hoc idem dicebat filiis Israel prophetia erat, et de figura nondum habita, et de veritate in Christo accipienda. Præmissis de eadem requie duabus nuntiationibus in figuris, subjungit tertiam secundum impletionis veritatem, dicens : Quia hoc et illo modo de requie illa nuntiatum est, ergo ut implerentur prædicta, terminat iterum agens de eadem requie, diem quemdam Spiritus sancti dicendo hodie in David. Diem hunc dicit quemdam, id est discretum et omnibus qui ante fuerunt præcellentem : quia in hoc die impletur salus, quæ in anteactis diebus nuntiari tantum potuit nunquam impleri. Dicendo hodie in David post tantum temporis. Multum enim tempus præterierat a Josue qui terram promissionis Judæis distribuit, usque ad diem David : unde apparet David aliam requiem intellexisse futuram, quam illam terram quam jam diu possederant. Dicendo, inquam, hodie sicut supra dictum est ibi. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corde vestra, quia sicut priores patres

propter incredulitatem etiam figuram perdiderunt : sic et vos (si increduli fueritis) veram requiem non possidebitis. Post tantum temporis ideo terminat : *quoniam superest*, id est restat adduc *quosdam introire in illam requiem*. Ideo etiam ait nolite obdurare corda : quia hi quibus prioribus annuntiatum est de requie propter incredulitatem suam : nec saltem introierunt in figuram, nedum in ipsam veritatem. Vel ita manente eadem sententia. Quia sic et sic pollicita est requies illa : ergo ut impleantur promissa : superest quosdam introire in illam requiem. Et quoniam superest quosdam introire, ideo *iterum terminat quemdam diem*, post tantum temporis, dicendo *hodie in David*. Et quoniam hi quibus prioribus annuntiatum est de requie illa, propter incredulitatem non introierunt in eam : ideo hodie si vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra : sicut supra dictum est patribus vestris. Vere superest quosdam intrare in illam terram : nam (sicut falso putatur a quibusdam) Jesus, id est Josue non præstitit eis illam requiem. *Si enim* hic *Jesus*, id est Josue *præstitisset eis* hanc *requiem*, *nunquam* David *loqueretur de alia* requie longe *post* Josue : dicendo *hac die*, id est est hodie. Vel ita : Nunquam David loqueretur de alia die post hac, id est si intellexisset a Josue veram requiem distributam esse. Assumatur ita : Sed Jesus Josue non præstitit illis veram requiem. Et quia promissa est, et nondum præstita, itaque hoc solum ex præmissis *relinquitur*, *scilicet Sabbatismus populo Dei*. Sabbatismus dicitur jucunditatis : et illa delectatio quæ fit in Sabbato significans jucunditatem veri Sabbati. Et bene dico Sabbatismus. *Nam quicunque ingressus est in requiem ejus*, sive Abraham, sive quilibet sanctus, invenit hunc Sabbatismum. Quod ita ait : Non solum Christus sed *etiam ipse* qui ingressus est *requierit ab operibus suis*, id est ab omni labore : *sicut* et *Deus* quievit *a suis* operibus. Quies enim Domini, signum et causa fuit nostræ quietis. Deus enim sexta die hominem fecit, sexta ætate redimere venit, sexta die, et ejusdem diei sexta hora eum redemit, quiescens Sabbato in sepulcro, significans secum in æterno Sabbato quieturos. Et quia requies relinquitur pópulo Dei, et quicunque ingrediens in illam, sicut Deus ita requiescit : *ergo* bene operando, et sane credendo, *festinemus ingredi in illam requiem* : ita festinemus *ut ne quis* nostrum *incidat in idipsum exemplum incredulitatis*, id est in eamdem incredulitatem, in quam patres nostri inciderunt. Nos dico, gravius nunc offendentes, quia nos habemus illos in exemplum cavendi nobis, illi sine præcedenti exemplo ceciderunt. Festinare nos oportet in requiem, et non incidere in incredulitatem : *quia sermo Dei*, id set verbum patris juxta illud : « Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit (*Sap.* XVII, 15). » **372** Hic, inquam, sermo Dei est *vivus*, id est vitam habens, suisque vitam ministrans. Cumque sit vivus est etiam *efficax*, id est faciens quodcunque vult, remunerando pios, damnando impios : et cum tantam habeat potentiam, non minorem habet sapientiam. Est enim *penetrabilior omni gladio*, id est omni humano ingenio : quod quia occulta penetrat, dicitur gladius perforans interiora. Gladio dico, *ancipiti* : quia sicut gladius anceps qui in medio tenetur ante et retro percutit; sic humanum ingenium : et de sapientia spirituli, et de scientia humana intelligit. Sermo etiam Dei est *pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus*, quia scit bene discernere quæ sint animæ, id est sensualitatis : et quæ sint spiritus, id est rationis. Discernit etiam ipsos actus sensualitatis inter se et dispositiones : quia aliquando sensualitas rationem secum trahit in peccatum, modo bene operando consentit spiritui. Scit etiam discernere ea quæ sunt spiritus inter se, quomodo nunc repugnet sensualitati, quandoque consentiat : quandoque bene operari secum cogat, pertingens usque ad *divisionem compagum*. Vel (quod idem valet) : Discretor etiam compagum animæ et spiritus : quia scit seriem illam quodam ordine compactam : nunc in sensualitate, nunc in spiritu . sicut quando sensualitas desinit male agere, et dehinc bene operando consentire spiritui, et sic gradatim ascendit etiam spiritus, primum bene operari incipit : dehinc contemplari illa cœlestia, a cœlestibus transiens, figit oculum in ipsum Deum. *Discretor etiam medullarum*, id est omnis subtilitatis animæ et spiritus : quia nulla subtilitas eum latere potest. Discretor etiam omnium *cogitationum* : quia novit quidquid homo cogitat, nec solum cogitationum, sed etiam discretor *intentionum cordis*, quia novit quidquid per cogitationes intendat. Et (ut sapientiam ejus breviter comprehendam) *non est ulla creatura invisibilis*, id est quæ non appareat *in conspectu ejus*, qui tantus est ut simul omnia comprehendat. Et cum sermo Dei ita sit efficax ut potentiam efficiendi quidquid velit habeat, et cum adeo sit sapiens, bene et poterit, et sciet quid unicuique debeat retribuere. In conspectu ejus nulla creatura invisibilis : *sed omnia* sunt *nuda*, id est revelata et (quod majus est) etiam interius *aperta oculis*, id est perspicacitati *ejus*, *ad quem* tam potentem, tam subtiliter omnia prospicientem, *nobis* est *sermo* : huic enim reddituri sumus rationem de singulis. Festinate ergo ad eum relicto malo incredulitatis. Comparavit quidem Jesum, et majorem ostendit prophetis, et angelis, dicens eum Filium Dei, sed quomodo in eo penderet tota salus hominum, necdum dixerat : ad quod possent illi objicere : Quid prodest nobis si major angelis sit Filius Dei, cum Deus in eo non disposuerit non salvari? Ad hæc respondet Paulus dicens, quod in eo Deus omnem salutem proposuit per sacerdotium Christi, Levitico destruens sacerdotium, et per gratiam Christi inutile pondus veteris legis. Littera sic jungitur : Quia ad istum tam potentem, tam sapientem nobis est sermo : *ergo teneamus confessionem* spei nostræ, id est fidem per quam nobis conceditur sperare futuram gloriam. Teneamus, inquam, *habentes pontí-*

ficem, qui factus est nobis pons in salutem. Pontificem dico magnum longe præ omnibus Leviticis : *qui pontifex noster penetravit cœlos* in sublimitate potentiæ, sacerdotes autem de Levi semel in anno licebat introire in sancta sanctorum, ubi tamen non erant nisi manufacta. Hic autem potentialiter penetrat cœlis, sedet in dextera patris. Pontificem istum dico *Jesum*, id est salvatorem nostrum et potentem salvare, quia *Filium Dei*. Nos talem habentes pontificem, teneamus spei nostræ confessionem. Iterumne præ magnitudine Jesu desperarent infirmi fratres, dicendo quia Filius est Dei, quia cœlos penetravit, nunquam dignabitur condescendere infirmitatibus nostris ait Paulus. Sine diffidentia teneamus confessionem : *quia non habemus pontificem, qui* licet Filius
373 Dei sit, *non* tamen *possit compati* et condescendere *infirmitatibus nostris*, et secundum fragilitatem naturæ, et etiam lapsis, sed habemus pontificem *tentatum* in carne *per omnia* genera tentationis. Tentatum dico *pro similitudine*, id est quia similis fuit nobis, mortalis et passibilis. Vel, tentatum pro similitudine, id est ut exemplum in se daret nobis resistendi tentationibus, et sic tentatum tamen *absque peccato*. Ex eo enim quod tentatus est, scit compati ; ex eo autem quod sine peccato, potest liberare. *Ergo*, quia et compatientem et potentem liberare habemus pontificem, ergo *cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ*, id est ad Christum, in quo non quædam gratia, sed thronus et sedes est omnis gratiæ. De plenitudine enim ejus omnes accepimus (*Joan.* 1, 16), adeamus ideo, *ut* per eum *consequamur misericordiam* de commissis, *et* apud eum *inveniamus gratiam in auxilio*, id est auxiliatricem ad bene operandum de futuro. Auxilio, inquam, non pro velle nostro sed *opportuno*, quia quocunque modo Deus opportunum videat, nunquam suos inadjutos deseret.

CAPUT V.

« Omnis namque pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt « ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, « qui condolere possit his qui ignorant et errant, « quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et « propterea debet quemadmodum pro populo, ita « etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec « quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a « Deo tanquam Aaron. Ita et Christus non semet- « ipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie ge- « nui te. Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es « sacerdos in æternum secundum ordinem Melchi- « sedech. Qui in diebus carnis suæ preces supplica- « tionesque ad eum qui possit [posset] illum sal- « vum facere a morte; cum clamore valido et la- « crymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. « Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex his quæ « passus est obedientiam, et consummatus factus « est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis « æternæ, appellatus a Deo pontifex, juxta ordinem « Melchisedech. De quo nobis grandis sermo, et in- « terpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos « doceamini quæ sint elementa exordii sermonum « Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido « cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers « est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Perfecto- « rum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. »

EXPOSITIO.

Dixit superius *adeamus* Christum *cum fiducia, ut* per hunc pontificem *consequamur misericordiam et gratiam in auxilio*. Nunc autem probat a minori, quod per hunc pontificem Christum possumus misericordiam consequi, dicens : Vere per Christum possumus consequi misericordiam in auxilio. Namque per ministerium omnis pontificis homines sub eo possunt misericordiam consequi, qui pontifex longe minor quia sumptus ex hominibus ; Christus autem pontifex ex Deo. Et in quibusdam verbis pontificem istum Christo comparabit, et in aliis minorem ostendet. Nec hoc repugnare videatur quod ait : Omnem pontificem constitui, ut per ministerium ejus misericordiam consequantur subditi. Cum in multis hoc defuerit, quia licet hoc deesset, vel propter peccatum ministri vel populi, ad hoc tamen pontifex consecratus fuit ut per ministerium ejus misericordiam consequeretur populus, nisi in altero peccaverit. Quod ita ait : Consequemur misericordiam per pontificem Christum. *Namque omnis pontifex ex hominibus*. Quia antequam eligatur, sic est ex hominibus, quod non plus possit conferre alii quam ille sibi. Hic, inquam, pontifex *assumptus*, id est divina voluntate electus. Electio enim divina qua 374 assumitur, hoc efficit in eo ut possit intercedere pro populo, qui priusquam sic assumatur, impotens est in hoc : velut alius homo. Assumptus, inquam, *constituitur pro hominibus*, qui paulo ante erat ex hominibus. Constituitur, inquam, pro hominibus, non ut præsit eis in sæcularibus, sed *in his quæ sunt*, id est quæ pertinent *ad Deum*, scilicet ut obsecret et sacrificet pro illis.

In his ad Deum ita constituitur *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* populi delendis. Dona vocabantur in lege veteri illæ minores oblationes. Sacrificia autem, quando immolabatur taurus vel hujusmodi. In Christo autem preces et quæcunque fecit usque ad horam passionis dona dicuntur. Sacrificia autem quando seipsum in ara crucis obtulit. Ubi ait *assumptus ex hominibus*, ibi ostendit majoritatem Christi, qui ex electione Dei assumptus sit ; in his quæ prædicta sunt, similitudinem, quia, si per illum pontificem offerentem dona et sacrificia consequuntur homines misericordiam, quare non similiter per Christum hæc eadem offerentem ? Constituitur, inquam, pontifex *qui possit*, id est qui in usu habeat *condolere his qui ignorant*, id est ignoranter ex simplicitate peccant, *et* his qui *errant*, id est scienter in-

cidunt in peccatum. Talis enim debet elegi qui omnibus infirmitatibus fratrum sciat compati, non qui impatienter præcipitet sententiam damnationis in subditos. In hoc bene Christus similis, qui tentatus per omnia compatitur infirmitatibus nostris. Dico possit condolere, et utique debet, quoniam, sicut subditi, ita etiam ipse circumdatus est infirmitate, id est et fragilitate carnis, et sæpius actu peccati. In hoc autem Christus major quia absque peccato. Et quia ipse circumdatus est infirmitate : *propterea quemadmodum* offert *pro populo* absolvendo a peccatis, et conservando de futuro, *ita etiam* eodem modo *debet* (et necesse est) *offerre pro semetipso*, in quo est infirmitas conservando de futuro, et *pro peccatis* præteritis delendis. In hoc iterum Christus major quia non indiget ut offerat pro se, nisi tantum pro populo. Quomodo hic pontifex assumendus sit, subjungit, dicens : Hic pontifex sic debet offerre, et *quisquam* horum pontificum *non sumit*, id est non se ad sumendum *honorem* ingerit. Sumit dico *sibi*, id est respectu eorum quæ sua sunt. Sumeret sibi, si per pecuniam, si propter personam, si propter genus, propter sæcularem potentiam, vel hujusmodi ingeratur in honorem.

Hæc enim omnia ex eo sunt, sed qu. propter virtutes, patientiam, humilitatem et hujusmodi, sumeretur ad honorem, hic non *sibi*, id est ex eo quod suum est, sed ex virtutibus quæ Dei sunt, sumeret honorem. Nemo sumit sibi honorem, *sed* ille *qui vocatur a Deo*, id est qui divina vocatione eligitur. Non dicitur, vocatur a Deo, quod vox divina ibi audiatur, sed, si propter virtutes Dei ab his qui sani sunt eligitur, idem valet ac si Deus diceret : Veni quia dignus es accipere pontificatum. Vocatur a Deo *velut Aaron* a Deo vocatus est. Aaron tamen non communi electione electus est, quia filii Core contradixerunt. Quare illato igne alieno, thurificantes ab igne consumpti sunt, et Dathan et Abiron pro eodem murmurantes, a terra absorpti sunt (*Num.* xvi, 31). Sed Moyses ex præcepto Dei, et per miraculum assumpsit Aaron in sacerdotium. Præcepit enim ut de xii tribubus xii virorum xii virgæ in tabernaculo ponerentur, ut cujus virga floruisset, pontifex secundum manifestam voluntatem Dei fieret. In electione autem Aaron ostendit quod, si pauci sint qui juste eligant et multitudo contradicat, tamen paucorum sententia canonice eligentium sequenda est, multitudinis error reprobandus (*Num.* xvii, 2, 10). Pontifex ille si tanquam Aaron vocatus sit, non se ingerens in honorem, hominibus prodesse potest. Sic et Christus simili de causa suis auxiliari potest, quia *Christus non clarificavit*, id est non se magnificando ingessit ad hoc, *ut fieret pontifex*, *sed* Pater clarificavit Christum *qui locutus est ad eum*, dicens : *Tu es Filius meus* 375 *ego hodie genui te*, sicut in principio Epistolæ exposuimus. Hæc autem non sunt verba, quibus Pater eum clarificavit; sed in quibus Christum sacerdotio dignum ostendit : quando autem, dum Christus baptizaretur, ait : « Hic est Filius meus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* iii, 17). » In his verbis Filium clarificavit. Adjungens autem : « Ipsum audite (*ibid.*), » in hoc verbo pontificem consecravit. Ut Pater ostenderet dignitatem Filii : tu es Filius meus. Ita de Christo ait, quemadmodum de pontificatu ejusdem etiam in alio loco ejusdem Scripturæ ait : *Tu es sacerdos*, duraturus *in æternum secundum ordinem*, id est secundum dignitatem ordinis *Melchisedech*. Sacerdotium autem Leviticum non in æternum, sed in tempore duraturum. Ideo sacerdotium Christi necesse est ut maneat in æternum, quia sicut, nisi per eum, beatitudo non potest haberi, sic, nisi per eum habita, non potest retineri. In hoc iterum quod in æternum prælatus est sacerdotio Levitico, quia, illud in tempore. Et si destruendum sacerdotium prodesse potuit, multo magis æternum sacerdotium Christi; quod etiam alterius est dignitatis, quia secundum ordinem Melchisedech. *Qui* Christus ut certi sitis vos in eo consecuturos misericordiam, *in diebus carnis suæ*, id est passibilitatis et mortalitatis suæ. Naturale enim est carnis pati et mori. In his, inquam, diebus *obtulit preces et supplicationes* ad Deum. Preces vocat quascunque postulationes ante passionis articulum fecit. Supplicationes, dicit quando, instante hora passionis, tanta intentione oravit ut sanguineum sudorem emitteret. Obtulit, inquam, ad eum, *qui possit salvum facere illum a morte*. Non ut non moriatur, sed ne mors ipsi diu dominetur. Intendens per se liberatum a morte, humanum genus ab eadem liberandum. Obtulit, inquam, ad eum *cum clamore valido*, non quod ita alte clamaverit, sed cum valido clamore, id est cum maxima intentione, *et* cum *lacrymis*. Alibi non invenitur eadem hora lacrymasse Christum, nisi in hoc Evangelio Pauli; cui non minus est credendum, quia, si pro Lazaro et pro destructione Hierusalem, miserando ubique humano defectui, lacrymasse dicitur, multo magis lacrymasse dicendus est, ut, consummatione obedientiæ suæ, defectum humani generis sanaret. Offerens, inquam, preces cum lacrymis *exauditus est*, completo quod postulabat, *pro sua reverentia*, id est pro sua religione. Vel pro sua reverentia, id est pro obedientia qua se Patrem semper reveritum fuisse probavit. Non tantum preces cum lacrymis obtulit, sed etiam *didicit*, non cognitione, sed per experientiam rei *obedientiam ex his quæ passus est*, id est per mortem; cum, id est *quamvis esset Filius* Dei potens omnia, sic tamen sacerdotium suum implere voluit. *Et* ipse *consummatus*, id est mortuus. Vel consummatus, id est in dextera Patris, ut nihil imperfectum haberet constitutus, *factus est causa salutis æternæ ómnibus obtemperantibus sibi*, non illis qui sibi renuunt obedire. Causa utique salutis bene potest esse, quia *appellatus* est *pontifex* non ab hominibus, sed *a Deo*, nec secundum Leviticum, sed *juxtà* dignitatem *ordinis Melchisedech*. Dicturus eis quomodo sacerdotium suum legale destruat sacerdotium, et quomodo omnia legalia in eo finem habeant, quomodo

vero suum sacerdotium præcesserit legale, et in æternum sit permansurum. Primum eos (secundum partem tamen) aspera invectione aggreditur, et convenienter primum eos corrigit, ut correcti devotiores sint ad audiendum, et proniores ad credendum, dicens : *De quo*, id est quomodo Christus sit pontifex secundum ordinem Melchisedech restat *nobis sermo grandis*, id est multa comprehendens, *et ininterpretabilis*, id est qui modo non possit interpretari, nec a me, quia non habeo congruos auditores, nec vobis interpretabilis, quia capere non potestis. Ininterpretabilis dico *ad dicendum*, id est ad exponendum vobis, *quoniam* vos *facti estis imbecilles ad audiendum*, id est ad intelligendum. Vel sermo iste grandis est et interpretabilis, **376** quia multa sacramenta hic continentur, quæ oportet exponi. Grandis ideo dico quoniam vos facti estis imbecilles ad audiendum. Vere imbecilles, *nam cum deberetis esse magistri propter tempus*, prolixum quod habuistis ad discendum; vos enim in ipso initio prædicationis conversi estis. Cum, inquam, deberetis esse magistri, nunc *rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei*. In sermonibus Dei multi gradus continentur : primum simplex instructio, dehinc media ad ultimum perfecta. Exordium autem vocat, ut quando aliquis docetur credere incarnationem, passionem Christi, et hujusmodi simplicibus opportuna. Elementa autem exordii sunt, ut seriatim enarrare materiam passionis, vel aliquid hujusmodi. Vos etiam facti estis tales *quibus opus sit lacte*, id est puerili insinuatione, et ita lacte quod *non solido cibo*, id est perfecta doctrina. Vere ita lacte, quod non opus sit solido cibo. *Nam omnis* ille *qui particeps est lactis*, id est cui necessaria est insinuatio puerilis, hic talis *expers sermonis est justitiæ*, id est doctrinæ justorum, id est perfectorum; ideo expers, *quia parvulus est* sensu. Vos autem perfecti malitia, sensibus vero pueri. Parvulorum est lac, *sed perfectorum est solidus cibus*, id est solida doctrina; perfectorum, id est eorum qui habent sensus, id est intellectus suos *pro consuetudine*, id est pro assiduitate studii *exercitatos ad discretionem boni et mali*, ut bonum discernere sciant a malo, et etiam de bonis, quæ magis sint bona quæ minus, sciunt discernere; et de malis, similiter.

CAPUT VI.

« Quapropter intermittentes inchoationis Christi « sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum « jacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus « mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctri- « næ, impositionis quoque manuum, ac resurrec- « tionis mortuorum, et judicii æterni. Et hoc facie- « mus, si quidem permiserit Deus. Impossibile est « enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt « etiam donum cœleste, et participes facti sunt « Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum « Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et pro- « lapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rur- « sus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et « ostentui habentes. Terra enim sæpe venien tem « super se bibens imbrem et germinans [generans] « herbam opportunam illis a quibus colitur accipit « benedictionem a Deo; proferens autem spinas ac « tribulos, reproba est, et maledictio proxima, cu- « jus consummatio in combustionem. Confidimus « autem de vobis dilectissimi meliora et viciniora « saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus « Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, « quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministra- « stis sanctis et ministratis. Cupimus autem unum- « quemque vestrum eamdem ostentare sollicitudi- « nem, ad expletionem spei usque in finem, ut non « segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui « fide et patientia hæreditabunt promissiones. « Abrahæ namque promittens Deus, quoniam nemi- « nem habuit per quem juraret majorem, juravit « per semetipsum, dicens : Nisi benedicens benedi- « cam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic lon- « ganimiter ferens, adeptus est repromissionem. « Homines enim per majorem sui jurant, et omnis « controversiæ eorum finis ad confirmationem, est « juramentum. In quo abundantius volens Deus « ostendere pollicitationis suæ hæredibus immobili- « tatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut « per duas res immobiles quibus impossibile est « mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, « qui confugimus ad tenendam propositam spem, « quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac « firmam, et incedentem usque ad interiora velami- « nis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, se- « cundum ordinem Melchisedech pontifex factus « in æternum. »

EXPOSITIO.

377 Eis duriter increpatis, iterum blanditur, inserendo se, dicens. *Quapropter*, id est, quia propter tempus magistri esse deberetis, et quia exercitatos sensus in lege Domini vos oportet haberé, ideo nos, *intermittentes sermonem inchoationis Christi*, id est elementa exordii, quibus aliquis inchoat in cognitione Christi, hanc, inquam, pueritiam deserentes, *feramur ad perfectionem*, ut sciamus quomodo in principio erat Verbum, et Deus erat Verbum, etc. Feramur, inquam, ad perfectionem, *non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*, etc. Opera mortua vocat, vel peccata, quæ mortificant, vel priora bona, propter peccatum superveniens mortificata. Pœnitere autem ab operibus mortuis est fundamentum, quia nisi hic lapis primum ponatur, nihil ædificabitur; fundamentum *etiam fidei*, quæ sit *ad Deum;* qui enim aliunde quærit justificationem, vel non omnes partes fidei credit, hic fidem non habet ad Deum; fundamentum etiam *doctrinæ baptismatum*. Pluraliter ideo dicit baptismatum, quia est baptismus in aqua; dicitur etiam baptismus in lacrymis pœnitentiæ; tertio modo, in effusione sanguinis pro Christo. Fundamentum *etiam impositionis manuum;* nisi enim quis

credat quod per impositionem manus et peccata dimittantur, accipiendo Spiritum sanctum, et contra futura mala roboremur, hic fundamentum non habet, quia irritum est quidquid superædificat; fundamentum etiam *resurrectionis mortuorum*, nisi enim quis credat resurrectionem Christi effecisse resurrectionem mortuorum, fidem perdidit, et non habet supra quod ædificet; fundamentum etiam *judicii æterni*. Æternum dicit judicium, quia quidquid isti constituetur de bonis sive malis, in æternum durabit. Qui autem futurum judicium non credit, fundamentum non habet, quia infidelis est.

Hæc omnia propterea dicuntur fundamentum, quia, nisi hæc in fundamento præcesserint, nemo aliter potest bonum operari. Hæc autem omnia necessaria erant illis, scilicet fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, quia peccaverant graviter, et bona opera quæ in eis præcesserant, sicut supra ait, multa eos passos pro Christo a contribulibus suis, peccando irrita fecerant. Iterum fides ad Deum, quia si intelligerent quomodo ex fide Christi omnis justificatio habeatur, non recurrerent ad circumcisionem, quasi sibi necessariam. Si iterum de baptismo bene docti essent, quomodo in illo omnia peccata dimittantur, legalia confiterentur esse superflua. Si etiam scirent quomodo per impositionem manus Spiritus sanctus et priora dimittat, et confortet contra venientia mala non curarent legalia. Si iterum resurrectionem Christi crederent esse efficientem causam nostræ resurrectionis in gloria, nihil præter Christum quærerent. Iterum, si pensarent quomodo Christus judex futurus sit omnium, per fidem Judicis soli studerent placere Judici. Quia his omnibus indigebant, propterea ait : Feramur ad perfectionem jacientes (sicut lapis in fundamento jacitur) fundamentum pœnitentiæ, et sequentia, sicut exposita sunt. Jacientes dico non rursum, id est non iterato priori modo, ut sicut prius jecimus in vobis omnia hæc, et vobis peccantibus destructa sunt rursum eadem iterata destruantur. Ut secundum hanc sententiam illud rursum negemus tantummodo. Vel si ad omnia ponatur negatio, sententia manet eadem sic : Feramur modo ad perfectionem, ita ut simus rursum, id est amplius jacientes fundamentum pœnitentiæ; modo quidem jaciemus, sed videte ne rursum oporteat jacere. Sic ad omnia ponatur negatio, manente sententia. Moneo feramur ad perfectionem, *et* utique *hoc faciemus*, id est ad perfectionem feremur, *si quidem Deus permiserit*, id est si in vita hac spatium concesserit quo peccata nostra possint redimi. Ideo dico si Deus promiserit, *quia impossibile est* in alia vita per pœnitentiam renovari; ibi enim locus accipiendi quod meruit; hic locus **378** merendi. Quod ita ait. Si Deus permiserit, ideo dico, quia in futura vita non permittet.

Impossibile enim est renovari per recuperatam justitiam aliquos in alia vita motos ad pœnitentiam; quod renovare rursus esset. Hic enim licet quod ibi iterari non potest, scilicet ut quis ibi renovetur. Renovari dico, *eos qui semel illuminati* per fidem quia crediderunt, qui etiam, postquam fidem confessi sunt, *gustaverunt*, quasi suavem gustum et jucundum, *cæleste donum* scilicet remissionem de peccato per baptismum; quod donum desursum est. Hæc duo circa fidem. Qui etiam *facti sunt participes Spiritus sancti* quod genera linguarum, vel cætera dona habuerunt. Qui etiam (quod majus est) *gustaverunt nihilominus* quam nos *bonum*, id est jucundum *verbum Dei*, id est divinitatem Filii intellexerunt. Qui etiam gustaverunt, id est quadam anticipatione prælibaverunt *virtutes venturi sæculi*, id est impassibilitatem et immortalitatem, eos qui etiam hæc omnia habuerunt, *et prolapsi sunt;* impossibile est renovari rursus motos ad pœnitentiam, et impossibile est eos *rursum* esse *crucifigentes Filium Dei sibimet ipsis*, id est in alia vita impotentes efficere ut ulterius valeat sibi crucifixio Christi, *et* rursum non *habentes* Filium Dei *ostentui*, id est ostensioni ut imitentur ejus ostensionem. Quasi diceret : Rursum impotentes imitari Filium Dei. Vel aliter ut iterationem baptismi negemus in hoc versu : Impossibile est eos qui tales et tales fuerunt, nedum inferiores rursus renovari, id est rebaptizari motos ad pœnitentiam. Ipsi dico si rebaptizantur, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, non quod in re iterum crucifigant, sed in peccati paritate, quia una fides, unum baptisma, et Christus consecrans illud semel pro peccatis nostris mortuus est. Ideo dicuntur rursum sibi crucifigere Filium Dei paritate peccati, quia, si prius per baptismum justificati postea peccaverunt, primum baptisma putant propterea sic irritum esse ut si pœnitentiam de futuro ad justificationem non valeat. Hi tales iterum volunt crucifigere Christum, ut ex iterata crucifixione iteratam habeant remissionem, nescientes quod unum baptisma et una mors Christi, ita post peccatum sicut ante (solummodo si pœniteat), ad omnem justificationem sufficiat. Ostentui in priori sententia pro ostensioni inusitate quidem ponitur, sed satis bene est secundum originem vocis : ab *ostendo*, *ostendis*. Ubi supra ait prolapsi : illud pro, gravitatem casus designat, scilicet in criminale. Dixit superius feramur ad perfectionem, et quibusdam interpositis adjunxit. Hoc, inquam, faciemus, id est ad perfectionem feremur, si Deus permiserit, et de eodem subdit : Vere id faciemus quod ad perfectionem feremur : et justum est quoniam *terra bibens imbrem*. Per terram homines accipit, qui ut fructum faciant, excoluntur verbo Dei.

Hæc, inquam, terra bibens imbrem, id est cum magno desiderio suscipiens divini verbi doctrinam, sic ut enim imber siccatam et induratam terram inebriat, sic verbum Dei cor induratum mollescere facit, et contemperat, ut fructus facere possit. Terra, inquam, bibens imbrem *sæpe venientem*. Sæpe ideo quia nec assidua, ne vilescat, nec nimis parca, ne opportunitatem fructificandi amittat, debet esse divina doctrina; sed

sæpe ut sit opportunior utrinque contemperata. Venientem *super se*, quia et a Deo et a prælatis, qui superiores sunt in Ecclesia, descendit doctrina. Terra, inquam, sic bibens imprem *et generans herbam*, id est fructum boni operis. Herbam dico *opportunam illis a quibus colitur*, id est prædicatoribus qui eam excolunt. Opportunam ideo quia facit non degenerem, sed fructum divinitatis, id est secundum quod docentur operari, et vident in doctoribus suis. Hæc, inquam, terra sic generans *accipit benedictionem*, id est multiplicationem bonorum *a Deo*. Bona terra accipit benedictionem. *Terra autem proferens spinas ac tribulos, reproba est.* Vel si habetur *enim*, ita jungatur non mutata sententia. Vere terra, generans herbam opportunam accipit benedictionem. Nam terra proferens spinas ac tribulos reproba est. **379** Proferens, notat tam male peccare, ut pravo exemplo corrumpat alios. Per spinas, peccata accipit minus pungentia ; per tribulos (qui asperius pungunt) graviora. Terra, inquam, spinas ac tribulos proferens reproba est, id est inimica Deo, *et proxima maledicto*, id est perditioni. Ubi ait proxima, significat pœnam quidem prope esse, sed adhuc per pœnitentiam posse evadere. *Consummatio*, id est finis *cujus* reprobæ terræ erit *in combustionem*, id est in perpetuum ignem nisi pœniteat. Idem versus proximæ litteræ conjungitur, non tamen sic idonee. Vere in alia vita nemo potest renovari ad pœnitentiam ; nam terra, id est homo in hac vita tantum bibit venientem imbrem, id est potest niti ad emendationem. Hic enim locus merendi, ibi recipiendi. Vel secundum aliam sententiam, impossibile est renovari, id est rebaptizari. Nam terra semel bibit imbrem, id est homo semel suscipit aquam baptismatis.

Quia satis duriter eos increpavit, dicens superius, cum deberetis esse magistri ; rursum indigetis ut doceamini, etc. Per hoc iterum quod prope dixit de benedictione bonæ terræ, suasit eis fructum opportunum facere, et per contrarium deterruit, nunc blanditur eis, ut sicut minis concussit, ita modo foveat blandimentis, dicens : *Tametsi ita loquimur*, increpando vos superius, tamen, o *dilectissimi* nos *confidimus de vobis meliora*, quam combustionem, *et viciniora saluti* vestræ, quam sint spinæ et tribuli. Ubi ait *de vobis*, significat talem naturam esse in eis, quæ sit idonea correctioni. Meliora et viciniora hæc comparatio non fit inter participantia. Propterea de vobis confidimus quia multa bona olim operati estis ; quæ si (postquam pœnituerit is) Deus non retribueret, injustus esset, sed *Deus non est injustus ut obliviscatur operis vestri ;* quo omnia vestra omnibus communia fecistis, *et dilectionis* quia hoc opus non timoris, sed ex dilectione processit, *quam* dilectionem *ostendistis in nomine ipsius*, id est ad honorem Dei. Operis vestri bene dico, *quia* vestra *ministrastis sanctis*, *et* adhuc eadem dilectione *ministratis*. Triplex bonum notat in eis, scilicet opus bonum, et dilectionem et honorificentiam Dei in opere suo. Ministrastis olim et adhuc in eodem estis ; *cupimus autem de* futuro *unumquemque vestrum, ut nec unus desit ab hoc opere ostentare*, id est frequenter ostendere *eamdem sollicitudinem*, administrandi sanctis *usque in finem* vestrum. Ostentare dico ad expletionem spei, id est in futura beatitudine compleatur in vobis quod modo speratis. Ita cupimus ostentare, *ut non efficiamini segnes* in hac sollicitudine, *sed* sitis *imitatores eorum*, id est sanctorum *qui hæreditabunt promissiones*, id est promissas beatitudines : non propter genus, sed *fide et patientia*, id est per fidem, et quia diu sustinendo non fuerunt fatigati.

Quia sciebat Paulus multum placere illis si patribus eorum diceret repromissam salutem, ait, ac si quilibet interrogaret : Suntne factæ promissiones? Sunt utique ; nam Abrahæ. Et tria subjungit quod et promissiones factæ sint, et per jusjurandum confirmatæ, et in Abraham jam impletæ dicens : *Deus promittens Abrahæ juravit per semetipsum*, et ideo per semetipsum, *quoniam neminem habuit majorem per quem juraret ;* et quare? Ideo quia majorem non habuit, per se juravit subdet, sed verba jurisjurandi præmittit : juravit, inquam, *dicens :* O Abraham *nisi benedicam te*, id est incremento virtutum ditavero te in hac vita. Benedicam dico, *benedicens*, id est ita ut in officio benedicendi semper maneam, *et* nisi *multiplicabo* te in futura beatitudine remunerando fidem tuam. Multiplicabo, inquam, *multiplicans*, id est non hujus multiplicationis finem faciens nisi hoc fecero, (defectio locutionis) sequatur quodcunque inconveniens. *Et sic* Abrahам certificatus, Abraham *ferens longanimiter*, quia et diu et multa adversa sustinuit, *adeptus est* tandem *repromissionem*, id est sæpe promissam beatitudinem. Ideo juravit quia homo jurat. Ideo per se, quia major eo non est ; *homines enim* **380** *jurant per majorem sui ;* ideo Deus post promissionem juravit condescendens consuetudini hominum, quorum usus est certos fieri per jusjurandum, sicut Jesus diebus suis secundum morem illius regionis, in parabolis et similitudinibus loquebatur illis, cum tamen jurare Dei nihil aliud sit, quam immutabiliter stabilire. Homines jurant per majorem sui, *et* juramentum *finis est omnis controversiæ*, id est altercationis eorum, valens ad confirmationem alterius partis, *in quo*, scilicet per juramentum, *Deus volens abundantius ostendere.* Abundanter enim per promissionem, sed abundantius ostendit per juramentum. Volens ostendere *immobilitatem*, id est immutabilitatem sui consilii. Consilium Dei fuit (quod vix aliqui cognoverant) per fidem Christi salvare homines.

Hoc, inquam, consilium ostendens immobile *hæredibus pollicitationis*, id est frequentis promissionis, *posuit jusjurandum inter* promissionem et impletionem medium. Ad hoc posuit, *ut per duas res immobiles*, scilicet per promissionem et jusjurandum, in *quibus impossibile est mentiri Deum*, quia nec in altero ; per has duas res *habeamus solatium fortissi-*

mum, id est quod in omni adversitate fortes nos faciat, volentes ad horam pati ut in æternum regnemus. Jusjurandum dicitur, quasi quod jus est ad *jurandum*. Perjurium autem non jusjurandum, sed *jus non jurandum* dicitur. In hoc juramento Dei auctoritatem habemus jurandi, ita tamen ut nec superflue juremus, etiamsi veritatem dicamus, nec, ubi necesse est, veritatem juramento confirmare deseramus. Habeamus solatium *nos qui confugimus* in omni tribulatione *ad spem* tenendam, non propter adversa deserendam. Spem dico *propositam* jam nobis in Abraham et impletam. Vel propositam, id est omnibus in fide sperantibus oblatam. Ille confugit ad spem, qui tribulationem spernit gaudio beatitudinis, quam sibi futuram sperat. *Quam* spem *habemus sicut anchoram animæ tutam ac firmam;* ut sicut anchora navim tenet ne submergatur; sic spes animam nostram faciat tutam, ne submergatur consentiendo iniquitati, et firmam quod nunquam refugiat pati saltem in minimo titubans. Spem etiam dico incedentem *usque in interiora velaminis*, id est in interiorem et velatam beatitudinem, quam nemo viventium vidit. Interiora velaminis dicebatur locus Sancta sanctorum quæ post velamen erant. Ante velamen autem locus dicebatur Sancta, in quo stabant sacerdotes, sed ad sancta sanctorum semel in anno ingrediebatur pontifex; quæ interiora velaminis significabant cœlestem beatitudinem, nobis in hac vita velatam. Et sicut speramus illuc utique incedemus, quia *ubi*, id est in quæ interiora *introiit Jesus præcursor*, id est *præ* nobis currens ut eum sequamur, *cursor* ideo quia nulla culpa cursum ejus aliquando reflexit. Introiit, inquam, pro nobis introducendis. Pro nobis optime dico, quia *factus* est *pontifex* noster duraturus *in æternum*, *secundum dignitatem ordinis Melchisedech*.

A B C D

CAPUT VII.

« Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos « Dei summi, qui obviavit Abrahæ, regresso a cæde « regum, et benedixit ei, cui et decimas omnium di- « visit Abraham, primum quidem qui interpretatur « *rex justitiæ*, deinde autem rex Salem, quod est *rex* « *pacis*, sine patre, sine matre, sine genealogia, ne- « que initium dierum, neque finem vitæ habens, « assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in « perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui et « decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. « Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, « mandatum habent decimas sumere a populo se- « cundum legem, id est a fratribus suis, quanquam « et ipsi exierunt de lumbis Abrahæ. Cujus autem « generatio non adnumeratur in eis, decimas « sumpsit ab Abraham et hunc qui habebat repro- « missiones **381** benedixit. Sine ulla autem contra- « dictione, quod minus est, a meliore benedicitur. Et « hic quidem morientes homines decimas accipiunt, « ibi autem contestatur quia vivit. Et ut ita dictum « sit per Abraham et Levi, qui decimas accepit de- « cimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, « quando obviavit ei Melchisedech. Si ergo con- « summatio per sacerdotium Leviticum erat (po- « pulus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc « necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech « alium surgere sacerdotem, et non secundum or- « dinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, « necesse est et ut legis translatio fiat. In quo enim « hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus « altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex « Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil « de sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius « adhuc manifestum est, si secundum similitudi- « nem Melchisedech exsurget alius sacerdos, qui « non secundum legem mandati carnalis factus est, « sed secundum virtutem vitæ insolubilis [dissolu- « bilis]. Contestatur enim, quoniam. Tu es sacer- « dos in æternum secundum ordinem Melchisedech. « Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, prop- « ter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim « ad perfectum adduxit lex. Introductio vero melio- « ris spei, per quam proximamus ad Deum, et quan- « tum est non sine jurejurando. Alii quidem sine « jurejurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum « jurejurando per eum qui dixit ad illum: Juravit « Dominus et non pœnitebit eum: tu es sacerdos « in æternum. In tantum melioris testamenti spon- « sor factus est Jesus. Et alii quidem plures facti « sunt sacerdotes, ideirco quod morte prohiberen- « tur permanere; hic autem eo quod maneat in « æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde « et salvare in perpetuum potest, accedens [acce- « dentes] per semetipsum ad Deum, semper vivens « ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat « ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impol- « lutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior « cœlis factus. Qui non habet necessitatem quoti- « die, quem admodum sacerdotes, prius pro suis « delictis hostias offerre, deinde pro populo. Hoc « enim fecit semel seipsum offerendo. Lex enim « homines constituit sacerdotes, infirmitatem ha- « bentes; sermo autem jurisjurandi qui potest le- « gem est, Filium in æternum perfectum. »

EXPOSITIO.

Quomodo *secundum ordinem Melchisedech*, multis interpositis tandem exsequitur, dicens: Bene dico Jesum pontificem secundum dignitatem Melchisedech. *Hic enim Melchisedech rex Salem*, quæ nunc Hierusalem, tunc dicebatur Salem; sed, propter Jebusæos eam postea inhabitantes, additum est *Hieru* ad *Salem*, et exinde nomen habuit *Hierusalem*. Hic, inquam, rex Salem, fuit *sacerdos Dei summi*, id est non ab hominibus neque per hominem, sed de dignitate sua confidens assumpsit sibi sacerdotium Dei; *qui* Melchisedech *obviam venit Abrahæ regresso a cæde regum*, qui Lot nepotem suum ducebant captivum, et ei Abrahæ benedixit Melchisedech, *cui* benedicenti sibi *Abraham divisit decimas omnium*

spoliorum (*Gen.* XIV, 20). Hic *primum quidem* dictus est Melchisedech, *qui* id est quod nomen *interpretatur rex justitiæ*. *Deinde autem* dictus est *rex Salem*, *quod est* interpretatum *rex pacis*. Hic iterum Melchisedech, *sine patre*, *sine matre*, non quod parentes non habuerit, sed quia Scriptura eum habuisse nullatenus dicit. Fuit etiam *sine genealogia*, non habens filios vel filias, *neque initium dierum habens*, *neque finem vitæ*, quod Scriptura loquatur, fortassis serio prætermittens. Hic *autem* Melchisedech *assimulatus* in præmissis *Filio Dei*, *manet sacerdos*, id est sacerdotium ejus durat *in perpetuum*. Quomodo assimulatus Filio Dei, revertentes exsequamur per singula. Melchisedech dicitur rex justitiæ : quis autem rex justitiæ nisi Christus, qui per procellas mundi, suos regit in justitia. Christus etiam rex Salem, id est pacis : quia, postquam suos in justitia rexit, in pace vera angelorum locatos regere non desinit. Sacerdos Dei summi : quis autem tantus sacerdos sicut Christus, qui propter inobedientiam **382** Patris seipsum obtulit in ara crucis qui obviam venit Abrahæ regresso a cæde quinque regum. Quinque reges, quinque sensus corporis sunt, per quos omnia vitia in homine dominantur, ut, per visum, cupiditas, dum desiderat quod vidit ; et sic per cæteros sensus, juxta quod in Evangelio mulieri dictum est : « Quinque viros habuisti (*Joan.* IV, 18). »

Per Abraham quicunque fidelis intelligitur ; unicuique autem fideli revertenti a cæde hostium, id est vitiorum, per quinque sensus dominantium, obviam venit Christus, dando incrementum boni operis. Legitur etiam ibi obtulisse Abrahæ panem et vinum (*Gen.* XIV, 18), quod hic non habetur ; quæ panis scilicet et vinum, corpus et sanguinem Christi significant quorum participatione et peccata dimittuntur, et suscipiens de futuro contra vitia confortatur. Cui divisit, Abraham (*Ibid.*, 20), id est fidelis decimas omnium, id est perfectiones omnes quæ habuit. Quisque enim fidelis omnem perfectionem suam Christo attribuit per decem, qui numerus perfectus est (quia usque ad decem numerus crescit, nec ultra sed a principio recapitulat dicendo, undecim, id est unus et decem) perfectio designatur. Primum quidem dictus Melchisedech, qui interpretatur *rex justitiæ*. Deinde rex Salem quod est rex pacis ; ita Christus prius regit suos in justitia hujus vitæ ; in alia vita regit eos in pace. Sine patre Christus secundum carnem, sine matre secundum deitatem, sine genealogia, quia filios carnis non habuit, non habens initium dierum, nec finem secundum divinitatem, coæternus Patri. Per præcedentia satis commendata est dignitas Melchisedech, sed nunc etiam ad augmentum dignitatis ejusdem *intuemini*, *quantus sit hic* Melchisedech, *cui Abraham patriarcha*, id est princeps patrum nostrorum, Isaac et Jacob, *dedit decimas*, quasi servus ejusque tributarius, et *de præcipuis* quæ habebat. Et hoc etiam alio modo intuemini, quantus sit Melchisedech : per hoc quod aliqui *de filiis Levi accipientes sacerdotium*, *habent mandatum sumere decimas a populo*, nec alio modo auderent, et hoc *secundum legem*, in qua servi sunt. A populo dico, id est *a fratribus suis*, qui, propterea quia fratres, libenter tribuunt eis, in hoc quod sumunt decimas, differunt a populo ; *quanquam etiam ipsi* filii Levi *exierint de lumbis Abrahæ*, sicut reliqui de populo. Filii Levi sumunt decimas a fratribus, sed Melchisedech *generatio*, *cujus non adnumeratur in eis*, id est in Judæis, hic, inquam, sumpsit decimas ab Abraham et *benedixit hunc* in tempore majoris dignitatis suæ, scilicet, quando *jam habebat repromissiones* a Deo.

Nunc ex præmissis colligit, Abraham dedit, Melchisedech benedixit, sine ulla contradictione. Nullus enim hoc contradicere potest, quin illud quod minus est benedicetur a meliore. Etiam enim si, secundum aliud, major sit qui benedicitur, in eo tamen constat esse minorem quod ab eo qui benedicit, hoc quod non habebat qui benedicitur, accipit. Hoc etiam modo intuemini dignitatem Melchisedech, quia *hic quidem*, id est in sacerdotio Levitico *morientes homines accipiunt decimas*. Ibi autem in superiori loco Scripturæ contestatur Moyses, quod Melchisedech vivit, dum de vita loquens de morte nil adjunxit. Hoc etiam modo intuemini dignitatem ejus, quia Levi qui decimas accipit, ipse etiam Leviticus ordo *decimatus est*, id est decimas dedit. Et hoc dico, *ut ita dictum sit decimas* dedisse Levi *per Abraham*, id est per materialem causam. Quando enim Abraham decimas dedit, adhuc omnes erant in lumbis Abrahæ. Quod optime sequi videtur. Si enim omnes in Adam peccavimus, quia in lumbis ejus, quando peccavit, eramus, quare Levi dedisse decimas non dicatur, qui in lumbis Abrahæ erat, Abraham dante decimas? Et vere Levi decimas dedit per Abraham dantem, quia *adhuc Levi erat in lumbis patris sui Abrahæ*, quando Melchisedech obviam venit ei Abrahæ danti sibi decimas. Si enim tunc temporis **383** esset Isaac, non diceretur Levi tunc in lumbis Abrahæ fuisse, sed in lumbis Isaac : sed quia adhuc erat in lumbis Abrahæ per Isaac, similiter et Levi. Levi dicitur decimatus in lumbis Abrahæ, et non Christus, licet filius sit Abrahæ : quia Christus non secundum concupiscentiam carnis de lumbis Abrahæ natus : Levi autem per legem membrorum, quæ est concupiscentia carnis, de lumbis Abrahæ natus est.

Ostendit superius, sacerdotem esse Christum secundum ordinem Melchisedech, sufficienterque probavit hoc sacerdotium, et tempore et multa dignitate excellentius esse sacerdotio Levi : quod iterum multis modis depressit. Nunc autem commendato sacerdotio Christi, transit ut ostendat quomodo per sacerdotium Christi, Leviticum destruatur sacerdotium : quo destructo, ex necessitate probat sequi destructionem legis. Littera sic jungitur : Quandoquidem Christus factus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, et hoc sacerdotium omnimodo præesse

Levitico satis probatum est : Ergo, tu legalis, responde mihi de hoc quod sequitur : *Si per sacerdotium Leviticum erat consummatio*, id est, habebatur perfecta justificatio. Et bene dico per sacerdotium debere fieri consummationem : *quia populus accepit legem* existentem *sub ipso* sacerdotio. In manu enim sacerdotis lex erat, et lex impleri non poterat, nec saltem minimum operari, nisi ministerio sacerdotis. Si, inquam, consummatio erat per Leviticum sacerdotium, *quid adhuc* postquam vetus sacerdotium consummaret, *necessarium fuit* dici a propheta David surgere sacerdotem alium a Leviticis, et secundum tribum. Surgere *secundum dignitatem ordinis Melchisedech*. Et ne ille diceret, utique surgat secundum hunc ordinem ita ut commistim teneat ordinem Aaron. Ad hoc ait ita dici secundum ordinem Melchisedech, ut non sit in aliquo secundum ordinem Aaron. Surgere ideo ait quia Levitici sacerdotes depressi erant impotentes excutere, vel a se, vel a populo jugum peccati per legem. Hic autem Christus surrexit, per cujus sacerdotium fideles excutientes jugum peccati ad beatitudinem exsurgunt. Quasi diceret : Si per Leviticum sacerdotium, esset consummatio, frustra surgeret aliud sacerdotium secundum Melchisedech ad consummandum : sed surrexit aliud sacerdotium, Leviticum igitur non consummabat : habemus assumptionem translato sacerdotio, etc.

Littera tamen sic jungitur. Quasi diceret aliquis : Quare dicis legem sub sacerdotio, et sacerdotium esse destructum, surgente alio sacerdote ? Quid per hoc intendis? Ideo utique dico legem sub ipso, et ipsum Leviticum sacerdotium esse destructum, *quia translato sacerdotio, necesse est ut fiat translatio legis* ejus sacerdotii, cum lex sit in manu sacerdotis. Destructionem autem legis probare intendo, dum sacerdotium ejus destruo. Vere alius surrexit sacerdos, et vere sacerdotium est translatum, quod idem est : nam alius secundum tribum et secundum ritum. Vel quia translatum est, quia et secundum tribum et secundum ritum. Secundum tribum esse translatum prius ostendit, dicens : Vere translatum est, vel vere sacerdos alius est ; nam Christus *in quo*, id est in cujus consideratione *dicuntur hæc; de alia tribu est*, et non de tribu Levi, *de qua* alia tribu *nullus fuit præsto*, id est præstabiliter *altari*. Et vere de alia tribu : *quia manifestum est quod Dominus noster* Christus *ortus sit ex Juda, in qua* tribu *Moyses nihil locutus est de sacerdotibus*, ut quilibet de illa tribu deberet sacerdos fieri. Translatio autem sacerdotii secundum tribum jam præcesserat in Samuele, reprobatis filiis Heli, qui secundum lineam generis hæredes erant sacerdotii : quæ transmutatio significabat veram (quæ futura erat in Christo) transmutationem [translationem]. Probat iterum secundum ritum translatumesse sacerdotium quod non amplius visum fuerat ; quia 384 licet tribus reprobaretur, ritus tamen non sunt mutati. Unde ait : Probavi secundum tribum transferri sacerdotium. *Adhuc* etiam *manifestum est amplius*, id est ampliori et firmiori ratione, quia magis valet probatio de ritu quam de tribu. Manifestum est, inquam, translatum sacerdotium esse, *si* hoc est quod *secundum similitudinem* et ritum *Melchisedech exsurgat sacerdos alius*, sicut prædictum est : *qui* alius *non est factus* sacerdos *secundum legem mandati carnalis*, id est quæ lex solummodo mandabat et promittebat carnalia : *sed* factus est sacerdos *secundum virtutem*, id est deitatem quæ erat in eo.

Virtutem dico *vitæ insolubilis*, id est per quam dabat credentibus in se vitam insolubilem, id est æternam. Vel ita : Non est secundum legem mandati carnalis, id est secundum carnalem intellectum legis, sed secundum virtutem ipsius legis, spiritalem, scilicet, intellectum. Virtutem dico vitæ insolubilis, quia spiritalis operatio legis vitam promittit æternam, sicut infirmitas vitam carnalem. Dico translatum est sacerdotium, si surrexit alius sacerdos ; sed sacerdos alius surrexit et hoc ab auctoritate probat, dicens : Vere surrexit alius sacerdos, *quia* David *contestatur*, id est mecum vel cum multis aliis Scripturis testatur. *Quoniam tu*, Christe, *es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Cum deberet dicere, Christus est sacerdos ut fideliter poneret verba prophetiæ, ait : Tu es sacerdos. Causam quare vetus sacerdotium sit destructum, et novum inductum subjungit ne adversarius opponeret. Quare dicis Deum dedisse aliud sacerdotium ad reprobationem veteris, qui vetus utique sacerdotium instituit ? Ad hoc respondens ait : *Reprobatio quidem præcedentis mandati fit* et veteris legis *propter infirmitatem ejus*, id est quia etiam tempore quo tenebatur infirma erat : quia et si aliquam non tamen perfectam dabat justificationem : reprobata propter *inutilitatem ejus* : quia jam non solum est infirma si tenetur, sed etiam damnosa. Vere infirmitatem habuit. Tempore enim quo tenebatur *lex, nihil adduxit ad perfectum*, id est nihil adducere valuit ad perfectionem, quia et si aliqui sub ea fuere perfecti, non per eam, sed per fidem venturi. In eo quod lex dicitur præcedens, significatur aliud debere consequi ad corrigendam legis imperfectionem. Reprobatio quidem præcedentis mandati, *introductio vero fit melioris*. Ut magis commendet, non ait mandati sed *spei* : quia hoc novum mandatum Christi tale est, in quo habeatur spes, non carnalis sed gloriæ cœlestis : *per quam* spem non solum propinquamus, sed etiam *proximamus ad Deum*. Legem fuisse infirmam, mandatum autem Christi causam esse qua proximemus ad Deum, multum est ad laudem novi sacerdotis. Et quantum hoc iterum est ad commendationem ejus, quod non sine jurejurando Jesus factus est sacerdos : *Alii quidem*, id est Leviticí *facti sunt sacerdotes sine jurejurando*, tanquam illud quod deberet mutari : *hic autem* Jesus *cum jurejurando*, factus est sacerdos *per eum*, id est per Deum Patrem, *qui dixit ad illum* Jesum : *Tu es sacerdos in æternum*. Et quod sacerdotium tuum sit in

æternum : *juravit Dominus et* de hoc *non pœnitebit eum*, id est non immutabit tuum sacerdotium. Ait quidem David, Deum hoc jurasse, sed ubi, vel quando, vel quibus verbis hoc juraverit non ait. Inquantum cum jurejurando Jesus, illi autem sine jurejurando, et inquantum per Jesum proximamus ad Deum, et per legem nemo adducebatur ad perfectum, *intantum* Jesus *factus est sponsor*, id est firmator et assertor *testamenti melioris*, id est meliora, quia æterna, promittentis. Sicut promissis sic etiam hac dignitate quæ sequitur : Jesus Leviticos sacerdotes præcellit, quia *alii quidem*, id est Levitici *sacerdotes facti sunt plures*. Idcirco plures *quod permanere* in vita *prohiberentur morte* superveniente. *Hic autem* Christus *habet sempiternum sacerdotium*, *eo quod maneat in æternum*. *Unde* quia manens in æternum sempiternum habet sacerdotium, *salvare* etiam *potest in perpetuum*, **385** cum constet mortales legis sacerdotes tempore sacerdotii sui potuisse aliquas salvationes conferre.

Ostenso quomodo, per sacerdotium Christi, vetus sacerdotium, et lex destruatur, et ipso sacerdotio Christi satis commendato, commendat etiam nunc actum et exhibitionem sacerdotalis officii in Christo, deprimendo per contrarium operationem veteris sacerdotii, dicens : Potest Jesus salvare in perpetuum, ipse, dico, *accedens ad Deum*, non per alienas hostias animalium, *sed per semetipsum*, hostiam vivam in ara crucis oblatum. Jesus, dico, *semper vivens ad interpellandum* Patrem *pro nobis*, quia caro ejus ad hoc semper in cœlis vivit, ut repræsentatione sua jugiter pulset Patrem pro nobis. Dico accedens per semetipsum ; *decebat enim* et necessarium erat *ut talis*, et per semetipsum accedens, *esset nobis pontifex*, *sanctus* in se possessione virtutum, *innocens* ad proximum, et, cum sanctus habitu honorum, *impollutus* etiam absentia vitiorum. Nec modo impollutus ut aliquando fuerit pollutus, sed omni die *segregatus a peccatoribus*, id est a grege peccatorum segregatus, *factus* etiam *excelsior cœlis*, id est omni cœlesti creatura. *Qui* pontifex talis et talis *non habet necessitatem quotidie offerre pro se*, *quemadmodum sacerdotes* Levitici necessitatem habent offerre *hostias*, prius intercedentes *pro suis delictis*, *deinde pro* delictis *populi*. Non ait quotidie, quasi aliquo die necesse sit Christo offerre pro se, sed ut removeat a Christo quod attribuit illis quotidie habentibus necessitatem offerendi pro se. Non habet Christus necessitatem hanc. *Hoc enim*, scilicet offerre, *fecit semel*, non tamen pro suis, sed pro delictis populi ; fecit, inquam, *offerendo se*. Et ejus semel facta oblatio sufficiens fuit omnibus ad remissionem omnium. Quare non est necesse ut iteretur. Sacerdotes illi habent necessitatem quotidie offerendi pro se, *quia lex sacerdotes constituit homines habentes infirmitatem* et fragilitatis naturæ et peccati. Lex tales constituit sacerdotes, *sed sermo juris-jurandi qui post legem* datam per David dictus *est*, constituit sacerdotem non hominem, sed *Filium* Dei non habentem infirmitatem, sed duraturum *in æternum* et *perfectum*.

CAPUT VIII.

« Capitulum autem super ea quæ dicuntur. Talem « habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis « magnitudinis in cœlis, sanctorum minister, et « tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo. « Omnis enim pontifex ad offerenda munera et « hostias constituitur. Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram, non esset sacerdos, cum essent qui offerrent « secundum legem munera ; qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium, sicut responsum est « Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide, « inquit, omnia facito secundum exemplar, quod « tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius « sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est. Nam si illud prius « culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum « novum : non secundum testamentum quod feci « patribus eorum in die qua apprehendi manum « illorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, « et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est « testamentum quod disponam domui Israel post « dies illos, dicit Dominus : Dando [dal o] leges « meas in mentem eorum ; et in corda eorum superscribam eas, et ero eis in Deum, et ipsi erunt « mihi in populum. Et non docebit unusquisque « proximum suum, et unusquisque fratrem suum, « dicens : Cognosce Dominum, quia omnes scient « me, a minore [minimo] usque ad majorem eorum ; « quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum [peccatum] illorum jam non memorabor « [commemorabor]. **386** Dicendo autem novum, « veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, « prope interitum est. »

EXPOSITIO.

Quasi pauca dixisset de hoc sacerdote, breviter complectitur modo dignitatem ejus, super hoc quam in præmissis complexus sit. Quasi diceret : Multa quidem dixi de laude hujus sacerdotis, sed nunc faciam *capitulum*, id est brevem multorum complexionem. *Capitulum* dico, *super ea*, id est superius et dignius ad laudem Christi continens quidem ea omnia *quæ dicuntur* in præmissis ; hoc, inquam, est capitulum. Nos *habemus talem pontificem qui* jamdiu est ; quod *consedit* cum Patre quiescens et judicans. Consedit dico *in dextera*, id est in æqualitate *sedis magnitudinis*, id est sedentis divinitatis. Magnitudo enim Pater dicitur qui similiter sedens quiescit et judicat. Consedit dico *in cœlis*, id est vel super illos materiales cœlos, vel super thronos et dominationes. Hic pontifex dico ibi *minister sanctorum*. In cœlis enim ministrat gloriam

per Sancta sanctorum significatam, minister et jam ibidem *veri tabernaculi*, id est veritatis, quam tabernaculum vetus præfigurabat, scilicet justitiam in præsenti Ecclesia, gloriam in futura. *Quod* verum tabernaculum *fixit Dominus* in æternum permansurum; illud vero umbratile legis tabernaculum, non fixum, sed erat portabile de loco ad locum. Diceret Judæus: Et legale quidem tabernaculum fixit Dominus per ministrum Moysen. Utique ait Paulus, sed hoc fixit Dominus, ita quod non fuit hic cum eo cujus ministerio figeret; sed propriam personam fixit. Vere Christus minister est; nam *omnis pontifex constituitur* ad ministrandum, scilicet *ad offerenda munera et hostias. Unde* quia omnis pontifex constituitur ad offerendum, *necesse est hunc etiam* pontificem Christum *habere aliquid quod offerat*, et cum necesse sit eum habere aliquid ad offerendum, aut illud erit super terram, aut cœleste, sed non super terram. *Si* enim *super terram*, jam *non esset sacerdos*, nedum pontifex. Ergo cœleste erit quod offerret. Super terram esse dicit quidquid in carnalibus et pro carnalibus offerret. Si esset super terram quod Jesus offerret, non solum nego eum pontificem, sed nec esset sacerdos; frustra enim in carnalibus sacerdos esset, *cum essent* multi sacerdotes *qui offerrent munera secundum legem*, id est super terram. Diceret ille: Multi quidem sunt offerentes, sed quia nemo sic digne possit offerre, bonum erat ut Jesus offerret secundum legem, et hoc removet, dicens: Cum essent qui secundum legem offerrent, et *qui deserviunt exemplari*. Exemplar dicitur illud ad cujus similitudinem fit aliquid. Exemplum autem similitudo, quæ ab exemplari capitur. Quando Deus Moysen vocavit in montem, ibi revelavit ei omnem (quæ implenda erat) de cultu Dei veritatem. Sed Deus cum Moyse intelligens populum illum carnalem non statim posse capere spiritalia, dixit Moysi, ut, sicut veritatem quam ibi videbat, faceret figuras illi populo carnali; in quibus puerilis populus tandiu enutriretur, donec de puerilia figurarum transire posset ad maturitatem virtutis, et hoc modo veritas prius ostensa exemplar fuit figurarum factarum, ad similitudinem prius ostensæ veritatis.

Iterum alio respectu figuræ dicuntur exemplar veritatis, secundum impletionem illius, ad similitudinem figurarum præcedentium, et secundum hunc modum figuras hic vocat exemplar. In sequentibus autem veritatem prius in monte Moysi revelatam, exemplar vocat respectu figurarum ad similitudinem ostensæ virtutis [veritati] inventarum. Deserviunt, inquam, exemplari, id est figuris, et quia exemplar quandoque est veritas, non figura, addit et *umbræ*, quia illæ figuræ, exemplar erant, non veritatem, sed umbram habentes veritatis, per Christum leviter depellendam. Cum essent, inquam, qui deserviunt umbræ *cœlestium*, ita complendo omnia, *sicut a* Deo *responsum est Moysi*, et cum illi sacerdotes **387** bene legem implerent: frustra Jesus hoc sacerdotium assumeret. Responsum est Moysi non cum inciperet, sed *cum consummaret tabernaculum*. Quasdam enim figuras per se invenire potuit: sed cum omnes per se non posset invenire, reversus est ad Deum, ut sicut de veritate, sic de figuris edoceretur. Cui Dominus inquit: *Vide*, Moyses, *facito omnia*, id est figuras omnes *secundum exemplar*, id est secundum veritatem, *quod* exemplar *ostensum est tibi in monte*: illi habent ministerium deservire exemplari et umbræ; *sed Jesus sortitus est ministerium melius*: quia et in spiritalibus ministrat, et spiritalia dat. Sortitus dico nunc postquam ostensum est eum non offerre, quod sit super terram. Ministerium dico tanto melius *quanto* et ipse Jesus dator *est testamenti melioris*, id est meliora, quia æterna promittentis. Et non ait dator, sed *mediator*, quoniam medius inter Deum et hominem a Deo accipit, quod homini tribuit. Quod testamentum *sancitum*, id est confirmatum, est duraturum in æternum. Sancitum dico *repromissionibus*, id est multis ac diversis pollicitationibus. Repromissionibus dico *melioribus* sicut sæpe dictum est. Dixit ibi: Christus est dator melioris testamenti, et hoc probat dicens: Vere testamentum Christi melius est testamento priori. Nam illud prius testamentum non vacavit a culpa, Christi autem testamentum vacat a culpa. *Si enim illud prius* testamentum *vacasset* a culpa, non daretur secundum testamentum; sed quia secundum datum est, apparet primum fuisse imperfectum, et secundum perfectum. Frustra enim prius testamentum destrueretur, nisi esset imperfectum. Et frustra secundum daretur ad correctionem prioris imperfecti, si non esset perfectum. Quod ita ait: Si illud prius testamentum vacasset a culpa, non ait si homines sub illo vacassent a culpa, sed illud ipsum testamentum vacasset, id est vacuum esset a culpa; in hoc enim ipsa lex non esse vacua videbatur a culpa, quam præcipiebat et gratiam adjutricem quam ministraret non habebat: sic omnes legales faciens culpabiles.

Si, inquam, illud prius vacasset a culpa (idem pro certo dico vobis) *non inquireretur locus*, id est opportunitas *secundi* testamenti dandi. Inquireretur ideo ait quia Deus primum per Noe, deinde per patriarchas, postea per legem et prophetas; in lege paulatim instruendo carnalem ruditatem hominum, inquirebat locum, quo, illis ad perfectionem instructis, opportune daret spiritale testamentum. Si, inquam, prius testamentum vacasset a culpa, non inquireretur locus secundi testamenti. Sed locus secundi inquiritur, et hoc probat per testimonium Jeremiæ dicentis: Vere inquiritur. *Nam* Spiritus sanctus *vituperans eos* legales, *dicit* per Jeremiam. *Ecce veniunt* paulatim propinquando magis ac magis dies. Tempus Christi dies vocat, quia veniente Christo, tenebræ pulsæ sunt. Et illuxit dies, id est veritatis cognitio. Et hoc quod veniant hi dies: non ego, sed *Dominus dicit*: credite illi, *et* in diebus illis *consummabo*, id est dabo *testamentum novum*, quod erit consummans vetus: quia ad perfectum

adducens : quomodo novum satis in sequentibus determinabit. Consummabo, inquam, illud in domo Israel et in domo Juda. Ad litteram per Israel et Judam, Judæi tantum intelliguntur, sed secundum interpretationes vocum, omnis videns et confitens Deum intelligitur. Israel et Juda divid.t, quia post mortem Salomonis, qui in utrisque regnum habuit, Roboam filius ejus tribum Juda et dimidiam tribum Benjamin tantum habuit, et aliæ tribus Israel ab eo die, recedentes ab eo adhæserunt Jeroboam (*III Reg.* XII, 19). Hoc testamentum novum *dabo super domum*, id est ut quasi de supernis veniens dominetur *Israel et Judæ :* et non sit quasi lex vetus ancilla in manu sacerdotis. Et quia posset esse testamentum novum, quia nova terrena promitteret et præciperet, determinat hoc dicens : Novum ita ut *non* sit *secundum* illud *testamentum* **388** *quod* ego *feci patribus eorum*. Et quia quibusdam patribus, ut Abraham, spiritale testamentum fecerat, ideo determinans ait quod feci *in die qua apprehendi manum illorum, ut educerem illos de terra Ægypti*. Apprehendi manum, ea similitudine dicit qua aliquis manum in luto jacentis, et per se surgere impotentis apprehendit, et erigit ; sic Deus eos per se impotentes apprehendit, et de ærumna Ægyptiorum extraxit.

Quomodo eos vituperaverit nunc ait : Ego quidem apprehendi manum eorum, sed *quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo*, ipsi neglexerunt me, *et ego neglexi eos :* et si dico vos neglectos a Deo, ne molesti sitis mihi : quia hoc *dicit Dominus :* Vere dabo testamentum novum, et non secundum illud quod dedi patribus eorum : *quia hoc est testamentum quod* ego *disponam*, id est ordinabiliter dabo *domui Israel*, id est omnium videntium Deum, nec modo, sed *post dies illos* determinatos, et hoc iterum credite : quia, sic *dicit Dominus*. Disponam utique *dando leges meas in mentes*, id est in intelligentias *eorum*, nec solum disponam, sed etiam *scribam eas*, ut *in* æterno maneant, in *corda*, id est in voluntates *corum :* quia et intelligent et ex voluntate leges meas operabuntur. Scribam dico quasi illud quod superesse debet eisque dominari, et postquam in mente et in corde eorum leges meas scriptas habebunt ; *ero eis in Deum*, quia dicetur : Vere Deus in istis habitat, qui tot refulgent miraculis, *et ipsi erunt mihi in populum :* quod dicetur de eis. Hi revera sunt populus Dei. Hæc pars prophetiæ impletur in hoc mundo ; quod sequitur implendum restat in futuro. Erunt mihi in populum, *et non docebit unusquisque proximum suum*. Diceret aliquis fortassis, quia non curabit de eo, ideo addit *nec unusquisque* docebit etiam *fratrem suum*, quem multum diligit, *dicens* ita : Frater, *cognosce Deum*. Ideo alter non docebit alterum, *quoniam scient me a minore usque ad majorem eorum*. Hoc autem complebitur in die judicii, quando etiam impii confitebuntur Christum Filium Dei. Notant sancti, quod ait a minore usque ad majorem, et non e converso : ut ostendat omnes tunc perfecte Deum cognoscere ; a minore enim hoc impossibile est doceri majorem. Et ero eis in Deum, omnes iterum scient me, et hæc omnia faciam eis, *quia propitius ero iniquitatibus eorum, et jam non memorabor peccatorum illorum*. Iniquitates ait, quando non servant æquitatem ad proximum suum ; peccata, quando in seipsis male agunt. Vel ut peccatum et iniquitatem idem accipiamus, ita dicimus, dicit : Propitius ero iniquitatibus eorum. Et quia propitiatio dici posset, si absque ultione dimitteret in præsenti, ideo addit : Ita propitius ero quod jam ultra non memorabor peccatorum eorum in futuro. Habent quidam libri, peccatum illorum, et secundum hanc litteram intelligitur originale. Ab hoc loco incipit Paulus. Dixit propheta : Dabo testamentum novum. *Dicendo autem novum, veteravit prius* testamentum in activa significatione. Vel veteravit, id est vetus factum est prius testamentum, in passiva. Et bene dico veteravit prius, quia prope interitum est : quod ita ait : *Quod autem antiquatur* sicut in animatis, *et senescit*, sicut in animatis, omne hoc *est prope interitum*. Senectus enim et antiquatio prænuntiæ sunt mortis.

CAPUT IX.

« Habuit quidem et prius justificationes culturæ « et sanctum sæculare. Tabernaculum enim factum « est primum : in quo erant candelabra, et mensa, « et propositio panum quæ dicitur Sancta. Post « velamentum autem secundum tabernaculum, quod « dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuri- « bulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni « parte auro, in qua urna aurea habens manna, et « virga Aaron quæ fronduerat, et tabulæ testa- « menti, **389** superque eam erant Cherubim gloriæ « obumbrantia propitiatorium ; de quibus non est « modo dicendum per singula. His vero ita compo- « sitis, in priori quidem tabernaculo semper introi- « bant sacerdotes sacrificiorum officia consum- « mantes. In secundo autem semel in anno solus « pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro « sua et populi ignorantia ; hoc significante Spiritu « sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, « adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ « parabola est temporis instantis, juxta quam mu- « nera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta « conscientiam perfectum facere servientem, so- « lummodo in cibis et in potibus, et in variis bapti- « matibus, et justitiis carnis usque ad tempus cor- « rectionis impositis. Christus autem, assistens « pontifex futurorum bonorum, peramplius et per- « fectius tabernaculum non manufactum, id est non « hujus creationis, neque per sanguinem hircorum « [taurorum] aut vitulorum, sed per proprium san- « guinem introivit semel in sancta, æterna redem- « ptione inventa. Si enim sanguis hircorum et tau- « rorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sancti- « ficat ad emundationem carnis, quanto magis « sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet- « ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit con-

« scientiam nostram ab operibus mortuis ad ser-
« viendum Deo viventi. Et ideo novi testamenti me-
« diator est, ut morte intercedente in redemptionem
« earum prævaricationum quæ erant sub priore tes-
« tamento repromissionem accipiant qui vocati sunt
« æternæ hæreditatis. Ubi enim testamentum est,
« mors necesse est intercedat testatoris. Testamen-
« tum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin
« nondum valet, dum vivit qui testatus est. Unde
« nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.
« Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo
« populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircо-
« rum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum
« quoque librum et omnem populum aspersit, di-
« cens : Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad
« vos Deus. Etiam tabernaculum et omnia vasa
« ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia
« pene in sanguine secundum legem mundantur,
« et sine sanguinis effusione non fit remissio. Ne-
« cesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his
« mundari ; ipsa autem cœlestia melioribus hostiis
« quam istis. Non enim in manufactis sanctis Jesus
« introiit exemplaria verorum, sed in ipsum cœ-
« lum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Ne-
« que, ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum
« pontifex intrat in sancta per singulos annos in
« sanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequen-
« ter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in
« consummatione sæculorum, ad destitutionem
« [destructionem] peccati per hostiam suam appa-
« ruit. Et quemadmodum statutum est hominibus
« semel mori, post hoc autem judicium ; sic et
« Christus semel oblatus est ad multorum exhau-
« rienda peccata. Secundo sine peccato apparebit
« exspectantibus se in salutem per fidem [*deest* per
« fidem]. »

EXPOSITIO.

Sed licet prius testamentum sit prope interitum ; tamen *habuit quidem* etiam *prius* testamentum *justificationes* non veras, sed pro modo *culturæ* suæ, id est carnales, quia carnalis erat cultus, *et* habuit *sanctum* non spiritale, sed *sæculare*, quia ab hominibus quidem putabatur ibi sanctitas, quæ tamen non erat, et hoc probat. Vere prius testamentum habuit sanctum, nam tabernaculum primum habuit et secundum. Quod ita ait : *Factum est primum tabernaculum, in quo* primo *erant candelabra*. Licet pluraliter dicat candelabra, unum tamen erat candelabrum, habens hastile in medio, in quo innitebantur sex brachia, tria a sinistra (*Exod.* xxv, 32) ; et erat in illo tabernaculo *mensa* statim post introitum, *et* super hanc mensam erat *propositio panum*, id est duodecim panes Deo per sanctificationem propositi, de quibus si forte per necessitatem aliquis absumeretur (hic enim sanctificatus panis erat necessarius ad sacrificia) paratus erat panis similiter de simila, qui statim loco assumpti substituebatur. Hi autem duodecim panes in Sabbato ponebantur : quibus in sequenti Sabbato ablatis, alii duodecim

A restituebantur (*Ibid.*, 30). *Quod* tabernaculum continens hæc *dicitur* **390** *Sancta*. Erat autem extra hoc tabernaculum altare sub dio, super quod immolabantur animalia. Post velamentum autem erat secundum tabernaculum. Velum enim interpositum fuerat, quod prius tabernaculum a secundo separabat. Quod secundum tabernaculum dicitur Sancta *sanctorum*. Secundum tabernaculum dico *habens thuribulum aureum*, et habens *arcam testamenti*, id est continens testamentum, in circuitu *tectam auro*. Et quia exterius circumtecta posset esse auro et non interius, ideo addit tectam auro *ex omni parte* et intus et extra ; *in qua* arca erat *urna aurea*, id est gomor de auro factum, *habens manna*, ut memoriter tenerent quo pane Deus paverat eos in deserto. *Et* erat
B in eadem arca *virga Aaron*, quæ fronduerat, id est per quam electus est in sacerdotem, *et* erant ibidem *tabulæ testamenti*, in quibus lex scripta fuit, *et super eam* arcam erant *cherubim*, id est duo angeli. Cherubim dico *gloriæ*, id est gloriose decorata, et illa Cherubim erant *obumbrantia propitiatorium*. Tabula erat super arcam quæ dicebatur propitiatorium, eo quod inter duo cherubim super eamdem tabulam confixa apparere solebat angelus, dans divina responsa. Et in hoc secundo tabernaculo erat altare incensi ; in templo vero erant duo tabernacula quæ velum interpositum dividebat. Erat in primo tabernaculo juxta introitum mensa, et super eam duodecim panes, et super singulos eorum thus.
C Erat et candelabrum ex una quaque, parte habens tria brachia medio stipiti cohærentia, in quibus brachiis erant sphærulæ : post sphærulas lilia, post eas scyphuli.

Primum itaque tabernaculum Ecclesiam fidelium quæ in mundo est significat, in qua ministri Ecclesiæ orationes quaque die offerunt et sacrificia. Mensa autem in templo juxta portam, Scriptura divina intelligitur, quæ per fidem intrantibus Ecclesiam pro eorum capacitate ministratur. Panes vero duodecim sunt duodecim apostoli, quorum doctrina fideles in Ecclesia reficiuntur. Hoc autem quod superveniente aliqua necessitate aliquis de panibus sumebatur, et alius substituebatur loco illius, scilicet significat quod, aliquo apostolorum vel
D suorum successorum de mundo ablato, alius qui ejus vice fungatur, loco illius substitui debet. Qui panes omnes in Sabbato absumuntur : quia postquam ad veræ gloriæ requiem in die judicii pervenietur, jam nullum episcopi officium vel ecclesiasticæ curæ exercebitur. Hi panes de simila dicuntur fuisse, quia in apostolis nihil nisi innocentiæ puritas et virtutum perfectio fuit, neque in eorum successoribus debet esse. Thus autem superpositum, cujus odor jucundus est, orationes sunt eorum, quæ Deo acceptabiles sunt, et suis subjectis jucundæ et utiles. Hastile vero candelabri, cui tria brachia ex dextera parte inhærebant et totidem ex sinistra, Christus est, cui quasi firmo stipiti tam veteris Ecclesiæ fideles quam novæ inhærent, et hoc te-

tum quod sunt vel fuerunt ex eo habent. Tres enim rami qui ex dextera parte sunt, tres ordines fidelium hujus Ecclesiæ (quæ dignior est quam vetus) ostendunt, hos habes in Evangelio ubi dicitur : « Duo erunt in lecto : unus assumetur, alter relinquetur. » Duo in agro, unus assumetur, alter autem relinquetur. Duo in molendino, unus assumetur, et alter relinquetur (*Luc.* XVII, 34, 35). Duo in lecto, continentes, quorum illi relinquentur qui vel pro favore mundi abstinentes, vel pro Deo hoc facientes, tamen deficiunt. Illi autem qui pro Christo hoc faciunt et perseverant, in gloria assumentur; duo in agro, sunt laborantes in Ecclesia quæ Dei ager est, quorum (sicut de aliis dictum est) quidam ad gloriam assumentur, quidam ad pœnam relinquentur; duo in molendino, demonstrant hujus sæculi possessores in volubilitate mundanarum rerum manentes, qui laborant quomodo vir placeat mulieri, et mulier viro. Horum illi relinquentur, quod ipsius mundi delectatio in crimina et perniciem trahit. **391** Illi vero assumentur, qui in crimina non incidunt, et de mammona iniquitatis amicos sibi faciunt (*Luc.* XVI, 9).

Illi autem tres rami, qui sinistræ parti inhærent, tres ordines fidelium sub veteri ostendunt : quos habes per Danielem, per Noe, per Job. Daniel etenim qui vixit caste, continentes sub veteri lege ostendit. Noe vero fabricator et artifex arcæ Domini, doctores legis præsignavit. Job vero qui in conjugio et rerum possessione fuit, demonstrat illos qui in conjugiis et rebus mundanis Deo placuerint. In omnibus autem his ramis erant sphærulæ, quia rotunditas perfectionis erat in omnibus, et æqualitas justitiæ. Has autem sphærulas lilia sequebantur, quia postquam aliquis perfectus est gratus odor Deo, et in Ecclesia exemplo bonorum operum redolens efficitur. Post lilia vero succedunt scyphuli, quia cum aliquis probatur perfectus, et exemplo bonæ operationis tanquam lilium sua odore cognoscitur, restat ut efficiatur prædicator, et catholicæ doctrinæ indigentibus propinator. Qui operatione et doctrina talis effectus, et seipsum igne charitatis accendit, et aliis lumen in tenebris ostendit. Secundum autem tabernaculum a primo veli interpositione dividebatur, in quod pontifex solus et semel in anno cum sanguine ingrediebatur.

Tabernaculum illud cœlestis Ecclesia est. Illud autem obtegitur velo, quia dum sumus in hac adhuc mortali carne vel Ecclesia, quæ et quanta Deus suis præparet ignorantiæ cæcitate cognoscere non possumus. Pontifex autem qui semel in anno, et cum sanguine introibat, Christus est, qui, in perfectione temporum semel sanguinem suum offerens, viam « cœstis patriæ nobis initiavit. Quod vero ipsa hostia uno quoque anno reiterabatur, imperfectionem ipsius hostiæ ostendebat, et ex ipsa sua iteratione aliam hostiam quam iterari non oporteret, exspectari præcipiebat. Thuribulum aureum Christus est, qui in eo quod perfectam sapientiam habuit, et de mundanis et de cœlestibus jure aureus fuisse dicitur. In eo autem quod igne charitatis in Deum et in proximum plenus fuit, et jucundum orationum odorem pro mundo Deo effudit, thuribulo jure assimilatur ignem continenti, et odorem thuris in superiora emittenti. Idem etiam est arca testamenti, id est in qua reservabatur testamentum et latebat, quia in sapientia Patris, cum qua idem personaliter erat, præcepta veteris legis et novæ latebant, et jam ex ejus dispositione pendebant; qui etiam ea claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit (*Apoc.* III, 7). Hæc arca omni parte tam interius quam exterius auro tecta erat, quia ipse et anima et corpore omnium consummatione virtutum enituit, et nulla ei defuit justitia. In hac arca erat urna aurea, quia in corpore Christi erat vera et humana anima, et eadem omni virtute et perfecta sapientia plena. In urna erat manna absconditum, quia in anima Christi est ipsa divinitas; quæ est panis et refectio angelorum. Erant etiam in arca virga Aaron et tabulæ Testamenti. Virga Aaron verum significavit sacerdotium. Tabulæ Testamenti corda eorum sunt, in quibus legis præcepta insident et quiescunt.

Sunt itaque in arca virga Aaron et tabulæ Testamenti, quia in Christo verum est sacerdotium, et unusquisque fidelis; unde in Evangelio ait : « Manete in me, et ego in vobis (*Joan.* XV, 4). » Super arcam erat tabula quæ vocabatur propitiatorium, in qua Deus apparens per angelum propitiabatur peccatis eorum. Super propitiatorium, duo cherubim semper inclinato vultu illud aspicientia, et conjunctione alarum suarum desuper extensarum illud obumbrantia. Idem Christus propitiatorium est, secundum quod ab eo quæ volumus, postulamus, et sua misericordia nostris peccatis, propitiatur. Super eum sunt duo cherubim, quia etiam altiores cœlorum virtutes ei innituntur, et firmamentum suæ stabilitatis habent illum. Eadem cherubim propitiatorium semper aspiciunt : **392** sed desuper obdurant, quia cœlestes virtutes misericordiam Dei semper contemplantur, sed, quo intentius eum aspiciunt, tanto obscurior et magis ignotus efficitur, « quoniam misericordia Domini abyssus multa (*Psal.* XXXV, 7). » In arca autem quatuor erant annuli, in quibus vectes immittebantur, et sic arca quo res poscebat deferebatur. Quatuor annuli, quatuor sunt Evangelia; vectes, sancti prædicatores, qui, in doctrinam Evangelii immissi, et Christum et ejus fidem quo Deus vult et præordinat deferunt. Hoc autem, quod de lignis setim (quæ imputribilia sunt) facta est, corpus Christi post passionem immortale et impassibile futurum præsignavit. Hæc in primo et secundo sunt tabernaculo (*de quibus non est modo dicendum*) eundo *per singula* eorum interpretanda. De singulis quidem non est discendum, *sed* de *his ita compositis* est dicendum hoc, scilicet *quod in prius quidem tabernaculum semper introibant sacerdotes consummantes officia sacrificiorum* id est perficientes

sacrificia secundum ritum officii sui in prius semper.

Sed in secundum tabernaculum semel in anno introibat *solus pontifex*, et *non sine sanguine*, quo accepto, de animali foris immolato, tingebat de eo cornua altaris incensi; *quem* sanguinem *offert* sacerdos *pro ignorantia sua, et* pro ignorantia *populi* dimittenda, *Spiritu sancto significante* per hoc quod in prius omnes introibant, in secundum nullus præter solum pontificem, *viam sanctorum nondum esse propalatam*, id est sanctos non posse introire in cœlos, quæ via propalanda erat eis in Christo eo resurgente. Et adhuc quando nondum propalata erat via sanctorum, sed Abraham et omnes sancti tenebantur in tenebris, tunc, inquam *priore tabernaculo habente statum*. Donec enim via sanctorum, Christo celebrante novum Pascha, propalata fuit, vetus lex statum suum ex Deo habuit. *Quæ* omnia de omni priori et vero tabernaculo *est parabola instantis temporis*, id est figura pertinens ad hoc tempus quod nunc instat, quia quidquid ibi figuratum fuit, nunc in Christo impletum est. In prius tabernaculum semper introibant sacerdotes consummantes sacrificia, quia in præsentem Ecclesiam quotidie introimus consummantes spirituale sacrificium Christi. In secundum autem tabernaculum pontifex semel ingrediebatur in anno, quia Christus verus pontifex ingressus est in cœlestem Ecclesiam semel, non ulterius reversurus a gloria. Quod verus sacerdos singulis annis introitum illum secundi tabernaculi reiterabat, verum pontificem Christum nondum introisse in suum tabernaculum in cœlis, sed adhuc intraturum exspectabat. Legalis pontifex non introibat sine sanguine, quia Christus non penetravit cœlos, nisi prius sanguine suo effuso in redemptionem omnium; quem sanguinem Christus obtulit non utique pro sua, sed pro totius populi delenda ignorantia. *Juxta quam* parabolam, id est figuram *offeruntur* in veteri lege *munera*, id est minores oblationes.

Offeruntur *etiam hostiæ* animalium. Sic in hac præsenti Ecclesia munera nostra sunt orationes in odorem suavitatis Deo, et hostiæ sunt illi qui pro Christo mactantur, ut Laurentius, etiam qui seipsos mactant jejuniis, vigiliis, et multimodis afflictionibus. *Quæ* munera et hostiæ in veteri lege *non possunt facere perfectum servientem* in his. Et si perfectus est secundum reputationem hominum, non tamen perfectus *juxta conscientiam* suam, quia se reum sceleris factum, et non mundatum per legalia, conscientia sibi jugiter insusurrat. Nec mirum si non perfectum, quia servientem dico illum *solummodo in cibis et in potibus*: quia copiose manducat et potat, *et* in *variis baptismatibus*, id est ablutionibus factis secundum ritus legalium; servientem etiam *in justitiis*, sed *carnis*, quia carnales sunt illæ justitiæ; corpus quidem a pœna legis liberantes, sed animam in vinculis peccati deserentes. Justitiis carnis, dico, *impositis* ut durarent *usque ad tempus* *correctionis*, id est usque ad Christum, perfectione testamenti cujus corrigeretur imperfectio veteris. Munera et hostiæ legales neminem possunt facere perfectum, sed Christus invenit æternam redemptionem, quod est dicere Christus facit perfectum. Sed per quid æternam redemptionem invenerit præmittit dicens: *Christus assistens*, non determinat cui assistat. Et possumus dicere: Christus assistens Patri repræsentatione sua, semper interpellans pro nobis. Vel Christus assistens, pro nobis erigens infirmitatem nostram ad cœlestia, porigendo nobis manum auxilii. Christus, inquam, assistens *pontifex* non carnalium, sed *bonorum futurorum*, id est cœlestium. Vel bonorum futurorum, id est præsentis justitiæ et æternæ beatitudinis; quæ omnia tempore legis futura erant. Christus, inquam, pontifex talis introivit tabernaculum, nomine significantis designat significatum.

Tabernaculum dico *peramplius*, quia si illud vetus mille vel plura millia hominum capiebat, cœleste tabernaculum etiam peramplius est late capiens infinitatem omnium ingredientium in illud. Tabernaculum perfectius, quia in illo tabernaculo totius beatitudinis accipitur perfectio. In legali tabernaculo ubique erat imperfectio. *Tabernaculum* dico, *non manu factum*; et ne quilibet hoc perverse acciperet, putans non esse factum manu, id est operatione Dei, determinat dicens: *Id* quod dico non manufactum, *est* dicere illud tabernaculum *non* est *hujus*, id est humanæ *creationis*, sicut vetus. In quo mulieres nebant cortinas, fabri in genere suo operabantur, et similiter cæteri artifices. *Introivit* quidem hoc tabernaculum *neque per sanguinem hircorum et vitulorum* effusum, quod opportebat fieri in introitu secundi tabernaculi, *sed* introivit *per proprium sanguinem* effusum in cœleste tabernaculum, scilicet in Sancta sanctorum. *Introivit* utique; *semel*, et per sanguinem semel effusum. Quod enim semel introire et sanguinem semel effundere dicit, significat perfectionem ejus sacrificii; quod non oportuit iterari. Quod autem sacrificium vetus toties iterabant, significabat in illo non esse nec adhuc venisse perfectionem. Introivit in Sancta *inventa redemptione*. Non determinat a quo inventa an se, an ab alio, et utrumque dicere possumus. Redemptione inventa a Christo, quia hic pontifex in sacrificio suo invenit redemptionem hominum a peccatis: in qua inventione legales semper defecere pontifices, vel redemptione inventa a nobis. Nos enim in Christo redemptionem nostram invenimus. Redemptione dico *æterna*, quia quos redimit æternos facit. Probat hoc a minori dicens: Vere per sanguinem Christi inventa est redemptio, *quia si sanguis hircorum et taurorum, et* si *cinis vitulæ* combustæ *aspersus* super populum, *sanctificat inquinatos*, id est mundat pollutiones peccatorum: Sanctificat dico valens *ad emendationem* non utique animæ, sed *carnis* tantum, quia carnem liberat a pœna legis, anima polluta remanet; si, inquam, sanguis illorum animalium aliquo modo

sanctificat *quanto magis sanguis Christi emundabit nos? qui* Christus obtulit non hircum, non taurum, sed *semetipsum Deo :* se dico *immaculatum*, quod nullum sacrificium potuit esse in lege. Immaculatum dico *per Spiritum sanctum*, unitum sibi in utero matris de quo conceptus est, factus per hoc immunis a peccato. Vel obtulit se per Spiritum sanctum, dictantem sibi ut in omni patientia obediret Patri.

Quanto magis, inquam, sanguis Christi *emundabit*, non dico carnem, sed etiam *conscientiam nostram;* quod nec relinquetur unde conscientia sibi formidet. Emundabit utique *ab operibus mortuis*, id est a peccatis mortem operantibus, ad serviendum Deo. Hæc enim duo sanguis Christi efficit in nobis, quia et mundat a peccatis, et virtutem liberi arbitrii restituit, *ut* Deo *servire possit. Deo* dico *viventi* positum ad causam, quia servientibus sibi vitam æternam dabit. Obtulit semetipsum : *et est mediator*, id est dator *Novi Testamenti.* **394** Medius inter Deum a quo accipit, et hominem cui tribuit, ideo dator Testamenti Novi, *ut morte ejus intercedente*, id est interveniente media inter dispositionem et completionem testamenti. Morte dico necessaria *in redemptione*, non dico gentilium de quibus constat, sed in redemptione *earum prævaricationum, quæ erant sub priori* [*veteri*] *Testamento.* Lex enim illa prior præcipiendo prævaricationes addebat, a quibus nullo modo solvere poterat. *Ut*, inquam, intercedente morte, *accipiant repromissionem æternæ hæreditatis*, id est æternam hæreditatem frequenter sibi promissam : accipiant, non omnes, sed *qui vocati sunt* a Deo, electi ab æterno. Postquam Christus Novum Testamentum disposuit, pro confirmatione ejus testamenti necesse fuit eum mori : tum quia si captus a Judæis negaret quod antea dixerat, et pro assertione eorum refugeret pati, putarent discipuli Christum non intellexisse vera esse quæ docuerat, dum ea timore mortis negaret. Præterea mori oportuit ut, a morte resurgens quæ se prædixerat impleturum consummaret, scilicet redemptionem Israel. Vitula de qua superius, diximus, rufa erat, typum gerens sanguinis Christi, et tota comburebatur in cinerem redacta, ut esset holocaustum Domino : cujus cinis aspergebatur aqua : ita Christus multis tribulationibus attritus, et morte tandem quasi in cinerem redactus fuit. Cinis autem vitulæ, qui super homines projiciebatur, significat memoriam contritionis Christi, quæ semper ingerenda est hominibus. Sic, frater, esto memor Christum pro te passum et contritum, et peccando noli eum provocare. Si autem cinis vitulæ emundabat carnem, longe dignius cinis Christi emundat animam.

Dixit superius, Christum datorem Novi Testamenti morte intercedente : nunc autem quod oportuerit eum mori pro confirmatione Novi Testamenti, approbat consuetudine humanæ legis. Quasi diceret aliquis : Quid opus fuit ut ad confirmationem Testamenti Novi mors Christi intercederet? Oportuit utique, ait Paulus, ut morte intercedente daret Testamentum, quia *ubicunque fit testamentum in* humanis legibus, *necesse est* ut *intercedat*, id est inter dispositionem testamenti et completionem media veniat *mors testatoris*, id est testamentum facientis. Ideo necesse est mortem testatoris intervenire, *quia* omne *testamentum confirmatum est in mortuis* testatoribus, id est per mortem eorum qui testamenta disponunt. *Alioquin*, id est si aliter sit quod mors testatoris non interveniat, *nondum valet* dispositum testamentum, *dum*, id est quandiu *vivit* ille *qui testatus est.* Si enim testator mortem evadit, iterum si placet testamentum mutabit. *Unde* quia omne testamentum sanguine et morte confirmatur. *Primum quidem testamentum non est dedicatum*, id est confirmatum *sine sanguine.* Utique non est dedicatum sine sanguine : *lecto enim omni mandato legis :* omni ideo quia si quædam dimitteret, videretur dimissa reprobare, et tantummodo lecta confirmare. Lecto, inquam, omni mandato *a Moyse*, idem enim Moyses legit, universo populo audiente. Tunc Moyses postquam legerat, *accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua* mistum : accepta etiam *coccinea lana et hyssopo* de quibus fit aspersorium *ipsum* etiam *librum, et omnem populum aspersit* sanguine, *dicens* ita : *Hic sanguis* de quo vos aspergo est *testamenti*, id est ad confirmandum testamentum *quod Deus mandavit ad vos.* Sicut librum, sic etiam *tabernaculum et omnia vasa ministerii* similiter *aspersit* de eodem *sanguine. Et omnia pene*, ait Paulus, *secundum* veterem *legem mundantur in sanguine :* Et quidquid de aliis sit remissio *peccati non sit* in veteri lege *sine effusione sanguinis*, id est nullum peccatum remittebatur, nisi quodlibet animal in sacrificium occideretur. Similiter Christus, qui per Moysen significatur lecto omni mandato novæ legis suæ in cœna, universo populo discipulorum audiente : postquam omnia legit, Jesus accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, id est proprium sanguinem, qui Christus dicitur vitulus propter virtutem **395** crucis : cujus cornibus impios ventilavit. Qui etiam Christus dictus est hircus, propter similitudinem carnis peccati, et quia hostia pro peccato fuit, dum peccata nostra super lignum portavit. Accipiens, inquam, Christus sanguinem suum cum aqua egressum de latere suo in cruce : per aquam sanctificans baptisma, pretio sanguinis redimens nos a peccatis : accipiens illum cum lana coccinea : qui color igneus est et cum hyssopo. Lana enim significat charitatem Christi, quod coccinea fuit similis igni fervorem dilectionis Christi : hyssopus autem qui valet ad depellendum tumorem pulmonis, humilitatem Christi, qui per fervorem dilectionis et humilitatem pro redemptione nostra sanguinem suum effudit. Ipsum etiam librum, id est Evangelium suum quod intercedente morte confirmavit, et omnem populum fidelium aspersit, id est sanctificavit sanguine suo dicens : Hic est sanguis Novi Testamenti affirmator, quod Testamentum Deus mandavit ad vos. Hic Moyses multum fideliter pro-

bavit, dicens eadem verba quæ Christus, cum post cœnam calicem sui sanguinis tradidit dicens : Hic calix Novi Testamenti est in meo sanguine. Aspersit librum, aspersit etiam tabernaculum similiter sanguine. Eadem allegoria accipitur per tabernaculum, scilicet Ecclesiam Christi sanguine ejus redemptam, quæ supra per omnem populum accipiebatur. Aspersit etiam omnia vasa ministerii, quia Christus doctores Ecclesiæ in quibus continentur ministeria sua, et sanguine redemit, et redemptis spiritum sapientiæ et scientiæ tribuit, et omnia secundum legem Christi mundantur in sanguine ejus. Illud pene nihil habet in allegoria. Et sine effusione sanguinis Christi non fit remissio cujuslibet peccati. Et quia omnia oportet mundari in sanguine, et sine effusione sanguinis nulla fit remissio.

Ergo necesse est exemplaria quidem cœlestium, id est legalia quæ sunt figura spiritalium, *mundari* his supra dictis, scilicet vitulorum et hircorum. Exemplaria verorum necesse fuit mundari *his hostiis*, *sed ipsa cœlestia*, cujus hæc erant figura necesse fuit mundari *melioribus hostiis* quam istis prædictis, hirco et vitulo. Et vere melior hostia fuit qua mundata sunt cœlestia : nam Jesus, et vere ista sunt cœlestia, nam non manu facta, etc. Quod ita ait : *Jesus introiit non* manens *in sanctis manu factis*, quæ manu facta sancta quidem fuere *exemplaria verorum*, sed introiit *in ipsum cœlum*. Ad hoc introiit, *ut nunc* postquam ostensum est, inutilia esse manu facta sancta *appareat vultui*, id est beneplacito *Dei pro nobis* in cœlum secum introducendis. Introiit quidem in cœlum, sed neque ita introiit, ut sæpe inde revertens iterum offerat semetipsum quasi non omnibus, et omni tempore sufficiat sacrificium suum semel oblatum. *Non ut sæpe offerat quemadmodum pontifex* legalis per singulos annos quia non sufficit, sacrificium suum iterans *intrat in Sancta* sanctorum : non in suo sicut Christus, sed *in alieno sanguine*. Quare, quia alienus sanguis est, justificare non potest. In hoc et sacrificium suum sufficiens, et legale insufficiens ostendit.

Alioquin, id est si aliter vis dicere, ut Christus sæpe debeat se offerre, tunc procul dubio (si ita est) *oportebat eum frequenter pati*, incipiendo *ab origine mundi*. Si enim illis tantum qui in tempore suo fuerunt, passio ejus profuit, et singulis futuris ætatibus oporteat eum iterato pati : tunc utique necesse erat ut incipiendo a diebus Abel singulis ætatibus, singulas cruces portaret, vel Abraham et cæteri sancti non erunt redempti. Sic quidem oporteret. *Sed nunc* postquam ostensum est tantum inconveniens inde consequi, dicendum est quod *semel* Christus apparuit *in consummatione sæculorum*. Tempus Christi dicitur consummatio : quia Christus, quidquid prædictum de eo fuerat, consummavit. Et cum ante in nullo fuerit consummatio, id est vera perfectio, ipse omnium perfectionem attulit. *Apparuit*, inquam, *ad destitutionem*, id est ad destructionem *per hostiam* non alienam, sed *suam*. Quia plene peccatum destruxit non oportet iterum Christum pati, ideo etiam non debet altera vice mori : quia cæteri homines semel tantum moriuntur. *Et quemadmodum statutum est hominibus mori semel; post hoc autem* quod mortui sunt, restat de illis *judicium*. *Sic et Christus semel* quidem *oblatus Deo* per mortem *ad exhauriendam*, id est evacuanda *peccata multorum*. In hoc quidem quod semel mortuus est similis est homini : sed in hoc quod homo moritur, judicetur Christus, ut judicet dissimilis. Quia ita ait : *Secundo* adventu veniens ad judicium *apparebit* Christus *sine peccato*, id est non in similitudine carnis peccati, sed glorificatæ per claritatem immortalitatis et impossibilitatis. Vel apparebit sine peccato, id est non veniens ut sicut prius iterum fiat hostia pro peccato. Apparebit utique in salutem, non impiis, sed *exspectantibus se in justitia* et timore.

CAPUT X.

« Umbram enim habens lex futurorum bonorum, « non ipsam imaginem rerum, per singulos annos « eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, « nunquam potest accedentes perfectos facere. Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim « est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam et « oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. « Holocaustomata et pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem « tuam. Superius dicens, quia hostias et oblationes « et holocaustomata et pro peccato noluisti, nec « placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur. « Tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum, ut sequens statuat. In « qua voluntate sanctificati sumus per oblationem « corporis Jesu Christi semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem « sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera « Dei : de cætero exspectans donec ponantur inimici « ejus scabellum pedum ejus. Una enim oblatione « consummavit in sempiternum sanctificatos. Contestatur autem nos [nobis] et Spiritus sanctus. « Postquam enim dixit : Hoc autem Testamentum « quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus. Dando [dabo] leges meas in cordibus eorum, « et in mentibus eorum superscribam eas, et peccatorum et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio jam non « est oblatio pro peccato. Habentes itaque, fratres, « fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem « per velamen, id est carnem suam : et sacerdotem « magnum super domum Dei, accedamus cum vero « corde in plenitudine, fidei aspersi corda a con-

« scientia mala, et ablati corpus aqua munda, te-
« neamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.
« Fidelis enim est qui repromisit. Et consideremus
« invicem in provocationem charitatis et bonorum
« operum, non deserentes collectionem nostram,
« sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolan-
« tes et tanto magis, quanto videritis appropinquan-
« tem diem. Voluntarie enim peccantibus nobis post
« acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur
« pro peccatis hostia; terribilis autem quædam ex-
« spectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consump-
« tura est adversarios. Irritam quis faciens legem
« Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus te-
« stibus moritur, quanto magis putatis deteriora me-
« reri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et
« sanguinem Testamenti pollutum duxerit in quo
« sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam
« fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindictam,
« et ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Do-
« minus populum suum: Horrendum est incidere
« in manus Dei viventis. Rememoramini autem pri-
« stinos dies, in quibus illuminati magnum certamen
« **397** sustinuistis passionum: et in altero quidem
« opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in
« altero autem socii taliter conversantium effecti.
« Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bono-
« rum vestrorum cum gaudio suscepistis; cogno-
« scentes vos habere meliorem et manentem sub-
« stantiam. Nolite itaque amittere confidentiam ve-
« stram, quæ magnam habet remunerationem. Pa-
« tientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem
« Dei facientes reportetis promissionem. Adhuc
« enim modicum aliquantulumque, qui venturus
« est veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex
« fide vivit. Quod si subtraxerit se, non placebit
« animæ meæ. Nos autem non simus subtractionis
« filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem
« animæ. »

EXPOSITIO.

Christus ideo oblatus est ad exhaurienda peccata, quia lex non potest facere perfectos, scilicet non exhaurire peccata. Et quare lex non possit facere perfectos præmittit, dicens: *Lex habens umbram futurorum bonorum*, id est futuræ justitiæ in præsenti Ecclesia, et salvationis in futura. Ita habens umbram quod *nec ipsam imaginem rerum*, quod nec habet in se aliquam partem veritatis. Imago enim saltem figuras membrorum singulas ostendit, umbra autem confuse omnia commiscet. Lex, inquam, habens umbram eisdem ipsis hostiis quæ semper illem, id est imperfecte erant, *quas hostias offerunt per singulos annos*, et hoc *indesinenter*, id est vel singulis mensibus, vel singulis hebdomadibus. Lex, inquam, eisdem hostiis toties repetitis, *nunquam potest facere perfectos accedentes ad se*. Quod non faciat perfectos probat per hoc, quia si modo immolassent pro aliquo peccato, et secundum legem absolverentur ab illo: si iterum peccarent, et pro novo peccato iterum immolarent, faciebat sacerdos A memoriam prioris peccati, pro quo jam immolaverat, ostendens imperfectionem sacrificii illius, per quod si justificatus esset, frustra vetus peccatum recapitularet. Quod ita ait: *Alioquin*, id est si hostiæ legis perfectos facerent, procul dubio *cessassent* illæ *hostiæ* pro præteritis peccatis. Ideoque cultores sacrificiorum semel immolata hostia, mundati, *non ultra haberent* ullam *conscientiam* præteriti *peccati*. Cessassent quidem offerre, sed hostiæ pro præteritis non cessarent offerri: *in ipsis* enim hostiis pro recentibus culpis *per singulos annos* oblatis *sit commemoratio* præteritorum *peccatorum*, igitur hostiæ illæ perfectos facere non possunt. Et necesse est ut per singulos fiat commemoratio præteritorum, *quia impossibile est auferri peccata sanguine hircorum et* B *taurorum*. Ideo quia per sanguinem taurorum et hircorum auferri nequeunt peccata: *propterea ingrediens mundum*, id est Prophèta inducens Filium Dei mundum ingredientem per assumptionem carnis, dicit in voce filii ad patrem. O Domine Pater, tu *noluisti hostiam et oblationem* secundum legalem traditionem. Hostias de animalibus, oblationem de panibus et luminariis dicit. Illa quidem noluisti *sed aptasti*, id est aptare mihi voluisti *corpus*, ut de corpore meo hostia tibi fieret beneplacens et munda. Corpus Christi aptum fuisse dicitur, quia et immune a peccato, et passibile, et mortale fuit. Nisi enim sine peccato esset, hostia munda esse non posset. Si autem impassibile et immortale fieret, mortem non destrueret, quam immortalis mortem gustare C non posset. Sed quia et immunis a peccato, et impassibilis, et immortalis fuit, ideo congrue ait: Corpus aptasti mihi, hostiam et oblationem noluisti; *holocaustomata etiam*, id est sacrificium totum incensum, et *pro peccato*, id est hostia quæ vocabatur peccatum vel pro peccato. Hæc, inquam, *non placuerunt tibi*, et *tunc* postquam vidi hoc displicere tibi, ut munda et placens hostia offerretur tibi; *dixi*, id est deliberavi apud me hoc: *Ecce* opportune *venio*, quia nunc reprobatis illis legalibus, hostia nova ero et beneplacens Deo.

Venio ad hoc ut *faciam voluntatem tuam*, id est ut pro modo voluntatis tuæ offeram tibi meipsum sacrificium novum, in odorem suavitatis. Quod ita D construere debeamus: Venio ut faciam, **398** idem docet in sequentibus: Faciam voluntatem tuam; sic enim *scriptum est de me in capite libri*. Liber dicitur Christus homo, qui in exemplum justitiæ expositus est omnibus. Caput libri dicitur divinitas habitans in Christo, quod regit eum in omni perfectione. Vel in capite libri, id est in principio Genesis vel Psalterii scriptum est in lege Domini voluntas ejus, etc. Præmissa auctoritas quomodo intelligenda sit, Paulus exponit, ita Propheta in voce Filii, dicens superius ad respectum superioris partis, ait *superius*. Dicens, inquam, hoc, *quia*, id est quod, tu Pater, *noluisti oblationes et holocausta et pro peccato*, id est *non postulasti* hæc ab eis ut fierent tibi, nec (etiam si faciunt injussi) non sunt

placita tibi. Diceret aliquis fortasse : Ideo non placent, quia non fiunt ordinabiliter secundum legem. Ad hoc removendum ait : *Non sunt placita tibi ea quæ offeruntur secundum legem*, id est licet fiant secundum legis institutionem tunc reprobatis legalibus hostiis dixi : Ecce venio ut faciam voluntatem tuam, o Deus, hæc, inquam, dicens. In his verbis *aufert primum testamentum*, ita *ut statuat*, id est perpetuo durandum stabiliat *sequens*, Novum scilicet Testamentum, *in qua voluntate*, id est in quo Novo Testamento ex voluntate Dei constituto, nos *sumus sanctificati*, positione virtutum post emundationem malorum. Sanctificati dico, *per oblationem Christi Jesu*, id est per corpus Christi oblatum *semel*, in qua semel facta oblatione sufficiens fuit ad purgationem omnium macularum.

Opponeret aliquis : Sacrificium pontificis ideo insufficiens erat, quia semel tantum in anno fiebat ; sed quotidiana sacrificia proderant ad auferenda peccata. Ad hoc removendum ait : Sicut pontifex semel facto sacrificio auferre peccata non poterat, sic etiam omnis quidem legalis sacerdos *quotidie ministrans præsto est :* et ipse sæpe repetendo referens easdem hostias heri hircum, hodie iterum hircum, quia sicut non heri, sic nec hodie proderat ; offerens, inquam, easdem hostias, quæ hostiæ nunquam possunt auferre peccata. Pontifex seu *quilibet sacerdos* legalis repetens hostias, peccata nequit auferre, sed hic pontifex Christus *offerens hostiam* non repetitam, sed *unam* solam *pro peccatis* omnium, *sedet*, id est quiescit et regnat positus *in dextera*, id est in æqualitate Dei patris sessurus ibi *in sempiternum*. Nec reversurus ut iterum offerat, quasi hostia ejus fuerit insufficiens, sed *de cætero*, id est de futuro *exspectans* ibi in dextera Dei *donec inimici ejus ponantur scabellum pedum ejus*, id est omni modo subjectionis subjiciantur ei, quod futurum est in die judicii. Offerens hostiam unam, ideo unam, *quia una* sola *oblatione sanctificavit*, et *sanctificatos* virtutum perfectione *consummavit*, permansuros *in sempiternum*. Nos quidem dicimus Christum una oblatione sanctificatos consummasse. In hoc autem *contestatur*, id est confirmat *nos ;* idem nobiscum affirmans etiam *Spiritus sanctus, quia postquam dixit* in Jeremia : *Hoc autem est testamentum quod testabor ad illos, et hoc dicit Dominus : post dies illos dabo leges meas in cordibus eorum, et superscribam eas in monte eorum.* Postquam hoc dixit, adjunxit Spiritus sanctus : et jam *amplius non recordabor peccatorum*, iniquitatum *eorum*. In his autem verbis contestatur Spiritus sanctus unam oblationem consummasse sanctificatos : quia *ubi est peccatorum remissio, jam non est* necessaria *oblatio pro peccato*.

Postquam per pontificium Christi, sufficienter vetus pontificium destruxit, et vetera sacrificia reprobata, et in sacrificio Christi semel oblato, omnem justificationem consistere perhibuit, faciens finem de hujusmodi, transit ad instructionem moralem, adhortans eos in primis ut puro corde integritatem fidei teneant ; et si incumbat persequi, audacter confiteantur, gaudentes pati pro Christo, et sic in fide, et confessione firmam spem habeant. Unde sic ait : Quia pontifex Christus semel offerens sanctificat veteres, nec quotidianis sacrificiis 399 prodesse possunt. *Itaque fratres*, nos *habentes fiduciam in introitu*, id est de introitu *sanctorum*, scilicet quod nos Sancta sanctorum vere introibimus. Habentes, dico, fiduciam *in sanguine Christi*, quem semel offerens pro nostra emundatione fudit : quam viam, id est introitum sanctorum *viam* dico *novam*, id est noviter in Christo reseratam (nemo etiam ante Christum ambulavit hanc viam *quam initiavit nobis Christus*). Viam novam *et viventem*, id est perdurantem in æternum. Initiavit dico *per velamen*, id est per significatum illius velaminis, quod duo tabernacula dividebat, id est per *carnem suam*. Velamen enim illud quod Sancta sanctorum occultabat, carnem Christi, quæ deitatem sibi unitam velabat, præfigurabat. Unde, expirante Christo in cruce consummatis omnibus, scissum est velum templi (*Matth.* XXVI, 51 ; *Marc.* XV, 38 ; *Luc* XXIII, 45), significans apertam esse viam in Christo intrandi in Sancta sanctorum. Vel ita initiavit nobis viam per velamen, id est per carnem suam, cujus carnem et sanguinem in accessu mortis accipimus viaticum ad patriam.

Carnem dico et sanguinem specie panis velatam. Initiavit nobis per carnem suam, et per se *sacerdotem* quotidie Patrem pro nobis interpellantem. Sacerdotem dico *magnum* ad comparationem legalium. Magnum dico *constitutum super domum Dei*, id est præsentem et futuram Ecclesiam. Nos, inquam, fratres, habentes talem fiduciam *accedamus*, id est approximemus ad Dominum *cum vero corde*, id est cum recta intelligentia *in plenitudine fidei*, id est habentes fidem, non de quibusdam tantum, sed de omnibus credendis plenariam. Accedamus, inquam, *aspersi corda*, id est habentes mundata corda, non solum a peccato, sed etiam *a mala conscientia*, quod nec cujuslibet mali conscientia nos mordeat ; *et abluti corpus aqua munda*, id est habentes purificatam carnem baptismo mundante nos, *teneamus* opere et corde *confessionem ;* quod si ingruant mala, inde non formidemus ideo confiteri Christum. Confessionem dico *indeclinabilem*, quod nec in dexteram declinemus, nec ad sinistram, quæ confessio est causa *nostræ spei*. Si enim fidem Christi in conspectu persecutorum non timuerimus confiteri, tunc pro certo sperare possumus futuram gloriam sanctis. Diceret ille : Quis tandiu, et tanta tolerando, posset sperare rem fortasse nunquam habendam ? Ad hoc Paulus : Si audacter confitemini, salva spes est vobis, *quia* Deus *est fidelis*, et mentiri non potest, *qui repromisit* confitentibus se bona quæ speratis. Teneamus confessionem *et consideremus invicem*, id est alter alterum, non in litigio et detractione : sed *in provocatione charitatis et bonorum operum*, id est

alter exemplo alterius provocetur ad dilectionem et ad bene operandum.

Nos, dico, *non deserentes collectionem nostram*, id est congregationem Ecclesiæ, timore urgentium persecutorum territi, *sicut est consuetudinis quibusdam*, ut « ad tempus credant, et in tempore tentationis recedant (*Luc.* VIII, 13). » Non deserentes, *sed consolantes* collectionem Ecclesiæ; *tanto magis* laborantes in hoc, *quanto amplius videritis appropinquantem* diem mortis. Vel ita provocemus fratres ad charitatem, non deserentes collectionem nostram, id est si peccaverint fratres, non ideo superbe indignantes separemur ab eis, sicut est consuetudinis quibusdam, ut labenti fratri dedignentur compati; sed consolantes nostram collectionem, et tanto magis per compassionem revocate eos a malis, quanto videritis appropinquantem diem retributionis. Malis male, bonis bene. Ideo teneamus fidem et confessionem non deserentes collectionem nostram. Hæc omnia prædicta ideo faciamus, *qui nobis peccantibus voluntarie*, id est ex voluntate et propria deliberatione in peccato manentibus, *post acceptam notitiam veritatis*, id est postquam Christum qui est ipsa veritas cognovimus, fidemque suscepimus : si voluntas peccandi perdurat in nobis, *jam non relinquitur*, nihil proderit nobis Christus factus hostia pro peccatis delendis. Vel ita jam *non relinquitur*, id est non reservatur Christus; ut pro iterum peccantibus, iterum fiat *hostia pro peccatis. Sed* hoc relinquitur nobis, scilicet, *quædam* **400** *terribilis exspectatio judicii* futuri; et relinquitur nobis *æmulatio*, id est invidia *ignis*, quæ æmulatio *consumptura est adversarios* veritatis.

Probat a majori puniendos esse peccantes in Christum, dicens : Vere qui voluntarie peccat, in veritate punietur. *Nam aliquis* prævaricando *faciens irritam legem Moysi*, quæ non erat nisi umbra veritatis, *moritur sine ulla miseratione* convictus de peccato *sub duobus vel tribus testibus*. Et si prævaricans in lege Moysi moritur, *quanto magis putatis* eum *mereri deteriora supplicia, qui conculcaverit Filium Dei?* Ille conculcabilem et nimis vilem intelligit Filium Dei, qui ad remittenda peccata eum impotentem dicit, nisi adjungatur circumcisio; *et qui duxerit*, id est intellexerit *sanguinem testamenti* esse *pollutum*, id est sanguinem Christi, quo confirmatum est testamentum novum. Sanguinem Christi dicit ille pollutum, qui in eo dicit non posse mundari omne delictum. Si enim Christus munda hostia fuit, etiam ab omni culpa mundare potuit : quod si mundare non potuit, sequitur ut polluta hostia fuerit, *in quo* sanguine *sanctificatus est* quicunque baptizatus. Ille etiam deteriora meretur qui *fecerit contumeliam Spiritui sancto*. Qui aliunde quam per Spiritum dicit peccata remitti, in Spiritum contumeliose agit. *Spiritui* dico *gratiæ* qui gratis datur, et gratis peccata remittit. Diceret ille : Licet lex Moysi quæ sine misericordia erat, damnaret prævaricatores suos, Christus tamen qui misericordiam et gratiam attulit, licet peccemus, non tantum non damnabit, sed indulgebit. Ad hoc removendum Paulus probat Christum esse judicem, nec propter misericordiam deseruisse judicium, dicens : Vere conculcans Filium Dei, deteriora patietur. *Nos enim scimus* eum *qui dixit* hoc in Deuteronomio (*Deut.* XXXII, 35) : *Mihi* reservate *vindictam*, si proximus peccat, mea est ultio in proximum, *et ego retribuam eis*, in tempore pro modo delicti. Quod si peccare in proximum non deserit inultum, quanto magis peccare in seipsum? *Et iterum* Scriptura approbans judicium Dei ait : *Quia judicabit Dominus populum suum*. Et quia Dominus judicans reddet unicuique vindictam peccati, videte ne peccetis ait Paulus. Quia *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, id est quæcunque vult potentis.

Postquam asperius corripuit illos, nunc rememorando priora bona illorum, blanditur eis ut quos terrore judicii concussit, quibusdam blanditiis alliciat, dicens : Videte ne incidatis in manus Dei, *sed rememoramini pristinos dies in quibus* vos *illuminati* per fidem, statim accepta fide *sustinuistis magnum certamen passionum;* multa enim tunc passi estis a contribulibus vestris. Sustinuistis utique passiones, *et* enim *in altero*, id est in una parte quidem *facti* estis *spectaculum* mundo, *opprobriis*, id est propter opprobria *et tribulationes* illatas vobis. *In altero autem*, id est ex una parte *effecti estis socii conversantium* taliter, sicut nos, id est omnium illorum qui in religione fidei conversabantur vobiscum. Vere socii. *Nam et* vos *compassi estis vinctis*, ministrando eis in vinculis necessaria de bonis vestris, et opprobria et tribulationes passi estis. Vos enim *suscepistis cum gaudio rapinam bonorum vestrorum, cognoscentes vos habere* in cœlis *substantiam meliorem*, quia spiritalem *et permanentem*. Et quando quidem tales in principio fidei fuistis, *itaque nolite* degenerando *amittere confidentiam vestram*, id est bona opera, per quæ licet confidere · *quæ* confidentia si perseverat, *magnam habet remunerationem*. Dicerent illi : Difficile est tot vexationes, et tandiu pati. Ad hoc Paulus : Nolite patientiam amittere, sed estote longanimes in patiendo, *quia patientia* longanimis *est vobis necessaria*, ut patiendo *facientes voluntatem Dei, reportetis promissionem*, id est promissam gloriam. Nec semper oportebit pati, *quia adhuc modicum* quidem temporis *et aliquantulum* passionis, sed leve et momentaneum restat. *Et* post hoc *veniet* vobis ille *qui venturus est*. Et postquam venerit, **401** *non tardabit*, id est non tarde dabit vobis gloriam quam promisit, martyribus non tardatur gloria, sed statim exeuntibus de mundo datur. His autem qui in pace Ecclesiæ quiescunt tardare videtur, propterea quia de quibusdam quæ illicite contraxerunt, necesse est prius pœnitentiam agere. Qui venturus est veniet et non tardabit, et interim dum venit, vos justi ex fide vivetis, quia dixit Deus per prophetam : *Justus meus ex fide vivit* (*Habac.* II, 4). *Si vero* justus *subtraxerit se* a fide

non placebit animæ, id est voluntati *meæ*. Dico si subtraxerit se, *sed nos non sumus filii subtractionis*, ituri sic *in perditionem*, *sed* sumus *fidei in acquisitionem*, id est ad hoc ut per fidem acquiramus salutem *animæ* nostræ.

A

CAPUT XI.

« Est autem fides sperandarum substantia rerum, « argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus « aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus « visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel « quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium « consecutus est esse justus, testimonium perhibente « muneribus ejus Deo ; et per illam defunctus adhuc « loquitur. Fide Henoch translatus est, ne videret « mortem, et non inveniebatur, quia transtulit il- B « lum Deus. Ante translationem enim ejus testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet « accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se « remunerator sit. Fide Noe, responso accepto de « his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit « arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit « mundum, et justitiæ, quæ per fidem est, hæres est « institutus [factus]. Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in « hæreditatem, et exiit nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in « aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob, « cohæredibus repromissionis ejusdem. Exspectabat C « enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Fide et ipsa Sara sterilis « virtutem in conceptione seminis accepit, etiam « præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit « esse eum qui repromiserat. Propter quod et ab « uno orti sunt ; et hoc emortuo, tanquam sidera « cœli in multitudine, et sicut arena quæ est ad « oram maris innumerabilis. Juxta fidem defuncti « sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, « sed a longe eas aspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. « Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent, de qua « exierunt, habebant utique tempus revertendi. « Nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. D « Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum. « Paravit enim illis civitatem. Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et unigenitum offerebat in quo susceperat repromissiones, ad quem « dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen ; « arbitrans [cogitans] quia et a mortuis suscitare « potens est Deus. Unde eum et in parabolam accepit. Fide et de futuris benedixit Isaac, Jacob et « Esau. Fide Jacob moriens singulos filiorum Joseph « benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus. Fide « Joseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. Fide « Moyses natus occultatus est mensibus tribus a « parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. Fide « Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ « Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei « quam temporalis peccati habere jucunditatem, « majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, « improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Ægyptum, non veritus « animositatem regis. Iuvisibilem enim tanquan videns sustinuit. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem, ne qui vastabat [vastaret] primitiva, tangeret eos. Fide transierunt mare Rubrum, tanquam per aridam terram : quod experti « Ægyptii devorati sunt. **402** Fide muri Jericho « corruerunt, circumitu dierum septem. Fide Raab « meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace. Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt « justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, exstinxerunt impetum ignis. Effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Castra verterunt « exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione « mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent « resurrectionem. Alii vero ludibria et verba experti, insuper et vincula, et carceres, lapidati « sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii « mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus « caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, « in montibus et speluncis, et in cavernis terræ. Et « hi omnes, testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius « aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. »

EXPOSITIO.

Quia de fide sermonem incœpit, dicens : *Nos sumus filii fidei* etc., subjungit quasi diffinitionem fidei ; quæ tamen non est diffinitio, sed fidei commendatio. Ad cujus fidei commendationem diu immorando, multa veterum exempla supponet. Ait autem : Nos sumus filii fidei : *Fides autem est substantia*, id est existentia et acquisitio *rerum sperandarum*, id est futurorum bonorum, quæ singulariter et præcipue speranda sunt. Fides, inquam, sic est substantia futurorum bonorum, quia nec sine fide in quolibet susbsistunt, nec nisi per fidem acquiruntur. Vel ita dicamus : Fides in præsenti habita est in futuro substantia rerum, id est bonorum cœlestium. Merito enim hic habitæ fidei tunc subsistunt bona illa in eo qui fidem in hoc mundo habuit ; rerum dico nunc per fidem sperandarum. Fides etiam est *argumentum*, id est approbatio rerum *non apparentium*, id est bonorum, quæ (dum in hoc mundo manemus) videre non possumus. Si quis enim considerat Abraham, quomodo merito fidei possedit gloriam, idem de se potest sperare quod, si per fidem imitabitur Abraham, sicut ille, quam non vidit, per fidem possidebit gloriam. Dico fides est substantia futurorum

bonorum et argumentum. Propterea sic commendo fidem, *quia in hac*, id est in fide, *senes*, id est antiquiores patres *consecuti sunt* bonum *testimonium*. Senes dicit non ætate, sed temporis præcessione. Abel enim, etsi junior annis, senior tamen quam Abraham antiquitate præcuntis temporis. Sed opponeret aliquis : Fidem dicis argumentum esse rerum, quæ non apparent. Sed quomodo credi possunt quæ videri nequeunt ? Ad hoc Paulus : Fides utique argumentum est rerum non apparentium. Nam *fide*, id est per fidem *intelligimus sæcula aptata*, id est apte formata esse. Aptata dico *verbo*, id est Filio vel imperio Dei, quod idem est. Et si de sæculis credimus, quod per verbum Dei formata sint (quod tamen nemo vidit hominum) credamus similiter per fidem de rebus nondum apparentibus. Sæcula, inquam, credimus aptata verbo Dei, ita *ut fierent visibilia*, id est res visibiles *ex invisibilibus*, quando enim chaos erat sicut scriptum est : « Tenebræ erant super faciem abyssi (*Gen.* I, 2). » Tenebræ ideo, quia elementa illa videri non poterant, etiamsi tunc esset, qui visum humanum haberet. Sed postquam elementa separata sunt, et creaturis formatis in quamdam spissitudinem coalescendo creverunt, elementa prius invisibilia, jam facta visibilia. Nec mirum si videri non poterant, licet res essent corporeæ, cum humorem illum, qui est in grano seminis, unde culmus et spica pullulat, videre nec discernere possimus, licet in illa massa grani continentur. Vel ita sunt verbo Dei ut fierent visibilia ex invisibilibus, id est secundum invisibilia quæ præcesserant in consilio **403** Dei. Prius enim Deus ab æterno in consilio suo omnium creaturarum formas disposuit, et secundum quod singula in consilio præordinata fuerant, invisibilia adhuc secundum modum illum facta sunt visibilia in tempore formationis singulorum.

Vere senes consecuti sunt testimonium per fidem *Abel* enim *fide*, id est per fidem *obtulit hostiam plurimam*, id est magis acceptabilem Deo *quam* fuerit hostia *Cain*. Hostia Abel grata Deo fuisse cognoscitur, quia agnus quem obtulit igne divino consumptus sit. Hostia Cain reprobatur, quia, non superveniente igne, manipulus frugum quem obtulit integer mansit. *Per quam* fidem Abel justus *consecutus est testimonium* hoc, scilicet *se esse justum*. Ait enim Christus in Evangelio. « A sanguine Abel justi (*Matth.* XXIII, 35), » etc. Moyses autem justitiam Abel commendat, et multi prophetarum. Consecutus est Abel *testimonium Deo perhibente* testimonium *muneribus ejus* sicut præfati sumus, *et per illam* fidem Abel *defunctus loquitur adhuc*, quia facit nos loquentes de fide ejus. *Henoch* etiam *per fidem* quam habuit, *translatus est* ad alias patrias, ideo *ne videret mortem*, *et* translatus *non inveniebatur*, *quia Deus transtulit illum* ; qui si ab homine translatus esset, facile inveniretur. Deus ideo transtulit eum quia *ante translationem* habebat *testimonium placuisse Deo*. Per fidem sic isti placuerunt Deo. *Sine fide autem impossibile est* aliquem *placere Deo*. Vere sine fide nemo placebit Deo ; nam *accedentem*, id est volentem approximare *ad Deum*, *oportet credere quia* Deus unus *est*, *et* quia Deus *sit remunerator inquirentibus se*. Si hoc solum crederent gentiles, quod creator unus esset, et singulis pro eorum actibus retribueret, satis esset illis. *Noe* etiam *accepto responso de his quæ non videbantur adhuc*, id est de diluvio futuro, *metuens* illud diluvium per fidem quam habuit in verbis Domini, *aptavit arcam in salutem domus suæ*, id est in qua salvaret filios suos et filias. *Per quam* fidem, quia secundum verbum Dei futurum credidit diluvium, *damnavit*, id est damnabilem fecit *mundum*. Dum enim Noe credidit, et homines stultum esse crediderunt quod præparabat arcam, in qua salvaret domum suam, comparatione fidei ejus damnati sunt. *Et ipse* Noe *est institutus hæres justitiæ ejus quæ est per fidem*.

Nunc ad patres Judæorum descendit, ostendens in eis et in prioribus omnem justitiam ex fide habuisse originem. Ille etiam *qui* merito fidei nunc *vocatur Abraham*, prius dictus Abram per fidem, *obedivit Deo exire de Ur* Chaldæorum *in locum* illum *quem* merito fidei *accepturus erat in hæreditatem*. Obedivit, inquam, *et exiit* de terra nationis suæ, *nesciens quo iret*. Idem Abraham *per fidem moratus est in terra repromissionis tanquam in aliena*, *habitando* ibidem *in casulis*, id est in tentoriis *cum Isaac et Jacob*, non quod Jacob eodem tempore quo Abraham fuerit, sed quia Jacob eamdem terram sicut Abraham habitavit, inquirens cum patribus suis non illam, sed veram terram repromissionis. Isaac et Jacob dico, *cohæredibus ejusdem repromissionis* ; illis enim frequenter Deus, sicut Abrahæ, repromisit. Abraham ideo habitabat in casulis, *quia exspectabat civitatem habentem fundamenta*, id est stabilitatem æternitatis, cœlestem, scilicet, Hierusalem, *cujus* civitatis *Deus est artifex*, id est arte sua disponens sibi singula ; *et* idem eorum quæ disponit est *conditor* ipsemet fabricans illa. Abraham habitans in casulis ostendebat se non curare Hierusalem terrenam, sed inquirere cœléstem. *Ipsa* etiam *Sara sterilis*, et nonagenaria *per fidem accepit virtutem in conceptione*, id est concipiendi *seminis*. Ipsa dico non solum sterilis, sed *etiam præter tempus ætatis*, quia (sicut dictum est) nonagenaria erat, accepit ideo, *quoniam credidit* Deum *esse fidelem*, id est veracem *qui illi promiserat* semen, *propter quod* quia Deum credidit fidelem, et *ab uno* ventre vel ab uno patre, *et hoc* uno *emortuo* vel ventre, vel patre, *orti sunt* filii *tanquam sidera cœli*, nec secundum **404** claritatem virtutum comparo sideribus, sed eundo *in multitudinem* eorum. Orti sunt etiam *sicut arena*, nec iterum secundum sterilitatem tantum arenæ comparo ; sed *quæ est innumerabilis*, id est secundum innumerabilitatem eorum ; quæ arena est *ad oram maris*, id est juxta littus gentilitatis. Multi enim de filiis Abrahæ virtutibus micuerunt,

ut sidera, multi steriles et infructuosi in littus [*al.*, rituş] gentilium sunt præcipitati. Et *omnes isti*, Abraham, scilicet, Isaac et Jacob, *defuncti sunt*, etiam cum morerentur, existentes *juxta fidem*, id est credentes se accepturos promissa Dei. Defuncti, inquam, sunt, *non acceptis repromissionibus* in vita, *sed aspicientes eas* repromissiones futuras *a longe*, id est in diebus Christi, *et salutantes*, sicut nautæ patriam, quam a longe videntes multum desiderant, *et confitentes* de se *quia* ipsi *sunt super terram peregrini*, semper ad alia transeuntes, *et hospites*, id est aliunde venientes. Ideo et sic confitentes; *qui enim dicunt hæc*, scilicet, se peregrinos esse et hospites, his verbis *significant* se veram *patriam inquirere*.

Diceret aliquis : Inquirebant alienam, quia fortassis ad suam patriam reverti non poterant. Ad hoc Paulus : Hæc dicebant, *et si quidem meminissent illius* patriæ, *de qua exierunt*, volentes illuc reverti, *utique habebant tempus*, id est opportunitatem, *revertendi*. Sed *nunc*, postquam illius non meminerant, *appetunt meliorem* patriam, id est *cœlestem*. Et quia cœlestem appetunt, *ideo Deus non confunditur*, id est non erubescit *vocari Deus eorum :* ut dicatur Deus Abraham, Isaac et Jacob. Ideo Deus eorum vocatur, quia *paravit illis* cœlestem *civitatem. Abraham* iterum *per fidem obtulit Isaac, cum tentaretur;* Deus non tentabat Abraham, quasi qui fidem ejus ignoraret, sed ut ipse Abraham et mundus virtutem suæ fidei cognosceret. Et, ne putaretur Abraham ideò immolare Isaac quia in alio filio implendas expectaret promissiones ait. Et ipse Abraham *qui susceperat repromissiones ad quem dictum est : Quia in Isaac vocabitur tibi semen*, ipse offerebat hunc unigenitum, *arbitrans quia Deus potens est* eum *suscitare a mortuis*, et per eum suscitatum Abrahæ vocari semen. *Unde* quia ita credidit, *accepit eum* filium, et in multiplicationem seminis, *et in parabolam*, id est in figuris Christi. Aries enim, qui inter vepres cornibus hærens repertus est, et Isaac, unum Christum Deum et hominem significabant. Per hoc igitur quod aries quidem est immolatus, Isaac vero morti subtractus, significatum est Christum, secundum carnem, passurum, secundum divinitatem vero, mortis discrimen non esse sensurum. Aries enim immolatus, carnem Christi immolandam; Isaac vero subtractus, divinitatem Christi non lædendam per passionem præfiguravit. *Isaac* etiam *benedixit Jacob et Esau*, habita fide et de illis, quomodo major serviret minori, et de futuris, quorum typum gerebant, scilicet, quomodo primogenitus Judaicus populus primogenita sua (cultum scilicet Dei) desereret, et minor, gentilis sibi usurparit. *Jacob* in Ægypto *moriens*, per fidem *benedixit singulos filiorum Joseph*, scilicet Manassem et Ephraim, *et adoravit fastigium virgæ ejus* Joseph, qui secundus a rege Ægypti sceptrum gerebat, in signum suæ dignitatis, adoravit fastigium virgæ, id est Christum, per Joseph figuratum, cui virga æquitatis virga est regni sui (*Psal.* XLIV, 7). *Joseph moriens fide*, id est per fidem, *memoratus de profectione filiorum Israel*, quod profecturi essent de Ægypto, *et* hoc memorans, *mandavit de ossibus suis*, ut deferrentur ad sepulturam Abrahæ, confidens et resurrecturos esse cum Christo illos quibus facta erat repromissio, si corpora eorum invenirentur in terra repromissionis.

Moyses natus per fidem, quia crediderunt parentes hunc magnum futurum, videntes ejus elegantiam, *occultatus est tribus mensibus a parentibus* **405** *suis, eo quod vidissent infantem elegantem, et non timuerunt edictum regis*, qui omnem masculum in pueris Hebræorum jusserat interfici. *Moyses* etiam *grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis per fidem, eligens magis affligi cum populo Dei quam habere jucunditatem temporalis peccati, et improperium Christi*, quod in se patiente pro Christo præfigurabat, *existimans esse divitias majores omni thesauro Ægyptiorum*. Ideo sic existimans *quia aspiciebat in remunerationem* futuram, non in laborem præsentem vel jucunditatem. Moyses *per fidem reliquit Ægyptum*, educens inde populum Judæorum, *non veritus animositatem regis Ægyptiorum*. Ideo non veritus *quia sustinuit invisibilem*, id est exspectavit Deum, quem videre non poterat, *tanquam* corporaliter eum *videns*, adhibens fidem sermonibus Dei. Idem Moyses *celebravit Pascha effusione sanguinis* agni *per fidem*, ideo, *ne qui vastabat primogenita* Ægypti *tangeret Judæos*. Fidem habuit in sanguine agni, quod per virtutem agni innocentiæ (id est Christi quem præfigurabat) posset salvari. Filii Israel per *fidem transierunt mare Rubrum tanquam per aridam terram*. Et ne quis dicat hoc fuisse casum, *quod* scilicet transire mare *Ægyptii experti, devorati sunt. Muri Jericho per fidem corruerunt circuitu septem dierum. Raab meretrix excipiens exploratores* Judæorum *cum pace, non periit cum incredulis*, propter fidem qua credidit quod Deus traderet urbem in manus Judæorum.

Multa de laude fidei dixi, *et quid adhuc* amplius *dicam? tempus enim* (si exsequar omnia de fide) *deficiet*, id est deseret me *enarrantem de Gedeon*, qui vellus in area posuit ; de *Barac*, qui fide populum liberavit; de *Samson*, qui per fidem multa operatus est; de *Jephte*, qui dux populi liberavit populum, licet stulto voto filiam immolaverit ; de his quatuor in libro Judicum plenius invenitur ; de *David* etiam, qui multa per fidem fecit, et de *Samuele*, *et* aliis *prophetis, qui vicerunt regna*, id est reges superaverunt *per fidem*, qui etiam *operati sunt justitiam* per fidem ; *adepti sunt repromissas beatitudines* per fidem ; *obturaverunt ora leonum* per fidem, ut Daniel ; *exstinxerunt impetum ignis*, ut tres pueri ; *effugarunt aciem gladii*, ut Judas Machabæus ; *convaluerunt de infirmitate*, ut Ezechias ; *fortes facti sunt in bello* complures ; *everterunt castra exterorum*, illis fugatis ; *mulieres acceperunt mortuos suos de resurrectione* venientes, ut vidua Sareptana per Eliam filium uni-

cum, et Sunanimitis per Elisæum. *Alii autem distenti sunt* in eculeis, ut septem Machabæi, *non suscipientes redemptionem*, id est nolentes a tormentis redimi, *ut* merito passionum *invenirent meliorem resurrectionem*. Quanto enim magis quis patitur, tanto melius coronabitur. *Alii vero sunt experti ludibria, et verbera, insuper, et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt*, ut Isaias; *tentati sunt*, an timore pœnæ negarent fidem; *mortui sunt in occisione gladii; circumierunt* fugiendo hac illac *in melotis*. Melota est (ut aiunt) vestimentum de pilis camelorum. Vel melus animal est quod dicitur taxo, et a melo melota dicitur. Circumierunt etiam *in pellibus caprinis, egentes* temporalibus, *angustiati* animo, *afflicti* corpore, *quibus* sanctis *mundus non erat dignus*, ut tales haberet, vel quibus dignus non erat mundus, secundum verba impiorum dicentium: Hi tales inquinamentum mundi sunt, purgetur mundus ab illis. *Errantes in solitudinibus* ut Matathias, et qui cum eo erant, et *in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ*. Speluncæ naturales foveæ sunt. Cavernæ, arte cavatæ. *Et hi omnes probati testimonio fidei, non acceperunt repromissionem*, id est repromissam hæreditatem, *Deo providente aliquid melius pro nobis*, scilicet *ut* priores sancti *non consummarentur* in perfectione jucunditatis *sine nobis*. Si enim sine **406** incarnato Christo acciperent illi æternam beatitudinem, Christus non incarnaretur, quia frustra, cum alio modo salus existeret, et sic priores sancti salvarentur sine nobis.

CAPUT XII.

« Ideoque et nos, tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, respicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes, et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quia si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos. Num [non] multo magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus? Et illi quidam in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam, erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum patientissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret; magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi. Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva [*al.*, primogenita] sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubæ sonum, et vocem verborum; quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritum [spiritus *vel* spirituum] justorum perfectorum, et Testamenti Novi mediatorem Jesum; et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cœlis loquentem nobis advertimus, cujus vox movit terram tunc; nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et cœlum. Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem, tanquam factorum [facturam] ut maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus [habeamus] gratiam, per quam serviamus, placentes Deo cum metu et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. »

EXPOSITIO.

Adductis tot commendationibus fidei, infert ex omnibus: Quandoquidem fides tot testimoniis commendabilis est, *ideo* sicut priores, ita *et nos habentes tantam nubem testium*, commendantium fidem impositam nobis. Nubem ideo dicit, quia sicut nubes ab æstu protegit et pluvia, sic præfatorum sanctorum exempla muniunt nos contra irruentia **407** mala. Nos etiam sicut illi *deponentes* per pœnitentiam *omne pondus* peccati quod perpetravimus, deponentes etiam *peccatum nos circumstans* undique, id est omnem pravam suggestionem *per patientiam curramus*, non reflexi a bono *certamen propositum nobis*, non enim ad blanditias vocati sumus, sed ad tolerandos labores. Curramus, inquam, imitando *aspicientes in Jesum auctorem fidei* nostræ, id est qui

nos consummabit in gloria, si fides nostra perduret integra. *Qui* Jesus *sustinuit crucem, contempta* non tantum acerbitate, sed etiam *confusione*, id est erubescentia de ignominioso genere mortis. Sustinuit, inquam, *gaudio proposito sibi* in gloria merito passionis. Vel, proposito sibi terreno gaudio, id est terrenis facultatibus propositis sibi a crucifixoribus suis, si vellet se diffiteri Filium Dei. Atque ideo quia crucem sustinuit, confusionem contempsit, *sedet in dextera sedis*, id est in æqualitate sedentis Dei Patris. Curramus propositum certamen imitantes Jesum, qui contempta confusione sustinuit crucem; eum, inquam, aspicite crucem in morte sustinentem; *recogitate* etiam *eumdem* Jesum *qui sustinuit contradictionem*, ut sicut in morte, sic etiam imitemini eum in patienda contradictione. Quidquid adversitatis tulit Jesus usque ad horam passionis significat hic per contradictionem. Vel si habetur *enim*, ita jungatur. Debetis aspicere Jesum sustinentem crucem, nam etiam hoc quod in Christo minus est, scilicet contradictionem quam sustinuit, recogitate, id est frequenter debetis mandare memoriæ. Quod ita ait : Recogitate Jesum qui sustinuit contradictionem talem, id est adeo contemptibilem et difficilem, quodque magis potuit gravare eum, ipse qui peccatum non novit, illatam sibi a peccatoribus sustinuit, non adversus Petrum, vel quemlibet discipulorum, sed *adversus semetipsum*. Recogitate, inquam, hanc contradictionem, ad hoc, *ut memores* ejus *non fatigemini*, id est ne sitis fessi patiendo adversa, vel si fatigamini corpore, ne fatigemini in *animis vestris*, sed carne infirma spiritus tamen prompti sint. Si enim tanta sit contradictio ut fatigentur animi, sicut idem Paulus de se ait : « Gravati sumus supra modum, ita ut tædeat nos vivere (*II Cor.* I, 8) ; » non tamen deficientes, sicut nec Paulus defecit, licet fatigatus esset animus. Deficerent, si timore tribulationum fidem negarent, debetis utique sine fatigatione et defectu sustinere, *quia* et si *restitistis, nondum* tamen *usque ad sanguinem*, id est nondum effusus est sanguis vester, quod si oportet, pro fide patiendum est.

Nondum usque ad effundendum sanguinem restitistis, vos tamen *repugnantes adversus peccatum;* ita dicens in altero laudat eos quia repugnaverunt. In altero ostendit adhuc posse ascendere, scilicet ad effusionem sanguinis. Repugnantes, inquam, adversus peccatum ne locum haberet in vobis. Dum enim impiis consentire renuitis, contra peccatum statis, quibus si consentiretis, peccatum statim locum haberet in vobis. Repugnastis olim adversus peccatum, *et* nunc quare *obliti estis consolationis*, id est divinitatis vós in tribulatione consolantis? *quæ* divina consolatio *loquitur nobis* non *tanquam* alienis, sed tanquam *filiis*, quos fovere intendit dicens in Salomone (*Prov.* III, 4) : O tu *fili mi, noli negligere disciplinam*, id est persecutiones et verbera quæ sunt disciplina. In his enim homo addiscit quanta sit fragilitas sua, et quam parum viribus suis possit, nisi præsto sit gratia Dei. Disciplinam dico non persecutorum, sed *Domini;* ipsi enim nihil possunt nisi ex permissione Dei, hoc modo purgare filios suos volentis. Noli negligere disciplinam, *neque fatigeris*, id est ne fessus refugias pati *dum argueris*, id est reus esse convinceris *a Deo* per hanc disciplinam indulgente tibi. Per hanc etiam disciplinam, homo et fragilitatem suam cognoscit, et (si patienter sustineat) indulgentiam promeretur de peccatis. **408** Non debes fatigari dum argueris, *eum enim quem diligit Dominus castigat*, id est in castitate et continentia vitiorum per disciplinam agit; illum quem diligit, castigat, *omnem autem filium quem recipit*, priusquam recipiat, *flagellat*. Licet enim peccata dimittat, nulli tamen pœna remittitur, quin vel in hac vita, vel in futura solvatur, vel ab ipso homine spontanea voluntate, quod opus acceptius est, vel alio sibi inferente. Sicut per origiuale probare possumus, quod quidem in baptismo dimittitur, pœna tamen ejus peccati (mortalitas scilicet et passibilitas) relinquitur. Et quando quidem disciplina Domini adeo commendabilis est, igitur *perseverate in disciplina*, id est in patientia tribulationum, in qua utique perseverare debetis; *Deus enim offert se vobis* in tribulationibus adjutorem *tanquam filiis*. Bene dico tanquam filiis, quia *quis* est *filius quem non corripiat pater?* Deus utique filium non habebit incorrectum. Filius non erit nisi qui corripitur. *Quod si*, id est si vero vos *estis extra disciplinam*, quod subtrahatis vos a disciplina Domini, *cujus* disciplinæ *participes facti sunt omnes* filii Dei. Si, inquam, extra disciplinam estis, *ergo* non estis filii legitimi, sed *estis* filii *adulteri*, id est adulterini quibus pater non adhibet pædagogos, quia eos non curat. Vel estis filii adulteri, id est diaboli, adulterantes vos.

Probavit per testimonia Scripturæ, debere eos perseverare in disciplina; nunc rationibus humanæ consuetudinis idem approbat, quasi diceret : Quia in disciplina perseverandum nobis sit, per auctoritates ostendi, deinde post testimonia Scripturarum, humanæ consuetudinis rationes induco, ad idem probandum. Nos *quidem* habuimus *patres* non animarum, sed *carnis nostræ :* lineam enim carnis ab ipsis traximus, et carni nostræ a carne parentum derivatæ Deus animam contulit. Hos autem patres *habuimus eruditores, et reverebamur*, honorem eis exhibendo timebamus *eos*. Revereri enim est, cum timore honorem impendere. Et si patres carnis reverebamur, *nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum*, id est Deo qui dat animas longe corpore digniores? cui obtemperantes *vivemus* in æternum quod patres carnis nec sibi nec nobis conferre queunt? Patri utique spirituum magis obtemperandum est quia *illi quidem* patres carnis *in tempore paucorum dierum erudiebant nos secundum voluntatem suam*, hic ad grammaticam, ille ad fabrilem artem, plerumque ad inutilia. *Hic autem* Pater spirituum, *ad id quod* pro certo *utile est*, erudit nos per

disciplinam *in recipiendo sanctificationem ejus*, id est patientiam et cæteras virtutes, positione quarum suos sanctificat. Quia illi possent objicere, dicentes : Quis potest pati hujusmodi disciplinam, in qua semper mœror, nunquam gaudium? ipse idem ut solvat objicit sibi, dicens : Ego quidem commendo vobis patientiam disciplinæ, sed tamen confiteor quod *omnis disciplina in præsenti tempore quidem videtur*, his qui superficiem rei tantum aspiciunt, *non esse gaudii, sed* solummodo *mœroris*. Mœror enim hic semper est, nunquam gaudium. Nunc solutionem subdit, videtur quidem in præsenti esse mœroris, *sed postea*, id est in futuro *exercitatis per eam* disciplinam, non adulterinis extrapositis *reddet* Deus *fructum justitiæ*. Fructum dico non sicut fructus est mundi, qui nunquam est in tranquillitate, sed fructum *pacatissimum*, id est in omni quiete possidendum. *Propter quod*, quia exercitatis per disciplinam adeo fructuosa erit justitia sua, *erigite* ideo *remissas manus*, id est operationes charitatis, prius intensas, modo dissolutas. Erigite etiam *genua soluta*, id est fortitudinem prius habitam, nunc timore disciplinæ resolutam. Ideo per genua soluta, amissionem virtutis significat quia in genibus prius apparet tremor, si fuerint dissoluta; erectio si fuerint confortata. Erigite genua *et facite pedibus*, id est affectionibus vestræ fidei, *rectos gressus*. Primus gressus fidei est, confiteri; deinde, si necesse sit, pati: ita rectos facite *ut non erret aliquis* vestrum recedens *a via* fidei, nec saltem sit *claudicans* in via; posset enim fidem tenere, sane credens, **409** et claudicare in ea, si timeret confiteri. Et pro assertione fidei non erret aliquis, *sed magis sanetur* ab errore, si forte erraverit. Ut autem recti sint gressus vestri, *sequimini pacem cum omnibus*, etiam cum inimicis. Sequimini etiam *sanctimoniam*, id est omnem sanctitatem, *sine qua* pace et sanctimonia *nemo videbit Deum*.

Quomodo sanctimonia sequenda sit, insinuat, dicens : Sequimini sanctimoniam, *contemplantes ne quis* vestrum *desit gratiæ Dei;* gratia enim Dei parata est vobis, videte ne repellatis eam; contemplantes etiam *ne aliqua radix*, id est suggestio peccati, Radix dico *amaritudinis*, licet quidam putent esse dulcedinis, videte, inquam, ne radix hujusmodi *impediat* vos, *germinans sursum*, id est prorumpens in actum peccati. Tunc enim suggestio sursum germinat, cum quod male suadet per actum consummat. Videte ne qua radix sic vos impediat, *et per illam* sursum germinantem *inquinentur multi*, proniores ad imitationem turpitudinis, quam honestatis. Contemplantes etiam *ne quis* vestrum sit *fornicator aut profanus*, cultum Dei deserens, *sicut* fuit *Esau, qui propter unam escam* lenticularum *vendidit primogenita sua* fratri suo Jacob. De fornicatione Esau non alibi invenimus. Vel si allegoriæ insistimus, dicamus ita ne sit quis fornicator in cultu Dei. Fornicatores erant qui fidei Christi necessariam esse circumcisionem credebant; aut, ne quis sit profanus, fidem penitus deserens. Ne sitis sicut Esau, putantes vos infructuosa pœnitentia damnationem evadere, quia *scitote hoc* de Esau, *quod et* ante venditionem, *et postea cupiens hæreditare benedictionem* primogeniti, *reprobatus est*, et si non a patre, tamen a Deo. Vere reprobatus, *non enim invenit locum pœnitentiæ;* pœnituit quidem se vendidisse primitiva, sed hæc pœnitentia locum opportunitatis non habuit, *quanquam inquisisset eam* pœnitentiam cum lacrymis. Si enim lacrymaretur confitendo peccatum, et puniendo iniquitatem suam, locum haberet ejus pœnitentia, sed quia in ipsis lacrymis indignabatur de electione fratris, cogitans interficere fratrem, si posset, ideo locus pœnitentiæ ipsi negatus est. Debetis pacem et sanctimoniam sequi. Videte ne amaritudinis radix germinet in vobis, etc., quia non accessistis ad legem importabilem et terribilem eam facienti et inutilem, sicut prior lex, sed accessistis ad legem multa facilitate jucundam, ad gratiam adjutricem, ad cœlestium repromissionem. Quod diffuse ait sic incipiens : *non accessistis ad ignem tractabilem et accessibilem*. In datione enim veteris legis ignis fuit corporeus, si pateretur Deus qui posset tractari humanis manibus, et ad quem possibile esset accedere. *Nec* accessistis *ad turbinem, et caliginem, et procellam*. Turbo enim, id est ventorum commotio ibi fuit, et tenebrosa caligo et procella. Ventis enim percellentibus se invicem, contusio erat grandinis. *Nec ad sonum tubæ, et vocem verborum;* clangor enim tubarum et vocalia verba ibidem audita sunt, *quam* vocem Judæi *qui audierunt, excusaverunt se*, obtendentes fragilitatem suam, *ne fieret eis verbum*, id est ne Dominus loqueretur eis, sed Moysi, et Moyses illis : ideo sic se excusaverunt *quia non portabant*, id est non poterant portare illud *quod dicebatur eis*. Deus ideo in tanta asperitate terroris legem dabat eis, quia sciebat per lenitatem dilectionis nil boni eos operaturos, et ideo quasi servos per supplicia cogendos. Præsignabatur etiam in tanta multiplicitate terrorum eos nunquam posse portare legem illam.

Et dictum erat in acceptione legis, quia si bestia tetigerit montem illum, in quo dabatur lex, lapidabitur (*Exod.* xix, 12). Vel secundum quosdam ex judicio, vel secundum alios ex grandinis confusione. Hæc omnia per oppositum figurabant dationem novæ legis. Nos enim accipiendo gratiam, accessimus ad ignem, id est ad ardorem Spiritus sancti, nec tractabilem, nec accessibilem, sed spiritualem. Sonus tubæ qui **410** fuit ibi, suggestionem significavit, quæ sic ad actum peccati, ut tuba provocat ad bellum. Quanto magis enim Judæis prohibebatur, tanto ardentius ruebant in vetitum. Ibi iterum fuit turbo, id est commotio suggestionum, actus scilicet peccati. In nova gratia et suggestio, et actus peccati removetur. Ibi iterum fuit procella, id est contusio grandinis, scilicet consuetudo peccandi. Fuit iterum caligo, id est excæcatio, ex consuetudine peccandi procedens. In gratia ista et consuetudo peccandi remota est et omnis cæcitas illuminata; ibi fuit vox

verborum, quam audire potuerunt. Hic inspiratio interius, quam qui prælibat, multo desiderio currit ut comprehendat. Illi non portabant quod dicebatur. Onus autem hujus leve, et jugum suave est (*Matth.*, XI, 30). Ibi dictum fuit : Si bestia tetigerit montem lapidabitur (*Exod.* XIX, 12), quia hic si quis bestialis vitæ, et intellectus posuerit os suum blasphemando in montem, id est in divinitatem, lapidabitur, contusus potentia deitatis, et eo quod adeo terribile erat quod videbatur, ita dixit ipse Moyses : *Exterritus sum* animo, *et tremebundus* corpore. Ad legem terroris et inutilem non accessistis, sed *ad Sion*, id est ad vitam speculativam. Sion dico *montem*, id est altitudine virtutum eminentem, *et ad civitatem Dei viventis*, id est civibus suis vitam æternam dantis, scilicet ad cœlestem Hierusalem, *et ad frequentiam multorum millium angelorum*, ut cum eis in gloriaDei personetis, *et ad Ecclesiam primitivorum*, id est patriarcharum et prophetarum, *qui conscripti sunt* senatores *in cœlis*, *et* ad *Deum* Patrem *omnium judicem*, et ad *spiritus justorum et perfectorum*, id est quos Spiritus sanctus justos facit et perfectos, propter diversitates donorum. Sicut Joannes solet, pluraliter ait Spiritus. *Et* accessistis *ad Jesum datorem Novi Testamenti*. Vel ita dicamus ad Dominum omnium, et ad Deum spirituum, id est animarum justorum perfectorum.

Accessistis etiam *ad aspersionem sanguinis*, id est ad sanguinem Christi, quo aspersi mundati estis. Sanguinem Christi dico *loquentem melius quam* sanguinem *Abel* de quo scriptum est : « Sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra (*Gen.* IV, 10); » ideo melius quia sanguis Abel ultionem, sanguis Christi clamat remissionem. Et quia sanguis Christi loquitur pro vobis, *videte* itaque *ne* male agendo, *recusetis* illum *loquentem* pro vobis quia malo vestro, si recusatis. *Si enim illi recusantes eum qui loquebatur super terram*, id est Moysen, vel angelum, *non effugerunt* ultionem, *multo magis nos* non effugiemus *qui avertimus* Deum *loquentem nobis*, non de terra, sed *de cœlis*. *Vox cujus* loquentis, *tunc* in datione veteris legis *terram movit*, *nunc autem repromittit in* Aggæo, *dicens : Adhuc semel;* adhuc ideo, quia jam moverat terram, *Ego movebo*, *non solum terram*, quam olim movi, *sed etiam cœlum* (*Agg.* II, 7), mutabilem eorum transferens in immutabilitatem. Nunc Paulus exponit : *Quod autem dicit* propheta *adhuc et semel*, per adhuc *declarat translationem mobilium*. Translata enim elementa, de mobilitate fient immobilia. Translationem dico mobilium *tanquam factorum*, id est sicut eorum quæ fecit. Qui enim ea de nihilo fecit, facta levius transferre potuit. Semel dicit *ut* translatione facta *ea maneant immobilia*, quæ modo sunt mobilia. Et quandoquidem omnia in immobilitatem transferentur, *itaque* nos *suscipientes regnum immobile*, id est nos in immobilibus regnaturi, *habemus* aliquam *gratiam in* nobis a Deo præmissam. Nisi enim præcederet in nobis aliqua gratia Dei, non susciperemur ab eo in immobilitate regnaturi. Vel ita, quia translata manebunt omnia immobilia, itaque nos qui tunc erimus suscipientes regnum illud immobile, habeamus aliquam gratiam, *per quam placentes Deo serviamus ei*, *cum metu* animi *et reverentia*, id est timore corporis et exhibitione honoris. Necesse est enim ut serviamus Deo cum metu et reverentia; *etenim Deus noster est ignis consumens*, id est excoquens **411** omnis peccati rubiginem, et ideo necesse est ut purgatos inveniat non purgandos.

CAPUT XIII.

« Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem vestrum Timotheum dimissum, cum quo si celerius venerit, videbo vos. Salutate

« omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Sa-
« lutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus
« vobis. Amen. »

EXPOSITIO.

Cum metu et reverentia servite Deo. *Charitas* etiam perseveranter *maneat in vobis*. Charitas dico *fraternitatis*, quam fraternitas reposcit. Hoc enim quod fratres estis exigit ut vos invicem diligatis; *et nolite oblivisci hospitalitatem*, quæ est pars charitatis, in qua olim valuistis. Per hoc quod ait, nolite oblivisci, signat eos prius devotos in hospitalitate, nunc remissos esse. Ideo sectanda est hospitalitas, *quia per hanc* virtutem *placuerunt quidam Deo*, ut Abraham et Lot, quos Deus inde significavit sibi placuisse, angelis receptis hospitio. Ideo enim angelos suos immisit, quasi hospites, ut per hoc hospitalitatem gratam sibi esse cognoscerent. Charitas maneat in vobis. *Mementote* etiam *vinctorum*, id est his ministrate, qui in vinculis opprimuntur, *tanquam simul vincti*, id est memores vos simul esse vinctos, quia si illi in carcere, vos vincti molestia carnis. Vel ita: Mementote vinctorum tanquam simul vincti, id est sicut velletis reminisci vestri, si similiter in vinculis essetis. Mementote etiam *laborantium* quocunque genere mundanæ miseriæ *tanquam et ipsi* laborantes sitis; quod idem ait **412** tanquam *morantes in corpore*. Quicunque enim premitur onere carnis, nunquam expers est ærumnæ et laboris. Sit etiam *in omnibus* vobis *honorabile connubium*; hic removet fornicationem. Et conjugiis celebratis sit *torus immaculatus*; hic adulterium abdicat. Ideo moneo connubia, castitatem tori, removendo fornicationem et adulterium, *quia Deus judicabit*, id est damnabit *fornicatores et adulteros*; non quod homicidia et reliqua mala judicare non debeat, sed nunc de his duobus tantum sermo erat. *Mores* etiam *vestri sint sine avaritia*, ut non concupiscatis superflua. Vos dico *contenti præsentibus*; Dei enim est providere de crastinis. Debetis esse sine avaritia. *Ipse enim* Deus *dixit* ad Josue, et per eum ad omnem fidelem. O tu Josue, seu quicunque fidelis, ego *non deseram te* penitus abjectum, *neque* saltem aliqua hora *derelinquam* te inadjutum; Deus hoc dixit *ita, ut* supra hoc quod prius diximus: nos scilicet contentos esse præsentibus, nunc *confidenter dicamus: Dominus est mihi adjutor, et ideo non timebo quid faciat mihi homo*, etiam si tollat præsentia.

Mementote etiam præpositorum vestrorum, ut ejus conformemini, *qui locuti sunt vobis verbum Dei quorum exitum*, id est finem bonum esse *intuentes*. Exitum dico *conversationis*, id est bonæ operationis in qua conversantur. *Imitamini* primum *fidem* eorum, ut sic bona conversatio et bonus exitus similiter sit in vobis. Dicerent illi: Non possumus perfectionem eorum sequi, quia ipsi, ab ipso Christo edocti, habuere majorem affluentiam gratiæ quam nos possimus habere. Ad hoc Paulus: Bene, inquit, imitari potestis; *Jesus Christus* enim qui fuit *heri*, quantum ad illos, *hodie* etiam est paratus in eodem quantum ad vos; *ipse etiam* præsens erit *in* omnia *sæcula* sperantibus in se, quibus ait: « Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). » Imitamini fidem præpositorum. sequentes doctrinam eorum. Et *doctrinis variis*, quæ nunc unum nunc aliud asserunt, *et peregrinis*, id est extraneis aliunde quam a nobis procedentibus; his, inquam, doctrinis *nolite abduci* ab eo quod a nobis accepistis. Erant enim quidam seductores, qui dogmatizabant, ex eo quod Paulus omnes cibos mundos esse et sanctificatos a Deo dixerat, ut quanto magis ingurgitarent ventrem opulentia escarum, tanto magis essent grati Deo, qui omnes cibos sanctificaverat ad edendum. Inde ait: Nolite hujusmodi doctrinis abduci, *quia optimum est*, non corpus, sed cor stabiliri et confirmari *gratia*, id est ex libertate quam Deus intulit nobis in usu omnium, *quam* stabiliri *escis*, id est multiplicatione voluptatis, *quæ* escæ *non profuerunt ambulantibus in* voluptatibus, et supra modum locum dantibus *eis*. Escis utique non debemus cor stabilire, quia *habemus altare*, id est corpus Christi, quod in altari consecratur; supra quod principatum a nobis vota et orationes Deo offerimus. *De quo* altari, *id* est corpore Christi *non habent potestatem edere quicunque deserviunt tabernaculo*, id est corporis voluptatibus; sic enim ad horam mansuri sumus in corpore, sicut miles in tabernaculo militari. Probat duplici auctoritate veteris primum, deinde novæ legis, eumdem sensum in utraque colligens auctoritate quod promisit, dicens: Vere qui deserviunt tabernaculo voluptatis, non habent facultatem edere de hoc altari, qui non sunt extra castra, id est quia secundum dimissiones voluptatum non exeunt corpora sua. Quod ita ait: *Eorum animalium quorum sanguis infertur per pontificem in Sancta* sanctorum *pro peccato* populi delendo, et hoc semel in anno. *Horum* animalium *corpora cremantur extra castra*. Mos erat (sicut sæpe fati sumus) ut pontifex legalis semel in anno sanguinem inferret in Sancta sanctorum. Hic autem sanguis assumebatur de **413** animalibus, extra castra crematis. Pontifex autem ille Christus est, qui pro peccato omnium delendo sanguinem suum in cruce fusum intulit in Sancta sanctorum. Quod autem illud animal cremebatur ut cinis fieret, signum erat contritionis Christi, quam sustinuit, cinis cujus, id est memoria passionis debet aspergi super capita, id est in mentibus singulorum. Quod extra castra cremebatur, significabat omnem volentem mundari oportere, ut exeat extra castra id est carnales voluptates.

Nunc subjungit Novi Testamenti auctoritatem idem cum Veteri sentientem dicens: *Propter quod* comprobandum scilicet, quod qui tabernaculo deserviunt, non habent edere de hoc altari, vel propter quod præfiguratum in Veteri, nunc implendum. *Jesus* etiam *passus est extra portam*, significans participantes altari suo debere fieri extra portam, id

est extra sensus voluptatis. Sensus enim portæ sunt animæ, quia per oculos ducitur ad concupiscendum quod videt, et sic per cæteros sensus. Jesus passus est extra portam, ideo *ut per proprium sanguinem sanctificaret populum.* Quia Jesus extra portam passus est, *igitur exeamus ad eum*, positi *extra castra*, id est extra voluptates tabernaculi; nec hoc solum, sed etiam *portantes* (si necesse fuerit) *improperium ejus*, id est mortem crucis. Et utique sic debemus exire, quia etiam si volumus hic manere, *non habemus hic manentem civitatem, sed inquirimus futuram*, id est æternam. Et quandoquidem futuram inquirimus, ergo ut apprehendamus eam, *offeramus per ipsum Jesum hostias laudis*, id est laudes non minus quam hostiæ promerentes *Deo*, et hoc *semper*. Et quod dico hostias laudis, est dicere : Offeramus *fructum labiorum*. Per labiorum, facilitatem, per fructum designat utilitatem. Labiorum dico *confitentium nomini*, id est gloriæ *ejus*. Offeramus laudes. *Beneficentiæ autem*, id est largitatis eleemosynarum *et communionis* (postquam non propria, sed communia dicebatis) *nolite oblivisci*. Nec debetis oblivisci, *quia talibus hostiis*, id est per beneficentiam et communionem. *Deus promeretur* in passiva significatione. Ut autem horum memores sitis, *obedite præpositis vestris*, qui perfecti sunt, et bene vos instruunt, *et subjacete eis*, id est obedite, ut omnem subjectionem verbo et opere exhibeatis illis. Debetis utique subjacere eis, *quia ipsi pervigilant pro vobis, quasi* illi qui *reddituri* sunt *rationes pro animabus vestris*, sibi commissis. Et ideo sic subjacete eis, *ut faciant hæc*, id est pervigilant pro vobis *cum gaudio, et non gementes*, pro duritia et intemperantia vestra. Dico non gementes; *non enim expedit vobis hoc*, ut eos gemere faciatis. Obedite præpositis et *orate pro nobis*. Dicerent illi : Tu gentem nostram et ritus nostros persequeris, et quomodo dicis, orate pro nobis? Ad hoc Paulus : Orare pro nobis debetis. *Nos enim confidimus*, id est confidenter vobis dicimus *quod habemus bonam conscientiam in omnibus*, id est ad omnes *volentes bene conversari* ad illos. Ubi autem conscientia pura est, et opus mundum est, ne ergo molesti sitis mihi.

Dixit superius orate pro nobis; nunc *autem deprecor vos amplius hoc facere*, id est orare pro nobis instantius, *quo*, id est eo ut *restituar vobis celerius*, deferens mecum fructus eleemosynarum, si forte solvar a vinculis. Dico orate pro nobis, ego autem sic oro pro vobis. *Deus pacis* aptet vos in omni bono, *qui* Deus *eduxit Dominum nostrum Jesum Christum de mortuis*, id est a numero mortuorum. Jesum dico *Pastorem magnum*, id est super omnia magnificatum. Pastorem dico non luporum, sed *ovium*, id est mansuetorum. Pastorem dico factum *in sanguine*, id est per oblationem sanguinis sui. Sanguinem dico confirmatorem *testamenti æterni*, id est in æternum duraturi. Hic, inquam, Deus *aptet vos in omni bono*. Aptatos eos intelligit, si bona voluntas in eis fuerit. Aptet ita, *ut faciatis voluntatem ejus* Dei, nec viribus vestris, sed ita faciatis 414 ut ipse sit *faciens in vobis* hoc *quod placeat coram se*, id est in beneplacito ejus, faciens dico *per Jesum Christum, qui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Quia aliquantulum asperius correxerat illos, nunc blanditur eis, ne moveantur visa asperitate verborum, dicens : Deus sic aptet vos, ego *autem, fratres, rogo vos, ut* hoc *verbum* non reprehensionis (ut forte aliquî de vobis existimant), sed Epistolam *solatii sufferatis*, id est in omni patientia suscipiatis. Et potestis satis sufferre, *quia scripsi vobis perpaucis*. Hic significat eos impatientes, quibus multo plura scripsisset, si patienter audituros cognosceret. Sufferte verbum *et fratrem vestrum Timotheum a* me *dimissum* ad vos, vel a vinculis quibus ligatus mecum erat, nunc dimissum. Eum, inquam, delatorem hujus Epistolæ, *cognoscite*, id est honorifice et cum omni charitate suscipite, *cum quo videbo vos*, sicut autumo, *si celerius* revertens a vobis, *venerit* ad me. *Salutate omnes præpositos vestros.* Ipsis enim, quia perfecti erant, non scribebat Epistolam, sed quibusdam subditorum incorrectis. Salutate *etiam omnes sanctos* in Ecclesia vestra. Erant enim quidam subditorum perfecti, quibus similiter non scribebat. *Salutant vos fratres de Italia. Gratia* Dei *cum omnibus vobis. Amen.* Signum Pauli quod Epistola ipsius esset.

EPISTOLA B. PAULI AD LAODICENSES,

Nuper in antiqua bibliotheca inventa :

Sed quia inter catholicas vulgo non legitur, non est a B. Brunone elucidata.

Paulus, apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, fratribus qui sunt Laodiciæ. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratias ago Christo per omnem orationem meam, eo quod permanentes estis in eo, et perseverantes in operibus bonis, promissum exspectantes in die judicii. Neque destituant vos quorumdam vaniloquia insinuantium, ut vos avertant a veritate Evangelii, quod a me prædicatur. Et nunc faciet Deus ut qui sunt ex me ad profectum veritatis Evangelii, deservientes sint, et facientes benignitates operum quæ sunt salutis vitæ æternæ. Et nunc palam sunt vincula mea, quæ patior in Christo, quibus lætor et gaudeo, et hoc mihi factum est ad salutem perpetuam, quod ipsum factum orationibus vestris, et administrante Spiritu sancto, sive per vitam, sive per

mortem. Est enim mihi vivere, vita in Christo, et mori gaudium (vel lucrum). Et ipse in vobis faciet misericordiam suam, ut eamdem dilectionem habeatis et sitis unanimes. Ergo, dilectissimi, ut audistis præsentiam Domini, ita retinete et facite in timore Dei, et erit vobis vita in æternum. Est enim Deus qui operatur in vobis, et facite sine retractu vel peccato quæcunque facitis. Et quod est optimum, dilectissimi, gaudete in Christo, et præcavete sordidos omnes in A *lucro. Omnes sint petitiones vestræ palam apud Deum, et estote firmi in sensu Christi, et quæ integra, et vera, et pudica, et casta, et justa, et amabilia sunt, facite. Et quæ audistis et accepistis, in corde retinete, et erit vobis pax. Salutate omnes fratres in osculo sancto. Salutant vos sancti omnes. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Et hanc facite legi Colossensibus, et Colossensium vobis.*

FINIS EPISTOLARUM B. PAULI APOSTOLI.

---

415 HECATOSTICHON APOLOGETICUM D. JACOBI HIERONYMI

CARTHUSIÆ PARISIENSIS ALUMNI,

Quo Phrasin B. Baunonis, quæ nasutis humilior videatur a calumnia defendit, et sententiarum pondera lance justa appendit.

Quis novus harmonico mulcens stridore lyristes
Allobrogum longi saxa nivosa jugi
Transiliens colles, saliens in montibus? O quam
Per cœlum auritas omne moratur aves,
Ore senem, cultu macieque professus eremum,
Et nihil agresti pectine agreste sonans!
Frons erecta polo est, pedibus calcantur honores,
Septenum in capitis vertice sidus inest.
Deliciis mollique toro nemo arguet usum,
Nec quidquam a studiis et pietate vacans.
Non aurum digiti, nec habet lyra dia smaragdos,
Nec fucum allophylum sancta camena petit.
Nec sibi calvitiem sacra veridicentia texit,
Nec calami stratas captat ab arte comas.
Alter an Amphion, redivivus an inclytus Orpheus,
Illecebræ nervis surda elementa trahens,
Restituens sensum, quibus hunc natura negavit?
An lyra naturæ robore majus habet?
Oppida jam putent inculta, arridet eremus.
Dum fremit armorum turbine mundus hebes.
Dum tam grata canunt superis epinicea silvæ,
Angelicisque opplent invia lustra choris,
Militet ut sancto jam omnis doctrina parenti
Spiritui, vertens signa aquilina cruci.
O videam charites Christo connubia pactas,
Atque eadem castas fœdera Castalides.
Imo adeo cunctas deserto Helicone videbo,
Deserti fabricam jamque levare novi.
Alternum miscere melos sub nomine Christi,
Per templum bifidis e regione choris.
Nec tacitis cellis deerit symphonia psallens
Spiritu, et alternæ lectio juncta preci.
Hiccine Carthusi, Bruno, caput ordinis, olim
Clarum agiographiæ nomen in orbe gerens,
Quo schola Francorum nequaquam invidit Athenis,
Rostraque Romano nil theodoxa foro?
Ecce movet citharas, et naula prophetica ductor
Ordinis, et vitæ consona plectra suæ.
Exemplum signumque suis illustre relinquit
Vivere, et æthereo Principe digna loqui.
Compellare virum propriusque audire juvabit.
Nempe (nisi auditu fallor) et ipse vocat.

B Affluite, errantes (ait) atque audite, tenelli,
Cum lyrico Domini rege docebo metum.
Ille ego qui malens inhonorus honoribus illuc
Cedere, quo puppim numinis aura vocat.
Parisii mundo profugum quem perpulit horror
416 Funeris, ut cœli hæc septimus astra sequar.
Astra dedere viam, divi arrisere tot esse
Millia, sic hamis illaqueanda meis.
His agor auspiciis. Ceu vox clamantis eremo,
Pertæsi mundum sterno Tonantis iter.
Baptistæ reparando vias disjectaque membra,
Castra monoptolemis singula condo meis.
Deserto deserta placet Carthusia Christo,
Tuscala cui laudum nocte dieque calent.
Invia Psalmologi deserta inaquosaque terra est,
C Qua pateat virtus gloriaque alma Dei.
Unde columbinis avide latera instruit alis,
Discat ut huc fugiens seque Deoque frui.
Discipulis eadem tribus hæc in monte refulsit
Gloria, quo fieri vult tria castra Petrus.
Cernere Zacchæus per turbam nescit Jesum:
Cui, Turba opprimeris, discipulique canunt.
Sic, monache, infesti fugiens contraria mundi,
Naviter effectum nominis hujus habe.
Hasce igitur partes mihi delegavit Jesus,
Asperula in planas sternere lustra vias.
Lævigét ut Christo rigidos citharædia saltus:
Militiæ tollens hic nova signa piæ.
Nulla Madaurensis Milesia habemus aselli.
D Nulla Lycambææ conscia tela necis.
Semina divinæ mihi sunt uberrima flammæ,
Devoto nihil est dignius otiolo.
Exuro, gelidos exsurgere cogo jacentes;
Et nunc illecebras, nunc quoque vim facio.
Nunc lyra Davidis, nunc Pauli buccina pleno
Ore quidem hæc, digitis concrepat illa meis.
Hæc, Carthuse, tibi ratio est præscripta silendi;
Ut, claudens homini labra, loquare Deo.
Quippe ad eum, Paulo aut Davide interprete, fari est
Et jactura tuum nulla silere quatit.
Nec Latiæ offendat linguæ neglectior usus,
Dictio si tritæ est corporis æqua togæ.

Sublimes humili sensus attempero linguæ :
Nec mihi ab ore sed ex pectore verba fluunt.
Nilacis ornate alii delubra tropæis,
Laudo ; sed in præsens causa aliena mihi est.
Humanæ verbis sophiæ inclarescere nolens,
Paulus adest doctis debitor et rudibus.
Cum David cinere, et cilicino horrescat amictu,
Rhetoricis compta quis volet esse rosis?

A Jam mihi purga aures atque exeute fæce palatum,
Vel magis intra animi septa redito tui.
Non linguæ, sed cordis ad hæc delectus habendus :
Nam mihi cum rebus tota palæstra fuit.
Ne sensu hæc sapias, sed quo sunt prodita gustes
Spiritu, et hoc animæ viscera pasce bono.
Consultum pariter summis minimisque volebam,
Et ratio captus omnis habenda fuit.

Sequitur in editione Coloniensi tomus seu pars III Operum S. Brunonis. Continet, præter sermones quosdam, opuscula De laudibus Ecclesiæ, De ornatu Ecclesiæ, De novo mundo, De festivitatibus festivitatum. Quæ tamen non sunt Brunonis Carthusiani, sed Brunonis Astensis episcopi, et ejus Operibus annumerantur. (Vide infra ad annum 1125.) Opuscula supradicta excipiunt S. Brunonis epistolæ binæ, Sermo De contemptu divitiarum et appendix De origine sacri Carthusiensis ordinis.

DIVI BRUNONIS

EPISTOLÆ BINÆ

Quas scripsit ex eremo Calabriæ cum ex urbe Roma ad eam se solitudinem, in qua et obiit, postliminio se recepisset.

I.

Ad Radulphum Viridem, Ecclesiæ Remensis præpositum, ad contemptum mundi, vitam eremiticam contemplativamque optimam Mariæ partem, insuper ad voti impletionem, exhortatoria.

(Vide inter Acta S. Brunonis, n. 683, hujus tomi col. 420.)

II.

Ad filios suos Majoris Carthusiæ.

(Vide ubi supra col. 418.)

SERMO DE CONTEMPTU DIVITIARUM.

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 24). Hoc autem significabat illa amphora, in qua impietas clausa erat, de qua ne egredi posset, massa plumbea os amphoræ claudebat (*Zach.* v, 6, 7). Qua in re datur intelligi quam difficile sit de ventre avaritiæ hominem avarum vel extrahi vel separari posse. Narrat enim Zacharias propheta se vidisse amphoram egredientem, de qua cum interrogaret quid esset, dictum est ei : *Hæc est amphora egrediens, et hic est oculus eorum in universa terra; et ecce talentum plumbi portabatur : et ecce mulier una sedens in medio amphoræ* (*ibid.*). De qua cum interrogaret quæ esset, dictum est ei quod esset impietas. Os autem amphoræ massa plumbea clausum erat. *Et ecce duæ mulieres egredientes*, quæ habebant C alas quasi milvi, *levaverunt amphoram inter terram et cœlum ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, et stabiliatur, et ponatur ibi super basim suam*, etc. Quid enim per amphoram nisi avaritia significatur? *Hic oculus eorum.* Quorum eorum? Eorum videlicet qui eam diligunt in universa terra. Omnes enim ad eam spectant, omnes ad eam tendunt, quoniam sicut B scriptum est : *Pecuniæ obediunt omnia* (*Eccl.* x, 19). In hac autem sedet impietas, quoniam divites et avari, quia misericordiam et pietatem non habent, non solum impii, verum etiam impietas recte vocantur. Sed quid melius per duas illas mulieres quæ amphoram ferunt, quam sollicitudo et deceptio intelligi potest? Semper enim avari solliciti sunt in acquirendo, et deceptores alieno aliena rapiendo. Unde et alas milvi hæ mulieres habere dicuntur, quoniam milvus inter alias aves rapacissimus est : qui semper pusillis et mansuetis avibus insidiatur. Ferunt autem hæ mulieres, id est deceptio et prava sollicitudo, amphoram in terram Sennaar, sive Babylonis, quia his duobus vitiis divites et avari in perditionem rapiuntur. De hac enim Babylone scriptum est : *Cecidit, cecidit Babylon illa meretrix : et facta est habitatio dæmoniorum* (*Apoc.* XIV, 8). Miseri igitur et per omnia infelices, qui inter dæmonia habitaturi sibi in terra Sennaar domum invenerunt. A qua nos eruat mitissimus Dominus noster Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per æterna sæcula. Amen.

CONFESSIO S. BRUNONIS.

(Edidit Mabill., *Analect.* nov. edit., p. 447.)

Fidem magistri Brunonis, quam communiter fratribus suis protestatus est, cum horam sibi appropinquare sensisset, ut omnis carnis viam ingrederetur, scriptam servare curavimus, eo quod satis intime coram Deo nos illius fidei testes esse rogaret.

Credo firmiter in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum sanctum ex utroque procedentem, et has tres personas unum Deum. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Credo quod virgo castissima fuerit ante partum, virgo in partu, et post partum virgo in æternum permanserit. Credo quod idem Dei Filius conceptus sit inter homines, ut verus homo, sine peccato. Credo quod idem Dei Filius invidiose a perfidis Judæis captus sit, injuriose tractatus, injuste ligatus, consputus, flagellatus, mortuus et sepultus. Descendit ad inferos, ut captivos suos inde liberaret, descendit propter redemptionem nostram, et resurrexit. Ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo sacramenta quæ A catholica credit et veneratur Ecclesia, et nominatim quod consecratur in altari, verum corpus esse, veram carnem, et verum sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quem et nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, in spem salutis æternæ. Credo carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen. Confiteor et credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum naturalem, unius substantiæ, unius naturæ, unius majestatis atque virtutis. Et Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. Ipse Pater a nullo originem ducit, ex quo Filius nativitatem, et Spiritus sanctus processionem accepit. Fons ipse igitur et origo est totius divinitatis: ipse quoque Pater essentia quidem ineffabilis, substantia sua Filium genuit ineffabiliter, B nec tamen aliud quam quod ipse est. Genuit Deus Deum, lux lucem. Ab ipso ergo est omnis paternitas in cœlo et in terra. Amen.

APPENDIX AD S. BRUNONEM

DE ORIGINE SACRI CARTHUSIENSIS ORDINIS

AUCTORE ZACHARIA BENEDICTO, VICENTINO, CARTHUSIANO.

Quis Carthusiaci jecit fundamina primum
Ordinis, et quæ causa illi, vis nosse viator?
Iljstoriam hanc sequere, hos etiam tu perlege ver-
[sus.
Fructum si quæras, aderit compunctio sancta.
In Senonum planis urbs præstantissima campis
Emporium Sophiæ, turrito vertice surgit,
Quam Parides, fugiens Trojana incendia, fertur
Exstruxisse; patrisque memor dixisse Parisos
Cultores, illisque insignia et arma dedisse.
Sequana vorticibus qua multis alluit arces
Et peregrina suas transmittit ad æquora merces.
Hic est assiduo fecunda academia cultu;
Huc et Cecropidum translata est Pallas ab oris,
Missaque de summis ingens sapientia rebus.
Hic ita clarus erat virtutibus omnibus, atque
His disciplinis (quæ libera tempora poscunt)
Doctor ut, ascenso suggesto sive cathedra,
Esse videretur magni vox inclyta Pauli,
Atque verecundis in moribus alter Ioseph.
Hunc, veluti cœli divum de culmine lapsum,
Totus adorabat populus, namque ille sacerdos.
Inclyta Virginei post incunabula partus
Elapsis annis mille octoginta duobus,
Contigit huic homini postremum claudere tempus.
Atque subire grave imperium, jura aspera lethi,
Jamque jacet vivo gelidum sine sanguine corpus;
Rumor ubique strepit, dolor anxius undique man-
[sit,
C Et gemini sexus resonant lamenta per urbem.
Heu! bonus interiit pastor, vir sanctus obivit,
Per fora clamabant, nemo dabit amplius illa
Docta salutiferi sermonis et aurea verba.
Funeris interea lugubris pompa paratur,
Exsequiæ multo fiunt et nenia fastu
Conveniunt passim cives, clerus, schola tota
Docta coit, crepitant ex ictibus æra sonoris.
Fertur honoratum majora ad templa cadaver,
Marmore sub Pario condendum et aromata subter,
Triste sacerdotes recitando in carmine fatum,
Ardentes faculas, et cerea lumina portant,
Procedunt querulæ longo simul ordine turmæ,
Atque vias omnes nigro velamine complent.
Accidit inter tot res admiranda relatu,
Judicium cœleste, et formidabile cunctis:
Et sane ipsa Dei sententia, grandis abyssus,
Cui soli detecta manent abscondita cordis (*Ps.* XXXV).
Quos sibi delegit, vel quos privavit olympo,
D Solus habet notos, solus discrevit ab ævo.
Nos homines cæci rerum secreta videmus,
Sicut Apollineum discernit noctua lumen.
Ecce sub argento qui portabatur et ostro
Mortuus, et tanto fuerat cumulatus honore,
Cum foret ad fanum sublimi in mole locatus
Quo melius posset cerni, cunctisque pateret,
Responde mihi, dum legitur, res ecce stupenda,
Eminus attollit vultus, exsangueque pectus,
Ac circumspiciens torvo cum lumine turbas,

Clamore horribili feretro sic dixit ab alto :
Consilio superum secreto, et legibus æquis,
Heu me! accusatus, peto Judicis ora tremendi.
Deposuitque caput taciturus, et arida membra.
Contremuit primo aspectu, ac obmutuit omnis,
Cuncta silent, cunctique pavent, plebs arrigit au-
[res.
Prodigium insuetum vix credit mente labanti.
Stant pollinctores trepidi, et terrore subacti,
Audentique animum minus hoc contingere cor-
[pus.
Obriguere comæ, et tremulis vox faucibus hæsit.
Ingentes strepitus post ipsa silentia fiunt
Confusus sonitus vocum juvenumque senumque
Longius auditur; discurrit fama per urbem.
Gens agoræa (2) venit, properando vulgus anhelat.
Concava templa crepant variis rumoribus, et gens
Non capitur, premitur pede pes, et tergore tergus.
Vi faciunt aditus, procumbunt cardine postes.
Hique gradus summos, illi pinnacula scandunt :
Ut nova prospiciant isthæc miracula ab alto.
Extollens iterum liventia mortuus ora,
Hucque illucque tuens oculis terrentibus omnes,
Mugitu insolito dixit : Væ, væ mihi, namque
Judicium jam in me latum est a Numine sancto.
Utque prius jacuit nullo cum murmure vocis.
Ima tremor gelidus languorque per ossa cucurrit
Corda pavent, trepidant pueri, terrentur et ipsi
Hac novitate senes; nuptarum implentur acutis
Infantum, juvenumque sacræ clamoribus aulæ,
Exorant veniam superos, et pectora tundunt,
Atque aliis suspensis auribus aiunt :
Quidnam hoc esse potest? hic vir sanctissima sem-
[per
His populis mandata dedit, vixitque probate,
Sese accusatum tamen, ac audisse supremum
Judicium a superis miseranda voce fatetur.
Hæc portenta aliquid certe mirabile signant.
An tumulo tradi sacrato debeat, omnis
Ambigit; ancipiti præsul venerabilis urbi
Servari supra tellurem consulit, usque
Dum Deus ex alto, quid sit, declaret, agendum.
Tum rursum exanimus feretro caput extulit alto,
Atque infelicem, se contemplando, locutus,
Sic ait immenso luctu grandique boatu :
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis.
Infortunatum cur me genuere parentes?
Ah! miser æternos vado damnatus ad ignes.
Indeque conticuit semper, jacuitque supinus.
Extasis et planctus turbas invadit, et omnis
Ædes sacra sonat gemitu varioque tumultu,
Femineis late resonant ululatibus ædes.
Hique tenent postes amplexi, illique columnas,
Prægravibusque oculis quasi somnia habere viden-
[tur.
Mirantur tanti de perditione magistri,
Mirarique satis nequeunt exstincta fuisse
Tot bona, totque pios pro religione labores.
Protinus e sacro benedictæ margine terræ,
Perfusi lacrymis populi extraxere cadaver,
Atque in telluris foveam clausere profanæ.
Hinc sambucus olens oritur, tristisque cicuta.
Oceanitidibus Titan se merserat undis
Deliaque albentes monstrabat ab æthere vultus,
Quando vulgus iners, cives, simul agmina docta,
Mentibus attonitis in propria tecta redibant,
Languida cum strato cessissent membra cubili
In somnis videre faces, dirasque figuras,
Errantes Erebo manes, furiasque triformes,
Quæ quasi lethæum noctu incussere timorem.
Parisius nec adhuc horum est oblita dierum,
Tempore ab hoc siquidem prorsus tremefacta recusat
(*Respondе mihi*) cantare hæc, sed lectio quarta
Incipit hic. Quantas habeo; res flebilis ævo!
Bruno sacerdotum splendor, rectorque scholarum,

A Quem genuit celebri germana colonia partu.
Vir pius, et sapiens, ac præstantissimus omni
Munere doctrinæ, templi Remensis alumnus,
Tunc sacra Parisiæ genti documenta legebat,
Exsequiis aderat multo comitatus honore :
Menteque conceptum nequiens celare dolorem
Talibus ostentis, mox ut sua septa petivit,
Solus inexhausto lacrymarum flumine planxit.
Hei mihi dicebat : Væ, væ quia tempora trivi.
Quid faciam demens? ex quo qui ut sanctus ab omni
Plebe colebatur, sic infeliciter ardet,
Ad loca Cerberei rictus, immane barathrum?
Hisque animum verbis, nunc huc, nunc dividit illuc
Pervigil, in melius cupiens convertere vitam.
Mane scholas repetens Bruno, circumdatus am-
[plo
Servorum numero, cathedram conscendit, amictus
Cyclade lugubri, defixaque lumina terris
Fert, et erant multo rubra atque tumentia luctu,
B Qualia somni expers habet, ut crudelia dudum
Pervigiles inter noctes suspiria duxit.
Aggrediturque suos tali sermone sequaces,
Innumerus quasi cœtus erat, tacitusque manebat :
Huc ego non veni facturus inania verba.
Hactenus humanis soliti rationibus uti,
O docti juvenes, omnes erravimus una,
Sed satis atque super; divum modo jussa sequamur.
Huc veni, ut referam quid sentio, quodque tenen-
[dum
Consilium duxi, quidquidve sit utile nobis,
Ut pedicas hujus secli fugiamus, et illud
Hesternæ lucis dirum, et miserabile fatum.
Quis, precor, ex nobis hominem pensasset iturum
Ad Stygæ, Cocytique ardentia guttura, tantis
Moribus illustrem, tantoque nitore docendi
Perspicuum, et tantis naturæ dotibus almum?
Vidimus, heu! quantum nos lippi fallimur, et quot
Nostra per errores versatur opinio fallax.
C Quid miseris nobis longo peccantibus usu
Eveniet, si tanta homini damnatio perpes
Est data? si in viridi ligno hoc factum est, quid in ipso
Arenti fiet? (*Luc.* 23) quæ nos vindicta moretur,
Cernite discipuli dulces, librate parumper,
Quanta tot ingentes purgabunt februa sordes.
Hujus ad hoc etenim mundi sapientia nil est
Et justum apparere foris sanctumque videri.
O chari comites, vestros miserescite casus :
Cernite, vicino mors est in limine, curvam
Extendens harpen, viridesque secabit in herbas,
Temnite divitias, quas nec deferre valetis
Vobiscum post fata, precor, si verba magistri
Penditis ; et si me digno servatis honore,
Linquite Pentapolim, fugitivaque sæcula mecum,
Atque specus cum Lot, montesque subite latentes.
Aspicitis, quantum præsens hæc vita caduca est ;
Quæ dicenda magis mors est quam vita, fatebor.
Erigite ad cœlum mentes ; ibi patria nobis,
D Nostra quies illic, æternaque mansio pacis :
Vita hæc exsilium nobis, et pondus iniquum,
Sunt ubi tot clades, totque adversantia tela.
Ast ubi tot quondam terraque marique potentes
Sunt reges? ubi, quæso, duces? diadema superbum
Induperatorum toto spectabile mundo?
Nunc ubi bellorum quondam virtute periti?
Aut oratores ubi sunt, clarique poetæ?
Pictores, medicique graves, sophiæque magistri?
Hi periere omnes, pessumque abiere sub imas
Terrarum caveas, ubi mors truculenta moratur,
Et solum monimenta sui liquere sepulcra,
Immundos cineres et fetida corpora bustis.
Heu vitæ fallacis amor! qui spargere flores
Et violas per agros, ac lilia odora videris,
Atque metis spinas, texos et toxica demum
Et risum in fletus, et gaudia in anxia vertis.
Viventi servire Deo suavissima res est.

(2) Ἀγορᾶιος, id est *forensis*.

Sunt lacrymæ dulces, suspiria dulcia, dulces
Prolixæ excubiæ, jejunia dulcia, dulce
Subdere se imperiis, atque inter septa morari.
Quid debet nunc esse polis, ubi carne soluti
Et miseris curis, locaque in secura recepti
Læta vident claris obtutubus ora supremi
Principis: unde fluunt felicia gaudia semper.
Quid facimus, chari comites? ad claustra quieta
Nos citat omnipotens, per tot miracula, Numen.
Cur sumus ignavi tanti ad spiraminis auram?
Pergendum quo dextra vocant nos sidera, quo nos
Rorifer impellit zephyrus caurusque secundat.
Cedamus patria, moniti meliora sequamur;
Quippe mihi mens est urbana relinquere tecta,
Et petere incultos aditus, taciturnaque saxa:
Atque inter Faunos, et semina dura leonum
Antoni mores amplecti, et nitrea Pauli
Lustra sub exesis latitabo incognitus antris.
At vos, egregii comites generosa propago,
Experti toties humana pericula mecum;
Mene sequi vultis per tot discrimina rerum?
Mene juvat, veluti semper fecistis, habere
Ductorem, fidumque patrem, dulcemque magistrum?
Dux ego vester ero. Nunc, nunc comitabor euntes.
Sic ait et tepidos fundentia lumina fletus,
Sæpius admoto siccat velamine Bruno.
  E numero tanto sex surrexere priores
Ingenio et sophia, rebusque ac sanguine prisco:
Andræas, Hugoque sacer, Vegetusque Garinus,
Laudunus, Stephanus Burgensis, itemque Diensis.
Hi duo postremi Libyci doctoris alumni,
Et canonum asseclæ magni de cælibe Rulfi
Cœnobio, mira et pollebant dogmatis arte,
Et successive rupere silentia, tali
Ordine: Præceptor, cui non est alter in orbe
Æquandus, te nos sumus a puerilibus annis
Sertati, et semper fuimus parere parati
Imperiis, dictisque tuis, per numina, per tot
Quot per olympiacos scintillant sidera tractus
Testamur, sine te possemus vivere nunquam.
Per medios ignes, te per media arma sequemur,
Eveniat quæcunque tibi fortuna sinistra
Fare, mori tecum mens est, et ducere vitam.
  Vivite felices, veraque in pace valete,
O comites, tanto non possumus absque magistro
Degere sub membris, et grata luce potiri.
Incedat quocunque libet, comitamur ovantes.
Nos igitur pariter spelæa petemus et antra.
Vos iterum socii, vos et terrena valete:
Tuque Parisina urbs, nostrorum theca laborum.
Germani valeant, valeant utrique parentes,
Divitiæ atque domus, et pinguia rura, valete.
Nos sequimur superos, pereuntia temnimus arva;
Nos fuginus terram, et cœli properamus ad arcem.
Finierant, cunctique ruunt in dulcia pacis
Oscula, et amplexus lacrymisque rigantur utrinque.
Sicque revertentes in propria tecta gemebant.
  Bruno capit nullam tacita sub nocte quietem;
Sed qualem reperire locum (quo tutus ab omni
Sit strepitu gentis, maneatque latentior) anceps
Cogitat, et secum versat, crebro atque reversat.
Vertitur interea cœlum, et Latonia lampas,
Oppositas primo nebulas scindebat in ortu,
Cumque diu orasset superos, arisque dedisset
Mystica cum gemitu libamina, jusque Minervæ
Pasceret, ardentem lychnum suspensa tenebat,
In multam solus vigilans præcordia noctem:
Opprimitur somno, et tepido dat membra cubili:
Procumbit languens, et mox ut lumina texit
Matutina quies, facies incedere cernit
Angelicas, labiisque sales miscere modestis.
Affixit nitidæ fidei signacula fronti,
Atque ait: O, tali quæ vos sub imagine fertis,
Gaudentes animæ, per maxima sceptra Tonantis
A Adjuro, a Stygiis estis vel missæ ab olympo?
Illæ alacri vultu, facieque et fronte decora,
Ne trepida, dixere: Dei sacrate minister,
Mittimur huc etenim summis e sedibus ad te.
Et paradisiaci ferimus mandata Parentis.
O te felicem, quem de tot millibus unum
Elegere poli, monachos reparare labantes!
Perge, tuum completo animum, tua vota secunda,
Hoc tibi divinus Sator imperat, ito citatus
Granopolim, dicunt vulgari idiomate Galli,
Hugonemque petas antistitem, et ille docebit,
Quem tibi condidimus sublimi in vertice campum,
Voce sub Hebræa Carthusia dicitur, *hoc est*,
Sermone Ausonio, perfecta vocatio divum.
Vos quoque sumatis tanto de nomine nomen,
Et Curthusiaci vestri appellentur alumni.
Vade igitur felix, te totus honorat olympus
Bruno, tibique dabit divinum in sæcula nomen.
Talibus effati fluxere in nubila vultus
B Angelici, et sumptæ densato ex aere formæ.
Mox abiere, torusque omnis spiravit amomo.
Ille gemens, tantique labans dulcedine verbi,
Corripit e strato corpus, tenditque supinas
Ad superos cum voce manus, gratesque rependit.
Numina (tum dixit) cœli quæ limen habetis,
Si mihi sint totidem linguæ quot lumina fertur
In membris habuisse Argus, persolvere dignas
Haud possem laudes, istud quod munus obire
Me facitis dignum; tua sunt hæc munera, Christe.
Est nihil excellens in me, vos omnia fertis,
Optima cœpta date, gressusque parate secundos,
Cœlicolæ, quibus est humanæ cura salutis.
  Bruno jubet socios ad se sub mane vocari.
Continuo adveniunt, illis ea singula narrat.
Irriguos inter fletus, roresque tepentes,
Inter complexus, inter sancta oscula, dextras
Dant pariter, fideique arrhas, et fœdus amoris.
Constituere omnes opus accelerare futurum,
C Atque reservatis paucis ad fana struenda,
Cætera pauperibus bona distribuere per urbem.
Præcipiunt famulis ut equos adducere certent
Ac sellas et frena parent; tunc ocius omnes
Imperio parere student, et jussa facessunt.
Codicibus jumenta onerant et plaustra citati.
Fit strepitus, vocesque per ardua tecta volutant
Mirantur subitos dominorum ex æde recessus,
Parcere nec possunt lacrymis, miseroque dolori.
Convertere pios ad summa palatia vultus,
Singultuque gravi, et gemitu dixere patenti,
Aula superba, vale, redimita aulæa, valete,
Non eritis per nos ultra visenda, colonis
Linquimus externis vos esse habitanda, valete.
Imus ad ignotas (nunquamque redibimus) oras.
Sicque viam carpunt, et equis calcaria figunt.
  Mox igitur septem stellas ex æthere summo
Demisere poli, quibus una nitentior ibat
Ante alias, nec non Phœbi nascentis ab ortu,
D Ferre videbatur gressum ad sublimia tecta
Præsulis Hugonis, rigidumque ascendere callem,
Qui vicinus erat, celsoque incumbere saxo.
Talia, cum dulci decumberet ille sopore,
Suscipit. A somno postquam expergiscitur, omne
Mente agitat factum, pensat secum atque repensat,
Quid bone vult Deus, hoc, inquit mirabile signum?
Quid, rogo, portendunt hæc septem sidera mundo?
Altius hæc igitur dum cogitat, imminet urbi,
Sex sociis doctor comitatus, et introit ædes
Pontificis, quem se secreto affamine dixit
Visere velle. Intra penetralia ducitur aulæ.
Et comites seni se inclinant, oscula figit
Sacratis manibus Bruno, sicque incipit ore:
  Grande decus fidei, rectissima norma Parentum
Hugo, ab olympiacis moniti per somnia divis,
Venimus huc ad te, nostram quoque pandimus omnem,
Quam superi tetigere suo spiramine, mentem.
Terruit horrendo nos summa potentia monstro,

Quod puto non lateat quoque te, cum Gallia tota
Hac novitate rei multis sit plena diebus.
O quam cruda dies, grandique tremenda pavore,
Illa fuit, quæ nos tanto calefecit amore.
Singula tu nosti melius, sanctissime pastor,
Quem Deus illustrem majori lumine fecit.
Hi sex discipuli rigidum conscendere montem
Religionis in his mecum regionibus optant.
Uno animo cuncti in vasta vellemus eremo
Degere et in rigidis vitam deducere septis.
Jam saturi mundo, nos fastidimus in illo
Quidquid adest, omnesque pari inflammamur amore:
Ergo locum nobis aptum, Pater inclyte, pande,
Pande, rogo. Scimus quoniam patefecit olympus
Tanta tibi, temetque juvamina grata daturum
Hoc in opus, nobisque ducem ad deserta futurum.
Sic Bruno. At verbis socii assensere loquentis.
His Pater auditis nequiit cohibere cadentes
Ex oculis fluvios, levat ac amplectitur illos,
Suspiciensque polos, mox verba erupit in ista:
O supreme Dator, devolvens ætheris orbes,
Influxus in eos, qui tempora læta ministrant,
Aureaque effusa deducunt sæcula pace!
Quali ego te digne verbo laudare vel actu,
Affectuve queam, nostro qui tanta sub ævo
Mira facis, tantoque hominem dignaris amore
Demere de luteis, et ad axem attollere curis.
Visa mihi in somnis ea septem sidera. Quid? ni
Hosce viros signant, hæc septem pectora monstrant,
Plena Deo, occiduos collustratura penates
Namque suos ad nos oriens transmisit honores,
Gallia tu felix, quæ tanto germine gaudes,
Quamve peregrino decorant a climate gentes.
Mox illis dulci sic est sermone locutus:
Arbitror esse locum, vobis divinitus aptum,
Qua declinarunt septem de nubibus astra.
Ipse situm recolo, memorique in pectore servo;
Ardua deducit gibbosaque semita rupis
Illuc, effetus locus est et frigidus, ultra
Quam dici possit; sunt saxa albentia semper,
Assiduis nivibus surgente carentia sole,
Mane soporati simul ibimus, inspiciemus,
Quidquid erit, campos ibi contemplabimur arctos.
Interea mecum, nati, maneatis in aula,
Et memores estote mei, memoresque meorum.
Sicque quieverunt hic facto fine loquendi.
Cumque diurna novo sole intervalla redirent,
Tum montana petunt omnes et culmen apricum
Ad supremum igitur tandem venere cacumen.
Hernica saxa vident, horrentesque undique rupes.
Non arbusta illic, non ligna ferentia fructus.
Vix ibi sunt herbæ virides, humilesque genistæ.
Hicque rigore loci præsul perterritus, inquit,
O quantum doleo fratrum dilecta corona,
Tam steriles adiisse sinus, sublimia septa.
En infecundæ vallant nos undique cautes.
Vix solem aspicimus, vesperque manere videtur
Hic semper, nebulæque graves, hic nulla ferarum
Lustra tuor, nullos aditus, vestigia nulla.
Non avis hue, non vir, non bellua forsitan ulla
Accessere, horrent sane hæc loca frigida, semper
Perpetuis nivibus surgente carentia sole.
Ergo homines vivent, remanent ubi vivere bruta?
Pandite quid facitis, sique hic habitare valetis?
Sicque loquebatur. Repetentem singula Bruno
His interrupit verbis: O candide princeps,
Nonne putas melius sufferre incommoda montis
Hujus, et algores gelidos quam ferre vel uno
Inferni tormenta die, variosque dolores?
Ad superos attollo acies, et mente revolvo
Jucundos sine morte dies, et munera semper
Duratura olim, nullumque videntia finem.
Hac vocat Omnipotens nos, et manifesta dedere
Signa poli, et modicis damnis terrebimur hujus
Vitæ infelicis, vitæque decore carentis?
Absit! sum potius discrimen iturus in omne.
Hic igitur sit nostra quies, et sancta voluptas.

A Dixit, et unanimes cuncti assensere loquenti.
Res memoranda statim vir præstantissimus Hugo,
Cum Brunone simul cunctisque sodalibus, ista
Ore uno dixere alacres in carmine verba:
O salve semper regio tutissima mundi,
O salve quæsita diu, tu saxea moles,
Purgatura pias longa a rubigine mentes,
Et multos missura animos in tecta deorum.
O salve, superum mons impinguatus amore,
Cujus terra, licet sterilescat munere glebæ,
Culturaque carens et frugibus, haud tamen unquam
Est caritura illis fruticetis atque virore
Illo, ex quo sancti gignuntur in æthere frucins.
Herbis aret humus, sed ager virtutibus almis
Pinguescet semper, meritis cumulatus opimis.
Salvete, o tacitæ silvæ, tenuesque myricæ:
Sumite nos hilari vestra in consortia vultu,
Venimus huc victuri omnes, simul et morituri.
Post hæc artifices cœpere excidere saxa
Cotibus ex altis, calcemque parare tenacem.
B Hi fodiunt, ast hic cumulos componit arenæ.
Ille solum sternit, lateres hic portat et undas.
Scalpra sonant, dolabræque graves, duræque bipennes.
Longius auditur strepitus, rumorque virorum,
Planitie in summa cellæque et fana struuntur:
Christiparæque sacrum genitrici ac ara dicatur.
Ille locus privatus erat pluvialibus undis.
Non ibi cisternæ, puteusque nec ullus ibidem:
In fovea tantum pluvialis lympha manebat
Mortua: et interdum luteo fetebat odore.
In morore omnes incommoda tanta ferebant.
Sed quid certa fides non impetrat atque meretur?
Se dedit in lacrymas, oravitque inclytus ille
Cœtus, et obtinuit supplex quod ab axe petivit.
Namque statim in dura fodere crepidine rupis.
Nec mora, continuo latices fluxere recentes,
Et rivos egere amplos, ad fluminis instar,
Lambit adhuc curvo fons ille cacumina cursu,
C Cellarumque hortos vitreo circumfluit amne.
Durat adhuc signum renovans miracula Mosis,
Qui sterili deduxit aquas de marmore dulces:
Quando Hebræa cohors arabum deserta petivit.
Jamque dies solemnis erat, quo machina surgens
Hospitio poterat monachos servare decenti.
Hugo ciet clerum, civesque invitat ab urbe
Ad summos aditus, incultaque limina montis,
Visuros fieri festivi encænia templi,
Atque viros tantos habitum persumere sanctæ
Rusticitatis, et exesas latitare per alpes.
Ipso igitur clero comitante, cacumina silvæ
Scandit; at hic ægre Bruno fratresque ferebant
Agmina tot gentis, tot per pia tecta tumultus.
Præsul adest, sacras solito capit ordine vestes,
Et decus imponit capiti, bifidamque tiaram:
Fumus odoratus veniens e thure Sabæo,
Altius ascendit, fanique volumina complet.
Pontifici cathedram parat ille, hic stragula sternit,
D Jamque sacerdotes æquo discrimine vocum
Incipiunt cantus, rutilas assurgit ad aras
Pastor, et erectis cœli ad fastigia palmis
Mystica sancta litat, superis et munera libat.
Dedicat interea templum claustrumque sacerdos,
Sitque novæ domui nomen Carthusia, mandat:
Condendasque domos habituras nomen ab illa.
Prædia donavit, donavit pinguia villæ
Jugera quo monachi sine questu vivere possent.
Tunc adyta ingreditur Bruno, senique sodales.
Singulus exuitur pretiosis usque lacernis
Mollibus, atque trahunt crepidas e cruribus omnes
Confestim, tondent generoso e vertice crines.
Apparent juvenum formosa et lactea membra,
Nudatique manent, genubusque et corpore flexi.
Mox operit lugens villoso tegmine pastor
Candida doctoris, fratrumque tenerrima dorsa,
Atque rudi sacco, niveumque imponit amictum
Virgine de lana, nivea tum cannabe cingit,

Atque tegit scapulas albo clausoque cucullo,
Indicio æternæ clausuræ munditiæque.
Innumeræ astabant turbæ, cunctique gemebant.
Nec poterant retinere pios pia pectora planctus.
Tunc etiam summi nitido de vertice cœli
Angelici venere chori, cantuque sonoro
Festa celebrarunt; hos murice clarus et ostro
Præcedens David citharam pulsabat eburnam.
Huc et Joannes villosa pelle cameli
Cinctus, prædulces circumplexûrus alumnos
Venerat; hic Paulus tectus velamine palmæ,
Hic erat Hillarion celeberque Antonius heros,
Candéntique toga Benedictus et ore verendus
Spectaturi aderant solemnia tanta parentes,
Qui latebras olim fuerant saltusque secuti.
Discite mundano vos qui insudatis honori,
Qui caput erigitis, tumidum qui pectus habetis
Præsenti speculo, et tanta dulcedine moti,
Alta supercilia elatæ deponere frontis.
Tum pater excelsæ Christi qui præfuit aulæ
Victor, olympiacos forte aspiciebat in axes,
Felicesque choros vidit splendore corusco,
Sedibus e summis lætum associare Tonantem,
Carthusiæ sanctos pergentem invisere colles.
Obstupuit, montes illos et clima notavit,
Cursoremque illuc celerem, celeresque tabellas
Misit, et Hugoni visa hæc miracula scripsit.
Hugo admiratus, quodcunque evenerat illo
Tempore rescripsit, quæve in confinibus illis
Egerat Omnipotens, calamo dat nota volanti,
Doctorem et senös comites a turbine mundi
Conversos, septem stellarum lumina, necnon
Ordinis incœpti seriem, strictumque rigorem.
Nuntius abscessit, Latiamque redivit ad urbem.
Maximus ut pastor cepit nova nuntia, gaudens
Convocat exemplo Patres, sanctumque senatum,
Quos Romana facit sublimes purpura: pandit
Omne quod acciderat factum, et divinitus auctum
Confirmavit opus, votis concordibus aulæ.
Divinisque illud, confecto grammate, donis
Munivit, variisque effecit dotibus almum,
Servanturque notis signata bifrontibus æra.
Hoc et idem plures summi fecere Parentes
Qui caput excelsum triplici diademate cingunt.
Hugo autem nusquam potuit desistere cœptis,
Quos semel adjuvit, fovit quoque semper et auxit.
Jugiter inter eos studuit consistere, claustro
Conditus, albentes tunicas quoque sumpsit ab illis,
Nonnisique inter eos voluit decedere vitam.
Femineos vultus ibi quadraginta per annos
Aspexit nunquam, nullosque ambivit honores.
Demum est in divos post funera sancta relatus.
Tunc etiam divi Theophredi maximus abbas,
Guillelmus, cessit mitræ, baculumque reliquit
Sacratum, necnon monachorum ditia templa,
Degereque elegit solus sub paupere tecto,
Sub Brunonis ope, et niveum suscepit amictum.
Victore assumpto, successit honoribus urbis
Cluniacæ gentis princeps, Urbanus, in omni
Præclarus sophia; fuerat Bruno illius olim
Doctor, et idcirco cupiens in rebus agendis
Præceptoris ope, et monitis sapientibus uti,
Consiliisque ejus, Romana mittit ab urbe,
Ad Carthusiaci gelidissima culmina montis
Nuntium: ut in sanctæ Brunonem convocet aulæ
Obsequium, hicque Patris summi mandata capessens,
Pergit, et optatas cursu pervenit ad ædes.
Pontificis chartas accepit Bruno, legensque,
Anxius addubitat sibi quid tunc esset agendum,
An tentare viam, seu respondere precando,
Ne se proposito retrahat, ne grata relinquat
Antra, quibus latitare nihil contingere posset
Dulcius. At, postquam partes evolverat ambas,
Bruno, reluctari votis, jussisque supremi
Pontificis putat esse nefas, concludit eundum.
Sic licet invitus, Carthusia deserit arva.
Heu quantos gemitus, heu quot lamenta, peroses
A Romuleos fasces, curas atque aspera cellæ
Exsilia emisit Bruno, emisere sodales?
Ceu clavo amisso, ac veluti temone refracto,
Puppis erant, adeo dispendia multa tulere.
Tunc omnes. Laudumnus erat moderator ovilis.
Protinus ut summi Bruno pervenit ad aulam
Pontificis, toto prostratus pectore figit
Oscula sacratis pedibus; sed papa jacentem
Attollit manibus, venienti applaudit amico.
Dat faciles aditus, et læta fronte magistrum
Suscipit hospitio, multoque excepius honore,
Pontificis lateri consul fidissimus hæret.
Hujus et hortatu motus, diversa coegit
Consilia Urbanus, generosa Placentia testis,
Sunt testes Melphi. Clarus mons testis, ibidem.
Multa sacrosancti decrevit Pneumatis aura;
Instituit Mariæ celebrari Virginis horas
Quotidie a cleris; huic Sábbata cuncta dicari
In Mahumetanos (quæ gens contraria Christo est)
B Millia multa hominum, fidei succensus amore,
Armavit, qui signa crucis subiere, parati
Christo immortali mortalem reddere vitam.
Dux Godfredus erat, Billonius optimus armis:
Sanguineque antiquo, virtuteque magnus et audax,
Auxilio superum Turcas prostravit, et urbem
Ingressus sanctam, capiti diadema recusat
Imponi regale suo, cum Christus in illa
Urbe coronatus sit spinis dispare forma.
Interea doctor nequiens tolerare tumultus
Urbis, apostolicos interpellasse parentes
Fertur, ut optatas sinerent se visere silvas:
Atque frui solitæ dulci solamine pacis.
Nolentes vero tantum sub nube nitorem
Celari, renuere Patres, fecereque Remis
Pontificem toto populo exsultante; sed ille
Cessit, et indignum tanto se dixit honore,
Atque onere; agnoscebat enim, discrimine quanto
Quisque subire queat prælati nomen, et ingens
Pondus; at instanti discessum ex urbe rogatu
C Obtinet, ad Calabras exivit protinus oras,
Pristina non repetens Carthusi habitacula montis
Ne fortasse sequi Romani antistitis aulam
Arte videretur tacita; nam papa quietos
Tum fines adiit Gallorum, urbemque reliquit.
Ad Carthusiacæ cultores scripsit eremi
Bruno, quid impediat reditum, et quæ causa remote
Transtulit in Calabros, quippe illi firma voluntas,
Perstitit, antiquos aliquando revisere colles,
Dum foret optatis occasio commoda rebus.
Optata gaudens de libertate recessus,
Alloquitur Bruno charos hac voce sodales:
Vidistis, comites, Romanæ tot mala gentis
Quis numerare potest? memet narrare volentem
Impediunt lacrymæ; sunt mille pericula, mille
Sunt laquei, et nostræ sunt mille incommoda vitæ.
Bella, neces, rixas, et litigiosa popelli
Jurgia, livores, odia inveterata, tumultus
Vidimus, et misera quosdam ambitione tumentes,
D Hinc, precor, avertamus iter; Deus evocat hinc nos.
Eripit a tenebris; dum lux præcedit, eamus.
Antiqui repetamus iter, repetamus amorem
Propositi, cellas humiles, silvasque quietas,
Atque intermissæ solatia dulcia vitæ.
Dixit, et ad cursum promptos sermonibus urget,
Optatasque vias concordi mente sequuntur.
Post hæc discipulos alios hinc indè coegit,
Linquebant opulenta alii patrimonia, cultus
Corporis, et ventris curas, ditissima castra.
Denique quidquid habet fallacis gloria mundi,
Spreverunt penitus, per inhospita saxa secuti
Brunonem, quocunque manus divina vocasset.
Purpura calcatur: Bruno feliciter artus
Veste tegit nivea, dat vestimenta salutis.
Insontes, humilesque notans hos esse futuros,
Hos tenues habitare specus, et lustra docebat.
Hoc fervore animi, quo sex instruxerat ante,
Dum Carthusiacis Bruno degebat in antris.

Per nemus umbrosum sibi construxere cavernas,
Finibus in Calabris : nam paupertate coacti,
Non poterant cellas sublimi attollere tecto.
At princeps Calabra fungens ditione Rogerus,
In nemus ire parat venatum. Læta juventus.
Retia rara ferunt, venabula, odora canumque
Agmina deducunt, sonipes spumantia mandit
Frena, ruunt equites cinctis ad terga pharetris.
Postquam frondiferi ventum est ad culmina montis,
Invia lustra patent, dejectæ a vertice saxi,
Ecce feræ aufugiunt, et pulverulenta fatigant
Crura jugis, vallesque petunt, camposque patentes.
Tela sonant, clamantque viri, volitantque sagittæ.
Dantque lyciscæ agiles saltus, cervosque sequuntur:
Antra petunt ubi Bruno latet, sanctique sodales.
Majestate virum moti, tellure cadentes
Inflexere genu, caudasque movendo sub illis,
Numen adorarunt, implent latratibus auras.
Et dux errat equo mediis in vallibus atque
Baubatus varios audit, forsanque repertum
Credit aprum, aut aliquem descendere rupe leonem.
Insequitur cursu nunc que hos, nunc præterit illos.
Ad latebras tandem pervenit, easque, lyciscas
Aspicit oranti caudis applaudere sancto,
Popliteque incurvo fixos accumbere terra.
Mox descendit equo, faciem vultusque verendos
Contemplatus, humi cecidit causamque requirit,
Tam vasta audendi deserta tenere. Beatus
Singula narravit doctor, verbumque salutis
Protulit atque ducem superum calfecit amore.
Mox fieri delubra jubet, cellasque domosque,
Divitiasque dedit, terrasque ac oppida princeps,
Jumenta atque pecus varium. Carthusia nobis
Ista fecunda fuit virtutibus inclyta multis.
Hinc dux Brunonis precibus, comitumque piorum
Confisus sperabat opem, si quando necesse
In dubiis quidquam bellorum eventibus esset.
Hunc etiam nec spes, nec opinio vana fefellit,
Quando quidem Capuæ dum muros undique circum
Obsidet, agminibus late implens oppida multis :
Sergius, excubiis noctis præfectus ab illo,
Sancta datæ fidei violavit fœdera, falso
A Quæ juramento divum promiserat aris.
Principi enim Capuæ tacita sub nocte latentes,
Se patefacturum ad sibi credita castra Rogeri.
Res infanda ! aditus animo promisit avaro.
Jamjam nox aderat, qua proditor impius omnem
Patraturus erat (ni obstarent numina) fraudem.
Oppositæ stabant acies, properabat iniquus
Sergius hostiles furtim introducere turmas.
Dux tenuem in somnum tunc declinarat ocellos.
Bruno quiescenti (res admiranda), repente
Astitit illacrymans, et scissis vestibus iras
Denudans in eum Capuani militis, inquit :
Surge, cape arma, vide, princeps, si numina cœli
Teque tuosque velint a proditione parata
Eripere. Attonitus somno sese excutit, agmen
Excitat, ut, veri quid haberet visio, nosset.
Arma capit, fiunt strepitus, it clamor in auras.
Anxia turba ducem sequitur, licet inscia motus
Tam subiti, castris mox Sergius atque sequaces
B Aufugiunt, Capuamque petunt, dux impiger illos
Persequitur Capuani obsunt, pugnatur utrinque.
Tela sonant telis. Tandem victore Rogero,
Detexere dolos istis incursibus, hostes
Devicti captique. Memor certusque Rogerus,
Quod Brunonis ope hanc fraudem evasisset, adivit
Hunc, et ob id grates magnis cum vocibus egit.
Non ego, Bruno inquit, sed, cœli missus ab axe
Astans principibus, bellorum tempore fraudes
Angelus, in somnis tibi prænonstravit iniquas.
Bruno post longi victricia bella laboris,
Cœlitibus sanctam delegit reddere mentem,
Innocuumque animum cœnoso a carnis odore,
Cujus et illustres obitus, sublimia passim.
Agmina spirituum cantu venerata superno,
Usque ad sidereos comitata fuere senatus.
Qua Pater excelsos æterna pace triumphos
Aspicit, et divos mira dulcedine vultus :
Hic pro eremicolis magno dat vota Tonanti.
Innumeris etiam post inclyta funera claret
C Prodigiis, nam fons vivus de fauce sepulcri
Continuo emanat, multis languoribus aptus
Curandis, et adhuc Brunonia lympha vocatur.

ANNO DOMINI MXXXVII.

GUIGO I

CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS QUINTUS.

NOTITIA.

(*Histoire littéraire de la France*, tom. XI, pag. 646.)

§ I. — *Vita*

Guigues, surnommé, selon les uns, du Châtel, selon les autres, du Pin, naquit, l'an 1083, d'une famille noble et vertueuse, dans le bourg de Saint-Romain, au diocèse de Valence, en Dauphiné (Mart. *amp. Coll.* t. VI, p. 163 ; Labbe *Bib. mss.* t. I, pag. 639 ; *An. Carth.* ; Mir. *Script.* pag. 431). Il reçut une éducation conforme à sa naissance et à la piété de ses parents. Sur le point de s'établir dans le monde, il le quitta (l'an 1107) pour aller s'ensevelir dans le désert D de la Grande-Chartreuse. Le détail des vertus qu'il pratiqua dans cette sainte retraite n'est point du ressort de notre histoire. Nous nous bornerons à dire que l'étude, celle qui convient à un solitaire, ne fut point bannie de ses exercices. On sait que les premiers Chartreux employaient, à copier des livres, le temps que la prière leur laissait. Ce genre de travail plut infiniment à Guigues par la facilité qu'il lui procurait de se familiariser avec la parole divine et les plus beaux monuments de la tradition. Il amas-

sait ainsi, dans le silence, un trésor de savoir qu'il comptait ne devoir servir qu'à sa propre édification. Mais la Providence en avait autrement disposé. Trois ans s'étaient à peine écoulés depuis son entrée en religion, que les pieux compagnons de sa retraite jetèrent les yeux sur lui pour le mettre à leur tête. La sagesse de son gouvernement fit voir que le Saint-Esprit avait présidé à ce choix. Puissant en paroles et en œuvres, il montra, par ses instructions, la voie qu'il fallait tenir et la fraya par ses exemples. L'ordre était encore renfermé dans la Grande-Chartreuse. La réputation de Guigues servit à l'étendre et à le multiplier. Pressé par des personnes de mérite et de crédit, il envoya successivement sept colonies de son désert en différentes contrées de la France. On a eu tort, néanmoins, de conclure de là, qu'il a été le premier général des Chartreux. D. Martène (*ibid.*, præf. n. 37) a solidement prouvé que les disciples de saint Bruno ne formèrent proprement un corps de congrégation que sous le successeur de Guigues, en 1140; que ce fut alors qu'ils commencèrent à reconnaître pour chef commun le prieur de la Grande-Chartreuse, et à tenir des chapitres généraux où tout se déterminait sans l'autorité de l'évêque diocésain. Mais ce qui manquait à Guigues du côté de la juridiction, il le regagna par l'attachement, la confiance et le respect que lui témoignèrent, en toute occasion, les monastères qui lui devaient leur établissement. Ses talents ne brillèrent pas moins dans l'économie des choses temporelles que dans le gouvernement des âmes. L'extérieur de la Grande-Chartreuse reprit une nouvelle face par ses soins et son habileté. Il en fit reconstruire les édifices renversés, l'an 1133, par un accident terrible, leur donna une meilleure forme, et y mit toutes les commodités nécessaires au maintien du bon ordre et aux besoins de ceux qui devaient les occuper (Mart. *ibid.*, pag. 164; Labbe *ibid.*, p. 639).

Les progrès des Chartreux et la célébrité qu'ils acquirent de son temps et par ses soins ne lui inspirèrent aucun sentiment contraire à l'humilité. Il s'estima toujours, lui et les siens, au-dessous des autres moines, loin de regarder son ordre comme le centre et l'asile unique des vertus du cloître. Il eut pour celui de Cîteaux une vénération singulière dont il donna des preuves marquées en diverses rencontres. Ce fut par ses avis que Pons, seigneur de Lazare, au diocèse de Lodève, embrassa cet institut, l'an 1135, après s'être distingué dans le monde par sa valeur et son esprit (*Hist. du Languedoc*, t. II, p. 422). Etienne d'Obazine étant venu le consulter, la même année, sur l'observance qu'il devait établir dans sa maison, Guigues lui fit la réponse suivante (Mab. *Annal.*, lxxvi, n. 72) : « Les Cisterciens tiennent la voie royale. Leurs statuts peuvent conduire à toute perfection. Chez nous le nombre des personnes que nous pouvons admettre est fixé comme la quantité des fonds qu'il nous est permis de posséder. Pour vous qui avez déjà plusieurs moines sous votre gouvernement et qui êtes résolu d'y en ajouter beaucoup d'autres, vous devez préférer la vie cénobitique dont le mérite ne dépend ni du nombre de ceux qui la pratiquent, ni des possessions dont ils jouissent, mais de la religion et de l'exercice des vertus qu'elle prescrit. » Telle était la façon de penser modeste, équitable et désintéressée de Guigues.

Parmi les amis illustres que lui attira son mérite, on n'en voit point qui lui aient été plus étroitement unis que Pierre le Vénérable et saint Bernard. Non contents d'être en commerce de lettres avec lui, l'un et l'autre voulurent se procurer la satisfaction de le voir et de s'édifier au milieu de sa respectable communauté. L'abbé de Cluni fit souvent le voyage de la Grande-Chartreuse, du vivant de Guigues. Il est bon de l'entendre, lui-même, raconter les charmes qu'il goûtait dans sa conversation : « Les fréquents entretiens, dit-il, que j'ai eus avec cet homme incomparable, m'enlevaient comme hors de moi-même. Ses paroles m'enflammaient comme si c'eût été des étincelles sorties de sa bouche. Je ne tenais plus à la terre en l'écoutant, et toutes les idées de ce monde s'évanouissaient de mon esprit. »

Les dernières années de sa vie furent exercées par de fréquentes infirmités. Il suppléa, par son courage, aux forces qui lui manquaient. Mais enfin il succomba sous le poids de sa faiblesse, le 27 juillet de l'an 1137, dans la cinquante-quatrième année de son âge (Boll. 1 *Apr.*, p. 37).

§ II. — *Scripta genuina.*

Guigues s'est distingué dans la carrière littéraire sous deux titres, celui d'éditeur et celui d'auteur. Ce qui lui mérita le premier fut principalement le soin qu'il prit de ramasser en un seul corps les lettres de saint Jérôme auparavant éparses en divers manuscrits, d'en corriger le texte grossièrement altéré par l'ignorance des copistes ou la malice des hérétiques, et d'en séparer celles qui portaient faussement le nom du saint docteur. Il rend compte de ce travail dans une lettre aux Chartreux de Durbon publiée, pour la première fois, dans les *Analecta* de D. Mabillon, p. 464, et insérée ensuite au sixième tome de la nouvelle édition de saint Bernard (Bern. *Op.* nov. édit. t. VI, p. 1056). Guigues nous y apprend qu'une pareille entreprise n'était pas son coup d'essai dans ce genre et qu'il avait déjà rendu le même service à d'autres Pères. « Entre les ouvrages des écrivains catholiques, dit-il, que nous nous sommes occupé à ramasser et à corriger, les lettres de saint Jérôme ont particulièrement fixé notre attention. Nous les avons fait rechercher de toutes parts, et après les avoir purgées, suivant le degré de lumières que Dieu nous a donné, des fautes et des mensonges qui s'y étaient glissés, nous les avons rédigées en un seul grand volume. Or, dans l'examen que nous en avons fait, quelques-unes nous ayant paru très-peu dignes d'un si grand homme, soit par la différence du style et des pensées, soit en consultant les écrits des autres docteurs, nous avons cru devoir les retrancher. » Il en nomme huit de cette espèce et donne les raisons de critique qui en démontrent la supposition. Nous ne pouvons dire s'il existe encore des exemplaires de cette édition manuscrite. Il serait aisé de les reconnaître à la lettre de Guigues aux Chartreux de Durbon, qu'il recommande expressément de mettre à la tête de son recueil pour lui servir de préface. Le nouvel éditeur de saint Jérôme n'indique aucun de ceux-ci, et il ne paraît pas que les bibliothèques des Chartreux lui aient fourni les plus légers secours pour la publication des œuvres de ce Père.

En qualité d'auteur, Guigues composa : 1° une grande quantité de lettres, dont six seulement, y compris celle que nous venons de rapporter, ont échappé aux injures du temps. La première, imprimée parmi celles de Pierre le Vénérable (*Bibl. Clun.*, pag. 654), est une réponse à cet abbé, lequel, en envoyant un crucifix au prieur de la Grande-Chartreuse, avait accompagné ce présent d'une lettre pleine d'estime et d'affection pour lui et pour toute sa communauté. Guigues témoigne être aussi reconnaissant du présent que confus de la lettre. Il conjure son ami d'être à l'avenir plus ménager de ses louanges envers des personnes qui en méritent si peu, de consulter autant leur intérêt que sa propre édification en leur écrivant et de craindre que par des expressions trop flatteuses il ne les expose, faibles comme ils sont, au danger de la vaine gloire. « Surtout, ajoute-t-il, dispensez-vous (c'est une grâce que je vous demande à genoux) d'honorer du nom de Père (1) un homme

(1) D. Mabillon (*Not. in Op. S. Bern.* n. 28) remarque que jusqu'au treizième siècle, le nom de

aussi indigne que je le suis de cette qualité. C'est assez, c'est même trop, que vous daigniez m'appeler votre frère, votre ami, votre fils. Le nom de serviteur serait encore au-dessus de ce qui m'est dû. » Cette lettre est la seule que nous ayons de Guigues à Pierre le Vénérable. Mais il est certain qu'ils s'en écrivirent un très-grand nombre. *Scribebam ei frequenter*, dit l'abbé de Cluny en parlant de Guigues à saint Bernard, *et sæpe cum eo . . . . litteris familiaribus delectabar et eum in epistolis meis patrem nominabam* (*Ibid.*, p. 895 E).

La seconde lettre de Guigues, adressée à Hugues de Paganis, prieur et instituteur des chevaliers du Temple, renferme une instruction très-solide sur les devoirs de cette nouvelle milice (Bern. *Op.* t. VI, p. 1054). Elle fut écrite peu de temps après le concile de Troyes, tenu l'an 1128, auquel Hugues assista et où il obtint la confirmation de son ordre.

Sa troisième, écrite au pape Innocent, de la part de tous les solitaires de la Grande-Chartreuse, a pour objet les affaires de l'Eglise de Grenoble. Elle n'explique pas néanmoins la nature de ces affaires, parce que Hugues, abbé de Pontigni, qui en était le porteur, s'était chargé de les détailler au Saint-Père. Guigues se contente, sur ce sujet, d'exposer l'état de caducité de l'évêque Hugues, état qui le mettait presque au rang des morts par rapport à l'exercice des fonctions de son ministère. *Qui, quod sine lacrymis non scribimus, dissolutus morbis et senio inter defunctos, quantum ad episcopale spectat officium, potest annumerari.* De là il passe à ce qui regarde la personne d'Innocent et le schisme excité par Anaclet, son compétiteur. Il s'étend ensuite sur les prérogatives du Saint-Siége et finit par recommander à Sa Sainteté les deux ordres naissants de Cîteaux et Fontevraut. Cette lettre, ayant été remise au pape durant la tenue du concile de Reims, célébré l'an 1131, fut lue en pleine assemblée par Geoffroy, évêque de Chartres. Innocent et tous les assistants en parurent extrêmement satisfaits (Mab. *An.* l. LXXV, n. 121). Elle est rapportée tout au long dans le second livre de la Chronique de Morigny (*Chr. Maur.*, pag. 379, ap. Duchesne script. *Rer. Franc.* IV, 379).

La quatrième porte les noms de Hugues, évêque de Grenoble (Hugues II), de Guigues et de la communauté de la Grande-Chartreuse. Elle est adressée au concile assemblé à Jouarre l'an 1133, pour délibérer sur ce qu'il y avait à faire par rapport au meurtre commis en la personne de Thomas, prieur de Saint-Victor. La conformité de style que nous remarquons entre cette lettre et les autres de Guigues nous porte à croire qu'elle est également de lui, du moins pour les expressions. L'auteur insiste sur la nécessité de punir les meurtriers en faisant voir les suites funestes de l'impunité. Il ne s'agit point ici de peines séculières, mais de pénitence canonique. Guigues demande surtout que les chefs de l'attentat, qui étaient ecclésiastiques, soient privés de leurs bénéfices. Le concile fit droit à ces remontrances. Il paraît par la réponse d'Innocent qu'on y exerça la même sévérité contre les assassins d'Archambaut, sous-doyen de l'Eglise d'Orléans. Jean Le Picard a le premier fait part au public de cette pièce dans les notes sur les lettres de saint Bernard (Bern. *Op.* vol. I, not. fus., p. 25). Le P. Labbe l'a reproduite dans le dixième tome des conciles (pag. 975).

La cinquième lettre est adressée au cardinal Haimeric, chancelier de l'Eglise Romaine (Bern. Op. t. VI, pag. 105, 1053). Ce prélat, étant venu à la Grande-Chartreuse, y avait contracté une liaison très-étroite avec Guigues. Celui-ci lui écrivit quelque temps après (vers l'an 1134) pour le remercier de sa visite. Mais à son remercîment il crut devoir mêler un témoignage réel de sa reconnaissance, par des avis relatifs à la situation du cardinal et à l'état des affaires de la religion. Tout était alors en combustion par la guerre ouverte qu'Innocent et son rival commençaient à se faire, les armes temporelles à la main. Aussi attaché qu'Haimeric au parti du premier, le prieur de la Grande-Chartreuse ne pouvait néanmoins approuver les moyens violents que l'on mettait en usage pour rendre la paix à l'Eglise. Il croyait voir la source de cet abus dans les mœurs de la cour romaine. Accoutumée à imiter les cours séculières dans le faste et la mollesse qui leur sont propres, elle avait achevé, selon lui, de se confondre avec ces dangereux modèles, en se servant de leurs armes pour combattre ses ennemis. C'est sur quoi roule cette lettre, où Guigues s'attache à faire connaître au cardinal les deux ennemis intérieurs que l'homme a le plus à redouter, savoir, l'orgueil et la volupté. Il montre combien ces deux vices sont odieux par eux-mêmes et combien surtout ils sont déplacés dans des temps de calamité. Il rappelle à ce sujet la conduite des Juifs en pareilles occasions et, la comparant à celle des Chrétiens, il gémit de voir ceux-ci surpasser en dureté ce peuple grossier et charnel. « Car les Juifs, dit-il, avaient recours aux jeûnes et aux cilices pour fléchir la colère divine, tandis que nous, au milieu des périls qui nous environnent, et sous le poids des péchés dont nous sommes accablés, nous ne mettons aucunes bornes à notre orgueil et à notre sensualité. Ce n'est plus un mouton ni un veau que nous prenons dans le troupeau pour satisfaire notre avidité, c'est le troupeau tout entier que nous dévorons. Tels qu'Amalech, nous traînons une multitude innombrable d'hommes et de chevaux dont nous inondons tous les diocèses, saisissant tout ce qui tombe sous notre main, n'épargnant ni le profane ni le sacré, dépouillant les églises, renversant les autels, enlevant tables saintes, croix, images, calices, et pour quelle fin? Est-ce pour soulager les pauvres, fonder des monastères, racheter des captifs? Non certes, mais pour réunir des machines de guerre, pour soudoyer des archers, des cavaliers, des fantassins et les employer à la ruine des Chrétiens; les employer, dis-je, à piller et égorger ceux pour lesquels nous devrions être prêts à sacrifier notre vie. O douleur inexprimable! Aujourd'hui les souverains pontifes et, à leur exemple, les autres pasteurs par toute la terre, ne rougissent pas d'armer le frère contre le frère, j'entends le Chrétien contre le Chrétien; et l'or du sanctuaire devient le nerf de ces funestes expéditions. Voilà les triomphes dont s'applaudit aujourd'hui l'Eglise notre mère, et l'aveuglement est tel que, la conscience souillée de meurtres et les mains teintes de sang, on monte sans hésiter à l'autel pour y célébrer les divins mystères. Ah! si l'on doit tolérer de pareils excès, qu'y a-t-il donc maintenant à reprendre? Je prévois néanmoins ce que vous allez me répondre. Ces armes, direz-vous, sont tirées du palais de l'empereur. J'en conviens. Mais plût à Dieu qu'elles y fussent toujours demeurées, au lieu d'être transportées dans les lieux saints! Car, lequel des deux vaut-il mieux, dites-moi, que l'Eglise donne des lois aux palais, ou qu'elle en reçoive elle-même du palais? Est-ce en effet aux palais que les Eglises ont été confiées pour les instruire, ou bien sont-ce eux-mêmes que les Eglises ont droit d'enseigner? Les palais ont-ils donné Jésus-Christ aux Eglises, ou bien ont-ils appris d'elles à le connaître? Ah! qu'il serait bien plus convenable que les rois reçussent de nos mains le cilice que d'emprunter nous-mêmes la pourpre des rois? Qu'il serait bien plus avanta-

Père ne se donnait, parmi les moines, qu'aux seuls abbés. C'est la raison pour laquelle notre auteur le refusait.

geux que nous leur communiquassions notre pauvreté, nos jeûnes, notre humilité, que d'adopter, comme nous faisons, leur avarice, leur délicatesse, leur vanité? » Le reste de la lettre est de la même force. Il paraît qu'elle n'avait pas été faite pour le seul Haimeric, mais pour toute la cour de Rome. Guigues le prie, au cas qu'elle ne fasse aucune impression sur les autres, de s'appliquer à lui-même les vérités qu'elle renferme. On a l'obligation à Horstius d'avoir tiré cette importante pièce des ténèbres pour la joindre à la seconde et à la troisième dans son édition des œuvres de saint Bernard. D. Mabillon lui a donné le même rang dans la sienne.

2° Guigues rédigea par écrit les coutumes de son ordre que saint Bruno s'était contenté de tracer de vive voix et par son exemple, laissant à la ferveur de ses disciples le soin de les maintenir et de les perpétuer. Ce fut par l'ordre du B. Hugues I^er^, son évêque, et, à la prière des trois prieurs des Portes, de Saint-Sulpice et de Meyria (environ l'an 1128), que notre auteur entreprit ce travail (Fleury, *Hist. eccl.*, l. LXVII, n. 58).

Il déclare dans sa préface que jusqu'alors les Chartreux n'ont rien observé que ce qui est renfermé dans les Épîtres de saint Jérôme et la Règle de Saint-Benoît. D. Mabillon tire de là sa principale preuve pour montrer que les premiers Chartreux ont reconnu saint Benoît pour leur Père (Mab. *An.*, l. LXXVI, n. 75); preuve qu'il renforce de l'autorité d'un ancien manuscrit dont le titre est : *Statuta Guigonis Carthusiæ prioris et aliorum Patrum secundum regulam sancti Benedicti.* Mais l'auteur des Annales des Chartreux (*An. Carth. mss.*) soutient, au contraire, que ni saint Bruno, ni ses premiers disciples, n'ont jamais prétendu s'astreindre par préférence à aucune des règles monastiques établies avant eux, s'étant toujours réservé, dit-il, la liberté de prendre partout indifféremment, dans les écrits comme dans les exemples des anciens, ce qu'ils trouveraient de plus conforme à la perfection de la vie érémitique. C'est une question où le plan de notre Histoire ne nous permet pas d'entrer plus avant. Le corps de l'ouvrage est partagé en quatre-vingts chapitres, dont voici les endroits qui nous ont paru les plus dignes de remarque.

Cap. 1. Les frères dispersés un à un dans leurs cellules (ils étaient deux à deux sous saint Bruno) n'en sortaient, les jours ouvriers, que pour aller dire en commun vêpres et matines à l'église. Ils récitaient le reste de l'office en particulier. Le samedi ils se confessaient au prieur ou à celui qu'il avait chargé de les entendre.

Cap. 34. Le dimanche après prime on s'assemblait dans le chapitre. La messe conventuelle se disait avant tierce, à moins que le célébrant n'eût quelque cause de différer. On retournait au cloître après none, pour s'entretenir de choses utiles et édifiantes. Là, le sacristain donnait à chacun de l'encre, du parchemin, des plumes, de la craie, des livres, soit pour lire, soit pour copier. Le cuisinier pareillement leur distribuait des légumes, du sel, et et le soir après souper ils recevaient encore un pain bis, *tortam*, et retournaient dans leurs cellules.

Cap. 31. Ils ne se servaient point de signes pour suppléer à la parole comme dans la plupart des monastères, « parce que vivant seuls, dit notre auteur, ils n'ont besoin d'aucun artifice pour communiquer leurs pensées, et que d'ailleurs ils croient la langue l'instrument le plus naturel et le plus convenable pour cette fonction. » Ainsi, lorsqu'ils avaient quelque chose de nécessaire à dire, ils le faisaient de vive voix et en peu de mots.

Cap. 33. Les jeûnes étaient continuels comme dans la Règle de Saint-Benoît, depuis le 14 de septembre jusqu'à Pâques. Pendant le reste de l'année on jeûnait trois jours seulement chaque semaine. A Le dîner consistait en des œufs ou des légumes que chacun apprêtait soi-même lorsqu'il mangeait dans sa cellule. Au réfectoire, où l'on se rassemblait les jours de fête, on ajoutait du fromage et des fruits.

Cap. 38. On usait rarement de remèdes, à l'exception du cautère et de la saignée. Celle-ci, nommée *minutio*, se pratiquait cinq fois l'année en des temps marqués. Ceux qui voulaient s'en dispenser profitaient des mêmes soulagements qu'on accordait aux autres pendant trois jours consécutifs.

Cap. 28. Les habits et les meubles étaient pauvres. C'étaient, entre autres, des peaux pour les couvertures de lit, et des pelisses à cause du grand froid des montagnes. « Car, dit Guigues, c'est à nous particulièrement, entre les moines, qu'il convient de porter des vêtements grossiers et d'exprimer dans tout ce qui est à notre usage la pauvreté et l'humilité. »

Capp. 12, 13, 14. Lorsqu'un frère était dangereusement malade, on commençait par lui administrer l'extrême-onction, ensuite on lui essuyait le visage, et chacun venait lui donner le baiser comme pour lui dire adieu. Cela fait, il recevait le viatique. Dès qu'il entrait en agonie, on l'étendait sur la cendre. Le jour de son enterrement, la communauté mangeait au réfectoire comme un jour de fête. B

Cap. 77. Les fugitifs, lorsqu'ils revenaient et donnaient des marques d'un sincère repentir, étaient reçus, mais au dernier rang, ou bien on leur permettait de passer dans un autre ordre.

Capp. 4, 14. Il n'y avait d'autre argenterie dans l'église que le calice et un chalumeau pour prendre le précieux sang à la communion. Le prêtre hebdomadier disait une messe pendant la semaine pour tous les bienfaiteurs du monastère, pour les habitants du lieu et pour les défunts. « Car, on dit ici rarement la messe, ajoute l'auteur, parce qu'on s'y attache principalement au silence et à la retraite. » C

Cap. 36. On ne permettait l'entrée du chœur à aucun étranger qu'aux religieux, et eux seuls pouvaient coucher dans la maison d'en haut. Les laïques couchaient dans la maison d'en bas. C'était celle où demeuraient les frères convers ayant à leur tête le procureur pour les conduire. Le prieur y descendait de temps en temps, et c'était le plus loin où il pouvait s'étendre. Car il ne lui était pas permis de sortir des bornes de la Chartreuse.

Capp. 78, 79. Le nombre des religieux de chœur était fixé à treize, celui des convers à seize. Guigues conseille à ses successeurs de diminuer encore ce petit nombre si les facultés du monastère ne sont pas suffisantes pour l'entretenir, plutôt que de recourir à la nécessité de mendier et de vaguer. « Car nous avons en horreur, dit-il, la coutume d'aller de côté et d'autre et de quêter, comme très-dangereuse; c'est avec douleur que nous la voyons établie chez plusieurs personnes dont nous louons d'ailleurs la sainte manière de vivre, et cela sous prétexte de charité pour avoir de quoi donner aux survenants. » D

Tels sont les principaux articles des coutumes de la Grande-Chartreuse rédigées par Guigues. Le ton dont il s'explique d'un bout à l'autre est plutôt celui d'un historien que d'un législateur. Content de rapporter ce qui s'observait dans la Grande-Chartreuse, il ne paraît pas vouloir assujettir les autres maisons aux mêmes usages, sans doute parce que, n'ayant aucune juridiction sur elles, il croyait devoir laisser aux supérieurs locaux le soin d'en faire autant de lois pour ceux qui leur étaient soumis. Du reste en proposant la lettre, il a toujours soin d'en montrer l'esprit en peu de mots et d'ennoblir jusqu'aux plus minces pratiques du cloître par des vues puisées dans les sources les plus pures de la morale chrétienne. Nous venons

d'en donner des exemples. Pour connaître à quel point ces coutumes de Guigues furent respectées par les anciens Chartreux, malgré les altérations qu'elles souffrirent dans la pratique, il est à propos de rapporter le décret que l'ordre fit à ce sujet dans le chapitre tenu l'an 1259. « Quoiqu'on ait fait, y est-il dit, quelques changements quant à l'observance dans les coutumes de D. Guigues, néanmoins le chapitre ordonne que chaque maison les conserve sans rien changer au texte, et que, si l'on en a rayé quelque endroit, il soit au plutôt rétabli (Oudin, *Script.*, t. II, p. 1133). Ordonne en outre qu'à chaque année bissextile on en fera la lecture en communauté, afin que tous apprennent par là combien nous sommes déchus de la perfection de nos premiers pères. » Ce fut sans doute pour se conformer à l'esprit de ce décret que D. Grior, prieur de la Chartreuse du mont Saint-Jean, près de Fribourg, les mit à la tête de son recueil des anciens et nouveaux statuts des Chartreux, imprimé l'an 1510 à Bâle, chez Amerback, en un gros volume in-folio. Cette édition (2), extrêmement rare aujourd'hui, renferme de plus les priviléges de l'ordre, précédés, ainsi que les statuts, d'un ample répertoire ou table des matières. Non content de redonner le texte des coutumes de Guigues dans sa pureté originale, l'auteur du premier volume des Annales des Chartreux, publié l'an 1683 à la Correrie, a jugé à propos d'y joindre un Commentaire, dans lequel il les compare avec les règlements qui ont été faits depuis. Enfin, en 1703 D. Innocent Masson renouvela l'édition de 1510 avec une préface et des remarques de sa façon, à Paris, chez Dezallier, dans un volume in-folio dont le titre est : *Disciplina ordinis Carthusiensis in tres libros distributa.*

3° Guigues composa la Vie de saint Hugues (Boll. 1 *Apr.*, p. 37), premier du nom, évêque de Grenoble, le père, le protecteur, l'ami et même pendant quelque temps le compagnon des solitaires de la Grande-Chartreuse. Dès que l'illustre prélat eut quitté la terre, notre auteur souhaita que quelque plume habile fît connaître au public ses vertus. Mais, quoique fortement sollicité par Hugues II, successeur du premier, et par l'évêque de Maurienne, d'entreprendre lui-même cet ouvrage, il n'osa, dit-il, s'en charger, tant il croyait la matière au-dessus de ses forces. Il fallut un ordre exprès du pape Innocent II pour lever ce scrupule. Par sa lettre datée de Pise le premier de mai de l'an 1134, ce pontife lui mande, qu'ayant appris le détail de la vie de Hugues et les merveilles que Dieu opérait par son intercession, il avait jugé à propos, de l'avis des archevêques, évêques et cardinaux assemblés en concile dans cette ville, d'ordonner qu'il fût honoré d'un culte public, et d'assigner le jour de sa fête à celui de sa mort : « En conséquence, ajoute-t-il, nous vous enjoignons, instruit comme vous êtes de tout ce qui concerne la personne de ce prélat et des miracles qui ont manifesté sa sainteté, de mettre ce que vous savez là-dessus par écrit, pour l'édification de la postérité. »

Telle était la soumission de Guigues pour les volontés du Saint-Siége, que ni le préjugé où il était de son incapacité, ni les infirmités dont il se trouvait accablé, ne lui permirent d'en éluder ou même d'en différer l'exécution. Il prit aussitôt la plume, et envoya, dans la même année, au pape, la première partie de son travail, c'est-à-dire l'histoire de la vie du saint telle que nous l'avons dans Surius et Bollandus. Il restait encore à traiter de ses miracles. Nous ne savons s'il a rempli cet objet; du moins il n'en subsiste plus de vestige.

(2) Il est bon d'avertir que tous les exemplaires de cette édition ne sont pas complets. Dans les uns, comme, par exemple, dans celui de Saint-Germain des Prés, on chercherait inutilement l'ouvrage de Guigues; dans d'autres manquent les priviléges de l'ordre.

4° Guigues composa des méditations dont le mérite a fait multiplier les éditions; elles furent imprimées et réimprimées à Anvers l'an 1550, l'an 1554 et l'an 1589, chaque fois en un volume in-24, lequel, outre ces méditations, renferme celles de Guillaume de Saint-Thierri. Le même recueil fut remis sous presse à Paris, en 1600, dans un format plus petit. On joignit à l'écrit de Guigues, dans une quatrième édition qui parut à Munich, l'an 1685, deux autres opuscules, l'un de saint Eucher de Lyon, l'autre de saint Martin de Brague. Enfin, ces méditations ont été placées dans les trois grandes Bibliothèques des Pères. (*Bibl. PP. Paris.*, suppl. t. I, pag. 787 ; *Colon.* t. XII; *Lugd.* t. XXII, pag. 1104.)

L'auteur les a distribuées en vingt chapitres, dont chacun, à l'exception des trois derniers qui forment des discours suivis, consiste en pensées détachées, mais relatives à un même sujet. Ces pensées, courtes, nobles et solides, sont exprimées avec force et onction. Guigues s'attache également, dans cet ouvrage, à convaincre l'esprit et à toucher le cœur.

Le P. Labbe (*Bibl. mss.* suppl. 8) dit avoir vu, dans la bibliothèque des Chartreux de Paris, un manuscrit qui contient cent méditations de Jean de Stotorien, avec un pareil nombre de celles du vénérable Guigues. Le manuscrit n'y existe plus; mais il y a bien de l'apparence que les méditations de Guigues sont les mêmes que celles dont nous venons de rendre compte.

C'est ici que se termine la liste des écrits sincères de notre auteur qui ont passé jusqu'à nous. Ils sont en petit nombre; mais ils suffisent pour justifier les éloges qui ont été donnés de tout temps à la beauté du génie et à l'excellence de la piété de Guigues. On y aperçoit en effet de très-beaux sentiments, un certain air de noblesse, et de ces traits vifs et perçants que saint Bernard (ep. 1) admirait dans les lettres qu'il reçut de lui, et dont on ne voit de traces que dans les réponses de ce saint. La liberté avec laquelle il s'élève contre les abus de la cour de Rome en écrivant au cardinal Haimeric, montre une âme élevée au-dessus des préjugés de son siècle et incapable de déguiser la vérité. Il fut le seul qui osa blâmer ouvertement l'usage que faisait le pape Innocent des armes temporelles pour la défense de sa cause. Sa morale est puisée dans les grands principes de la religion. Les applications qu'il fait de l'Écriture sont fréquentes et presque toujours heureuses. Sa diction n'est pas la même dans tous ses écrits; elle est plus correcte dans ses lettres, parce qu'elles étaient adressées à des personnes instruites : ailleurs elle est plus négligée. On doit lui pardonner les expressions barbares qu'il emploie quelquefois dans le recueil des coutumes de son ordre. Des termes plus recherchés n'eussent pas été aussi facilement entendus de tous ceux à l'édification desquels cet ouvrage était consacré.

§ III. — *Scripta supposititia.*

Nous n'hésitons point de mettre à la tête des œuvres supposées de notre auteur un écrit que le public cependant ne semble plus lui contester, et qui réellement est digne de sa plume à plusieurs égards; c'est la célèbre lettre aux Chartreux du Mont-Dieu sur l'excellence et les devoirs de la vie solitaire. Avant dom Mabillon, les critiques en faisaient honneur tantôt à saint Bernard, tantôt à Guigues, tantôt à Guillaume de Saint-Thierri. Mais ce savant l'a revendiquée au dernier par des preuves qui ont réuni tous les suffrages de son temps (Bern. *Op. tert. cur.* vol. II, præf. in hunc tract., p. 196). Dom Martène est venu depuis, et s'est déclaré pour Guigues avec le même succès, en sorte qu'il a entraîné

jusqu'à ce jour tous les gens de lettres dans son opinion. Cependant les raisons dont il l'appuie sont plus spécieuses que solides, et pour les anéantir d'un trait de plume, il suffirait d'observer que la lettre en question est adressée non pas à Geoffroi, premier prieur du Mont-Dieu, mais à Haimon, qui lui succéda en 1144, c'est-à-dire huit ans après la mort de Guigues. Il est surprenant que dom Martène et ceux qui l'ont suivi ne se soient pas aperçus de cet anachronisme, sur lequel dom Mabillon les avait prévenus. Il ne l'est pas moins que nul d'entre eux n'ait senti combien les éloges que l'on donne à la vie des Chartreux, dans cet écrit, sont mal assortis aux sentiments et au langage de notre auteur. Comment, par exemple, a-t-on pu supposer à Guigues ce début? *Fratribus de Monte-Dei orientale lumen et antiquum illum in religione Ægyptium fervorem tenebris occiduis et Gallicanis frigoribus inferentibus..... occurre et concurre in gaudio sancti Spiritus anima mea..... Auditu auris audieramus, nec credebamus, legebamus in libris et mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria..... cum subito invenimus eam in campis silvæ, in Monte-Dei.* Reconnaît-on là celui qui avait coutume de s'intituler, dans ses lettres, *l'humble prieur des pauvres Chartreux*; qui se croyait indigne, lui et les siens, de toute louange, et qui regardait comme la plus dangereuse des tentations celle qu'il était obligé de recevoir? Est-ce encore le prieur de la Grande-Chartreuse qui parle ainsi de sa maison : *Salva per omnia Carthusiæ debita sanctitate et cum omni laude prædicanda reverentia?* Ajoutons un dernier trait qui montre, avec la même évidence, que cette pièce est étrangère à Guigues. L'auteur, dans le prologue, dit qu'il avait fait un voyage au Mont-Dieu. Or, les statuts de la Grande-Chartreuse, rédigés par Guigues, défendent au prieur de passer les limites de la montagne. Est-il vraisemblable que Guigues ait enfreint une loi que ses prédécesseurs avaient si religieusement observée et que lui-même venait de renouveler?

Ces remarques nous dispensent d'entrer dans la discussion des preuves tirées, de part et d'autre, de l'autorité des manuscrits. Il y a des exemplaires pour Guigues, il y en a pour Guillaume, et quelques-uns qui ne désignent l'auteur que par la lettre initiale *W*, commune aux noms de nos deux écrivains. Les derniers ne décident rien; mais entre les seconds celui de l'abbaye de Signi, où Guillaume finit ses jours, mérite d'autant plus de considération que c'est en ce lieu surtout qu'a dû se conserver le souvenir de ses véritables écrits.

Un autre ouvrage que nous croyons devoir également refuser à notre auteur est un traité moral, en forme de lettre, qui se rencontre dans toutes les éditions de saint Augustin et de saint Bernard. Il est intitulé dans les premières l'*Echelle du Paradis*, et dans les dernières l'*Echelle du cloître*. D. Mabillon a fait voir (Bern. *Op.* vol. II, p. 311) qu'il n'appartenait ni à l'un ni à l'autre de ces Pères, mais à un Guigues, chartreux, suivant cette inscription qu'il porte dans un manuscrit de la Chartreuse de Cologne : *Epistola domni Guigonis ad fratrem Gervasium de vita contemplativa;* et ensuite : *dilecto fratri suo Gervasio frater Guigo, delectari in Domino.* Reste présentement à savoir si c'est le premier ou le second des deux Guigues qui ont gouverné la Grande-Chartreuse. Dom Mabillon ne prononce rien là-dessus. Mais voici des raisons qui nous paraissent suffisantes pour décider en faveur du second. D'abord, cette lettre renferme plusieurs pensées et plusieurs expressions empruntées de saint Bernard, comme tout homme, versé dans la lecture de ses écrits, peut s'en apercevoir en la lisant. De plus, lorsqu'elle fut écrite, il devait y avoir d'autres Chartreuses que la grande, puisqu'elle suppose que Gervais, à qui elle fut envoyée, était lui-même Chartreux. Cependant l'auteur la composa dans les premières années de sa conversion. Car, non-seulement, il mande à son confrère qu'il lui dédie les prémices de son travail, mais il s'annonce lui-même comme une plante nouvellement édifiée dans la solitude. *Hæc nostri laboris initia tibi primitus offero ut novellæ plantationis primitivos fructus colligas.* Ce n'était donc pas ce même Guigues sous le gouvernement duquel furent fondées les premières colonies de l'ordre. Nous pourrions ajouter une troisième raison, mais elle trouvera mieux sa place à l'article de Guigues II. C'est au même article que nous réservons à prouver que Duchesne a pris un des Guigues pour l'autre, en donnant au premier un traité *Des quatre degrés spirituels*, et un opuscule *De la vérité et de la paix* (*Bib. Clun.*, pag. 112, not.)

NOTITIA ALTERA.

Opp. S. Bernardi edit. Mabill., not., pag. xv.

Guigo I, cognomento de Castro, natione Gallus, patria Delphinus, nativitate Valentinensis, Carthusiæ majoris a B. Brunone prior generalis quintus, Bernardo charissimus, ut constat tum ex epist. 11, tum ex lib. III Vitæ S. Bern., cap. 1, vir insignis modestiæ, uti suis se ipse coloribus depinxit in quadam epistola ad Petrum Cluniac. (*exstat lib.* I *Epist. Petri Ven. ord.* 28) : *Petimus*, inquit, *per eam qua in nos indignos vestra fervent viscera dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione, ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Et illud præ omnibus et super omnia quæsumus, et defixis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram* Patris *nomine dignam ulterius æstimetis. Satis et supersatis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur.* Quo quidem exemplo ipse Venerab. Petrus ad Bernardum scribens postmodum usus est, ut videre licet epist. 388; uterque forsitan æmulatus Bernardum epist. 71. Scripsit vero et ipse plura, quibus, inquit Trithemius, nomen suum immortalitate donatum est; nempe *Vitam S. Hugonis Gratianopolitani episcopi*, quæ Innocentio II dicata reperitur apud Surium tomo II, die 1 Aprilis : *Meditationes*, quæ exstant in Biblioth. PP. *Tractatum de veritate et pace*, ms. in biblioth. Carthusiæ Coloniens. *Institutorum Carthus. lib. unum*, item *librum De contemplatione, epistolasque varias*, ex quibus quatuor hic habes tomo VI, aliis a me post Horstium inutili diligentia perquisitis. Cum enim ea de re scripsissem ad reverendissimum P. D. Joannem Pegon, priorem Carthusiæ Majoris atque ordinis generalem, hoc ab eo responsum habere merui, nimirum post sex incendia, quæ sacra illa domus ab incunabulis passa est, vix quidquam superesse instructissimæ illius mss. supellectilis quam majores sui summa cura et diligentia adornaverant. Tribuitur etiam eidem Guigoni *lib. de Scala claustralium*, relatus tomo V. Nec omittendum quod de illo refert Trithemius, scilicet quod epistolas S. Hieronymi nimio scriptorum vitio depravatas diligenti studio ad veritatis limam emenda-

verit et in unum comportaverit. Guigonis hac de re epistolam habes hic ex tomo I Analectorum. Porro quinquagesimum ætatis agens annum, inquit Sutor, lib. II Vit. Carth., cap. 5, conversionis vero XXX, prioratus sui XXVII, vel circiter, non sine sanctitatis opinione spiritum Domino reddidit an. Domini 1137, ab inchoatione vero ordinis LIII. Ita ille.

GUIGONIS I

CARTHUSIÆ MAJORIS POST S. BRUNONEM PRIORIS QUINTI

EPISTOLÆ.

I.

Ad Durbonenses (3) *fratres. — De suppositititis beati Hieronymi epistolis.*

(MABILL. *Analect.* nov. edit., p. 464.)

Amicis et fratribus in Christo dilectissimis. LAZARO Durbonensi priori, et cæteris in eadem eremo Deo famulantibus, Carthusiæ prior vocatus GUIGO, æternam a Domino salutem.

Inter cætera catholicorum virorum, quæ ad eruditionem fidelium elaboraverunt opera, quæ nostra quoque parvitas congregare studuit vel emendare; etiam epistolas beati Hieronymi, quotquot potuimus, undecunque quæsitas, et pro concessa a Deo facultate mendaciis expurgatas, in unum grande volumen redegimus. Abscidimus autem ab eis quasdam, quas vel ex aliorum doctorum scriptis, vel ex styli sententiarumque distantia, titulo tanti viri comperimus indignas : ex quibus illa est cujus est titulus ad Demetriadem, hoc habens initium : *Si summo ingenio parique fretus scientia.* Hanc quippe beatus Augustinus in opere contra Pelagium De gratia Christi et de peccato originali, ejusdem Pelagii esse dicit, quædam ipsius frustra tractatui suo interferens atque redarguens. Huic adduntur et istæ, ad Titatium de morte filiæ, cujus initium tale est : *Charitatis tuæ scripta percepi.* Ad Oceanum consolatoria, tale habens initium : *Diversorum opprobria, tribulationes multiplices.* Ad viduam, quæ sic incipit : *Magnam humilitati nostræ fiduciam scribendi.* Ad virginem, sive ad filiam Mauricii (dupliciter quippe intitulata reperitur) exordium istud accipiens : *Quantam in cœlestibus beatitudinem.* Item de lapsu virginis, sive de pœnitentia, ad Susannam : uterque enim titulus in diversis codicibus invenitur. Quæ tam diversis titulatur auctoribus, ut eorum nullius sit decoranda vocabulo, cujus hoc est in quibusdam libris initium : *Puto leve esse crimen.* In aliis istud : *Quid agis, anima? quid cogitationibus æstuas?* Ad Desiderium de XII lectoribus a nescio quo in irrisionem doctorum composita. Ad Celantiam sic incipiens : *Veteris scripturæ celebrata sententia est.* Hæc stylo quidem nobiliore est scripta, sed nec sic beato Hieronymo digna. Postrema est de origine animæ disputatio, quasi inter beatos Hieronymum et Augustinum, ubi licet multa ex eorum scriptis ponantur, falsa tamen est : tum quia præfati doctores nunquam inter se præsentialiter sunt locuti, tum quia eadem quæstio nec apud eos, nec apud cæteros fidei catholicæ sectatores adhuc usque potuit liquido definiri. Hujus disputationis tale reperitur principium : *Cum apud vos cœlestis eloquentia purissimi fontis.* Ne autem prædicti doctoris epistolæ sine rationabili causa apud imperitos suo videantur numero diminutæ, has nostræ parvitatis litteras in principio collocate. Valete. Orate pro nobis.

II.

Ad Petrum Venerabilem, Cluniacensem abbatem. (*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 633.)

Domino et Patri in Christo reverentissimo abbati Cluniacensi PETRO, dignationis ejus servus et filius, Carthusiensium pauperum inutilis GUIGO famulus, perpetua pace gaudere per Christum.

Crucifixum, crucifixus et ipse, crucifigendis misistis. Gratias itaque reddimus, pro qualitate muneris, charitati muneratoris. Verumtamen vestra in litteris quas misistis expressa charitas, nostræ etsi magnam præstat consolationem infirmitati, non minorem tamen humilitas confusionem ingerit extremitati. Unde petimus per eam, qua in nos indignos vestra fervent viscera, dilectionem, ut quando nostræ exiguitati vestra scribere dignatur serenitas, ita de propria cogitetis ædificatione ut infirmitatem nostram periculosa non infletis elatione. Et illud præ omnibus et super omnia quæsumus, et deflexis in terram genibus obsecramus, ne vilitatem nostram Patris nomine dignam ulterius æstimetis. Satis et super satis est, si frater, si amicus, si filius appelletur, qui nec servi nomine dignus habetur. Valete. Salutate reverendos Patres et dominos nostros, quibus paternam curam impenditis, quorum pariter et vestris precibus nostram illuminari cæcitatem, roborari infirmitatem et aboleri petimus iniquitatem. Domni Arberti majoris prioris infirmitatibus, tanquam antiqui ac familiaris amici, nostro dolore compatimur. Domnum quoque Petrum, vestris litteris specialiter inditum, specialiter et ipsi salutamus. Pro visitatione etiam quam nobis vir egregius prior claustrensis et domnus Hugo de Creceio nuper exhibuere, paternitati vestræ gratias agimus. Incolumem vos assiduo virtutum profectu, ad no-

(3) Carthusia Durbonensis in Provincia, diœcesis Vapincensis.

strum et totius Ecclesiæ gaudium, clementia divina conservet. Apud fratres nostros nostra commendatione non indigetis. Ipsemet enim vestris meritis vestrisque litteris eorum visceribus vestram memoriam insolubiliter alligastis.

III.

Ad Haymericum cardinalem et cancellarium. — Monet duos esse hostes quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum.

(Opp. S. Bern. edit. Mabill., vol. II, p. 1051.)

1. Domino et amico in Christo reverendissimo, sedis apostolicæ cancellario Haymerico, amici (si tamen dignum est) ejus, et sui Carthusienses fratres, terrena despicere, et amare cœlestia.

Quam grata fuerit nobis vestra præsentia recordatione sentimus unde, quæsumus, sic agite ut cum ab his diebus qui secundum Apostolum mali sunt, et secundum Psalmistam sicut umbra deficiunt, ad dies bonos et annos æternos transieritis, non de nostra (quid enim nos vel sumus vel erimus?) sed de illius visione et societate cum sanctis omnibus lætemini, propter quem nostram et obscuritatem nosse, et necessitatem supplere, et, quod longe pluris ducimus, tot et tantis ecclesiasticis, quibus nunquam caretis, interpositis negotiis, latebras nostras, non solum humiliter, sed et laboriose penetrare, nosque ipsos oculo ad oculum invisere, et ore ad os loqui, non est tledignata vestra sublimitas; a quo solo summo beneficio et bono, societate scilicet et visione Dei, non spatiis locorum aut temporum (semper enim est et ubique, et in ipso vivimus, movemur et sumus) sed meritis sejungimur peccatorum, sicut scriptum est: *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat: sed peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum* (*Isa.* LIX, 1). Quæ quoniam pene cuncta de mentis elatione aut de carnis veniunt voluntate, quorum nobis alterum cum belluis, alterum cum angelis est commune, sed reprobis, nitendum summopere est ut et mentis superbia prematur humilitate, et carnis luxuria sobrietate. Hinc Dominus: *Videte*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI, 34). Itemque: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29).

2. Non ergo in multa nostra diffundatur intentio. Duo sunt tantum adversus quæ nobis totis est viribus dimicandum: elatio in mente, voluptas in corpore. His superatis, nil remanebit vincendum, nil supererit metuendum. Cupiditas enim rerum exteriorum non ob aliud inflammatur, nisi ut his modis omnibus serviatur. Contra quæ si nostrum sentimus non satis esse conatum, divinum imploremus auxilium; sed imploremus humiliter, imploremus devote, corde, ore, actu, habitu. Dictum quippe Israelitico, cum peccasset, est populo: *Jam nunc pone ornatum tuum. Deposuerunt ergo ornatum suum de monte Oreb* (*Exod.* XXXIII, 5). Itemque alias luxit populus, et nullus eorum indutus est ex cultu suo. Sicut et Ninivitarum rex, homo gentilis, ad unius hominis ignoti vocem et naufragi, *descendit de solio suo, et abjecit vestimenta sua a se, et indutus est sacco, et sedit in pulvere, et clamavit ad Dominum* (*Jon.* III, 6); eamdem austeritatem non solum omnis ætatis et sexus homines, sed jumenta subire compellens. Et nos itaque Dominici corporis, quod est Ecclesia, cruentam scissionem, quam nonnisi nostris evenisse credendum est meritis, nec immotis visceribus, nec siccis aspiciamus oculis; alioquin pretiosis ornati vestibus, herminiis et griseis confoti pellibus, numerosis et exquisitis refecti dapibus, plumis instar Sardanapali non tam impositi quam immersi mollibus, divinam indignationem quomodo nostris putamus placandam precibus? et non magis metuimus ne tum prophetica contra nos dirigatur invectio, dicaturque: *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel! qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui dormitis in lectis eburneis, et lasciritis in stratis vestris!* (*Amos* VI, 10.) de quibus concluditur, *et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

3. Erubescamus ad hoc, dulcissime, sero cognite, brevi conspecte, cito rapte, et corporalibus oculis nunquam deinceps forte conspiciende: ab amoris tamen nostri complexibus nullis casibus, nullis avellende temporibus. Erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod et Judaicam et gentilem videamur superasse duritiam, dum illi divinam severitatem media ciborum et vilitate simul atque asperitate mitigant vestium, nos in peccatis multis atque periculis, nec gloriæ modum damus, neque deliciis. Neque enim agnum jam de grege, aut vitulos tantum de medio armenti, sed greges integros et armenta tota consumimus. In modum quippe Amalech, cum innumera multitudine hominum et jumentorum supervenientes ecclesiis cuncta complemus, quidquid tetigerimus, devastantes; nec his contenti, tabulas, cruces, calices, et sacras spoliamus imagines. Et ut quid hoc? forte ut pauperes sustententur, monasteria construantur, captivi redimantur? Non ita: sed potius ut ad interficiendos Christianos et sagittarii, et ballistarii, equites et lancearii conducantur; et his eripiant res et animas, pro quibus debuerunt ponere suas. Proh dolor! a summis hodie pontificibus, et per totum pene orbem, exemplo sedis apostolicæ, frater in fratrem, id est Christianus in Christianum, sacra pecunia conducitur et armatur; et talibus triumphis Ecclesia mater gratulatur, et post hæc totis manibus cruenta conscientia divina pergitur ad sacrificia. Si hoc ferendum, quid reprehendendum?

4. At regalia, aiunt, hæc sunt, et de imperatoris sumpta palatio. Non negamus. Atque utinam in palatiis mansissent semper, non in sacrariis, imo magis nec in palatiis unquam fuissent, nec in ec-

clesiis! Quanto enim melius Ecclesiæ palatiis leges, quam palatia darent Ecclesiis? nunquid enim Ecclesiæ palatiis, et non potius palatia docenda commissa sunt Ecclesiis? aut palatia Christum Ecclesiis, non Ecclesiæ dedere palatiis? Quanto ergo rectius a nobis reges cilicia, quam nos ab eis purpuras sumeremus! Quanto utilius ipsi nostram paupertatem, nostra jejunia susciperent, atque humilitatem, quam nos eorum avaritias, delicias atque elationem? Quod si quis in Ecclesiis vel ecclesiasticis tentaverit quid horum arguere personis, nonne statim respondebitur hoc agentibus: Quid agis? Quid me meis, contra evangelicam sententiam, meliorem vis facere magistris? Nunquid non Ecclesia Romana variis, griseis, herminiis, marturinis, jugulatis, et lumbatis (4), nec non et sericis abutitur indumentis? Nunquid Ecclesia Romana convivia respuit, exercitum non conducit, bella non conficit? Non est autem discipulus supra magistrum, neque apostolus major eo qui misit illum; sed potius perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid ad hæc dicetur? Videtis in quam arcto constituti sumus. Aut enim quod malum est, bonum dicere, aut Deo regente prorsus non faciemus; aut apostolicam sedem (quod quis audeat?) reprehendere; aut, quod forte tutius est, omnino tacere compellimur. Et o apostolorum tempora infelicissima, in quibus ad Dei regnum, nisi per famem et sitim, frigus et nuditatem aditus non patebat! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, et omni miseratione dignissimos! qui ut ad vitam quoque pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, et hæc nostra compendia nesciebant.

5. Hæc non doctoris aut reprehensoris auctoritate, sed dolentis et lamentantis affectu fuderimus, zelo domus Dei, cujus diligimus decorem, rodente viscera nostra, rogantes et obsecrantes, si non in cæteris, in vobis saltem nonnihil proferant fructus. Si, inquam, hi cum quibus conversamini, saluti suæ aut nullam, aut parvam, aut non sufficientem adhibent curam, vos tamen, vestri non immemores, animam vestram nolite negligere. Scriptum est enim: *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite* (*Deut.* IV, 9); et iterum: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24); itemque: *Omni custodia conserva cor tuum* (*Prov.* IV, 23); et Dominus: *Quid prodest*, ait, *homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* (*Luc* IX, 25.) Non igitur ejus vobis curam eripiat aut favor principum, aut nitor ornamentorum, aut frequentia negotiorum, aut gloria pomparum, aut deliciæ conviviorum, aut oblatorum quantitas ulla donorum. Semper et ubique vestro versetur in animo, quia nescitis in tremendo Christi judicio cum quibus futuri sitis, utrum cum illis quibus dicitur: *Ite, maledicti*, aut cum illis qui audient: *Venite, benedicti*. Valete. Deus Pater, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum, amen. Nobis autem misereatur idem ipse omnipotens Deus, per vestras et totius Ecclesiæ Romanæ intercessiones et opera sacra, exhilarans corda nostra fragrantissimis et saluberrimis odoribus famæ vestræ, et continuis in veritate profectibus. Iterum valete. Salutate nobis reverendos Patres Albanum scilicet et Ostiensem episcopos [Matthæum et Albericum]: et si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertio. Habetote, quæsumus, domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua.

(4) Lumbatæ sunt braccæ modicæ et breves.

IV.

Ad Hugonem S. militiæ priorem. — Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Dominis et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, Hugoni, sanctæ militiæ priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Carthusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium Christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Dominum nostrum.

1. Quoniam in revertendo, sicut in veniendo, præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequivimus, visum est nobis ut per litteras vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles dilectionem vestram exhortari nequaquam novimus; ad spiritualia vero, in quibus et quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non prius intimos superamus. Et pudendum nimis est et indignum quorumlibet velle ditioni nostræ subjicere agmina, si non prius nostra nobis subjecta fuerint corpora. Quis enim ferat exterius in amplas terras extendere velle nos dominationem, et exiguis cespitibus, id est carnibus nostris, ignominiosam perpeti vitiorum servitutem? Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, ut secure deinceps ad exteros pugnemus inimicos; mentes nostras prius a vitiis, dehinc terras purgemus a barbaris.

2. Non igitur regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra nostra arma justitiæ Deo, et si caro concupiscit adversus spiritum indomabiliter. *Hæc enim*, inquit Apostolus, *sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis faciatis.* Vellemus namque omni, si fieri posset, carere concupiscentia. Sed si in hac vita, quæ tota tentatio est, concupiscentia ad plenum carere non possumus, concupiscentiis saltem non serviamus. Ad quod quia viribus nobis parum sufficientes sumus, confortemur in Do-

eorum indutus est ex cultu suo. rex, homo gentilis, ad unius et naufragi, *descendit de solio vestimenta sua a se, et indutus est pulvere, et clamavit ad Dominum*; eumdem austeritatem non solum omnis homines, sed jumenta subire com- Et nos itaque Dominici corporis, quod est crucetam scissionem, quam nonnisi no- credendum est meritis, nec immotis nec siccis aspiciamus] oculis; alioquin ornati vestibus, herminiis et griseis confoti numerosis et exquisitis refecti dapibus, instar Sardanapali non tam impositi quam immersi mollibus, divinam indignationem quomodo nostris putamus placandam precibus? et non magis metuimus ne tum prophetica contra nos dirigatur invectio, dicaturque : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel! qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti, qui dormitis in lectis eburneis, et lasciviti in stratis vestris!* (*Amos* VI, 10.) de quibus concluditur, *et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

3. Erubescamus ad hoc, dulcissime, sero cognite, brevi conspecte, cito rapte, et corporalibus oculis nunquam deinceps forte conspiciende : ab amoris tamen nostri complexibus nullis casibus, nullis avellende temporibus. Erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod et Judaicam et gentilem videamur superasse duritiam, dum illi divinam severitatem media ciborum et vilitate simul atque asperitate mitigant vestium, nos in peccatis multis atque periculis, nec gloriæ modum damus, neque deliciis. Neque enim agnum jam de grege, aut vitulos tantum de medio armenti, sed greges integros et armenta tota consumimus. In modum quippe Amalech, cum innumera multitudine hominum et jumentorum supervenientes ecclesiis cuncta complemus, quidquid tetigerimus, devastantes; nec his contenti, tabulas, cruces, calices, et sacras spoliamus imagines. Et ut quid hoc? forte ut pauperes sustententur, monasteria construantur, captivi redimantur? Non ita : sed potius ut ad interficiendos Christianos et sagittarii, et ballistarii, equites et lanceæ conducantur; et his eripiant res et animas, pro quibus debuerunt ponere suas. Proh dolor! a summis hodie pontificibus, et per totum pene orbem, exemplo sedis apostolicæ, frater in fratrem, id est Christianus in Christianum, sacra pecunia conducitur et armatur; et talibus triumphis Ecclesia mater gratulatur, et post hæc totis manibus cruenta conscientia divina pergitur ad sacrificia. Si hoc ferendum, quid reprehendendum?

4. At regalia, aiunt, hæc sunt, et de imperatoris sumpta palatio. Non negamus. Atque utinam in palatiis mansissent semper, non in sacrariis, imo magis nec in palatiis unquam fuissent, nec in ec-

sunt, deficiunt, ad ...eritis, non de ...mus?) sed cum sanctis omnibus ...nostram et obscuritatem ...supplere, et, quod longe ...et tantis ecclesiasticis, quibus ...interpositis negotiis, latebras no- ...non solum humiliter, sed et laboriose pene- ...nosque ipsos oculo ad oculum invisere, et ore ad os loqui, non est dedignata vestra sublimitas; a quo solo summo beneficio et bono, societate scilicet et visione Dei, non spatiis locorum aut temporum (semper enim est et ubique, et in ipso vivimus, movemur et sumus) sed meritis sejungimur peccatorum, sicut scriptum est : *Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat : sed peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum* (*Isa.* LIX, 1). Quæ quoniam pene cuncta de mentis elatione aut de carnis veniunt voluntate, quorum nobis alterum cum belluis, alterum cum angelis est commune, sed reprobis, nitendum summopere est ut et mentis superbia prematur humilitate, et carnis luxuria sobrietate. Hinc Dominus : *Videte*, inquit, *ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ* (*Luc.* XXI, 34). Itemque : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29).

2. Non ergo in multa nostra diffundatur intentio. Duo sunt tantum adversus quæ nobis totis est viribus dimicandum : elatio in mente, voluptas in corpore. His superatis, nil remanebit vincendum, nil supererit metuendum. Cupiditas enim rerum exteriorum non ob aliud inflammatur, nisi ut his modis omnibus serviatur. Contra quæ si nostrum sentimus non satis esse conatum, divinum imploremus auxilium; sed imploremus humiliter, imploremus devote, corde, ore, actu, habitu. Dictum quippe Israelitico, cum peccasset, est populo : *Jam nunc pone ornatum tuum. Deposuerunt ergo ornatum suum de monte Oreb* (*Exod.* XXXIII, 5). Itemque alias luxit

clesiis! Quanto enim melius Ecclesiæ palatiis leges, quam palatia darent Ecclesiis? nunquid enim Ecclesiæ palatiis, et non potius palatia docenda commissa sunt Ecclesiis? aut palatia Christum Ecclesiis, non Ecclesiæ dedere palatiis? Quanto ergo rectius a nobis reges cilicia, quam nos ab eis purpuras sumeremus! Quanto utilius ipsi nostram paupertatem, nostra jejunia susciperent, atque humilitatem, quam nos eorum avaritias, delicias atque elationem? Quod si quis in Ecclesiis vel ecclesiasticis tentaverit quid horum arguere personis, nonne statim respondebitur hoc agentibus: Quid agis? Quid me meis, contra evangelicam sententiam, meliorem vis facere magistris? Nunquid non Ecclesia Romana variis, griseis, herminiis, marturinis, jugulatis, et lumbatis (1), nec non et sericis abutitur indumentis? Nunquid Ecclesia Romana convivia respuit, exercitum non conducit, bella non conficit? Non est autem discipulus supra magistrum, neque apostolus major eo qui misit illum; sed potius perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid ad hæc dicetur? Videtis in quam arcto constituti sumus. Aut enim quod malum est, bonum dicere, aut Deo regente prorsus non faciemus; aut apostolicam sedem (quod quis audeat?) reprehendere; aut, quod forte tutius est, omnino tacere compellimur. Et o apostolorum tempora infelicissima, in quibus ad Dei regnum, nisi per famem et sitim, frigus et nuditatem aditus non patebat! O viros illos ignorantiæ tenebris involutos, et omni miseratione dignissimos! qui ut ad vitam quoque pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, et hæc nostra compendia nesciebant.

5. Hæc non doctoris aut reprehensoris auctoritate, sed dolentis et lamentantis affectu fuderimus, zelo domus Dei, cujus diligimus decorem, rodente viscera nostra, rogantes et obsecrantes, si non in cæteris, in vobis saltem nonnihil proferant fructus. Si, inquam, hi cum quibus conversamini, saluti suæ aut nullam, aut parvam, aut non sufficientem adhibent curam, vos tamen, vestri non immemores, animam vestram nolite negligere. Scriptum est enim: *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite* (*Deut.* IV, 9); et iterum: *Miserere animæ tuæ placens Deo* (*Eccli.* XXX, 24); itemque: *Omni custodia conserva cor tuum* (*Prov.* IV, 23); et Dominus: *Quid prodest*, ait, *homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* (*Luc* IX, 25.) Non igitur ejus vobis curam eripiat aut favor principum, aut nitor ornamentorum, aut frequentia negotiorum, aut gloria pomparum, aut deliciæ conviviorum, aut oblatorum quantitas ulla donorum. Semper et ubique vestro versetur in animo, quia nescitis in tremendo Christi judicio cum quibus futuri sitis, utrum cum illis quibus dicitur: *Ite, maledicti*, aut cum illis qui audient: *Venite, benedicti*. Valete. Deus Pater, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus faciens in vobis quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum, amen. Nobis autem misereatur idem ipse omnipotens Deus, per vestras et totius Ecclesiæ Romanæ intercessiones et opera sacra, exhilarans corda nostra fragrantissimis et saluberrimis odoribus famæ vestræ, et continuis in veritate profectibus. Iterum valete. Salutate nobis reverendos Patres Albanum scilicet et Ostiensem episcopos [Matthæum et Albericum]: et si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertio. Habetote, quæsumus, domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua.

(1) Lumbatæ sunt braccæ modicæ et breves.

IV.

Ad Hugonem S. militiæ priorem. — Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum.

Dominis et amicis in Christo charissimis ac reverendissimis, Hugoni, sanctæ militiæ priori, et omnibus qui reguntur ejus consilio, servi et amici Carthusiæ fratres, spiritualium simul et corporalium Christianæ religionis hostium victoriam plenariam, et pacem per Christum Dominum nostrum.

1. Quoniam in revertendo, sicut in veniendo, præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequivimus, visum est nobis ut per litteras vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles dilectionem vestram exhortari nequaquam novimus; ad spiritualia vero, in quibus et quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non prius intimos superamus. Et pudendum nimis est et indignum quorumlibet velle ditioni nostræ subjicere agmina, si non prius nostra nobis subjecta fuerint corpora. Quis enim ferat exterius in amplas terras extendere velle nos dominationem, et exiguis cespitibus, id est carnibus nostris, ignominiosam perpeti vitiorum servitutem? Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, ut secure deinceps ad exteros pugnemus inimicos; mentes nostras prius a vitiis, dehinc terras purgemus a barbaris.

2. Non igitur regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra nostra arma justitiæ Deo, et si caro concupiscit adversus spiritum indomabiliter. *Hæc enim*, inquit Apostolus, *sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis faciatis.* Vellemus namque omni, si fieri posset, carere concupiscentia. Sed si in hac vita, quæ tota tentatio est, concupiscentia ad plenum carere non possumus, concupiscentiis saltem non serviamus. Ad quod quia viribus nobis parum sufficientes sumus, confortemur in Do-

mino et in potentia virtutis ejus, induamusque armaturam Dei, ut possimus stare adversus insidias diaboli. *Non enim*, sicut ibidem sequitur, *colluctatio nobis est adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est contra vitia et eorum incentores nequissimos spiritus. Qui si (quod et David rogat) nostri dominati non fuerint, tunc immaculati erimus, et emundabimur a delictis maximis.

3. Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, et calciati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere; caput galea salutis obtectum, dexteram gladio salutis munitam habentes. Curramus, non quasi in incertum; pugnemus, non quasi aerem verberantes : sed castigemus corpus nostrum, et subjiciamus servituti, quia hic est hominis, id est animalis ad Dei imaginem conditi, status ordinatissimus, cum et caro servit spiritui, et spiritus subditur Conditori. In hoc bello tanto erit quisque robustior, tantoque, regente et protegente Deo, numerosis prostratis hostibus triumpho gloriosiore sublimior, quanto per omnia satègerit esse humilior; tantoque econtra ad omnia bona infirmior et inconstantior, quanto voluerit esse superbior. Deus enim resistit superbis. Non ergo opus est ut ad debellandos eos aliunde quæratur pugnator, quibus omnipotens resistit prælator. Quos contra David dicit : *Custodiens parvulos Dominus;* atque idipsum expertus in seipso subjunxit : *Humiliatus sum et liberavit me.* Utamur exemplo, si simili cupimus uti remedio. Faciamus quod fecit, si desideramus quod accepit; humiliemur, ut a malis omnibus liberemur. Apostolus etiam de Domino Jesu Christo : *Humiliavit*, inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nec incassum. Propter hoc enim, ait, *et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur quod Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris.* Et hinc quoque vel maxime sumamus exemplum, si ardemus ad præmium. Faciamus quod fecit, ut sequamur quo præcessit. Sectemur viam tantæ humilitatis, ut perveniamus ad gloriam Dei Patris. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat, humiliabitur*, testante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Omnipotentissima misericordia, et misericordissima omnipotentia Dei, tam in spiritualibus, quam etiam corporalibus præliis faciat vos semper et felicissime pugnare et gloriosissime triumphare. Optamus vos bene valere, et in sacris quæ tuemini locis, nostri, cum oratis, memoriam habere, charissimi et præstantissimi, et meritis insignissimi fratres. Has litteras per duos diversos nuntios transmisimus, ne quo impedimento (quod absit) non quirent pervenire, quas petimus, ut cunctis fratribus exponi faciatis.

V.

Ad Innocentium papam II. — Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias.

Domino et Patri charissimo ac reverendissimo apostolicæ sedis summo pontifici Innocentio, servi et filii Carthusiæ pauperes, illam quam mundus dare non potest pacem, suæque paternitatis devotam servitutem, et non necessarium licet obsequium.

Multas ad vestri apostolatus sacratas aures, etc. *Vide in Innocentio II, ad an.* 1143.

VI.

Hugonis Gratianopolitani episcopi, Guigonis et Carthusiensium fratrum epistola ad Patres in synodo Lugdunensi congregatos propter necem Thomæ, Sancti Victoris Parisiensis prioris, ab impiis crudeliter occisi.

(Labbe, *Concil.*, X, col. 975.)

Dominis et Patribus in Christo reverendissimis, archiepiscopis, episcopis et cæteris religiosis personis in præsentem locum defendendæ justitiæ gratia congregatis, Hugo, Gratianopolitanæ Ecclesiæ vocatus episcopus, et filii ejus, Carthusiensium pauperum servus inutilis Guigo, et qui secum sunt fratres, agenda cognoscere, cognita viriliter adimpiere per Christum Dominum nostrum.

Quod homines sumus, ad naturam; quod justi, ad meritum; quod episcopi, vel presbyteri, vel archidiaconi, vel aliquid hujusmodi, ad ecclesiasticum pertinet officium. In primo existimus, in secundo salvamur, in tertio providendi aliis quæ subtiliora sunt, potestatem accipimus. Duo ergo priora ad nos, tertium refertur ad proximos. Quod si manifestum fuerit, iuxta illud ficulneæ evangelicæ exemplar, quæ tandiu exspectata fructum non attulit, officium nos inutiliter habere susceptum, nulla justa cur in eo relinquamur remanebit occasio. Quid ergo si non solum inutiles Ecclesiæ, sed etiam perniciosi, vel verbis vel exemplis exstiterimus? Nonne non solum dejici, sed etiam digni sumus puniri? Etsi igitur beati Thomæ, et cæterorum qui recenter lotis in sanguine Agni stolis suis ad cœlestia demigrarunt, in conspectu Domini mors pretiosa mundana ultione non egeat, tamen si Ecclesiam Dei, sine qua nec publicæ res salvæ sunt nec privatæ, utilitate careat disciplinæ, rogamus supplices et obsecramus, quatenus armatura fidei protecti, et rectitudinis zelo succensi, et sanctorum Mosis, Phinees, Mathathiæ, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli adversus Simonem, Ananiam et Barjesu pie desævientium, maximeque ipsius Domini venditores de templo cædendo proturbantis, exemplis animati, in sacrilegos homicidas ecclesiastici rigoris intrepide gladium producatis, eosque, si fieri potest, omnibus sacrorum officiis privetis et beneficiis, quatenus omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra quispiam faciat simile. Ipsi enim magis quam homicidæ, in quorum cruentas delicias, vota complenda, et odia satianda, sanctorum sunt corpora laniata. Qui nisi

tantæ nequitiæ non solum fructu caruerint, sed et pœnam senserint, omnibus apud nos justitiæ defensoribus similia sunt metuenda. Valete. Orate pro nobis, et, sacris elevatis dextris super partem mundi in qua siti sumus, benedictionem et obsecrationem A profundite. Iterum valete. Participes nos faciat Deus sanctorum operum vestrorum, gestorum et gerendorum. Valete tertio cum reverendis principibus Blesensi et Nivernensi.

GUIGONIS

MAJORIS CARTHUSIÆ PRIORIS GENERALIS QUINTI

MEDITATIONES.

(Bibliotheca Patrum Lugdun., tom. XXII, pag. 1164.)

CAPITULUM PRIMUM.

De veritate et pace, et quomodo per solam veritatem pax habetur.

Veritas ponenda est in medio, tanquam pulchrum aliquod. Nec judices si quis eam abhorret, sed compatere. Tu vero cum ad eam venire desideres, cur respuis eam, cum de tuis vitiis increparis? Vide quanta patiatur veritas. Dicitur ebrioso : Ebriosus es; luxurioso, superbo linguosoque, similiter. Hoc autem verum est. Insaniunt tamen illi protinus, et veritatem in suo prædicatore persequuntur et occidunt. Vide quantum honoratur mendacium. Dicitur pessimis et vitiorum omnium servis : Boni domini. Placantur, gaudent et mendacium ipsum in ita loquente venerantur.

Sine aspectu et decore, crucique affixa adoranda est veritas.

Quanto quæque creatura nobilior est et potentior, tanto libentius subditur veritati; imo hinc potens et nobilis, quia subditur ei.

Pungunt temporalia, cur non fugis ad alia, id est ad veritatem?

Ideo ultra omnia adversa amara est nobis veritas, quia singulæ adversitates, singulas aut plures oppugnant voluptates. Veritas autem simul omnes calumniatur.

Si colores omnes, et cætera quæ per oculos experiri possunt esses expertus, aut ab aliis sensibus corporis sis expertus, si rumores omnes aut recitares, aut audires, quæ utilitas? Sic nec in tantis quæ expertus es vel audisti.

Neminem odisse potes, nisi tua iniquitate. Nam etiam iniquis optare bonum, sanctorum est. Veritatem tantum et pacem, quæ ex ea procedit, amare oportet.

Minister veritatis amet quod ministrat, et cui ministratur. Et, cum idipsum ab alio ministratur sibi, cum gratiarum actione suscipiat, tanquam id quod amat.

Charitas sit tibi causa dicendi veritatem, tanquam medendi. Quod si quis etiam non recipit, aut com- B pateris ei, aut non eum diligis, aut id quod spernit vile ducis, tanquam si respuat æger salubrem medicinam.

Veritatem sine fine pax sequitur communis cum angelis; mendacium, labor et dolor, communis cum diabolo. Non defenditur veritas, sed tu illa indiges.

Amara et insuavis est veritas generi tuo nimis valde, non suo, sed eorum vitio; sicut lux fulgens, infirmis oculis. Vide ergo ne tu eam amariorem facias, dum non eam sicut debes dicis, id est charitate; sicut enim pius medicus, qui salubrem et amaram ægro dat potionem, linit oram vasis melle, ut quod (dum est dulce) libenter sumitur, etiam quod salubre est, hiatu facile capiatur. Prodesse au- C tem hominibus tuum officium totum.

Si dicis veritatem non amore veritatis, sed desiderio lædendi alium, non præmium dicentis veritatem, sed pœnam conviciatoris assequeris.

Vide quantum supplicii passurus es, cum lux vera perfecte ostenderit te tibi; si tantum cruciatur, cui uno verbo aliquid malorum suorum ostendis. Tunc enim patebunt consilia cordium.

Æqualiter peccas cum vel alium vituperas, vel ab alio vituperaris; in utroque enim veritatem aut pro malo recipis, aut pro malo irrogas. Qui ergo te flagellare voluerit, vitam tuam, id est veritatem arripiat; per illam te cædat et cruciet.

Veritas est vita et salus æterna. Debes ergo compati ei cui displicet. In tantum enim est mortuus et D perditus. Tu autem perversus non ei diceres veritatem, nisi putares amaram illi esse atque intolerabilem. Ex te enim metiris alios. Sed hoc pessimum est quando ut placeas hominibus, dicis veritatem, quam diligunt et mirantur sicut diceres mendacia aut adulationes. Non ergo vel quia displicet vel quia placet, dicenda est veritas, sed ut prosit. Silenda est autem tantum ne noceat, sicut lux infirmis oculis.

Panis, id est veritas, confirmat cor hominis ne succumbat corporum formis.

Beatus, cujus mens solummodo cognitione et amore veritatis movetur sive afficitur, corpus vero ab ipsa tantummodo mente. Ita enim et corpus a sola veritate movetur. Si enim nullus in mente motus nisi veritatis, nullus in corpore nisi mentis, nullus quoque in corpore esset nisi veritatis, id est Dei.

Propter pacem facis omnia, ad quam iter est per solam veritatem; quæ est adversarius tuus in hac vita. Ergo aut illam tibi, aut te illi subjice. Non enim aliud tibi restat.

Adversitas monet pacem desiderare. Tu autem cæcatus id desideras quod, dum amas atque disideras, impossibile omnino est te pacem habere.

Cur rapis in te id quod in alio ita displicet, id est ira? Irasceris ergo, quia ille irascitur. Imo jam tibi irascere, quia irasceris. Si ita ipsa tibi vere displiceret, non admitteres eam, sed fugeres. Quod fit tantummodo tenendo pacem.

Non gloriatur lacus quod abundet aqua; de fonte enim est. Sic de tua pace. Semper enim aliud aliquid est causa pacis. Tanto ergo infirmior et fallacior est pax tua quanto mutabilius est id unde oritur. Quam vilis est ergo cum oritur ex jucunditate humanæ faciei?

Tutus appetit esse omnis homo. Quod tanto minus est quanto magis potest inquietari. Tanto enim magis potest inquietari quanto sunt paratiora habere se, aliter quam vult, ea quæ diligit. Dicat ergo aliquis hominum tibi: Ego tibi malum faciam; ego tibi pacem auferam. Cogitabo quippe de te malum aut dicam. Ecce quam paratus es mortificari et turbari.

Non sint temporalia causa pacis tuæ; tam vilis enim et tam fragilis erit quam illa. Hæc pax tibi communis erit cum brutis; tua sit cum angelis, id est, quæ de veritate procedit.

Quidquid ob pacem et beatitudinem tenueras et amaveras, contemne, nisi pacem et beatitudinem omnino vis perdere.

Pax est bonum illius animi in quo ipsa est. Propter seipsam igitur appetenda est, tanquam bonus sapor. Tanta sit in te, ut et malos non excludas.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet (*Joan.* XIV, 27), Sabbatum est verum. Hoc celebrat, qui nec illicitur nec cogitur, hic habet se in potestate, hic potest de se eleemosynam facere; ut sicut alius viderit expedire, iratus sit aut placatus.

Amor temporalis pacis necessario parit inquietudinem mentis. Qui ergo habet hanc pacem et amat, necessario caret pace.

Si malefacientibus tibi non invideas, erit tibi pax cum eis.

Sicut per similitudinem et pacem consistunt, ita per dissimilitudinem et discordiam cuncta intereunt.

CAPITULUM II.

De utili displicentia sui ipsius, et de humili confessione peccati.

Initium redeundi ad veritatem, est displicere sibi in falsitate. Emendationem præcedit vituperatio. Non enim libet mutare nisi quod displicet. Quia ergo semper indiges mutari, semper indiges tibi displicere.

In omni cura quam pro salute tua geris, non est ullum officium vel medicamentum utilius tibi quam teipsum vituperare atque contemnere. Quicunque ergo hoc facit, adjutor est tuus. Hoc enim agit quod tu agebas, aut agere debuisti, ut salvus fieres.

Ideo tibi places quia nihil te boni a te habere non intelligis. A te tibi nil nisi malum. Nullas ergo tibi grates debes. Malum omne a te tibi est. Pœnas itaque magnas pro vindicta debes.

Facile est iter ad Deum, quoniam exonerando itur; esset autem grave, si onerando iretur. In tantum ergo te exonera ut, dimissis omnibus, teipsum abneges.

Qui se vilem esse novit, vituperationes suas tanquam suas sententias quietus suscipit et humilis. Laudes vero respuit, tanquam non suas sententias.

Cum aliquis de te malum dicit, si non est ita, eidem nocet, non tibi; sicut si vocet aurum stercus, quid auro nocuit. Si verum est quod dicitur de te malum, doceris quid caveas. Qui autem quod bonum est dicit, non ei quem laudat, sed sibi ipsi prodest. Cum vero bonum tibi de te dicitur, ut quid rumores quos tu melius nosti, narrantur? Tu te solum vitupera.

Sua vitia quisque fugiat; nam aliena non nocebunt.

Continuum mendacium est habitus tuus, et corona tua, quoniam quod deest significant.

Cum aliquis dolet se commisisse furtum, ob natum sibi inde opprobrium, non eum pœnitet furti, sed dolet opprobrium incurrisse. Nec horret aut malum ducit peccare, sed puniri. Justis autem non aliud est peccare et aliud puniri. Ipsum nimirum peccatum atrocissimam pœnam ducunt, et ideo nullam iniquitatem impunitam posse esse, eo quod iniquitas peccati magna pœna sit, nihilque pejus ea cuique valeat irrogari. Et idcirco ipsam præ omnibus malis cavendam ac fugiendam censent, etiam si nihil aliud mali eam sequatur.

Si quem odisse debes, neminem ita ut te. Nemo enim tantum nocuit tibi.

Si nihil melioratur, nisi prius vituperatum, tunc qui non vult vituperari, non vult utique meliorari. Scriptum est enim: *Qui odit increpationes, insipiens est* (*Prov.* XII, 1); *Qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis* (*Prov.* XV, 32).

De confessione.

Nullus publicano esse poterat ad salutem reditus,

nisi humiliter confessus fuisset, quod ei Pharisæus superbe improperaret.

Hoc solo justus es, si ob peccata tua te damnandum agnoscas et dicas. Si justum te dicis, mendax es, et a Domino veritate damnaris, ut contrarius ei. Dic te peccatorem, ut verax Domino veritate convenias liberandus.

Magnorum est pro confitentibus intercedere, ut eis ignoscatur ; majorum autem, pro his etiam supplicare benigne qui nondum suum recognoscunt reatum, ut cognoscant, et pro his qui, aut quia erubescunt, aut quia amant reatum suum, non confitentur, ut confiteantur.

Omnis anima rationalis volens ulcisci se, hoc irrogat alteri quod sibi ipsi metuit, et abhorret et malum ducit. Nihil autem libentius ad ulciscendum B se quam veritatem arripit, nec ullum malum venatiore mente infligit. Ergo nil sibi magis abhorret fieri quam veritatem dici. Hoc quippe adversarius de alio dicit quod, si is cui dicitur humiliter recognoscit, salutem mereatur æternam. Qui enim adulterum, adulterum vocat, hoc ei dicit pro malo quod ipse pro salute sua fateri debet gratis. Libenter ergo hoc recipiat, nec qua intentione, sed quid sibi dicatur attendat.

Qui non videri, sed esse verax veraciter diligit ; nec videri, sed esse mendax veraciter metuit, statim ut se mentitum advertit, sibi contradicit, nec ab hoc ulla eum vel improperia vel damna revocant. Mavult enim verax mori, quam mendax vivere, si ta- C men vivit mendax, cum scriptum sit : *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11).

Hoc quod vis abscondere, id est peccatum tuum, improba et jam non erit quod abscondere debeas. Delere enim illud potes, abscondere non potes. Nihil enim opertum quod non reveletur, nec occultum quod non sciatur. Quare ergo morbum mavis celare quam sanare ? Quomodo morbos tui corporis libenter aliis, ut compatiantur, ostendis, et si nolunt credere, miserum te habes, augeturque dolor, sed et irasceris, et ita de animæ ægritudinibus ipsis facito.

CAPITULUM III.

De voluptatibus ac vilibus delectationibus quinque sensuum.

Vide duas experientias ingestionis et egestionis, quid te magis beatificet quod per hanc, an quod per illam experiris. Illa onerat inutilibus, hæc exonerat. Quid prosit utrumque, circumspice. Hoc est totum devorasse expertum esse. Nil ultra spei remanet. Sic in omnibus sensualibus. Vide ergo quid beatitudinis omnia hujusmodi, sive in spe, sive in re, in te effecerint, et sic cogita de futuris. Cogita, inquam, prospera præterita, et sic futura judica. Quæ speras, peritura sunt omnia. Et tu quid post hæc ? Aliquid ama et spera quod non transeat.

Pingi vis ligna coloribus, igne consumenda, cum ea quæ consumis, vis esse decora, seu cibos, seu A vestimenta. Vestibus indiges contra frigus, non colore illo vel illo, sic cibo contra famem, non sapore illo aut illo.

Voluptas bestialis, ex sensibus carnis ; diabolica vero, omnis fastus et invidiæ et fallaciæ ; philosophica vero, nosse creaturam ; angelica, nosse et amare Deum.

Quæ in transitoriis plus delectant, hæc magis mortifera sunt.

Eadem aut pejor est stultitia, genuflectere his quæ tu feceris, et animum inclinare his quæ destruis, id est saporibus vel aliis sensibilibus.

De regionibus congregavit eos, a saporibus scilicet et odoribus, et carneis tactibus eruens animos sanctos, in se colligit.

Ita conantur homines facere veram voluptatem sive beatitudinem, quasi aut nulla sit, aut fieri possit, cum ipsa sola sit, fieri vero nullo modo possit. Id autem est facere sibi beatitudinem et Deum ; et putare non esse beatitudinem, et non esse Deum.

Vide si omnes homines, dimissis omnibus aliis rebus quibus intendunt, uni tantum colori aut sapori ex toto intendant, quam miseri fœdi stulti erunt. Sic sunt et modo, cum tam multis ad diversis rerum qualitatibus intendunt. Non enim magis plures aut universæ creaturæ, Deus noster aut nostra salus sunt quam una quælibet earum.

Cum gaudemus unde et bruta, id est de luxuria, ut canes ; de voracitate, ut porci, et cætera, anima nostra fit similis animabus illorum, et non horremus. Ego autem mallem corpus habere canis quam animam. Et tamen si corpus nostrum in tantam canini corporis transiret similitudinem, in quantam animæ caninæ similitudinem anima nostra per luxuriam transit, quis nos ferret ? quis non horreret ? Melius autem ac tolerabilius esset, corpus nostrum in bestiam commutari, anima in sua dignitate, id est Dei imagine, permanente, quam, corpore manente humano, animam fieri bestialem. Et hæc mutatio tanto est horribilior magisque defienda, quanto anima præeminet corpori. Unde David : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Non enim de corporis hoc similitudine, ne D sit ridiculum, dici putandum est.

Coaptare aliquid, sicut cibum aut potum, tantummodo ut plus delectet, diabolo cooperari est in perniciem nostram, et acuere gladium, quod facilius et altius nostra possit viscera penetrare. Quanto enim his amplius delectamur, tanto gravius ac profundius vulneramur.

CAPITULUM IV.

De vanis timoribus, doloribus, et cruciatibus filiorum hujus sæculi, quos contrahunt ex perituris cupiditate et amore.

Sponte se implicat homo corporum ac vanitatis amori, sed, velit, nolit, cruciatur timore ac dolore pro eorum interitu, sive cum auferuntur ipsa corpora, sive cum ipse vituperatur. Amor enim peritu-

rorum est quasi fons timorum inutilium et dolorum, ac sollicitudinum universarum. Pauperem ergo a potente liberat Dominus, solvendo eum a vinculo mundani amoris. Qui enim nil periturum diligit, ubi a quolibet potente lædatur non habet, et omnino inviolabilis est, quia sola inviolabilia sicut diligenda sunt, diligit.

Si omnes capillos capitis tui abscindat quis, non te lædet, nisi cum eos qui capiti adhærent tetigerit. Sic te non lædent, nisi ea, quæ per concupiscentiam in te fixere radices, quis tangat. Quæ quo plura fuerint et magis amata, eo plures hac vehementiores dolores parient.

Aut exstingue penitus concupiscentiam, aut para te ad conturbandum, id est ad timendum et dolendum unde non debes.

Anima humana tandiu in se cruciatur quandiu potest cruciari, id est quandiu aliquid amat præter Deum. Deum enim nequit amittere nolens. Dimittere ergo eum potest, non amittere. Nemo enim læditur nisi a seipso.

Quot rerum amoribus, quæ tibi, vel quibus tu periturus eras, te Dominus liberavit a totidem te tristitiæ timoribus et doloribus absolvit.

Dum corporum species vel formæ, quibus tibi adhærentibus fœdaris, pereunt (tanquam syllabæ suis temporibus, Deo modulante), cruciaris. Eraditur enim quæ increverit rubigo.

Nil tibi laboriosius quam non laborare, id est contemnere omnia unde labores oriuntur, universa scilicet mutabilia.

Vide quanta turba generis tui pro mundo laboravit, et non solum non sunt adepti, sed insuper seipsos amiserunt. Tu autem si studueris, plus acquires sine ulla comparatione quam est id propter quod omnes laborant aut laboraverunt.

Turbatio animi stulta, ipsa est misera; hæc fere semper fit in te, cum causas mortis tuæ, id est ea quibus male adhærebas, corrumpit Deus, ut ea deserens vivas.

Ancillam diligis turpiter, id est creaturam; ideo tantum cruciaris, cum Dominus ejus, id est Deus tuus, agit de ea quod bene vult.

Uni ex syllabis magni carminis adhæsisti, ideo turbaris cum canendo procedit cantor sapientissimus. Subtrahitur enim tibi syllaba, quam solam amabas, et succedunt aliæ ordine suo. Non enim canit tibi soli, nec tuæ voluntati, sed suæ. Quæ autem succedunt syllabæ, ob hoc tibi contrariæ sunt, quia impellunt eam quam male amabas.

Quod syllaba in carmine, hoc loci aut temporis obtinet unaquæque res in mundano discursu, ideo ergo cruciaberis quia deterioribus inhæsisti, et suo ordine transeunt tanquam syllabæ in carmine.

Hæc omnia quæ dicuntur adversa, non sunt adversa nisi malis, id est amantibus creaturam pro Creatore.

Si ille aut ille tantum laboraret propter Deum, quantum laborat propter mundum, natale ejus tanquam martyris ageretur.

Sicut ex glacie frigus, ita ex temporalium amore timor inutilis animam invadit, et cæteræ miseriæ. Remove a te universa quæ tibi timendi causa sunt, sicut quæ frigoris. Remove dico non a loco, sed ab animo. Non est enim timendum nisi quod potest et quod expedit vitari, id est peccatum. Quidquid autem vitari expedit, vitari et potest, adjuvante Deo, id est iniquitas.

Vide quam sis in potestate hominum ad turbandum et cruciandum. Quam facile est eis vituperare te verbis, aut cogitationis opinione, tam facile est perturbare. Quid ergo? Si displices eis, perturbaris. Ergo in eorum es potestate. Sive quis hæc faciat, sive non; tu tamen ita ex præparatione mentis expositus es. Si in bono displices eis, ipsis hoc nocet, non tibi. Labora ergo tunc mutare corda eorum, non bonum tuum. Si in malo displices eis, non ipsum displicere tibi nocet, imo prodest, sed ipsum malum tuum.

Dicunt martyres Deo: *Propter te mortificamur tota die* (*Psal.* XLIII, 22); tu quibuslibet vilitatibus: Propter vos conturbor tota die.

Restringe te et collige undique; ne forte volubilitas mutabilium inveniat te in ipsis, et crucieris.

Quod aliquo modo cruciaris, sive timendo, sive irascendo, sive odiendo, sive quolibet modo dolendo, tibi tantummodo imputa, id est concupiscentiæ tuæ, ignorantiæ, vel torpori. Quod si quis vult te lædere, ejus imputa concupiscentiæ. Læsura tua et dolor, indicium est peccati tui; amasse te scilicet læsibile aliquid, Deo dimisso.

Læsis spectaculis doles. Tibi et errori tuo hoc imputa, quia læsibilibus inhæsisti. Nam in tantum consuevit homo malum omne in aliud retorquere, ut si aut in lapidem offenderit, aut igne adustus fuerit, ipsas Dei creaturas culpare ac maledicere audeat; quæ nisi hoc facerent, tanquam invalidæ atque emortuæ merito culparentur, et non potius suæ debilitatis lugere miseriam.

Vide quomodo, tanquam mare tam innumerabilium formarum corporearum et animorum humanorum nunquam in eodem statu permanentium, nunquam sinaris quiescere.

Quamvis sciat nutrix parvulum accepto passere lætaturum, timet tamen summopere ne accipiat, ac tanto magis, quanto magis eumdem inde lætaturum existimat, certe omnes homines et se, et quos amant, gaudere optant. Cur ergo id nutrix puero non solum non optat, sed insuper tanquam magnum malum, ne habeat cavet? Certe vult eum gaudere. Cur ergo et unde gavisurum scit subtrahit? Cur nisi quia futuram tristitiam attendit, cujus esse causam istam novit esse lætitiam? Scit enim profecto, tanto post hæc graviorem tristitiam animum pueri subituram, quanto vehementius gaudium tale præcesserit, ex quantitate præsentis utique lætitiæ, futuræ tristitiæ metiens magnitudinem. In quo facto quid aliud mu-

lier ista suggerit esse faciendum, nisi omnia illa gaudia quæ subsequuntur lamenta, tanquam pestem venenumque vitanda? Nec attendendum quid suavitatis habeant in præsenti dum adsunt, sed quid amaritudinis generent in nobis cum abeunt. Talia sunt omnia temporalia gaudia. Cur non ergo vineam possidendam, pratum, domum spatiosam, agrum; cur non aurum argentumque, cur non opiniones hominum laudesque, ac cætera similia, eadem causa provida cautela devitem? O quis dabit decrepito puero et tamen stulto, id est humano generi toti o bi diffuso, quamdam magnam, quamdam sapientissimam nutricem, quæ tali cura ac sollicitudine subtrahat ei, vel revocet eum a gaudiis, quæ futurorum semina sunt dolorum? Sed unde tantus in toto orbe gemitus fletuum, nisi quia hæc nutrix piissima ac potentissima nunquam cessat, sive per semetipsam, seu aliter, humano generi, causas dolorum, id est temporalia, tanquam passerem puero, auferre aut non dare.

CAPITULUM V.

De cupiditate, amore, et gloriatione terrenorum et temporalium, et quomodo per ea vera miseria non tollatur, sed augeatur.

Duobus modis, cum duæ res sunt æquales, potest hæc major illa fieri, aut suo proprio augmento, aut sociæ detrimento. Hoc posteriore modo omnes principes et potestates sæculi aut gaudent, aut nituntur cæteris omnibus esse majores, eorum, videlicet, dejectione et detrimento, non sua, id est corporis aut animi sui erectione aut augmento. Neque enim aut corpora eorum, aut mentes ullo modo meliorantur, sed videntur sibi profecisse et crevisse, quia illi defecerunt et decreverunt. Quod si ita omnia diminuta essent, ut in nihilum redacta essent, in quo crescere ex hoc anima vel corpus tuum?

Sicut qui vult lateres facere, plateam præparat, ubi eos interim ponat, non utique ibi remansuros, sed, cum exsiccati fuerint, alibi transferendos; et ita platea illa nullis specialiter lateribus parata est, sed omnibus æqualiter qui faciendi sunt, ita hunc locum humanæ habitationis, creandis hominibus et alibi peracto suo tempore transferendis, fecit Deus. Et, sicut figulus alios aufert, ut recenter facti in eorum succedant locum, ita Deus morte, tanquam translatione priorum, successuris præparat locum. Stultus ergo et insanus est qui in platea cordis amore inhæret, ac non potius quo sit transferendus hinc semper sollicitus meditatur. Nec injustum aut austerum videri lateribus debet, cum hinc transferuntur, nimirum eum hac intentione positi fuerint. Neque videbitur nisi his qui se hinc necessario transferendos non cogitant, qui commune et nulli proprium, sed innumerabilibus futuris communiter deputatum, insana cupiditate tanquam suum vindicant proprium. Vide in hac eadem re aliam insaniam nihilo minorem. Cum enim hi lateres fere omnes ejusdem sint quantitatis, vix tamen eorum ullus, unius tantum spatio contentus est, imo ejectis aut confractis quod potest multorum laterum, uni sibi vindicat locum.

Quid tibi videtur de eo qui totam intentionem suam, et tempus impendit ad fulciendam aliquam domum, quam fulciri est impossibile ex his rebus ex quibus nil omnino fulciri potest, vel si possit, ipsæ fulturæ indigent totidem fulturis aliis quot ipsa domus quæ ex his fulcienda est; et illæ fulturæ totidem, et ita in infinitum? Vita hæc, domus; fultor, tu; fulturæ, temporalia, quæ nunquam in eodem statu permanent, et nec fulcire, nec fulciri omnino possunt.

Longam tentationem petit, qui longam vitam petit. *Tentatio est* enim *vita hominis super terram* (*Job.* VII, 1).

Quod in suis amicis vel parentibus non amavit Deus, id est potentiam, nobilitatem, divitias, honores, non ames tu in tuis.

Laqueos comedis, bibis, vestis, dormis; omnia laqueus.

Exsules amore, voluptate, affectu, non loco. Exsules in regione corruptionis, passionum tenebrarum, ignorantiæ, malorum amorum et odiorum.

Quantum diligis te, id est hanc vitam temporalem, tantum diligas transitoria, sine quibus esse non potes, necesse est. Et quantum spernis hanc vitam, et ejus fomenta.

Grave est tibi hoc vel illud amisisse. Ne quæras ergo amittere. Quærit enim amittere, quisquis ea diligit et acquirit, quæ retineri non valent.

Omnis miseria in hoc est. Omnes amant aliquid principaliter, ubi semper intentionem habent fixam. Tu vero quid? Ecce omnes quasi thesauro invento arreptis mundi partibus singulis, singuli intendunt, aut certe inter plures scinduntur, ac si canis inter duo frusta carnis positus, ignoret cui potissimum appropinquet, alterum timens amittere.

Si hæc in quibus confidis aut delectaris, faceret hoc in semetipsis, irrideres tanquam stulta, imo lugeres tanquam perdita. Et si omnes ita insaniunt, nunquam bonum est tibi insanire? Si teipsum tam immundum toleras, cur non quemlibet alium? Quot ea quæ diligis casibus subjacent, totidem et animus tuus.

Qui hoc amat quod amandum non est, miser est et stultus, etiamsi nunquam vel ipse, vel illud pereat. Nunquid enim idololatra propter hoc tantum miser est, quia periturum est quod adorat? Ergo non esset miser, si illud non periret? Certe manente idolo ejus, miserrimus est adorator, licet incolumis corpore, et temporalibus bonis plenus.

Non te faciunt adversæ miserum; sed ostendunt fuisse et docent. Prosperitates vero excæcant animum, tegendo et augendo miseriam, non auferendo.

Vide quomodo capiatur anima rebus corporeis, et capta crucietur, utpote in puero. Capitur enim viso passere, quem, cum acceperit, subjacet tot casibus, quot passer ipse. Quomodo autem est tuta prinsquam

talibus capiatur? Ea enim quæ placent tenent illam, ut possit adversis multari.

Data nave, flatibus ferebamur ad gaudendum seu dolendum alternatione occursantium formarum.

Quomodo non glorietur aut superbiat de fortitudine vel pulchritudine, quando de infirmitate vel turpitudine gloriatur homo? Gloriatur enim si vehatur equo, aut ejus turpitudo pannorum decore veletur, cum potius gloriari posse videretur, si equum sua ipse virtute portaret, aut certe eo non indigeret, et fulgore suo vestes ipse decoraret, aut earum saltem decore non indigeret. Hæc enim et his similia indigentiam ejus ac turpitudinem protestantur.

Quam libenter ostentaret homo suam pulchritudinem si haberet, qui tam libenter ostentat alienam, videlicet in vestibus sive pelliciis, sive cujuslibet modi!

Non minus dolendum est pro eo qui gaudet temporalium adeptione quam qui amissione dolet. Uterque enim febre vexatur, id est amore mundi.

CAPITULUM VI.

De inutili et vili appetitu laudum et gloriæ, vel favoris humani.

Si bene scires naturam ac potentiam humanæ opinionis, vel favoris, nunquam vel exigue pro eis laborares, aut gauderes, aut contristareris. Nil enim prosunt cui impenduntur; sicut colores, et cæteræ formæ, corpora, vel res quibus insunt, deturpant, et ipsis nil prosunt aut obsunt. Quid enim profuit soli aut lunæ quod eos pagani deos putaverunt? Aut quid eis, quod tu eos creaturas esse cognoscis, obest? Quod si etiam stercora eos esse putares, quid eis noceret? Quare, sicut naturam et potentiam illies aut illius herbæ sive ligni, ita harum rerum scrutare. Facile, adjuvante Deo, id poteris, ex cujus opinionibus vel favoribus cætera metienda.

In hoc cognoscis quæ soli Deo debentur, quia exhibita cuicunque rei nil prosunt, ut cognitio, amor ad favendum, timor, reverentia, admiratio, etc. Hæc enim, eo ipso quod ei cui exhibentur nil prosint, ostendunt se ei soli degeneri qui nullo eget. Si enim laudari vel cognosci aut admirationi esse prodesset, quis non quotidie mercede conduceret tanquam operarios, qui hæc sibi exhiberent assidue, ut sine intermissione proficere posset? Quæ mater filiis suis id non sine cessatione impenderet? Quis non vestes, prædia, jumentaque, seipsumque die noctuque bona diceret, ut sic meliora laudando redderet? Nihil ergo ista prosunt, cui impenduntur. Quis autem exhibet, exhibendo deterior aut melior efficitur. Si autem amat, aut admiratur, aut timet id quod debet, melior; si autem non debet, deterior utique fit. Similiter in cæteris. Quam ergo pius est Dominus, qui nihil a nobis exigit, ut sibi prosit, multumque a nobis sibi serviri reputat, si quod nobis est utile semper agamus.

Sicut radicum, herbarum, vel cæterarum rerum naturas, ita opinionis, favoris, laudis, vel vituperationis, expende.

Amor uniuscujuscunque hominis est omnium. Singuli enim omnes amare debent. Qui ergo hunc sibi specialiter exhibesi vult, raptor est, et ideo reus contra omnes efficitur.

Ecce huic corpori immistus, satis miser eras; omnibus enim ejus corruptionibus usque ad morsum pulicis, vel sorunculi subjacebas. Non suffecit hoc tibi. Immiscuisti enim te aliis, quasi corporibus, opinioni hominum, admirationi, amori, honori, timori, et aliis similibus, et sicut ex corporis, ita ex horum læsione, dolore afficeris. Ipsemet ligna, quibus combureris, tibi adhibuisti. Læditur nempe honor tuus cum contemneris; sic de cæteris. Ita etiam de formis corporum cogita.

Quo te ille aut ille vitio contempsit, eodem tu te contemptum tanquam timidus doluisti, scilicet superbia. Et quo tibi vitio abstulit, eodem tu doluisti ablata, id est amore periturorum.

Nisi contempseris quidquid possunt homines vel adversando, vel adjuvando, non poteris contemnere eorum affectus, id est odia vel amores; quare, nec opiniones bonas aut malas.

Vide quomodo vendis amorem et cæteros affectus animi tui ad obolatas aut nummatas, sicut in taberna vinum. Rursum attende qualiter emas opiniones et amores ac cæteros affectus, sive motus humanorum animorum, ad obolatas et nummatas, sicut in taberna vinum.

Hic homo dedit pro laudibus omnia sua; ille, pro voluptate ventris et gutturis. Quis horum pejus operatus est? Hoc quidem nescio, sed scio alterum porcina, alterum diabolica voluptate actum.

Quari vis amari ab hominibus? Utique, ut adsint mihi, id est huic vitæ meæ. Ergo quia sentis te infirmum, et eorum violentiæ succumbere paratum. Quasi dicas: Si voluerint homines, moriar; si voluerint, vivam. Quod falsum est. Necessario enim morieris, sive illi velint, sive nolint. Quid enim ages ut non moriaris? Ergo optas magna de te vel bona opinari homines, ut te ament aut timeant. Ament autem vel timeant, ut prosint, vel non obsint. Econtra metuis vel abhores prava de te vel mala opinari homines, ne oderint aut contemnant, aut ne noceant, aut certe ut non prosint. Hoc autem propter ipsam experientiam infirmitatis atque debilitatis quam contraxisti, a Deo recedendo, et instabilibus atque infirmis inhærendo et innitendo. Si enim non sentires eorum vilitatem atque infirmitatem, non timeres pro eis, atque doleres. Sed times pro eis ac doles, cum videlicet pereunt aut auferuntur. Ergo cognoscis eorum vilitatem et infirmitatem. Quapropter nullam potes omnino excusationem prætendere, quod ea diligis, aut eis inniteris. Mirum tamen valde est alicujus rei infirmitatem sentire, et tamen inniti ei, vilitatem nosse, et amare sive mirari. Dum ergo propterea doles aut metuis, duo in te, quæ simul posse esse non videntur esse demonstras, id est et nosse te et sentire eorum infirmitatem ac vilitatem, et tamen amare et inniti eis. Nam nisi be-

rum alterum inesset tibi, id est, si aut non amares aut non nosses eorum vilitatem, nullo modo doleres pro eis pereuntibus.

CAPITULUM VII.

De vera laude justorum, et vituperatione malorum, et quis sit laude dignus vel indignus.

Esto talis qui lauderis; non enim bene laudatur, nisi bonus, quod non est qui laudis cupidus est, non ergo laudatur. Cum ergo laudatori blandus es, jam non tuo laudatori blandus es; non enim jam tu laudaris, quippe tam vanus.

Cum dicitur quam bonus, quam justus, qui hoc est laudatur, non tu qui non es, imo etiam vituperaris non parum, quippe tam malus, tamque injustus. Laus enim justi, injusti est vituperatio. Ergo tua, ut injusti. Cum ergo laudatori justi applaudis, tuo verissimo vituperatori applaudis, quia injustus es. Non est enim justus, qui se justum putat, nec unius dici infans.

Qui gaudet laudibus, perdit laudes. Si amas laudes, noli laudes sciri, hoc est, si vis laudari, ne velis laudari. Non enim potest vere laudari qui vult laudari. Ille laudatur, cujus bona jactantur. Qui autem vult laudari, non solum vacuus est omni bono, sed insuper plenus est magno et diabolico malo, nimirum magna arrogantia. Non ergo laudatur. Justus autem econtrario semper laudatur; cujus vituperatio nulla esse potest. Vituperatio quippe est malorum improbatio; quæ autem justus non habet, non possunt ei improperari, quare non potest vituperari. Universaliter autem omnis justorum laudatio, injustorum est vituperatio, et omnis injustorum vituperatio est justorum vera laudatio. Cum vero quis de bono laudatur, non laudato, sed laudatori prodest.

Laudat te quis propter sanctitatem, sursum tendit. Ultra te est enim quod ei placet, id est sanctitas. Tu vero si amas illum non tanquam cui placet sanctitas, sed tu deorsum tendis.

Qui dolet aut irascitur amisso aliquo temporali, eo ipso se dignum qui amitteret ostendit. Similiter qui accepto convicio irascitur, aut dolet, eo se dignum fuisse demonstrat. Tautum enim vellet laudari, quantum noluit conviciari.

Contemptus aut parvi habitus doluisti; hoc ipso contemnendum ac parvi habendum fuisse, et ideo jure id factum demonstraris. Nisi enim contemnendus ac parvi habendus fuisses, contemni nec parvi haberi nequaquam timuisses aut doluisses. Hoc enim ipso solo, vel maxime contemnendus et parvi habendus es, quod id times aut doles. Prorsus non timet vilis haberi nec contemni, nisi vilis et contemni dignus.

CAPITULUM VIII.

De his qui volunt amari et admirationi haberi, et quomodo per talem appetitum homo diabolo assimilatur, et seipsum facit idolum cæterorum.

Vere colit Deum ille solummodo qui in eum vere intendit, cum vero timoris, vel amoris, honoris vel reverentiæ atque admirationis affectu. Hic enim solus cultus verus et perfectus. Quicunque ergo alicui rei præterquam Deo hunc exhibet, idololatra verus est. Qui vero hæc vult sibi exhiberi, cujus, nisi diaboli veraciter locum tenet, qui modis omnibus hæc ab hominibus conatur extorquere? Itaque omnes quærelæ hominum in hoc sunt quod scilicet aut pereunt, aut auferuntur eis dii eorum, id est creaturæ, quibus hunc verum et divinum exhibebant cultum, sive quod talis eis non exhibetur cultus. Vide ergo quantum adhuc in te, et in toto mundo regnet idololatria.

Nulla res debet velle amari tanquam bonum, nisi quæ eo ipso quod amatur, suum beatificat amatorem. Nulla autem hoc facit, nisi quæ amatore non eget, id est cui non prodest nec ab alio amari nec amare aliud. Crudelissima igitur res est, quæ vult ut quis in ea intentionem suam et affectum et spem constituat, cum ipsa ei prodesse non possit. Hoc faciunt dæmones, qui pro Dei servitio, suo volunt homines occupari. Clama igitur tu amatoribus tuis: Cessate jam, miseri, nunc me admirari, revereri, ve. quolibet honorare modo, quoniam ego miser nec mihi nec vobis auxilium ullum ferre possum, imo ego egeo vestro.

Quantum in te est, omnes homines perdidisti, interposuisti enim te inter Deum et ipsos, ut, verso in te intuitu, et, dimisso Deo, te solum admirarentur, intuerentur, atque laudarent; tibique et eis omnino hoc inutile, nec dicam damnosum.

Nil dignius in creaturis rationabilibus, mentibus præsertim piis, nil vilius corruptionibus corporum. Cum itaque vis esse admirationi hominibus, hac ipsa superbia cæcatus, vide ad quam miseranda deveneris. Vide ergo justitiam Dei. Tu enim proposuisti te Deum, id est admirandum excellentissimæ parti creaturarum, et ille subjecit te infimæ. Tu enim voluisti et fecisti, quantum in te fuit, te ab omnibus hominibus sciri, videri, laudari, admirationi et venerationi haberi, amari, timeri, honorari; quæ omnia ab excellentissima omnium creaturarum parte, id est solis rationabilibus mentibus, soli Deo debentur. Juste ergo factum est ut qui Deum dignissimis creaturæ partibus te proponebas, quod in ea vilissimum est, ut Deum acciperes, et qui ab excellentissimis, quidquid soli Deo debebatur, extorquere perversa usurpatione voluisti, quidquid ipse debebas, soli Deo vilissimis, id est corruptis corporum cadaveribus impenderes. Nam omnia quæ superius posuisti, soli Deo debita amorem scilicet, etc., istis exhibes toto corde. Dum ergo usurpas quidquid est Dei, laudari scilicet, etc., amisisti quidquid est hominis, laudare Deum, ad quod creatus es, etc. Et quia supra summum locus non est, nec infra infimum, dum supra summum tendis, infra infimum rursus es. Qui enim aliquo finitur, ei necesse est per amorum subdatur. Tu autem frueris infimis. Ergo infra infima trusus es, ubi locus nullus est.

Amicitia mundi hujus, ut beatus Jacobus dicit,

inimica est Deo. Qui enim voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* IV, 4). Qui autem diligit vel unam muscam in hoc mundo, totum mundum diligat necesse est. Totus enim ei quam diligit rei necessarius est. Porro quandiu amor hujus mundi, tandiu inimicitiæ inter Deum et homines sunt. Cum ergo ab eis te vis diligi, ut inimici Deo fiant vis. Prædicas autem ut quidquid est creatum, contemnatur, quatenus Deo reconcilientur. Nunquid ergo te solum excepturus es, dicturusque hominibus: Omnia contemnite propter Deum præter me, ut scilicet nil sit aliud quod impediat reconciliari homines Deo, nisi tu, atque ita propter te solum inimicitiæ inter Deum et homines perseverent, sitque nemo salvus, dum diligendo te, totum mundum diligere coguntur tanquam sibi necessarium? Aliud est autem diligere homines in mundo vel propter mundum, aliud in Deo vel propter Deum, aliud cupide vel misericorditer.

CAPITULUM IX.

De anima quæ per fruitionem et amorem temporalium a Deo recedit, et a dæmonibus constuprator.

Dicant temporalia bona: Si Deus sanaverit nos a morbo corruptionis, quid ages? In ipso usu considera in quo melior ex nobis fias, vel quid inde speres in posterum. Expertus es nos. Quid ergo? Vis in nos mutari, an nos in te? Quid tibi et nobis? Quid doles de transitu nostro? Maluimus interire, secundum Domini voluntatem, quam manere secundum tuam cupiditatem. Nullas tibi pro hoc amore tuo referimus gratias, sed potius ut stultum irridemus. Cui enim potissimum obedire debemus, Deo an tibi? Dic, si audes, nonne hoc est fere tuum totum officium, nos in putredines devorando convertere?

Hæc tua utilitas, tua potentia, ut per te nostra sanies transeat affluenter; non enim facere vales ut mancat hoc tuum studium. Hæc tua beatitudo, ut nostris non careas sordibus, quibus votive succumbis, corrumpente et constuprante te per eas diabolo, non sine sua voluptate magna, et gaudio de tua deceptione et interitu.

Quacunque forma frueris, ea quasi masculus est tuæ menti. Cedit enim et succumbit ei; et non ipsa tibi, sed tu ipsi conformaris et assimiliaris. Ejusdemque formæ imago remanet impressa tanquam simulacrum in templo suo, cui non bovem, non hircum, sed animam rationalem et corpus, id est teipsum totum immolas, cum ea frueris.

Vide quomodo, quasi in taberna, amorem tuum quasi venalem prostitueris, et ad mensuram muneris pariter ipsum hominibus impendis. Nihil in hac taberna accipit qui nihil dat, aut daturus speratur. Et tamen nec quod venderes haberes, nisi tibi nil danti gratis esset datum desuper. Recepisti ergo mercedem tuam.

Evacuatio et elongatio a Deo præparat ad concupiscendum.

Qui te in te frui vult, eas a te gratias meruit quas muscæ et pulices, tuum sugentes sanguinem.

Si hæc (quibus in mente tua impressis admiratione et amore, qui cultus soli Deo debetur, succumbis) in aliquo angulo domus, seu sculpta, seu picta, admiratione seu amore, seu corporis inclinatione venerareris, et innotesceret populo, quid de te faceret?

Mulier quæ propter hoc non fornicatur, et deserit proprium virum, quia non invenit adulterum din mansurum, non vitat adulterium, sed quærit diuturnum. Tu autem ad mali cumulum divaricasti crura mentis tuæ omni transeunti, ut vel momentaneis adulteriis fruereris, quia diuturnis vel æternis non poteras.

Hæc est prorsus pravitatis humanæ summa, meliora se deserere, id est Deum; et minoribus se intendere, fruendoque eis inhærere, id est temporalibus.

Scarabæus dum supervolat, cuncta intuens nil pulchrum aut sanum sive durabile eligit, sed, sicubi stercora jacent fetentia, eis protinus insidet, spretis tot pulchris. Ita animus tuus cœlum terramque, et quæ in eis magna et pretiosa sunt, intuitu pervolans, nulli adhæret, contemptisque omnibus, vilia multa ac sordida, quæ cogitanti occurrunt, libens amplectitur. Erubesce ex his.

CAPITULUM X.

De impudentia et frontositate animæ fornicantis, quæ petit a Deo in suo scelere confoveri.

Cum rogas Deum ut non auferat tibi aliquid cui inhæsisti cupide, ita est ac si mulier, a viro suo in ipso adulterio deprehensa, cum debeat petere veniam criminis, roget potius ne interrumpat ei ipsius adulterii voluptatem.

Non satis tibi est a Deo fornicari, nisi ipsum ad hoc inclines, ut ea quibus corrumperis fruendo, augeat, conservet, et coaptet, id est formas corporum, sapores et colores.

Quæ est adeo impudens mulier ut dicat viro suo: Quære mihi illum aut illum cum quo dormiam, quia placuit mihi plus te, alioquin non quiescam? Tu tamen facis hoc viro tuo, id est Domino, cum præter ipsum aliquid diligens, id ipsum ab eo petis.

Cum dicis Deo: Da mihi hoc aut illud, hoc est dicere: Da mihi in quo te offendam, et a te fornicer. Cum enim aliquid aliud ab eo quam ipsum petis, ipsa petitione tua reatum ei tuum et fornicationem ab eo ostendis, et nescis.

Misericors vindicta, si sponsus, sponsam suam adulteram deprehendens, ea tantum subtrahit ei cum quibus fornicabatur. Quam vero impudica et inverecunda est ipsa, si ad injuriam hoc accipiat! Nulla alia fere tibi est causa dolendi, nisi talis, id est de subtractis fornicationibus tuis. Ipsi ergo dolores tui arguunt fornicationes tuas, ita ut non sit opus aliis testibus.

Hæc solet a sponsi oculis quamlibet inverecunda et impudica mulier abscondere, lacrymas quas pro damnis quæ contingunt adultero, et quas pro injuriis

ab adultero, sibi irato, illatis fundit; ipsas quoque injurias, similiter et gaudia. Vide nunc si id saltem tu ad Deum facias, si non aperte coram eo pro damnis adulterii tui, id est mundi hujus, luges, et prosperis exsultas. *Frons* ergo *meretricis mulieris facta est tibi* (*Jer.* III, 3).

CAPITULUM XI.

De ignorantia sui ipsius qua homo, per amorem terrenorum extra seipsum effusus, se considerare non potest.

Penuria interioris spectaculi, id est Dei (non quod non insit, sed quod a te interius lippo non videatur), facit ut a tuis interioribus foras libenter exeas, imo in te tanquam in tenebris nequeas commorari, et exterioribus corporum formis, seu opinionibus hominum vaces admirando. Nec imputes formis corporeis, quod te aut detinent aut terrent, sive aliquo modo movent, sed tuæ cæcitati, atque a summo bono vacuitati.

Vide quantum teipsum ignores. Nulla est enim regio tam remota et ignota tibi, de qua facilius credas falsa narranti.

Aliquando malum displicet sine mercede boni, velut, si duo velint in domo una propriam superbe exercere voluntatem, uterque malum vult. Horum si alterutrum sibi displiceant voluntates, non odio superbiæ fit, sed amore. Odit enim illius superbiam, hic qui amat suam, quæ impeditur ab illo. Hic laqueus est valde occultus.

Ita te habes in hoc mundo, quasi ad spectandum et mirandum formas corporum huc adveneris.

Si spectaculis interioribus non careres, nunquam ad exteriora exires, sive vacares.

Sicut in fabula puella defecit intuendo solem, ita es tu ad necessario perituras corporum formas et opiniones humanas.

Hoc spectaculum nullius oculis in hac vita, nisi Dei maxime, et tuis pro captu tuo patet quam videlicet corporibus, et eorum formis, vel opinionibus humanis et favoribus superferatur animus tuus, aut subjaceat.

Vide quomodo aversus a Deo intrasti in hunc mundum, inhiante ore ad omnia præter ipsum.

CAPITULUM XII.

De vera utilitate hominis, et qualiter omnium hominum est una et eadem utilitas.

Beatus qui eligit ut secure laboret. Hæc est autem secura electio, et labor utilis, id est omnibus velle prodesse, ita ut talis velis esse eis qui tuo non egeant auxilio. Tanto enim minus agunt quod expedit, quanto propriis utilitatibus videntur intendere. Hæc est autem propria uniuscujusque utilitas, omnibus velle prodesse. Hoc autem quis intelligat? Qui ergo propriam quærit agere utilitatem, non solum nullam suam utilitatem invenit, sed etiam magnum animæ suæ detrimentum incurrit. Dum enim propriam quærit, quæ nulla esse potest, a communi repellitur, id est a Deo. Sicut enim omnium hominum una est natura, ita et utilitas.

Felix est omnis qui nihil vult quod sibi prosit. Potest ergo homo velle quod sibi aut non prosit, aut obsit? Utinam vel semel in vita tua tota velis quod expedit sicut volendum est! O misera sors, non posse nolle quod obest!

Si interroges homines quare sint miseri, utrum non velint quod sibi sit utile, an quia non habeant quod nolunt, respondebunt statim quia non possunt habere quod volunt. Hoc autem est dicere: Illuminati quidem sumus, et bene quid utile nobis sit novimus et amamus, sed infirmamur. Quod falsum est. Quis enim sæcularium omnium diligit aliquid quod eum facere potest meliorem? Nil optant homines quod non sit vilius ipsis. Et quomodo id quod melius et pretiosius est ac dignius, ex deterioribus ac vilioribus et indignioribus potest meliorari? Heu quot sunt qui agunt quod volunt, quam pauci qui velint quod sibi prosit adeptum! Et tamen quis unquam poterit hoc persuadere filiis Adæ? Quando credentur non amare utilitatem suam, cum parati sint jurare, nihil se sibi male optare, et omnia quæ patiuntur in tot laboribus propter suam utilitatem se tolerare? Tanquam si dicas idololatræ quia non colit Deum. Statim enim insiliet, jurans se colere Deum, et quanta in cultu ejus expendat annumerabit, ipsumque etiam quem colit Deum, digito demonstrabit. Et tamen non colit Deum, sed, errore deceptus, pro Deo habet. Ita homines sine dubio non utilitatem suam diligunt aut volunt, sed quod errantes utilitatem suam putant. Et ideo quidquid pro re tali aut agunt aut patiuntur, pro utilitate se agere putant aut pati. Non autem vult aut diligit utilitatem suam, nisi qui Deum diligit. Ipse quippe solus, tota et sola est utilitas humanæ naturæ. Scriptum vero est: Quoniam *qui manet in charitate*, id est qui Deum diligit, *in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV, 16). Talis est ergo utilitas humana ut eam, nisi qui habet, diligere nemo possit, et quæ a suo dilectore non possit omnino sejungi. Hoc ergo ipsum quod dicunt homines diligere se quidem utilitatem suam (quis est enim qui hoc non sit jurare etiam paratus?) sed eam non habere, hoc ipsum, inquam, testimonium est, eos aliud diligere, non ipsam suam utilitatem. Nihil enim aliud homini faciendum est ut utilitatem suam habeat, nisi diligere. Sed ipsi homines conantur assidue facere eam quasi non sit, sicut pagani Deum. Nam si solus Deus utilitas est hominum, quo carere non potest, nisi qui eum nequaquam diligit, non facienda utique est, cum sit æterna, sed tantum diligenda. Hoc solum prorsus est totius miseriæ nostræ causa, quod scilicet utilitatem aut non cognoscimus et non amamus, aut non quantum vel sicut cognoscenda et amanda est, cognoscimus et amamus.

CAPITULUM XIII.

De prudenti cautela qua utendum est ad suam utilitatem quibuslibet prosperis vel adversis.

Ecce contristatus et conturbatus, quereris de illo aut illo, quod contumeliosa et odio plena tibi dixerit verba. Doles ergo aut talia tibi, aut tali mente esse locutum. Bene omnino, si propter ejus utilitatem doles.

Non enim hoc ei expedit. Si autem propter te, prave. Nil enim tam sanctum ac bonum : tam sancte ac bene tibi dicere potuisset, quod esset utilius tibi quam hæc erunt, si bene eis utaris. Sive enim bona sive mala, bene vel male dicat tibi quis vel faciat, talia tibi erunt qualiter eis usus fueris. Sibi autem qui fecit aut dixit, talia erunt, quali ea voluntate fecit aut dixit. Sicut enim mentitur iniquitas sibi tantummodo, non tibi, si non consentias, et si redarguas, ita omnia mala facit sibi ac dicit, id est ad perniciem suam, si pie ac compatienter non consentias, sed redarguas. Ei ergo qui malum tibi fecit aut dixit, condolere debes, non tibi, cui etiam aliena mala in bonum, si eis bene utaris, cedent, et in tam bonum quam bene eis uteris. Ergo et tantum in malum quam male uteris eis, sive mala sint, sive bona quæ facta vel dicta tibi sunt, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28), in tantum omnia, ut etiam aliena mala. Odientibus autem Deum, econtrario omnia cooperantur in malum ipsorum, et in tantum omnia, ut etiam bona. Totam igitur querelam in teipsum male utentem verte. Nam et si re vera mala sunt quæ facta aut dicta sunt tibi, tibi certe mala esse nullo modo poterunt, nisi eis male utaris ; sic nec bona bona, nisi bene eis usus fueris.

Hoc semper intuendum quid fiat in animo tuo ; nec quid sive boni sive mali alii faciant, sed quid tu de ipsis eorum factis facias, quomodo scilicet utaris bonis et malis eorum, quantumque ex eis proficias sive favendo et adjuvando, sive compatiendo et emendando. Tunc enim de omnibus factis hominum bene operaris, cum nullis eorum beneficiis illiceris ad favorem, nullisve malefactis detereris ab amore. Tunc enim gratias amas. Non enim est ullius meriti pacem habere, nisi cum iis qui eam nobiscum non habent.

Quidquid fiat tibi, dummodo animus tuus nec iræ, nec odii, nec tristitiæ, nec metus motum incurrat, neque horum causam, in futuro sæculo nihil nocebit.

Oppone duas pilas radio solis, unam de argila, alteram de cera ; quamvis sit unus idemque radius, non tamen idem in utraque operari potest, sed secundum præparationes earum, diversa in eis agit, hanc indurans, illam liquans, neque enim terream liquare, aut ceream durare potest. Ita et una metalli species, aurum scilicet, conspectum a pluribus, diversos in eis, secundum præparationem mentium eorum, excitat motus. Alius enim accenditur ad rapiendum, alius ad furandum, alius autem ad pauperibus erogandum. Qui stultus est, dicit beatum ejus possessorem ; qui sapiens, luget ejus amatorem. Nec in bona mente malam, nec in mente mala bonam voluntatem excitare valet, sed omnino et hæc, et aliæ seu corporum seu rerum aliarum species sive causæ, mentes humanas, secundum præparationes earumdem, movent. Et ideo tota causa malitiarum nostrarum nobis ipsis imputanda est, non ipsis rebus in quibus peccamus. Ergo nihil aliud nobis faciunt, nisi probare. Ostendunt enim quales in occulto eramus, non faciunt nos tales. Quam enim firmo et immobili amore sponsa sponso adhæreat, aliorum virorum probat intuitus. Si enim bene casta est, nullius alterius pulchritudine permovetur. Ita quoque tu, si firmissimo affectu adhæreres Deo, nullius creaturæ illicereris aspectu. Omnia namque hæc, tuam erga Deum, quanta sit, probant castitatem.

CAPITULUM XIV

De adversitatibus hujus sæculi, qualiter tolerandæ sunt, quia per eas coguntur utiliter ad Deum redire.

Vide quomodo te pungat Deus, quocunque extra eum extenderis per concupiscentiam in creaturis, tanquam nutrix pueri brachium extentum extra cunas ne pereat frigore.

Propitius tibi sit Deus, ne inveniat ubi requiescat pes mentis tuæ ; ut saltem coacta, o anima, redeas ad arcam, sicut columba Noe.

Egestas ipsa, vel asperitas, temporalis tortoris vice cogit nos bona, atque his diversa desiderare. Sed quia nos tantum temporalibus assueti sumus, nihilque aliud novimus, non multum diversa ab his quæ patimur desideramus, et vel iras eorum, id est asperitates, temperamento, quasi quadam reconciliatione, ad momentum interrumpere, vel non multum diversa ab his, subire optamus.

O homo qui dolorem pateris, vis eum lenire? Volo. Temporaliter an æternaliter? Æternaliter. Æternum ergo linimentum, id est Deum, desidera ; nam ideo te percussit, ut eum desideres, non herbas, non ligaturas.

Una febris aufert omnia contra quæ pugnas, id est oblectamenta quinque sensuum. Quid restat ergo, nisi ut Deo gratias pro collata victoria referas? At tu contra quæris cui succumbas, odiens libertatem.

Quæ spes est, si laqueis inimici gratis incumbis et jaculis, si hæc non solum non caves, sed insuper libenter amplecteris, teque illis detegis, ab illis ad illa confugis? Ea putas remedium, ea solatium, ea desideras, et abesse non pateris.

Prosperitas laqueus est, culter incidens hunc laqueum, adversitas ; carcer amoris Dei, prosperitas ; confringens hunc aries, adversitas

Dicit tibi adversitas : Niteris ut recedam. Quod

certe nullo modo prohiberes ; si bene velis, poteris. Non enim possum Domino modulante manere, quippe syllaba.

Si erga homines pessimos velut agnus esse debes, quid ad Deum, cum ab eo corriperis flagello aliquo ?

Vide quomodo sis quasi in bello : Sitis torret, opponis potum ; fames cruciat, opponis escas ; frigori, vestem aut ignem ; morbis, medicinam. Contra hæc omnia opus est patientia, et mundi contemptu, ne alio bello, quod hinc surgit, superearis, catervis videlicet vitiorum.

Quando quidem sola voluptate caperis, sola delectabilia sunt cavenda. Nusquam ergo secura est anima Christiana, nisi in adversis.

De his quæ diligis, tibi fecit Deus virgas. Prospera fugiendo, in adversa irruendo cruciaris. Omnia flagella sunt, præter ipsum, qui flagellum destruit, quasi filius est qui virgam patris verberantis frangit.

Corpus a validioribus victum aut impellitur aut attrahitur, similiter voluntas. Tu vero non quod corpus vincendo moveat, sed mentem et voluntatem cura.

Væ non his qui perdiderunt temporalia, sed his qui perdiderunt sustinentiam. Nulla enim passio superatur, nisi per ipsam. Non enim edendo contraitur fami, sed servitur, sicut bibendo siti. Ad hoc enim tendunt ista ut scilicet ad fruendum exterioribus corporum formis inclinent animum. Quod quando fit, non superantur, sed regnant, finem suum, id est animi inclinationem et præparationem ad faciliorem et majorem inclinationem obtinentes.

Omnium dolorum et cruciatuum sola medicina est contemptus eorum quæ læsa sunt, et conversio mentis ad Deum.

Quot voluptates carnales et quam vehementes spernis, totidem et tam validos diaboli laqueos devitas. Quot tribulationes, præsertim pro veritate, fugis, totidem medicinalia remedia spernis.

CAPITULUM XV.

De vera patientia, qua tolerandi et amandi sunt peccatores et infirmi, pie sperando correctionem eorum.

Vide quomodo in spe diligere possis frumentum, in herba triticum gibbosum : sic eos dilige qui nondum boni sunt. Talis esto erga omnes, qualis erga te Veritas exstitit. Qualem te sustinuit et amavit ut meliorem faceret, tales sustine et ama, ut meliores facias.

Blasphemas medicum, desperando ægrotum. Tam facilis enim est ejus sanitas, quanta illius in medendo potestas et benignitas.

Vide ne, propter opus hominis, contemnas opus Dei. Opus enim hominis, homicidium est, adulterium est, et cætera similia ; opus vero Dei, ipse homo. Qui diligit aliquid, sicut domum aut aliquid hujusmodi, materiam quoque unde illud fieri possit, amat, ligna scilicet aut lapides. Omnis ergo qui bonos diligit, malos, eo quod nunquam aliunde boni fiant, diligat necesse est. Cur enim non amas id unde potest angelus fieri, si illud amas unde scyphus fieri possit? Scriptum namque est de hominibus : *Erunt æquales angelis Dei* (*Luc.* xx, 36).

Quam pulchra ars vincere in bono malum ; contraria enim a contrariis superantur.

Positus es quasi signum ad retundenda jacula inimici, id est ad destruendum malum, oppositione boni. Reddere autem malum pro malo non debes unquam, nisi forte medicinaliter, quod jam non est malum pro malo, imo bonum pro malo, reddere.

Qui mundum amant, artem qua id quod amant assequantur vel fruantur, laboriose addiscunt ; tu Deum vis assequi, et artem qua acquiritur, id est retribuere bonum pro malo, contemnis.

Aut hinc recede, aut propter quod hic positus es age, id est medere, patere

Hic stultus est, id est homo inimicus ; ille callidus, diabolus scilicet qui per hunc te impugnat. Circa hunc blandus, ut eum liberes, esto ; contra illum, cautus.

Turbaris, quia ego turbatus sum ; turbatus turbatum reprehendis. O pudor ! Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. Ego quidem corrigar, nec amplius hoc malum faciam. Tu autem quid facies de hoc vitio tuo, quo non solum mihi mederi non vales, sed nec ferre salutem potes ?

Quare vis fratrem illum dimittere ? Quia iracundia et omnibus vitiis plenus est ? Sic ergo faciat tibi Deus. Ex ore tuo probasti quod non debeas eum dimittere. *Non est sanis opus medicus, sed male habentibus* (*Matth.* ix, 12). Si matrem interroges quare filium suum derelinquat, et responderit quia debilis est et ægrotus, interroga si idipsum velit ipse fieri sibi a filio. Et cum dixerit : Non ; adde : Mala ergo causa odisti. Sic est de medico.

Non sit exactor vindictæ qui petitor est veniæ.

Si teipsum tam immundum toleras, cur non etiam quemlibet alium ?

Hierusalem eant alii, tu usque ad patientiam aut humilitatem, hoc est enim te ire extra mundum, illud intra.

Qualem erga te Deum et homines voluntatem habere vis, quantumcunque aut quomodocunque offendas ; talem te aliis exhibe, quantumcunque aut quomodocunque delinquant.

CAPITULUM XVI.

De pia compassione et medicamine infirmorum, et quomodo mente incorrupta vivendum est inter eos.

Læsa mater a filio non requirit in vindictam læsuram ejus, eo quod hanc quoque suam deputet. Quare si quis eam ulcisci volens lædat

filium, non putandus est ei fecisse vindictam, sed iterasse læsuram. Ita debet esse omnis Christianus ad omnes homines, misereri scilicet desiderantis certissimas causas doloris sui, id est scriptura.

Tam facile est inter fratrem tuum et vitium ejus discernere quam inter bonum et malum. Denique viso homine, quis irascitur, quis indignatur? Viso vitio ejus, quis non offenditur, nisi quis valde sapiens et bonus, qui norit hoc potius eidem obesse quam cuiquam alii, ac per hoc eidem compatiendum esse?

Charitate, sapientia repletur frater, nec communicas; ira, odio, furoreque repletur, nec evadere potes quin communices. Insanus sanis indiget, ut eum vel servent, vel curent.

Quod solum tibi a Deo exhiberi desideras, id est benignitatem, hanc omnibus hominibus exhibe, sive flagello, sive lenitate. Quid insultas cæcis et infirmis? Tu, idipsum; aut si aliud, non per teipsum, nec a teipso.

Cogita, si omnes homines ita semper et insania agerentur, quid tibi agendum esset. Nunquid ideo turbari deberes? Cur ergo, cum unus aliquando turbatur, turbaris? Medicinam ei debes, non turbationem. Quomodo enim insania insaniendo curari potest?

Cur tibi tui generis placent cruciatus? An quia justum est? Ergo et tui Deo placeant, quia justum est. Hæc autem sententia ignibus te tradit æternis.

Stultus medicus nolens opinionem suam minuere, quidquid non bene contingit, licet culpa sua sit, ipsis tamen imputat ægris. Ita facis tu subjectis tuis.

Qualem animum haberes ad omnes homines, si remotus esses ab eis cogitans eorum peccata atque miserias, omnino saltem nunc talem habeto, cum videas oculis perire eos aut cæcitate, aut infirmitate: aut enim falluntur a diabolo per temporalia, aut superantur.

Horresce inscrutabilia judicia Dei super te. Quidquid enim es super alios, nescis quare ipsi non fuerint super te. Talis ergo esto ad illos quales vides illos esse debuisse ad te, si essent super te.

Non secundum profectum subjectorum, sed secundum desiderium tuum et conatum erit merces tua, sive illi proficiant, sive non.

Cum bene probaveris illum esse sceleratum, erit tibi necesse ut lugeas peccatum ejus, quia et Dominus luxit tuum. Cur enim rimaris languidi morbum, si cognito morbo non solum non condoles nec mederis, sed etiam insultas.

Dum vides vel audis mala aliena, respice animum tuum, ut probes quantum ei veræ dilectionis erga homines insit.

Non gaudendum tibi est, si cæteris te meliorem esse contingat, sed dolendum potius eos de bonitate minus habere, computandumque id tibi deesse.

Indue eum prius quem judicare vis aut corripere, ut, sicut tibi expedire senseris, si ita sis, sic ei facito. In qua enim mensura mensus fueris, in eadem remetietur tibi, et in quo judicio judicaveris, in eodem judicaberis (*Matth.* VII, 2), nam et Christus prius induit hominem, quam judicaret.

Non tibi conandum est ut domini tui, quorum servitio ab eorum Patre, id est Domino Deo tuo deputatus es, quod tu vis, sed quod eis prosit agant. Te enim ad eorum utilitatem, non eos ad tuam voluntatem inclinare debes, quia non ut præsis, sed ut prosis eis, tibi commissi sunt, sicut et æger medico, non ut ei dominetur, sed potius medeatur, committitur. Nec contra ægrum, sed pro ægro, id est contra ægritudinem ejus, est medicus, totamque et sufficientem vindictam pro omnibus quæ ab eo patietur, salutem ejus habet; neque enim aliquid ei imputat, sed ipsi morbo, et ideo plena est ei ultio, morbi ipsius exstinctio.

Duobus medicis commissi fuerunt quatuor homines; sanus unus cum ægro uno, uni, et sanus alius cum ægro alio, alii; promissaque est merces pro cura sive conservandæ sive recuperandæ sanitatis. Itaque alter eorum fecit, susceptis quidquid pro conservanda vel restituenda salute fieri debuit, et tamen mortui sunt. Alter nihil eorum quæ fieri debuerunt fecit, et tamen qui sanus erat ita mansit, et æger convaluit. Quis horum mercede dignus est, cujus suscepti ambo mortui sunt, an cujus vivunt et valent? Ille sine dubio, qui quod debuit fieri, pia voluntate fecit, laude et mercede non minus dignus est quam si illi viverent et valerent. Ille vero qui noluit facere quod debuit, pœna non minus dignus est quam si illi mortui essent.

Duo ergo perficiunt medicum: voluntas bona, et perfecta scientia. Nam ut omnes quibus curam impendit sanet, hoc non est ejus. Non enim scire quisquam potest qui desperabiliter, vel qui cum spe salutis ægrotet. Et ideo omnibus adhibenda est cura, et cum omni benignitate, tota in singulis ars exsequenda. Sic enim apud Patrem omnium non minus gratiæ et præmii pro defunctis quam pro sanis merebimur.

Para te ad cohabitandum malis mente incorrupta, quod est angelicum. Quæ autem gloria est, hoc facere cum sanctis?

Angelorum virtus est, vivere cum vitiosis, nec eorum corrumpi vitiis. Summorum medicorum est degere cum ægris, et insanis, et non solum minime corrumpi, sed salutem eis restituere.

CAPITULUM XVII.

De virtute et effectu amoris Dei et proximi, et quemadmodum charitas optanda est et impendenda.

Qui fruitur aliqua forma corporis, quod sibi bene

videtur ex ea non sibi, sed eidem formæ imputat, et propter hoc eam mente laudat et amat. Sed nec se bonum, sed illam ducit ; se autem bonum, ex ea. Nec in seipso remanet, sed in illam tendit et transit : tanto utique nisu mentis et motu voluntatis, quanto magis eam fruendo miratur et diligit. Et ideo si quis eamdem formam aut læserit aut abstulerit, non ei, sed sibi injuriam factam putat. Et quia paradisus et beatitudo ei erat, eidem inhærere infernus ac miseria ei est, ab ea separari. Ita esto tu ad Deum.

Si imago stercoris ex auro fiat, melior est utique substantialiter quam imaginaliter. Substantialiter namque aurum, imaginaliter vero stercus erit. Si autem angeli imago auro imprimatur, imaginaliter erit melior quam substantialiter. Imaginaliter enim substantia viva spiritualis ac rationalis, substantialiter autem corpus insensatum, et sine vita. Itaque cum mens tua corporibus mortuis ac perituris cum amore afficitur, melior est utique substantialiter quam imaginaliter. Substantialiter enim vita est rationalis ad Dei imaginem facta ; imaginaliter vero talis est, qualia sunt ea quibus intendit ac fruitur. Cum ergo a seipsa effusa per corporis sensus, in ea intendit, a meliore perfecto, id est a substantia viva ac rationali, quod est ipsa, in deteriora tendit ; quantoque id vehementius agit, tanto deterior efficitur. Cum autem super seipsam effusa, veritate, id est Deo afficitur, melior sane et pretiosior est formaliter quam substantialiter. Substantialiter enim anima : formaliter autem (si dici fas est) Deus est. *Ego* enim *dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Cum itaque a seipsa in ipsum tendit, a deteriore in id quo nihil melius esse potest, tendit ; quantoque id efficacius aget, tanto melior efficitur.

Cum volitur bonum quod indiget aliquo bono, non miseria excluditur, sed indigentia cumulatur et augetur. Ergo velis bonum quod non indiget alio bono. Omnia autem bonitate bona sunt. Igitur omnia egent bonitate ut bona sint. Bonitas autem nullius eget ; per se enim est bona. Hanc itaque ama, et beatus eris.

Vide quale est bonum cujus ultima vestigiorum vestigia, id est temporalia, tot et tantis laborum errorumque discriminibus a tot rationabilibus et irrationabilibus appetuntur.

Nil gaudendum est tibi in te omnino, vel in alio, nisi in Deo.

Omnia vitia et peccata quia propter creaturam fiunt, id est ultimum bonum, bonitati Creatoris adversantur, id est summo bono.

Si tantum appetitur ventus generis nostri, id est opinio vel laus, quantum appetenda est salus generis nostri, id est Creator ! Si tam dulce est dici bonum, ut etiam qui hoc esse nolunt, mali, hinc gaudeant, quanto est dulcius esse ! Et si tam amarum et fœdum est dici malum, ut etiam *qui lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14), hoc nequeant tolerare, quanto est deterius esse !

A Appetit aliquid creatum homo, vel inhæret ei sensu corporis et sui obliviscitur, quando tu ita ad Creatorem ?

Beatitudinem tibi præcipit Dominus, id est perfectum amorem sui, unde venit non formidare nec turbari, id est pax et securitas.

Declinare a malo sola veritas novit, et solus ejus amor potest. Ergo non localiter declinatur a malo.

Amato quod amando carere nequeas, id est Deum.

Si adhærere Deo, totum et solum bonum est tibi, ita separari ab eo, totum et solum malum est tibi, et nihil aliud. Hoc tibi gehenna, hoc tibi infernus.

Ablactare amodo ab istis corporum formis, pudeat te non posse esse sine istis. Et quia ista, velis
B nolis, quandoque es amissurus, fac modo volens, cum magna mercede aut gratia, quod etiam non sine magno supplicio quandoque facturus es. Nunquid enim, et si nullus auferat, non es hanc vitam, et omnia quæ ad illam pertinent contempturus ? Ecce habeto omnia ; nunquid non es his omnibus quandoque carituras ? Fac ergo modo quod facturus es quando omnia amiseris, id est, disce esse sine istis, disce vivere et gaudere de Domino

De dilectione proximi gratuita.

Qui omnes diligit, salvabitur sine dubio ; qui vero ab hominibus diligitur, non ideo salvus erit. Sicut odium tui omnibus est impedimentum ad vitam, ita omnium tibi. Expedit ergo tibi omnes diligere ;
C illis quoque prodest diligere te.

Optanda est dilectio gratis, id propter suam dulcedinem propriam, tanquam nectar suavissimum ; etiam si omnes insaniant, non vendenda ulla mercede. Nobis enim utilis est, nosque beat quidquid alii faciant.

Si amas quia amaris, vel ut ameris, non tam amas quam redamas, amorem pro amore rependens ; cambitor es, recepisti mercedem tuam

Ad eum qui injuriam tibi fecit, affabilem magis et privatum te exhibe ; ad eum cui tu fecisti, supplicem et erubescentem.

Sicut quidquid boni ab hominibus fit tibi, Dei munera æstimas, et ei totam gratiam referendam credis ; ita quidquid tu boni hominibus exhibes, ejus
D beneficia, non tua deputa.

Cum amas aliquem ut amicum, optas autem ei divitias tanquam bonum, excellentius eas amas quam ipsum. Eum enim ut egentem, has autem ut sufficientiam amas, paratior nimirum isto carere quam illis.

Qui in iniquitate sua occidit iniquum, eo quod odio habet iniquitatem, et vult eam delere, fallitur. Mortuo enim iniquo in sua iniquitate, æterna est iniquitas. Qui ergo odit iniquitatem, det operam ut corrigatur iniquus, et sic peribit iniquitas ejus.

Deus charitas est (*I Joan* IV, 8). Qui ergo charitatem exhibet alicui, nisi propter ipsam, Deum vendit, beatitudinem suam vendit : non enim bene illi est, nisi amando.

Si charitas, et ejus signa, id est alacritas, etc., ita tibi placent in alio, cur non in animo tuo multo dulcior est?

Qui dat alicui aliquid, vel quia dedit, vel quia daturus est aliquid, non habet a Deo gratiam; sic tu de pace et dilectione.

Si amas tantum, si ipso amore cogeris, objurga, verbera; si aliter facis, teipsum condemnas. Omnia eo animo quo tibi a Deo vis fieri, facito aliis.

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). Tu autem nec Deum, nec proximum, nisi propter temporalia beneficia diligis. Per temporalia ergo diffunditur in te, non per Spiritum sanctum, non est charitas quæ ita diffunditur, sed cupiditas.

Ecce nullum aliud est officium tuum quam erat antequam prior fieres. Votis enim ac precibus et affectibus agebas quod nunc factis agere incœpisti, id est prodesse hominibus. Non autem debent opera affectus ipsos minuere, sed incitatione augere.

In quacunque re castitatem erga Deum, in eadem poteris etiam erga proximum tuum justitiam custodire, quod fit non concupiscendo.

Difficile credunt homines ex charitate fieri quod sibi molestum est.

CAPITULUM XVIII.

De perfecta angelorum justitia, et quæ sit differentia inter justitiam illorum et nostram.

Cum qualibet re perfecte quis fruitur sui oblitus, se quasi derelicto et contempto tendit in illam, nec attendit quid in se, sed quid in illa agatur, nec qualis ipse, sed qualis ipsa sit. Ergo angeli magis se contemnunt quam nos. In Deum quippe toto nisu tendentes, seipsos cum cæteris creaturis post se tota intentione derelinquunt; nec saltem respicere sese dignantur, ita se viles ducunt. Tota se utique mente contemnentes, suique obliti, toti ad illum vadunt, nec quid aut quales ipsi, sed ipse sit, attendunt. Et quanto se amplius contemnunt, seque a seipsis avertunt, suique obliviscuntur, tanto similiores ei, et ideo meliores fiunt.

Angelos ducit Christus in amplexum sponsi sui; nos avellit ab adultero, id est a mundo. Illos fortes et constantes efficit ad fruendum sponso, nos ad carendum adultero, id est mundo. Illos tenet in specie seu re, nos in fide et spe. Illis perfectum dat gaudium in vera beatitudine, nobis tolerantiam in tribulatione. Illis, beatam vitam, nobis autem, ut multum, pretiosam mortem. Illis, vivere sibi, id est, Deo; nobis, mori mundo. Illis, gaudere de suis bonis; nobis, dolere de nostris malis. Illis, læta corda; nobis, contrita. Illis, justitiam; nobis, pœnitentiam. Illis, finem; nobis, initium boni. Confidenter juro angelos nullum a Deo percepisse munus majus aut dignius, pretiosus sive utilius, et ideo optabilius, nec pulchrius, charitate. Quis hoc intelligat aut credat? *Deus* enim *charitas est*. Et ideo qui majus aliquid aut melius charitate habet, aliquid majus aut melius Deo habet.

CAPITULUM XIX.

De vera et interiori animæ pulchritudine, et in quo consistat omnis hominis vera perfectio.

Nullam rem cernis, quæ non in suo genere naturalem quamdam pulchritudinem habeat atque perfectionem. Quæ cum deest aliquo imminuta modo, jure tibi displicet, ut, verbi gratia, si hominem naso truncatum contigit videre, statim improbas. Sentis enim quid ei desit ad perfectionem naturalem humanæ naturæ; ita est in omnibus rebus usque ad folium urticæ vel cujuslibet herbæ. Quis vero neget humanam mentem naturalem quamdam ac propriam habere pulchritudinem atque perfectionem? Quæ utique, in quantum adest ei, merito approbatur; in quantum deest, justo vituperatur. Hujus itaque pulchritudinis atque perfectionis quantum tuæ menti desit, adjuvante Deo, considera, atque hoc improbare non cesses. Quæ est ergo naturalis animæ pulchritudo? Devotam esse erga Deum.

Et quantum? *Ex toto corde, et ex tota anima, et ex omnibus viribus* (*Luc.* x, 27). Adhuc pertinet ad eamdem pulchritudinem, benignam esse erga proximum. Quantum? Usque ad mortem. Quod si hoc non fueris, cujus erit damnum? Dei quidem nullum; proximi fortasse aliquod; tuum autem sine dubio summum. Naturali enim pulchritudine ac perfectione privari, nulli rei non potest esse damnosum. Nam si rosa desistat rubere, vel lilium bene olere, damnum mihi quidem nonnullum esse videbitur voluptates hujuscemodi diligenti; sed eis, id est, rosæ vel lilio, multo majus multoque infestius naturali ac propria pulchritudine viduatis.

Rationalis creaturæ vera perfectio est, unamquamque rem tanti habere, quanti habenda est. Nam pluris vel minoris eam habere, errare est. Porro omnis res naturaliter aut supra ipsam, aut juxta ipsam, aut infra est. Supra, Deus; juxta, proximus; infra, cætera. Deum itaque tanti debet habere quanti habendus est. Tanti vero habendus est, quantus est. Tanti autem quantus est, habere eum nemo poterit, nisi quantus est noverit. Sed quantus sit, non nisi a seipso nosci poterit perfecte. Quantum enim nostram ejus essentia, tantum nostram ejus de seipso vincit notitia. Unde sicut essentiæ ejus nostra collata, nihil est; ita notitiæ ejus de se, si nostra comparetur, cæcitas et ignorantia est. Sola igitur ejus de se perfecta, ac sibi æqualis notitia est. Unde Dominus: *Nemo novit Patrem nisi Filius* (*Matth.* xi, 27). Sicut ergo sola ejus de se sibi perfecta cognitio; ita sola ejus de se æqualis et par est ex toto dilectio. Solus quippe, se quia perfecte quantus est novit, perfecte quantus est diligit.

Redi nunc ad illam definitionem quam in principio posui. Subtilius enim inspecta, non rationali creaturæ, sed tantum Deo convenire convincitur. Nam ut cætera taceantur, seipsum, sicut ostensum est, non nisi ipsemet tantum ex toto quantus est et novit, et diligit. Quæ ergo creaturæ rationalis per-

fectio est? Ea scilicet ut omnia et superiora, id est Deum, et æqualia, id est proximum, et inferiora, id est spiritus brutos, etc., tanti habeat, quanti a se, id est a creatura rationali habenda sunt. Quanti autem habenda sint, sic collige. Deo nihil præfertur, nihil æquatur, nihil pro media, nihil pro tertia, vel pro quantacunque usque in infinitum parte comparatur. Nihil ergo pluris, nihil tanti, nihil pro media, vel pro quantacunque in infinitum parte habeat. Nihil plus, nihil tantum, nihil pro aliqua parte ad comparationem illius diligat. Hinc ipse Dominus : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua* (*Luc.* x, 27), hoc est, nihil aliud ad fruendum, ad innitendum diligas. Habes de superioribus. Æquales autem naturaliter, id est quantum ad naturam attinet, sunt omnes homines. Omnes itaque tanti habere debet, quanti se. Ergo sicut de superioribus, id est de Deo in dilectione nec præferre, nec æquare, nec ulla debet ex parte comparare, ita nec saluti cujuslibet hominis, et quidquid pro sempiterna sua salute facere vel pati debet, idipsum totum facere vel pati debet pro sempiterna salute cujuslibet hominis. Hinc enim ait Dominus : *Diliges proximum sicut teipsum*. Habes de mediis. Inferiora vero sunt quæcunque post spiritum rationalem sunt, id est sensualis vita, communis cum pecoribus, et quæ vegetat corpus, communis cum herbis et arboribus, et substantia corporis cum formis et qualitatibus, cum metallis communis et lapidibus. Sicut itaque nihil plus quam superiora, nihil tantum in comparatione eorum debet diligere, ita nihil minoris quam inferiora, nihil tam parvi, nihil in comparatione eorum, pro quantacunque usque in infinitum parte, vile debet habere. Et hoc est quod scriptum est : *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II, 15). Habes de inferioribus. Habebit itaque talis superiora gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad servitium. Devotus erit ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum, Dei servus, hominis socius, mundi dominus; sub Deo constitutus, erga proximum non elatus, mundo non subditus; redigens inferiora ad utilitatem mediorum, media ad honorem superiorum ; nec impius, nec blasphemus, nec sacrilegus ad superiora; neç elatus, nec invidus, nec iracundus, ad æqualia; nec furiosus, nec flagitiosus, ad inferiora ; nihil ab inferioribus, nihil ab æqualibus, sed totum a superioribus suscipiens; a superioribus impressus, inferiora imprimens; a superioribus motus, inferiora movens ; a superioribus affectus, inferiora afficiens ; superiora sequens, inferiora trahens : ab illis possessus, ista possidens; ab illis in eorum similitudinem redactus, ista in sui similitudinem redigens. Ad hanc perfectionem in hac vita tendimus, quam tamen non nisi in futura perfecte obtinebimus. Hanc tanto tunc plenius obtinebimus, quanto nunc ferventius affectamus. Nullus tunc erit motus in mente, nisi a Deo; nullus in corpore, nisi ab anima, atque ita nec in anima, nec in corpore nullus nisi a Deo. Nec erit peccatum, id est perversitas voluntatis, nec pœna peccati, corruptio videlicet et dolores et interitus carnis. Nuda mens, nudæ adhærebit veritati, nullis verbis, nullis sacramentis, nullis similitudinibus, ut ad eam perveniat, indigens, aut exemplis. Ibi enim *non docebit vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim a minore usque ad maximum scient me, dicit Dominus* (*Jer.* XXXI, 34) ; nam *omnes erunt docibiles Dei* (*Joan.* VI, 45).

CAPITULUM XX.

De incarnatione Verbi, et quemadmodum in seipso nobis perfectionem prædictam plenissime demonstravit.

Has virtutes seu justitiæ lineas etiam nunc in hac mortali vita, si valde munda esset anima, per semetipsam in ipsa veritate atque sapientia Dei videret. Videret etiam non solum se, id est animam humanam immortalem atque æternam fore, sed etiam carnem suam talem in resurrectione futuram. Nam et eamdem resurrectionem ibidem, id est in Dei Verbo et Sapientia, clare conspiceret, sed quia hæc non poterat propter immunditiam suam, adita est Verbo mens humana, quæ ipsum Dei Verbum plenissime suscipiens, eique omnino conformis atque consimilis, eoque solo tota et ex toto impressa. Sicut scriptum est : *Pone me sicut signaculum super cor tuum* (*Cant.* VIII, 6). In ejus itaque similitudinem tota redacta, sicut ad sigilli similitudinem cera redigitur, ipsum nobis in seipsa videndum sciendumque exhiberet. Sed nos ita cæci eramus ut non solum Dei Verbum, sed nec humanam animam videre possemus, idcirco additum est etiam corpus humanum. Pone enim hæc tria, Dei Verbum, humanam mentem, corpus humanum. Si primum, bene videre possemus, non indigeremus secundo. Quod si saltem secundum videremus, non indigeremus tertio. Sed quia nec primum, nec secundum, id est nec Dei Verbum, nec humanam mentem videre poteramus, additum est tertium, id est corpus humanum. Atque ita Verbum caro factum est, et habitavit nobiscum (*Joan.* I, 14) in exterioribus nostris, ut vel sic nos introduceret aliquando ad interiora sua. Anima itaque rationalis, habens carnem, addita est Verbo, quæ per ipsam carnem quidquid nobis docendis et corrigendis necessarium erat, doceret, faceret, pateretur. In illa sola perfectissime fuerunt, quæ supra tractavimus, id est devotio ad Deum, benignitas ad proximum, sobrietas ad mundum. Nihil enim Deo prætulit, nihil æquavit, nihil pro parte aliqua comparavit, nihil pro quantacunque parte ad comparationem illius. Unde ait : Voluntatem ejus, id est Patris, facio semper (*Joan.* VIII, 29). Proximum vero perfectissime dilexit sicut seipsum. Nulli enim ex iis quæ infra se, id est infra rationalem mentem erant, pepercit, sed omnia ad utilitatem proximi convertit, et vitam, sed sensualem, et eam quæ carnem vegetat, et ipsam carnem. Nam et dolores pro

nobis sustinuit aeriores, et mortem contra vitam vegetabilem, et vulnera contra ipsam carnem. Ad mundum autem tantam sobrietatem, tantumque habuit contemptum, ut non habuerit Filius hominis ubi saltem caput reclinaret suum. Nil ab inferioribus, nihil a mediis, sed totum a superioribus, id est Dei Verbo, cui ad unitatem personæ conjuncta est, suscepit. Non sacramentis, non verbis, non exemplis, sed Dei tantummodo Verbi præsentia est docta ut intelligeret, et accensa ut amaret. Per eam nobis ipsum Dei Verbum et Sapientia tripliciter, id est sacramentis, verbis et exemplis, quid agendum, quid tolerandum, et per quid esset ostendit. Non enim sequi homo debebat nisi Deum, nec poterat, nisi hominem. Assumptus est igitur homo ut, dum sequitur quem potest, sequatur et quem debet. Item non poterat conformari nisi Deo, ad cujus imaginem factus est; nec poterat nisi homini. Itaque Deus factus est homo, ut, dum conformatur homini cui potest, conformetur et Deo, cui prodest.

GUIGONIS

CARTHUSIÆ MAJORIS PRIORIS QUINTI

CONSUETUDINES.

(*Annales ordinis Carthusiensis*, curante D. Innocentio Lemasson, Correriæ 1687, fol. t. I, p. 30.)

MONITUM.

AD FRATRES CARTHUSIENSES.

Antequam ad elucidationem et explicationem Consuetudinum R. Patris Guigonis deveniamus, debemus et nos ad imitationem tanti viri pauca vobis proloqui, ut perfectius possitis intelligere tum mentem auctoris, tum suscepti a nobis operis propositum, dum istas Consuetudines, quæ nunc vulgo statuta vocantur, hic referre et de novo imprimi curamus.

Qui facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus (*Joan.* III). Hac ergo Christi voce edocti et invitati thesaurum nostrum, id est prima instituti nostri rudimenta et documenta veluti de tenebris eruimus, ne illum abscondere velle ultra videamur, his præsertim de causis:

Primo, ut sit vobis veluti lucerna accensa et posita super candelabrum, cujus beneficio possitis instrui, dirigi, et accendi. Instrui de primorum ordinis Patrum religiosa conversatione; dirigi in vestræ vocationis adimplendæ modo et fidelitate; accendi in illorum imitationis et charitatis non fictæ æmulatione.

Secundo, ut ex veritatis coram vobis expositæ lumine, quo videbitis qualiter ordo in vigore et spiritu sui instituti, ex singulari Dei protectione conservatus fuerit, consolationem accipiatis: et dissipatis nubeculis inquietudinum, quas in quorumdam pusillorum animos quædam opinio ingesserat decidii ordinis Carthusiensis, novum fervorem concipiatis honorandi institutum nostrum tam singulari Dei protectione honoratum, et huc usque conservatum, atque digne Deo ambulandi in hac sancta vocatione, qua vocati estis, nec unquam ab avita Carthusiensi observantia degenerandi. Censorum notas prævideral reverendus Pater Guigo, et forte jam suis temporibus expertus erat, atque ideo teneras bonorum Carthusianorum conscientias, ne inde in scrupulos deciderent, aut in animi perplexitates, contra illorum argutias præmunire voluit, ut ex variis locis vobis apparebit, et maxime ex cap. 20, et ex cap. 37, n. 4, et aliis locis.

Tertio, ut tandem fervorem a pluribus conceptum et varie exhibitum circa antiqua ordinis statuta compescamus, quorum aliqui ex devotione, quam habent erga ordinem, quædam exemplaria e cellulis nostris sublata, magno pretio a mercatoribus emerunt, illius veluti elementa et ipsi nosse cupientes, alii vero ex ipsis antiquis statutis contra præsentem statum ordinis sinistras opiniones sibi formaverunt.

Quod ergo quodammodo latebat, publicum reddimus, ne ultra quorumdam animos subeat temeraria suspicio, qua veluti degeneres filii habeamur, qui Patrum præclara gesta abscondere conantur, ne inde illorum appareat decidium. Sic enim his extremis temporibus (quod dolentes et lugentes referimus), sic, amici et fratres in Christo charissimi, charitas refriguit; imo aurum illud optimum charitatis, quo caput cœlestis Sponsi constare asserit sponsa Cantici (*Cant.* v), obscuratum est, et color ejus optimus mutatus, ut non tantum quærere iniquitatem in domo justi, et vastare requiem ejus, contra S. Epi-

ritus cunctum (*Prov.* XXIV), quidam licitum esse æstiment; sed etiam ea quæ in aliqua parte dubia esse videntur, non in meliorem partem interpretari sed in pejorem, novo jure introducto, quod certe nec Dei nec Ecclesiæ est, jam liberum sibi esse credant; imo ea quæ vere et absque ulla dubietate bona sunt, sinistra interpretatione absque ullo scrupulo, veluti conspurcare posse putent, ut fœtere incipiant; et sic, quod prius boni odoris erat et ædificationis, nauseam excitare incipiat.

Legantur Evangelia, libri apostolici attente revolvantur; ibi legimus : *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non cogitat malum* (*II Cor.* XIII), et alia plura similia. Sed nihil reperiemus unde licitum esse probetur, famam proximi lædere, et ut longe lateque ejus defectus sive veri sive falsi spargantur, quasi super tecta ascendere. Si sic agere cum singulari persona illicitum esse Scripturæ sanctæ decernant, quid de communitate, quid de ordine integro, cujus fama integra est, censendum est?

Christi et sacrarum Scripturarum sensum sequebatur D. Thomas, dum paradigmate hominis qui triginta facies haberet, quique in pulchriori ab intuentibus procul dubio aspiceretur, utebatur, ut sensum suum super hac re exprimeret, quem sensum amplecti et in omnibus sequi debemus. Non enim ad succensendum his qui de nobis minus bene sentiunt, hæc pauca de immutato charitatis colore diximus, sed ut meliora charismata semper æmulemur, et caveamus a prava interpretatione verborum illorum Apostoli dicentis : *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II), quibus nonnunquam spirituales viri, proprio sensu decepti et obcæcati, incidunt et ipsi in laqueum diaboli.

Tentationes spirituales non minus cavendæ sunt quam carnales, imo longe cautius et subtilius, maxime a solitariæ vitæ professoribus, quia a carnalibus objectis et desideriis abstracti evanescerent facile in cogitationibus suis et in judicia temeraria inciderent, nisi a dæmonio meridiano propriæ opinionis, et proprii judicii laqueos ipsis ponente, sollicite sibi caverent. Ipse enim Satanas transfigurans se in angelum lucis minus cautos et in hac parte sibi ipsis fidentes decipit, ac in errorem semel dejectos, proprio sensu deinde obcæcatos, strictius ligat et a correctione tandem fere totaliter alienos efficit.

Hi sunt miseri gradus descensionis, quos sibi fabricant Spirituales a proprio judicio non sibi satis caute caventes, a quibus longe distabimus, si semper ob oculos habeamus illa Christi Salvatoris nostri verba : *Nolite judicare, et non judicabimini* (*Luc.* VI); et illa D. Pauli : *Quis es tu qui judicas servum alienum? Domino suo stat aut cadit* (*Rom.* XIV). Itemque : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo* (*I Cor.* IV).

Nunc ergo quiescent, ut speramus, qui tanta aviditate statuta ordinis nostri, aut legere, aut carpere voluerunt, dum viderint a nobis ipsis omnia ingenue et sincere proferri, in nihilo nobis ipsis parcendo, nihil occultando, sed potius nos ipsos (quantum veritas, justitia et charitas permittunt) data occasione objurgando.

Absit a nobis ut sanctitatem illam, quæ merito primis Patribus nostris tribuitur, nobis velimus usurpare; sed id tantum nobis concedi petimus, quod a nemine, qui justitiæ osor non sit, potest negari, nempe ut corpori ordinis et animæ, ut ita dicam, instituti nostri non imputetur, quod singularium personarum culpis tantum debetur, a quibus ordinem nec ipso reverendi Patris Guigonis tempore exemptum fuisse constabit ex cap. 77 istarum Consuetudinum. Clament quantum velint, Tolle, tolle, contra statutorum ordinis transgressores et ab ejus spiritu aberrantes, non abnuemus; sed et succlamabimus : Puniantur, puniantur. sic enim non cum modica nostra et bonorum omnium consolatione, factum fuisse in ordine a die suæ institutionis usque ad hæc nostra tempora apparebit, per chartas et ordinationes capitulorum generalium, quas antiquis statutis ex professo data occasione attexemus, ut hæc scripta et propalata existant in generatione altera, et populus qui creabitur laudet Dominum, qui talem zelum, unanimitatem, propositi tenacitatem dedit miseris homuncionibus, natione, educatione, genio naturali tam diversis, etiam tempore illo, quo Ecclesia Dei per defiendum schisma in plures partes divisa, ordinem nostrum in tot partes etiam scissum post se traxerat, sub finem quarti decimi sæculi et initium decimi quinti, donec concilium Pisanum celebraretur, ut suo loco dicetur. Id velut grande miraculum a Domino factum oculis mentis apparet, quod dum intueor obstupesco et succlamo : Digitus Dei est iste; non enim similes fructus profert terra cordis humani spinas et tribulos ex se tantum germinans. Porro de rei veritate judicabunt qui opus istud in sensu pietatis et spiritu charitatis lecturi sunt.

De quibusdam adhuc monitos vos esse volo, antequam ad interpretationem Consuetudinum istarum R. Patris nostri Guigonis deveniamus, quibus monitis ad faciliorem intelligentiam sensus et verborum piissimi scriptoris perveniatis.

Primo ergo notandum est illum succincte admodum scribere, tum ut exhibeat se in scribendo etiam leges silentii servare velle, dum superflua verba resecare studet, et ea tantum proferre quæ necessaria videntur, tum quia Carthusiani propositi observatoribus scribit, qui ideo uno vel, ut ita dicam, dimidiato verbo quidquid sibi volebat reverendus Pater Guigo intelligebant, nec indigebant ut omnia veluti minutatim exprimeret. Consuetudines ergo tantum veluti substantiales, majoris et primariæ Carthusiæ sociis et fratribus communicat, id a se postulantibus, ut uniformitas illa, quæ ab initio et deinceps in ordine fuit in tanto pretio habita et continuo studio servata, introduceretur :

Secundo, plura quæ in antiquis statutis continentur nec in Consuetudinibus R. P. Guigonis expri-

muntur, non ideo novitatis debere argui, quia R. ille Pater nullam de illis mentionem facit, sed ad rationem condendorum statutorum pertinere; crescente enim numero domorum et personarum ordinis, cum statuta essent condenda quæ simplices consuetudines in quasdam veluti fixas regulas verterent, et quæ actus multorum hominum in variis agendis in unam consonantiam et praxis uniformitatem adducerent, ut in eamdem veluti regulam collimarent, necesse prorsus erat ut enucleatior fieret expressio singulorum agendorum, et modi quo singula erant agenda, ne in hac multitudine ex singularum personarum abundantiori multiplicatione composita, facilior pateret aditus singularibus personis, ad quædam secundum proprium sensum interpretanda et detorquenda, unde uniformitatem in praxi sensu depravandam fore, nemo non videt.

Tertio, sanctum illum virum, qui erat in utrisque litteris divinis et humanis apprime eruditus, styli elegantiam, quam ad manum habebat, nonnunquam deseruisse, ut in scribendis Consuetudinibus ordinis simplicitatem sectaretur, et inde nos instrueret quantum a loquendi aut scribendi modis, qui fastum aliquem redolent, abstinere debeamus. Scintillæ autem cœlestis eloquentiæ simul et humanæ, quibus pollebat quasi æris candentis, ex illius nihilominus calamo non raro proruperunt, ut videre est in illo mirabili capitulo *De vitæ solitariæ commendatione*, ex quo discimus quantum versatus esset in colligendis ex sanctarum Scripturarum campo floribus, ex quibus prudenter collectis et venuste contextis serta componere noverat cœlestem odorem exhalantia. Unde etiam instruimur in nullo nos lædere simplicitatem Carthusianam, si sacrorum istorum librorum eloquentiam addiscamus, ut qui jam per consolationem Scripturarum spem habemus, in loquendo etiam eloquia illa Domini casta eructare æmulemur, et sic optatum B. Petri apostoli in nobis compleatur dicentis: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV).

Quarto, plura reperiri in ipsis Consuetudinibus quæ a solis Carthusiani propositi observatoribus possunt bene intelligi, cum verbis satis barbaris nonnunquam sint expressa, et, ut supra diximus, non sint sufficienter explicata, ut possit illorum genuinus sensus capi ab his qui ritus Carthusianos per praxim non norunt, etiamsi sint alias docti et cordati viri. Inde oritur ratio indulgendi his qui vellent secundum suum sensum istas Consuetudines in quibusdam locis intelligere et applicare, quibus ideo illud apostolicum posset in hoc, salva illorum reverentia, applicari, *non intelligentes, neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I).

Porro circa tempus quo R. P. Guigo has Consuetudines scripsit, nihil potest certissimum assignari; sed supputando annos ab accessu S. Patris nostri Brunonis ad rupes Carthusiæ, eas scripsisse videtur 44 aut 45 circiter annis post incœptum ordinem.

Adhuc enim vivebat S. Hugo episcopus Gratianopolitanus, ut ex ipso Prologi textu innotescit. S. P. Bruno ad eremum Carthusiæ venerat cum sociis anno circiter 1084, et a die sui adventus usque ad ejus obitum effluxerunt 17 anni. Decem quidem annis præfuit in domo Carthusiæ B. Lauduinus, unus e sociis; sed S. Bruno in Calabria degens, adhuc in vivis erat, supervixit enim B. Lauduino, inter martyres merito collocando, integro anno et 19 diebus.

Cui B. Lauduino successit R. Pater Petrus Francus, et is annis tantum duobus præfuit: eique successit R. P. D. Joannes primus, qui R. P. Guigonem Ecclesiæ Gratianopolitanæ decanum recepit in ordine, ubi tantum profecit, ut post tres aut quatuor annos in priorem Carthusiæ, anno videlicet 26 ordinis nati, electus sit.

His ergo 26 annis si 18 aut 19 addantur, donec prior existens scripserit Consuetudines istas, anno 44 aut 45 post ordinem natum, ut supra diximus, eas scriptas fuisse constabit. Ex his etiam apparet R. Patrem Guigonem venisse ad ordinem quinque aut sex tantum annis post mortem S. Brunonis, et tum per opera, tum per verba, ab ejus discipulis qui etiam cum S. institutore vixerant ea omnia didicisse, quæ in istis scriptis Consuetudinibus posteris reliquit, quæ Consuetudinum nomen non mererentur, nisi a pluribus jam annis instituta fuissent, et moribus utentium approbata et confirmata. His prænotatis nunc ad rem veniamus.

PROLOGUS D. GUIGONIS.

Incipit Prologus Consuetudinum domini Guigonis prioris Carthusiæ.

1. Amicis et fratribus in Christo dilectissimis, Bernardo Portarum, Humberto S. Sulpitii, Miloni Majoravi prioribus et universis qui cum eis Deo serviunt fratribus, Carthusiæ prior vocatus Guigo et qui secum sunt fratres, perpetuam in Domino salutem.

2. Charissimi ac reverendissimi nobis Patris Hugonis Gratianopolitani episcopi, cujus voluntati resistere fas non habemus, jussis et monitis obtemperantes, quod vestra non semel dilectio postulavit, Consuetudi-

COMMENTARIUM.

PROLOG.—Num. 2. *Consuetudines domus nostræ*... Ea quæ a S. Patre Brunone instituta erant, et servata tum ab illo tum a sociis in domo seu potius ere o Carthusiæ, a successoribus illorum fideli

nes domus nostræ scriptas memoriæ mandare curavimus [*al.* curamus]. A quo negotio rationabilibus, ut putamus, de causis diu dissimulavimus, videlicet quia vel in epistolis B. Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti seu in cæteris Scripturis [*al.* cæteris libris] authenticis, omnia pene quæ hic religiose agere consuevimus contineri credebamus. Et nos, qui tale aliquid facere possemus vel deberemus, dignos minime putabamus.

3. Huc accedebat quia doceri magis quam docere ad humilitatis nostræ propositum pertinere noveramus, tutiusque esse aliena potius bona quam sua prædicare, Scriptura dicente : *Laudet te alienus, et non os tuum*; *extraneus, et non labia tua* (*Prov.* XXVII, 2). Domino quoque in Evangelio præcipiente : *Videte ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI, 1).

COMMENTARIUM.

ter custodiebantur. Pro statutis illis erant tunc charitas et pietas, quarum impulsu ea quæ a Patribus tradita erant et commendata opere complebant; nihil tunc de sua observantia scriptis mandaverant, quia adhuc illorum propositum velut in cunis erat; et observantiæ ordinis, veluti sub incude et experientiæ malleo adhuc versabantur. Vile suum propositum, ut alibi loquitur piissimus scriptor, non considerabant veluti fontem illum parvulum, qui crescere debebat in fluvium; imo nec hac de re cogitabant. Filios Rechab imitabantur, quibus pro lege et statutis erant ea quæ a patre sibi commendata fuerant et tradita ; et tunc institutum Carthusiense, quod ubique solo *propositi* nomine scriptor exprimit, sola traditione constabat.

De consuetudinibus ergo a R. P. Guigone scribendis hic agitur, non proprie de statutis. Cur autem in capitibus paginarum libri typis mandati habetur *Statuta Guigonis?* Accipe rationem. Cum ordo jam crevisset et necessarium visum fuisset statuta condere quibus tum politia externa, tum disciplinæ regularis forma, tum observantiæ Carthusianæ seu austeritatis et solitariæ vitæ ratio, tum demum instituti Carthusiani mens exprimerentur et scriptis mandarentur, ac per modum legalis instituti omnibus servanda traderentur : R. P. D. Rifferius prima illa, quæ *antiqua* vocamus, statuta condidit, in quibus ea omnia transcripsit quæ in Consuetudinibus R. P. Guigonis habentur , paucissimis exceptis quæ ex professo notabimus, ut omnibus perspicuum sit, quantum errarent qui occasione capituli *De reprehensione* (quod quartum in secunda parte primorum illorum statutorum numeratur) non secundum sensum auctoris, intellecti, decidium ordinis ab initio jam evenisse putarent.

Inde ergo accidit ut quod simpliciter *consuetudo* primo vocabatur sub reverendo Patre Guigone, in quamdam juris speciem sensim per mores utentium transiret, sicut fert ipsa consuetudinis definitio apud jurisperitos : sicutque accedente postea quadam approbatione S. D. N. Innocentii papæ II atque etiam ordinatione capituli generalis, sub S. Antelmo circa annum 1143 celebrati, ubi dicitur *servandas esse præscriptas consuetudines*, jam in statuta transierant tempore reverendi Patris Rifferii. Qua ratione factum est ut dum statuta typis essent mandanda circa annum 1509, nomen *statuti* etiam Consuetudinibus Guigonis in capite paginarum fuerit præfixum, sicut et statutis antiquis, quæ ex professo composita fuerant, ut vere essent constitutiones sive statuta ordinis, quamvis in titulo nomen etiam *consuetudinis* adhuc legatur.

Ibid. *Scriptas memoriæ mandare.* Id est scribendo cognitioni hominum et posteritatis memoriæ servandas exposuimus et tradidimus. Phrasis est monastica, captui et modo loquendi tunc temporis usitato potius accommodata quam regulis puræ latinitatis. Quod hic semel notatum sit pro omnibus; nam in plerisque locis similibus phrasibus et verbis sanctus vir utitur.

Ibid. *Quia vel in epistolis B. Hieronymi... Omnia pene quæ hic religiose agere consuevimus contineri credebamus.* Hinc patet libertas, qua S. Bruno et successores ejus voluerunt propositum et modum sibi vivendi eligere, et componere, prout spiritus et prudentia suggererent, et non se astringere ad illas regulas seu constitutiones specificas, quæ in variis ordinibus monasticis sive in Oriente sive in Occidente jam dudum fuerant conditæ. Nihil sibi elegit S. Bruno pro vivendi modo, quod non esset sanctorum Hieronymi, Benedicti et aliorum scriptis laudatum, sed non ideo illorum regulis se addixit; quamvis inde veluti spiritualis apis collegerit unde mel et ceram propriam componeret. Non ergo merito improperari potest sui instituti professoribus, quod has vel illas sanctorum sive Antonii, sive Climaci, sive Benedicti, sive Bernardi aut veterum orientalium Patrum instituta et praxes non sequantur, quia sui propositi non sunt, nec illas servandas sibi elegerunt.

Ibid. *Et nos qui tale aliquid possemus.* Inde etiam apparet quod de condenda nova et singulari regula non cogitarent, sed tantum formam quamdam *eremitice* simul et *cœnobitice* vivendi, sibi ipsis componere proponerent. Cujus exemplo attracti, Bernardus Portarum et alii in Prologo nominati, sodalitium piorum in idem genus vitæ conjuratorum, singuli sibi etiam fecerunt, et eremos sibi elegerunt, ubi eremitoria construxerunt, quæ hodie sunt antiquiores domus ordinis.

Num. 3. *Quia doceri magis quam docere.* In abscondito faciei Dei latere, conversationem in cœlis

4. Verum quia tantorum precibus et auctoritati, sive dilectioni, resistere non debemus, quod Dominus dederit, eodem ipso juvante, dicamus; et a digniori parte, officio videlicet divino sumentes exordium, in quo cum cæteris monachis, multum, maxime in Psalmodia regulari, concordes inveniamur [*al.* invenimur].

INCIPIUNT
CONSUETUDINES D. GUIGONIS.

CAPITULUM PRIMUM.

De officio divino.

1. A Kalendis itaque Novembris usque ad octavas Pentecostes, omni die, exceptis duodecim lectionum solemnitatibus, tres lectiones cum tribus responsoriis dicimus; illud observantes ut si ante quintam feriam prædicti mensis Kalendæ contigerint, in præcedenti Dominica responsoria et prophetas incipiamus; sequenti et deinceps feria tres lectiones cum responsoriis de libris eisdem recitantes.

2. Sin autem quinta vel post quintam, sequenti Dominica eosdem prophetas cum suis responsoriis inchoemus; dierum qui inter Kalendas et Dominicam sunt, alterum cum tribus propter martyres, alterum cum una lectione transigentes.

CAPITULUM II.

Item de eadem re.

1. Sabbato primæ adventus Dominicæ cohærenti commemorationem de cruce usque ad secundam post octavas Paschæ Feriam; de sancta vero Maria usque ad primam post octavas Epiphaniæ diem intermittimus.

2. In prædicta Dominica finitis Ezechiele et duodecim prophetis (nam Danielem in refectorio legimus) Isaiam incipimus, usque ad vigiliam Nativitatis eo contenti. In quo toto spatio capitulis, versibus et orationibus ad adventum pertinentibus utimur, *Gloria in excelsis* usque ad primam in Nativitate missam tacentes.

COMMENTARIUM.

semper quærere, amare ab nominibus nesciri et pro nihilo reputari, et quidquid ad veram et profundam humilitatem conducit, omnium virtutum radicem et veluti fontis gratiæ Dei canalem, in omnibus amplecti, hoc instituti Carthusiani summa et finis est.

Num. 4. *Verum quia tantorum precibus.* Hic habes formam sanctæ libertatis adimplendæ et obstinationis in suo sensu a Carthusianis fugiendæ, et qualiter charitas et obedientia, scientia et humilitas in vitæ solitariæ statu, simul possint et debeant a nobis concordari, et inde simplicitas Carthusiana componi, ut nihil unquam quæratur a vero Carthusiano ex propriæ voluntatis instigatione, quod a vitæ absconditæ centro illum retrahat; sed nihil obstinato animo fugiatur, quando ad agendum aut loquendum ex Superiorum judicio impellitur. Quod adhuc evidentius patebit infra, ubi de obedientia Carthusiana agetur.

Ibid. *...n quo cum cæteris.... multum.* Non dicit *in totum*, quia revera in componendo divino officio Carthusiano ritus quidem monasticus in duodecim psalmis, tribus canticis et 12 lectionibus et aliis similibus assumptus est, sed non pauca etiam ei adjuncta fuerunt ex ritibus tum Ecclesiæ Lugdunensis, tum Gratianopolitanæ, in cujus diœcesi sita est Carthusia, ut probari potest ex antiquis Missalibus Ecclesiæ Gratianopolitanæ, et modo celebrandi missam tunc ibi usitato, quæ in nostris ad unguem fere referuntur; itemque ex veteribus Antiphonariis et precibus quæ ab Ecclesia Lugdunensi in nostrum usum constat fuisse transumpta.

Cap. I.— *Capitulum.* Hoc verbum, quo in statutis nostris distinctio materiarum notatur, nunc communiter per verbum *Caput* exprimitur; sed ad reverentiam Patrum antiquorum hoc verbum in ordine retinuimus, sicut et alia similia: imo et modos quosdam pronuntiandi, qui etiam in antiquis statutis expresse designabantur, adeo semper apud nos in pretio habita est stabilitatis et antiquitatis venerandæ tenacitas.

Num. 1. *A Kalendis.* Totum hoc capitulum reperitur transcriptum in prima parte Statut. antiq., cap. 21, n. 8 et 9, et nulla est differentia nisi quod ea quæ hic succincte dicuntur, ibi latius explicantur, prout ratio condendorum statutorum exigit. Idem prorsus etiamnum a nobis observatur.

Cap. II. — Idem Capitulum reperitur transcriptum, cap. 2, 1 part. antiq. Statut., num. 3, 5, 6, 8 et 9.

Num. 2. *Gloria in excelsis*, usque ad... *tacentes.* Ex hoc loco et aliis infra notandis patebit, non bene opinari eos qui putant quod olim in ordine raro missa a nostris celebrabatur. Certum est illos tunc tantum habuisse unum altare, et raro duo; quod ex charta cap. generalis anni 1250 probatur, ubi dicitur: *De duobus altaribus suscipiendis requiratur consensus conventuum.* Raritatem ergo istam non ad

3. Antiphonas *O sapientia*, cum aliis sex, et antiphonas proprias ad matutinas laudes ita incipimus, ut die ante vigiliam Natalis Domini finiantur.

4. Singulæ adventus Dominicæ propriis responsoriis et antiphonis ad matutinas laudes decorantur, sed et cæteris diebus semper ad *Magnificat* et *Benedictus* antiphonas de adventu dicimus.

CAPITULUM III.

Item unde supra.

1. In Sabbato jejuniorum temporalium sextam et missam cum quinque, excepta epistola, lectionibus, et deinde nonam continuatim in ecclesia cantamus; idem in cæteris jejuniis similibus facientes, nisi quod in mense primo post nonam propter Quadragesimam.

2. In Sabbato infra octavas Pentecostes inter tertiam et sextam, et in mense septimo post sextam missam ipsam celebramus, nonam usque post dormitionem in cellulis dicendam differentes.

CAPITULUM IV.

Item unde supra.

1. A quarto Nonas Januarii usque ad Septuagesimam, beati Pauli apostoli Epistolas legimus.

2. Ab altera post octavas Epiphaniæ die usque ad Septuagesimam, ferialia dicimus responsoria, prima post ipsas Dominica *Domine, ne in ira tua* incipientes.

3. In Sabbato quod primam Septuagesimæ Dominicam antecedit, ad vesperas tantum dicimus *Alleluia*, ad Missam similiter sancti Sabbati recepturi.

4. Ab ipsa autem Dominica usque ad Dominicam de Passione Domini Heptateuchum tam in ecclesia quam in refectorio legimus, prima et secunda Dominica, *In principio*, cæteris vero Dominicis usitata Responsoria decantantes.

5. In Capite jejunii capitula nocturna et diurna, et orationes mutamus: sextam et missam et nonam in ecclesia cantamus.

6. Hac die cruces cooperimus in Parasceve detegendas.

7. Ante missæ initium cinis post confessionem sacerdoti benedicendus offertur; quo benedicto et aqua sancta resperso, omnes per ordinem genibus ante presbyterum flexis participant, dicente ipso: *Recognosce, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*; cæteris vero Antiphonas istas canentibus: *Exaudi nos, Domine; Juxta vestibulum*, etc. Quibus finitis subdit sacerdos: *Dominus vobiscum*, et istam orationem *Concede nobis, Domine*; eadem hora duobus sequentibus diebus Missas facimus.

8. Sabbatum sequens missa caret.

9. In hoc Sabbato Dominicalia capitula mutamus ad vesperas.

10. Capitulum, *Domine, miserere nostri*, in Quadragesima et in Adventu festivis diebus ad primam dicimus.

11. A sequenti secunda feria usque ad Cœnam Domini septem psalmos cum litania post primam in cellulis quotidie, exceptis duodecim lectionum festis, exsolvimus.

COMMENTARIUM.

conventuales missas, sed ad privatas tantum pertinuisse putamus, quæ a monachis sacerdotibus statutis tantum diebus celebrabantur. Totum ergo hoc capitulum fuit in antiqua statuta transfusum.

Cap. III. — *Item unde supra.* Id est de eadem materia, de qua jam superius actum est.

Textus hujus Capituli reperitur de verbo ad verbum relatus cap. 3, 1 part. antiq. Statut., num. 8; cap. 11, 1 part., num. 10, cap. 19, ejusdem partis num. 7, et cap. 27, num. 5. *De dormitione* idem refertur cap. 34 ejusdem partis.

Totum ergo capitulum istud fuit in statuta antiqua transfusum, et eadem prorsus nunc observamus, excepta dormitione diurna, quæ est abrogata.

Num. 1. *In mense primo*, etc. Hinc probatur quod mensis Martius tunc adhuc primus reputabatur, nam in mense isto jejunia temporalia communiter occurrunt.

Num. 2. *Missam celebramus.* Ecce hic adhuc fit missæ mentio quæ communiter celebratur, et inter officia divina singularibus diebus assignata recensetur.

Cap. IV. — Textus hujus capituli usque ad illa verba, *Sabbatum sequens*, etc., de verbo ad verbum refertur cap. 5 primæ partis antiq. Statutorum, n. 56; cap. 7, n. 1; cap. 9, n. 1 et 2; cap. 10, nn. 1, 2, 3 et 4.

Num. 5. *Sextam et missam et nonam.* Hic etiam de missa quasi ordinate celebranda fit mentio.

Num. 8. *Sabbatum sequens missa caret.* Hic autem locus sic exprimitur 1 part., cap. 11, n. 1, antiq. Statut. *Missa propria caret, et cantatur missa de B. Maria in conventu*; quibus verbis sensus R. P. Guigonis clarius exprimitur circa missam de jejunio, quæ etiam nunc vacat in nostris Missalibus, et celebratio missæ de beata Maria Virgine, diei illi assignatur.

Num. 9. *In hoc Sabbato*, usque ad hæc verba *si sacerdotum.* Idem textus refertur de verbo ad verbum cap. 11 primæ partis ant. Statut., nn. 2, 3, 5 et 10.

12. Nonam et missam cum præfatione de Quadragesima et vesperas omni die in ecclesia cantamus, si sacerdotum adsit copia, vel qui adsunt aliqua rationabili non impediantur de causa.

13. Dominica de Passione capitula mutamus, consueta suffragia usque ad secundam post octavas Paschæ feriam intermittimus; a quo die usque ad Cœnam Jeremiam partim in ecclesia, partim in refectorio, propter noctium brevitatem legimus. In quo temporis spatio, nisi duodecim lectionum solemnitas intersit, ad invitatorium et ad Responsoria et ad introitum *Gloriam* non dicimus.

14. De festo trium lectionum commemorationem tantum facimus.

15. Sabbato quod Dominicæ Palmarum jungitur, missam non dicimus.

16. Ad vesperas capitulum, *Hoc sentite*, responsorium, *Fratres mei*, usque ad Cœnam.

17. Dominica in Palmis cantata tertia, et induto casula sacerdote, post confessionem rami benedicuntur, aspersique aqua benedicta omnibus a sacerdote traduntur; et interim cantatur antiphona, *Collegerunt;* sequitur *Dominus robiscum* et oratio ista : *Omnipotens sempiterne Deus.*

18. Si Annuntiatio vel festivitas sancti Benedicti quartam hujus hebdomadæ transierint feriam, nullam postea de ipsis facimus mentionem.

19. In Cœna festum facimus, novem sicut clerici lectionibus contenti, ad *Benedictus* lucernam exstinguimus, Ecclesiæ morem tantilla ex parte imitantes.

20. Ad primam convenimus, post capitulum tertiam in cellis dicimus, et munditias singuli facimus, sextam quoque ibidem cantantes, nonam et missam et vesperas in ecclesia celebramus.

21. In missa, hostia Dominici corporis integra in Parasceve a sacerdote sumenda servatur.

22. Post refectionem omnes, in quantum possibile est, monachi et laici ad mandatum in capitulum convenimus, ibique pedes cunctis a priore vel cui hoc ipse injunxerit, ipsique ab eo qui prior est ordine abluuntur, terguntur, osculantur, cæteris congruas antiphonas canentibus. Dehinc priore aquam infundente, lotis omnium manibus, accensa candela evangelium legitur, stantibus cunctis usque ad id, *Cum recubuisset iterum.*

23. A quo loco eamdem lectionem sedentes audimus, usque dum dicatur, *Surgite, eamus hinc.* Tunc enim, præcedente diacono, in refectorium pergimus, quod superest lectionis sedentes audituri; qua finita vinum a ministris apponitur singulis. Dataque a sacerdote benedictione, bibimus et abimus. Post quæ nudatur altare.

24. Hac die post prandium, sive post mandatum, duorum sequentium lectiones et responsoria prævident fratres, tanquam usque ad Sabbatum post refectionem, ad claustrum non reversuri.

COMMENTARIUM.

Num. 12. *Si sacerdotum adsit copia, vel qui adsunt aliqua rationabili non impediantur de causa.* Hæc verba non reperiuntur in antiquis statutis relata, ex quibus et conditione apposita colligitur quod si omnes monachi tempore R. P. Guigonis ad sacerdotium nondum essent promoti, plures tamen erant, et omnes ad clericatum idonei, ut ex cap. 73 istarum Consuetudinum patebit. Ex prætermissione autem verborum istorum, in antiquis statutis non relatorum, id tantum colligitur quod tempore quo statuta antiqua condita fuerunt, apud nos sacerdotes sæpius celebrabant quam tempore R. P. Guigonis, unde conditionem illam ponere jam fere superfluum esse visum fuit. De causa illa rationabili impedimentum afferente suo loco agetur.

Cætera iisdem fere verbis referuntur prima parte Statut. antiq., cap. 11, 12, 13, 14, 15 17, 18 et 19.

Num. 13. *Partim in ecclesia, partim in refectorio.* Innotescere incipit usus, qui semper in ordine viguit, ut Biblia sive in ecclesia, sive in refectorio, sive in colloquio singulis annis, ex integro legantur.

Ibid. *Propter noctium brevitatem.* Quod de noctium brevitate hic dicit, refertur ad vigilias, quæ olim in ordine juxta noctium longitudinem aut brevitatem ordinabantur, et lectiones longiores, vel breviores fiebant in matutinis, juxta noctium qualitatem. Agitur autem hic de fine Quadragesimæ, quo tempore constat dies fieri longiores et noctes breviores. De istis vigiliis infra agetur suo loco.

Num. 19. *Novem... lectionibus contenti.* His verbis vult exprimere, his tantum diebus austeriores vigilias a nobis paululum relaxari, ac lampadem ad *Benedictus* exstingui; sicque tribus illis diebus, quæ sunt tantilla pars respectu totius anni, nostras matutinas Ecclesiæ usui esse conformes.

Num. 20. *Munditias singuli facimus.* A solis Carthusianis id potest intelligi, et significat consuetudinem quæ hucusque in ordine conservata est in die Cœnæ Domini, ut privatim in cellis pedes mundemus et lavemus antequam ad capitulum, ubi a priore lavari debent, veniamus. Id vocat R. Pater Guigo *munditias facere.*

Num. 24. *Hac die post prandium sive... ad claustrum non reversuri.* Hic obscure indicat usum recordationum, quæ in claustro fiebant, quem non plene exprimit quia res erat communis et nota his ad quos scribebat, et inde elucet qualiter res potius aliquando innuere contentus fuerit R. P. Guigo quam illas late explicare. Quid essent autem istæ recordationes, et quomodo fieri deberent, sub titulo

25. Completorium poste sonatur.

26. In Parasceve genua flectimus, *Miserere mei, Deus*, dicimus.

27. Totisque his tribus diebus preces singuli quique in silentio dicimus in omnibus horis, hac una oratione contenti, *Respice, quæsumus, Domine;* totumque fere officium juxta clericorum morem exsequimur. Psalterium aliis omissis operibus frequentamus; a sacrista laicis juvantibus mundatur ecclesia. Signo aliquanto tardius quam solet dato, sexta et nona continuatim in cellis dicuntur, et interim sacerdos induitur, datoque iterum signo ad ecclesiam convenientes officium ex more celebramus. Præcedit lectio, sequitur tractus et oratio *Deus a quo et Judas;* item alia lectio, et tractus, deinde passio absque *Dominus vobiscum*, post quam orationes; quibus finitis exuitur sacerdos casula, nudamus pedes, oblatamque a diacono crucem venerabiliter osculamur, dicentes intra nos singuli : *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Interim conventus cantat antiphonam, *Nos autem gloriari oportet*, et Responsoria, *Popule meus* et *Expandi manus meas*. Post quæ ad locum pristinum cruce relata, sacerdos lotis manibus casulaque indutus, calicem cum vino corpore Domini superposito, a diacono suscipit, inchoante eodem communionem, *Hoc corpus*. Quibus in altari compositis, post modicum silentium incipit sic, *Oremus, præceptis salutaribus moniti. Agnus Dei* non dicitur, nec in Sabbato. Percepto autem a sacerdote Domini corpore, vesperas alterutrum cum silentio dicimus.

28. Sabbato, cantatis in cellulis sexta et nona, et interim sacerdote induto, ad ecclesiam congregati, præmissis quatuor lectionibus cum tribus tractibus et litania perbrevi, missam a *Kyrie eleison* solemniter inchoamus; *Gloria in excelsis Deo* dicimus, duas candelas accendimus, pacem accipimus, incensum vero non adolemus. Quibus expletis pulsato tintinnabulo vesperas juxta morem monachicum solemnissime cantamus.

29. In die sancto Paschæ inter matutinas et primam, cunctis, in quantum eorum sinunt obedientiæ, laicis præsentibus et communicantibus, ea celebritate qua Dominicis solet diebus missa cantatur, duobus vel tribus monachorum sacerdotem juvantibus.

30. In majori missa communicat conventus, et qui de laicis communicaturi sunt.

31. Totos quatuor hos dies celeberrimos ducimus. Feria secunda, tertia, quarta in matutinis laudibus duas candelas accendimus incensumque offerimus. Feria quarta recedunt laici. Quinta, sexta, Sabbato, sextam in ecclesia cantantes simul reficimus. Hebdomadarum Paschæ et Pentecostes prioribus diebus quatuor nullum omnino sanctorum festum celebramus. Tribus vero posterioribus, si trium lectionum festum occurrerit, solam commemorationem, sin autem duodecim, totum facimus. Responsoria paschalia quatuordecim diebus cantamus.

32. Actus apostolorum tribus hebdomadibus, canonicas vero Epistolas exinde usque ad Ascensionem; et ab Ascensione usque ad Pentecosten Apocalypsim tantummodo, partim in ecclesia, partim in refectorio perlegimus.

33. Feria tertia Rogationum semel reficimus, sed coquinam facimus.

COMMENTARIUM.

speciali cap. 35 primæ partis antiquorum Statutorum fuse expressum habetur, prout ratio condendorum statutorum exigit. Monachi in claustrum simul conveniebant certis diebus, et alia faciebant de quibus suo loco agetur. Hic tantum adnotamus nihil novi debere imputari ex hoc loco posterioribus R. Patri Guigoni Patribus, qui in antiquis statutis egerunt de recordationibus : nam late tantum explicant et firmant usum antiquum recordationum, qui hic indigitatur; sed clarius, succincte tamen, exprimitur infra cap. 9.

Num. 28. *Sabbato cantatis in cellula.* Id est persolutis, nam extra chorum apud nos nunquam officia divina fuerunt cantata, et piissimus scriptor fere ubique verbum *cantare* pro *persolvere* usurpat.

Num. 29. *Duobus vel tribus monachorum sacerdotem juvantibus.* Inde apparet quod tunc recto tantum tono missam istam cantarent; nunc monachi omnes huic missæ assistunt et cum notis decantant.

Num. 31. *Feria secunda*, etc., *duas candelas*, etc.

A Hic apparere incipit usus festorum solemnium, quæ ideo *candelarum* in antiquis statutis et veteribus libris ordinis appellantur, quia in signum solemnis gaudii in matutinis et vesperis illarum festivitatum cerei accendebantur.

Num. 33. *Feria tertia Rogationum semel reficimus, sed coquinam facimus.* In antiquis Statutis 1 part. cap. 17, n. 6, legitur : *Feria tertia et secunda Rogationum semel reficimus, sed feria tertia caseo et ovis licet uti.* Ad intelligendum autem quid sibi velit R. P. Guigo verbo *coquinæ* in hoc et aliis locis, sciendum est tunc fuisse in usu apud nos, idque per plura sæcula continuatum fuisse, ut monachi partem victus sui sibi coquerent in propria cella, offas nempe et quædam legumina eisque tantum ministraretur a B coquinario, et dispensatore communi panis, vinum et id quod in plerisque locis Consuetudinum R. P. Guigonis *pitantia* appellatur. Coquinam ergo istam semper sibi faciebant exceptis diebus abstinentiæ, et diebus refectorii, quibus tunc simul in refectorio comedebant. Locus antiquorum statutorum expri-

34. In vigilia Ascensionis sextam et missam in ecclesia cantamus; Ascensionem celebremus.

35. In vigilia Pentecostes nonam et missam in ecclesia dicimus, totamque hebdomadam sicut Paschalem decurrimus, nisi quod feria quarta et Sabbato, sextam post missam sine intervallo cantamus. Hæc quippe hebdomada jejunia Quatuor Temporum facimus.

CAPITULUM V.

Item unde supra.

1. Post hebdomadam hanc, die quacunque festum occurrerit, libros Regum incipimus, responsoria vero ejusdem historiæ sequenti Dominica.

2. A Kalendis Augusti usque ad Kalendas Septembris, Parabolas, Ecclesiasten, librum Sapientiæ, et de Ecclesiastico quantum tempus permittit, legimus.

3. Kalendas Septembris, Job duabus septimanis sive tribus, duabus sequentibus Tobiam, Judith, Esther.

4. A Kalendis Octobris usque ad Novembrem, Machabæorum libros.

5. Totoque hoc tempore, id est a Pentecoste usque ad Novembris Kalendas, una, nisi festum intersit, lectione, sicut cæteri monachi, contenti sumus.

6. Nunquam autem pro trium lectionum festo, lectiones Historiæ dimittimus, nisi in vigilia Natalis Domini, et tribus post festum Innocentum diebus et hebdomadibus Paschæ et Pentecostes, et infra octavas Assumptionis beatæ Mariæ.

7. Invitatorium igitur tantum et versiculi, et responsoria et orationes, et matutinæ laudes, sed et ad primam antiphona, ad tertiam quoque et sextam, si semel prandendum est, sin autem bis ad tertiam tantum, antiphonæ, versus et orationes pro tali festo dicuntur.

8. *Dominus regnavit* non solum in talibus festis, sed etiam a Nativitate usque ad octavas Epiphaniæ, et a Pascha usque ad octavas Pentecostes, ad matutinas laudes quotidie dicimus.

CAPITULUM VI.

Item unde supra.

Et hoc sciendum quod in nulla solemnitate processionem facimus, nec ullum festum vel vigiliam transmutamus.

CAPITULUM VII.

De officio Dominicali.

1. Omni Sabbato post nonam in claustrum convenimus; lectiones et cætera necessaria recolimus.

2. Et quia tota hebdomada in cellis silentium tenemus, peccata nostra priori, vel quibus ab eo injunctum est, confitemur.

3. Quod si nova responsoria incboanda sunt, magnum responsorium in vesperis cantamus.

COMMENTARIUM.

mit tantum quod hic subauditur, sed in aliis locis Consuetudinum R. P. Guigonis idem satis exprimitur, ubi explicatur quando ovis et caseo uti licitum esset.

Eadem quæ in hoc capitulo continentur etiam nunc observantur, imo rigidius, quia usus simul conveniendi in claustrum ad recordationes faciendas abrogatus est.

Cap. V.—Quidquid hic habetur, etiam in antiquis Statutis reperitur, cap. 21 prim. part., nn. 1, 2, 3 et 4. Itemque cap. 20, n. 1; cap. 21, n. 13; cap. 30, n. 1; cap. 5, n. 42; cap. 4, n. 4.

Num. 7. *Si semel prandendum est, sin autem bis.* Id est si sit dies qua bis comedatur, et cœna sicut et prandium ministretur, sicque bina refectio habeatur; unde in ordine usus invaluit, ut dies quibus non jejunatur, dies binæ refectionis vocentur.

Num. 8. *Dominus regnavit*, etc., *ad matutinas laudes.* Hic locus indicat illum loqui de solis laudibus, quando alibi his verbis utitur, nempe, *matutinis laudibus.*

Cap. VI. — Idem refertur cap. 2 prim. part. antiqu. Statut., n. 16. Nunc aliquas processiones facimus, tum ex præscripto Ecclesiæ, ut in solemnitate Corporis Christi, tum aliquando ex devotione; et hoc potius ad pietatis augmentum pertinet, quam ad defectum.

Cap. VII.—Num. 1. *Omni Sabbato post nonam*, etc. In Statutis antiquis, cap. 33, sic legitur: *Omni sabbato et in vigiliis festorum duodecim lectionum et in vigilia Cœna Domini.* Idem autem exprimit infra R. P. Guigo, cap. 9, n. 3. Sed hic de Sabbato tantum mentionem facit ad exprimendum quod fieret in Sabbato primo recordatio, ac deinde confessio sacramentalis.

Num. 2. *Et quia tota hebdomada in cellis silentium*, etc. Subaudi, nisi casu advenerit, quo juxta ejusdem R. Patris Guigonis Consuetudines silentium frangi permittitur, ut infra notabitur. Idem refertur cap. 11, II part. antiq. Statut.

Ibid. *Priori vel quibus ab eo injunctum est.* Inde patet quod tunc temporis deputabantur quidam ad confessiones audiendas, prout nunc fit, et libertas dabatur pœnitentibus, quem vellent eligendi.

4. Dominica, post primam, capitulum tenemus. Inde fratribus ad cellas redeuntibus, si missa ea die cantanda est, id est si sacerdos vel sacerdotes rationabili non impediantur de causa, statim signum pulsatur ; alias enim usquequo tertia sit dicenda differtur : quod spatium, quantum infirmitas necessitasve permittit, spiritualibus profectibus attribuitur.

5 Post hæc sacerdos, tempore congruo ad ecclesiam reversus, induitur, signoque tertia [*al.* terna] incisione pulsato, præsentibus cunctis aqua sacratur. Quam sacerdos spargendo, altare circuiens ; ante ipsum altare monachis, ad ostium chori laicis dispergit, canentibus cæteris antiphonam, *Asperges me* ; reversusque ad lectorium addit precem, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, deinde, *Dominus vobiscum* et orationem hanc, *Exaudi nos, Domine, sancte Pater*. Post, tertiam inchoat, quam sequitur missa.

6. *Gloria in excelsis Deo* in omnibus solemnitatibus, præter Adventum et Septuagesimam, cantamus.

7. *Credo in unum Deum* tam in Dominicis diebus quam in cæteris, exceptis confessorum et martyrum festivitatibus, et tribus diebus Paschæ et Pentecostes, dicimus.

8. Post missam ad cellas aquam sanctam ferentes, parvum facimus intervallum ; deinde signo pulsato ad ecclesiam redeuntes sextam cantamus ; et sic in refectorium pergimus, animarum pariter et corporum escam sumpturi. Exeuntes autem de refectorio a Kalendis Novembris usque ad Purificationem Beatæ Mariæ statim nonam cantamus, ex quo die usque ad Pascha, spatium quod ibi, id est inter prandium et nonam, facimus, lectioni vel aliquibus talibus exercitiis deputatur. Inde tota æstate, pro dierum quantitate nunc brevius, nunc longius quieti datur.

COMMENTARIUS.

Num. 4. *Si missa ea die cantanda est*, etc. Hic locus obscurus apparet. At ibi de missa conventuali non agitur, sed de missa privata, quæ illa die ultra majorem sive conventualem celebrari consueverat, quod satis probatur per verba sequentia : *Post hæc sacerdos tempore congruo*. Ex quibus patet superius dicta esse omnino diversa a missa conventuali, cujus celebratio et modus eam celebrandi necnon officia post missam dicenda, fixe designantur : sed id amplius probatur ex n. 4, cap. 8, ubi dicitur : *Secundam missam post matutinas laudes incipiente luce, sicut fieri solet in Dominicis diebus, cantamus.*

Ibid. 4. *Quod spatium, quantum infirmitas necessitasve permittit, spiritualibus profectibus*... Inde incipit apparere, quod plenius ex sequentibus patebit, primos nostri propositi institutores discretionem semper in pretio habuisse, veluti solitariæ vitæ in primis necessariam, sicque ab omnibus excessibus et extremitatibus sibi ac successoribus suis cavere voluisse, ut omnia viribus humanis gratiæ cœlestis auxilio adjutis, et habita personarum qualitate, ut sæpius insinuant, essent accommodata. Infirmitatis ergo aut necessitatis mensuræ, mensuram etiam exercitiorum spiritualium volunt adaptari.

Num. 8. *Exeuntes autem de refectorio... statim nonam*, etc. Id tantum nunc observamus diebus non festis intra Octavas Nativitatis Christi. Cæteris autem festis intra idem tempus occurrentibus idem intervallum facimus, quod postea R. P. Guigo exprimit. *Ex quo*, etc.

Ibid. *Exinde tota æstate, pro dierum quantitate nunc brevius, nunc longius quieti datur.* A Purificatione usque ad Pascha, spatium inter prandium et nonam dari perhibetur, et cui occupationi spatium illud destinetur, exprimitur : et postea subditur, *Exinde tota æstate*, etc., id est a Pascha usque ad Kalendas Octobris, ut ex cap. 29 colligitur, inter prandium et nonam dormitio diurna ordinatur. Hæc dormitio a nostris religiose servabatur vel ut observantia regularis, et sic stricte, ut de hac re loquens R. P. Guigo cap. 29, n. 5, dicat : *Non enim monemur solum, sed et jubemur horis ad quietem deputatis, dormitioni magnum impendere studium.* Unde patet magna Patrum discretio, qui nolebant aliquid per propriam voluntatem detrahi ex his quæ ad vires tum corporis tum animi conservandas necessaria esse sciebant.

Circa illud longius vel brevius spatium dormitioni impendendum, aliquid procul dubio præscriptum erat, quo omnes possent se uniformiter ordinare. At nihil de hac re scriptum reperimus, et ideo traditioni relictum fuisse putamus, quod in plerisque etiam aliis evenisse indubitatum est. Pro exemplo sit abstinentia a carnibus, etiam in morbis, de qua nulla fit mentio apud R. Patrem Guigonem. Porro dormitio illa diurna per statuta ordinata, jamdudum apud nos fuit abrogata eo tempore quo vigiliarum ordo mutatus est, ut suo dicetur loco : illa siquidem æstatis tempore concedebatur, ut suppleretur quod minus spatii assignatum erat ad dormiendum nocte, propter noctium abbreviationem. Nam post matutinas ad lectum nullo redibant tempore ; et sicut noctes sensim crescunt et decrescunt, sic spatium dormitionis diurnæ brevius vel longius noctium cursum sequebatur, ut tempus ad dormiendum tam nocte quam die destinatum esset æquale, et in idem spatium fere collimaret. Hieme autem ea vicissitudine dormitionis diurnæ opus non erat, cum ex longis noctibus spatium esset ad sufficienter dormiendum et absque divisione somni, prout illos tunc observasse ex infra dicendis apparebit.

Num. 9. *Post nonam... de utilibus locuturi.* Inde evidens est illorum silentium non fuisse perpetuum, et usum colloquiorum ab initio in ordine fuisse usitatum, sicque tempus loquendi et tempus tacendi fuisse semper apud nos observatum. Imo tunc licitum illis erat, quod nunc non licet, nempe a coquinario plura petere et accipere.

9. Post nonam in claustrum convenimus, de utilibus locuturi. In hoc spatio incaustum, pergamenum, pennas, cretam, libros seu legendos seu transcribendos a sacrista; a coquinario vero legumina, sal et cætera hujusmodi poscimus et accipimus.

10. Post cœnam singulas tortas tanquam Christi mendici accipientes, cellas repetimus.

11. In omnibus autem similibus festis pene similiter facimus.

12. Dominicis autem quæ sunt infra octavas Natalis, Apparitionis, Ascensionisve Domini, antiphonas, responsoria, versus et octo priores lectiones de ipsis solemnitatibus dicimus, quatuor posteriores de homiliis Dominicalium evangeliorum : Evangelium quoque ipsum post *Te Deum laudamus*, et antiphonæ ad *Benedictus et Magnificat*, et oratio et missa, Dominicalia sunt : sed postea fit commemoratio de solemnitatibus. Similiter agitur Dominica quæ inter octavas Natalis Domini et Apparitionem est, nisi quod priores etiam octo lectiones Dominicales, id est de Epistolis beati Pauli legimus, et commemorationem de Nativitate non facimus.

13. De sancto Sylvestro commemoratio tantum fit ; verum de his quæ quadam speciali dignitate solemnia celebramus, specialiter quoque dicendum putamus.

CAPITULUM VIII.

Item de officio divino.

1. Igitur Omnium Sanctorum, Natalis Domini, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Joannis, beatorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis beatæ Mariæ vigilias in pane et aqua facimus, missasque, in æstate quidem cum sexta, in hieme vero nonam supponentes, continuamus : altare paramus, in vesperis et matutinis et missa itemque vesperis duas candelas accendimus, incensum ponimus.

2. Porro in vigilia Natalis Dominici in matutinis laudibus genua non flectimus; *Dominus regnavit* dicimus, *Miserere mei*, *Deus*, tacemus, duas ad missam candelas accendimus, sed thus non adolemus, pacem sumimus.

3. Si Dominica in hac vigilia occurrerit, versum ante evangelium et totum deinceps officium de vigilia dicimus, commemorationem tantum de Dominica facientes. Eodem modo in vigiliis Paschæ et Pentecostes missas celebramus.

4. In matutinis quatuor ultimas lectiones de Evangeliis legimus. Primam missam inter nocturnum et laudes celeberrimam facimus, secundam post matutinas laudes, incipiente luce, sicut fieri solet in Dominicis diebus, cantamus, in qua laici communicant, in hac etiam commemoratio fit de S. Anastasia.

5. In majori missa communicat conventus, pacemque a sacerdote et ab invicem omnes monachi accipiunt. Hoc ipsum in omnibus festis talibus agimus, excepta Circumcisione Domini, et Natali beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Dedicationis, et sancti Michaelis. Sequentes tres dies fere similiter celebramus. Die quarta laici recedunt, sicut in Pascha et Pentecoste.

6. Reliquis tribus diebus sextam in ecclesia dicimus, et nonam, prandium simul et cœnam facientes.

7. Circumcisionem, Apparitionem, Purificationem, Annuntiationem, Ascensionem, Natalem sancti Joannis, beatorum apostolorum Petri et Pauli, Assumptionem, Dedicationem, Nativitatem beatæ Mariæ semper Virginis, festum angelorum simili colimus ritu.

8. Porro in Purificatione beatæ Mariæ ante missam post confessionem candelas benedictas de manu sacer-

COMMENTARIUS.

Ibid. *Legumina, sal et cætera hujusmodi.* Per verba illa *et cætera*, apparet plura, quæ in istis Consuetudinibus specificata non sunt, monachos tunc potuisse petere et accipere a fratre coquinario, unde sibi ipsis facerent coquinam illam in cellis suis, de qua supra fit mentio, cap. 4, n. ult, et sibi ipsi quædam esculenta condirent.

Num. 10. *Post cœnam singulas tortas.* Quid esset torta illa, et ex quo grano componeretur, habebis infra cap. 34, n. 2. Hic autem nullo modo dicitur quod torta illa daretur pro tota hebdomada, prout quidam censuerunt : sed erat tantum pia cæremonia, quæ eo fine introducta erat, ut pauperias, quam vovimus, eo mendicitatis actu amplius honoraretur, et nos Christi mendicos esse protestaremur. Quæ cæremonia etiam nunc integre servatur. Id autem evidenter probatur ex cap. 31, n. 2, et ex c. 46, n. 1, ubi fit mentio de pane petendo et accipiendo.

Porro ea omnia quæ in præsenti capit. 7 habentur, referuntur in antiquis statutis fere de verbo ad verbum, cap. 35, prim. p., n. 1, cap. 11, sec. p., n. 1, cap. 20 1 part., n. 12, cap. 34, n. 3, cap. 43, n. 5; cap. 32, n. 3 ; cap. 34, nn. 12, 13, 3, 7, 10 et 9. Item cap. 6, n. 6; cap. 17, n. 19 ; cap. 5, n. 45. Lectorem vero non moveat quod hic loca antiquorum statutorum inverso ordine citemus. Id enim fit ut ordinem scribendi a R. Patre Guigone servatum sequamur, et sic facilius possit fieri locorum ad invicem collatio.

In nullo ergo per statuta antiqua hic contentis fuisse derogatum perspicuum est, quæ etiam apud nos nunc plene servantur, imo rigidiori modo, nam dormiendi interdiu licentia nobis ablata est ; itemque facultas loquendi cum coquinario, et ab illo alicujus esculenti materiam petendi et recipiendi, ac demum libertas coquinam nobis faciendi in cellula.

Cap. VIII. — Ea omnia quæ in hoc capitulo habentur fere de verbo ad verbum in antiquis statutis re-

dotis monachi, et qui de laicis adsunt, accipimus, cantantes antiphonam, *Lumen ad revelationem gentium*, et evangelium, *Nunc dimittis*, ac per versus singulos antiphonam repetentes. Sequitur *Dominus vobiscum*, et oratio, *Exaudi quæsumus, Domine*, deinde missa; candelas autem post evangelium offerimus.

CAPITULUM IX.

Quoties radamur in anno.

1. Sexies in anno radimur servato silentio; in vigiliis Paschæ, Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, et in capite jejunii.

2. In vigiliis beatorum Jacobi, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, et Andreæ semel quidem reficimus, sed coquinam, si talis dies est, facimus; missasque non cantamus.

3. In cæteris duodecim lectionum festis, quibus capitulum non tenemus, nec missam dicimus, in vigilia tantum post nonam in claustrum pro recordatione convenimus.

COMMENTARIUS.

feruntur, cap. 14, n. 1 sec. part. Itemque cap. 4 prim. par., nn. 4 et 10, cap. 5, nn. 2, 3, 19 et 38. Itemque cap. 32, n. 1, cap. 8, n. 1.

Apponitur tantum in antiquis statutis conditio ista, circa abstinentias in pane et aqua in istis vigiliis servandas, *nisi veniant in festis duodecim lectionum*, de qua circumstantia non fit expressa mentio in Consuetudinibus R. Patris Guigonis; sed ex cap. 52, n. 1, satis subintelligitur.

Porro eadem a nobis etiamnum servantur, exceptis abstinentiis in pane et aqua, de quarum dispensationis ratione, imo necessitate, suo loco agetur.

Cap. IX. — Num. 1. *Sexies in anno.* Idem habetur in antiquis statutis cap. 15, sec. part. n. 16, et ex cap. 28 præsentium Consuetudinum apparet quod singuli haberent novaculam ad caput.

Num. 2. *In vigiliis beatorum*, etc. Idem refertur cap. 14, ejusdem sec. part. Si talis dies est, id est, si ea die occurrant qua coquinam facere licet, et illis diebus non eveniant abstinentiæ deputatis, quæ in præsentibus Consuetudinibus notantur.

Ibid. *Missasque non cantamus.* Id in antiquis statutis omittitur. An autem intelligi debeat tum de missa majori, tum de privatis, a quibus, illis specificatis diebus, utpote jejunio destinatis, tempore R. Patris Guigonis abstineretur, aliqua apparet dubitandi ratio, maxime propter verbum illud *non cantamus*, quia conventuali missæ tantum applicari posse videtur. At ut supra cap. 4 sub finem notavimus, verbum illud a R. Patre Guigone communiter etiam usurpatur, pro *persolvimus* aut *dicimus*. Id ergo de missis privatis potest intelligi, cum etiam in jejunio quadragesimali omni die missa conventualis, id est major, celebraretur, prout ex n. 12, cap. 4, probatur. Probabilius tamen est, quod his tantum diebus missam conventualem celebrarent, quibus missa propria ex præscripto missalis tunc era. assignata. Missæ quoque pro defunctis conventualiter celebrabantur, prout in aliis locis clare videtur.

Num. 3. *In cæteris*, etc., *nec missam dicimus.* Hic se offert occasio facile errandi nisi sequentia cum præcedentibus prudenter concordentur, et inde concludendi quod missa conventualis tempore R. Patris Guigonis, nec etiam diebus festis duodecim lectionum celebraretur, quod veritati adversari credimus, cum de missa majori etiam privatis diebus apud nostros frequenter celebrari consueta eviden er pateat, ex locis tum supra relatis, tum infra referendis. Id ergo intelligendum esse nobis videtur de missis privatis, a quibus, illis etiam diebus festis duodecim lectionum communiter tunc abstinebant, sed non semper, prout infra apparebit ex n. 1, cap. 14. Quæ abstinentia a missis celebrandis, per antiqua statuta probata non fuit, atque ideo aliter de hac re in melius dispositum est : nam missarum celebratio ad pietatis et spiritualis exercitationis augmentum pertinet. Ex antiquo etiam usu ordinis in vetustis codicibus expresso, notatur in Kalendariis *missa*, sub festis sanctorum, quæ ibi scribuntur celebranda cum tribus tantum lectionibus, ut fiat discretio inter festa hujusmodi, quæ missam conventualem de festo habent, et alia quæ non habent. At nihil simile notatur, nec in solemnitatibus, nec in festis capituli, nec in festis duodecim lectionum, quæ ultima festis duplicibus coæquantur. Certum est autem quod nec diebus solemnitatum, nec diebus festorum capituli missam conventualem omitterent, et inde potest concludi quod ista festa omnia æqualiter missam propriam et conventualem haberent, sicut universaliter observari videmus in Ecclesia, circa festa duplicia.

Ibid. 3. *In vigilia tantum post nonam.* Ibi clare expressum habes usum recordationum iisdem diebus fieri solitum, quæ in antiquis statutis specificantur : et inde perspicies in antiquis statutis ea ordinate et expresse fuisse posita, quæ in Consuetudinibus R. Patris Guigonis sparsim tantum, succincte et veluti implicite fuerant scripta : et probatu. n habebis quod in Prologo de hac diximus.

Cur rasura nunc pluries fiat apud nos? Id pertinet ad majorem reverentiam adhibendam in missarum celebratione, quæ frequentior nunc est apud nos quam primis ordinis temporibus, ut suo loco videbitur. Sed ex ipsa rasurarum multiplicatione, rigorem nostræ observantiæ potius auctum esse quam diminutum, proprio experimento facile discent, qui rem in dubium vocare volent.

CAPITULUM X.

Quales hospites introducantur in chorum.

1. In chorum nostrum hospites tantum religiosos introducimus, cum quibus in claustro communem licet habere sermonem.

2. In partem vero ducere aliquem, vel duci, aut quasi secreto aliquid intimare, aut mandare aliquibus non licet, nisi licentiam dante priore. Quam licentiam non ad nos, sed ad eos, si tanti habent, attinet petere. Nunc de his quæ pro defunctis vel circa defunctos gerimus, aliquid est dicendum.

CAPITULUM XI.

De officio defunctorum.

1. Altera itaque post Omnium Sanctorum festum die, nisi in Dominica evenerit, pro defunctis universis agendam post nocturna cum novem lectionibus dicimus, hac una tantum oratione contenti, *fidelium Deus omnium*; dehinc, post primam, missam præsente conventu celebramus.

2. In nullo autem duodecim lectionum festo, vel infra octavas Natalis Domini, Paschæ, vel Pentecostes defunctorum officium facimus, nisi forte defunctus præsens fuerit, vel tricenarium agi contigerit. Quod tamen tribus diebus ante Pascha, et ipso die Paschæ, vel Pentecostes, seu Natalis Domini, si forte eveniret, quantum ad missam [*al.* officium missæ] attinet, minime faceremus.

3. Ab hoc igitur die, id est a quarto Nonas Novembris usque ad Septuagesimam, agendam in ecclesia post nocturna dicimus. A Septuagesima vero usque ad prædictam diem post vesperas jejunii die, alias post cœnam [*additur in ms.* vel ante] idem officium in cellis exsolvimus. Quod si anniversarium fuerit, in ecclesia statim post vesperas cum novem lectionibus et antiphonis agitur.

4. In Quadragesima tamen, ne fratres graventur, post refectionem in cellis dicitur.

CAPITULUM XII.

De visitatione ægroti.

1. Cum autem frater ægrotus morti propinquare putabitur, congregatur conventus ad visitandum eum,

COMMENTARIUS.

Cap. X. — Num. 1. *In chorum nostrum*, etc. Quandoquidem ingressus in chorum licentiæ silentium frangendi per commune colloquium cum quibusdam hospitibus tunc temporis conjunctus erat, non est mirum cur fieret selectus personarum, quæ chorum ingrederentur; alioquin silentio pernicies fuisset illata, et hac de causa scrupulose arcebantur a chori ingressu aliæ personæ. Illis vero temporibus, quando licentia colloquium commune habendi cum hospitibus abrogata est, ingressum chori omnibus quidem passim non permittimus, sed non tam scrupulose interdicimus. Ingressus ille olim pertinebat ad observantiam regularem personalem, propter silentii custodiam; nunc sublata ista licentia colloquendi, ad politiam mere externam pertinet, quæ potest, habita temporum et causarum ratione, absque ulla observantiæ regularis læsione relaxari. Per observantiam autem personalem intelligo, ea quæ per se tenuunt ad macerandam carnem, et propriam voluntatem frangendam.

Num. 2. *In partem ducere.... nisi licentiam dante priore*, etc. Inde evidens est quod tempore R. Patris Guigonis, sicut et nunc servatur, cum licentia prius per extraneos a priore petita et obtenta, non per nosmetipsos, ipsi extranei poterant nobiscum privatim colloqui, et inde observatur etiam nunc, ut sæculares licentiam obtinere debeant a priore, antequam possint a nobis in cellam ad colloquendum admitti. Quod autem primis illis temporibus extranei possent etiam in cellas nostras recipi, ex ipso S. Brunonis exemplo innotescit, qui tum sanctum Hugonem episcopum, tum piissimum priorem Sancti Laurentii, sibi invicem quotidianas suæ cellulæ opellas rapientes pie expellebat dicendo : *Ite ad oves vestras*, etc.

Eadem prorsus habentur in antiquis Statutis cap. 9, num. 1 et 28 secundæ partis.

Cap. XI. — Eadem prorsus quæ in hoc capitulo habentur, in antiquis Statutis referuntur cap. 28 prim. part., n. 5, et cap. 49, num. 1, 14, 7 et 11.

Num. 1. *Agendam post nocturna*. Agenda, quo nomine officium defunctorum, id est vesperas, matutinas et laudes, ab antiquis vocamus, in choro a quarto Nonas Novembris usque ad Septuagesimam tunc tantum dicebatur; cæteris vero anni temporibus in cella post vesperas, nisi officium illud in conventu pro anniversario reddi debuisset. Nunc vero agendam in choro semper exsolvimus, excepto Quadragesimæ tempore.

Num. 3. *Quod si anniversarium... cum novem lectionibus*. Per istam expressionem *novem lectionum*, anniversariis specifice attributam, innuit usum qui extensius explicatur in antiquis statutis, et qui tunc talis erat, ut communes agendæ cum tribus tantum lectionibus et novem psalmis redderentur.

Nihil ergo in hac parte reperitur relaxatum, imo potius aliquid auctum, quia nunc agenda semper in choro dicitur post vesperas, et semper cum novem lectionibus.

Cap. XII. — Idem capitulum integre refertur in antiquis statutis cap. 47 prim. part.

Num. 2. *Tunc confitetur peccata sua*. Id de confessione sacramentali non intelligitur, et ne inde suspicio oriretur confessionis publicæ, quæ nunquam

et dicit sacerdos, *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea*, spargens aquam sanctam; respondetur *Amen*.

2. Tunc confitetur peccata sua, et post absolutionem dicit idem [*al.* item] sacerdos: *Salvum fac servum tuum; Esto ei, Domine; Nihil proficiat, Dominus vobiscum, Deus qui famulo tuo, Deus qui per apostolum tuum.*

3. Deinde dicitur psalmus, *Domine, ne in furore tuo*, primus, post cujus finem inungitur ei visus et dicitur: *Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum.*

4. Et ita post singulorum psalmorum septem finem, repetitur hæc eadem oratio ad singula in quibus inungitur loca, id est ad auditum, ad odoratum, ad gustum sive loquelam, ad tactum, id est ad manus, ad incessum, id est ad plantas, ad ardorem libidinis, id est ad renes.

5. Postea tergitur os ejus, et ab omnibus, tanquam profecturus, pie exosculatus communicat, cantantibus qui adsunt communionem: *Hoc corpus.*

6. Post hæc dicuntur orationes istæ, *Respice, Domine; Deus, qui facturæ tuæ; Deus, qui humano generi.*

CAPITULUM XIII.

Quomodo tractandus sit qui moritur.

1. Cum jam [*al.* jamjam] mori videbitur, ab his qui ei serviunt signo dato, postposita omni occasione accurrunt cuncti, nisi cum [*al.* tamen] divinum in ecclesia contigerit officium celebrari.

2. Tunc enim prior, vel cui ipse injunxerit, cum duobus aut tribus ad morientem festinat. Depositoque eo super benedictum cinerem, litaniam prout res patitur longam vel brevem faciunt. Sequitur, *Pater noster*, et preces, *Salvum fac, Esto ei, Nihil proficiat*, deinde oratio hæc, *Misericordiam tuam;* post hanc quinque psalmi, *Verba mea, Domine, ne in furore*, primus, *Dilexi quoniam, Credidi, De profundis, Pater noster, A porta inferi;* oratio, *Deus, cui proprium est.* Exinde agenda plenaria cum laudibus et vesperis; post hanc, Psalterium.

3. Interea defunctus abluitur et induitur; monachus cilicio et cuculla, caligis et pedulibus; laicus tunica et caputio, caligis et pedulibus, inde imponitur feretro et intermissa psalmodia dicit sacerdos, *In memoria æterna, Ne tradas bestiis, Ne intres in judicium;* post hæc orationem istam, *Deus, cui omnia vivunt.*

4. His expletis fertur in ecclesiam, et cantatur responsorium, *Credo quod Redemptor;* post hæc dicit sacerdos: *A porta inferi, Nihil proficiat, Ne intres, Oremus, Suscipe, Domine, animam.*

5. Posito autem in ecclesia defuncto, repetitur psalmodia ubi fuerat intermissa; et hoc omnino procuratur ut duo ad minus psalteria dicantur, unum in ecclesia, alterum in cellis cum veniis; si vero de illo quod in ecclesia dicendum est, restiterit aliquid, redditur in cellis; nam si tempus permittit eadem die, non tamen nisi post missam pro eo cantatam, sepelitur. Sin autem, servatur in crastinum, noctemque ipsam monachi cum laicis, et pro sui numero et pro ipsius quantitate dividunt, circa corpus psalterium frequentantes.

6. In crastino autem, missa cunctis præsentibus cantata, sepelitur hoc modo. Stat chorus juxta corpus, et dicit sacerdos, *Pater noster;* precem *A porta inferi;* orationem *Deus, vitæ dator;* responsorium, *Credo quod Redemptor, Kyrie eleison, Pater noster;* precem *Ne intres*, orationem *Deus, qui animarum;* responsorium, *Ne absondas me, Kyrie eleison, Pater noster;* precem, *Ne tradas bestiis*, oratio *Non intres in judicium;* responsorium, *Ne intres, Kyrie eleison, Pater noster;* precem, *Requiem æternam;* orationem, *Fac, quæsumus, Domine.*

7. Tunc portatur ad tumulum, cum his psalmis, *In exitu Israel, Miserere mei, Deus, Confitemini* CXVII, *Quemadmodum, Memento, Domine, probasti me, Inclina, Laudate Dominum de cœlis, Benedictus Dominus Deus Israel, Magnificat.*

COMMENTARIUS.

fuit in usu apud nos, nisi pro certo genere culparum in statutis expressarum, quæ in capitulo recognoscuntur, id lucidius in modernis statutis exprimitur, ubi dicitur quod ægrotus dicit, *Confiteor Deo*, et subdit sacerdos, *Miserentur*, etc.

Eadem ad litteram nunc servamus.

Cap. XIII. — Idem capitulum integre refertur in antiquis statutis cap. 47 prim. part.

Num. 2-5. *Post hanc Psalterium*, etc., *hoc omnino procuratur, ut duo ad minus Psalteria dicantur, unum in ecclesia, alterum in cellis cum veniis.* Hic habes originem suffragii, quod *monachatum* vocamus, et tunc pro præsentibus tantum mortuis redde A batur, eratque devota occupatio eorum, qui custodiebant corpus defuncti. Exinde id conversum fuit, per consuetudinem a singularibus domibus introductam, in quoddam beneficium, quod sæcularibus etiam aliquando concederetur. Contra hanc consuetudinem ne excresceret, et inde monachi gravarentur, reclamaverunt antiqui Patres, ut videre est prim. part. antiq. Statut. cap. 49, num. 15 et 16, et in ordinationibus plurium capitulorum generalium, de quibus alibi fusius tractabitur.

In statutis modernis eadem prorsus referuntur, sed latius et distinctius ordinata.

8. Cum ventum est ad sepulcrum, dicit sacerdos, *Pater noster*, *A porta inferi*; orationem, *Tibi, Domine, commendamus*. Tunc benedicit fossam et aspergit aqua sancta et thurificat, deinde ponitur corpus in ea; et dum operitur dicit sacerdos orationes istas, cæteris prædictos psalmos canentibus, *Obsecramus, Deus, apud quem, Te, Domine, Oremus, fratres, Deus qui justis, Debitum humani, Temeritatis quidem, Omnipotentis Dei, Inclina, Domine*.

9. Quibus pariter et Psalmis expletis sequitur *Pater noster*, et orationes *Tibi, Domine, commendamus*, et *Deus, cujus miseratione*. Dehinc a sepulcro redeunt cantantes *Miserere mei, Deus*, et in ecclesia hac oratione totum complent officium, *Fidelium Deus*.

CAPITULUM XIV.

Item de cura mortuorum.

1. Ab ipso autem sepulturæ die usque ad tricesimum, quotidie pro eo, non tamen in conventu, missa cantatur, et prima in agendis oratio ei specialiter deputatur. Notatoque in Martyrologio obitus ejus die, semper anniversaria in conventu pro eo missa, hieme post, æstate ante primam, celebratur.

2. Eo autem die quo defunctus sepelitur, cellas fratres tenere non coguntur, et consolationis gratia, bis, nisi præcipuum jejunium fuerit, simul vescuntur.

3. Et hoc sciendum, quod sine ulla personarum acceptione, pro omnibus defunctis nostris idem et par officium facimus, nihil pro monacho plus quam pro laico, vel pro prælato quam pro subdito [*al.* subjecto].

4. Pro benefactoribus vero nostris, excepta assidua commemoratione, quæ fit semper in precibus ecclesiastici officii, penultima in omnibus agendis oratio dicitur, et per singulas hebdomadas tam pro eis quam pro omnibus hujus loci habitatoribus, et universaliter pro cunctis fidelibus defunctis ab hebdomadario, æstate ante primam, hieme post, missa una cantatur.

5. Raro quippe hic missa canitur, quoniam præcipue studium et propositum nostrum est silentio et solitudini cellæ vacare juxta illud Jeremiæ : *Sedebit solitarius et tacebit* (*Thren.* III); et alibi : *A facie manus tuæ solus sedebam, quia comminatione replesti me* (*Jerem.* XV). Nihil enim laboriosius in exercitiis disciplinæ regularis arbitramur quam silentium solitudinis et quietem. Unde et beatus Augustinus dicit : *Amicis hujus mundi nihil esse laboriosius quam non laborare*. Sed hæc hactenus; nunc cætera prosequamur.

COMMENTARIUS.

Cap. XIV. — Num. 1. *Ab ipso autem sepulturæ die usque ad tricesimum*. Hic habes originem suffragii, quod nunc *tricenarium* vocamus, et per privatas missas redditur, excepta prima, quæ conventualiter dicitur in die sepulturæ. Et ex hoc capitulo abundantius probatur usum frequenter celebrandi apud nos missas conventuales, atque etiam non raro privatas fuisse ab initio observatum.

Num. 2. *Cellas fratres*, etc. Usus iste fuit apud nos postea correctus, et nunc diebus sepulturæ nullum habetur colloquium; bis tamen adhuc simul comedimus in refectorio.

Num. 3. *Idem et par officium*. Inde nobis indicatur quam sedulo primi ordinis Patres charitatis exhibitæ æqualitatem inter suos servari vellent, quam imitari debemus, et non tam facile singularia beneficia post mortem reddenda postulare aut concedere. Singularitas enim charitati derogare videtur, dum alius alii præfertur in auxilio præstando. Inde etiam appareret quantum nos omnes distare vellent a personarum acceptione. Superiores vero ab omnibus, quæ supercilium, fastum, aut singularitatem redolent.

Num. 4. *Ab hebdomadario æstate ante primam*, etc. De sacerdote *hebdomadario* hic fit mentio et de missa quæ pro benefactoribus et pro cunctis fidelibus defunctis singulis hebdomadibus privatim celebratur. Quid ergo sibi vult R. P. Guigo, dum subdit : *Raro quippe hic missa canitur*? Facile hic erratur nisi intelligatur de quibus missis hic loquitur vir sanctus. Agitur ergo hic præcipue de missis quæ ultra communes et in his Consuetudinibus designatas, a sæcularibus expeterentur, et maxime de illis contra quas invehitur cap. 41, n. 4, ubi dicit : *Audivimus enim, quod non probamus, pleroque toties splendide convivari, missasque facere paratos, quoties aliqui pro suis eis voluerint exhibere defunctis*, etc. Statim ergo atque egit de speciali missa pro benefactoribus et cunctis fidelibus defunctis, singulis tantum hebdomadibus celebranda, prout etiam nunc observatur, ad missas illas convertitur, quas temporibus illis parentes defunctorum expetebant celebrari a monachis, ad quos simul mittebant bonum prandium, de quo loquens sanctus vir dicit, *splendide convivari*, etc. Has ergo missas specialiter in mente habuisse arbitramur, dum dicit : *Raro quippe hic* [subaudi *hujusmodi*] *missa canitur*; et subdit rationem, *quoniam præcipue studium et propositum nostrum est, silentio*, etc. Parentes enim ipsi ad monasterium accedebant missam audituri, et forsitan postea ibidem pransuri, quod a silentii et solitudinis proposito et studio alienum erat. Sed quia locus iste valde obscurus erat, ista verba, *raro quippe hic missa canitur*, in antiquis statutis non fuerunt posita. Cætera vero in ipsis referuntur prim. part. cap. 48, n. 1, cap. 47, n. 28. Item cap. 48, num. 8 et 13, et cap. 9 secundæ part., n. 26.

Num. 5. *Nihil enim laboriosius in exercitiis*, etc. Hic loqui incipit de solitudinis et silentii proposito et natura. Nihil vere laboriosius est naturæ humanæ quam societate sibi similium, et loquendi libertate

CAPITULUM XV.

De ordinatione prioris.

1. Cum priorem domus hujus obire contigerit, post ejus sepulturam convocatis fratribus, triduanum cunctis indicitur jejunium, maneque et vespere in ecclesia psalmus, *Ad te levavi*, expleto officio, communi devotione cantatur, procumbentibus super formas omnibus : *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et preces, *Salvos fac servos tuos*, *Mitte eis auxilium de sancto*, *Nihil proficiat inimicus in eis*, et oratio, *Prætende*, *Domine*, supponuntur. Quinta autem die mane missa de Spiritu paracleto in conventu devotissime celebratur. Inde in capitulum convenientes, majorum meliorumque consilio ex seipsis unum eligunt, aut sacerdotem, aut ad sacerdotium promovendum, statimque in prædecessoris translaturum locum. Totamque diem illam gaudio dedicantes, bis nisi præcipuum jejunium fuerit, in refectorio comedunt.

COMMENTARIUS.

se privare, quia nihil est in quod propensius tendat; ususque libere conversandi et loquendi, est quoddam germen delectationis naturalis, quo per solitudinis et silentii exercitium quodammodo suffocato, vim patitur, quia ne sursum germinet impeditur. Sed nihil est quod naturam corruptam possit amplius et securius edomare, atque a periculis servare, quia inde occasiones ei auferuntur se in conversatione hominum dissipandi, et in profusione verborum sese evacuandi, ex quibus communior peccandi materia componitur, et dum ambæ istæ viæ societatis et colloculionis, solitudine et silentio, veluti spinis spiritualibus sepiuntur, homo se ad Deum et ad seipsum convertere cogitur.

Per silentium et solitudinem mundo et vanitatum objectis januæ clauduntur; et dum a sensibus humanis removentur ea quæ carnalia desideria atque etiam mentalia excitare consueverunt, anima sibi et Deo liberius vacare discit et assuescit. Si ergo silentio et solitudine naturæ corruptæ propensio velut opprimitur, et cum sit ex amicis mundi, laboriosius ei nihil sit, secundum D. Augustinum hic laudatum, quam non laborare, id est secundum suam propensionem agere, loqui, conversari, certum est quod in utriusque exercitio magis quam in aliis quibuscunque vim patitur. Nihil æque naturam mortificat, quia aliæ mortificationes carnem macerant, sed hæc etiam ad animum pertingit; at dum sic angustiantur vasa carnis, dilatari possunt spatia charitatis, et exercitatio illa, licet in præsenti videatur esse mœroris et tædii, fructum tamen pacatissimum exercitatis reddit salutis et intimæ consolationis : nam per eam gustatur et videtur quoniam suavis est Dominus, et quæ sit illa Christi pax exsuperans omnem sensum, corda atque intelligentias custodiens, suavissimo dignoscitur experimento, si tamen exercitationis illius susceptio cœlesti vocatione fuerit prævenia, et, ut par est, secundum mentem et discretionem ordinis a nobis observata, qui in omnibus providit. *Ne quid nimis.* In solitudine enim servanda modus etiam adhibendus est, ne ex excessu communem hominum statum superante, animus hebetetur, aut etiam in suo naturali statu lædatur, quibus incommodis prudenter in ordine provisum est. Nam ex exercitiis sibi invicem succedentibus, et veluti intertextis, inter quæ conversationi quandoque datur locus quantum satis, fit quædam salutaris composi-

tio, quæ ex concurrentia corporalium et spiritualium exercitiorum simul prudenter mistorum et temperatorum, statui humano sic est cum debita proportione accommodata, ut secure proverbium illud dicamus : *Serva ordinem, et ipse te servabit*, non tantum in anima, sed et in corporis atque etiam animi bona valetudine, et pia hilaritate.

Omnia etenim sunt discrete in statutis nostris temperata, ad servandam perseveranter solitudinem, viribus humanis prudenter accommodata, et desuper a Domino benedicta. Quod continuis et quotidianis experimentis probatum habemus in his omnibus qui suæ professionis habitus sibi comparare a juventute religiose studuerunt, et in cella se utiliter occupare. Secus autem si ordo non bene servetur. Væ enim Carthusiano illi, statim clamamus, quia tribulationem et dolorem invenit, laborem et afflictionem spiritus sæpe patitur in mente, et per suam indiscretionem, id est per aliqua opera aut exercitia non secundum ordinem aut præter ordinem, proprii judicii et propriæ voluntatis ductu suscepta, deficit in corpore, et lapsum spiritualem incurrit in interiori homine. De laboribus vitæ solitariæ nunc hæc pauca dixisse sufficiat.

Sed cur R. Pater Guigo de vigiliis et abstinentiis, de aliis duris et asperis quæ in ordine observantur nullam hic mentionem fecit, ac si pro nihilo illas austeritates reputaret? Quia essentia instituti Carthusiani in cellæ et silentii observantia, atque perfecta propriæ voluntatis abnegatione consistit : unde alias austeritates solum æstimat, in quantum ad obedientiam referuntur, prout ipse explicat cap. 35, n. 3, ubi ait : *Licet enim multa sint et diversa quæ observamus, uno tamen et solo obedientiæ bono, cuncta nobis fructuosa futura speramus.*

Cap. XV.—Num. 1. *Cum priorem domus hujus*, etc. Loquitur tantum de domo Carthusiæ, quia non leges aliis præscribere, sed tantum consuetudinem introductam, et jam per usum confirmatam in domo Carthusiæ, aliis communicare intendit. Nulla de forma juris servanda inter eos fit mentio, nec de confirmatione habenda, quia de titulo fixo superiori inter nos dando nec cogitabant. Unde semper in ordine nomen *prioris* usurpatum est ad designandum eum qui aliis præpositus est, ut indicaretur, eum qui aliis præest inter nos, esse tantum primum inter pares, et æqualium directorem ac ministrum,

2. Qui quamvis omnibus verbo et vita prodesse debeat, et cunctorum sollicite gerere curam, monachis tamen, ex quibus sumptus est, quietis et stabilitatis et cæterorum, quæ ad eorum vitam pertinent exercitiorum, exemplum maxime præbere debet.

3. Quatuor itaque septimanis in cella cum cæteris monachis exactis, quintam facit cum laicis. Quo spatio ejus erga fratres officium aliquis ab eo jussus exsequitur.

4. Ipse tamen eremi terminos non egreditur. Sedes ejus ubilibet, vel vestitus nulla quasi dignitate vel pretiositate differt a cæteris, nec quidquam gestat unde quod sit prior appareat. Supplicatur ei, et hoc modice, solummodo ad lectionem eunti et redeunti, vel cum ante eum transitur, et cum ad aliquos venit assurgitur.

COMMENTARIUS.

non dominum. Hic libet referre locum illum exhortationis quam ab antiquis prior Carthusiæ singulis annis in fine capituli generalis solet astantibus facere, ubi sic loquitur prioribus : *Cogitent se domorum suarum ministros esse, non dominos, quibus, ut ait Apostolus, dispensatio credita est.* Ecce quæ sit mens ordinis et qualiter singulis annis prioribus publice proferatur. Eadem autem nunc forma servatur in electione, additis tantum iis quæ ex juris dispositione necessario erant addenda, quando statuta in ordine fuerunt condita, et jamdudum institutum Carthusiense inter monasticos ordines fuerat relatum.

Num. 1. *Præcipuum jejunium.* Id est jejunium tota Ecclesia sub præcepto servari solitum, non vero jejunium illud quod tantum ex ordinis præscripto institutum est.

Num. 3. *Quatuor ergo septimanis... quintam facit.* Ad locum illum bene intelligendum, sciendum est, ut ex sequentibus patebit, fratres conversos tunc temporis non habuisse fixum domicilium in domo monachorum, quæ superior vocatur, quia in eminentiori loco rupium Carthusiæ sita est quam alia, quæ ideo inferior vocatur, sed in illa inferiori mansisse. Quatuor ergo hebdomadibus cum monachis transactis, prior ad inferiorem pergebat, et ibi per hebdomadam integram cum conversis morabatur, ut pastoralem curam circa eos vicinius exerceret, et sic domum inferiorem perlustrans nihil ibi ab observantia regulari deviare permitteret.

Ibid. *Aliquis ab eo jussus.* Hic apparere incipit officium vicarii, quod tunc fixum non erat, nec uni singulari monacho assignatum; sed postea fixum fuit et merito, quia ad politiam ordinis prudenter disponendam sic maxime conveniebat.

Num. 4. *Ipse tamen eremi terminos*, etc. Terminorum nomine apud nos intelliguntur certi limites designari, intra quos statutum fuit ab initio, ut possessiones possemus habere, quæ sufficerent ad singularum domorum ordinis sustentationem, ita ut non indigeremus vagari et quærere ad procurandum nobis unde sustentaremur : quia id erat proposito nostro contrarium, et absque dubio in brevi tempore fuisset nostri instituti destructivum. Duplex autem apud nos terminorum species distinguitur, quorum una possessionum, alia monachorum vocatur. Qui termini monachorum longe angustiores olim erant quam possessionum : nam intra eos continebantur, et spatium designabant intra quod monachi aliquando, quamvis raro, vel præsente vel permittente priore simul deambulabant recreationis gratia, et sic spatiabantur. Hinc nomen *spatiamenti*, quo deambulatio illa intra terminos assignata designatur, ortum accepit, et hucusque in ordine servatum est.

Terminos illos possessionum tunc temporis non tantum prior Carthusiæ non egrediebatur, prout nunc ab eo servatur, sed idem observabant communiter alii domorum priores et par erat ratio in omnibus, quia cum possessiones domorum intra terminos inclusæ essent, nulla instabat necessitas inspectionem et curam pastoralem exercendi, nisi tantum in his rebus ad nos spectantibus, quæ intra terminos continebantur. Dixi, *communiter*, nam certum est necesse aliquando fuisse ut priores terminos suos egrederentur, exempli gratia, ad fundationes domorum acceptandas et dirigendas, et similia peragenda, quæ personalem industriam et præsentiam requirebant.

Hæc autem cura possessionum primis ordinis temporibus solis prioribus competebat, ut suo loco probabitur, quam tamen per procuratorem et fratres conversos administrabant, ea tantum per se facere et disponere contenti, quæ eorum personalem præsentiam requirebant intra istos terminos : quos tamen aliquando ex morali necessitate, sed cum magna cautela, fratres conversi et non alii, egredi poterant cum licentia. De quibus terminis qualiter in ordine tunc assignarentur, necnon de aliis prælibatis plura suis locis dicentur. Nunc de eremo Carthusiæ, extra quam prior Carthusiæ (qui nunc *reverendus Pater* dicitur) non egreditur, pauca dicamus.

Amplissima est illa eremus, plures habens altissimos montes et profundas valles, ita ut vix credi possit quanta spatia illic contineantur pascuorum et nemorum intra rupium præcipita nascentium et ibi morientium, quia non patet via ad ligna inde transportanda, et his novissimis tantum temporibus, cum magnis laboribus intra quasdam rupes via aperta est, cujus beneficio aliqua pars istarum silvarum potest esse utilis, mediantibus officinis ferrariis. Tota vero illa eremus non pertinet ad Carthusiam, sed tantum magna illius pars, quæ sensim ad hujus possessionem devenit. Quando enim primi patres nostri ad Carthusiam venerunt, sanctus Hugo episcopus Gratianopolitanus, et venerabilis Siguinus abbas Casæ-Dei dederunt S. Brunoni et sociis ejus quidquid juris in ea habebant : sed postea crevit in

5. In Nativitate quoque et Pascha et Pentecoste, et cum frater aliquis professionem facturus est, missam cantat majorem. Quod idcirco scribimus, ne quis forte posterorum cornua sibi velit assumere, vel nomen suum quacumque gloria vel eminentia celebrare.

6. In Adventu autem et Quadragesima propter arctiorem sui custodiam, a prædicta etiam abstinet visitatione, nisi aliqua magna necessitas coegerit vel utilitas. Sed et cæteris temporibus non passim aut leviter et pro quacunque vel persona vel causa ad domum descendit inferiorem.

COMMENTARIUS.

eadem eremo Carthusiana possessio, per pietatem A proborum sæcularium, qui illis ex charitate dederunt quod in ea possidebant, etiam aliquando id postulantibus nostris eremitis, ut ab inquietudinibus, quas non raro a rusticis patiebantur, eximerentur, nec non ut termini illius Carthusiensis eremi, maxime a parte Sancti Laurentii, per naturales terminos, id est per præruptas rupes, notarentur et clauderentur.

Sic ego sensim creverunt termini Carthusiæ, juvantibus etiam certatim illustrissimo capitulo Gratianopolitano et aliis, unde Carthusiæ obvenerunt pascua illa ampla, quæ in summitate altissimi montis vocati *Charman-son* (quod Latine sonat *amœnissimam summitatem*) sita sunt. Et inde est quod termini Carthusiæ bifariam distinguantur, nempe in B terminos privilegiatos, et terminos possessionum. Termini privilegiati dicuntur illi qui initio ordinis designati fuerunt, per gratiam summorum pontificum sub protectione sedis apostolicæ positi, et variis privilegiis decorati, prout sunt prohibitiones, ne mulieres possint illos ingredi, ne homo possit intra illos capi, quod est aliqua immunitatis ecclesiasticæ participatio, et alia hujusmodi, quæ antiquis et primis illis terminis fuerunt concessa. Termini vero possessionum dicuntur illi, qui aliis terminis sensim per varia tempora accesserunt, ex donationibus et attributionibus nemorum, pascuorum, et etiam agrorum, quæ tamen antiquis terminis sunt contigua, et in ipsa magna eremo continentur. Sine quo terminorum augmento certum est nunquam domum C Carthusiæ potuisse, crescentibus in dies oneribus, subsistere absque vagandi et quærendi necessitudine, quæ per se nostri instituti destructiva est, ut omnibus cordatis pervium est. Quam etiam de causa non vagandi nec quærendi necesse fuit, ut tum in majori Carthusia tum in aliis domibus licentia possidendi augeretur, ut suis locis probabitur. Sed quæ et quanta esse jam inciperent illa onera tempore R. P. Guigonis, ipse narrabit inferius cap. 19.

Crescentibus ergo sic terminis possessionum Carthusiæ in ipsa eremo, quasi per juxta positionem, crevit etiam ratio in prioribus Carthusiæ inspiciendi quid ageretur, aut quid agendum esset intra dictos terminos. Et inde est quod ab initio ordinis servaverunt sibi libertatem personaliter invisendi quid- D quid antiquis terminis contiguum de novo accederet, cum semper ad eremum Carthusiæ pertinere censerentur. Quippe in eremo a concursu hominum, a pagis et villis remota consistunt, atque de terminis non scrupulose et physice, sed moraliter intelligendis hic agitur.

Hunc laudabilem usum terminos non egrediendi semper servaverunt priores Carthusiæ, subaudi extra casus urgentis necessitatis, prout sunt bellorum tumultus, pestis, vocatio summi pontificis et alia hujusmodi, quæ legem non habent, et non semel evenerunt in ordine. Nec ab hoc laudabili usu unquam, Deo protegente, discedent, ad aliorum Priorum ordinis exemplum, quamvis circa illos, necessitate cogente, res aliter sancita fuerit, ut suis locis notabitur.

Hæc autem stricta residentia prioris Carthusiæ intra propriam eremum necessaria judicata est, non tantum ut eo exemplo cæteri priores ab inutilibus discursibus extra terminos domorum suarum abstinerent, et concessa ex necessitate extra eos egrediendi libertate non abuterentur, sed etiam ut negotia ordinis, quæ undique ad illum, sive per litteras, sive per expressos nuntios deferuntur, sic damnum ex responsionum dilatione non paterentur, cum semper in domo Carthusiæ, vel saltem intra eremi ambitum prior Carthusiæ certo reperiri sciatur. Hæc pauca de eremo Carthusiæ et de priorum eius residentia nunc dixisse sufficiat.

Ibid. *Sedes ejus ubilibet vel vestitus.* Ex hoc loco incipit apparere cur in ordine titulus abbatis, nec ab ipso priore Carthusiæ ordinis generali, etiam impellente aliquando S. sede apostolica, fuerit acceptatus. Mens enim ordinis, amici et fratres in Christo dilectissimi (iisdem enim verbis, quibus socios alloquitur R. P. Guigo, erga vos uti non desinam), mens, inquam, ordinis est, hic et ubique in statutis postea expressa, ut in dilectione et humilitate ambulemus, et priores nihil sibi usurpent, nec in titulis nec in rebus, sive ad victum, sive ad vestitum, sive ad supellectilem pertinentibus, quod eos a monachis distinguat. Et quidquid apparet in his per statuta monachis non esse concessum, sibi ipsis etiam debent credere non licitum, exceptis iis quæ ita prioratus muniis sunt annexa, ut absque illis non possint bene et juxta mentem ordinis adimpleri.

Num. 5. *Quod idcirco scribimus... cornua sibi velit*, etc. Istum loquendi modum e Scripturis sacris assumpsit R. P. Guigo, in quibus non raro ambitus ille se supra alios exaltandi, per cornua assumpta exprimitur, veluti psal. LXXIV : *Nolite extollere in altum cornu vestrum.*

Num. 6. *Sed et cæteris temporibus non passim*, etc. Hic patet quod hospitalitatis gratia, personas graves et honestas prior deducebat ad domum inferiorem, vel ibi eas visitabat; nam hinc temporis ibi cameras, in quibus hospites communiter ad pernoctandum in hac majori Carthusia excipercntur, exstitisse

CAPITULUM XVI.

De procuratore domus inferioris.

1. Præficitur enim ab eo eidem domui unus e monachis diligens procurator, sic enim eum volumus appellari. Qui universorum strenue curam gerens, si magnum aliquid aut præter consuetudinem agendum est, ad prioris recurrit semper consilium, nec grande aliquid, præter ejus licentiam, donare præsumit aut agere.

2. Sed et ipse, quamvis exemplo Marthæ, cujus suscepit officium, circa multa sollicitari et turbari necesse habeat, silentium tamen et quietem cellæ non penitus abjicere aut abhorrere solet. Sed potius, quantum domus negotia patiuntur, quasi ad tutissimum et quietissimum portus sinum, ad cellam semper recurrit, ut legendo, orando, meditando et turbulentos animi sui motus ex rerum exteriorum cura vel dispositione surgentes sedare, et in arcanis sui pectoris aliquid salubre, quod fratribus commissis in capitulo suaviter et sapienter eructet, possit recondere. Tanto enim frequentioribus prædicationibus indigent, quanto minus litteras norunt.

3. Qui si, quod absit, negligens aut prodigus aut contumax inventus fuerit, sæpiusque corruptus emendare noluerit, subrogato in locum ejus meliore, ad cellæ protinus custodiam revocatur, ut qui nequit alienam, suam saltem operetur salutem.

CAPITULUM XVII.

De infirmo qui mittitur ad inferiorem domum.

1. Quod si quem alium ex monachis ad inferiorem domum fecerit prior descendere (fit autem raro, magna quadam et pene inevitabili necessitate, vel ad importabile tædium relevandum, vel ad periculosam aliquando tentationem sedandam, vel ad genus aliquod morbi gravissimi mitigandum), si quem ergo talium [*al.* alium] inferius descendere prior fecerit, de dispositionibus et negotiis totiusque domus cura nulla se curiositate intromittet.

2. Non enim expedit habitatori cellæ nosse hujusmodi, tum etiam totius domus paci contrarium est.

COMMENTARIUS.

certum est, quamvis etiam aliqua diversoria in superiori domo haberentur, ut infra videbitur.

Porro ea omnia quæ in hoc capitulo continentur, de verbo ad verbum relata habentur in antiquis statutis II part. cap. 5, nn. 1 et seqq.; cap. 6, nn. 1, 23, 30, 2, 3 et 24; et ideo nihil prorsus ex hoc capitulo fuit omissum quod in vetera statuta non fuerit transfusum.

Cap. XVI. — *De procuratore domus inferioris.* Ea omnia quæ in hoc capitulo habentur, procuratori domus inferioris possunt tantum applicari: nam in domibus in quibus domus inferior non erat, plura quæ hic dicuntur non faciebat, prout per ordinationes capitulorum generalium deinceps determinatum fuit, ut suis locis videbitur. Cur autem domus inferior constructa fuerit in domo Majoris Carthusiæ, et postea ad ejus imitationem in antiquioribus domibus ordinis, quæ etiam *Correriæ* vocantur, nomine assumpto ab illo inferiori domo Carthusiæ quæ Correria dicitur? Id factum credimus ut a domo superiori, ubi monachi habitabant, omnis strepitus ille arceretur, qui rei familiari procurandæ naturalis est, et ne ex tumultu recedentium quies monachorum in suis cellulis turbaretur.

Num. 1. *Qui universorum*, etc., *aut præter consuetudinem.* Hic procuratoris cura qualis esset, et ad quæ se extenderet exprimitur, nempe ad universa quæ geri solebant in domo inferiori, et juxta consuetudinem, nam statim atque quid præter consueta gerendum occurrit, ad priorem hic remittitur.

In hoc capitulo, quod de verbo ad verbum relatum habes in antiquis Statutis, part. II, cap. 8, n. 1 et n. 35, habetur egregia forma ministerium Marthæ exsequendi in ordine. Cui si se conformare studeant officiales, non obstante ipsa rerum externarum administratione, veri Carthusiani esse perseverabunt; si vero in rerum temporalium curas ita se immergant, ut studium orationis intimæ, cellæ secretum, et spiritualis lectionis occupationem a se abjiciant, hic contra se habent judicium conscriptum.

Cap. XVII. — Ex hoc capitulo apparere incipit discretio quam sibi pro regula principali posuerant instituti nostri fundatores, et ibi exprimuntur casus in quibus aliquod levamen, salva propositi nostri substantia, infirmis dare tunc consueverant. Sed id non est amplius in usu apud nos, eo quod post primum ordinis sæculum, in omnibus fere domibus quæ constructæ fuerunt, nulla fuerit ædificata domus inferior a domo superiori separata, quia consultius judicatum est, ad perfectionem instituti nostri observantiam, ut omnes tam monachi quam conversi intra unius et ejusdem domus ambitum morarentur sub ejusdem prioris oculis, et sub iisdem spiritualibus exercitiis constituti, ædificatis tamen separatim a claustro officinis, et aliis similibus, ubi absque monachorum interturbatione hospites reciperentur, et res familiares perficerentur. Usus ergo ille antiquus est in melius mutatus, et subsidia intra eamdem domum cautius nunc ministrari possunt infirmis, adinstar eorum quæ in illa domo inferiori antiquitus poterant concedi.

Num. 2. *Non enim expedit habitatori cellæ*, etc. Hic expressum habemus quantum curiositas se immiscendi negotiis temporalibus domorum nociva ab initio judicata sit viris pio Mariæ exercitio addiscendo et exercendo deputatis: et illud idem est

Extraneis, nisi jussus, non loquetur, nec. conversis passim et quibuslibet, sed his tantum quibus priori vel dispensatori placuerit : ut si talis est qui erudire et consolari potens sit, cum his loquatur qui erudiri et consolari egent; sin autem ipse consolatione vel eruditione opus habet, cum his qui hæc prestare noverunt.

CAPITULUM XVIII.

Item de procuratore.

Hoc etiam omittendum non est, quod pene tamen obliti fueramus, quia prædictus procurator in domo inferiori vices prioris exercens, hospites suscipit, osculatur, et si tali (id est circa sextam) veniunt tempore, et tales personæ, hoc est religiosæ sunt, et præcipuum non est jejunium, prandet cum eis, abstinentiæ censura soluta, et ad priorem quos dignos judicat congruenter transmittit.

COMMENTARIUS.

quod statuta nostra tam antiqua quam moderna tantopere commendant, eadem verba repetendo quæ hic scribit R. P. Guigo, et alia plura addendo.

Num. 2. *Extraneis nisi jussus*, etc. Id significat quod cum extraneis, ad domum inferiorem passim advenientibus, monachus infirmus illuc missus loqui non poterat sine licentia (hoc sibi vult verbum *nisi jussus*, quo etiam pro licentia significanda alibi utitur R. Pater Guigo), nec etiam cum quibuscunque conversis. De dispensatoris autem placito hic fit mentio, quia, ut infra videbitur, ad conversum, qui officium dispensatoris exercebat, pertinebat in absentia prioris et procuratoris dare aliis conversis licentiam loquendi, sine qua licentia silentium frangere illis illicitum erat, nisi in casibus qui per statuta determinantur.

Ibid. *Ut si talis est*, etc. Inde apparet quantum in dandis colloquendi licentiis habenda sit ratio majoris utilitatis spiritualis, secundum mentem R. Patris Guigonis, ut solatium externum interno et spirituali non remaneat destitutum, servata prudentiæ discretione juxta qualitatem infirmi et infirmitatis.

Cap. XVIII. — *In domo inferiori, vices prioris exercens*, etc., *hospites suscipit*. Inde evidens est quod procurator vicem agebat prioris in domo inferiori, et quod tunc hospites ad Carthusiam venientes in domo inferiori primo recipiebantur, et postea ad priorem ad domum superiorem mittebantur, servata discretione hic notata, qui tamen prior ad hospites invisendos, si id mererentur, ad domum inferiorem descendebat, ut supra cap. xv, n. 6, exprimitur.

Circa sextam, etc., *et præcipuum non est jejunium, prandet*, etc. In hoc apparet quantum abesset a primis ordinis professoribus obstinata quædam adhærentia suis abstinentiis, quas subdendas esse aliquando charitati et semper obedientiæ, verbis docebant et exemplis demonstrabant. Quo fine id facerent? Ut propriam subditorum ordinis voluntatem ad omnia semper flexibilem redderent, et exhiberent ad nostri instituti rationem pertinere, ut omnia omnibus, quantum satis, fieri studeamus. Hospitalitatis ergo gratia hospites advenientes, sic probata charitatis urbanitate apud nos recipi volebant, ut etiam jejunium ordinis posset frangi a procuratore illos excipiente. Verbum autem, *prandet*, quo etiam cœnam exprimit R. Pater Guigo, lectorem movere non debet cum alibi, nempe cap. 5, n. 7, eodem verbo ad exprimendum tum cœnam, tum prandium utatur.

Hospitalitatis itaque religiosæ urbanitas, quæ huc usque in ordine fuit commendata, a primis Patribus nostris originem sumpsit, quæ si semper et ubique in domibus servetur juxta moderationem et discretionem in modernis statutis expressam, tunc immunes erimus ab omni nævo justæ reprehensionis. Secus vero, si limites honestæ mediocritatis, servata personarum et locorum qualitate, excedamus, cum id tum per antiqua statuta, tum per nova vetitum sit, nisi ad id nos cogat inevitabilis necessitas. Explico exemplis. Viget bellum, domus aliqua ordinis undique militibus circumdatur, et in periculo est maxima damna incurrendi, nisi ducum et officialium gratiam sibi conciliet, prout tot annis experti sumus in domibus Picardiæ, Belgii et Germaniæ : quis cordatus possit juste reprehendere officiales domus illius si invitent duces, et splendida quædam instruant convivia (5) ad captandam virorum militarium benevolentiam, qui nesciunt statutis regularibus attendere, sed putant injuriam sibi fieri nisi mensam opipare paratam inveniant ; cui si aliquid desit quod suæ conditioni deberi putant, irascuntur et occasiones se vindicandi quærunt, prout identidem experti sumus, imo nec excusationes admittunt ab impossibilitate reperiendi pretiosiora esculenta deductas. Idem nonnunquam accidit circa quosdam nobiles sæculares, quorum favoribus in certis casibus absolute indigemus, quibus si mensa illorum qualitati aut appetitui convenienter parata non offeratur, se offensos reputant, et ex amicis fiunt nobis infensi. Videre est miseriam. In istis ergo casibus, quibus ceditur tantum necessitati, temere judicarent, qui hæc videndo nos de nimio in epulis illis splendore condemnarent.

Cessantibus vero istis causis, id est, si eadem faceremus, quando cum cordatis et piis viris nobis agendum est, qui sciunt bene perpendere quid a veris Carthusianis possit, servata decentia et qualibet assumantur ex respectu ad usum consuetum ordinis. — *Hæc Editor Carthusianus in Monito ad Lectorem, ad calcem voluminis.*

(5) Quando de instituendis pro viris militaribus splendidis convivis loquimur, id non intelligimus secundum usum sæcularis splendoris, sed secundum usum ordinis, id est quod convivia ista splendida a

CAPITULUM XIX.

De equitaturis hospitum.

1. Ipsorum autem hospitum personas tantum, non etiam equitaturas procuramus, talesque lectos eis et cibos qualibus ipsi vescimur, præparamus. Quod (videlicet quod equos non procuramus) ne cui forte videatur austerum, et non discretioni sobriæ sed duritiæ potius et avaritiæ imputet vitiosæ ; consideret, quæsumus, quam arcta, quam dura, quam pene sterili maneamus in eremo, et quod nihil, hoc est nullas possessiones nullosque reditus extra possideamus. Præterea frequentiam attendat hospitum, quibus nequaquam pasturæ, nedum annonæ possent nostræ sufficere, quippe quæ nec nostris sufficiunt animalibus, nam et sagmarios nostros et oves extra mittimus hyematum.

2. Accedit etiam ad hoc quod vagandi et quæsitandi horremus omnino, tanquam periculosissimam,

COMMENTARIUS.

tatis personarum reverentia, desiderari : non tantum mereremur de relaxatione argui, sed etiam irrideri. Et hæc videndo prudentes hospites jure et merito possent in corde suo dicere : Hi, si essent veri Carthusiani, scirent utique quæ et qualia a se ministrari debeant suis hospitibus, ut religiose cum eis agatur.

De hoc ergo pronuntio nos potius mereri irrisionem quam approbationem, si notabiliter et scienter in hac parte excedamus. Sed fatendum est etiam in hoc posse facile errari et temere judicari ab extraneis, qui nescientes causas et rationes, quibus non raro quasi invite movemur ad mensam paulo lautius instruendam, statim nos condemnarent, et quod necessitati tantum tribuendum est, nostræ liberæ voluntati imputarent.

Omnibus tandem occurretur, si discretio in postremis statutis notata bona fide servetur, ubi res per hæc verba concluditur : *Quanto rarius, tanto melius.*

Demum si aliquando in quibusdam domibus et ab aliquibus officialibus in hac parte erraretur, nec ordini nec conventui regulari domorum id imputandum esset. Conventus enim, quo corpus ordinis componitur, nisi prorsus commune habet cum receptione hospitum, et nullo modo participat istis excessibus, cum pitantiam æqualiter ordinatam semper habeant in cella singuli conventuales. Imo nec sciant quid in camera hospitum ministretur, sed ad solos priores et procuratores pertineret ista personalis transgressio, quæ ad visitatorum examen in sequenti visitatione adduci, et condigna animadversione plecti deberet.

Idem judicandum est de aliis similibus transgressionibus, quæ personales sunt, et quæ nunquam in ordinem poterunt juste refundi, quandiu per condignas reprehensiones et animadversiones contra eas reclamabitur, et pro possibili punientur ; hi enim tantum qui tacent consentire videntur.

Totum hoc R. Patris Guigonis capitulum transmissum habetur cap. 8 et sec. part. antiq. Stat.

Cap. XIX — Num. 1. *Ipsorum autem hospitum* etc., *non etiam equitaturas.* Ex hoc et sequentibus capitulis debet hauriri unde postea capitulum 41, ubi de fugienda cupiditate agitur, possit recte intelligi. Perspicuum enim est quod cupiditati aliquid possidendi extra terminos renuntiarent primi A Patres nostri, sed non justo desiderio habendi intra terminos sibi assignatos unde pacifice possent subsistere, et necessitatibus suis sufficienter providere, et non tantum illis necessitatibus quas absolutas vocamus, sed etiam illis quæ morales dicuntur, cum ex præsenti et sequentibus capitulis pateat illos tunc habuisse non tantum unde hospites advenientes honeste exciperent, sed etiam unde eleemosynas facerent.

Rationem assignat pius scriptor, cur non procurarent equitaturas hospitum, quæ ratio adhuc subsistit. Nam in tanta omnigenarum hospitum multiplicatione ad invisendam domum Carthusiæ undique confluentium (quorum numerus ad septem aut octo millia hominum in anno nonnunquam extenditur), B nec reditus nec œconomia Carthusiæ possent sufficere, si equitaturæ nobilium hospitum a nobis procurarentur sive alerentur. Hac de causa, numero hospitum in dies crescente, adacti fuimus nuperis annis ad construendum hospitium publicum extra pontem Carthusiæ, in quo publicus hospes equitaturas, et cursores, ut vocant, hospitum exciperet. Si qui vero de hac re contra nos murmurent, respondeat illis pro nobis R. P. Guigo, qui frequentiam illam hospitum Carthusiam invisentium jam suo tempore natam, imo et quasi adultam fuisse nos edocet.

Ibid. *Talesque lectos eis et cibos*, etc. Hic locus C intelligendus est in sensu discretionis. Nam absurdum esset putare quod diebus abstinentiæ deputatis, panem tantum et aquam cum sale suis hospitibus tunc offerrent, sicut de monachis ordinatur, sed id intelligendum est in genere de escis illis quibus uti solebant, prout sunt pisces, ova, caseus et fructus, servatis tamen forsitan temporibus, ut in Adventu et aliis diebus per statuta ordinis assignatis, nec ova, nec caseus, etiam ipsis hospitibus, excepta rationabili causa, ministrarentur.

Ad lectos autem sæcularibus præparandos, non habebant matalitia, sed eosdem honeste coopertos offerebant, quibus nostri utebantur, nempe in modum abaci compositos, secundum morem qui etiam nunc perseverat et in omnibus Carthusianorum cellulis videtur. Qui modus satis commodus est, D maxime in locis frigidis, prout est Carthusia, quia quidam ipsis dormiunt sunt velut in abaco conclusi, et sic a majori frigore servantur. Si vero nostris

consuetudinem, quam in multis, quorum pios labores et sanctam in Christo conversationem satis laudare non sufficimus, occasione misericordiæ, ut scilicet quod supervenientibus tribuatur acquirant, multum inolevisse dolemus.

3. Sed et ipsis hospitibus non parum hoc expedire putamus, qui nostris spiritalibus seu corporalibus ita debent bonis communicare, ut nos ad mala non cogant declinare. Ad mala autem declinare tunc faciunt, si suis nos expensis ad vagandum quærendumque compellunt.

CAPITULUM XX.

De pauperibus et eleemosynis.

1. Pauperibus sæculi panem vel aliud aliquid, quod vel facultas offert vel voluntas suggerit damus, raro tecto suscipimus, sed ad villam magis mittimus hospitatum. Non enim propter alienorum temporalem curam corporum, sed pro nostrarum sempiterna salute animarum in hujus eremi secessus aufugimus. Et ideo mirandum non est si plus familiaritatis et solatii his qui pro animabus quam qui pro suis huc corporibus veniunt, exhibemus. Alioquin non in tam asperis et remotis et pene inaccessibilibus locis (quo quicunque corporalis solatii venerit gratia, plus patiatur laboris quam assequatur remedii), sed in strata potius publica olim debueramus utique consedisse.

COMMENTARIUS.

temporibus aliquid apud nos indultum sit circa lectos hospitum, id ad .neram politiam externam et ad temporum decentiam pertinet, nec in ullo lædit observantiam regularem, cum ad personas ordinis non spectet, quæ eisdem semper lectis utuntur quibus primi Patres ordinis utebantur.

Num. 1. *Sagmarios nostros extra mittimus hiematum.* Per sagmarios mulos intelligit, quorum adminiculo ea tantum possumus etiam nunc habere quæ extra eremum nascuntur aut crescunt, prout sunt vinum, triticum, oleum, etc. Nam currus non possunt ex pede rupium usque ad Carthusiam ascendere ; unde mulorum dorsis ea ad nos advehi necesse est. Adhuc etiam cogimur vaccas et alia animalia extra eremum mittere hiematum. Sagmarii autem nomen, a *sagmate* formatum est, quod verbum pro jumenti sella, sive strato, accipitur, a quo sagmarius vocatus est mulus sagmati portando destinatus.

Ex hoc autem loco evidens est quod, licet renuntiarent optimi Patres cupiditati aliquid possidendi extra eremum, id stricte intelligendum est de speciebus rerum quæ in capitulo 41 inferius exprimentur. Nam certum est illos tunc habuisse stabula et pascua in confinibus eremi Carthusiæ, ad pedes videlicet rupium existentia, quorum adminiculo animalibus suis tempore hiemis providerent. Erat enim inevitabilis necessitas id habendi, alioquin magno pretio illis elocanda fuissent stabula, et fenum emendum ad nutrienda animalia, ac sic expensarum gravitas res familiares integre absorbuisset. Id quidem satis probatum habetur per cap. 76 Consuetudinum præsentium : sed nullus remanet scrupulo locus, dum visuntur adhuc rudera veterum istorum stabulorum, quæ animalibus excipiendis inserviebant. In quo etiam loco congregabantur triticum et alia necessaria, quæ postea per horribilem transitum, qui vocatur *le Frou*, humeris hominum ad summitatem cujusdam rupis deferebantur ; unde postea dorsis mulorum imposita per villam vocatam *Rucheriam* ad domum Carthusiæ transvehebantur.

Num. 2. *Vagandi et quæsitandi*, etc. Merito contra hanc consuetudinem, quasi contra rem nobis horrendam, invehitur R. P. Guigo, quia ex diametro pugnat cum instituto nostro, ad quod servandum unum e duobus eligendum est : nempe, vel habendum est unde personæ et domus ordinis pacifice sustententur, absque ulla necessitate quærendi, cum vitæ solitariæ ratio id exigat, et necesse sit ut monachus cesset esse solitarius, statim atque quærere sibi necessaria extra domum cogitur ; vel si non habeatur, jam ex necessitate sibi providendi cesset etiam esse solitarius, ac proinde Carthusianus. De hac ergo re idem dicendum est quod de nive. Non potest esse nix calida ; statim enim atque calida est, desinit esse nix.

Zelum autem suum hic discrete exerit sanctus vir, et videndo quo prætextu quidam monachi tunc temporis pruritum possessiones multiplicandi et absque ullo fine acquirendi velabant, occurrit nobis et velamen illud aufert et rejicit, ne quando tentatio eo utendi nostros invaderet, prout hic legitur. Habeant ergo idem R. Patris Guigonis responsum officiales ordinis, qui apud nos etiam semper nova acquirendi pruritum vellent, ementito illo pietatis prætextu et colore admittere, et audiant a me domos et officiales ordinis eadem via et eodem gressu a sui instituti et a suæ professionis spiritu discedere, quo absque justa et necessaria causa, novas et superfluas possessiones conantur et student sibi comparare. Sic enim ex spiritualibus sensim fiunt temporales, et ex monachis sæculares. At nihil horum ad nostros spectat claustrales, quibus ordinis corpus componitur, sed ad officiales qui sunt tantum istius corporis membra singularia. Claustrales enim, etsi possessiones augeantur, ac inde ex temporalium multiplicatione officialium, sollicitudines etiam multiplicentur, semper remanent in claustro quieti, nec quidquam illorum attingit eos, imo nesciunt nec quid domus habeat aut possideat, nec quid ab officialibus agatur.

Cap. XX. — Num 1. *Pauperibus sæculi panem*, etc., *sed ad villam*, etc. Sæculi nomine intelligit pauperes sæculares, in quibus juvandis qualitatem facultatum, et in dando libertatem servari volebat.

2. Habeat itaque Martha laudabile quidem, sed tamen non sine sollicitudine et perturbatione ministerium, nec sororem sollicitet Christi vestigiis inhærentem, et quoniam ipse est Deus vacando videntem, spiritum suum scopentem, suamque orationem in sinum suum convertentem, et quid sibi in se loquatur Dominus audientem, sicque ex quantula, per speculum et in ænigmate parte potest, quam est suavis gustantem et videntem, et tam pro ipsa quam pro cunctis taliter laborantibus exorantem.

3. Quod si sollicitare non desinit, habet illa non solum justissimum judicem, sed etiam fidelissimum advocatum, ipsum videlicet Dominum, qui propositum ejus non solum defendere, sed etiam commendare dignatur dicens : *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* x). Dicendo *optimam*, non tantum commendavit, sed et sororis laboriosis actibus prætulit. Dicendo *non auferetur*, defendit, et ne sollicitudinibus ejus et perturbationibus, quamlibet piis, sese insereret, excusavit.

COMMENTARIUS.

Cur vero raro, id est extra magnam necessitatem, apud nos tecto tunc susciperentur? Id prudentissime fiebat, ne inde attraherentur ad hanc eremum pauperum catervæ, quæ solitudinem nostram interturbarent et totam rem familiarem absorberent, ne etiam sub prætextu paupertatis venirent ad nos vagi et otiosi homines, imo non raro scelesti, qui commissis enormibus criminibus, fixum non audentes habere domicilium, assumptis peregrinorum insigniis ubique discurrunt. A longe præsentiebat vir sanctus quod postea domui huic irremediabiliter accidit, per concursum omnigenum hominum et peregrinorum, quibus pro posse mensa, tectum et pecuniaria eleemosyna ministrantur, et quibus nunquam sufficerent reditus et œconomia hujus domus, nisi ea quæ illustrissima comitissa provinciæ domui huic contulit a primis temporibus, in ova, butyrum, caseum, pisces et similia esculenta impendere per commutationem cum vicinis rusticis liceret.

Usus ergo iste sensim introductus est, et charitate, cujus viscera ex præsentibus vagorum istorum necessitatibus sive veris sive fictis movebantur, impellente, tandem in consuetudinem versus est, ita ut ex quodam fictitio jure ab illa consuetudine exorto, velut in axioma publicum aliquando transierit, quod cuique liberum esset ad Carthusiam venire, et ibi per tres dies continuos hospitii beneficio frui, tanquam ex fundatione talibus hospitibus debito. Quid inde inquietudinis, laboris et expensarum (quæ longe melius in juvandis veris pauperibus circumvicinis impenderentur) huic domui Majoris Carthusiæ evenerit, vix potest explicari. Ut enim paupertatem melius fingant, non raro calceos et tibias inter vepres abscondunt, priusquam ad limen domus accedant, ut seminudi et discalceati apparentes, etiam vigente frigore, recipiant calceos et alia quibus tegantur. Quæ lepide dicta sint, ut agnoscatur qualis sit peregrinorum nostrorum astutia et industria. Præsentiebat ista vir sanctus, sed crescente sensim ordine et hujus eremi opinione per totum orbem se divulgante, impossibile fuit, moraliter loquendo, hanc vicissitudinem devitare, a qua etiam impossibilius est se unquam liberare. Id vero una ex præcipuis causis fuit, cur domus Carthusiæ possessiones angere debuit. Alioquin non potuisset absque quærendi (quod horrendum est R. P. Guinoni) necessitate subsistere.

Principium hujus capituli usque ad illa verba, *mittimus hospitatum*, relatum habetur eisdem verbis cap. 26 secundæ part. antiq. statut., n. 1. Cætera vero in antiqua statuta non fuerunt transfusa, quia statutorum condendorum rationi non conveniunt, cum tantum contineant zelosam quamdam rationis sui facti et dicti redditionem, quam tamen indiscussam non prætermittemus.

Jam probabiliter prodire cœperant tempore R. Patris Guigonis susurrationes et murmurationes eorum qui institutum nostrum inutile quid in Ecclesia Dei esse blaterabant, et contra nostros solitarios murmurabant, quod sibi solis vacare volentes, avara quadam sedulitate advenientium sæcularium (etiamsi egeni essent) turbas quantum possent a sua eremo repellerent. Hæc et similia per vulgus spargebant isti indiscreti aut invidi æmulatores ; et ne ex illorum sparsis rumoribus pusilli scandalizarentur, occurrit illis R. P. Guigo, et ingenuo æque ac prudenti et acuto doctoque modo, vanas illorum rationes refutat.

Num. 1. *Non enim propter alienorum temporalem curam corporum*, etc. *si plus familiaritatis*, etc. Hic plene convincit errare eos qui duritiæ imputabant sedulitatem illam arcendi a sua eremo mendicos extraneos ; et explicat a nostro proposito non esse alienum, cum pia familiaritate eos excipere, qui pro spirituali profectu quærendo ad nos veniunt.

Num. 2. *Habeat itaque Martha*. Hic pie simul et docte occurrit argumentis eorum qui vitam Carthusianam impetere volunt, et de inutilitate aut otiositate arguunt. Si autem tanti viri ineluctabilibus rationibus addere aliquid nobis liceat, hæc dicemus : Certe quando aliquis concionator intra scrinii secretum se recipit, ut ibi componendis concionibus vacet, nemo est qui tam utili operi incumbentem de inutilitate arguat. Ad hoc enim tantum ab oculis et a consortio hominum se retrahit, ut præparet unde possit verbis compositis veritates Christianas illis exponere, et ad regno cœlorum vim faciendam incitare. Quo autem veritates ab illo prædicandæ

4. Ergo ego relicta cella mea, claustro meo, et quid proposuerim oblitus, propter gyrovagos gyrovagus, propter paltonarios paltonarius, et propter suscipiendos pascendosque sæculares efficiar sæcularis? Illi, illi ipsi eant potius ut cœperunt, mundumque circumeant, ne si et ego iero, ipsorum de me numerositas augeatur. Aut si urgent penitus ut eam ego, cessent ipsi, faciantque quod ego facio, ut merito religiosorum labore pascantur atque periculo.

5. Hic fortasse dixerit quispiam : Quid ergo de his quæ vobis superant facilis? Qui mordenti hoc quærit animo, audiat sui se potius trabem, quam alieni oculi curare debere festucam. Qui autem amica hoc dicunt voluntate, noverint abundare sanctos viros vel congregationes, quorum inopiæ multo magis quam sæcularium compati debeamus, secundum illud Apostoli : *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI).

COMMENTARIUS.

sublimiores sunt, et ad voluntatis Christi propositum et exsecutionem facilius et efficacius capiendum atque in synopsim veluti redigendum magis conducunt, eo pluris laborem et applicationem istius latentis et ab hominibus separati concionatoris æstimandum esse nemo est, qui inficias eat. Porro omnibus perspicuum est prædicationem quæ fit per exempla, longe præcellere illa quæ fit tantum per verba.

His ergo ex omnium cordatorum consensu et nemine discrepante admissis et positis, facile est probare cujus utilitatis sit in Ecclesia Dei bonus Carthusianus, et studium illius posse cum studio celebriorum concionatorum merito comparari.

Si intra claustrum residet et in cella latet, id fit ad componendam pretiosam concionem exempli, non quæ per horam tantum duret, prout durat communiter prædicatio per verba, sed quæ per dies integros, per menses, per annos, imo per totum vitæ curriculum, illam componentis et prædicantis, perduret.

Materia illius concionis est omnium veritatum Christianarum quasi synopsis, et inter præcipuas practicas prima : nam de perfecta sui abnegatione ibi agitur, et ad eam omnibus Christianis, per illam exempli concionem, via paratur et facilior redditur. Operibus enim exhibet nihil esse inter res humanas, etiam illas quarum homines credunt vix unquam privationem ferri posse, quod non possit generosæ abnegationi propter Deum susceptæ conjugari, sicque fortiter et suaviter suadet talis sermo exempli, renuntiandum esse quibuscunque rebus et seipsum perfecte abnegandum, ad Christum ubique sequendum.

Porro talis concio tot habet rationes ad persuadendum hominibus studium obediendi Christo et sequendi illum, abnegando seipsum, quot concionator actus suæ professionis facit ; per quos omnibus hominibus demonstrat omnia esse possibilia his qui Christi vocem audire volunt, et illum sequi.

Absit autem a me, amici et fratres in Christo dilectissimi, ut inde ad aliquam vestri bonam opinionem velim vos provocare, sed id tantum dicimus ut convenientem de nostro instituto opinionem habeamus, illud, ut par est, æstimemus et honoremus, et inde etiam sanctum timorem concipiamus ne ex nostra culpa vel infidelitate ad bene implenda nostræ professionis munia, obicem ponamus ordinationi divinæ, quæ nostrum institutum nasci voluit, eo proposito, ut vita nostra a mundo separata et a rebus humanis abstracta esset prædicatio continua, quæ homines indesinenter continuo exemplo instrueret de necessitate abnegandi seipsum, et suaviter ad illius abnegationis praxim alliceret. Sed si tum nostra propria salus, tum utilitas ordinis in Ecclesia Dei, in abnegatione sui ipsius sint fundatæ, altera peribit, et altera ad nihilum valebit, si a spiritu et praxi istius pretiosæ abnegationis declinemus.

His tandem paucis verbis rem istam perstringo. Valde utilis est Ecclesiæ Dei bonus Carthusianus, qui praxi veræ abnegationis sui ipsius studiose vacat, et illam aliis per exemplum annuntiat; modicæ utilitatis est, qui in hac exercitatione remisse agit : sed nullius utilitatis illum esse pronuntio, qui in hac exercitatione prorsus desidiosus est, quia nec Deo gratus, nec aliis utilis esse potest, cum nec sibi utilis sit. Attamen etsi corporis ordinis membrum sit desidiosus ille et inutilis monachus, non impedit quominus propositum Dei in corporis ordinis institutione effectum suum habeat, nam etsi membra quædam debilia ordo habeat aut non sana, corpus illius nihilominus vivit ac viget, et communitas Carthusiana Ecclesiæ et oculis hominum apparet ut corpus, non ut membrum.

Num. 4. *Ergo ego relicta cella mea*, etc., *propter paltonarios*. Verbum istud *paltonarii* quorumdam animos non modice discruciavit ad detegendum quid sibi vellet per hoc verbum R. Pater Guigo. Sed talia verba potius temporanea sunt quam Latina : et ex cognomine certo hominum generi vago, otioso simul, et forte sub aliquo pietatis prætextu mendicanti imposito ortum habuit, ex vulgari idiomate temporis illius primum assumpto, et postea Latine expresso. Ejusdem certe speciei esse credendum est cum verbo *Hugonoti*, quo in Gallia Calvinistæ indigitantur.

Habent hic boni officiales Carthusiani quid respondeant importunis et indiscretis sæcularibus, qui crederent omnia negotia ab ipsis esse deserenda, ut colloquiis superfluis secum vacarent, mensas sibi in domibus nostris semper debere offerri, et sæcularia officia reddi. *An propter suscipiendos pascendosque sæculares*, ait R. P. Guigo, *efficiar sæcularis?*

Num. 5. *Quid ergo de his quæ vobis superant faci-*

6. Sunt etiam hic villæ proximæ, notis nobis plenæ pauperibus, quo portari distribuique possit, si quid nobis reliquum fuerit. Hoc enim melius rectiusque putamus, ut si quid plusculum distribuendum est, illuc magis quidquid est deportetur, quam inde huc multitudo vocetur.

7. Verum qui domus hujus expensas noverit, non de superfluis quæret quid faciamus, sed potius stupebit quare non egeamus.

8. Hæc, fratres dilectissimi, si prolixius forte quam decuit prosecuti loquaciusque sumus, patimini et indulgete nobis.

COMMENTARIUS.

tis? Doctissime simul et fortissime hic diluit argumenta mordentium, qui nodum semper in scirpo quærentes, hoc sæpe tantum residui habent ex suis argutiis, quod sibi nomen malum fecerint, et proximos scandalizaverint. Qualiter autem ordinem simul et prudentiam in charitate servare debeamus, egregie hic exprimit.

Num. 6. *Sunt etiam hic villæ proximæ plenæ pauperibus*, etc., *quam inde huc multitudo vocetur.* Optima et irreprehensibilis propositio. Sic enim agnoscremus an veris pauperibus nostra daremus; in multitudine vero illa per eleemosynas ad nos attracta, quis verus pauper sit nescimus. Mittendo residuum facultatum nostrarum ad domos pauperum, eremum nostram et solitudinem a tot advenientium hominum concursu liberam redderemus, sed hic dando, multitudo ad nos indirecte vocatur. Hanc tanti viri propositionem libentissime observaremus; sic enim pios et honestos tantum hospites, qui devotionis causa ad nos venirent, in hac eremo exciperemus, vicinorum pauperum, quibus abundamus, egestati uberius consulere possemus, et a magnis curis et laboribus domus ista liberaretur; at impossibile est aliquid in hac parte nunc mutare. Rem optimam habemus in desiderio et voluntate; sed illam plene exsequi non valemus in opere. Tumultus vero iste hospitum claustrales nostros, qui, ut dixi, corpus ordinis efficiunt, in nullo tangit aut inquietat: monachi enim Carthusiæ æque quiete et solitarie in claustro degunt, ac si rarissime hospites ad nos venirent.

Num. 7. *Verum qui domus hujus expensas*, etc. Facile adhibebunt fidem lectores piissimo scriptori, quia sciunt Carthusiam tunc amplas possessiones non habuisse. Nunc vero, quia de magnis possessionibus et divitiis cumulatis ubique audimus, quasi paradoxum videretur, si nos eadem verba nobis usurparemus. Sed vere et absque ullo mendacii timore eadem proferre non dubito, et testis est mihi Christus quia non mentior. Ut autem aliquo modo via credulitati id legentium aperiatur, hic animi gratia aliquid de quotidianis domus hujus Carthusiæ oneribus dicemus.

Ducentas quinquaginta et ultra personas domus Carthusiæ habet quotidie alendas et de omnibus providendas, hospitibus advenientibus non numeratis, qui non raro quinquaginta, sexaginta, imo fere octoginta aliquando in una die Carthusiæ pernoctantes non semel numerati sunt. Quot mulis opus est, quorum dorsis omnia necessaria huc advehi tantum possunt? Quot boum aratris ad providendum de his quæ tot hominum necessitatibus sufficiant? Certe octoginta mille libris annui reditus opus esse nemo cordatus id audiens statim non censebit, ad tam amplam familiam sustentandam, ut unusquisque modicum quid accipiat. Sed verissimum esse protestor omnes reditus fixos Carthusiæ vix tertiam partem summæ istius superare, casuales vero ex venditione lignorum, nutrimento pecorum et similibus (si officinas ferrarias nuper ædificatas ad ligna inter rupes pereuntia utiliter consumenda excipias) vix ad sex mille libras ascendere. Quis hæc audiendo non obstupescat? Soli ergo providentiæ divinæ, res nostras sub honestæ parcimoniæ et œconomiæ regulis disponenti et dirigenti, imputanda est subsistentia domus Carthusiæ. Et si alii nolint de hac re obstupescere, ego certe ipse obstupesco, dum rem intueor, et nobis ipsis applico hæc Prophetæ verba: *Hæc dicit Dominus: Comedent et super eris* (*IV Reg.* IV, 43).

Sed dicet aliquis: Cur tantum numerum familiarium personarum apud vos habetis? Nullam prorsus superfluam apud nos servari ex infra dicendis constabit.

Tres domus nunc unitæ sunt, et in unam veluti conflatæ in domo Carthusiæ, nempe ipsa domus Carthusiæ, domus Curreriæ et domus Calesii, quæ ambæ postremæ nunc intra terminos eremi Carthusiæ late sumptos sitæ sunt, et olim quælibet earum suum conventum habuit. Cum autem istæ domus parvæ essent, maxime post incendium domus Calesii, ab hæreticis postremo sæculo factum, convenientissimum judicatum est etiam domum Calesii domui Carthusiæ Majoris unire, sicut ante trecentos annos jam ei unita fuit domus Curreriæ, et inde factum est ut claustrum Carthusiæ augeri debuerit, novis cellis constructis, quasi pro tribus monasteriis.

Numerus ergo monachorum in ipsa domo Carthusiæ commorantium, ad quadraginta quinque communiter solet ascendere. Cum vero missæ et alia divina officia recto tono aut saltem submissa voce in domibus Curreriæ et Calesii persolvi debeant prudenter ordinatum fuit ut monachi et conversi seniores, debiles et infirmi ad domum Curreriæ mitterentur, cum sufficienti familia ad eis inserviendum, in qua ideo communiter decem tam monachi quam conversi residere solent: in domo vero Calesii tres monachi cum tribus vel quatuor plus minusve fratribus. In domo vero Carthusiæ tot fere

CAPITULUM XXI.

De mulieribus.

1. Mulieres terminos intrare nostros nequaquam sinimus, scientes nec sapientem, nec prophetam, nec judicem, nec hospitem Dei, nec filios, nec ipsum Dei formatum manibus protoplastum potuisse blanditias evadere vel fraudes mulierum.

2. Salomon, David, Samson, Lot, et qui acceperunt sibi uxores quas elegerant et Adam in mentem veniant, nec posse hominem aut ignem in sinu abscondere, ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas plantis illæsis, aut picem tangere nec inquinari.

3. His expletis, de cellæ observantiis disseramus. Et quoniam incipientes *novitios* vocamus, de ipsis primo quæ occurrerint intimemus.

CAPITULUM XXII.

De novitio.

1. Novitio itaque misericordiam postulanti dura proponuntur et aspera totaque vilitas et asperitas vitæ, quam subire desiderat, prout fieri potest, ante oculos ponitur. Ad quæ si imperterritus manserit et immotus, elegitque, juxta beatum Job (VII, 15), suspendium (a temporalium videlicet amore) anima ejus, et mortem (de qua dicitur : *Si commoremur et convivemus* [*II Tim.* II.]) ossa ejus; promptissime spondens propter verba labiorum Domini paratum se custodire vias duras; tunc demum suadetur ei, omnibus qui adversus eum aliquid habent, juxta Evangelium, reconciliari. Et si quid aliquem defraudavit, et si non quadruplum, ut Zachæus, simplum saltem, si habet unde, restituere. Et quia congregationis hujus quotus esset debeat certus est numerus, certus ei, usque ad quem venire debeat, datur et terminus.

COMMENTARIUS

sunt fratres laici quot monachi. Junctis ergo simul monachis Carthusiæ, Curreriæ et Calesii, numerus eorum ad quinquaginta quinque circiter ascendit, fratrum vero totidem : et sic totalis numerus personarum ordinis, quibus conventus Carthusiæ intus et extra componitur, ad centum et decem extenditur.

Sed restant adhuc centum et quadraginta capita ut numerus hominum supra assignatus impleatur. Quid opus est vobis tot mercenarios et tot servos habere? Oh! si qui, inde, de superfluitate servorum vellent nos arguere, eremum istam ad tempus incolerent, ubi propter viarum et locorum asperitates et inæqualitates, nonnisi magno labore opera possunt perfici, in brevi silentium sibi imponerent. Ad onera tantum vehenda plus quam viginti quinque servis incessanter operantibus; ad ligna componenda et scindenda, tum ad ignem, tum ad dolandum, tum tecta grangiarum sarcienda, etc., plus quam quadraginta fabris lignariis, cæmentariis et mercenariis continue occupatis opus est; ad animalia pascenda et providenda numero notabili. Certe tempus mihi in narrando deficeret, et plus quam decem aut quindecim supra numerum designatum reperirem, si capitatim recensere illos hic vellem.

Si vero his omnibus addatur numerus latomorum et fabrorum, qui ab anno 1676 quo accidit totale incendium, vel potius incineratio domus Carthusiæ usque ad hanc diem stipendium acceperunt et accipiunt, fere miraculosum apparebit, quonam modo tot expensis provideri potuerit. At non tantopere stupebunt, qui sciverint quanta charitate omnes domus ordinis in hoc casu matri Carthusiæ subvenerint, ita ut nonnullis dicere debuerimus; jam sufficit, ut sic veluti staret oleum charitatis in vasa nostra decurrentis quandiu vacuum vas habuimus et indiguimus. Absit autem a matris tenera erga filios

A charitate, ut eorum in dando illi propensione unquam abuti voluisset; omnibus enim dicit : *Non quærimus quæ vestra sunt, sed vos* (*II Cor.* XII, 14). Accepit tantummodo quantum satis, ut posset de propriis reliqua perficere. Ista ad consolationem posterorum nostrorum paulo fusius explicuimus; et si loquacius hic aliquid de hac re diximus, indulgeri etiam nobis cum R. P. Guigone apprecamur.

B

Cap. XXI. — Num. 1. *Mulieres Terminos intrare nostros nequaquam*, etc. Hac de causa primi Patres obtinere curaverunt a S. sede apostolica privilegia, de quibus supra dictum est cum de terminis ageretur. Sed ista privilegia soli domui Carthusiæ competunt, omi nec aliis domibus convenire possunt, cum in eremo Carthusiæ omnia sint unita simul et contigua, nec aliquis sæcularis ibi aliquid habeat quod continguitatem illam interrumpat. In aliis vero domibus, intra ambitum terminorum assignatorum, plures sæculares habent suas possessiones, a quarum accessu cum uxoribus et liberis promiscui sexus non possunt impediri. Id tamen hic exponit R. Pater Guigo, ut omnes scirent quanta circumspectione studerent primi Patres nostri a sua eremo mulieres abigere. Causas diserte assignat vir sanctus, quæ omnibus hominibus filiis Adam notæ sunt; qui cujuscunque virtutis sint, quo minus de scipsis in hac parte dissidunt, eo magis ad cadendi facilitatem accedunt. Semper ergo verba ista SS. Augustini et Gregorii ob mentis oculos habere debemus : *Filii hominum homines sunt. Reminisci debemus quia caro sumus.*

C

Cap. XXII.—Num. 1. *Novitio misericordiam*, etc. Ab hac expressione, qua usi sunt primi Patres nostri ad significandum in genere quidquid petebant, usus ille ordinis natus est, ut quidquid conventualiter petimus sub *misericordiæ* nomine petamus. Et quia in singulis capitulis generalibus priores petunt a suis officiis absolvi sub titulo *misericordiæ*, inde

2. Ad datum autem terminum veniens, post supplicem in conventu postulationem, in examinatione ad minus annua ponitur, suis omnibus integre usque ad diem professionis omnino reservatis. Quod ei non nisi sub tali sponsione conceditur, ut si forte nostrum nequiverit aut noluerit tolerare propositum, ad sæculum nequaquam redeat, sed aliquod potius aliud religionis genus quod ferre possit accipiat. Quod si in ipsa examinatione laudabiliter se habens mortuus fuerit, quidquid pro professo et sacrum habitum gestante facimus, pro eo similiter faciemus.

3. Cui in cellam introducto seniorum aliquis deputatur, qui eum per unam, vel amplius si opus fuerit, hebdomadam, horis competentibus visitans, de necessariis instruat.

4. Qui tamen blande leniterque maxime tractatur in primis, nec ei totam subito institutionis asperitatem subire conceditur, sed paulatim, et ut ratio vel necessitas postulare videtur; nam et cum coquinario quandoque loquendi licentiam habet, et a priore sæpius visitatur.

COMMENTARIUS.

sit ut in chartis capitularibus domorum ordinis nomina ordine antiquitatis sigillatim scribantur, et in singulis dicatur priori domus N.: *Non fit misericordia*, id est petitio illa non est admissa, qua sub nomine misericordiæ prior a prioratu absolvi petiit. Sed quando dicitur, *Fit misericordia*, tunc indicatur petitionem suam fuisse admissam, et illum absolutum esse a prioratu. Hæc notamus, ut extranei istam, ut vocant, *misericordiam Carthusianorum*, mirari desinant.

Hic autem tradere incipit R. P. Guigo formam quam sequi debemus in probandis, imo, ut ita dicam, in tentandis juvenibus qui ad nos accedunt Ordinem petituri, ita ut terrere eos potius conemur, quam blandimentis delinire ut alliciantur. Alioquin imperterritus non maneret postulans, sicut optat sanctus vir, si illum ex charitatis et prudentiæ industria veluti terrere non conaremur, et merito: nam institutum nostrum, cum sit durum et asperum, neminem debet admittere qui non tantum vocatione cœlesti appareat præventus; sed etiam naturali quadam animi fortitudine, sana vero atque hilari corporis constitutione sit præditus; qui enim constitutionis melancolicæ, sive atrabiles sunt, solitudini nostræ non sunt apti. Hic autem rigor probandi, imo terrendi postulantes, quem suggerit vir sanctus, si semel a nobis sub indiscreto prætextu charitatis relaxetur, infirmis et debilibus domos nostras replebimus, a quibus propositi Carthusiensis observantia non poterit servari; et quid inde eveniet? Nemo non videt. Ex dispensationibus enim multiplicatis nascuntur consuetudines; ex consuetudinibus contra instituta monastica semel introductis nascitur prava libertas, et ex hac libertate ruina observantiæ regularis. Ecce quo tandem perveniret quædam mollitia in probandis et educandis novitiis, si apud nos admitteretur.

Ibid. 1. *Et quia congregationis*, etc. *certus numerus*, etc. Numerus monachorum apud nos non potest excedere numerum cellularum quæ in qualibet domo constructæ sunt. Cum enim soli degamus in singulis cellulis, ad solitudinem servandam dispositis, novitii sicut et monachi debent soli habitare. Et hæc est ratio cur terminum, id est certum tempus postulantibus assignemus, quo elapso, si postulans non adsit, et alius idoneus se præsentet, illum libere recipimus, quia a promissione nostra liberi sumus.

Num. 2. *Quod ei non nisi sub tali sponsione*, etc. Hoc est singulare, et illis tantum temporibus licitum fuisse credendum est; libertatem enim aliqualiter adimebat, nostrum ordinem ingredi volentibus. Unde hæc conditio non fuit in antiquis statutis nostris relata, quia fuerat correcta.

Num. 3. *Seniorum aliquis deputatur, qui eum per unam*, etc., *hebdomadam*. Hic oriri incipit usus semper deinceps in ordine servatus, ut unus ex monachis deputetur ad horas dicendas cum novitiis, ut addiscant qualiter et cum quibus cæremoniis officium divinum persolvere debeant, qui ideo monachus secundum majorem vel minorem novitii in hoc addiscendo sagacitatem, plus vel minus ad eum pergit.

Num. 4. *Qui tamen blande*, etc., *nec ei totam subito institutionis asperitatem*, etc. Ecce qualiter antiqui Patres nostri discretionis regulas in omnibus servandas sibi proposuerunt. Terrere volunt postulantem prima fronte, ut inde discernant quo spiritu ducatur et ordinis ingressum petat. Sed postea scientes quod omnia debeant suaviter disponi circa humanam infirmitatem, ut ad finem fortiter attingatur, gradus observant in probationis exercitiis; visitatur sæpius a priore novitius, ut in spiritualibus instruatur, et sic spiritualibus alimentis enutritus adolescat in suo proposito, donec ad institutum servandum per professionem et vota emissa se obliget. Tales autem licentiæ loquendi cum coquinario nostris novitiis non amplius dantur, et integra observantia ab illis exigitur, quia sufficere creditur, si spatiamentum cum monachis semel in hebdomada habeant.

Hæc veterum Patrum nostrorum circa novitios disciplina bonis de causis et per varias experientias confirmatis, fuit aliqua parte in melius mutata, per posteriora statuta, sicut videmus factum esse per sacra concilia posteriora, quæ tempus probationis et ætatem professionis aliter determinarunt quam priora. Poterunt tunc ab ordine expelli monachi, si valde discoli aut vitiosi fuissent effecti, ut videbitur infra cap. 77, et sic ovilia monastica ab ovibus lue infectis purgari. Nunc vero aliter juribus ecclesiasticis et civilibus sancitum est.

5. Cum autem tempus quo benedici debeat institerit, si probabilis apparuerit et in petendo misericordiam sedulus fuerit, dies ei quo, si perseveraverit, in totum suscipi debeat certus constituetur. In quo cum in capitulo itidem misericordiam humiliter postulaverit, facultas ei seu recedendi si voluerit, seu sua omnia quomodo vel quibus placuerit, distribuendi libera tribuetur. Quod si perseveraverit pulsans, optatus ei tribuetur assensus, et tunc vel ipse vel alius, si scribere nescit, hanc ei professionem scribet.

CAPITULUM XXIII.

Professio Novitii.

1. « Ego frater *ille* promitto stabilitatem, et obedientiam, et conversionem morum meorum, coram Deo et sanctis ejus et reliquiis istius eremi, quæ constructa est ad honorem Dei et beatæ semper Virginis Mariæ, et beati Joannis Baptistæ, in præsentia domni *illius* prioris. » ✠

COMMENTARIUS.

Num. 5. *Vel alius si scribere nescit.* Id intelligendum est non de totali scribendi imperitia, nam qui scribere nescisset ineptus ad clericatum fuisset, ad quem apti esse debebant omnes qui ad statum monachorum admittebantur, prout inferius cap. 73 probabitur, sed de imperitia pulchre scribendi, prout scribere docebantur nostri ad libros transcribendos, sicut habetur cap. 28, n. 2.

Porro totum capitulum istud, excepta conditione illa supra notata, relatum invenies sec. part. antiq. statut., cap. 23, nn. 5, 9, 16 et 20, itemque cap. 24, n. 1.

Cap. XXIII. — Num. 1. *Promitto stabilitatem.* Omissa discussione eorum quæ passim a variis scriptoribus circa votum stabilitatis dicta sunt, ea tantum proferemus quæ apud nos circa illud tum ex statutorum tenore, tum ex capitulorum generalium ordinationibus, tum demum ex praxi ordinis pro certo habenda sunt.

Primo. Per stabilitatem illam recognoscitur adhærentia fixa, et quodammodo indissolubilis statui monastico et carthusiano debita, cui monachus professionem emittens, sciens et volens se per votum alligat. Et inde dicere non dubitamus monachos qui ad episcopatum vocantur, non posse ullo modo eximi ab iis observantiis instituti carthusiensis, quæ cum episcopalibus muniis possunt concordare, prout est abstinentia a carnibus, quia per votum emissum stabilitatis servandæ in proposito carthusiensis ad id obligantur, et obligatio voti servandi est de jure divino. Quibus autem causis opus sit ad valide dispensandum in re quæ divini juris est, lectorem remitto ad D. Thomam, Toletum et illos probatissimos doctores.

Secundo. Per stabilitatem intelligitur adhærentia loco, id est domui, sive in qua professionem monachus emittit, sive ad quam per obedientiam ordinis mittitur. Ad quam stabilitatem sive adhærentiam per votum etiam se astringit, ut satis id explicat ipse sanctus Pater Bruno loco infra citando, et tum ex antiquis chartis capitularibus, tum ex antiquis statutis pervium est, ab hac instabilitate, id est pruritu aut importuna petitione mutandi domum, a nostris esse abstinendum, veluti a re voto stabilitatis adversa, prout suis locis plenius probabitur. Sed certum est ex continua praxi ordinis, quæ optima legum interpres est, votum illud quoad hanc partem mutationis domus, esse tantum sub hac conditione emissum, nempe ut non fiat mutatio loci absque causa, quam ordo justam judicaverit. Inde certum est monachum Carthusianum, qui absque necessitate, et ex propria voluntate, sive sub fictis prætextibus, sive subreptitiis modis licentiam obtinet, vel potius extorquet domum mutandi, peccare contra votum stabilitatis.

Hæc autem stabilitas sic intellecta nostro instituto essentialis est, quia ad vitæ solitariæ rationem et ad illius habitus assumendos necesse est.

Primo. Ingenio humano ad novitates mire propenso aditum occludere, et stabilitatis praxi propensionem illam mortificare et subjugare, ut sic addiscat sensibus ab objectis externis jam abstractis aliquam habitualem dissuetudinem procurare, quæ solitarii animum quietius agere sinat.

Secundo. Per firmam et stabilem in claustro mansionem cavere, ne tot importunis phantasmatibus, ex rerum relictarum objectis de novo mentem illius ex præsentia ferientibus, et ex rei novitate violentius sese imprimentibus, iterum animus ejus vulneretur. Qua de causa non debet, nec in solo transitu, sæculum videre velle.

Finis ergo illius stabilitatis subvertitur, dum monachus Carthusianus mutationem domus appetit et obtinet, nam et appetendo mente jam in novitatum tentationes lapsus est, et per sæculum ambulare incœpit; et obtinendo quod desiderat, tentationes illas ad actum deducit. Unde natura ad cellam postea reversa, et ad primum privationis statum reducta, ibi litigare, imo per imaginationum collisiones quasi furere in istum ambulatorem denuo incboat, qui ideo justam in se instabilitatis suæ mercedem recipit. Non mirum ergo est si in proverbium apud nos versa sint verba illa auctoris libri. *De imitatione Christi : Raro sanctificantur, qui multum pergrinantur*, quia id verum esse experientia docente didicimus, in his qui apud nos (subaudi ex propria voluntate) de domo in domum pergere ad suam instantiam quærunt.

Si instent aliqui et dicant se mirari quod apud nos quasi pro criminibus habeantur quædam, quæ in aliis ordinibus veluti licita et innoxia æstimantur, ac facile permittuntur; breviter respondebimus eis, statuum diversitatem in hoc esse attendendam, et sicut in statu sæculari plura quibusdam personis nociva non reputantur, quæ aliis valde peri-

2. In ipsa autem missa, qua suscipiendus est, post Offerendam ad gradum ante altare venit, inclinatusque versum hunc tertio repetit, choro respondente eumdem : *Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam ; et non confundas me ab exspectatione mea.* Post cujus tertiam repetitionem additur, *Gloria Patri, Kyrie eleyson, Pater noster.* Interim novitius ante singulos monachos genua flectens dicit, *Ora pro me, Pater.* Post hæc rediens, in eodem quo prius, stat inclinatus loco. Tunc sacerdos ad illum conversus subdit : *Et ne nos inducas, Salvum fac servum tuum, Mitte ei, Esto ei, Dominus vobiscum :* sicque cucullam super gradum ante novitium positam benedicit, dicens.

COMMENTARIUS.

culosa aut indecora esse censentur, ac ideo prohibentur, sic plura vitæ solitariæ professoribus noxia sunt, et ideo prohibenda, quæ aliis regularibus non tantum noxia non sunt, sed etiam non raro utilia, et ideo ipsis a suis superioribus injungenda, quod exemplis probare in promptu esset, sed ad propositum nostrum non pertinet.

Stabilitas ergo ista in ordine Carthusiensi, velut nervus a quo pendet illius perseverantia in suo instituto, consideratur ; ex illius enim voti emissione et observantia, Deo singularem gratiam ipsi adjungente, laudabilis illa tenacitas adhærendi suis antiquis usibus, et nihil innovandi in his, quæ ad naturam et substantiam sui instituti spectant nata est, ex qua firmitas illa veteris observantiæ servandæ ad hæc usque tempora pervenit.

Si quid enim mutatum videtur in numero et qualitate abstinentiarum in pane et aqua, de quibus suo loco agitur ; revera quasi non mutatum censendum est, quia ab initio ad nutum superioris tantum servandæ erant : et si nunc non plene servantur ut antiquitus, id ex necessitate subveniendi indigentiis et conservationi corporum processit, et exigente experientia, a superioribus in capitulis generalibus legitime congregatis fuit ordinatum, ut jam cap. 7 diximus.

Nihil prorsus mutatum est in ordine, nisi quod experientia multorum annorum prius docuit, in melius esse convertendum, idque non voluntate inferiorum, sed generalium capitulorum judicio factum est. Pro exemplo sit forma electionis priorum, prout in nova collectione statutorum ante centum annos facta statuitur cap. 2, II, part., n. 33. Datur ibi facultas, quæ in antiquis statutis non erat concessa, nempe quater repetendi scrutinium in eadem die, sed auferur ibi libertas remittendi actum eligendi in diem crastinum, quia experientia docuerat inde notabilia evenisse damna, ex pactis et aliis similibus industriis, quæ Spiritum sanctum ab ipsa electione arcebant, ut ipsorum statutorum verbis utamur.

Imo, si quid additum esse videtur per ordinationes capitulorum generalium, id tantum factum est occasione irrepentium abusuum, ad quorum effectus, vel præveniendos vel corrigendos, aut erroneas interpretationes destruendas remedium per istas ordinationes appositum est, ut videri potest in nova editione statutorum, in qua plures ordinationes insertæ habentur. Id ergo non veluti novum quid, aut stabilitati adversum reputandum est, cum A e contrario sit remedium appositum, ne quid sensim mutetur ex humana infirmitate, quod antiquo proposito Carthusiensi adversetur.

Hoc stabilitatis votum multum, inquam, confert ad antiquum ordinis propositum illibate servandum : et sic ad hoc pertinere constat ut ipse S. Pater Bruno in homilia de Purificatione, de monachis loquens, id diserte exprimat, dicendo : *Franguntur axellæ, quia vagandi licentia tollitur, et loci propositique stabilitas imperatur.* Quibus verbis proposito, locum etiam adjungit, ut indicet secundum mentem suam, stabilitatem in utroque esse servandam. Id amplius ex nova collectione statutorum ordinis probatur, ubi dicitur cap. 22, n. 61 : *Qui vero præsumpserint per litteras suppressis nominibus* B *infamare ordinem nostrum, aut prælatos ejus, vel aliquem ex ipsis, aut tentaverint instituti nostri naturam evertere et immutare, ipso facto omni officio et voce priventur, et excommunicationis sententiam incurrant, a qua non possint absolvi, nisi per reverendum Patrem, aut aliquem ex visitatoribus.* Talis ergo attentatus reputatur materia peccati, et quidem mortalis, cum excommunicationis pœnæ subjaceat ; et merito, quia igitur de voti transgressione in materia gravi, qualis est attentatus ille procurandi eversionem et infractionem stabilitatis veteris et sancti instituti quod a tot annis per stabilitatem in vigore perseverat. Si enim qui machinantur aliquid contra pacem et utilitatem civium unius civitatis, graviter peccant ; quid de monachis censendum est, qui post C votum emissum stabiliter inhærendi proposito sui instituti, illud evertere et immutare conantur?

Aliquas immutationes et alterationes quærere in antiquo usu et instituto Carthusiensi, et illud evertere, idem est ; inde enim ordinis Carthusiensis laudabilis illa tenacitas, et in suis antiquis usibus stabilitas destrui incipit. Nam si qui monachi solitarii semel in hac parte ad suam instantiam aliquid obtinere niterentur, vel etiam per modos subreptitios a S. sede apostolica obtinerent, inde janua illis aperiretur ad quaslibet novitates excogitandas, appetendas et quærendas. Mentes illorum intra cellæ parietes cogitabundæ mille figmenta componerent, quæ, instigante diabolo et amore privato lenocinante, D velut justissima et convenientissima reputarent, nec quiescerent, donec media reperirent ad suum intentum obtinendum, et donec tandem totaliter amore privato obcæcatæ arbitrarentur etiam obsequium se præstare Deo, si institutum vetus evertere niterentur.

CAPITULUM XXIV.

Oratio super cucullam.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres, ad innocentiæ vel humilitatis indicium, sæculo abrenuntiantes ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre. Dehinc cappa detracta [*al.* tracta] cuculla novitium induit, sicque ad cornu accedens altaris, professionem suam aperte et distincte, audientibus omnibus, legit, lectamque super exosculatum offert altare. Inclinatusque ad sacerdotis pedes, tali deprecatione suscipit benedictionem

COMMENTARIUS.

Ibid. *Et obedientiam.* Non additur *secundum regulam*, quia vovemus eam absolute et absque ulla conditione, est enim apud nos *supra regulam*, et est velut substantia regulæ, ut infra manifestabit R. P. Guigo cap. 35, et ibi de hac re fusius agemus.

Ibid. *Et conversionem morum meorum.* Per illud votum exprimitur promissio semper aspirandi ad meliora, et nunquam recedendi a proposito se emendandi; unde concludendum est illum monachum apud nos, qui sola voluntate, vel actibus desereret propositum proficiendi aut se emendandi, peccare contra hoc votum graviter aut leviter secundum rationem materiæ de qua ageretur. Si de simplici imperfectione, in qua hærere vellet, similem culpam incurreret contra conversionem morum; si de peccato veniali infirmitatis, idem peccatum; si de peccato veniali voluntario, similiter, si vero de aliquo peccato mortali, lethaliter etiam peccaret contra votum conversionis morum. Duplicatur ergo culpa ratione voti, sicut duplicatur meritum ex fideli adimpletione voti emissi. Hac ratione videant, quomodo se possent extricare aut excusare a peccato, qui vellent aliquas observantias statutorum ordinis negligere, et in ista negligentia quiescere, sub hoc prætextu, quia simplex statutum per se non obligat ad peccatum.

Votum ergo illud exigit a Carthusianis, ut ad perfectionem suæ professionis et virtutum aspirent, et continuis studiis et conatibus tendant, vim sibi et naturæ corruptæ inferendo, quæ vis qualis esse debeat, pulchre nova statutorum collectio exprimit, cap. 19, n. 5, ubi dicitur: *Debent enim professi omnes, imo tenentur ex necessitate voti suæ professionis, habere animum paratum resignandi in manibus præsidentis sponte et libere ea omnia quæ sibi concessa sunt, sive libri fuerint, aut aliquid aliud carum vel vile, quoties superior voluerit, et fieri mandaverit. Nec si hoc fecerit, debent murmurare aut conqueri, alioquin nondum se et sua reliquerunt, et propterea pauperem Christum sequi, et ejus imitatores, et discipuli fieri non possunt, nec ejus paupertate ditari.*

De paupertate ibi agitur, at etiam inde videtur quam strenue nostri debeant ad perfectionem in omnibus tendere.

Si ergo, ut perspicuum est, tota meriti actuum Carthusiani monachi ratio, in obedientia consistat, et ad ejus perfectionem adipiscendam ex vi voti conversionis morum aspirare teneatur, debet per A gradus obedientiæ a sanctis Patribus descriptos semper ascendere, illosque in corde suo pie disponere. Si vero e contrario gradus descensionis sibi disponat, quærendo media ad propriam voluntatem liberius exsequendam, imo ad rumpenda vincula sui instituti, in quo et secundum quod Deo servire promisit, perspicuum est illum peccare tum contra votum obedientiæ, tum contra votum conversionis morum, quibus ligatus est, et sic ligatus ex vi voti emissi, ut, juxta instituti Carthusiensis normam, propriam voluntatem integram absque ulla restrictione aut exceptione, virtuti sacræ obedientiæ devoverit. Gradus autem obedientiæ a sanctis Patribus assignati tales sunt.

Primus est, ut res a superiore jussæ sedule compleantur exterius. B

Secundus gradus est, ut intus voluntas inferioris conformet se plene voluntati superioris, ita ut propriam reclamantem abneget. De hoc loquitur divus Joannes Climacus grad. IV, art. 3, dum dicit: *Obedientia est sepulcrum propriæ voluntatis et excitatio humilitatis.*

Tertius gradus est, ut intellectus obedientis conformetur intellectui præcipientis, ut jam, secundum D. Bernardum, similis sit apostolo Paulo, de quo dicitur in Actibus apostolorum (*cap.* IX, 28): *Apertis oculis nihil videbat, ad manum autem illum trahentes*, etc.

Ecce qui et quales sunt gradus quos sibi debet disponere monachus Carthusianus, ex obligatione et necessitate votorum obedientiæ et conversionis C morum, quæ emisit juxta statutorum formam, quam non ignoravit, imo sciens et volens relative ad illam, professionem emisit in ordine Carthusiensi.

Totum hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis, cap. 24, II part. nn. 4 et 5, et eadem prorsus apud nos etiam nunc observantur.

Cap. XXIV. — Idem refertur in antiquis statutis II part., cap. 24, num. 5, et eadem forma a nobis servatur. Cuculla autem nomine, intelligimus vestem illam superiorem et talarem, cui adhæret caputium, et cujus utraque pars per vittam latam copulatur, et sic fit, ut quamdam crucis formam ante et retro feramus, quando in publicum apparemus; nam dum soli in cella sedemus, et divinorum D officiorum recitationi non vacamus, deposita illa talari cuculla, parvam quæ funiculis alligatur assumimus ut liberius operari possimus.

CAPITULUM XXV.

Oratio super novitium.

1. *Domine Jesu Christe, qui es via sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus benignissimam clementiam tuam ut hunc famulum tuum, a carnalibus desideriis abstractum, per iter disciplinæ regularis deducas; et quia peccatores vocare dignatus es dicens:* « *Venite ad me, omnes qui onerati estis, et ego vos reficiam;* » *præsta ut hæc invitationis tuæ vox ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur, et sicut attestari de tuis ovibus dignatus es, agnosce eum inter oves tuas, ut ipse te sic cognoscat* [al. *agnoscat*] *ut alienum non sequatur, sed neque audiat vocem alienorum, sed tuam, qua dicis:* « *Qui mihi ministrat me sequatur.* » *Qui vivis et regnas*, etc.

2. Ex hoc tempore qui susceptus est, ita se ab omnibus quæ mundi sunt intelligit alienum, ut nullius prorsus rei, nec sui quidem ipsius, sine prioris licentia habeat potestatem. Cum enim ab omnibus qui regulariter vivere decreverunt, obedientia magno studio sit servanda, ab his tamen tanto devotius ac sollicitius, quando districtius asperiusque subiere propositum, ne si, quod absit, ista defuerit, tanti labores, non solum careant præmio, sed et supplicium damnationis incurrant.

3. Hinc enim Samuel: *Melior est enim* [al. *inquit*] *obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV, 22). Quod unum testimonium et obedientiæ laudem et inobedientiæ sufficientem habet vituperationem.

CAPITULUM XXVI.

De ordine congregationis.

Ordinem autem, sive in refectorio, sive ubicunque, eum cuncti tenemus, quem singulis suus dedit adventus, nisi quem forte prior aliquam vel supposuerit, vel præposuerit ob causam.

CAPITULUM XXVII.

De ætate suscipiendorum.

Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia [*al.* quæ] per eos monasteriis multa contigisse dolemus et magna, spiritualia simul et corporalia pericula formidantes; sed viros qui, juxta præceptum Domini per manum Moysi, viginti ad minus annorum sacra possint ad bella procedere. His expletis, quod de cella promisimus exsequamur.

COMMENTARIUS.

Cap. XXV. — Num. 1. Eadem forma benedicendi novum professum refertur in antiquis statutis, II part. cap. 24, num. 5.

Num. 2. *Ei hoc tempore*, etc. Hic disertis verbis exprimit sanctus vir, quod obedientia sit veluti centrum instituti Carthusiani, de qua re loqui remittimus infra, sub cap. 35. Eadem vero relata reperies de verbo ad verbum in antiquis et novis statutis.

Cap. XXVI. — Gradus et locus, juri quodammodo naturali annexus, hic assignatur, at totum obedientiæ obsequio subditur, dum prioris arbitrio subjacere dicitur, ob causam, de cujus validitate aut sufficientia judicium illi, absque ulla conditione relinquitur. Eadem prorsus relata habentur tum in antiquis, tum in novis statutis.

Cap. XXVII. — Per experientiam temporum sensim discitur, quarum rerum capax sit humana infirmitas, quidve magis illi conveniat. Unde non est mirandum si, juxta diversitatem temporum et experientiarum, quædam, quæ prius valde bona videbantur, per eventuum experientiam non tam bona esse appareant quam existimabantur, imo etiam aliquando nociva esse postea reputata sint, et ideo mutata aut abrogata. Unde summopere cavendum est in ordine ne quasdam mutationes, cum maturo consilio et matura deliberatione factas, vel incaute arguamus, vel corrigere attentemus, ne proprio experimento, et cum proprio damno denuo addiscamus quod Patres nostri forte cum suo didicerunt, et sic vulgare A proverbium nobis conveniat: Adhuc majori pretio nos emere, quod jam illis magno pretio constitit. Cur divina providentia sic sensim ad cognitionem inconvenientiæ quarumdam rerum, quæ aliquando valde convenientes visæ sunt, nos devenire permittat? Id ita fieri censendum est, ut evidenter nobis appareat quam incertæ sint providentiæ nostræ, quantum a proprii judicii opinione, et in nostro sensu pertinacia cavere debeamus, quantumque duritia cordis nostri in plerisque rebus indigeat experientia, qua veluti malleo tundatur atque emolliatur, ut non facile sibi fidat, propria desideria non sequatur, et proprio experimento emat firmitatem, qua veritati propriis laboribus, et, ut ita dicam, propriis expensis agnitæ adhæreat, nec ab ea tam facile B per innatam levitatem et mobilitatem recedat. Discat etiam non temere arguere mutationes, quas aliquando fieri necesse esse proprio experimento videt, et sic agnoscat imprudenter valde sapere et agere eos, qui nimis tenaciter vellent adhærere antiquitati, et nullam unquam in antiquis monasticæ vitæ usibus mutationem admittere.

Experimento ergo alieno edocti Patres nostri, pueros a se rejiciunt, nec apud se, etiam sub pio prætextu illos educandi a teneris in disciplina Domini, volunt admittere, sed tantum viros aut saltem juvenes, quibus maturitas deliberationis ad nostrum propositum assumendum necessaria adesse credatur. Quod eo strictius a nobis nunc servandum est,

CAPITULUM XXVIII.

De utensilibus cellæ.

Accipit itaque cellæ incola ad lectum paleam, filtrum, pulvinar, cotum vel coopertorium de grossissimis ovium pellibus, et panno rustico coopertum. Ad vestitum autem, duo cilicia, duas tunicas, duas pellicias, unam deteriorem, alteram meliorem, duasque similiter cucullas, tria paria caligarum, paria pedulium quatuor, pelles, cappam, sotulares nocturnos et diurnos, sagimen quoque ad ungendum, lumbaria duo, cingulum, omnia canabina et grossa, et quidquid prorsus ad lectum vestitumve [*al.* vestimentumve] pertinet, cujus grossitudinis colorisve sit non curabit. Cum enim ad omnes monachos, tum maxime ad nos, humilitatem attritionemque pannorum, et universorum quibus utimur, vilitatem, paupertatem et abjectionem certum est pertinere. Habet etiam acus duas, filum, forfices, pectinem, novaculam ad caput, cotem vel calculum, et corrigiam ad acuendum.

2. Ad scribendum vero, scriptorium, pennas, cretam, pumices duos, cornua duo, scalpellum unum, ad radenda pergamena novaculas sive rasoria duo, punctorium unum, subulam unam, plumbum, regulam, postem ad regulandum, tabulas, graphium. Quod si frater alterius artis fuerit (quod apud nos raro valde contingit, omnes enim pene quos suscipimus, si fieri potest, scribere docemus), habebit artis suæ instrumenta convenientia.

3. Adhuc etiam libros ad legendum de armario accipit duos, quibus omnem diligentiam curamque præhere jubetur, ne fumo, ne pulvere, vel alia qualibet sorde maculentur. Libros quippe tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum cautissime custodiri, et studiosissime volumus fieri, ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus.

COMMENTARIUS.

quo jam exclusa est janua expellendi et rejiciendi a A nobis discolos, quæ non tantum temporibus R. P. Guigonis patebat, prout ex cap. 77, istarum Consuetudinum innotescit, sed pluribus adhuc sæculis postea in ordine aperta fuit, ut ex infra dicendis videbimus. Hac ergo necessitate, quæ introducta est, supposita, bonos et malos in ordinibus regularibus servandi, pronuntiare non dubito satius esse pro bono totius ordinis Carthusiensis, uni ex cellulis claustrorum nostrorum ignem admovere, ut flammis devoretur, quam in illa admittere monachum, qui vocationem bonam et bene probatam, quantum fieri potest, non habeat, et congruis mentis et corporis dotibus, ac devota voluntate Deo, ut par est, serviendi in ordine destitutus sit. Dum id mente cogito, veluti fervore repleor, non dubitans affirmare B majora ordinum regularium damna inde ortum accepisse et accipere. Sed calamum hic reprimamus, ne quid diffusius de hac re scribamus.

Cap. XXVIII.—Num. 1. *Ad lectum : paleam*, etc. Inter supellectilem illam quæ ad lectum componendum et ad indumentum concedi solita recensetur, nostros nunquam renuntiasse pellium usui, et ab initio eas sibi adhibuisse manifestum est. Imo tunc duæ pelliciæ in hac Majori Carthusia singulis assignabantur, quarum altera quotidie induebantur, eratque illis pro tunica talari et superiori, altera vero diebus solemnibus utebantur; sicque contra frigus in istis frigidis locis erant bene muniti. Nunc vero vestes nostræ ab illis differunt, nam pellicea tunica superiori hieme et nocte tantum utimur, et interdiu alia C ex grosso panno patriæ composita. Qui tamen usus pelliciarum etiam interdiu gestandarum, haud ita pridem adhuc vigebat in hac domo, prout a testibus oculatis audivimus, et adhuc legimus in libris rationum domus Carthusiæ. Quod tamen pro temporum ratione mutatum est, cum homines delicatius et subtilius judicare, et facilius carpere visi sunt, ne inde scandalizarentur. Ovium pellibus ad lectum eadem ratione amplius non utimur.

Ibid. *Cujus grossitudinis colorisve sit non curabit.* Non inde credendum est quod de diversitate coloris hic agatur, ut alii rufa vestis, alii nigra, alii candida ministrari posset. Ridiculum enim esse simile quid vel cogitare, sed de colore plus aut minus albo, intra eamdem tamen speciem id debet intelligi.

Ibid. *Humilitatem attritionemque*, etc., *et universorum quibus utimur.* Hic judicium conscriptum habemus contra nos, si res curiosas et pretiosas ultra honestam decentiam ad usum nostrum adhibeamus.

Num. 3. *Libros tanquam sempiternum*, etc. Hoc verbo vult exprimere libros esse speciem cibi qui per B usum non consumitur; et ex hoc loco patet quantum primi Patres vellent nostros circa librorum scriptionem occupari; quæ ideo illorum tunc erat communior occupatio, ut ex hoc capitulo evidenter apparet.

Ibid. *Ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros*, etc. Publicæ ergo utilitati etiam vacabant Patres nostri, maxime cum tunc temporis nondum inventa esset ars typographica, et nulla pateret lectioni et studiis via, nisi manuscripti codices haberentur. Si sic opinarentur antiqui Patres et vellent nos nostro modo prædicationi vacare, transcribendo libros ab aliis compositos, non recusabant eos qui a nostris componerentur, etiam posse transcribi. Unde durius quam convenit eos loqui censendum est, qui a componendis libris vellent nostros omnino repellere, et sub prætextu vitæ occultæ et solitariæ, illos tantum Deo pro hominibus, non vero de Deo hominibus, nec etiam per calamum, loqui debere existimarent. Qui sic opinarentur a sensu R. Patris Guigonis per excessum aberrarent, et tacite condemnarent tot egregios et pios scriptores, qui in ordine numerantur. At fas-

CAPITULUM XXV.

Oratio super novitium.

1. *Domine Jesu Christe, qui es via sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus benignissimam clementiam tuam ut hunc famulum tuum, a carnalibus desideriis abstractum, per iter disciplinæ regularis deducas; et quia peccatores vocare dignatus es dicens: « Venite ad me, omnes qui onerati estis, et ego vos reficiam; » præsta ut hæc invitationis tuæ vox ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es gustans, tua refectione sustentari mereatur, et sicut attestari de tuis ovibus dignatus es, agnosce eum inter oves tuas, ut ipse te sic cognoscat* [al. *agnoscat*] *ut alienum non sequatur, sed neque audiat vocem alienorum, sed tuam, qua dicis: « Qui mihi ministrat me sequatur. » Qui vivis et regnas*, etc.

2. Ex hoc tempore qui susceptus est, ita se ab omnibus quæ mundi sunt intelligit alienum, ut nullius prorsus rei, nec sui quidem ipsius, sine prioris licentia habeat potestatem. Cum enim ab omnibus qui regulariter vivere decreverunt, obedientia magno studio sit servanda, ab his tamen tanto devotius ac sollicitius, quando districtius asperiusque subiere propositum, ne si, quod absit, ista defuerit, tanti labores, non solum careant præmio, sed et supplicium damnationis incurrant.

3. Hinc enim Samuel: *Melior est enim* [al. *inquit*] *obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV, 22). Quod unum testimonium et obedientiæ laudem et inobedientiæ sufficientem habet vituperationem.

CAPITULUM XXVI.

De ordine congregationis.

Ordinem autem, sive in refectorio, sive ubicunque, eum cuncti tenemus, quem singulis suus dedit adventus, nisi quem forte prior aliquam vel supposuerit, vel præposuerit ob causam.

CAPITULUM XXVII.

De ætate suscipiendorum.

Pueros sive adolescentulos non recipimus, quia [*al.* quæ] per eos monasteriis multa contigisse dolemus et magna, spiritualia simul et corporalia pericula formidantes; sed viros qui, juxta præceptum Domini per manum Moysi, viginti ad minus annorum sacra possint ad bella procedere. His expletis, quod de cella promisimus exsequamur.

COMMENTARIUS.

Cap. XXV. — Num. 1. Eadem forma benedicendi novum professum refertur in antiquis statutis, II part. cap. 24, num. 5.

Num. 2. *Et hoc tempore*, etc. Hic disertis verbis exprimit sanctus vir, quod obedientia sit veluti centrum instituti Carthusiani, de qua re loqui remittimus infra, sub cap. 35. Eadem vero relata reperies de verbo ad verbum in antiquis et novis statutis.

Cap. XXVI. — Gradus et locus, juri quodammodo naturali annexus, hic assignatur, at totum obedientiæ obsequio subditur, dum prioris arbitrio subjacere dicitur, ob causam, de cujus validitate aut sufficientia judicium illi, absque ulla conditione relinquitur. Eadem prorsus relata habentur tum in antiquis, tum in novis statutis.

Cap. XXVII. — Per experientiam temporum sensim discitur, quarum rerum capax sit humana infirmitas, quidve magis illi conveniat. Unde non est mirandum si, juxta diversitatem temporum et experientiarum, quædam, quæ prius valde bona videbantur, per eventuum experientiam non tam bona esse appareant quam existimabantur, imo etiam aliquando nociva esse postea reputata sint, et ideo mutata aut abrogata. Unde summopere cavendum est in ordine ne quasdam mutationes, cum maturo consilio et matura deliberatione factas, vel incaute arguamus, vel corrigere attentemus, ne proprio experimento, et cum proprio damno denuo addiscamus quod Patres nostri forte cum suo didicerunt, et sic vulgare A proverbium nobis conveniat: Adhuc majori pretio nos emere, quod jam illis magno pretio constitit. Cur divina providentia sic sensim ad cognitionem inconvenientiæ quarumdam rerum, quæ aliquando valde convenientes visæ sunt, nos devenire permittat? Id ita fieri censendum est, ut evidenter nobis appareat quam incertæ sint providentiæ nostræ, quantum a proprii judicii opinione, et in nostro sensu pertinacia cavere debeamus, quantumque duritia cordis nostri in plerisque rebus indigeat experientia, qua veluti malleo tundatur atque emolliatur, ut non facile sibi fidat, propria desideria non sequatur, et proprio experimento emat firmitatem, qua veritati propriis laboribus, et, ut ita dicam, propriis expensis agnitæ adhæreat, nec ab ea tam facile B per innatam levitatem et mobilitatem recedat. Discat etiam non temere arguere mutationes, quas aliquando fieri necesse esse proprio experimento videt, et sic agnoscat imprudenter valde sapere et agere eos, qui nimis tenaciter vellent adhærere antiquitati, et nullam unquam in antiquis monasticæ vitæ usibus mutationem admittere.

Experimento ergo alieno edocti Patres nostri, pueros a se rejiciunt, nec apud se, etiam sub pio prætextu illos educandi a teneris in disciplina Domini, volunt admittere, sed tantum viros aut saltem juvenes, quibus maturitas deliberationis ad nostrum propositum assumendum necessaria adesse credatur. Quod eo strictius a nobis nunc servandum est,

CAPITULUM XXVIII.

De utensilibus cellæ.

Accipit itaque cellæ incola ad lectum paleam, filtrum, pulvinar, cotum vel coopertorium de grossissimis ovium pellibus, et panno rustico coopertum. Ad vestitum autem, duo cilicia, duas tunicas, duas pellicias, unam deteriorem, alteram meliorem, duasque similiter cucullas, tria paria caligarum, paria pedulium quatuor, pelles, cappam, sotulares nocturnos et diurnos, sagimen quoque ad ungendum, lumbaria duo, cingulum, omnia canabina et grossa, et quidquid prorsus ad lectum vestitumve [*al.* vestimentumve] pertinet, cujus grossitudinis colorisve sit non curabit. Cum enim ad omnes monachos, tum maxime ad nos, humilitatem attritionemque pannorum, et universorum quibus utimur, vilitatem, paupertatem et abjectionem certum est pertinere. Habet etiam acus duas, filum, forfices, pectinem, novaculam ad caput, cotem vel calculum, et corrigiam ad acuendum.

2. Ad scribendum vero, scriptorium, pennas, cretam, pumices duos, cornua duo, scalpellum unum, ad radenda pergamena novaculas sive rasoria duo, punctorium unum, subulam unam, plumbum, regulam, postem ad regulandum, tabulas, graphium. Quod si frater alterius artis fuerit (quod apud nos raro valde contingit, omnes enim pene quos suscipimus, si fieri potest, scribere docemus), habebit artis suæ instrumenta convenientia.

3. Adhuc etiam libros ad legendum de armario accipit duos, quibus omnem diligentiam curamque præbere jubetur, ne fumo, ne pulvere, vel alia qualibet sorde maculentur. Libros quippe tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum cautissime custodiri, et studiosissime volumus fieri, ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus.

COMMENTARIUS.

quo jam exclusa est janua expellendi et rejiciendi a A nobis discolos, quæ non tantum temporibus R. P. Guigonis patebat, prout ex cap. 77, istarum Consuetudinum innotescit, sed pluribus adhuc sæculis postea in ordine aperta fuit, ut ex infra dicendis videbimus. Hac ergo necessitate, quæ introducta est, supposita, bonos et malos in ordinibus regularibus servandi, pronuntiare non dubito satius esse pro bono totius ordinis Carthusiensis, uni ex cellulis claustrorum nostrorum ignem admovere, ut flammis devoretur, quam in illa admittere monachum, qui vocationem bonam et bene probatam, quantum fieri potest, non habeat, et congruis mentis et corporis dotibus, ac devota voluntate Deo, ut par est, serviendi in ordine destitutus sit. Dum id mente cogito, veluti fervore repleor, non dubitans affirmare B majora ordinum regularium damna inde ortum accepisse et accipere. Sed calamum hic reprimamus, ne quid diffusius de hac re scribamus.

Cap. XXVIII.—Num. 1. *Ad lectum : paleam*, etc. Inter supellectilem illam quæ ad lectum componendum et ad indumentum concedi solita recensetur, nostros nunquam renuntiasse pellium usui, et ab initio eas sibi adhibuisse manifestum est. Imo tunc duæ pelliciæ in hac Majori Carthusia singulis assignabantur, quarum altera quotidie induebantur, eratque illis pro tunica talari et superiori, altera vero diebus solemnibus utebantur; sicque contra frigus in istis frigidis locis erant bene muniti. Nunc vero vestes nostræ ab illis differunt, nam pellicea tunica superiori hieme et nocte tantum utimur, et interdiu alia ex grosso panno patriæ composita. Qui tamen usus pelliciarum etiam interdiu gestandarum, haud ita pridem adhuc vigebat in hac domo, prout a testibus oculatis audivimus, et adhuc legimus in libris rationum domus Carthusiæ. Quod tamen pro temporum ratione mutatum est, cum homines delicatius et subtilius judicare, et facilius carpere visi sunt, ne inde scandalizarentur. Ovium pellibus ad lectum eadem ratione amplius non utimur.

Ibid. *Cujus grossitudinis colorisve sit non curabit.* Non inde credendum est quod de diversitate coloris hic agatur, ut alii rufa vestis, alii nigra, alii candida ministrari posset. Ridiculum enim esse simile quid vel cogitare, sed de colore plus aut minus albo, intra eamdem tamen speciem id debet intelligi.

Ibid. *Humilitatem attritionemque*, etc., *et universorum quibus utimur.* Hic judicium conscriptum habemus contra nos, si res curiosas et pretiosas ultra honestam decentiam ad usum nostrum adhibeamus.

Num. 3. *Libros tanquam sempiternum*, etc. Hoc verbo vult exprimere libros esse speciem cibi qui per usum non consumitur; et ex hoc loco patet quantum primi Patres vellent nostros circa librorum scriptionem occupari; quæ ideo illorum tunc erat communior occupatio, ut ex hoc capitulo evidenter apparet. B

Ibid. *Ut, quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros*, etc. Publicæ ergo utilitati etiam vacabant Patres nostri, maxime cum tunc temporis nondum inventa esset ars typographica, et nulla pateret lectioni et studiis via, nisi manuscripti codices haberentur. Si sic opinarentur antiqui Patres et vellent nos nostro modo prædicationi vacare, transcribendo libros ab aliis compositos, non recusabant eos qui a nostris componerentur, etiam posse transcribi. Unde durius quam convenit eos loqui censendum est, qui a componendis C libris vellent nostros omnino repellere, et sub prætextu vitæ occultæ et solitariæ, illos tantum Deo pro hominibus, non vero de Deo hominibus, nec etiam per calamum, loqui debere existimarent. Qui sic opinarentur à sensu R. Patris Guigonis per excessum aberrarent, et tacite condemnarent tot egregios et pios scriptores, qui in ordine numerantur. At fa-

4. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur, sperantes a Domino mercedem pro omnibus, qui per eos, vel ab errore correcti fuerint, vel in catholica veritate profecerint, pro sanctis etiam qui vel de suis peccatis et vitiis compuncti, vel ad desiderium fuerint patriæ cœlestis accensi.

5. Et quia sicut cæteras necessitates quæ ad vilitatem et humilitatem pertinent, coquinam etiam ipsi nobis facimus, dantur et ollæ duæ, scutellæ duæ, tertia ad panem, vel pro ea mantile, quarta grandiuscula est ad faciendas munditias, cochlearia duo, cultellus ad panem, justa, scyphus, vas aquarium, salaria, patella, duo ad legumina sacculi, manutergium. Ad ignem focile, esca, lapis [*al.* lapis ignitus], ligna, securis. Ad opera vero dolabrum. Hæc qui legerit nec irrideat, quæsumus [*al.* quis], nec reprehendat, nisi forte prius in cella, inter tantas nives et tam horrida frigora, longiore fuerit tempore commoratus.

6. Idcirco enim uni tanta concedimus, ne, quod illicitum ducimus, exire de cella compellatur. Hoc enim nequaquam conceditur, nisi eum ad claustrum aut ecclesiam convenitur; quod hoc ordine fieri consuevit.

CAPITULUM XXIX.

Quo tempore de cella exeatur, et de vigiliis et distinctione horarum.

1. Omni tempore, exceptis duodecim lectionum festis, et Natalis Domini, Paschæ quoque et Pentecostes

COMMENTARIUS.

tendum est magnam cautelam apud nos in hac parte adhibendam esse, ne ex pruritu scribendi et libros edendi, vanæ sui ipsius opinioni detur locus, aut ex minori peritia scientiarum, quæ in viris solitariis ab academicis exercitationibus remotis raro superabundat, quædam in publicum non satis castigate composita prodeant. Sed circa hæc, moderna statuta prudentissimos modos posuerunt et sanxerunt, quibus adhærendo omnia moderate et discrete perficientur. Scripta ergo Carthusianorum non sunt à prælo penitus excludenda, dumodo ab iis nihil scribatur quod cum intentione R. P. Guigonis non concordet, atque ideo de iis tantum materiis à Carthusiano tractetur, quæ ad catholicæ veritatis assertionem, vitiorum exstirpandorum et virtutum acquirendarum studium, promovendum conducunt.

Num. 5. *Hæc qui legerit nec irrideat*, etc., *nisi forte prius in cella*, etc. Prævenire conatur vir sanctus humanam infirmitatem, seu potius insipientiam, quæ, dum sensum proprium vult sequi, circa ea quorum experimentalem cognitionem non habet, in suis cogitationibus et opinionibus sæpe delirat. Prudenter ergo vir sanctus provocat tales judices ad experimentum, qui, si vel una hebdomada intra cellulæ parietes continerentur, tunc aperirentur oculi cæcorum et aures surdorum paterent, et quod superfluum prius arbitrabantur esse in cellula Carthusiana, in hortulo, in instrumentis ad laborem manuum aptis, jam necessarium omnino esse protestarentur. Cur autem solitariis nostris sic provideatur de rebus ad occupationes externas necessariis, rationem subdit, *ne*, inquit, *quod illicitum ducimus, de cella exire compellatur*. Non enim credendum est quod homo intra cellulæ parietes possit diutius commorari, nisi ibi habeat quasdam bene ordinatas se occupandi materias. Cum autem non possit semper rebus spiritualibus applicari, nec id possit aggredi fragilitas humana absque periculo amittendæ sanitatis, tum mentis, tum corporis, necesse est etiam ut habeat unde animum per aliquam occupationem externam relaxare possit et recreare. Imprudenter ergo, imo et insipienter cogitant, qui videntes monachum Carthusianum aliquando opusculis fabrilibus vacare, id fastidiunt, putantes ista minus seriosa monachum dedecere, qui totus spiritualis esse deberet: et hi sunt, quos R. Pater Guigo ad experientiam provocat.

Ex hoc capitulo apparet quam discrete semper, et in omnibus agendum esse, nos docuerint primi Patres, et quantum ab extremis esset cavendum, ne et nobis conveniret axioma illud philosophicum: omne violentum non est durabile. Corporalibus enim solitariorum necessitatibus, cum honesta mediocritate, hic providisse videmus, maxime ne frigore vexarentur, delicias a nobis in hoc arcere tantum contenti, et ne otiosi unquam remaneremus, tot instrumenta singulis monachis hic determinate assignant, alia etiam indeterminate concedenda esse præscribunt, dum dicitur, ei qui inhabilis esset ad scribendos libros, et alterius artis esset, ministranda esse instrumenta arti suæ convenientia.

Num. 6. *Hoc enim nequaquam conceditur, nisi cum ad claustrum*, etc. Id moraliter intelligendum est, nam certum est tunc nostros potuisse aliis etiam de causis e cella egredi, prout manifeste apparet ex cap. 17 et 32, et ex aliis variis locis, suadetque ratio. Poterant enim ad priorem accedere ad exponendum illi suas necessitates et petendas licentias. Egressus ergo ille e cella non concessus, idem erat quem etiamnum egressum e cella inordinatum, id est superfluum, et absque morali necessitate factum vocamus, de quo culpam nostram debemus dicere in capitulo. Imo persuasum habeo quod nonnunquam daretur eis licentia deambulandi intra eremum recreationis gratia, prout ex vetustissimo ms. codice qui in postremo domus incendio flammis infeliciter absorptus est. Ibi enim legi qualiter res disponerentur, quando deambulatio intra rupes Carthusiæ concederetur, maxime dum pergerent ad montem qui dicitur, *le Grand Son*, quod Latine sonat, *magnam summitatem*, et imminet Carthusiæ, ad quem scandendum ampliori temporis spatio et labore opus est.

Porro totum hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis, parte II, cap. 16.

Cap. XXIX.—Num. 1. *Omni tempore exceptis*, etc. Ex ista exceptione errandi daretur occasio, et cre

hebdomadibus, signo pulsato nocturnum ecclesiæ officium congruis vigiliis in cella prævenimus. Quæ ab Idibus Septembris sensim paulatimque crescendo in Kalendis Novembris perfectæ, quinquaginta psalmis non nimis festine cantandis sufficiunt. A quo tempore usque ad Februarii Kalendas taliter perseverant. Inde usque ad Pascha decrescendo paulatim, ad tantum spatium, quod matutinis sanctæ Mariæ sufficiat, rediguntur. Ex quo usque ad prædictas Septembris Idus in eadem quantitate perdurant.

2. Secundo autem signo pulsato, ad ecclesiam festinantes, tertii signi finem prævenire satagimus, ubi super formas, preveniente priore vel cui hoc injunxerit, procumbentes, et ter *Pater noster*, cæteris semel horis, graviter devoteque persolvimus, surgentesque psallere divino cum timore incipimus.

3. Cantatis autem nocturnis breve facimus intervallum, quod ad plus septem psalmos pœnitentiales capere valeat. Sequuntur deinde matutinæ laudes, quas a Kalendis Octobris usque ad Pascha lux terminat.

COMMENTARIUS.

dendi quod diebus istis qui excipiuntur, statim post primum signum pergendum fuisset ad ecclesiam, nisi explicaretur quid vigiliarum nomine sibi velit R. P. Guigo.

Vigiliarum ergo nomine intelligendum est spatium illud temporis quod ultra necessarium ad persolvendas matutinas de B. Maria protenditur, quæ quotidie a nobis in cellulis dicuntur inter primum psalmum matutinarum et secundum, ita ut, dum spatium tantum sufficiens ad istas matutinas devote persolvendas datur, vigiliæ istæ communes sint: cum vero ultra protenditur, id vigilias auctas vocemus. Sensus ergo R. Patris Guigonis est ut, diebus hic exceptis, sive æstate sive hieme venerint, nullæ unquam serventur vigiliæ ultra tempus necessarium ad persolvendas matutinas et laudes de beata Maria.

Ibid. *Quæ ab Idibus Septembris sensim paulatimque crescendo*, etc. Jam explicaturus est qualiter vigiliæ istæ ordinarentur. Ad quarum faciliorem intelligentiam ad memoriam revocandum est quod jam supra cap. 7, num. 8, dictum est de longioribus aut brevioribus noctibus, quas sensim crescere apud se reputabant ab Idibus Septembris, id est a vigilia Exaltationis sanctæ crucis usque ad Kalendas Novembris, sive festum Omnium Sanctorum. A qua die usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ se ordinabant, ac si in eodem longitudinis statu noctes permanerent. Exinde usque ad Pascha noctes decrescere reputabant, sed a Pascha usque ad Exaltationem sanctæ crucis, noctes in eodem statu perseverare, quoad nocte surgendi horam, censebant.

Ibid. 1. *Quinquaginta psalmis.* Ad hoc hora integra et ultra opus est; id ergo significat quod vigiliæ istæ crescerent sensim ab Exaltatione sanctæ crucis, usque dum pervenirent ad spatium horæ integræ in ipsis Kalendis Novembris. In quo spatio horæ integræ perseverabant usque ad festum Purificationis. A qua die vigiliæ istæ ad instar noctium sensim decrescentes ad primum tandem statum redibant in Paschate, id est circa tempus Paschæ; nam in ipsa die Cœnæ Domini cessant istæ vigiliæ.

Idem prorsus nunc observamus circa istas vigilias, et vigiliarum etiam cursum sequitur pulsus completorii, nam sensim pulsus ille anticipatur a festo Exaltationis sanctæ crucis prout ab antiquis Patribus servabatur, donec ad festum Omnium Sanctorum devenirent. Exinde ferialibus diebus in eodem statu permanet usque ad festum Purificationis B. V. Mariæ, a qua die sensim retardatur usque ad Pascha, quo tempore ad pristinum statum redit. Quæ omnia paulo fusius explicamus, ut inferius dicenda facilius intelligantur.

Num. 3. *Cantatis nocturnis breve*, etc. Spatium durationis istius intervalli exprimit. Sed quid durante intervallo illo fieret non exprimit. Animi attentionem sic relaxare voluisse credimus, et ideo ad cellam interim reverti poterant, prout ex antiquis statutis constabit.

Ibid. *Sequuntur deinde matutinæ laudes, quas a Kalendis Octobris usque ad Pascha lux terminat.* Id est ea hora tunc finiuntur, qua jam dies clara est, vel saltem clarescit. *Exinde inchoat.* Id est ea hora diei incipiunt qua dies illucescit. Ex hoc loco evidens est quod nocturnæ vigiliæ tunc ab eis alio modo quam nunc a nobis servarentur, dormirentque absque interruptione quantum satis, toto tempore quod inter Kalendas Octobris et Pascha occurrit. A Paschate autem usque ad prædictas Kalendas, in lecto jacebant, juxta noctium majorem aut minorem brevitatem, quam sequebatur etiam matutinarum brevitas (nam tunc lectionibus carent, nisi occurrat festum), sed quod minus dormirent nocte, supplebant per dormitionem diurnam, quæ illis assignabatur inter sextam et nonam: unde non mirum est si nunquam post matutinas ad lectum redirent.

Qua hora tunc pulsaretur ad matutinas conjecturis tantum astruere possumus, et ex eis judicare quod tunc vigiliæ nostræ nocturnæ, ab illis quæ in Regula S. Benedicti præscribuntur, non multum differrent. Ut autem res evidentius pateat, hic adnotabimus quod non tantum conjecturis, sed assumptis etiam experientiis discere conati sumus.

Constituta ergo quadam veluti epocha Kalendarum Novembris, quo tempore sicut et æstate completorii pulsus fieri debet cum adhuc legi potest, id est dum dies sic in noctem vertitur, ut adhuc in libro litteræ legi possint, exploravimus ex professo, qua hora id contingeret, et reperimus serena die inter montes Carthusiæ, et in eodem loco ubi stat sacellum sancti Brunonis id contingere paulo post sextam. Illo vero tempore, imo a Kalendis Octobris, prout supra dicitur, matutinas laudes lux terminabat, ac proinde illas tunc terminatas fuisse circa sextam

exinde inchoat. Ad lectos autem post matutinas, nullo redítur tempore. A prædictis Kalendis similiter usque ad Pascha primam lux inchoat, exinde solis ortus exspectat, exceptis tantum diebus solemnibus, usque ad Kalendas Novembris, in quibus reliquos dies imitatur æstatis. Sed et in Quadragesima diebus itidem solemnibus, ut diutius orationi vacari possit, pene usque ad ortum differtur solis. Cæteris vero diebus, quibus tenetur capitulum a Kalendis Novembris usque ad Quadragesimam, donec possit in libro legi, protelatur. Qua autem hora a Pascha usque ad Kalendas Octobris prima, eadem a Kalendis Octobris usque ad Quadragesima tertia pulsatur, sole scilicet [*al.* videlicet] summos irradiante montes. Spatium autem vel a prima usque ad tertiam hiemis tempore, vel a matutinis usque ad primam æstate, exercitiis spiritualibus mancipatur. A tertia vero usque ad sextam hieme, et a prima usque ad tertiam æstate, manuum deputatur operibus, quæ tamen opera brevibus volumus orationibus interrumpi, et qua sibi vicinitate in hieme sexta et nona, eadem in æstate tertia sextaque conveniunt. Tali autem inter se spatio separantur, quo regularis hora et duæ de S. Maria valeant explicari. Spatium vero quod sextæ nonæque interest, nunc brevius, nunc longius, quieti deputatur æstate. Et quod nonam vesperasque disterminat [*al.* determinat], manualibus occupatur operibus, semperque in operando ad breves et quasi jaculatas licet orationes recurrere. A vesperis usque ad completorium spiritalibus opera datur.

COMMENTARIUS.

matutinam credendum est. Si ergo supputentur horæ quibus durabat divinum officium nocturnum, adjunctis vigiliis illis de quibus supra diximus, reperiemus per experientiam, quam etiam nunc facimus, quatuor horas integras communiter numerari, quæ si demantur ab undecim circiter horis, quæ excurrunt inter mediam circiter post sextam vespertinam et sextam matutinam, restabant septem et ultra horæ, quæ dormitioni absque interruptione erant deputatæ. Sed in vetustissimo codice reperimus scriptum, quod circa festum Omnium Sanctorum octo horæ non interruptæ dormitioni deputabantur.

Quo tempore mutatio illa facta sit certum non habemus, quam tamen ducentos annos vix superare credimus, cum ad manum habeamus manuscriptum codicem, qui non adeo vetustus apparet, ubi de dormitione diurna monachorum non interturbanda per discursum sive deambulationes in claustro omnes astantes in capitulo generali inter alia monere solemus. Eodem autem tempore quo ordinem vigiliarum per somni intercisionem mutatum esse credimus, dormitionis diurnæ consuetudinem etiam cessasse putamus.

Qua ratione mutatio illa antiquarum vigiliarum in austeriores ex intercisione somni facta sit, nullibi scriptum reperimus, sed conjicimus id factum fuisse, ut, licet ex isto dimidiato somno natura aliquid majoris tædii pateretur, vires tamen animi ex tam longa applicatione ad diurnum officium, quod fere tunc nocturno conjunctum erat, non nimis fatigarentur, et per somni interpositionem discrete sic reparatæ conservarentur; maxime cum cantus Gregorianus apud nos in usu esset (quem temporibus primorum Patrum admissum fuisse in ordine non credimus), et eo cantu officii divini prolixitas non mediocriter aucta fuisset.

Num. 3. *A prædictis Kalendis primam lux inchoat.* Inde colligitur quod brevi intervallo post matutinas facto, die paulo amplius lucida, hac anni parte, pulsaretur ad primam. *Exinde solis ortus exspectat.* Id est altera anni parte a Pascha usque ad Kalendas Octobris, secundum varios solis ortus tardiores aut A citiores ad primam pulsatur, quod sic observabant ut possent vere et ad litteram dicere, *Jam lucis orto sidere*, in hymno qui quotidie ad primam dicitur.

Ibid. *Exceptis tantum diebus solemnibus.* Sensus est quod dies solemnes inter Kalendas Octobris et Novembris occurrentes, ritum dierum æstivalium sequerentur.

Ibid. *Sed et in Quadragesima ut diutius orationi*, etc. Ex hoc loco obstruuntur ora eorum qui dicunt nullum apparere tempus præfixum apud Carthusianos pro oratione mentali; quibus breviter respondemus, istam temporis expressam determinationem fere superfluam visam fuisse R. Patri Guigoni et aliis, quia vita boni Carthusiani est oratio mentalis fere assidua, quamvis ex hoc loco perspicuum sit, B semper in ordine tempus ad hoc pium exercitium fuisse specialiter assignatum.

Ibid. *Cæteris vero diebus quibus tenetur capitulum.* Id est festis quæ ideo *capituli* vocamus, quia in eis semper capitulum tenetur, *Donec possit in libro legi*, id est circa sextam horam: quod adhuc eodem modo a nobis observatur, excepto solis ortu quem æstate jam sequi non possumus propter somni introductam interruptionem. Eadem enim fere hora qua surgebant æstate antiqui Patres, nos stratum post persolutas matutinas nunc repetimus.

Ibid. *Qua autem hora a Pascha usque ad Kalendas Octobris*, etc. *Sole videlicet summos irradiante montes.* Non de uno tantum monte loquitur, sed de pluribus. Est autem rupes altissima vocata, *la pointe du Midi*, ac si diceretur, *acus meridionalem lineam designans*, cui radios infigit sol statim atque ortus est C in æstivo solstitio, paulo post quartam, sed antequam montes sic sint irradiati hora quinta est, unde colligimus quod æstate inter finem matutinarum et primam vix sæpe hora intercederet, vel ad summum hora et media.

Ibid. *Exercitiis spiritualibus.* Ecce expresse notatum tempus ad orationem mentalem et devotas lectiones apud nos semper assignari solitum. Et si plures horæ orationi mentali impendendæ apud nos non assignentur, meminerit lector, vitam boni Carthusiani dictam a nobis supra fuisse, orationem

4. In completorio autem pulsando illud attenditur, ut quando plus differtur cum adhuc legi potest pulsetur. Post cujus finem oratione Dominica ter tantum cum devotione finita, nequaquam ultra differimus accubare.

5. Non enim monemur solum, sed et jubemur, horis ad quietem deputatis dormitioni magnum impendere studium, quo temporibus cæteris alacriter vigilare possimus.

6. Generaliter autem in ecclesia matutinas et vesperas, in cellis vero semper completorium dicimus. Alias enim, nisi festivis diebus, aut vigiliis, aut anniversariis ad ecclesiam non venimus.

CAPITULUM XXX.

De his qui in cella manentibus importune se ingerunt, et de coquinario.

1. Si aliquis importunus ad cellam venerit, vel nutibus, vel, si non intelligit, verbis ad coquinarium eum mittimus; amplius cum illo [*al.* eo], nisi jussi, non loquimur, nec si sit germanus.

2. Coquinarius autem portam servat, advenientibus respondet, eleemosynam petentes ad inferiorem transmittit domum. Domos et universa quæ ad communes usus pertinent custodit. Porro coquinæ terminos, ostium videlicet refectorii, quo ad eam tenditur, nemo nisi jussus transgreditur.

COMMENTARIUS.

mentalem continuam, prout statim amplius probabitur.

Ibid. *A tertia vero usque ad sextam hieme*, etc. Ibi habes tempus operibus manualibus mane assignatum, quæ nunquam ab orationis studio apud nos separari debent, et sic nobis exhibet R. P. Guigo qualiter verba illa Christi possimus et debeamus implere: *Oportet semper orare et non deficere* (*Luc.* XVIII).

Ibid. *Et qua sibi vicinitate in hieme sexta et nona*, etc., *valeant explicari*. Per regularem horam intelligit officium dici, et per duas de S. Maria intelligit sextam et nonam de B. Maria; unde concluditur quod spatium inter sextam æstate erat tantum mediæ circiter horæ: nam ad illa parva officia devote persolvenda mediæ horæ tantum spatio opus est.

Ibid. *Spatium vero quod sextæ nonæque interest*, etc., *quieti deputatur*. Ecce dormitio diurna pro æstatis tempore assignata, de qua jam diximus cap. 7, n. 8.

Ibid. *Et quod nonam vesperasque*, etc., *manualibus*. Hinc patet quod bis in die quolibet tempore operibus manualibus monachi apud nos vacarent, semel mane ut supra dicitur, et semel vespere, inter nonam et vesperas.

Ibid. *A vesperis usque ad completorium spiritualibus*, etc. Ecce adhuc tempus designatur ad orationem et exercitia spiritualia.

Num. 4. *In completorio autem*, etc., *ut quando plus differtur*. Nihil certum ex hoc loco possumus colligere circa horam qua ad completorium pulsabatur æstatis tempore; nam de hieme id potest facile determinari, prout supra diximus, nempe paulo post sextam. Sed inde evidentius probatur ex magna diversitate pulsandi ad completorium, quod vigiliarum nocturnarum ordo longe diversus erat ab eo quem nunc servamus, quia lucente adhuc sole ad completorium pulsamus æstate, hic vero dicitur illos tantum pulsare solitos esse, cum adhuc in libro legi posset, quod nonnisi post solis occubitum accipit. Tempus vero quo plus differtur circa Pascha incidit et eodem modo continuatur usque ad Kalendas Octobris. Quo tempore, scilicet circa Pascha, hora circiter septima adhuc potest in libro legi, et hoc bene concordat cum vigilia, quæ per Regulam S. Benedicti assignatur.

Num. 5. *Non enim monemur solum, sed et jubemur*, etc. Hinc probatum habemus spiritum ordinis a nobis exigere ut nihil ex propria voluntate detrahere attentemus sub quolibet prætextu, subsidiis corporalibus quæ ordo instituit, quod est maximæ discretionis indicium, quam sic necessario servandam esse, circa vitæ solitariæ professores bene dirigendos, proprio experimento sciebant antiqui Patres, ut in hac parte, nec ullum exercitationis aut mortificationis zelum admittere vellent. Quod amplius ex cap. 33 probabitur.

Num. 6. *Generaliter autem in Ecclesia matutinas et vesperas*, etc. De missa nihil habetur in codice impresso; at in vetustissimo codice manuscripto legimus, *matutinas, missam et vesperas*, unde merito credimus mendum esse typographicum. Sed quidquid sit, satis jam de missa in primis capitulis dixerat. Et si missam hic omiserit, potest dici illum de horis tantum canonicis hic loqui voluisse, et sensum illius esse, ut generaliter omnibus diebus matutinæ et vesperæ dicantur in ecclesia, et completorium semper in cellis, quod hodie eodem prorsus modo observatur.

Porro hoc capitulum integre refertur 1 p. antiq. statut. cap. 41, n. 4, 9, 10, 12 et 13.

Cap. XXX. — Num. 1. *Si aliquis importunus*. Hic loquitur de extraneis, qui ad domum Carthusiæ venientes, et claustrum ingressi non reperiunt quem alloquantur, pergunt ad cellulæ januam, qua pulsata venit monachus, qui audita pulsantis petitione, habet hic qualiter se gerere debeat, etiam cum germano fratre.

Ibid. *Nisi jussi*. Hoc est, nisi cum speciali licentia ab eo petita, qui vult nos alloqui, juxta ea quæ jam supra cap. 17, n. 2, diximus.

Num. 2. *Coquinarius*, etc. Coquinarius erat tunc œconomus universalis, et vices procuratoris agens in domo superiori.

3. Quod si ex nostris ad cellam venerit aliquis volens loqui nobis, interrogatur prius, si prior jusserit; aliter ad colloquium non recipitur.

4. Ipsi quoque coquinario in cellis residere et fabulari non licet, nisi quem forte ægrotare contigerit.

CAPITULUM XXXI.

Item de cella.

1. His ita prælibatis, ad cellam redeamus, cujus habitatorem diligenter ac sollicite decet invigilare, ne quas occasiones egrediendi foras, vel machinetur vel recipiat, exceptis his quæ generaliter institutæ sunt; sed potius sicut aquas piscibus, et caulas ovibus, ita suæ saluti et vitæ cellam deputet necessariam. In qua quanto diutius, tanto libentius habitabit, et quam si frequenter et levibus de causis exire insueverit, cito habebit exosam. Et ideo statutis ad hoc horis petenda jubetur petere, et accepta tota diligentia custodire.

2. Quod si qualibet vel sua vel alterius negligentia, pane, vino, aqua, igneve caruerit, vel insolitum strepitum aut clamorem audierit, vel periculum ignis exstiterit [*al.* institerit], licebit exire, et subsidium præstare vel petere, et si periculi magnitudo poposcerit, silentium etiam solvere.

3. Soli enim degentes signa cœnobiorum, aut nulla aut pauca novimus, sufficere putantes linguam solam, non etiam cæteros artus reatibus implicare loquendi. Et ideo si tanta necessitas urget, uno vel duobus, aut certe pauciasimis verbis quod res postulat maluimus [*al.* malumus] indicari.

CAPITULUM XXXII.

De fratribus qui in aliquo opere occupantur.

Cum aliqui ex monachis, emendandis vel ligandis libris, vel alicui tali operi mancipantur, ipsi quidem loquuntur ad invicem, cum supervenientibus vero nequaquam, nisi priore præsente aut jubente.

COMMENTARIUS.

Num. 3. *Quod si ex nostris*, etc., *interrogatur, si prior jusserit*, etc. Inde evidens est quod monachi se etiam aliquando visitarent cum prioris licentia. Id semper intelligendum est, quoties R. Pater Guigo verbo *jussionis* utitur.

Num. 4. *Residere et fabulari*, etc., *nisi quem forte ægrotare*, etc. Coquinarius ergo ille, qui tunc procuratoris vices gerebat in domo superiori, habebat licentiam, sicut et nunc habet procurator, ad ostium cellæ pauca verba loquendi, et forsitan tunc etiam intrandi cellam, ratione supellectilis coquinariæ ordinandæ, quia tunc monachi singuli coquinam sibi faciebant eo modo qui supra, cap. 28, exprimitur, sed non ibi residendi aut fabulandi : quo fabulationis verbo indicantur verba ultra necessitatem prolata. Tempore vero quo ægrotabant monachi, coquinarius poterat libere cellam ægroti intrare, et illi conveniens auxilium præstare.

Totum hoc capitulum relatum habetur in antiquis statutis II part., cap. 17, n. 5, et item III part., cap. 10, n. 1. Eadem prorsus nunc observantur etiam rigidiori modo, quia extra casum infirmitatis coquinarius nunquam ingreditur cellas monachorum, absque speciali licentia.

Cap. XXXI. — Nihil nobis addendum est verbis R. P. Guigonis, qui diserte et paucis verbis exprimit quid vitæ solitariæ professor observare debeat, si velit bonos habitus sibi formare, ut pacifice et quiete vitam transigat in statu suo.

Num. 1. *Exceptis his quæ generaliter institutæ sunt.* Semper inducit piissimus et expertissimus vitæ solitariæ professor, unde à mente solitariorum abigat indiscretas singularitates, et excessus eliminet, propter causas de quibus agemus infra cap. 35.

Ibid. *Statutis ad hoc horis petenda*, etc. Hinc patet quod non tantum festis diebus in colloquio possent necessaria petere a coquinario, sed etiam quando id necessitas postulabat, certis tamen horis.

Num. 2. *Quod si qualibet*, etc., *pane, vino*, etc. Hic adimit omnem scrupuli occasionem, exprimendo quod per cellæ et silentii indictam custodiam non ideo privatur Carthusianus libertate egrediendi, et etiam loquendi, quando id exigit justa ratio aut necessitas, qualis hic exprimitur. Ex pane autem hic notato, et libertate petendi panem cum deficit, innuitur tortam illam panis, quæ supra cap. 7, n. 10, dari memoratur singulis monachis, tanquam Christi mendicis, post refectorium, datam non fuisse pro tota hebdomada, sed donec consumpto pane illo, alius ministraretur, diebus infra hebdomadam statutis.

Num. 3. *Soli degentes signa cœnobiorum.* Inde innotescit quantum primi Patres amarent simplicitatem et sinceritatem, quantumque utrasque nobis transferre vellent, nolendo uti alia re ad sensum suum exprimendum, quando necessitas id exigebat, quam eo membro, quod ad id a Deo destinatum est et repellendo ea omnia, quibus fallendi nasci posset occasio, et a nostri Instituti Proposito sensim aberrandi. Nam sicut videmus mutos per nutus miscere colloquia, ita etiam silentio addicti idem addiscere, et exsequi possent, si ablata loquendi libertate, signorum usus fuisset introductus, et passim permissus.

Totum hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis II part., cap. 17, n. 1 et sequentibus.

Cap. XXXII. — Ex hoc capitulo evidenter apparet quod non tantum primis Carthusianis licitum esset nonnunquam se invicem visitare, quando prior ex rationabili causa id permittebat, sed quod non raro plures monachi simul convenirent ad aliquod opus

CAPITULUM XXXIII.

De jejuniis atque cibis.

1. Nunc de jejuniis cibisque dicendum est. Secunda, quarta, sextaque feria, pane, et aqua, et sale, si cui placet, contenti sumus.

2. Tertia, quinta et Sabbato legumina, vel aliquid hujusmodi ipsi nobis coquimus, a coquinario vinum, et in quinta feria caseum, vel aliquid cibi lautioris accipientes.

3. Ab Idibus Septembris usque ad Pascha, exceptis solemnitatibus, non nisi semel in die manducamus.

4. A Pascha autem usque ad prædictum terminum, tertia, et quinta feria, nec non et Sabbato iterato reficimus.

5. Ad cœnam, vel ad prandium, cum semel edimus, herbas crudas, vel fructus, si adsint, accipimus. Quæ retinentes quandiu sufficiunt, alia ejusdem dunta xat generis non accipimus. De caseo namque seu piscibus aut ovis, vel si quid ejusmodi, quæ pitantias vocamus, semel sumimus, quod superest reddimus.

6. Vinum nonnisi in prandio vel cœna potamus.

COMMENTARIUS.

sibi a priore commissum perficiendum, et sic convenientes, soluta tunc silentii lege, inter se libere loqui possent, sed non cum supervenientibus, nisi priore præsente aut permittente.

Idem de verbo ad verbum refertur in antiquis statutis II part., cap. 18, n. 2. Et nunc etiam eodem prorsus modo præscribitur et servatur.

Cap. XXXIII. — Num. 1. *Secunda, quarta sextaque feria*, etc. Subaudiendum est, nisi in ipsis diebus occurreret festum capituli. Id per cap. 52 evidenter apparet, ubi fratres ipsa etiam feria sexta, quæ vulgariter dies Veneris dicitur, ex superveniente festo ab abstinentia servanda eximuntur, quamvis illam semel tantum in hebdomada servarent. Hic autem exprimitur, quæ et quales essent abstinentiæ illæ, quas initio ordinis a nostris observatas fuisse constat, circa quas a quibusdam nunc de relaxatione arguimur, quia non eodem modo servantur. Sed antequam rationem de hac re suis locis reddamus, et probemus non ideo institutum Carthusianum ullo modo fuisse relaxatum, cum ista observantia non absolute, sed semper sub conditione fuerit introducta et observata in ordine : Notet lector conditionem illam esse expresse declaratam in sequenti capitulo 35, ubi dicitur : *Sed et si cui pitantiam aliquam, seu cibi, seu somni, vel alterius cujuslibet rei facere*, id est præstare, *prior voluerit, repugnare fas non habemus*, etc. Ex quibus verbis luce clarius patet istas abstinentias ab omnibus et a singularibus personis, tantum tunc fuisse servandas et servatas, quando et quandiu posse et convenire prior judicaret, absque sanitatis illarum detrimento. Dico, *sanitatis*, quia superflua prorsus et inutilis fuisset ista conditio, si sanitatis corporalis nulla fuisset habenda ratio, et in hoc elucet magna discretio, quam veluti instituti sui basim posuerunt primi Carthusiani, cavere volentes, ne ex nimia austeritatibus corporalibus adhærentia, plures e suis in via solitariæ vitæ deficerent, sicut jam evenisse sciebant antiquis quibusdam anachoretis et aliis. Quæ discretio mirum in modum profuit ad servandum ordinem in suo vigore.

Num. 2. *Tertia, quinta, et Sabbato legumina, vel aliquid hujusmodi ipsi nobis coquimus*, etc. Hic refricanda est memoria eorum quæ jam cap. 7 diximus circa coquinam illam, quam sibi ipsis faciebant singuli monachi in cellula, ad quam faciendam ordinate ministratur illis a coquinario provisio quarumdam rerum comestibilium, quas apud se servabant, ut inferius dicetur, donec deficerent, et tunc novas peterent et acciperent. Et adverte quod nulla huc usque sit mentio de pitantia, et per verba illa, *aliquid hujusmodi*, non possumus certo scire quid hoc esset, quod etiam sibi coquere possent.

Ibid. *A coquinario vinum*, etc. *In quinta feria caseum vel aliquid cibi lautioris*, etc. Ecce apparere incipit quod feria quinta portio casei, ultra solitum ordinate ministraretur, vel aliquid cibi lautioris, sed nondum hic fit mentio ovorum et piscium, quamvis etiam dici possit quod per aliquid cibi lautioris idipsum indicaretur.

Num. 3. *Ab Idibus Septembris*, etc., *exceptis solemnitatibus, nonnisi semel*, etc. Per solemnitates intelligi debent festa capituli, hoc enim verbo utitur R. P. Guigo, etiam de festis duodecim lectionum loquens, prout ex cap. 4, n. 13, probatur. Hic vero designatur tempus quo jejunium ordinis servatur, quod semper fuit et est eodem tempore observatum.

Num. 4. *A Pascha autem*, etc., *tertia et quinta feria, necnon Sabbato iterato reficimus*. Id est non tantum prandium sed et cœnam sumimus, unde et hi dies vocantur apud nos, dies binæ refectionis.

Num. 5. *Ad cœnam vel prandium, cum semel edimus, herbas crudas, vel fructus si adsint accipimus. Quæ retinentes*, etc. Ex hoc loco non est intelligendum quod diebus jejunii ordinis ad prandium cum semel ederent, herbis tantum crudis vel fructibus, si adessent, uterentur; contrarium enim evidenter apparet n. 2, ubi dicitur quod sibimet legumina coquerent : sed tantum id significat quod herbis crudis, id est oleribus quorum provisio illis dabatur, vel fructibus quando habebant, tunc libere uti illis licitum esset, quæ ideo apud se servare poterant quandiu durabant; id autem exprimitur ad distinctionem rerum comestibilium quas in cella servare poterant, et esculentorum quæ sumpta refectione reddere debebant, de quibus subditur.

Ibid. *De caseo namque, seu piscibus aut ovis, aut si quid hujusmodi quæ pitantias vocamus*. Hic aperte exprimitur quod non tantum caseo, sed et piscibus

7. Quod panis et vini superest, Sabbato redditur. Quando in refectorio reficimus, caseus, vel aliqua talis pitantia, oleribus vel leguminibus superadditur, et in cœna, vel fructus vel herbæ crudæ, si adfuerint apponuntur.

8. In Adventu nec ovis nec caseo vescimur.

CAPITULUM XXXIV.

De mensura vini et casei.

1. Mensura vini sive in cellis sive in refectorio eadem perseverat, eodemque modo temperatur.

2. Nam puro [*al.* puro namque] non utimur.

3. Panis, quamvis de tritico, torta [*al.* tamen torta] est, album enim panem non facimus.

COMMENTARIUS.

et ovis, aliisque hujusmodi ad victum uterentur, et inde componeretur portio cibi singulis monachis ministrandi, quam *pitantiam*, et aliquando pulmentum vocabant. Quibus autem diebus ministraretur talis pitantia? Certum est quod diebus Dominicis et festis in refectorio daretur; itemque feria quinta, ut ex n. 2 præsentis capituli conjicitur, sed et aliis etiam diebus juxta domus facultates, et prioris ordinationem, nonnunquam ministrari perspicuum erit ex sequentibus, exceptis tantum diebus abstinentiæ deputatis.

Num. 5. *Semel sumimus, quod superest reddimus.* Id est, quod sumpta refectione ex pitantia sibi ministrata, non poterant monachi ex illa aliquid reservare, vel in cœnam, vel in crastinum, sed quod residuum erat, debebant in fenestella reponere, a coquinario resumendum, prout semper in ordine fuit et est observatum.

Ex his autem verbis liquido constat quod non tantum diebus festis, sed etiam ferialibus pitantias a coquinario acciperent; non enim possunt applicari diebus festivis, quibus in refectorio comedebant, quia ibi pitantia illis ministrabatur, et finito prandio residuum a ministrantibus resumebatur, ut mensa esset vacua, quando lectori refectorii signum dabatur ut lectioni finem imponeret, superfluum fuisset de pitantiis in refectorio ministratis dicere, *semel sumimus, quod superest reddimus.* Id enim in comedentis libertate non erat, quando in refectorio comedebat, necesse ergo est ut id pitantiis in cella ministratis applicetur.

Num. 6. *Vinum nonnisi in prandio vel cœna potamus.* Id significat quod extra prandium et cœnam ordinate vinum bibere non debeamus. Sed inde apparet quod primi Carthusiani, exceptis diebus abstinentiæ deputatis, vino in refectione mane et vespere communiter uterentur.

Num. 7. *Quod panis et vini superest, Sabbato redditur.* Ibi videtur quod etiam ex vino sibi ministrato, aliquid in cella servare possent, quod tamen Sabbato reddere debebant, sicut et residuum panis ministrati. Vinum autem in cella sic servare nobis nunc non licet.

Ibid. *Quando in refectorio reficimus, caseus,* etc., *oleribus vel leguminibus superadditur.* Inde apparet quod bina fercula in refectorio ministrarentur. Illud nempe quod pitantiam vocabant, et insuper legumina aut olera.

Totum autem hoc capitulum relatum habetur in

A antiquis statutis II part., cap. 14, nu. 5, 6, 9, 10, 11, 13, 17 et 19. Et ut ex hujus capituli recta intelligentia via pateat ad plura alia recte intelligenda, quæ in Consuetudinibus R. P. Guigonis passim occurrunt, et errandi occasio tollatur, illius capituli elenchum hic addimus. Ex hoc ergo capitulo ista eruuntur: 1. Primi Patres recipiebant a coquinario provisionem leguminum, id est fabarum, pisorum, etc. Itemque olerum, quæ sibi coquebant, atque etiam fructuum, et hæc apud se servabant, donec consumpta essent, quibus consumptis alia petebant et recipiebant. 2. Vinum et panem recipiebant, et servare in cellula poterant usque ad Sabbatum, vinoque tum in prandio tum in cœna utebantur, exceptis diebus abstinentiæ deputatis. 3. Ultra ea B quæ sibi in cella coquebant, statutis diebus pitantiam a coquinario recipiebant, ex qua nihil in sequentem refectionem reservare sibi poterant, subaudi semper sine prioris licentia; et hæc pitantia ex caseo, ovis, vel piscibus, aut aliqua re hujusmodi constabat. 4. Diebus refectorii, pitantiæ legumina in prandio addebantur. 5. A festo Exaltationis S. crucis usque ad Pascha, jejunium, quod vocamus *ordinis*, servabant, et illud vocatur jejunium non præcipuum, quod procuratori et aliquando priori in gratiam hospitum frangere permittebatur. Præcipuum vero dicebatur, quod ex præcepto Ecclesiæ erat servandum. 6. A festo Paschæ usque ad festum Exaltationis S. crucis, binam refectionem sumebant, id est prandium et cœnam, exceptis diebus C abstinentiæ vel jejunio deputatis.

Plura adhuc de hac re dicenda occurrent sub capitulo 52.

Cap. XXXIV. — Num. 1. *Mensura vini.* Nulla ergo fiebat distinctio inter dies festos et alios circa vini mensuram, cum semper æqualis esset. Additur in novis statutis prohibitio et pœnitentia ei e nostris qui purum biberet vinum.

Num. 3. *Panis quamvis de tritico torta est, album enim panem,* etc. Per *tortam* intelligit panem subrufum, qualis adhuc fit in ordine, idemque nomen tortæ retinet, et semper ministratur monachis simul cum parvo pane albo eadem quantitas tortæ, ut sic media pars panis, qui nobis ministratur, torta sit, D et alia panis albus. A plerisque autem nostrum, hæc torta præfertur pani albo, quia certe plus sapit. Sed quia albus levior est, et stomachum minus gravat, hac de causa usus ejus in ordine introductus

4. Caseus eodem, tam in cellis quam in refectorio pondere datur.

CAPITULUM XXXV.

Quod nulli liceat majora exercitia favere, nisi favente priore.

1. Abstinentias vero, vel disciplinas, vel vigilias, seu quælibet alia religionis exercitia, quæ nostræ institutionis non sunt, nulli nostrum, nisi priore sciente et favente, facere licet.

2. Sed et si cui pitantiam aliquam seu cibi seu somni vel alterius cujuslibet rei facere, aut durum et grave aliquid imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne cum ei restiterimus, non ei sed Domino, cujus erga nos agit vices, restitisse inveniamur.

3. Licet enim multa sint et diversa quæ observamus, uno tamen et solo obedientiæ bono, cuncta nobis fructuosa futura speramus.

COMMENTARIUS.

est et inolevit, ut portio panis albi simul cum torta A monachis ministraretur.

Ex hac autem sollicitudine advehendi triticum in istas rupes Carthusiæ, unde panis monachis conficeretur, evidenter apparet quam discrete omnia disponenda esse docuisset alumnos suos S. Bruno institutor noster, ut perseveranter possent illæsa sanitate in suo proposito servire Deo, et æquali passu in sui instituti praxi semper incedere, atque cavere ne illis eveniret, quod pluribus evenisse sciebat, qui extremitatibus gaudentes rigidas abstinentias quidem suscipiebant et aliquo tempore pertinaciter exercebant, sed postea læsa inde corporis valetudine, ad omnes sensim observantias inhabiles reddebantur, et deinceps non solum ad exercitia spiritualia relinquenda, sed etiam ad corpus studiose fovendum et hutriendum compellebantur. His ergo inæqualitatibus aditum occludere volens, de bono pane triticeo voluit suis provideri. Triticum autem non fert eremus Carthusiæ sicut nec vinum. Accessus rupium erat tunc valde difficilis et dorsis tantum animalium, vel solis hominum humeris ex aliqua parte, poterat huc afferri. Triticum et vinum magno pretio constabant; at nihilominus panem ex tritico voluit monachis confici, quo semper uterentur, vinumque semper ministrari. Sciens enim bonum panem, vinum, et ova esse apud nos præcipuam materiam unde sustentemur et firmam valetudinem servemus, hæc nostris ministrari præscripsit. Legimus quidem pro solis infirmis pisces emi solitos fuisse, at de ovis nihil tale scriptum est.

Num. 4. *Caseus tam in cellis*, etc. Inde apparet bene ordinata stabilitas et conveniens proportio, quam ubique a nobis servari volebat, rejectis singularitatibus, id est rebus ex propria voluntate susceptis, et non ex superioris licentia aut præscripto, quas sciebat a vitæ solitariæ professoribus magno studio esse proscribendas. Ex illis enim non raro nascitur quoddam vanitatis supercilium, aut pacis turbatio; ex sequenti autem capitulo evidentius apparebit, quanta circumspectione primi S. Patris nostri Brunonis successores voluntarias singularitates et indiscretiones a suis vellent eliminare, et qualiter in sola obedientia rerum Carthusianarum summam et instituti nostri rationem ponerent.

Totum hoc capitulum in antiquis statutis refertur parte II, cap. 14, nn. 15, 16 et 18.

Cap. XXXV. — Ex his R. P. Guigonis verbis innotescit quod obedientia Carthusiana a primævo instituto in illa est apud nos existimatione, et talis esse debet, ut præter eam nihil proficuum aut validum reputetur in ordine, ipsaque censeatur veluti *cor* instituti Carthusiani.

Hoc autem capitulum non solum in antiquis statutis relatum habetur II part., cap. 14, nn. 25, 27 et 28, sed etiam in novam statutorum collectionem idem de verbo ad verbum translatum est. Et nemo inter Carthusianos numeratur, qui vota sua non emiserit sciens et volens, relative ad verba in hoc statuto contenta. Ex his autem verbis liquet.

Primo, monachum Carthusianum per professionem suæ obedientiæ, abrenuntiasse etiam quibusdam B operibus pietatis, quæ aggredi non potest, nisi priore sciente et favente; quod maximæ prudentiæ est, ut solitariis auferatur occasio incidendi in graves indiscretiones, quibus præ cæteris statibus obnoxius esset solitariorum status, nisi obedientiæ regimine duceretur.

Secundo, paratum esse debere ad recipiendum indulgenter a superiore levamina quædam in cibo, potu, somno præter statutum; quod etiam veræ discretionis est, ut ex superioris judicio sanitatis solitariorum cura pendeat, et a solitario monacho omnis obstinationis in proprio judicio, et indiscretionis occasio amoveatur; status enim ille, ut jam dictum est, discretione indiget, ut in eo cum sanitate et alacritate absque interruptione aut relaxa- C tione Deo jugiter serviatur.

Tertio, illum similiter ad obediendum teneri in duris et gravibus præter statutum, quæ ei a superiore injunguntur. Unde patet Carthusianum ex vi professionis suæ voluntatem propriam sic obedientiæ virtuti subjecisse, ut eam Deo obtulerit, æstimandam *sicut ovis occisionis*.

Quarto, hanc vim obedientiæ in eo statu monachum Carthusianum constituere, ut in persona superioris Deum ipsum considerare debeat.

Quinto et postremo sensum ordinis et spiritum instituti Carthusiani in obedientia sic consistere, ut ex illa sola observantias Carthusianas vim meriti assumere, et extra eam nullius meriti esse, pro certo habendum sit. D

Inde factum est ut qui formam celebrandi capitulum generale instituerunt, R. Patris Guigonis et

CAPITULUM XXXVI.

De hospitibus suscipiendis.

1. Pro episcopis et abbatibus et cunctis in religioso habitu constitutis (tales enim a priore ad mensam suscipiuntur), si tali hora venerint, jejunium ab eodem, nisi sit [*al.*, fuerit] præcipuum, solvitur; non enim vel gyrovagi, vel a religione refugæ, vel personæ laicæ ad ejus mensam suscipi consueverunt.

2. Episcopi autem et abbates etiam sedem prioris tam in ecclesia quam in cæteris tenent locis. Sed episcopi benedictiones etiam dant; abbates sola sedis honorificentia sunt contenti; benedictiones autem juxta morem sacerdos hebdomadarius tribuit.

3. Quos, id est episcopos et abbates, cum veniunt inclinati et usque ad terram flexis genibus, cæteros autem reverenter tantum supplicantes osculamur.

4. In superiori autem domo non nisi religiosi hospites jacere consueverunt. Et quoniam de priore sermo se intulit, addendum est qualem se in susceptæ domus negotiis soleat exhibere.

COMMENTARIUS.

primorum Patrum vestigiis inhærentes, ibi expresse notaverint formam et circumspectionem, quæ servanda esset quando capitulum generale in aliqua re rigorem ordinis minuendum esse censeret; servata etiam similiter libertate observantiis antiquis aliquid novi et durioris addendi, quod ad finem instituti nostri consequendum magis conducere, pensata temporum personarum et experientiarum ratione, sibi videretur. Quod eodem modo huc usque observatum esse suis locis probabitur; sicque nec a mente nec a littera in hoc cap. 35 per R. P. Guigonem expressa, capitulum generale ordinis, atque ideo ordinis corpus aberrasse, cuique cordato pacifice et in spiritu charitatis res pensare volenti perspicuum erit.

A

Cap. XXXVI. — Num. 1. *Pro episcopis et abbatibus cunctis*, etc. Jam cap. 18 fuerat expressum qualiter et quam benigne hospites essent a procuratore suscipiendi. Nunc vero R. P. Guigo declarat quomodo a priore suscipi debeant, qui etiam hospitalitatis gratia jejunium ordinis frangit, et ad mensam non tantum episcopos et abbates, sed et cunctos in religioso habitu constitutos recipere debet. Quod nunc temperatius exercetur, ne ex necessitate toties suscipiendi hospites, ipse prior a sui officii muniis retrahatur. Unde in modernis statutis id limitatur ad hospites, quibus id commode negari non potest, et insuper additur : *Quanto rarius, tanto melius.* Quantum enim temporis insumitur in similibus, quod alibi fructuosius impenderetur? Quot superflua verba proferuntur? Res ipsa loquitur.

Ibid. *Non enim gyrovagi*, etc., *vel personæ laicæ*, etc., *consueverunt*, etc. Non absolute dicitur quod laici ad ejus mensam prorsus non suscipiantur, sed tantum dicitur quod non sit consuetum eos ibi recipere, sicut recipiuntur alii qui in religioso habitu sunt constituti, qui cuncti suscipiuntur, laici vero non, nisi illius qualitatis sint cui id negari non possit, et in hoc convenit sensus R. P. Guigonis cum modernis statutis ubi dicitur, cap. 3, II part., n. 31 : *Prior in domo sua cum hospitibus advenientibus non debet passim et indifferenter comedere, sed tantum cum honestis personis et talibus, quibus hoc commode negari non poterit; et tunc etiam quanto rarius, tanto melius.* Temporum etiam rationi ex aliqua parte debet imputari ista mutatio, quæ est in melius facta, dummodo res intra metas mentis statutorum semper contineatur.

B

Num. 2. *Episcopi autem et abbates*, etc. Inde edocemur quantum distare debeamus ab omni specie jurgiorum, quæ non raro nascuntur hodie pro gradibus servandis. Videmus enim quod in omnibus episcopis dignitatem characteris indistincte honoraverint primi Patres nostri, servata tamen semper singulari reverentia pro episcopo diœcesano. Ab hoc ergo spiritu nunquam aberrare debemus; *cui honorem, honorem* superabundanter potius quam parce reddendo, ut in hoc cognoscant omnes, quod simus primorum Carthusianorum discipuli, humilitatem animi, humanitatem conversationis, hospitalitatem ac sinceram dilectionem in omnibus exhibendo.

Ibid. *Benedictiones autem juxta morem sacerdos hebdomadarius tribuit.* Hic locus confirmat quod jam diximus de frequenti apud nos missarum conventualium celebratione, cum expressa fiat mentio sacerdotis hebdomadarii. Unde raritas illa missarum, de qua loquitur R. P. Guigo in quibusdam locis, longe aliter intelligenda est quam quidam censuerunt.

Num. 3. *Quos, id est episcopos*, etc. Habemus hic qualiter humilitatis spiritum, quo intus abundare debemus, etiam exterius in actum reducere debeamus; nec unquam apud nos admittere quidquid sæcularis fastus aut supercilii tenuem habet umbram. *Supplicantes*, id significat apud nos inclinationem corporis, qua salutationes facimus, imo ea utimur in ecclesia loco genuflexionis. *Osculamur;* inde evidens est quod forma salutandi in osculo sancto, prout dicit Apostolus, apud nos semper fuerit in usu; sed hac forma salutandi utendum tantum est, habita ratione personarum et decentiæ, temporum et regionum.

C

Num. 4. *In superiori autem domo nonnisi religiosi*, etc. Ibi ergo tantum pernoctabant, qui ad mensam a priore debebant suscipi, in chorum ingredi, et ad colloquium admitti cum monachis; nam simul ista conjungi videmus ex hoc loco et ex capitulo decimo.

Porro totum hoc capitulum refertur in antiquis statutis part. II, cap. 9, nn. 27, 3, 2 et 28.

CAPITULUM XXXVII.

De tractando consilio.

1. Si quid igitur magnum vel grave tractandum fuerit, prior omnes in unum monachos præcipit convenire. Ibique cum omnes quid sentiant libere pronuntiaverint, quod melius rectiusque existimat, sine ulla personarum acceptione, exsequitur.

2. Et hoc omnino tanquam utilissimum rectissimumque servatur, ut nemo vel alterius, vel suam contentiose præsumat defensare sententiam; ne bonum, quod absit! consilii in discordiam furoremque vertatur.

3. In levioribus vero rebus et magis consuetis suo tantum et maturiorum est contentus consilio.

4. Qui ne forte temporalium cura rerum, ac sollicitudine prægravatus, spiritualibus minus possit intendere, tales singulis obedientiis fratres satagit deputare, quorum eas fidei secure valeat credere.

CAPITULUM XXXVIII.

De cura infirmorum.

1. Qui cum erga omnes, præcipue erga infirmos ac debiles atque in tentationibus positos, sollicitum, benignum atque misericordem debere se noverit existere: *Non enim*, secundum sententiam Domini, *sanis est opus medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12): qui tamen et ipsi secundum B. Benedicti dicta, ne superflua vel impossibilia petendo, vel forte murmurando servientes sibi contristent, diligentius admonentur attendere, et ut memores arrepti propositi, ut sanos a sanis, ita ægrotos ab ægrotis sæcularibus debere cogitent discrepare, nec illa in eremis, quæ vix in urbibus inveniantur, exposcere.

2. Isti igitur Christi passiones, illi suadentur attendere miserationes. Hinc isti fortes ad ferendum, illi prompti ad subveniendum; dumque propter Christum et isti sibi serviri, et illi servire considerant, nec isti superbiunt, nec illi deficiunt, ab eodem utrique Domino mercedem sui præstolantes officii, isti patiendi, illi miserendi.

COMMENTARIUS.

Cap. XXXVII. — Hoc capitulum totum refertur in antiquis statutis II part., cap. 7, n. 1, et adhuc enucleatius exprimitur in modernis statutis.

Ex hoc autem capitulo apparet quod antiquitus apud nos, nulla habita rerum distinctione nec suffragiorum quantitate, cum omnes libere pronuntiassent quid sentirent, prior quod melius rectiusque existimabat, sine personarum acceptione, exsequebatur. Rationem subdit R. P. Guigo cur res ita ab eis observaretur. Sed quia jus ecclesiasticum plura deinde instituit circa novitiorum receptionem et alia similia, quæ observare ordo debuit, inde factum est ut in statutis aliqua addita fuerint, quæ in certis rebus priorem ad accipienda ex necessitate et sequenda suffragia monachorum adigunt.

Num. 4. *Qui ne forte temporalium cura rerum*, etc. Inde evidens est quod cura temporalium tunc temporis pertinebat ad priorem, qui ideo monetur singulis obedientiis, id est coquinæ, portæ pontis, agriculturæ, etc., ut ex infra dicendis patebit, tales fratres præponere, ex quorum sedulitate et industria posset illius sollicitudo minui et temperari. Ex antiquis statutis id liquidius constabit, et quod computa, id est rationes receptorum expensorum, ipse prior scriberet et redderet.

Ex hoc autem loco via aperitur ad recte intelligendum quid sibi velint statuta antiqua et capitula generalia, quando officialibus succensere videntur. Non de clericis sive monachis agitur, e quorum numero assumebatur tantum unus procurator, qui nunquam terminos egrediebatur, sed de conversis, qui a primævo instituto, ut in istis consuetudinibus videbitur, foras ex necessitate egrediebantur.

CAP. XXXVIII. — Num. 1. *Qui cum erga omnes.* A Hic apparet forma humanitatis, discretionis et charitatis, quæ juxta casuum indigentiam a prioribus apud nos semper debet servari, maxime erga ægrotos, et id suadet ratio. Cum enim solitarius opus habeat occupatione tum spirituali tum corporali ad tempus utiliter in solitudine transigendum, et ideo seipso, ut ita loquar, uti debeat, idque præstare non plene valeat dum ægrotat: tunc ergo per providentiam pastoralem prioris id debet suppleri, tam per se quam per alios. Qui si in aliis debet agere ut pater, in casibus hic expressis se gerere debet ut mater, et factis probare quod, si cœli stellas posset advehere ad auxilium præstandum afflicto ægroto in lecto jacenti, id libentissime faceret. Ecce qualis debet esse affectus charitatis in priore, et quid ab eo B requirit R. P. Guigo, qui fere oblivisci videtur austeritatis Carthusianæ, dum de infirmorum cura agitur. Sed tum ipse prior tum ægrotus subditus debent semper arrepti a nobis propositi rationem habere et a virtutis Christi praxi nunquam discedere; quod optime statim explicat.

Ibid. *Qui tamen et ipsi*, etc. Hic blande inducit ægrotos ad quædam vitanda, nempe ut superflua et impossibilia non petant, nec murmurando servientes sibi contristent, ut illa demum in eremis non exposcant, quæ vix in urbibus reperiuntur; ad quem finem illis utitur verbis; *ut sanos a sanis, ita ægrotos ab ægrotis sæcularibus discrepare debere cogitent.* Inde evidens est quantum distet mens R. Patris Guigonis a sensu illorum qui vellent ejus auC ctoritate uti ad probandum durum et quasi inflexibilem modum agendi, etiam circa monachos ægrotos, esse servandum. Hoc enim semper a Carthusiano spiritu et usu alienum fuit. Porro nihil religiosius

3. Propter hos solos, si tanta fuerit ægritudo, pisces emere solemus.

CAPITULUM XXXIX.

De minutione.

1. Medicinis autem, excepto cauterio et sanguinis minutione, perraro utimur. Minuimur autem in anno quinquies. Post Octavas Paschæ, post solemnitatem apostolorum Petri et Pauli, secunda hebdomada Septembris, septimana ante Adventum et hebdomada ante Quinquagesimam. In quo tempore, minutionis scilicet, per tres continuos dies bis reficimus, aliquid cibi melioris accipientes.

COMMENTARIUS.

et disertius potest scribi, quam quæ hic dicit vir sanctus, circa modum agendi, tum a prioribus, tum ab ægrotis nostris servandum.

Num. 3. *Propter hos solos*, etc. *Pisces emere solemus*. Non inde concludendum est quod pisces tantum comederent primi patres nostri, quando ægrotarent. Idenim falsum esse convincitur ex cap. 33, aut quod piscibus tantum vescerentur, cum eis ab extraneis darentur. Sed sciendum est intra eremum Carthusiæ torrentem fluere qui optimos fert pisces, et in ea abundantia, quæ certe tunc temporis pro parvo conventu communiter sufficiebat. Sensus ergo auctoris est, quod eo tantum casu pisces emere solerent, id est pro ægrotis, quando vel ex proprio torrente obvios (nam certis temporibus impossibile est piscari), vel ex vicinorum charitate oblatos non haberent. Nihil simile dicit de ovis.

Totum autem hoc capitulum refertur in antiquis statutis, parte prim. cap. 44, nn. 1 et 4.

CAP. XXXIX.—Num. 1. *Medicinis... perraro*, etc. Subaudi extra tempus ægritudinis, nam tunc medicorum ordinationi standum est.

Ibid. *Minuimur in anno quinquies*, etc. Hunc locum miramur omnes : nam id tantum ad servandam firmam valetudinem tunc a nostris adhibitum fuisse pro certo habemus. Et ex hoc capitulo satis probatur; nam in cibo, somno et aliis rebus sibi magis indulgere videntur; quod certe ridiculum esset, si ex spiritu mortificationis ex una parte sic se minui sanguine per venæ apertionem certis temporibus curassent, et ex alia quædam corporalia commoda extra communem regulam procurassent. Si autem tale quid istis temporibus attentaremus, omnes fere monachos in brevi necaremus, imo magna cautione opus nobis est, ut vel semel aut bis in anno alicujus monachi venam absque infirmitatis necessitate nunc aperiri sinamus.

Ex hac ergo necessitate, quæ sensim sese protulit, abstinendi ab hac vicissitudine minuendi monachos, probatum habemus vires corporum veluti senescente mundo imminutas esse, et longe minores nunc esse quam tunc erant; sicque vera ad litteram esse verba illa D. Gregorii, qui robur corporum sui temporis cum antiquis conferens, et mundum etiam senescere ac deficere probare volens, ita loquitur : *Mundus in annis prioribus velut in juventute viguit, ad propagandum humani generis sobolem robustus fuit; salute corporum viridis, opulentia rerum pinguis. At nunc ipsa sua senectute deprimitur, et quasi ad vicinam mortem, molestiis crebrescentibus urgetur.* Proceritatis etiam corporum diversitas potest in testimonium adduci. Ossa primorum Patrum cum veneratione in quodam sacello, sub quo est cavea, servamus, quæ si cum nostris comparentur, nos adolescentium, illi vero virorum perfectorum ossa habuisse evidens est, in comparatione nostrorum.

Unde ergo ista virium corporalium diminutio, quæ tantæ erant, ut primi Patres sanguinis emissionem quinquies in anno faciendam sibi præscriberent, absque periculo diminutionis virium? Nos vero vix semel in anno id audemus permittere, absque causa, experimentis edocti de necessitate abstinendi a minutione sanguinis, qua vires nostrorum enervantur, ita ut, si id permittatur, deficiant, et in infirmitates habituales non raro incidant, quibus tandem ad observantias ordinis inhabiles, et nonnulli inutiles personæ efficiuntur? Id ex tribus causis evenisse persuasum habeo; quarum :

Primam ex natura simul cum mundo sensim sensim procedere credo.

Secundam, quæ præcipua mihi videtur, ex usu sensim introducto, aucto, et quotidie crescente delicatius vivendi et pueros educandi in sæculo, provenisse arbitror; ex qua delicatiori vivendi et pueros educandi consuetudine variæ necessitates suborta sunt. Modus enim enutriendi corpora, ex consuetudine in habitum, et ex habitu in necessitatem versus est, et inde factum est ut corpora nostra, quæ, antequam ad ordinem adduceremus, in sæculo per viginti ad minus annos fuerant delicatius nutrita et istis necessitatibus assueta, jam communiter non valeant ea ferre quæ antiquorum Carthusianorum corpora ferre facile valebant, prout sunt abstinentiæ illæ in pane et aqua, de quibus suis locis dicemus. Has nedum permittere nunc vix audemus, sed quibusdam etiam petentibus negare, imo prohibere coginur, adeo experientia edocti sumus quid istæ abstinentiæ efficerent his temporibus in plerorumque solitariorum corporibus, si in pane et aqua servarentur. Quod supra diximus probatur in rusticis, quorum pueri in pane et aqua et caseo enutriti longe robustiores sunt quam honestorum urbicorum filii, et plura ferunt et faciunt quam isti. Cur autem monachi Carthusiani juniores, ad eumdem vivendi modum, qui rusticis ordinarius est, per dissuetudinem vivendi prout in sæculo vivebant, devenire nequeunt? Ad hoc respondemus medium et modum constitui debere in rebus, ultra quod progredi vitiosum est.

Juvenes ad nos ex sæculo venientes in magnam

2. Primaque die, ne quid adversi ex minutionis occasione contingat, ad colloquium refecti convenimus; post prandium etiam vinum bibendi licentiam habemus, non tamen in alterius cella.

3. Nihil enim unquam alimentorum in aliena licitum habemus sumere cella.

4. Per hos tres dies mane redimus ad lectos, necessaria dicimus coquinario, a quo duobus prioribus diebus etiam tria ad cœnandum ova suscipimus.

CAPITULUM XL.

De ornamentis.

1. Ornamenta aurea vel argentea, præter calicem et calamum, quo sanguis Domini sumitur, in ecclesia non habemus, pallia tapetiaque reliquimus.

COMMENTARIUS.

satis incidunt mutationem per labores, per vigilias, per jejunia, quibus statim in ordine addicuntur, per vivendi modum, per animi applicationem, cujus labor opera corporalia longe superat, quibus omnibus, si ipsi robustiores rustici applicarentur, nonnulli statim deficerent. Qua de causa discretione opus esse perspicuum est, ne a justo medio tolerabili, et absque mutatione aut relaxatione, portabili atque durabili, aberretur.

Omnes fere ad ordinem venimus in adolescentia circa vicesimum annum, dum ætas viget et alimento convenienti indiget, quod ideo saltem ex aliqua parte possit cum naturali usu in sæculo assumpto concordare, quodque si discrete non ministraretur in nostro statu solitario, maxima pars nostrorum juvenum inhabilis esset ad plures observantias regulares antequam trigesimum annum attingeret. Quid autem inde eveniret, et quo deveniret nostra observantia? nemo non videt.

Sed maxime ad prudentiam regiminis solitariam vitam profitentium in genere, et discretam agendi formam singulorum in specie pertinet, ut res nostræ Carthusianæ in eo semper medio constituantur, ad quod minus robusti possint pertingere sicut et robustiores, ut ex infra dicendis cap. 54 evidentius patebit, et sic in eamdem mensuram convenienda omnes possint Deo alacriter servire, in bona valetudine perseverare, in eadem semper observantia permanere, frequentioribus dispensationibus non indigere, ad solatia quæ in ordine nostro prohibita sunt (ut est exire e monasterio) non aspirare, et absque singularitate unanimes in domo Dei ambulare.

Iste semper fuit scopus ordinis in rebus nostris disponendis qui scopus a R. P. Guigone fuit jamdudum nobis assignatus, a capitulis generalibus semper deinceps intentus, in statutis expressus, ac denique a posteris nostris semper intuendus, ut vestigiis Patrum tam veterum quam recentiorum in omnibus inhærentes, *ne quid nimis aut minus*, ordinem in sua integritate conservent.

Tertiam tandem rationem enervationis virium corporalium ex majori ingeniorum vivacitate ipsas vires corporis exhauriente procedere credo. Hæc autem paulo fusius notavimus, ut indiscretis quorumdam argumentis occurramus.

Num. 2. *Primaque die ne quid adversi*, etc. Hic explicat licentias et recreationes, quæ tunc diebus minutionum dabantur.

Ibid. *Non tamen in alterius cella.* Hinc evidenter apparet quod licentia etiam daretur a priore se invicem visitandi in cella, sed nunquam ibi comedendi aut bibendi, prout etiam nunc stricte servatur; nam frustra mentionem faceret R. P. Guigo de vino nunquam in alterius cella bibendo, si alterius cellam ingredi cum licentia non licuisset.

Porro totum hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis parte sec., cap. 15, nn. 3, 6 et 7.

Cap. XL. — Num. 1. *Præter calicem et calamum*, etc. De isto calamo, quo sanguis Christi sumebatur, nulla fit mentio in antiquis statutis, sed tantum de calice: unde colligitur adhuc tempore R. P. Guigonis viguisse consuetudinem nonnunquam communicandi sub utraque specie, quod tamen soli diacono concessum fuisse credimus. Quam consuetudinem apud nos jam exstinctam fuisse arbitramur temporibus R. Patris Rifferi, qui centum et viginti circiter annis post Consuetudines a R. P. Guigone scriptas, statuta illa edidit quæ antiqua vocamus, quia de illo calamo nullam amplius mentionem facit.

Hic apparet simplicitas quam etiam in supellectili ecclesiastica servare volebant primi Patres. Sed notandum est quod illis temporibus, quando nondum detectæ erant a nostris Indiæ Orientales et Occidentales, aurum et argentum atque etiam bombycinum sive sericum, valde rara erant in istis partibus, ita ut a solis regibus et principibus vestimenta serica, vel auro intertexta, usurparentur; unde res satis insolita fuisset, si a primis Patribus id genus vestium sericarum admissum fuisset, quorum divitiæ in paupertate et simplicitate jacebant. Per *pallia et tapetia* forsitan intelligit vir sanctus aulæa, et his similia, quibus nullibi in domibus nostris utimur, quamvis in quibusdam, solemnibus tamen duntaxat diebus, tapete operiatur gradus, sive pedistilium altaris. Cur autem candelabra, lampades et similis supellex argentea in plerisque domibus ordinis nunc habeatur? Id primo processisse a fundatoribus domorum credendum est, qui talia dederunt in usum Ecclesiæ, deinde quia plures ecclesiæ ordinis in vicinio magnarum urbium constructæ sunt, ad quas plerique sæculares veniebant ex devotione ut sacris interessent, congruum visum est ad cultum Dei de-

2. Feneratorum et excommunicatorum munera non accipimus.

3. Chartulam quoque, quam de quibusdam talibus rebus conscripseramus, huic scripturæ injecimus.

CAPITULUM XLI.

Ut nulla extra eremum possideantur, et de sepultura peregrinorum.

1. Cupiditatis occasiones nobis et nostris posteris, quantum Deo juvante possumus, præcidentes, præsentis scripti sanctione statuimus, quatenus loci hujus habitatores, extra suæ terminos eremi nihil omnio possideant, id est non agros, non vineas, non hortos, non ecclesias, non cœmeteria, non oblationes, non decimas et quæcunque hujusmodi.

COMMENTARIUS.

rentius et honorificentius coram sæcularibus istis exsequendum, paulo pretiosiori supellectile ecclesiastica, etiam in ecclesiis nostris uti, maxime quia sericæ vestes et vasa argentea sic communia jam erant, ut in contemptum divini cultus abstinentia a vestibus sericis et supellectili argentea, venire merito timeretur. In quibusdam etiam regionibus res per consuetudinem temporum eo devenerunt, ut sæculares valde scandalizarentur, nisi viderent omnia argento et auro fulgere in nostris altaribus et in supellectili ecclesiastica.

Ninium nihilominus in hoc sumptuositatem reprobamus, maxime dum urgent necessitates pauperum, pro quibus sublevandis omnia ista distrahi debent et in cibos illorum erogari. Sed illas domos multum laudamus, quæ (servata tamen in omnibus religiosa decentia et locorum ratione) simplicitatem antiquam studeant semper, etiam in istis, æmulari.

Porro plus vel minus in hac materia adhibere, nihil confert ad personalem observantiam monachorum, qui nihil inde commodi hauriunt.

Num. 2. *Feneratorum*, etc. Ibi videtur quam scrupulose boni Patres nollent communicare peccatis alienis.

Cap. XLI. — Antequam ad explicationem hujus capituli deveniamus, quædam notanda veniunt, quibus ad sensum R. P. Guigonis absque erroris periculo capiendum lector disponatur, et ideo quæ superius attigimus, hic iterum repetere non dubitamus.

Primo, certum est nihil esse magis oppositum solitariæ vitæ professoribus, quam cupiditas acquirendi et possidendi bona temporalia, ultra id quod necessarium est ad honeste et quiete vivendum in suo statu, consideratis circumstantiis personarum, temporum et regionum. Ad quid enim venit monachus ad cellulam, si ibi inclusus, mente et desideriis ad possidenda temporalia anhelet? Quomodo ad pedes Christi se cum Maria recipiet, et pio ejus otio fruetur audiendo verba Christi, si mente et desideriis per mundum divagetur? Non tantum inutile, sed etiam stultum esse dicendum est, se in cella inclusisse, ut sic concupiscentiæ frena laxarentur.

Secundo, quas sollicitudines, quot labores et studia requirat temporalium rerum cura, quot discursus et difficultates pariat experimento quotidiano videtur. Qui ergo ex solitariis eligitur ad officium ordinis, cui annexa est cura providendi aliis, ut per unius ministerium cæteri Mariæ exercitio vacare possint in cella (nam si unus ad id non constituere-

A tur pro omnibus, singuli sibi providere cogerentur, et sic omnes a cellulæ quiete arcerentur); qui, inquam, ad hujusmodi officium assumitur, si laxet habenas cupiditati habendi, acquirendi et possidendi quidquid potest et obvium venit, necesse est ut statim sese immergat in dissipationes, discursus, evagationes et similia quæ æque contraria sunt spiritui suæ professionis, ac strepitibus forensibus aut militaribus exercitiis ipsa cellulæ custodia. Unde evidens est illum spiritu Carthusiano esse destitutum, ac proinde cessare esse Carthusianum, statim atque in istam cupiditatem decidit, quam radicem omnium malorum merito vocat Apostolus, et post illum R. P. Guigo. Sed hanc radicem perditionis vocare non dubito pro monachis, maxime Carthu-
B sianis, cum per professionem monasticam et statum a se libere susceptum isti infelicissimæ cupiditati renuntiare Deo promiserint, quam postea in suæ professionis contemptum sequi volentes, merentur a Deo tradi in reprobum sensum.

Tertio, ad temperandas sollicitudines eorum qui ad providendum necessitatibus totius conventus solitariorum, qui nec temporalium rerum, nec sui ipsorum ullam sollicitudinem habere debent ex sui instituti præscripto, atque ad subveniendum familiæ integræ ac oneribus tum certis tum casualibus totius monasterii, certum est habendam esse honestam sufficientiam bonorum temporalium. Honestam voco, quæ quamdam rationabilem latitudinem habeat, ita
C ut quando, sive per calamitates communes, sive per defectum solutionis a conductoribus rerum nostrarum, reditus annuus non integre percipitur, possit nihilominus communibus indigentiis domus provideri absque vagandi et quærendi necessitudine. Quod eo justius in domibus nostris debet admitti, quo secundum spiritum professionis nostræ tenacius horrere debemus ab exercitio vagandi, quærendi et externorum favores et dona nobis concilandi, ut possimus subsistere; et merito, nam id solitariæ nostræ professioni et instituto Carthusiensi prorsus contrarium est. Unde sequitur unum e duobus eligendum esse, aut instituto Carthusiensi renuntiare, aut habere possessiones ac reditus qui sufficiant, modo in morali latitudine constituta, ad sustentationem totius
D conventus et ad onera illius portanda.

His positis dicendum est mentem S. Institutoris nostri, et post illum R. Patris Guigonis, in illis tribus supra notatis consistere, quod ex jam dictis

2. Simili etiam tenore sancitum est, ut neminem prorsus, sive intra, sive extra eremum istam defunctum suo sepeliant in cœmeterio, nisi forte aliquem hujus propositi hic obire contigerit.

3. Sed et cæterarum religionum, si quis hic defunctus fuerit, quem sua congregatio hinc asportare, aut nequiverit, aut neglexerit, hunc sepelient.

4. Nomen vero cujusquam in suo non scribent Martyrologio, nec cujusquam anniversarium ex more facient. Audivimus enim, quod non probamus, plerosque toties splendide convivari, missasque facere paratos, quoties aliqui pro suis eis volnerint exhibere defunctis. Quæ consuetudo et abstinentiam tollit et venales facit orationes, dum quotus pastuum numerus totus est et missarum; nec ullum ibi vel jejunandi certum, vel obsecrandi constat propositum, ubi non devotione facientis, sed de pascentis potius pendet arbitrio. Nulla quippe die convivium vel missa decrit, si qui pascat nunquam defuerit. Quod si quis talem consuetudinem contentiose jurat laudabilem, non resistimus, agat ut libet, redditurus illi rationem, qui scrutans corda et probans renes reddet unicuique juxta viam et juxta fructum adinventionum suarum.

COMMENTARIUS.

probari potest, et ex infra dicendis amplius probabitur; ex jam dictis autem constat:

Primo, quod primi Patres renuntiassent odibilibus, ut aiunt, vagandi et quærendi exercitiis, ad quod necesse erat ut haberent unde in sua solitudine, absque illa vicissitudine, pacifice viverent;

Secundo, quod vellent procuratores ordinis ad cellæ quietem et secretum semper aspirare et recurrere, veluti ad salutis suæ portum;

Tertio, quod haberent sufficientiam rerum temporalium, ea morali latitudine sumptam, quam supra explicuimus. Nam habuisse illos constat unde sibi et hospitibus et familiæ providerent, atque etiam eleemosynas pauperibus erogarent.

Num. 1. *Cupiditatis occasiones*, etc., *loci hujus habitatores*, etc. Hic pro domo Carthusiæ specifice loquitur; nam fere sola est inter omnes domos ordinis in vasta eremo constituta; et quæ ideo possit amplos habere terminos, intra quos nulli compossessores reperiantur, quod certe domibus aliis convenire non potuit. Fundatoribus enim domorum liberum non erat, sic in unum veluti globum, possessiones necessarias ad domus sustentationem congregare; unde ad fundationes domorum constituendas dare coacti fuerunt reditus huc illucque dispersos. Et hæc est prima causa cur, primis sæculis ordinis, licentiæ speciales datæ fuerint quibusdam domibus ordinis aliquid extra terminos possidendi, quæ tamen similia bona in emphyteusim, quantum poterant, dare solebant, ut sic curis se extricarent. Certum tamen est in ordine fuisse religiose servatum, ut certi termini assignarentur singulis domibus, extra quos possessiones agrorum haberi non possent, ut jam cap. 15, num. 4, diximus.

Dum hæc scriberet R. P. Guigo, bona fide illum putasse indubitatum est, quod ea quæ tunc possidebant Patres nostri intra eremum Carthusiæ, adjunctis aliis de quibus statim dicetur, sufficere semper debuissent ad quiete vivendum et onera domus portanda in ea mediocritate, quam inferius exprimit dicendo: *Nostrum qualecunque vile propositum penuriam, Deo gratias, raro sentit, aut abundantiam.* Et notandum est quod ista renuntiatio versetur tantum circa ea quæ sunt extra terminos: unde in rebus quas statim nominatim explicat subaudiendum A est, quoad alias domos ordinis, nisi talia intra terminos sint: nam de hujusmodi rebus extra terminos non possidendis, hic tantum agitur.

Ibid. *Nihil omnino possideant, id est non agros*, etc. *quæcunque hujusmodi*. Inter ista specificata, quibus domus Carthusiæ incolas pro se et suis posteris renuntiasse asserit vir sanctus, non ponit pascua ad animalia nutrienda, nec etiam certos reditus, qui absque fundi proprietate aut ulla possessione haberi possunt, prout est assignatio certi annui census super quædam loca aut prædia recipiendi, aut a quadam cathedrali aut collegiata ecclesia solvendi. Quæ tunc Carthusiam possedisse, non tantum ratione sed experientia probatur, nam (ut supra diximus cap. 19) tempore R. P. Guigonis, domum B Carthusiæ habuisse certum est pascua et jura pascuorum ad pedes rupium, et extra terminos sita, atque grangias constructas, ad quas necesse erat deducere animalia ad hiemandum, cum in rupibus Carthusiæ ab initio mensis Novembris usque ad finem mensis Maii non reperiantur herbæ, quibus animalia nutriri possint, unde necesse est foras quærere, ut satis explicat ipse R. P. Guigo.

Quoad reditus illos, absque fundi proprietate et possessione, id etiam experimento constat, per eos quibus adhuc hæc domus Carthusiæ gaudet, et qui a capitulis tum cathedralis ecclesiæ, tum S. Andreæ Gratianopolitanis ei adhuc quotannis solvuntur. Et certe qui statum eremi Carthusiæ noverunt, pro re indubitata facile habebunt domum Carthusiæ numquam potuisse cum istis oneribus hospitum et pauperum subsistere, nisi ista subsidia extra eremum habuisset, quod ideo in statutis antiquis clarius expressum fuit.

Num. 2. *Neminem prorsus*, etc. Loquitur relative ad usum temporis illius, quo, pro sepulturis jura sibi specialiter attributa stricte servari, nec in ulla parte lædi volebant clerici et parochi, qua de causa jurgia et lites tunc facile movebantur: atque etiam relative ad nostræ vitæ solitariæ statum, quem nolebant per sepulturas sæcularium interturbari. Id sic intelligendum esse satis innuitur per libertatem hic relictam sepeliendi non tantum aliquem propositi nostri, id est quamcunque personam ordinis diem extremum hic claudentem, sed etiam religiosos qua-

3. Nostrum qualecunque vile propositum, penuriam, Deo gratias, raro sentit aut abundantiam. Nam si quisquam nobis pisces aut hujusmodi miserit aliquid, ea mensura, et die reficiendis infertur fratribus, qua propositum poscit et institutio.

CAPITULUM XLII.

De divino officio fratrum laicorum.

1. Quæ ad monachorum pertinent consuetudines, prout potuimus, explicatis, ea quæ laicorum sunt, quos conversos vocamus, Domino juvante, dicamus. Semper cum ad matutinas surgendum est, bis parvo interposito spatio signum pulsatur. Primo præparantur, secundo ad ecclesiam servata gravitate concurrunt. Et si quidem monachus, qui eis præpositus est, adest præsens, divinum eis officium, pene ut supra scriptum est, festinantius tamen, persolvit. Quem ipsi summo studio, silentium quietemque servantes, ad inclinationes et cæteros religiosos corporis motus sedulo imitantur.

2. Ex quibus in vigiliis solemnitatum, in quibus capitulum tenetur, medietas, prout eorum patiuntur obedientiæ, ad vesperum cum a suis disjunguntur laboribus, ad superiorem conscendunt ecclesiam, matutinas et cæterum sacrum officium audituri; ibique post monachorum capitulum, verbum Dei a priore vel ab eo cui hoc ipse injunxerit audiunt, et si quas habent confitentur offensas.

COMMENTARIUS.

rumcunque religionum, si illos hic obire contigisset. A

Num. 4. *Nomen vero cujusquam*, etc., *nec cujusquam anniversarium ex more facient*, etc. *Audivimus enim quosdam*, etc. Hic rationem affert R. P. Guigo cur ista anniversaria repudiaret. Consuetudo enim istis temporibus vigebat, de qua jam cap. 14 diximus, et ibi explicuimus qualiter intelligendus est locus ille, *raro hic missa canitur*, quod hic repetere superfluum esset.

Ibid. *Quæ consuetudo abstinentiam tollit et venales*, etc. Hinc patet quo semper zelo flagraverint Patres nostri, quem etiam in statutis, tam antiquis quam modernis expressum videmus, ad eliminandum a nobis quidquid pactum redolet pro beneficiis defunctorum. Hic autem videtur quæ et qualis erat consuetudo, contra quam invehitur vir sanctus, B modeste tamen, nam statim subdit: *Quod si quis talem consuetudinem contentiose jurat laudabilem, non resistimus*, etc. Sed nihilominus intra limites generosi zeli stare non desistit, provocans talium consuetudinum auctores et fautores ad judicium Dei considerandum.

Num. 5. *Nostrum qualecunque*, etc., *penuriam, Deo gratias, raro sentit aut abundantiam*. Hic videtur quam modeste et humiliter de se sentirent primi Patres nostri, qui vilitatis epithetum suo proposito attexunt, ut ostenderent quantum distarent ab intentione opinionem hominum sibi inde conciliandi, et quantum humilitas, abjectio et vilitas a veris Carthusianis essent semper in pretio habendæ. Apparet etiam quod res nostras in ea mediocritate constitui vellent, quam a Deo petebat Salomon dicens: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi*, etc. (*Prov.* xxx, 8).

Ibid. *Nam si quis nobis pisces aut hujusmodi miserit aliquid*, etc. Hic loquitur per oppositionem consuetudini illi quam supra reprehendit in missas facere paratis, toties nempe splendide epulandi quoties aliqui pro suis eis voluerint exhibere defunctis; et exprimit qualiter utendum nobis sit muneribus ad nos missis pro pastu conventus, quæ his tantum diebus ministrantur, quibus per statuta licet.

Capitulum istud relatum habetur in antiquis statutis secunda parte, cap. 19, num. 1; cap. 49 primæ partis, num. 20, 21 et 17, et cap. 14 secundæ partis, num. 20.

Cap. XLII. — Num. 1. *Et si quidem monachus qui eis præpositus*, etc. *Divinum eis officium, pene ut supra scriptum est, festinantius tamen, persolvit*. Per monachum procuratorem intelligit, et ex hoc loco colligi potest quod primi Patres recto tono psallerent. Nam cum certum sit procuratorem solum non potuisse cum notis totum officium persolvere; et hic dicatur quod divinum officium eis persolvit pene ut supra scriptum est de monachis, ea tantum servata differentia, ut festinantius officium persolvat; inde evidenter apparet quod procurator recto tono can- taret, sicut in antiquis statutis aperte exprimitur. Exstat tamen quidam prologus in capite quorumdam Antiphonariorum positus, qui R. P. Guigoni tribuitur. Sed cum ibi tantum de Antiphonarii compositione agatur, et cantus studium ibidem parvipendi videatur, fortior videtur præsentis loci auctoritas, quam prologi istius, qui de solo selectu et compositione litteræ Antiphonarii intelligi potest, vel si aliquem cantum admittat, diversum a Gregoriano, quo nunc utimur, et eo succinctiorem fuisse non dubitamus.

Ibid. *Quem ipsi summo studio*. Ex hoc loco et ex sequenti capitulo apparet quod, præsente clerico, qui divinum officium eis sic persolveret, nihil ex sua parte dicerent, sed sola assistentia, attentione et cæremoniarum imitatione, quas per *religiosos* C *motus* exprimit reverendus scriptor, officio satisfacerent.

Num. 2. *Ex quibus in vigiliis solemnitatum in quibus capitulum tenetur*, etc. Ex hoc loco evidens est quod R. P. Guigo quodcunque festum capituli solemnitatem vocat.

Ibid. *Matutinas et cæterum sacrum officium audituri*, etc. De auditu solo officii hic fit mentio, non de recitatione aliqua. Cur autem id mutatum fuerit, et nunc nostri conversi, canente conventu, officium suum persolvant, prout absente clerico illos tunc

3. Ascensuri autem, ad coquinarium veniunt, et cum ejus licentia, servato pergent silentio, quod præcoperit portaturi; ibi quoque, id est superius, sicut ubique, a completorio usque post primam, et a capitulo usque post nonam, in silentio permanentes.

4. Coquinario tamen et adjutori, sive adjutoribus ejus, de necessariis loqui licet. Cum silentio etiam descendunt, quod jussi fuerint reportantes, vesperas in capella a deputato sibi monacho audituri.

CAPITULUM XLIII.

Item de eadem re, et quo tempore ad lectos redeant.

1. Quoties autem sunt sine clerico, Orationem Dominicam pro psalmis habent, et de ea horas omnes, et totum, ubicunque sint, complent officium.

2. In matutinis igitur, si duodecim lectionum festum est, inclinati tantum, alias enim super formas semel, *Pater noster* cum magna dicunt attentione; deinde erecti eamdem sexies repetunt orationem, per singulas supplicantes, et *Gloria Patri* dicentes. Deinde considunt et eamdem orationem bis et vigies repetunt. Et postea surgentes eamdem cum supplicatione, et, *Gloria Patri* sexies iterant, ac deinceps in stando perseverantes ipsam eamdem sine *Gloria* et supplicatione viginti et duabus vicibus dicunt. Quam etiam pro collecta semel subjungunt.

3. Post matutinas ad orationem constitutam festinant. Quam ideo scribere nolumus, quia, vulgaribus verbis, aliis ab aliis insinuatur.

4. Et quia a Kalendis Octobris usque ad Pascha non redditur ad lectos, in spatio quod usque ad primam remanet, pro quantitate noctium longum vel breve, vestes suas suunt, vel sotulares ungunt, vel rapas radunt, vel si quid aliud eis injunctum est, sine strepitu duntaxat, operantur. Si nihil tale urget, intendunt orationi quantum possunt.

5. A Pascha usque ad Kalendas Octobris ad lectos redeunt, in quo toto temporis spatio, orto sole prima pulsatur. In messe tamen, prout necessitas postulat, citius. Abinde usque ad Pascha summo mane primam ita incipiunt: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram;* deinde, *Pater noster* cum *Gloria Patri*, et venia, vel supplicatione secundum tempus, tertio; quarto etiam pro collecta. In cæteris horis similiter, excepto quod in vesperis unum additur *Pater noster*. Post completorium lectos adeunt, et, ut dormiant, satagunt, ne forte, cum vigilare debuerint, dormire compellantur.

COMMENTARIUS.

facere debuisse in sequenti capitulo describitur. Id provenisse arbitramur ex dissuetudine introducta ædificandi in nostris domibus domos inferiores. Unde factum est ut omnes conversi in domo superiori existentes ibi nocturnis officiis interesse deberent, quibus ex cantu prolixioribus effectis, ista precum vocalium occupatio eis assignata fuit, ne in otium, aut tædium, aut somnum, durantibus matutinis, decciderent.

Ibid. *Et si quas habent culpas confitentur.* Id potest intelligi tum de confessione sacramentali, tum de publica recognitione culparum, nam utraque solet fieri apud nos post capitulum. Sabbato quidem post recordationes ad confessionem sacramentalem tempus monachis assignatur supra cap. 7, num. 2. Sed quia conversi tunc non aderant et circa alia occupabantur, aliud tempus, nemoe post capitulum, eis assignatur.

Num. 3. *Ascensuri autem ad coquinarium*, etc. Jam diximus quod coquinarius erat veluti præcipuus œconomus, qui etiam vices procuratoris agebat, et in multis licentias dabat.

Ibid. *Ibi quoque, id est superius, sicut ubique a completorio*, etc. *et a capitulo*, etc. Sensus illius loci est quod fratres in domo superiori existentes, a capitulo usque post nonam, debent eodem modo servare silentium, quo ubique extra domum superiorem existentes, illud servare debent a completorio usque post primam.

Num. 4. *Vesperas in capella*, etc., *audituri*. Adhuc de simplici auditu hic fit mentio.

Totum hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis parte III, cap. 1, num. 1 et seqq.

Cap. XLIII. — Num. 1. *Quoties autem*. Inde evidens est quod absente tantum procuratore tunc ipsimet matutinas persolverent, et pro psalmis Orationem Dominicam haberent, illam recitantes modo et numero qui hic exprimitur. Unde constat officium nostrorum conversorum tunc fuisse longe minus prolixum quam nunc est. Nam tunc 58 vicibus Orationem Dominicam repetebant et 12 vicibus *Gloria Patri* pro toto officio nocturno; pro diurno autem 25 vicibus Orationem Dominicam, et 24 *Gloria Patri*; nihil vero reddebant pro officio de B. Maria.

Num. 3. *Post matutinas ad orationem constitutam*, etc. Hic agitur de quadam formula devotæ orationis quam adhuc *maternam* vocant, quia materna lingua fit, et ab invicem illam addiscunt.

Num. 4. *Et quia a Kalendis Octobris*, etc. Non opus erat tunc ut redirent ad lectos, quia ritum monachorum imitantes, absque interruptione dormiebant quantum satis.

Ibid. *Intendunt orationi quantum possunt.* Nihil eis in hac parte fixum assignatur, quia juxta quantitatem operum manualium et necessitates occurrentes plus vel minus otii habebant.

Num. 5. *A Pascha usque ad Kalendas Octobris ad lectos redeunt*, etc. Cur illis id permitteretur quod

6. Sive autem dormiant sive vigilent, quiete ac sine ullo, quantum potest fieri, strepitu manere jubentur.

CAPITULUM XLIV.

Qui præsidere vel respondere debeat.

1. Cumque absente qui sibi prælatus est monacho, ad ecclesiam conveniunt, is præest officio qui præest ordine. Similiter et in cæteris locis vel operibus, nisi forte obedientia, in qua fuerint, alicui specialiter sit injuncta. Tunc enim cui proprie injuncta est cæteris præsidet, tacentibusque aliis adventantibus vel obviantibus respondet.

2. Non enim passim vel sine licentia, licet eis, quod, vel cum quibus, vel quandiu voluerint, loqui.

3. Unde obviantes vel supervenientes inclinato tantum licet capite resalutare, viam ostendere, ad interrogata, est vel non, respondere, et quod amplius loquendi cum eis licentiam non habent [*al.* habeant] excusare.

CAPITULUM XLV.

Quod cum prælato suo fratribus loqui liceat.

1. In qualibet autem constituti obedientia, cum prælato sibi possunt de necessariis loqui fratres [*al.* fratre], petita per signum licentia. Habent enim signa pleraque rusticana, et ab omni facetia vel lascivia aliena, per quæ de his quæ ad sua pertinent officia, rebus vel instrumentis possunt ad invicem sine voce commemorari.

2. Aliena autem discere signa, vel sua docere alienos licitum non est eis.

CAPITULUM XLVI.

De coquinario.

1. Nunc per singulas curramus obedientias. Coquinæ præsidet unus e fratribus, qui solitos cibos, legumina scilicet et hujusmodi, fratribus præparat et dispensat. Horis competentibus signum pulsat. A quo etiam panem, vinum statutis diebus, sal, cochlear, scutellas, lumbaria, acum, filum, ceram ad cerandum accipiunt. Aliud autem quidquam præter procuratoris licentiam eis dare non potest. Qualia autem aliis generaliter ministrat, talia sumit et sibi.

2. Dare vel accipere ab his qui domus hujus non sunt, sine procuratoris præcepto nihil audet. Qui si forte abfuerit et aliqua interim necessitas acciderit, ita faciet quemadmodum ipsum, si adesset, facturum fuisse existimaverit, redeuntique quid et quomodo egerit indicabit. Fratrum aliquem in coquinam, nisi justæ causa necessitatis inducere non potest, inductumque transacta necessitate statim emittit, inviolato, quantum res sinit, silentio.

COMMENTARIUS.

tunc monachis non erat concessum? Quia conversis, laboribus manuum deputatis dormitio diurna non erat permissa, tota enim die labori incumbebant.

Ibid. *Post completorium lectos*, etc. Illis etiam præscribitur ut tempus dormitioni deputatum sedulo impendant, et sic omnia et singula suo quæque tempore ordinate perficiantur.

Idem capitulum relatum habes in antiquis statutis part. III, cap. 2, n. 1.

Cap. XLIV. — Num. 1. *Cumque absente qui sibi prælatus*, etc. Nomine ergo prælati R. P. Guigo intelligit eum qui aliis præpositus est, sive conversis in genere ut est procurator, sive quibusdam tantum ut est conversus, cui per obedientiam demandatum est aliquod opus, ad quod perficiendum dantur illi adjutores, tunc is cui talis obedientiæ directio est injuncta, adjutoribus sibi concessis dicitur prælatus in illo opere.

Ibid. *Tacentibusque aliis adventantibus et obviantibus respondet*. Silentium illud tunc servandum ad advenientes vel occurrentes spectat, non autem ad fratres simul laborantes, nam tunc loqui inter se possunt, servato moderamine, de quo in sequenti capitulo. In hoc autem capitulo et in sequenti assignatur conversis modus loquendi et tacendi, et relatum habetur in antiquis statutis parte III, cap. 3, n. 1.

Cap. XLV. — Num. 1. *Habent enim signa pleraque rusticana*, etc. Inde notandum est primos conversos domus Carthusiæ fuisse ut plurimum pios rusticos ex eadem regione; quod hic annotamus ad faciliorem intelligentiam cap. 53 istarum consuetudinum.

Num. 2. *Aliena autem discere signa*, etc. Id refertur ad ea quæ, cap. 31, jam expressa sunt pro monachis. Si enim signa quædam a se invicem discerent, possent sic sibi mutuo loqui ex signis conditis, sicut cum mutis fieri solet, quod esset a silentii fine et proposito alienum.

Cap. XLVI. — Num. 1. *Qui solitos cibos*, etc., *fratribus præparat et dispensat*, etc. Monachos coquinam sibi facere in cella superius vidimus; sed non sic cum conversis agitur, quia ad laborem manuum hucque illucque dispersi non poterant coquinam sibi facere, id ergo facit pro omnibus frater coquinarius.

Num. 2. *Dare vel accipere*, etc. Semper et in omnibus præscribitur nostris forma obediendi, non tantum dando sed et accipiendo, quia obedientia veluti instituti Carthusiensis principium, est attendenda et consideranda, ut diserte exprimit ipse R. P. Guigo supra cap. 33.

3. Ecclesiam custodit, portæ præest, advenientibus respondet, ferramenta communia servat; domus et universæ communis supellectilis curam gerit. Ex quibus omnibus, si aliquid deperierit, prostratus humi reum se culpabilemque clamabit. Hæc eadem servat quicunque vices ejus exsequitur.

4. In diebus solemnibus vel ipse, vel qui supplet locum ejus, advenientibus de villa proxima nihil habet dare vel commodare, sed tantum ut recedant, jubetur respondere, ne per tales dies assuescant inquietudinem et molestiam facere.

CAPITULUM XLVII.

De pistore.

Pistor annonam recipit, siccat, custodit, ventilat, molit, panes conficit et dato adjutorio coquit, et coquinario in pistrino reddit

CAPITULUM XLVIII.

De sutore.

Sutor coria tenet, incidit, sotulares facit ac reficit.

CAPITULUM XLIX.

De præposito agriculturæ.

Qui præest agriculturæ, grangiæ et boum, et cunctorum, quæ ad illam pertinent obedientiam, diligentiam habet.

CAPITULUM L.

De magistro pastorum.

1. Pastorum magister cunctas illius obedientiæ res et instrumenta custodit. Et emendo, et vendendo ad suum pertinentia ministerium, cum extraneis commercium facit. De rebus aliis fabulandi cum eis licentiam non habet. Cui negotio vel verbis, sociorum, nisi quem advocaverit, nullus se intermisceat [*al.* intermiscet].

2. Ipse vero juramenta, mendacia, fraudes et cætera quæ talibus interesse solent negotiis, vitare præcipitur mala, sempiternamque animæ suæ salutem temporalibus rebus et commodis anteferre. Ipse etiam et sòcii ejus grangiam magna ex parte custodiunt. Domus in qua fiunt casei, quam vocamus arcellam, ad eorum proprie curam pertinens, sicut aliqua de cellis servanda præcipitur. Generaliter autem in alterius cellam nullus nisi jussus ingreditur. Cum ad hiemandum foras exeunt, nihil vel accipere vel dare præceptum habent. A puero mercenario qui est cum eis ad molendinum itur, panis coquitur, vinum emitur, ne ipsi, quod periculosum est, ad villas, in quantum vitari potest, ire cogantur. Tertia feria et Sabbato ultra communem fratrum morem vinum habent. Ea quoque die qua locum mutant, quia cibos sibi præparare non possunt, vinum accipiunt. Hæc autem misericordia propter continuos labores et multa quæ ibi patiuntur incommoda, eis impenditur.

COMMENTARIUS.

Num. 4. *Advenientibus de villa proxima*, etc. Id est de pago Carthusiæ, inter rupes Carthusiæ sito versus Gratianopolim, qui hodie nomine parochiæ Carthusiæ vocatur, ad distinctionem domus Carthusiæ. Hoc capitulum refertur in antiquis statutis part. III, cap. 11, nn. 1, 2, 4 et 5.

Cap. XLVII. — Hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis part. III, cap. 12, n. 1. Istis autem singularibus efficiis conversus deputabatur, qui per se opus complebat, dato tamen sibi adjutorio, cum solus opera perficere non poterat.

Cap. XLVIII. — Per sotulares intellige calceos. His verbis utebatur vir alias eruditissimus, quia ex vulgari usu introducta erant, et Gallico idiomati similiora, illis temporibus facilius intelligebantur. Nec verebatur de corrupta latinitate argui, sicut nec de sermonis elegantia cupiebat laudari.

Idem refertur in antiquis statutis part. III, cap. 13.

Cap. XLIX. — Agricultura illa exercebatur in loco qui vocatur *Chartroussette*, ubi adhuc stat grangia boum, atque etiam in montis declivitate, quæ a Correria usque ad molendinum protenditur. Sed A agri illi avenam tantum ferunt, et aliquando favas et similia, triticum vero nunquam.

Cap. L. — In istis apparet œconomicus agendi et res disponendi modus, quem R. P. Guigo et sui prædecessores ordinaverant, ut rem familiarem promoverent et a disperditione servarent, servato religioso et innoxio agendi modo, qui hic describitur, et ex simplicitatis fragranti odore piorum lectorum animos non modice recreabit.

Num. 1. *Cum extraneis commercium facit. De rebus aliis fabulandi*, etc. Quam pulchrum esset nunc videre tales mercatores, qui etiam in suo commercio a verbis ad rem non pertinentibus abstinebant.

Num. 2. *Ipse vero juramenta et mendacia*, etc., *quæ talibus interesse solent negotiis*, etc. Ecce quam B sincere in suis innoxiis commerciis nostros vellent agere, et a sæcularibus agendi et loquendi modis omnino abstinere.

Ibid. *Cum ad hiemandum foras exeunt, nihil vel accipere*, etc. Hic evidenter apparet quod jam supra attigimus cap. 41. Foras exibant, id est, extra terminos eremi et pecora ad hiemem transigendam ad vicina loca deducebant. Ex prohibitione autem ali-

CAPITULUM LI

Quo tempore vinum fratres habeant.

1. Ceteri autem fratres qui domi sunt, quinta tantum feria, et in solemnitatibus quæ capitulum habent, semel in die vinum accipiunt. In Natali tamen Domini diebus quatuor, Circumcisione, Apparitione, Purificatione, Annuntiatione, si Dominica die contigerit, Paschæ diebus quatuor, Ascensione, Pentecostes diebus tribus, solemnitate S. Joannis, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, Dedicationis, Nativitatis B. Mariæ, Sancti Michaelis, Omnium Sanctorum, bis habent vinum.

2. Ascendentibus etiam propter aliquod festum in crastino celebrandum, si monachos in refectorio cœnare contigerit, vinum datur. Hoc autem non evenit nisi duo festa, quibus in refectorio comeditur, sibi cohærscrint.

COMMENTARIUS.

quid ibi accipiendi aut dandi nobis indicatur, quanta cura primi Patres vellent nostros retrahere, et servare a familiaritate sæcularium attrahenda per munuscula data aut accepta. Sciebant enim quid periculi suis conversis ex ista familiaritate sensim enasci posset, qui ex loci paulo amœniori situ, ex relictis, licet exigente necessitate, monasterii communibus exercitiis, si his contracta cum extraneis familiaritas adjungeretur, facile possent primo in naturæ laqueos laborem fugientis et appetentis relaxationem incidere, et postea in diaboli laqueos etiam decidere.

Utinam semper præ oculis habeamus hoc primorum Patrum exemplum et ab illo nunquam deflectere satagamus, sollicite curantes, ut ad exemplum illorum neminem e nostris extra monasterium degere permittamus, nisi quantum et quandiu exigit inevitabilis necessitas, quia inde graviora ordini damna in utroque statu temporali et spirituali evenire posse indubitatum est.

Dixi, inevitabilem necessitatem, quia, quandiu vitari potest, aut per aliquam industriam suppleri, id pro maximo lucro, id, inquam, pro maximo lucro æstimandum est. Sufficiat hic unam pro multis rationem jam in superioribus allatam iterum tangere. Homines monasterii exercitiis assueti, et ab objectis sæcularibus videndis ex solitariæ vitæ professione remoti et dissueti, ab ipsis postea occurrentibus vivacius et vehementius tanguntur, quam qui illis videndis sunt assueti; ab assuetis enim, ut dicunt philosophi, non fit passio, et ideo ab illis sunt cautius vitanda, rejectis mille figmentis amoris privati, quibus necessitates fingere novit, ubi revera nulla occurrit.

Ibid. *A puero mercenario*, etc. Turbam famulorum tunc post se non trahebant optimi opiliones isti, sed per se omnia faciebant. Alioquin tenuem rem familiarem, integram per mercenarios cito devorassent. Ad hoc tantum opera pueri mercenarii dabatur, *ne ipsi, quod periculosum est, ad villas, in quantum vitari potest, ire cogantur.* Periculosum videbatur istis sanctis viris pissimos conversos tunc extra monasterium ad tempus, quasi tamen habitualiter (quod notandum) degentes, sinere ad proximas villas re, *in quantum*, ut aiunt, *vitari potest*: nam a discretæ intelligentiæ regulis nunquam recedebant. Videamus nunc, si tantis viris nos meliores esse credamus, ut timendum jam nobis non sit, quod tunc illi timebant, et tanta cura cavebant pro suis extra monasterium, quasi habitualiter, aliquo tempore degentibus. Alibi loquetur R. P. Guigo de his qui in solo transitu, extra limites iter agebant.

Ibid. *Tertia feria et Sabbato ultra communem fratrum morem*, etc. De hoc more dicetur in sequenti capitulo. *Misericordiæ* autem nomine intelligitur indulgentia aliqua, quæ ex mente primorum Patrum discrete conceditur, prout hic videtur, quoties id postulat rationabilis causa, ab extremis enim omnibus cavebant, et justum medium sequebantur.

Cap. LI. — Num. 1. *Quinta tantum feria, et in solemnitatibus quæ capitulum habent semel in die*, etc. Nomine solemnitatum, ut jam notavimus, omnia festa capituli intelligebat R. P. Guigo. Non est autem putandum quod vinum hic semel in die fratribus ministrandum ea tantum mensura daretur quæ sufficeret uni refectioni, sed quæ prandio et cœnæ sufficeret, ut ex infra dicendis patebit, et ex antiqua consuetudine hujus domus Carthusiæ adhuc probatur, qua fratribus ministrabatur vinum pro utraque refectione, quod in cella apud se servabant.

Cur autem fratribus gravibus manuum operibus addictis, non tam frequenter vinum assignetur quam monachis? Quia labor mentis longe gravior est quam corporis, et vinum reparationi exhaustorum spirituum multum confert.

Ibid. *In Natali tamen Domini*, etc., *bis vinum habent.* Hic enarrat R. P. Guigo præcipua festa, quæ nunc solemnitates vocamus, ad differentiam festorum quæ sunt tantum capituli. His ergo diebus, cum bis in refectorio comederetur, mane videlicet et vespere, bis etiam fratribus vinum ministrabatur.

Num. 2. *Ascendentibus etiam*, etc. *Si monachos in refectorio*, etc. Id cum præcedentibus concordat, nam quia tunc monachi in refectorio comedunt, vinum etiam ministratur fratribus ad domum superiorem ascendentibus, ut sic fiat quædam observantiæ in utrisque conformatio.

Hoc autem capitulum relatum habes in antiquis statutis, p. III, cap. 19.

CAPITULUM LII.

De jejunio fratrum.

1. Sexta semper feria pane et aqua et sale contenti sunt, exceptis solemnitatibus. In Adventu quoque et Quinquagesima et jejuniis Quatuor Temporum, quarta etiam feria eadem abstinentiam faciunt. Vigiliis Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, sancti Joannis, Petri et Pauli, Assumptionis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini similiter vivunt.

2. In vigiliis vero apostolorum Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Andreæ, S. Laurentii martyris, semel quidem comedunt, sed pulmentum habent. Cæteris autem diebus, ne nimio labore frangantur, iis comedunt, sed semel tantum pulmentum accipiunt.

3. Generaliter autem communes hujus domus sibi sale tantum condiuntur. Quinta feria et solemnitatibus capituli, ultra consuetum, aliquid melioris escæ suscipiunt. Paschæ tamen et Pentecostes feria quinta, et altera post festum Innocentum die, si hæc, id est quinta feria, ibi contigerit, vinum sine aliqua [*al.* alia] pitantia sumunt.

COMMENTARIUS.

Cap. LII.— Num. 1. *Sexta semper feria*, etc., *exceptis solemnitatibus*, etc. Semel ergo tantum in hebdomada abstinentiam faciebant, idque feria sexta, nisi festum capituli occurreret, tunc enim ab illa abstinentia eximebantur, quod etiam circa monachos observatum fuisse indubitatum est. Cur enim monachi non fuissent eadem ratione exempti, qui tres in hebdomada faciebant abstinentias, cum fratres, qui unam tantum observabant, ab ea, ratione supervenientis festi capituli hic eximantur? Nulla fit mentio translationis abstinentiæ, unde perspicuum est quod eo casu inobservata transiret; nunc vero non sic, nam quando festum capituli occurrit feria sexta, abstinentia ad aliam diem transfertur.

Ibid. *In Adventu quoque*, etc., *quarta etiam feria.* Id etiam nunc observatur, iisdemque diebus abstinentia fit a fratribus, eo modo quo nunc iste abstinentiarum ritus servatur apud nos.

Num. 2. *In vigiliis apostolorum Jacobi*, etc. *Sed pulmentum habent*, etc. Pulmenti nomine pitantia intelligitur, nam quasi synonyma ista esse ex eodem capitulo innotescet; et inde magis probatum habebis quod supra diximus, sub cap. 33, et qualiter intelligenda sint ista verba R. P. Guigonis, n. 5 ejusdem capituli, *ad cœnam, vel ad prandium cum semel edimus, herbas crudas vel fructus, si adsint, accipimus.* Herbas crudas vocat ad differentiam coctarum. Absurdum autem esset credere quod herbas istas crudas comederent absque ullo condimento, prout a bestiis comeduntur, nam quædam illorum sanitati multum obfuissent.

Ibid. *Cæteris autem diebus*, etc., *bis comedunt, sed semel tantum pulmentum accipiunt.* Sensus est quod jejunia ordinis, quæ servantur a monachis a festo Exaltationis S. crucis, conversi non servant, excepto Adventus tempore, semel tamen illis ministratur pitantia, et insuper herbas, aut fructus, aut radices accipiunt pro cœna, quæ etiam pulmento in prandio adduntur diebus jejunii, quando tantum semel comedunt, quod illis verbis intelligendum est, *in prandio si semel comedunt.* Cum enim a jejunio ordinis ex professo eximerentur, ne nimio labore debilitarentur, incongruum esset credere quod diebus jejunii, quibus semel comedere licitum est, solis A herbis crudis, fructibus aut radicibus pascerentur, cum illis eadem laborandi adesset necessitas quæ aliis diebus.

Num. 3. *Generaliter autem communes hujus domus cibi sale tantum condiuntur.* Erat magna differentia inter modum esculenta condiendi illis temporibus, et eum quem nunc ubique servari videmus; non enim tunc habebantur species aromatum, et butyrum vix erat in usu. Tunc etiam erat, prout nunc videmus, in variis regionibus, magna circa rem istam diversitas, secundum consuetudines varias cibos condiendi, ex quarum usu quo semel natura imbuta est, nascitur nausea circa cibos aliter præparatos, et talis nausea quæ vix vinci possit. Quod in hac nostra domo experimento non semel B probavimus tempore capituli generalis, cum Patres Germani, Itali, Hispani, Belgæ, Poloni, Galli, simul conveniunt; qui tamen Gallicæ consuetudini in hoc facilius assuescunt, quam aliarum regionum. Et ut vicinius rem tangamus, boni Patres Hispani butyrum in condimentis vix ferre possunt, piscesque cum aqua, sale, herbis et similibus cocti eis sapiunt, sed cum vino coctos mirantur. Quæ hic tantum notamus, ut advertatur distinctionem in similibus faciendam esse juxta differentias temporum, regionum et consuetudinum. Porro hic loquitur de communibus cibis, nec inde potest concludi, quod in omnibus nec oleo, nec herbis ad condiendas pitantias uterentur. Sale tantum utebantur et non aliis aromatum speciebus, quæ tunc raræ erant, imo forsitan C a splendide et delicate convivantibus tantum impendebantur.

Ibid. *Quinta feria et solemnitatibus capituli*, etc. De pulmentis etiam diebus jejunii ministrari solitis supra fit mentio, et hic etiam feria quinta aliquid ultra consuetum dari perhibetur. Quid hoc esset ignoramus: sed certum est quod ultra consuetum aliquid melioris escæ susciperent.

Ibid. *Paschæ tamen et Pentecostes*, etc., *sine*, etc. Illis festivitatibus in domo superiori erant et diebus hic notatis inde recedebant, ut ad domum inferiorem redirent, ubi eis consueta ministrabantur, et hæc est ratio cur vinum tantum et nihil aliud reciperent his diebus.

4. Herbas crudas, fructus aut radices, cum adsunt, in cœna tantum, vel in prandio, si semel comedunt, accipiunt. Pulmenti vel pitantiæ quidquid uni prandio superfuerit reddunt : vinum datum non nisi in prandio vel cœna bibunt.

5. Quidquid ex pitantiis remanet, vel pulmentis, quod usui aptum sit, coquinario redditur, ne quis forte non concessam occulte faciat abstinentiam.

CAPITULUM LIII.

Quo tempore vescantur avenario pane.

A Kalendis Novembris usque ad Pascha avenæ vescuntur pane. In Adventu tamen et Quadragesima per singulas hebdomadas, singulas triticeas ex pitantia recipiunt tortas.

COMMENTARIUS.

Num. 4. *Herbas crudas, fructus aut radices, cum adsunt, in cœna tantum, vel in prandio si semel comedunt*, etc. Hic clarius exponit R. P. Guigo quod succinctius et ideo obscurius dixerat, cap. 35, de monachis loquens. Hic enim clare videtur differentia inter res comestibiles quas apud se servare poterant monachi et conversi quandiu durabant, quasque monachi in cellis sibi parabant et coquebant, et pulmentum sive pitantiam quæ ex coquina illis ministrabatur. Junge hunc locum cum his quæ hic dicuntur, n. 2, et videbis quod etiam diebus jejunii ecclesiastici ministraretur eis pulmentum sive pitantia, quacunque specifica die unius hebdomadæ evenissent, exceptis tantummodo diebus abstinentiæ deputatis, et inde conclude a fortiori eadem fuisse observata pro monachis quæ pro conversis.

Ibid. *Vinum datum non nisi in prandio*, etc. Si licitum illis erat bibere vinum in cœna sicut et in prandio, et tamen semel in die communiter vinum reciperent; inde potest conjici quod vinum eis daretur in ea mensura, quæ utrique refectioni sufficere posset : et illud *vel* non disjunctive sed copulative accipiendum est ut sensus sit, quod extra prandium et cœnam vinum non deberent bibere, quod monachis etiam præscriptum erat.

Num. 5. *Quidquid ex pitantiis remanet*, etc., *ne quis non concessam forte faciat*, etc. Ex hoc loco apparet quanta et quam subtili circumspectione vellent primi Patres ab indiscretis abstinentiis nostros arcere, nihilque in illa parte vellent omnino admittere, quod obedientiæ, directioni et discretioni non plene subjaceret, tanti momenti erat apud illos, solitariæ et Carthusianæ vitæ professores a voluntariis et arbitrariis exercitationibus repellere, ne caput aut corpus sibi læderent, et pro obedientia, sub abstinentiarum prætextu, singularitatem, privatum amorem, subtilem vanitatem et in suo sensu pertinaciam, quæ revera sunt vitæ solitariæ carcinomata, substituerent et enutrirent.

Volunt ergo quotidie omnia reddi coquinario, ut videlicet scirent an convenienter ex pulmentis aut pitantiis quisque comedisset, statimque exigi posset ratio a reddente pitantiam, qua de causa non comedisset, an ægrotaret, atque de hac re statim posset superior moneri. Hic locus valde notabilis est, et demonstrat evidenter qualis semper fuerit spiritus ordinis circa abstinentias et alias exercitationes, quas ex professo notat R. P. Guigo, capite 35, nostræ institutionis non esse.

Capitulum istud relatum habes in antiquis statutis, III part., cap. 20, n. 1.

Cap. LIII. — Num. 1. *Avenæ vescuntur pane*, etc. Hic locus fere intolerabilem austeritatem sonat his qui usum istius patriæ non norunt, nam in aliis regionibus ubi triticum abundanter crescit, vix tempore famis possunt rustici ex hujusmodi pane comedere, quia non sunt assueti, et non habent industriam bene conficiendi panem ex avena. Sed desinent mirari, quando scient in hac regione panem avenæ esse consuetum alimentum rusticorum, imo honestorum civium vicorum et villarum circumvicinarum, cui comestioni sunt assueti ab ipso e cunis egressu, et inde fiunt robusti et vegeti, adeo ut possint vix reperiri in opulentis regionibus, qui sanius et diutius vivant, et quorum proles magis multiplicetur. Unde iste usus comedendi panem avenæ? Quia triticum valde rarum est in istis rupibus, quod rustici servant ad offas aliquando componendas, avena vero pro conficiendo pane utuntur, quæ satis abunde in istis montibus crescit, et præcellit avenis quæ alibi crescunt. Insuper necessitas, omnium magistra, eos docuit qualiter panem satis bonum inde conficerent; nam priusquam ad molam deferant, avenam siccant in clibano tepido, unde fit ut perfecte molatur et extrahatur candidissima farina, quæ postea panem conficiunt. Talis est communis panis patriæ. Non ergo tantopere mirandum est si fratres conversi, qui pro maxima parte erant ex incolis patriæ, ut jam, cap. 45, notavimus, tunc per quinque menses vescerentur pane avenario, cum convicanei illorum toto anno simili pane vescantur. Sed tempore R. Patris Guigonis, conversis ex alia patria oriundis, qui simili speciei panis non erant assueti nec poterant assuescere, dabatur ex eodem pane quo monachi alebantur.

In Adventu, etc., *singulas triticeas ex pitantia recipiunt*, etc. Multum errarent qui ex hoc loco crederent his anni temporibus tortam panis triticei pro tota materia pitantiæ singulis hebdomadibus fuisse tantum singulis ministratam, ex supradictis enim apparet quod ministraretur illis pulmentum sive pitantia; sed sensus est quod in Adventu et Quadragesima panis triticeus eis daretur quasi pro augmento pitantiæ, et prima die hebdomadæ recipiendo pitantiam pro prandio, simul reciperent et tortam illam triticeam pro tota hebdomada. Ad cujus rei memoriam adhuc apud nos servatur in plerisque domibus ordinis, ut tempore Adventus et Quadrage-

CAPITULUM LIV.

De minutione eorum.

1. Quater in anno minuuntur, circa Kalendas Maii, circa Idus Julii, circa Kalendas Octobris, circa Kalendas Februarii. Minutis tribus diebus pitantia mane, vinum autem bis datur. Duobus prioribus diebus, tria, si adsunt, ova adduntur cœnæ.

2. Si sitierint post prandium, vinum bibunt, non tamen in alterius cella. Hoc enim nequaquam conceditur, ut quilibet in cujuslibet cella quidquam vel bibat vel comedat. A laboribus vacant, ad lectos redeunt, a post prandium usque ad vesperas colloquium de bonis faciunt. Qui vero non minuitur eamdem quam minuti compellitur accipere refectionem.

CAPITULUM LV.

De silentio ad prandium.

1. Edentes, ubicunque sint, silentium tenent; quod licet et prius, tamen post exemplum reverendissimorum ac Deo dilectorum Cisterciensium [*al.* Deo dilectissimorum Cistellensium] monachorum, quos et religione et numero in brevi multum crevisse gaudemus, perfectius custodimus. Ipsorum enim laici sive monachi non loquuntur in prandio.

2. Nostri etiam, in quacunque obedientia constituti, cum alterius obedientiæ fratribus loqui non habent.

CAPITULUM LVI.

Quid agendum sit in periculis.

Si alicubi vel morbi subitanei, vel ignis, vel alicujus talis periculi necessitas ingruerit, soluto silentio, qui prius potest succurrit.

CAPITULUM LVII.

De vestitu fratrum et utensilibus cellæ.

1. Ad vestitum habent tunicas tres, caligarum paria tria, pedulium duo, sotulares nocturnos et

COMMENTARIUS.

simæ ministretur fratribus feria secunda in prandio placentula triticea, modico oleo et sale mista, de qua comedere possunt per totam hebdomadam, nam illam apud se servant sicut et panem. Ex istis tortis pluries comedimus.

Idem relatum habes in antiquis statutis, part. III, cap. 20, num. 12.

Cap. LIV. — Num. 1. *Quater in anno*, etc. Quinquies minuebantur monachi, conversi quater tantum, ea forsitan ratione, quia per laborem violentum se facilius ab humoribus superfluis vacuabant. Hic vero exprimuntur subsidia corporalia et recreationes, quæ illis concedebantur, eis non absimiles quas monachis concessas fuisse vidimus, cap. 39.

Num. 2. *Qui vero non minuitur eamdem quam minuti compellitur*, etc. Ex hoc loco evidenter appareret quantum mens primorum Patrum, et spiritus instituti nostri distet a scrupulosa et obstinata austeritatum corporalium interpretatione, a spiritu coactionis, et singularitatis, et e contra velit a nobis observari piam et discretam spiritus libertatem, animi flexibilitatem, et singularitatum, etiam in rebus bonis, eliminationem. Ecce enim hic videmus fratrem conversum bene valentem non minutum, nec ideo istis subsidiis et recreationibus indigentem. At nihilominus boni Patres volunt, imo si recuset, compellunt illum ad utendum iisdem beneficiis quibus alii utuntur. Quare hoc? nisi ut doceant nos, ut diximus, qualiter priores Carthusianos solitarios dirigere debeant, et qualiter monachi Carthusiani sinere debeant se a superioribus dirigi? Inde non est mirandum si prudentes superiores nunc aliquando negent quibusdam monachis licentiam servandi abstinentiam in pane et aqua, quia id in dissuetudinem ex justa causa abiit, et esset aliquid singulare, quod nec ab aliis servatur nec servari posset, sic enim juxta hic expressa compelluntur eamdem quam alii accipere refectionem. Credo etiam S. Patrem Brunonem, virum æque sanctitate ac prudentia et doctrina præditum, hunc spiritum et agendi modum successoribus suis insinuasse hac maxime de causa, quia sciebat spiritum sanctæ libertatis solitariis bene dirigendis esse necessarium ut in scrupulos et animi anxietates non decidant, ab obstinatione in suo sensu serventur, et ab his rebus, quæ occultam complacentiam movere aut nutrire possunt, removeantur.

Cap. LV. — Num. 1. *Edentes... silentium tenent.* Ecce qualis est lex silentii ab eis servandi in mensa, sed id non spectat ad alia tempora et exercitia, in quibus silentio illos non sic astringi perspicuum est.

Ibid. *Quod licet et prius, tamen post exemplum*, etc. Hoc exemplo vult incitare fratres conversos ad strictius servandum quod jam ab ipsis ex ordinis instituto servabatur

Num. 2. *Nostri etiam in quacunque obedientia constituti, cum alterius obedientiæ fratribus*, etc. Sed inter se dum simul laborant in eadem obedientia loqui possunt, ut ex capitulis 44 et 45, et aliis locis evidens est.

Idem refertur in statutis antiquis, part. III, cap. 3, num. 8 et 3.

Cap. LVI. — Idem refertur in antiquis statutis, III part., cap. 22, num. 1.

Cap. LVII. — Num. 3. *In superiori dormitorio*, etc. Cellas singulas distinctas habuisse tunc fratres conversos ex ipso titulo liquet. At nihilominus dor-

diurnos, pelliciam, pelles, mantellum, caputium, mitanas [*al.* mitaneas] lineas unas, lumbaria duo, cingula duo, sotulares eorum de bovina pelle fiunt.

2. A Kalendis Novembris unam tunicam veterem reddunt, unamque novam accipiunt : similiter par caligarum reddunt, et par caligarum parque pedulium sumunt. Pelles et pellicias accipiunt veteres, eas videlicet quas reddunt monachi, cum novas accipiunt. Habent adhuc ad lectum pa[illegible]leam, filtrum, pulvinar, cotum.

3. A Pascha usque ad festum S. Michaelis a prima usque ad completorium nocturnis sotularibus non utuntur. In superiori etiam dormitorio communes lectos, pellicias, sotularesque nocturnos habent. In omnibus hujusmodi aliud nihil curatur, nisi ut frigus arceatur et nuditas tegatur. Nam et ligaturas sotularium et renum cingula de cruda gerunt canabe lumbariaque ipsa canabina sunt. Adeo non quid vanitas aut voluptas, sed quod [*al.* quid] sola necessitas aut utilitas postulet cogitatur.

4. Habent et scutellas duas ad cibos, ad panem unam mantilis loco, ad munditias unam grandiorem, justam scyphum, salariam, cochlear et cultellum, vas aquarium, ferramenta etiam, secarim, fossorium, dolabrum, subulam, falciculam, acus duas, filum forfices terebrum. Hæc quicunque legerit ridere vel reprehendere non festinet, nisi prius vitam hujusmodi in tali solitudine et inter tanta duxerit frigora.

CAPITULUM LVIII.

Quod loquendi cum extraneis licentiam non quærunt.

1. Colloquendi simul cum his qui domus hujus non sunt licentiam non quærunt, nec [*al.* ne.] cum germano quidem.

2. Nihil omnino, nisi cum licentia apud se tenent.

3. Accusati, sine mora prostrati veniam petunt. Reprehensorem in eadem die non reprehendunt.

CAPITULUM LIX.

Quid fiat de re alicui nostrum missa.

Si alicui nostrum sive laico sive monacho, ab aliquo, vel amico vel propinquo, vel vestis vel aliquid hujusmodi missum fuerit, non ei sed alii potius datur, ne quasi proprium habere videatur.

COMMENTARIUS.

mitorium erat in superiori domo, id est ampla camera separatis ab invicem lectulis repleta, ad quam divertebant fratres a domo inferiori ad superiorem diebus festis ascendentes. Impossibile enim erat ut duplices cellas singuli haberent, unam in inferiori, et alteram in superiori domo. Per *communes lectos* intelligit, qui occupabantur a singulis fratribus prout occurrebat, ita ut alicui singulari proprius non assignaretur, qui eo absente ab alio non posset occupari.

Num. 3. *In omnibus hujusmodi aliud nihil curatur nisi ut frigus*, etc. Hic haberent judicium contra se conscriptum qui apud nos vellent sive in panno quo vestes componuntur, sive in ipsa vestis compositione aliquid curiose quærere, quod nitorem sæcularem redoleret. Sed, ut prudenter statim subdit R. P. Guigo, si eliminandæ sunt a nostris vestibus vanitas et voluptas, necessitas aut utilitas non sunt repudiandæ.

Num. 4. *Hæc quicunque legerit*, etc. Hic repetit circa fratres quod jam dixerat circa monachos, cap. 28. Sciebat enim vir sanctus mundum abundare censoribus indiscretis, qui seipsos negligentes, judiciis nihilominus, censuris, atque factis aliorum indiscriminatim arguendis, fere totum vitæ tempus impendunt, et ne inde nostri ad scrupulos moverentur prævenit eos, et ita hic ex professo loquitur.

Totum hoc capitulum relatum habes in antiquis Statutis, part. III. cap. 23, n. 1, 4 et 5.

CAP. LVIII. — Num. 1. *Cum his qui domus hujus non sunt licentiam non quærunt, nec cum*, etc. Idem jam dixit pro monachis R. P. Guigo, cap. 3. Ad conversum non pertinet quærere licentiam sicut nec ad monachum, ut loquatur etiam cum germano fratre; sed nihilominus tum germanus frater, tum alii possunt licentiam illam petere a præsidente et obtinere, prout ex cap. 10 et 30 evidenter constat. Non sic de his qui domus sunt : nam licentiam petere cum his colloquendi, nec hic nec alibi prohibitum esse comperimus.

Num. 3. *Accusati sine mora*, etc. *Reprehensorem*, etc. Hic formam habemus mortificationis intimæ, quam profitebantur primi Patres nostri, in qua servanda modum non apponebant sicut in austeritatibus corporalibus illos studiose apposuisse constat, sed volebant amori privato in excusationibus nuntium absolute remitti. Quod certe genus mortificationis omnes austeritates corporales longe superat, et ad studium conversionis morum, de qua votum emittimus, spectat, sicque ad medullam veræ mortificationis et sui ipsius abnegationis in homine interiori, ubi Deus invenitur, nos aspirare debere exemplo illo docebant, quod in prologo modernorum statutorum, ubi de Deo in interiori homine quærendo agitur, diserte explicatur.

Idem relatum invenies in antiquis statutis, part. III, cap. 3, num. 4. Item cap. 23, num. 5, itemque cap. 12 II partis, num. 13.

CAP. LIX. — *Non ei sed alii potius datur*, etc. Inde apparet quam stricte vellent omnem proprie-

CAPITULUM LX.

Quid de re inventa faciendum sit.

1. Si intra [*al.* infra] terminos nostros aliquid inventum fuerit, ei protinus cujus est, si adest, sin autem, procuratori redditur. Si autem extra terminos aliquid a nostris inventum fuerit, fratribus, aut suo domino statim, si fieri potest, redditur, aut ei, per quem melius et fidelius reddi posse putatur, commendatur: alias intactum dimittitur.

2. Vestiti singulis tunicis et cincti jacent in cellis et dormitorio.

CAPITULUM LXI.

De brachis et parvis pelliciis fratrum.

1. Pastores autem habent brachas canabinas, quas tunc induunt cum caseos faciunt; aliter lineis omnino non utuntur [*al.* utimur] vestibus, ne feminalibus quidem.

2. Concessimus adhuc pastoribus pellicias parvulas, quæ duabus fere vervecinis pellibus possint fieri, quibus, nisi cum hiematum foras exeunt, non utuntur.

3. In mulgendo, ubicunque sint, semper silentium tenent.

CAPITULUM LXII.

De fratre qui sagmarios curat.

1. Frater qui sagmarios curat, quando foras egreditur, in culcitra non jacet, nihilque nisi hospitium quærit, nisi vel prior vel procurator aliquid ei specialiter injunxerit.

COMMENTARIUS.

tatis speciem a se excludere. Si autem quisquam a me quæreret in quibus consistere crederem austeritatem primorum Carthusianorum, absque ulla hæsitatione responderem illam constitutam fuisse :

Primo, in voluntatis propriæ abnegatione, qualem requirit R. P. Guigo;

Secundo, in amoris privati, ut ita dicam, suffocatione, qualem describit in præcedenti capitulo ;

Tertio, in omnis proprietatis abdicatione, qualem hic notat ;

Et quarto, in solitudinis devota observantia, cui absint studium orationis intimæ et a rerum temporalium inutilibus curis et concupiscentiis elongatio, nam si illa deficiant, solitudo nec potest esse devota nec quieta.

Ad hæc pondera debet quisque nostrum voluntatis suæ propositum, actus suos et voluntarios affectus adducere, ac secundum quod plus minusve ab his ponderibus aberrabit, secure pronuntiare plus vel minus ad spiritum nostri instituti et primorum Patrum vicinius accedere aut longius ab eo distare. Parum attendendum est diminutioni illi abstinentiarum in pane et aqua, quia id primi Patres nostri sub obedientiæ regimine constituerunt, et sub hac tantum conditione admiserunt, ne veluti res nostras in istis consistere putaremus, quas fere pro nihilo R. P. Guigonem habuisse constat, ex cap. 35, in comparatione obedientiæ. Unde ex hac parte nulla relaxatio potest juste ordini imputari, ut suis locis probabitur. Nec etiam est attendendum temporalium rerum et curarum augmento, dummodo intra metas per moderna statuta præfixas et expressas contineatur, quia id temporum rationi et necessitati imputandum est. Et insuper res ista ad paucos officiales spectat, non ad claustrales, quibus conventus regularis et corpus ordinis conflatur. Sed e.. quatuor principiis supra notatis omnia argumenta nostræ singulorum perseverantiæ in primo Carthusiensi instituto debent deduci. Argumenta autem A perseverantiæ totius ordinis in genere, ex suis statutis et ordinationibus capitulorum generalium debent colligi, quia inde ea tantum sunt haurienda quæ toti ordini possunt imputari, non autem ex quarumdam singularium personarum actibus.

Hæc quatuor componunt scopum, ad quem tendere debemus, quemque nobis, sicut et sibi constituerunt S. P. Bruno et ejus successores, et ad quem studiorum suorum et affectuum jacula emittebant, proponere debemus. At cum certum sit illos ut homines nihilominus aliquando tunc peccasse, non debemus etiam hunc res æstimare, ac si possemus et deberemus esse impeccabiles. Si ergo interdum erramus ut homines, nunquam ab hoc scopo recedamus, sed semper in proposito et studio habeamus : B

Primo, abnegationem propriæ voluntatis;

Secundo, amorem correptionis ac studium continuæ emendationis, per relationem ad votum conversionis morum quod emisimus;

Tertio, abdicationem proprietatis;

Et quarto, observantiam devotæ solitudinis a temporalium rerum cura et concupiscentia dissitæ.

Idem relatum habes in antiquis statutis part. II, cap. 22, n. ult.

Cap. LX.— Num. 1. *Alias intactum dimittitur.* Hic apparet quanta puritatis conscientiæ circumspectione nollent nostri rem alienam habere, cum nec in hoc casu a suis tangi illam vellent. Et hoc exemplo demonstrant quantum a rerum terrenarum concupiscentia liberi esse debeamus. C

Idem relatum habes in antiquis statutis part. II, cap. 22, n. 2.

Cap. LXI. — Linum distinguunt a canabe, et primi usum rejiciunt, quia est delicatius. Hic autem exprimunt quidquid ad frigus arcendum, et modestiam in opere de quo agitur servandam conducit.

2. Nullius nostrum vel verba vel salutes ad aliquem exteriorem, nulliusque exterioris ad aliquem nostrum, nisi priore vel procuratore jubente, fert aut refert. Sæculares rumores ubi audit, ibi jubetur dimittere.

CAPITULUM LXIII.

De horto.

Hortus et quæ ad eum pertinent uni deputatur e fratribus, qui de omnibus ad procuratorem recurrit, eique de cunctis rationem reddit.

CAPITULUM LXIV.

De custode pontis.

1. Pontis custos cum nullo prorsus, nisi specialiter jussus, fabulandi licentiam habet; nutibus tantum, vel, si non intelligitur, etiam verbis eos qui non debent transire, repellit. Idipsum servare jubetur, quicunque vices ejus exsequitur.

2. Et omnino quicunque in quacunque obedientia cujuslibet agit vices, nihil omnino in ea sine licentia mutare permittitur. In cellis quoque ipsis sive superius sive inferius, nihil nisi prius ostensum et jussum mutari fierive sinitur, ne domus laboriose factæ curiositate deteriorentur [*al.* deterantur] vel destruantur.

CAPITULUM LXV.

De disciplinis fratrum.

1. In Adventu et Quinquagesima per singulas hebdomadas singuli singulas accipiunt disciplinas.

2. Quod si domi non fuerint, septies pro disciplina *Pater noster* cum veniis dicunt.

CAPITULUM LXVI.

De cinere.

Cinerem qui adsunt in inferiori capella de manu procuratoris accipiunt. Qui non adsunt, ter *Pater noster* cum veniis dicunt.

CAPITULUM LXVII.

Quid faciant pro missa.

Item ter *Pater noster* a Capite jejunii usque ad Pascha, post nonam prostrati pro missa solvunt.

CAPITULUM LXVIII.

De Cœna Domini.

In Cœna Domini, qui inferius remanent, veniunt post prandium ad coquinam, et ab eo qui prior est ordine lavantur cæteris pedes, offerturque singulis vinum, et bibentes recedunt.

COMMENTARIUS.

Idem habetur in antiquis statutis part. III, cap. 18, n. 17; cap. 3, n. 2; cap. 18, n. 18.

Cap. LXII. — Ex hoc capitulo evidenter apparet, quod supra diximus, sagmariorum nomine mulos significari, et quantum nostros cavere vellent a pruritu curiose discendi quid in sæculo agatur, aut rumoribus publicis attendendi.

Idem refertur in antiquis statutis part. III, c. 26, n. 1.

Cap LXIII. — Ex hoc capitulo et aliis, ubi de rei familiaris administratione agitur, apparet quam ordinate cuncta disponi et sub obedientiæ merito constitui vellent.

Idem refertur in antiquis statutis c. 15, part. III, n. 1.

Cap. LXIV. — Pons iste alius est inter duas præruptas et excelsas rupes ex parte itineris Gratianopolitani, inter quas præterfluit torrens aquarum ex montibus et fontibus circumvicinis confluentium. Qui torrens, quando ex pluviarum vel nivium liquescentium abundantia inflatur, tanto impetu et boatu inter saxa decidit et excurrit, ut fragores tonitrui æmuletur.

In hoc autem capitulo nihil aliud notandum occurrit, præter eamdem silentii et obedientiæ formam servandam, quæ in omnibus per istas R. P. Guigonis Consuetudines assignatur.

Idem habetur in antiquis statutis part. III, cap. 27, n. 1; cap. 28, n. 30.

Cap. LXV. — Idem in antiquis statutis, part. III, cap. 4, n. 1, refertur, et eodem modo etiamnum servatur.

Cap. LXVI. — Loquitur R. P. Guigo de feria quarta ante Quadragesimam, quæ *Cinerum* vocatur, eo quod ea die cinis capitibus imponatur.

Idem refertur in antiquis statutis part. III, cap. 5, n. 1.

Cap. LXVII. — Hic statuitur pietatis pensum, quod pro missa Quadragesimali solvant, quæ quotidie in superiori domo conventualiter celebrabatur.

Idem refertur in antiquis statutis cap. 6, part. III, n. 1.

Cap. LXVIII. — Domus inferior non poterat ab omnibus deseri; maxima ergo parte ad domum superiorem ascendente, qui domi remanebant cæremoniam lotionis pedum exsequebantur, quam tantum hic innuere videtur, adeo succincte de illa scribit R. P. Guigo, quod et in pluribus aliis similiter fecit.

Offeruntque singulis vinum, et bibentes recedunt. Imitabantur in hoc ritum qui a monachis servari præscribitur supra cap. 4, n. 23.

Idem refertur in antiquis statutis part. III, c. 7, n. 3.

CAPITULUM LXIX.

De Parasceve.

1. In crastino, hoc est in Parasceve, qui ibidem, hoc est inferius, sunt, post nonam, quæ plus ea die quam cæteris differtur, veniunt ad ecclesiam, ibique *Pater noster* semel pro Ecclesia, semel pro papa, pro episcopis et cunctis sacris ordinibus, pro imperatore, pro catechumenis, pro cunctis afflictionibus et periculis, pro hæreticis, pro Judæis, pro paganis, veniis, exceptis Judæis, ad singula subjunctis, dicunt.

2. Deinde oblatam a coquinario crucem venerabiliter osculantur, dicentes intra se : *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.* Qui hoc non scit, dicit semel, *Pater noster.*

CAPITULUM LXX.

Quomodo se habeant in solemnitatibus.

Omni totius anni die quo capitulum tenetur, qui sursum non ascendunt, nisi prohibuerint obedientiæ, cellas tenent, et spatium quod inter Tertiam et Sextam est, orationi impendunt.

CAPITULUM LXXI.

Quid faciant pro defunctis.

Pro recenter defuncto trecentas Orationes Dominicas debent, quarum medietatem cum veniis reddunt. Et in singulis anniversariis, novem cum totidem veniis.

CAPITULUM LXXII

De rasura fratrum.

1. Quoties monachi, toties raduntur et laici. Sed laici insuper etiam capita lavant. Omnia autem obsequia, quamlibet privata, quæ sibi ipsis singuli non occurrunt aut non possunt facere, ab aliis humiliter devoteque complentur; ita ut felicem se putet cui tale quidquam fuerit imperatum.

2. Obviantes etiam sibi invicem, amica alacritate et humili supplicatione mutuo locum dantes, servata pertranseunt silentio. In quo juniores, id est qui posterius venerunt, satagunt prævenire majores.

CAPITULUM LXXIII.

De novitio suscipiendo.

1. Laicis ad professionem suscipiendis, idipsum pene fit quod et clericis, nam similiter dura proponuntur eis et aspera.

COMMENTARIUS.

Cap. LXIX. — Ibi notantur quædam publica pietatis exercitia a remanentibus in domo inferiori peragenda, et idem refertur in antiquis statutis, part. III, cap. 7, n. 4.

Cap. LXX. — Hic luce clarius apparet nomine *solemnitatis* piam scriptorem intellexisse quodlibet festum capituli. Hic etiam statuitur qualiter tempus impendere debent qui in domo inferiori diebus festis remanent.

Idem refertur in antiquis statutis, part. III, cap. 8, n. 1.

Cap. LXXI. — Id tantum reddebant pro recenter defunctis in propria domo, nam tunc temporis nulla fiebat mentio Beneficiorum pro aliis per suffragia reddendorum.

Veniarum nomine intelligimus piam cæremoniam qua genua flectimus, et scamnum aut terram osculamur. Idem refertur in antiquis statutis, part. III, cap. 9, n. 1.

Cap. LXXII. — Num. 1. *Sed insuper etiam capita lavant.* Omnium nunc capita lavantur et raduntur. Nullam autem mentionem facit de barbis conversorum longioribus, quia tunc fere similes habebant monachi, cum sexies tantum in anno raderentur. Præcipuam rationem istius mutationis assignavimus supra, cap. 9.

Ibid. *Omnia autem obsequia,* etc. Hic habemus formam humilitatis et charitatis quam sequi debemus omnes in mutuis obsequiis nobis invicem reddendis.

Num. 2. *Obviantes autem sibi invicem,* etc. Hic videmus quam alienum esset a spiritu et praxiprimorum Carthusianorum illa vultus et gestuum asperitas quæ spiritum melancholicum redolet, cum e contra vultum potius gaudii et piæ hilaritatis velint a suis in occursu fratrum assumi, et longe ab illa rustica inurbanitate distantes exigant comitatis et, ut ita dicam, urbanæ charitatis praxes a nobis modeste servari. Male ergo intelligunt statuta, qui verbum *sanctæ rusticitatis* ibi reperientes, putant omnia a nobis cum incompta rusticitate esse agenda. Non sic, amici et fratres in Christo dilectissimi, non sic rusticitas illa intelligenda est, sed per sanctam rusticitatem intelligere debemus modos agendi simplices, sinceros et ingenuos, qui nos a mundi spiritu et vanitatibus longe distare testentur, quosque in omnibus servare debemus.

Idem refertur in antiquis statutis, III parte, cap. 21, num. 1 et 4, cap. 3, num. 2.

Cap. LXXIII. — Num. 1. *Laicis ad conversionem,* etc. Inde natus est usus in ordine vocandi conversos illos fratres qui ad clericatum non sunt apti aut dispositi.

Ibid. *Idipsum pene fit quod et clericis.* Per clericos R. P. Guigo intelligit monachos. Unde patet quod tunc (prout etiamnum servatur) nullum reciperent

2. Jubentur etiam adversum se habentibus aliquid reconciliari, et in quanta priori placuerit, non minus tamen quam annua, admittuntur probatione, et ad eorum inter quos conversati sunt, laicorum scilicet, suscipiuntur testimonium, sicut clerici ad testimonium monachorum.

3. Ea autem die qua eorum professionem facturus est aliquis, ad capitulum perducitur monachorum, ubi de stabilitate et obedientia cæterisque necessariis audiens, cum immobilis imperterritusque permanserit, rogat aliquem ore proprio, ut suam sibi scribat professionem, in cujus fine ipsemet manu propria signum crucis depingit. Quam etiam manu gestans, post evangelium et offerendam ad cornu dextrum appropinquat altaris, eamque, sicut est in ejus dextera, diaconus, cunctis audientibus, legit ita dicens.

CAPITULUM LXXIV.

Professio laici.

1. *Ego frater* ille, *promitto obedientiam et conversionem morum meorum, et perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ, in hac eremo, coram Deo et sanctis ejus et reliquiis istius eremi quæ constructa est ad honorem Dei et beatæ semper virginis Mariæ, et sancti Joannis Baptistæ, pro timore Domini nostri Jesu Christi et remedio animæ meæ, in præsentia domini,* illius, *prioris. Quod si aliquo tempore unquam hinc aufugere vel abire tentavero, liceat servis Dei qui hic fuerint me plena sui juris auctoritate requirere, et coacte ac violenter in suum servitium revocare.*

2. Post hæc hanc ipsam chartam offert super altare, et osculato altari incurvatur ad pedes sacerdotis, tali obsecratione benedicendus: *Salvum fac, Mitte ei, Esto ei, Dominus vobiscum, Oremus, Domine Jesu Christe, qui es via.* Require superius.

CAPITULUM LXXV.

Quomodo se habeat frater postquam susceptus est.

Ab hoc tempore noverit [*al.* novit] se nihil omnino, neque baculum quidem quo per viam gradiens innititur, sine prioris habere licentia; quippe cum nec ipsemet suus sit. Erga quem idipsum quod superius de monacho diximus, servabitur, ut scilicet pro eo nihil minus fiat, si intra examinationis tempus acceptabiliter agens mortuus fuerit, quam si professus esset.

COMMENTARIUS.

ad statum monachorum qui ad clericatum non esset idoneus. Inde nata est vetus illa interrogatio quæ fit novitio in ordine antequam admittatur: *An possis ad sacros ordines ascendere?* Sensus est, an aliquod impedimentum sive corporale, sive spirituale, habeas, quo a sacris ordinibus arcearis. Omnes ergo, R. Patris Guigonis tempore, poterant ad sacerdotium promoveri. Sed quamvis plures sacerdotes essent in monasterio, certum est quod non omnes tunc celebrarent, eo modo et tempore celebrare contenti, quæ in primis istarum consuetudinum capitulis exprimuntur.

Ibid. *Nam similiter dura proponuntur*, etc. Probatio conversorum non minus severa debet esse quam monachorum, quia conversi nisi bona vocatione, id est cœlesti, aut putata tali, ad monasterium fuerint adducti, et nisi intenso studio suæ vocationis officiis adimplendis strenue vacent, per exercitia externa quibus destinati sunt, facilius in dissipationem, deinde in relaxationem habitualem, et postmodum in varias peccandi occasiones decidere possunt, quod monachis in claustro semper degentibus non tam facile evenire potest.

Num. 2. *Et in quanta priori placuerit, non*, etc. In prioris ergo tunc erat arbitrio tempus probationis ultra annum et quantum vellet prorogare; et de testimonio a laicis tantum recipiendo, non de suffragio necessario requirendo tunc agebatur, de qua re jam quædam diximus c. 37. Inde non est mirandum si bonis de causis et ex rationibus experimentalibus, probatio quinque annorum in statu donatorum communiter assignata sit apud nos his temporibus antequam frater laicus ad statum conversorum admittatur.

Num. 3. *Rogat aliquem ore proprio*, etc. Id ita statuitur, quia maxima pars conversorum Carthusiæ erat ex statu mechanico aut rustico oriunda; quamvis postea viri valde nobiles statum illum ex humilitate et devotione amplexi sint, qui ordinem magno virtutum splendore decoraverunt.

Idem capitulum refertur in antiquis statutis, III parte, cap. 24, n. 1.

Cap. LXXIV. — Num. 1. *Et perseverantiam.* Id æquivalet verbo *stabilitatis*, quod proferunt monachi in sua professione, imo aliquo modo superat, quoad exprimendam stabilitatem manendi in eodem loco.

Ibid. *Quod si aliquo tempore*, etc. Ista expressionis extensio fiebat, ut obligationem stabilitatis ab eis servandæ plenius intelligerent, et ex consensu expresso in illam conditionem, qua possint per vim ad servitium domus reduci, scirent se in servitutem Dei et ordinis per votum expressum devenisse, et conditionem servorum pro Dei amore voluntarie assumpsisse. Ex qua conditione videtur quod non sint comprehensi sub conditione fugitivorum, de quibus inferius, cap. 77.

Idem refertur III parte antiquorum statutorum, cap. 24, num. 5.

Cap. LXXV. — *Ne baculum quidem*, etc. *Sine prioris habere licentia*, etc. Insinuat noviter professis R. Pater Guigo qualis debeat esse suimetipsorum

CAPITULUM LXXVI.

De hospitio Fratrum qui foras mittuntur.

Cum aliqui foras mittuntur in vicinis montanis, id est, a Cornelione superius, et a Bocoirone, et ab Intermontes, et a Scalis, nec escam a quoquam nec hospitium accipiunt, nisi aut specialiter jussi, aut aliqua inevitabili et inopinata necessitate coacti.

CAPITULUM LXXVII.

De fugitivis, sive expulsis.

Si quis habitatorum loci hujus vel aufugerit, vel pulsus fuerit, et ductus pœnitentia redierit, promittens suarum emendationem perversitatum, et ejus proprie vitii propter quod pulsus fuerat vel aufugerat, tractabit prior causam ejus communi consilio, et sicut vel fratrum numerus vel domus utilitas, vel etiam salus ipsius postulare videbitur, faciet ei; et si consilium recipiendi placuerit, ad probationem humilitatis in ultimo constituetur loco. Sin autem, dabitur ei licentia ad aliquam aliam religiosam eundi domum, in qua suam possit animam salvam facere.

COMMENTARIUS.

abnegatio, in proprio non habendo et in propria voluntate deserenda.

De licentia autem prioris hic tantum fit mentio, quod ad obedientiam refertur, et nihilominus de paupertate perfecte servanda etiam agitur. Ratio est quia licet votum paupertatis non explicite emittamus, sicut nec votum castitatis, certum est quod in voto obedientiæ contineantur veluti infans in utero matris, et ita semper fuit intellectum in ordine. Unde non est mirum si R. Pater Guigo obedientiam veluti omnium bonorum nostrorum fontem ubique consideret et prædicet, quia est veluti mater in sinu habens alia vota paupertatis et castitatis, cunctasque observantias ordinis; si autem mater lædatur aut moriatur, quid de progenie ejus sperandum est? Hæc comparatio si non plene, certe valde convenit sensui R. P. Guigonis, et nostro instituto exponendo, et recte capiendo.

Idem refertur tertia parte antiquorum statutorum, cap. 25, num. 1.

Cap. LXXVI. — *Foras mittuntur*: id est extra terminos. Hic autem exprimuntur loca in vicinis montanis aut planis sita, ad quæ communius poterant mitti conversi; ubi hospitium et escam a quoquam recipere prohibentur, idque ea de causa quam supra attigimus, ne in familiaritatum et inde in relaxationum occasiones inciderent.

Cap. LXXVII. — *Vel aufugerit vel pulsus fuerit.* Hic expressum habemus modum agendi tunc usitatum cum his qui erant aut fugitivi, aut propter pravos mores e monasterio expulsi. Non est autem mirandum si in quibuscunque communitatibus, etiam in propositi sui nativo fervore constitutis, reperiantur homines qui in similes casus decidant. Status enim monasticus, quantumlibet sancte institutus et acquirendæ sanctitati atque conservandæ aptissimus, non potest efficere ut homines cessent esse homines, cum nec status apostolicus effecerit ut Judas non fuerit proditor, ac deinde suiipsius homicida. Cur ergo tam alte exclamant homines super casu alicujus monachi? Quia seipsos nesciunt, et propria opinione cæcati seipsos non attendunt, et quotidie cadentes ut miseri homines, adhuc ignorant quid sit esse hominem. Si ergo saperent et intelligerent, zelum quidem contra peccatum exercerent, sed super peccatore gemerent, compaterentur et sibi caverent.

Hic videtur quid tunc fieret ut caulæ monasticæ ab infectis ovibus purgarentur, ne alias inficerent. Non specificatur casus pro quo monachus aut conversus potuisset expelli, sed generaliter *perversitatum* et *vitii* nomina usurpantur. Non dicitur etiam quod fugitivos monachos requirerent. Id tamen subaudiendum esse videtur, cum in forma professionis conversorum innuatur, quamvis huic interpretationi obstare videantur verba sequentia. Sed omnia conciliabuntur, si fiat distinctio inter fugitivum simpliciter, et fugitivum simul et perversum, et dicatur primum ad se etiam coacte revocare potuisse, secundum autem noluisse, quia causa perversitatis etiam expelli merebatur.

Et ductus pœnitentia redierit. Hic non de coacto reditu agitur, sed de libero pœnitentiæ ac intimæ conversionis motivo procedente.

Promittens suarum emendationem perversitatum. Perversitatum nomen in plurali positum graves culpas indicat, et quasi habituales effectas, ex solo enim peccandi habitu, homo perversus et quasi moribus depravatus dicitur; peccator vero tantum dicitur, qui ex humana infirmitate in peccatum incidit, nec peccare perseverat.

Tractabit prior causam ejus, etc. Talis ergo fugitivus aut expulsus, etiam sponte reversus et pœnitentia ductus, non statim recipiebatur; unde apparet quantum illis temporibus circumspecte agerent boni Patres, et cum scrupulo cavere vellent ne ovem aliquam morbidam reciperent, quæ aliis damnum inferre posset, bonum communitatis præferendo utilitatibus privatæ personæ.

Et sicut vel fratrum numerus, vel domus utilitas, vel etiam salus, etc. Ex fratrum numero gravitatem consilii ex plurium conglobato sensu provenientem vult exprimere R. P. Guigo; et hic varia capita consideranda seu ponderanda assignat, ex quibus veluti principiis convenientior deduceretur conclusio, qua communitatis utilitas, et quod saluti expulsi aut fugitivi magis conveniebat simul concordarentur.

Et si consilium recipiendi placuerit, ad probationem humilitatis, etc. Hinc apparet quod antequam ad

CAPITULUM LXXVIII.

De numero habitatorum.

1. Numerus habitatorum hujus eremi, monachorum quidem tredecim est, non quod semper tot simus, nunc enim non sumus tot, sed quod tot, si Deus eos miserit, suscipere instituimus. Sed et si talis aliquis unus, cujus utilitas et honestas videatur vix posse recuperari, misericordiam postulaverit, addetur et quartus decimus, si tamen facultas domus tolerare posse putabitur.

COMMENTARIUS.

pristinum statum expulsus aut fugitivus admitteretur, fieret probatio humilitatis, ut ex probata humilitate veritas conversionis agnosceretur. In qua probatione, adinstar ejus quæ fit in novitiis antequam ad professionem admittantur faciendam, credendum est quod si defecissent, iterum pulsi fuissent, nec ad plenam reconciliationem in ordine admissi.

Sin autem, dabitur ei licentia, etc. Tunc ergo licitum erat propria auctoritate dare licentiam transeundi ad alium ordinem, quod nunc non licet.

In hoc capitulo videtur qualis erat tunc politia monastica, jure etiam antiquo canonico approbata, qua caulas monasticas primi Patres purgare poterant a morbidis ovibus, reliquumque gregem immunem reddere a tot damnis, vexationibus et scandalis, ex discolorum tepida aut mala conversatione provenientibus. Ex qua purgatione certum est disciplinam monasticam, et saniorem, et puriorem et durabiliorem tunc potuisse servari : habebant enim ad manum remedium efficax, quo possent malum de medio sui auferre. Nunc vero gravibus de causis ad publicum bonum status tum ecclesiastici, tum civilis, pertinentibus, jurisprudentia illa mutata est, et si quæ ex ovibus ad professionem semel admissis morbidæ aut vitiosæ fiant, cum bonis mixtas in eadem caula nunc servare cogimur, resecato illo pristino purgationis remedio, quod tantum ex raris causis nunc conceditur.

Magnam inde cladem statui monastico evenisse videtur. At majoribus damnis minora postponi debere justissimum est. Ex multiplicatione enim monasteriorum et religiosorum, atque etiam ex majori facilitate ad religiosam professionem admittendi juvenes, sub illa fiducia quod si non religiose viverent, possent expelli, multiplicatus est etiam numerus istorum expellendorum et expulsorum, qui ad sæculum reversi Ecclesiam et familias non raro vago, otioso, et inordinato vivendi modo scandalizabant et perturbabant. Sensim ergo crescente isto e monasteriis expulsorum numero, et scandalo publico inde augmenta capescente, sensim etiam crevit Ecclesiæ attentio ad januam expulsionis occludendam.

Si de hac re conqueramur, respondebitur nobis : Attendite vobis et cauta discussione rigorosoque examine probate eos quos ad professionem admittitis, nulla vis vobis infertur ad recipiendos monachos. Portate ergo quos libere et voluntarie monachos fecistis ; non est enim justum ut pro vestro commodo respublica detrimentum et Ecclesia scandalum ex tot decucullatis religiosis patiantur. Circumspecte agite, cum recipitis novitios ad professionem ; illos bene in disciplina regulari educate; corripite, incarcerate discolos, et satius est ut vitiosi intra monasterii septa reclusi comprimantur, quam ut in libertate positi pristinum vitæ austerioris usum per vitiosam conversationem compensare sinantur.

Ad hæc quid respondebimus? Unum tantum mihi occurrit, salvo meliori judicio, objiciendum. Occurrunt certi casus, in quibus revera ordinibus monasticis valde compatiendum est, et in quibus provisio aliqua de convenienti remedio optanda esset ; et hi casus ex deceptione procedunt, atque ex sæcularium mera culpa, qui ut rebus suis provideant, infelices monachos facere student. Sunt enim juvenes qui vel a parentibus incitati, vel mera necessitate pressi, vel aliis motivis mere humanis ducti, veniunt ad monasterium absque ulla vocatione cœlesti, ubi per annum novitiatus se cohibentes, ac satis modeste et religiose viventes, conventum quidem regularem, sed seipsos magis quam alios decipiunt. Nam professione emissa seipsos jam ferre non valentes, quales sint manifestare incipiunt, et pro zelo semper in via Dei proficiendi, relaxationum quærendarum industriam substituunt, et in praxim reducunt : circa ista damna lugenda et remedia eis adhibenda disserere desinamus, sed quod nostrum est facere curemus.

His ergo temporibus, quibus remedium purgationis caularum nostrarum ablatum est, quid agendum est? Si temporibus R. Patris Guigonis, cum remedium in manibus haberent, tam circumspecte circa receptionem eorum qui volebant fieri Carthusiani, se gerebant, longe circumspectius et rigidius cum postulantibus nunc agamus, et omni industria probare satagamus, et scire an vocatione cœlesti attracti, Deum in professione Carthusiana quærere veniant, et an dispositiones ad onera ordinis portanda habeant.

Porro humanum dicendo, cum Apostolo, propter infirmitatem humanam, quæstionem istam his verbis concludamus. Nunquam fuit nec erit congregatio monastica, quantumlibet bene ordinata, quæ cum bonis et mediocribus aliquos non habeat qui vocationis suæ gratiam ex culpa sua neglexerint vel amiserint. Ex hoc capite et alio quod supra notavimus de intrantibus in religionem absque vocatione cœlesti, et ex nimia indulgentia in puniendis excessibus et transgressionibus, nascuntur fere graviora damna in monasteriis.

Cap. LXXVIII. — In isto capitulo nihil præfixum habetur unde concludi possit quod mens primorum Patrum esset, ut singulæ domus ordinis admittere tantum debuissent certum aliquem numerum monachorum, ultra quem non esset progrediendum.

2. Laicorum autem numerus, quos conversos vocamus, sexdecim statutus est; nunc vero plures sunt, nonnulli namque eorum senes ac debiles erant et laborare non poterant, et ob id alios sumus coacti suscipere. Unde pro his qui nunc fragiles sunt, cum obierint, alios non accipiemus.

CAPITULUM LXXIX.

Quare tam parvus sit numerus.

1. Hanc autem numeri paucitatem eadem consideratione delegimus qua nec hospitum equitaturas procuramus, nec domum eleemosynariam habemus; videlicet ne ad majores quam locus iste patitur expensas coacti quærere et vagari, quod horremus, incipiamus.

2. Quod si posteri nostri hunc ipsum tam parvum numerum aliquibus occasionibus, quas ignoramus, hoc in loco sine quærendi et vagandi odibilibus officiis procurare nequiverint, si nostris voluerint acquiescere consiliis, ad eam redibunt quantitatem quam sine prædictis possent portare periculis. Nos enim qui in præsentiarum hic degimus, quamvis pauci simus, multo pauciores esse mallemus quam ad illa mala, servato vel multiplicato numero, pervenire.

3. Attendentes igitur non munera quæ mittuntur, neque enim propter incerta beneficia, onera certa quæ nec portari nec deponi sine grandi possint periculo subeunda nobis videntur; non ergo munera considerantes, sed quid hæc ipsa in qua sumus eremus, sive ex agricultura, sive ex pecorum nutrimento reddere possit; putamus præfatum numerum hominum hic vivere posse, si tamen humilitatis, paupertatis, sobrietatis, in victu et vestitu et cæteris ad usum pertinentibus rebus, idem quod hucusque fuit studium perseveret, et si postremo mundi contemptus et Dei amor, propter quem ferri et fieri omnia debent, profectum in dies accipiat.

COMMENTARIUS.

Explicat tantum R. Pater Guigo quod apud se statuerat pro domo Carthusiæ, concordando numerum personarum et onera domus Carthusiæ cum ejus facultatibus, ut statim videbitur. Sed ista in antiquis statutis enucleatius expressa reperientur.

Hoc capitulum relatum habes in antiquis statutis, part. II, cap. 25, nn. 1 et 3, et cap. 34, part. III, n. 2.

Cap. LXXIX. — Hic aperte exprimit R. Pater Guigo rationem cur habitatorum eremi Carthusiæ numerus ad tredecim aut quatuordecim monachos et sexdecim conversos fuerit determinatus, *ne ad majores quam locus iste patitur*, inquit, *expensas coacti, quærere et vagari, quod horremus, incipiamus*. Idipsum repetunt et sæpe inculcant tum vetera tum moderna statuta, et magno studio semper in ordine servatum est, ita ut si omnium domorum ordinis habitatores in unum conflarentur, bis mille et quingenti circiter monachi, mille et trecenti circiter conversi et donati, ac 170 moniales invenirentur, qui per singulas domos distributi, vix ad duodecim monachos et novem laicos pro singulis domibus computarentur.

Domus Carthusiæ, ut jam dixi, quadraginta quinque monachos habere posse censenda est, sed pro tribus domibus nempe Carthusiæ, Curreriæ et Calesii reputatur. Domus Parisiensis quadraginta monachos capit, itemque domus Avenionensis, Papiæ, Neapolis, aliæ etiam quatuor aut quinque ad summum circa amplissimas civitates constructæ eumdem numerum habere possunt. Quædam vero viginti usque ad triginta monachos possunt recipere. Sed reliquæ domus pro maxima parte fundatæ sunt et ædificatæ pro tredecim monachis, id est, duodecim monachis cum priore, qui numerus convenit cum numero hic a R. Patre Guigone expresso. Reperiuntur tamen non paucæ, quæ octo, novem aut decem tantum monachos habent. Sed omnimodis conari debemus ut ad numerum illum tredecim monachorum aliquando assurgant, et sic possint integram observantiam regularem in cantu et lectura refectorii adimplere, quod certe a parvo numero raro potest discrete exigi propter senes et valetudinarios: unde fit ut pondus totius cantus et lecturarum in quatuor aut quinque monachorum humeros decidat. Qua de causa statuta ordinis ordinant cantandum esse recto tono in illis domibus quæ octo monachos non habent.

Numerus ergo habitatorum in domibus ordinis, Deo ita providente, nonnisi mediocris est; amplis enim locis et sumptibus opus est ad construendam et dotandam domum in ordine, quia ex Instituto nostro quisque monachorum domunculam sive cellulam ab aliis separatam habere debet, prout in claustris nostris visitur, ad quod magnus claustri ambitus necessarius est. Insuper sustentatio monachorum Carthusianorum pluris constat quam aliorum, quisque enim habere debet in cellula singularem focum, supellectilem et similia, quæ alibi in communi ministrantur. Hæc autem explicatius annotamus ut mens ordinis, prout semper fuit et est, circa numerum monachorum evidentius agnoscatur, quam hic etiam satis explicat plissimus scriptor, n. 2.

Num. 2. *Quod si posteri nostri*, etc. Non satiari videtur vir sanctus repetere officia illa quærendi et vagandi, quæ odibilia nominat ex cordis abundantia, adeo persuasum habebat id in horrorem posteris suis esse vertendum, quod et factum est. Nam Patres ordinis in veteribus et novis statutis adhuc severius de hac re loquuntur.

Num. 3. *Attendentes igitur non numera quæ mittuntur*, etc. Hic apparet evidenter quanta prudentia polleret R. P. Guigo, et quam aptus esset ad omnia discrete disponenda et prævidenda. Recipiebantur quidem tunc munera, nam de præsenti loquitur, sed cessationem illorum prævidens, omnia disponit ac si jam cessassent.

CAPITULUM LXXX.

De commendatione solitariæ vitæ.

1. Habetis, dilectissimi, sicut petistis, consuetudines qualescunque nostras quoquo modo descriptas, in quibus multa vilia sunt et minuta, quæ scribi forsitan non oportuerat, nisi quia vestra dilectio compellebat nihil judicare, sed cuncta potius parata complecti.

2. Non tamen ita omnia ut nihil omnino remanserit, putamus nos hoc scripto potuisse concludere. Sed facile, si quid effugit, collocutione præsenti poterit indicari.

3. De commendatione autem hujus vitæ, solitariæ scilicet, pene tacuimus a multis sanctis et sapientibus et tantæ auctoritatis, ut eorum vestigia non simus calcare digni, copiose commendatam scientes, et vobis quod æque aut melius nostis ostendere superfluum judicantes.

4. Nostis enim, in Veteri et in Novo maxime Testamento, omnia pene majora et subtiliora secreta, non in turbis tumultuosis, sed cum soli essent Dei famulis revelata, ipsosque Dei famulos, cum vel subtilius aliquid meditari, vel liberius orare, vel a terrenis per mentis excessum alienari cuperent, fere semper multitudinis impedimenta vitasse, et solitudinis captasse commoditates.

5. Hinc est, ut aliquid inde tangamus, quod in agrum ad meditandum Isaac egreditur solus (*Genes.* XXXII), quod ei non casuale, sed consuetudinarium fuisse credendum est. Quod Jacob præmissis omnibus solus remanet, facie ad faciem Deum videt, benedictione simul et nominis in melius mutatione felix efficitur (*Genes.* XXIV), plus assecutus uno momento solus quam toto vitæ tempore comitatus.

6. Moyes quoque, Elias atque Eliseus solitudinem testis est Scriptura quantum diligant, quamtumve per eam in divinorum secretorum revelationibus crescant, quoque modo et inter homines perielitentur assidue et a Deo, cum soli sunt, visitentur.

7. Sed et Jeremias, quod et superius commemoravimus, solus sedet quia Dei comminatione repletus est (*Jer.* XV), poscens etiam dari aquam capiti suo, et oculis suis fontem lacrymarum, ut lugeat interfectos populi sui; locum quoque, ubi se tam sancto possit in opere liberius exercere, postulat dicens : *Quis dabit*

COMMENTARIUS.

Num. 3. *Putamus præfatum numerum hominum hic vivere posse, si tamen*, etc. Hic habemus pulcherrimam lectionem, quam ubique in domibus nostris scriptam legere et ante oculos habere debemus; ex qua lectione discemus quanam ratione fieri possit ut ex paucis reditibus multa faciamus, prout in multis domibus ordinis videmus et miramur, maxime in illis quæ a concursu hominum remotæ sunt. Unum pro pluribus exemplum mihi hic referre sufficiat. Domus quædam monialium habet sexaginta circiter personas ordinis, quibus si addatur numerus famulorum et mercenariorum ad rei domesticæ administrationem necessariorum, numerus iste ad septuaginta et amplius extendetur. Domus autem ista sex mille libras annui reditus vix habet, ultra ea quæ sibi ad usum proprium ex œconomia agraria assumit. Quis crederet esse possibile ut cum tam parvis reditibus tam ampla familia posset subsistere? Attamen res certissime ita se habet. Centum domos ordinis in medium afferre possem, quibus idem experimento probatur : et inde gaudeo, sed et gaudebo. Majora onera domorum ordinis ut plurimum non ab intrinseco oriuntur (nam cum res ordinate et religiose fiunt, vix credere possent sæculares quam multa fiant ex paucis), sed ab extrinseco nascuntur; a concursu nempe expensarum fere inevitabilium, quas temporum, locorum, negotiorum et personarum externarum ratione facere coguntur. Et inde fit ut paucissimæ reperiantur quæ intra decem annos possent accumulare unde uno anno subsistere possent, si reditus annuus totaliter deficeret.

Porro eadem quæ hic dicit R. Pater Guigo non tantum referuntur in antiquis statutis, p. II, cap. 23, num. 5, sed etiam latius expressa sunt in modernis, ubi cum magna animi consolatione legi possunt.

Cap. LXXX. — Num. 1. *Multa sunt vilia et minuta*, etc. De illis vult loqui quæ circa officia sutoris et pistoris, de brachis fratrum, id est femoralibus, et similibus dixit, etc. *Nihil judicare*, id est nihil discernere, sed indiscriminatim cuncta complecti, quæ optari a vobis credebamus.

Num. 2. *Non tamen ita omnia*, etc. Id refertur ad ea quæ diximus, illum non enucleate omnia suscepisse proferenda, sed eo modo qui sufficeret, juxta illud Proverbii : *Intelligenti pauca.*

Num. 3. *De commendatione autem hujus vitæ*, etc. Id relationis habet cum sacris Scripturis ista vitæ solitariæ commendatio, ut quoties legatur, novum semper suavitatis gustum in anima legentis excitet, quamvis illam centies jam legerit. Ibi enim reperitur quædam styli suavitas, quæ sinceris et veluti naturalibus argumentis et modis rationem ipsam prævenit et convincit, ac tandem suaviter rapiens pronuntiare compellit, virum certe fuisse Spiritu sancto afflatum qui ista scripsit, cui Scripturæ velut pro lingua materna erant, quique in cœlestis scrinii atramento calamum intingebat. Certum est autem quod de solitudine physica hic agat, id est de solitudine illa quæ vere hominem solum, a sociis separatum, cum solo Deo existentem efficit, nihilque prorsus dicat quod alii solitudinis speciei ullo modo convenire possit. Res ita per se evidens est, ut superfluum judicemus hic per aliquas glossas hujus rei veritatem probare.

Num. 7. *Omnia pene quæ in hac nostra institutione sunt optima, quiete et solitudine, silentio et superiorum appetitione*, etc. Hic brevissime recenset piissimus scriptor vitæ Carthusianæ principia, quæ sunt, *quies*

mihi diversorium viatorum in solitudine? (*Jer.* IX.) Tanquam hoc eum in civitate facere non vacaret; hoc modo indicans quantum [*al.* quam] impediant socii gratiam lacrymarum. Qui etiam cum dixisset : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei* (*Thren.* III); cui negotio maximum præstat solitudo suffragium ; addidissetque : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, ubi nos plurimum consolatur, qui propositum istud pene omnes a juventute subivimus; adjecit et ait : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se*, omnia pene quæ in hac nostra institutione sunt optima, quiete et solitudine, silentio et superiorum appetitione significans.

8. Quæ studia suos alumnos quales efficiant postea manifestat dicens : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*, quorum in altero patientia summa, in altero perfecta refulget humilitas.

9. Joannes quoque Baptista, quo *inter natos mulierum*, juxta Salvatoris præconium, *major nemo surrexit* (*Matth.* XI), quid solitudo securitatis quidve utilitatis afferat evidenter ostendit; qui nec divinis oraculis quibus prædictum fuerat quod ab utero Spiritu sancto repletus (*Luc.* I), in spiritu et virtute Eliæ Christum foret Dominum præventurus, nec mirabili nativitate, nec parentum sanctitate securus, frequentiam hominum fugiens tanquam periculosam, deserta solitudinis tanquam tuta delegit, tandiu pericula mortemque nesciens, quandiu eremum solus incoluit, ubi quid virtutis lucratus quidve sit meriti Christi baptismus et pro justitia mors suscepta monstravit. Talis enim factus est in solitudine, ut dignus esset lavantem omnia Christum solus lavare, et pro veritate nec carcerem nec mortem declinare.

10. Jesus ipse Deus et Dominus, cujus virtus nec secreto juvari, nec publico poterat impediri, ut suo tamen nobis consuleret exemplo, priusquam prædicaret vel signa faceret, tentationibus atque jejuniis quasi probatus est in solitudine, de quo Scriptura refert quod, relictis turbis discipulorum, in montem solus ascenderet orare (*Matth.* XIV). Qui et imminentis jam tempore passionis apostolos reliquit solus exoraturus, isto vel maxime insinuans exemplo quantum solitudo prosit orationi, quando comitibus, licet apostolis, non vult mistus orare.

11. Jam vos ipsi, sancti ac venerabiles Patres Paulus, Antonius, Hilarion, Benedictus et cæteri nobis innumerabiles quantum in solitudine mente profecerint, per vos considerate, et probabilis suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lacrymarum, nulla re magis quam solitudine posse juvari.

12. Non autem hæc vobis pauca quæ diximus sufficiant exempla, ad suscepti laudem propositi; sed ipsi potius vobis plura coacervate, vel de rerum usu præsentium, vel de sanctarum paginis Scripturarum : quanquam ipsum tali commendatione non egeat, quoniam et sua raritate et suorum sectatorum paucitate sufficienter sese commendat. Si enim, juxta Domini verba, *arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam* (*Matth.* VII); et e contra *ampla est quæ ducit ad mortem, et multi vadunt per eam*, inter Christianæ religionis instituta, tanto se unumquodque melioris et sublimioris ostendit meriti quanto pauciores, et tanto minoris et inferioris quanto plures admittit. Bene vos semper valere et nostri meminisse optamus.

Expliciunt Consuetudines D. Guigonis prioris Carthusiæ.

COMMENTARIUS.

a mundanis rebus et affectibus, *solitudo* ab hominum conversatione et vanitatum visione, *silentium* a verbis inutilibus, et *superiorum appetitio*, id est ea quæ sursum sunt quærendo et sapiendo. De cæteris non loquitur, quia quasi accidentia referuntur ad substantiam propositi Carthusiensis, quæ est obedientia in quiete, in solitudine et in silentio reddita.

Num. 12. *Quoniam et sua raritate et suorum sectatorum paucitate sufficienter sese commendat*, etc. Ostendit statim R. P. Guigo unde argumentum istud sibi sumat, ne aliquid paradoxum aut quibusdam injuriosum proferre videatur. Ex hoc autem argumento ad nostrum profectum istas conclusiones deducere debemus. Solius Dei est facere monachos, et quoties humano consilio aut humana industria monachorum multiplicatio attentabitur, miserabilium potius personarum quam virorum sanctorum numerus augebitur. Statutorum ergo mentem semper stricte sequamur, tum circa domos novas non nisi cum magna discretione recipiendas, tum circa subditos in ordine admittendos.

A *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* II, 19): et quos in ista nostra vocatione Carthusiana comprehendi velit, nos nescimus. Caveamus ergo in re tanti momenti ne nostrum sensum aut affectum sequamur, sed voluntati Dei tantummodo adimplendæ attendentes, illam unice circa eos qui ad ordinem veniunt exsequi satagamus, ea devote et sincere observando, et in spiritu veræ charitatis exsequendo, ex quibus et vocatio cœlestis et voluntas Dei dignosci possunt in hac vita.

Nec nos unquam decipiant argumenta ex illo Evangelii loco desumpta : *Compelle intrare, ut impleatur domus mea* (*Luc.* XIV, 32). Id enim vocationi ad fidem Christianam tantum convenit, quæ ad salutem omnino necessaria est, et nihil tradit circa mores, B quod ab omnibus cum Dei gratia non possit et debeat adimpleri, sed non vocationi ad statum monasticum, et maxime Carthusianum. Ille siquidem status non homines tantum in fide stabiles requirit, sed eos qui ex singulari Dei vocatione ad illud vivendi genus advocentur, quod ad lucendum speciali quo-

dam modo in Ecclesia sua disposuit, et ad hunc finem super candelabrum poni et accendi voluit : in quo vivendi genere plura occurrunt quibus vires humanæ impares sunt, et in actu veluti permanente servari nequeunt absque speciali gratia, quam Dei vocationi ad statum illum annexam esse firmiter credimus. Multi quidem ad fidem vocati, pauci vero ad Carthusiensem ordinem præordinati.

Meminerimus virorum illorum de quibus fit mentio in libro primo Machabæorum, cap. v, ubi dum quidam volunt fortiter agere et certamen inire, cladem multis inferunt; et pro ratione ibi dicitur, quod *non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel*. Idem nobis eventurum fore pronuntiare non dubito, si humana industria Carthusianos monachos facere attentemus.

Novit Deus quandiu subsistere et quo monachorum numero componi debeat ordo Carthusiensis. Divinæ ergo providentiæ rem totam committamus, et quod nostrum est tantum facere religiose studeamus, A hoc semper in mente habentes, nempe quod si ordo, Deo ita disponente, ex defectu subditorum deficere debeat, tunc res absque Dei injuria, absque Ecclesiæ scandalo et absque ullo ordinis dedecore eveniet, nam quasi in proprio lecto cum honore morietur. At non sic, si ex incauta et indiscreta subditorum receptione, illum repleamus hominibus, qui a Deo ad fidem tantum vocati sunt et non ad Carthusianam religionem. Stragem enim in ordine, loco boni certaminis exhibebunt, per relaxationes et affectuum inordinatorum executiones, imo per bella ordini eos cohibere volenti forsitan indicta, et inde eveniet ut tandem ordo, cum Dei injuria, cum Ecclesiæ scandalo, et cum ipsius dedecore misere pereat. Indulgeri autem mihi precor, ad exemplum R. Patris Guigo- B nis, si de hac re paulo fusius scribam.

Ecce habetis, fratres et amici in Christo dilectissimi, prima Carthusiani propositi instituta, ad quæ, velut ad principia, omnia quæ deinceps in ordine introducta et ordinata sunt.

VITA SANCTI HUGONIS

EPISCOPI GRATIANOPOLITANI

AUCTORE GUIGONE PRIORE CARTHUSIENSI.

(Bolland., *Acta sanct.*, April., t. I, p. 36.)

MONITUM.

1. Inter illustres viros qui eximio sanctitatis splendore sæculo Christi IX et XII floruerunt, censeri potest S. Hugo, episcopus Gratianopolitanus in Delphinatu superiore, familiaris S. Brunoni Carthusiæ fundatori, et S. Bernardo abbati Claravallensi. Natus est S. Hugo anno Christi 1053, episcopus ordinatus anno 1080, cum ferme annorum esset viginti septem, ut infra in Vita, numer. 5, legitur. Ad Dominum migravit anno ætatis suæ LXXX, consecrationis in episcopum 32, Christi 1132, kalendis Aprilis, sexta ante Dominicam Palmarum feria, uti infra numer. 33 legitur. Erat annus ille bissextilis, quo cyclo lunæ 12, solis 21, litteris Dominicalibus CB, Pascha celebratum fuit die 10 Aprilis. Hæc de ejus ætate.

2. Excepit S. Brunonem anno episcopatus sui sexto, eumque in condenda Carthusia strenue adjuvit; quo ab Urbano II, pontifice maximo, Romam evocato, Carthusiam rexit Landuinus, primus S. Brunonis in vita religiosa socius. Hoc aliisque duobus, qui pro Carthusiæ supremo regimine successerant, vita functis, substitutus est, circa annum Christi 1110, quintus Carthusianorum prior Guigo, mortuus anno 37, supra millesimum centesimum; adeoque superfuit annis solum quinque post obitum S. Hugonis, cui sanctissima semper fuit amicitia conjunctus. Qua autem dilectione utrumque amplexus fuerit S. Bernardus Claravallensis, explicat in hujus Vita Gaufredus monachus his verbis : « Cum jam Dei famulus Bernardus aliquot in Claravalle annos peregisset, subiit animum ejus, ut S. Hugonem Gratianopolitanum episcopum et Carthusienses fratres devotionis gratia visitaret. Quem prædictus episcopus tam gratanter et tam reverenter suscepit, divinam intelligens in ejusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solo tenus adoraret. Videns autem servus Christi episcopum, ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer expavit, ipse quoque pariter corruens ante eum, et ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam, non sine gravi gemitu causabatur. In cujus pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filii splendoris cor unum et anima una, et se invicem fruerentur in Christo. Sicut enim regina Saba de Salomone testatur, uterque se se in altero longe amplius, quam fama vulgasset, invenisse gratulabatur. Carthusiæ quoque a viro reverendissimo Guigone priore, et a cæteris fratribus, eodem affectu et eadem veneratione, susceptus est servus Christi, exsultantibus illis in gaudio, qui qualem eum per epistolam prius noverant, talem invenerunt et præsentem. »

3. Hæc ibi. Exstant inter epistolas S. Bernardi duæ ad dictum Guigonem num. 11 et 12, ex quibus quilibet facile potest advertere quanta tunc sub dicto Guigone in Carthusia vitæ sanctitas et puritas floruerit. At quanta Guigoni aliisque Carthusiæ Majoris monachis fuerit rerum omnium, pro Ecclesiæ defensione,

cum S. Hugone communicatio, indicat epistola horum omnium, anno 1130, ad concilium Jotrense pro justitia congregatum, cum B. Thomas, prior abbatiæ S. Victoris Parisiensis, esset crudeliter ab impiis pro justitia occisus. Epistolæ dictæ hæc est inscriptio : « Dominis et Patribus in Christo reverendissimis, archiepiscopis, episcopis et cæteris religiosis personis, in præsentem locum defendendæ justitiæ gratia congregatis, Hugo Ecclesiæ Gratianopolitanæ vocatus episcopus, et filii ejus, Carthusiensium pauperum servus inutilis Guigo, et qui secum sunt fratres, agenda cognoscere, cognita viriliter adimplere, per Christum Dominum nostrum. » Omittimus illam epistolam recensere, concilio Jotrensi insertam; de ipso B. Thoma acturi ad 20 Augusti; cujus Vitam, et martyrium a se an. 1665 editum, nobis obtulit Philippus Gourreau, dictæ abbatiæ prior.

4. Erat eo tempore, cum Jotrense concilium haberetur, Innocentius II papa in Galliis; qui ad archiepiscopos Remensem, Rothomagensem et Turonensem, eorumque suffraganeos litteras dedit, atque ad vindicandam dicti prioris necem incitavit. Huic pontifici optime innotuerant Guigonis et aliorum Carthusiensium sancti mores atque virtutes, et intima animorum conjunctio cum S. Hugone : quem anno sui pontificatus tertio pie ac sancte mortuum, anno dein pontificatus quinto sanctorum catalogo ascripsit, in concilio Pisano, anno Christi 1134, uti indicat in epistola, Pisis scripta x Kalendas Maii, ad Guigonem, Carthusiæ priorem, huic mandans ut vita ac miracula S. Hugonis diligenter describeret. Priorem præcepti apostolici partem explevit Guigo, qua res gestas S. Hugonis a prima nativitate ad obitum usque deduxit; alteram vero partem, quæ ejus coruscantia miracula debebat complecti, non attigit; morbis et morte, ut remur, impeditus; anno, ut diximus, 1136, vita functus. « Erat autem Guigo de castro Valentinensis diœcesis (verba sunt Petri Sutoris lib. II, Vitæ Carthusianæ tract. 5, cap. 7), claris ortus parentibus, ingenio præstans, memoria tenax, clarus eloquio, exhortatione efficacissimus, litteris sæcularibus et divinis mirum in modum eruditus, nec minus conversatione quam doctrina venerabilis; qui quintus post S. Brunonem majoris Carthusiæ prior effectus, antecessores suos fama et auctoritate longe præcessit, et rigorem ordinis observavit ad unguem. » Hæc ibi. Habemus hanc Vitam in duobus codicibus antiquis optimæ notæ in pergameno, quam cum Suriana editione collatam nostris adnotationibus illustramus. Eamdem in compendium contractam ediderunt Vincentius Bellovacensis, lib. XXII Speculi historialis, cap. 8; Petrus de Natalibus, lib. IV, cap. 22; Petrus Dorlandus, lib. II Chronici Carthusiensis, c. 1; Zacharias Lippelous, Franciscus Haræus, et passim alii Vitarum hujusmodi collectores.

5. Nomen S. Hugonis exstat variis fastis sacris ascriptum, tam manu exaratis quam prælo editis. Ex his sunt Grevenus et Molanus, in Auctario Usuardi; Maurolycus, Galesinius, Canisius; et ex monasticis, Wion, Menardus Dorganius. Bucelinus ei longum encomium texuit; Natalibus canonicorum ascripsit Constantinus Ghinius; in Martyrologio Gallicano plurimum eum laudat Saussaius, cum quibus omnibus ita celebratur in Martyrologio Romano : « Gratianopoli S. Hugonis episcopi, qui multis annis in solitudine vitam exegit, et miraculorum gloria clarus migravit ad Dominum. »

EPISTOLA INNOCENTII II PAPÆ.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guigoni, priori Carthusiensi, salutem et apostolicam benedictionem. Divinis respondentes beneficiis, cognita vita ejus et auditis quæ per B. Hugonis merita fiunt miraculis, supernæ majestatis clementiam collaudavimus, et archiepiscoporum, episcoporum et cardinalium atque aliorum qui nobiscum aderant, communicato consilio, ipsum inter sanctos et electos honorari præcepimus, et diem ejus assumptionis cum gaudio solemniter celebrari. Quia igitur ipsius vita quam pie duxit in corpore, et miraculorum coruscatio (6) qua Deus eum facit apud homines præfulgere, tuæ maxime dilectioni non exstant incognita, auctoritate B. Petri et nostra tibi mandamus quatenus ea quæ tibi super hoc nota fuerint diligenter describendo posterorum memoriæ tradas, ut et Deus honoretur in sancto, et clerus legens ac populus audiens gratias agant Domino, atque ipsius intercessione peccatorum veniam percipere mereantur. Orantes pro vobis, dilectos filios nostros Carthusienses fratres per te in Domino salutamus ac benedicimus. Data Pisis x Kal. Maii (7).

INCIPIT VITA.

PROLOGUS

Ad pontificem Romanum.

Domino et patri charissimo, ac reverendissimo sedis apostolicæ pontifici, Innocentio, Carthusiensium pauperum servus inutilis Guigo, perpetuam salutem et pacem in Domino, et si quod apud Deum tanti potest peccatoris oratio.

1. Non pepercit nostræ vel verecundiæ vel imperitiæ apostolatus vestri imperiosa dignatio. Sicut enim huic opusculo præfixæ vestræ serenitatis indicant litteræ, B. Petri auctoritate et vestra mandastis, ut vitam B. Hugonis Gratianopolitani episcopi, noscendam posteris, scripto commendaremus. Rogaverant quidem idipsum jam pridem complures alii, sed eorum necdum vestigium reperimus.

(6) Videtur Guigo voluisse miracula tractatu singulari describere, cum ea in hac Vita non attingat;

(7) Anno 1134.

sed maxime non spernendæ auctoritatis Arialdus (8) et Hugo (9), Mauriennensis (10) et Gratianopolitanus episcopi. E quibus prior, habitu et vita regularis, beati viri in tractandis ecclesiasticis rebus per triginta fere comes exstitit annos; posterior vero, ex nobis monachus, ita ei in ecclesiastico regimine successit ut propter diuturnam ac vehementem infirmitatem ipsius, in ejus locum, ipso petente vestraque pietate jubente, priusquam obiret ipse, consecraretur. Et erga eos quidem quos præ longa familiaritate vel convictu latere non poteram, nostra nos imperitia seu verecundia, et quæ forte non minus impediebat carnis infirmitas, sufficienter poterant excusare. ad tantæ vero pondus auctoritatis, ne mutire quidam præsumpsimus, ne dum ei non obedimus cui totus commissus est mundus, eum offenderemus a quo factus est mundus; et dum apud hominer vitamus imperitiæ confusionem, apud Deum incurreremus damnationem. Obsecramus autem eos qui hæc legerint, ne tanti sanctitatem Patris, nostra non solum facundia, sed et cogitatione longe majorem ex ista scriptura metiantur, et maxime, ne putent nos, ultra quam sua postulant merita, nostris eum sermonibus efferre potuisse. Tantum enim abest ut sanctitatis illius magnitudinem plus æquo valuerimus, quasi favorabiliter, extollere, ut nec illam ipsam sanctæ conversationis ejus prærogativam, quod sine fictione dicimus, tum propter imperitiam, tum propter sermonis inopiam, ut erat dignum, potuerimus explicare.

CAPUT PRIMUM.

S. *Hugonis parentes, studia, canonicatus.*

2. Cum ergo prædicti Patris sanctissimi mores et opera, Deo placentia, sufficientem sermoni adeo præstent materiam ut non solum nostram, sed et quorumlibet vincant facundiam, carnis ejus tacendam ex toto duceremus originem, eo quod indifferenter de bonis bonos, de malis malos, de bonis malos et de malis bonos, per divini judicii inscrutabilem altitudinem, nasci quotidie nullus ignoret, nec referat aliquid qualibus sit ortus quisque parentibus, sed qualibus vixerit moribus, nec augmenta conferat meritorum potentia, divitiis et nobilitate terrena claruisse, sed hæc omnia pro Christo contempsisse, cum videamus et Dominum pauperibus ortum parentibus, et in apostolis insigniores sumptos ex piscatoribus. Unde et beatus ad Corinthios scribens Paulus : « Videte, inquit, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (*I Cor.* I, 26). » Verum quoniam ii qui de virtutibus tractavere sanctorum, etiam carnales inveniuntur non tacuisse natales, dicamus et nos breviter quod B. Hugo, natione Valentinensis, loco juxta Isaram (11) fluvium sito, cui Castrum-Novum nomen est, parentes habuit et secundum sæculi dignitatem non infimos, et (quod excellit) sanctitatis prærogativa conspicuos. E quibus pater, Odilo nomine, præter alia quamplurima, quæ militari licet in habitu laudabiliter gessit vel habuit, veritatis et castitatis amator exstitit. Nam et mendacia, ingenua mentis affectione, religiosis quam plurimis amplius evitabat; et licet duas, priore defuncta, citius fuerit sortitus uxores, nullos tamen, quod his temporibus et hac temporum labe (præsertim in potentibus) monstro simile ducitur, præter uxorios est expertus amplexus. Idemque ipse ævo jam gravis, sanctissimo monente filio, tanto fervore contempsit sæculum, ut senectutis immemor et delicatæ consuetudinis, duras, quas Carthusia propter verba labiorum Dei custodit, vias aggredi non dubitaverit; ubi annis fere decem et octo in tanta sobrietate, tanta vixit humilitate, ut cunctis ibidem Deo famulantibus charus, cunctis haberetur veneratione dignissimus. Cui viam universæ carnis ingressuro (erat quippe ferme jam centenarius) venerabilis affuit filius, eumque propriis et inunxit et sacra communione replevit manibus; expletoque condigna veneratione tam sancto funere, obitus diem, sicut et matris, eleemosynis, quoad vixit, celebrem duxit et sacrificiis.

3. Quæ videlicet venerabilis mater ejus, cum post abscessum viri (præter quem nullum penitus noverat) vellet et ipsa cuncta relinquere, quia feminarum religiosarum rara tunc erant monasteria, pii filii salubribus instructa monitis, continentiæ et eleemosynis, orationibus atque jejuniis, ac reliquis sanctis operibus in domo propria, quod reliquum erat impendit temporis, filios etiam suos, militaribus strenuos actibus, ab immoderatis, quantum poterat, frenans excessibus. Cui decumbenti, ea qua obiit ægritudine, optata filii adest præsentia; adoranda tradit mysteria, extrema non multo post sepulturæ solvit obsequia, prompta solvens obedientia quod imperat Deus lege Mosaica, dicens : « Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram (*Exod.* XX, 12.) » De qua utique terra Psalmista Domino dicere creditur : « Tu es spes mea, portio mea in terra viventium (*Psal.* CXLI, 6). » Hæc autem dicere fuerat solita, quod dum prægnans suis eum ferret visceribus,

(8) Arialdus, in mss. nostris *Airaldus*, et *Ailardus*, alibi *Ayrardus*, ex monacho et priore Carthusiæ Portarum, diœcesis Lugdunensis, factus episcopus anno 1145, mortuus an. 1167.

(9) Hugo II, ex professo Carthusiæ Majoris, episcopus Gratianopolitanus, dein an. 1155 factus archiepiscopus Viennensis.

(10) Maurienna, vulgo S. *Joannis de Maurienne*, ad Arcum fluvium e monte Ciniso defluentem, in ducatu Sabaudiæ, versus orientem, distans Gratianopoli XI M. P., sed montibus interrupto itinere.

(11) Supra Valentiam Rhodano influit Isara, ad quem adjacet Castrum Novum, adhuc hoc tempore *Châteauneuf* dictum. Perperam Wion, in Notis ad Martyrol. Benedict. Valentiam Hispanicam assignat.

visum sibi per somnium fuerit elegantem creasse parvulum, quem sistendum Dei conspectibus, sancti (in quibus et beatus erat Petrus) deferebant in cœlum. Hinc factum est, eadem adnitente, ut discendis applicaretur litteris; sperabatur enim (nec frustra) singularis apud Deum gratiæ futurus et meriti.

4. Amavit autem studia litterarum non mediocriter; propter quæ etiam in exteras profectus regiones, multa sustinuit. Inerat quippe illi, et usque ad ultimam senectam inesse non desitit, verecunda sobrietas; quæ eum et inter suos etiam necessariorum sæpe cogebat ferre inopiam, dum nec amicis, si quid eum angebat, pudore victus poterat confiteri; quo quasi freno a multis comprimebatur illicitis. Cum autem a scholis reversus, Valentiæ, ubi majoris canonicus erat ecclesiæ, inter sæculares et lubricos, juvenis licet, pudibundus demoraretur et sobrius (statuerat enim, sicut ipse dicebat, ab omni deinceps contaminatione immunem se, Deo juvante, servare), contigit dominum Hugonem, Galliarum omnium ex præcepto beatæ memoriæ Gregorii septimi (12) legatum, ad eamdem venire civitatem; virum scilicet in ecclesiasticis negotiis strenuum et famosum, Ecclesiæ Diensis tunc præsulem (13), postea Lugdunensem archiepiscopum. Qui cernens juvenem elegantem vultu, statura procerum, eloquio temperatum, moribus verecundum; edoctusque ab eis qui noverant cujus esset eruditionis et generis ei, ut erat tam in rebus humanis quam divinis ingenii perspicacis, agnoscens in eo magna quædam futuræ probitatis et sanctitatis insignia, hilariter et affabiliter amplexatus est, rogans ut ad se veniret, suorum certaminum comes futurus et particeps. Quibus non solum adversus laicos, qui ecclesias, decimas ac cœmeteria sacrilege detinebant, sed et contra sacerdotes, quorum vitam inhonesta conjugia maculabant, Simoniacos etiam, qui cupiditate cæcati, sacra profanaque miscebant, paucis juvantibus, acerrimus insudabat. Quod ipse libenter amplexus est.

CAPUT II.

Episcopatus Gratianopolitanus susceptus.

5. Aliquanto dehinc temporis exacto spatio, idem legatus apud Avenionem, non ignobilem Provinciæ civitatem, grande celebravit concilium (14), in quo multa ad Dei honorem et Ecclesiæ utilitatem præconio digna patravit. Ad hoc concilium, episcopo carentes et episcopum quærentes, Gratianopolitani venere canonici; compertoque præfatum juvenem conventui interesse præsenti, petierunt suppliciter, suffragante concilio, ab ejus venerabili patrono, cui gratæ officium societatis exhibebat, ut hunc sibi daret sine dilatione episcopum. Quibus ille protinus gratulabundus assensit, tum dilecti comitis gaudens honoribus, tum Ecclesiæ favens profectibus, cujus etiam sacris officiis futurum non dubitabat opportunum. At vero ille, repentino timore concussis ab imo visceribus, toto reniti corpore, magnisque clamare vocibus, et sese ætate, scientia et postremo moribus et vita tantis mysteriis imparem cœpit affirmare, nec ullatenus pati, in suæ salutis periculum, sua vilitate officia veneranda fœdari. Quam utique de se sententiam, profundissima humilitate conceptam, usque ad finem non exuit; semper enim, in quantiscunque sanctitatis et bonorum profectibus operum, inutilem se servus et pontificatus administratione indignum protestari non erubuit, semperque ad deponendum, sicut ex consequentibus liquebit, paratus fuit. Vir autem profundi consilii, qui prædictis eum concesserat clericis, etsi gaudebat quod in hac ætate et habitu (erat enim habitu sæcularis, et annorum ferme viginti septem) honores non modo non appeteret indebitos, sed et repudiaret oblatos, cœpit tamen, rationabili qua pollebat facundia ejus erigere trepidationem, solari verecundiam, frangere pertinaciam, asserens, in talibus vel subeundis vel portandis oneribus, non de sua quemquam virtute, sed de Dei potius debere benignitate præsumere, a quo deberet sperare bonum quod deerat, et ad quem referre quidquid acceperat. Hujus itaque et cæterorum, qui aderant, virorum gravium consolationibus fractus atque hortatibus, tandem aliquando cessit electioni.

6. Præerat autem eo tempore Viennensi Ecclesiæ archiepiscopus, Garmundus nomine (15), quem propter Simoniam, cujus sustinebat infamiam, sibi manus imponere non admisit. Cunctis itaque, præter episcopi, a non sine reverentia memorando legato sumptis ordinibus, eodem comitante profectus est, ut a sedis apostolicæ summo consecraretur antistite. Ubi dum, consecrationis statutum opperiens diem, commoraretur, in ipsis quodammodo divinæ servitutis initiis, et in primis, sacræ militiæ tirociniis, gravissimam hostis antiqui impugnationem, rudis et talium inexpertus, incurrit; quæ sanctam ipsius animam, usque ad illam ægritudinem qua et decubuit moriturus, die noctuque, nunc acrius, nunc mitius, non destitit excruciare. Quia enim sanctæ conversationis et illustrium operum insignibus meritis, magnam in populo Dei famam, magnam fuerat habiturus et gloriam, ne forsitan extolleretur, angelum Satanæ, sicut et beatus Apostolus, qui se colaphizaret, accepit (*II Cor.* XII, 7). Sic etiam apud prophetam Zachariam, Jesu sacerdoti magno, veri Salvatoris mysterium præferenti, Satan stabat a dextris, ut adversaretur ei (*Zach.* III, 5). Nec hoc mirandum, cum conditorem et rectorem omnium

(12) S. Gregorius VII, papa, ante Hildebrandus dictus, creatus 22 Aprilis an. 1073, mortuus an. 1086 die 25 Maii, quo inscriptus est Martyrol. Rom.

(13) Diensis episcopus creatus est Hugo an. 1073, ac translatus ad archiepiscopatum Lugdunensem an. 1092. Est sita urbs in meditullio Delphinatus, Valentia distans diei itinere.

(14) Anno 1080, in quo, deposito Achardo, Gibilinus factus est Arelatensis archiepiscopus.

(15) Guarmandus aliis, sedit ab anno 077 ad 1083.

Deum, humana carne vestitum, impiis ausibus tentare præsumpserit; et postremo, ostensis totius mundi regnis cum sua gloria, « Hæc, inquiens, omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me (*Matth.* IV, 9). » idololatriæ etiam scelus persuadere conatus fuerit. Sicut ergo ipsi Domino incredibili præsumptione idololatriam, sic et ejus servo suggerebat viperea machinatione blasphemiam, scilicet ut de Deo, vel de his quæ ad Deum pertinent, aliquid cogitaret indignum. Sed sicut a Domino, sic, eodem juvante, ab ejus servo victus et confusus abscessit.

7. Cum igitur impugnationem, ut diximus, insuspicabilem sensisset hostis antiqui, reputans ne forte indignatus adversum se fuisset Dominus, quod eligentibus cesserat vel invitus, electioni in se factæ abrenuntiare modis omnibus deliberavit, et sacras administrationes, quibus in dies se magis ac magis deputabat indignum, nullo pacto contingere. Quam deliberationem, ut putabat, saluberrimam, simul cum ipsa tentatione, ab imo corde lacrymis profusis atque suspiriis, ei, qui se duxerat, festinavit ostendere. At ille defectu ejus, et nimio (quanquam a religione profecto) timore, ex parte interim rationabili responsione sedato, ad memoratum papam pergere, et quidquid ejus angebat animum (utpote Christi vicario) totum revelare suasit. Quod cum humiliter devoteque fecisset, tanta consolationis ab ejus ore sagina perfusus est, tantumque erga se dilectionis expertus affectum, ut de hac ipsa, quæ in desperationem eum pene compulerat, tentatione gaudere, et felicioris insuper spei materiam sumere cogeretur. Docuit enim beatus papa, utpote in rebus his nec rudis nec inexpertus, arguere Dominum et castigare quos diligit, et omnem filium flagellare quem recipit (*Hebr.* XII, 6), et ideo quanto durius cordi ejus imposuerat flagellum, tanto evidentius paternæ in eum dedisse dilectionis indicium. Præsensisse etiam jam jamque diabolum quanta per eum ipse damna passurus, quanta Dei populus virtutis foret incrementa sumpturus, et idcirco omnes inveteratæ malignitatis insumere conatus, ut a sacris eum quoque modo deterrere possit officiis, permittente Deo, ad ipsius quidem ignominiam et pœnam, ad hujus autem coronam et gloriam.

8. Hujusmodi sermonibus, et veritate plenis et auctoritate roboratis, non quidem tentatione penitus exstincta, sed tamen consolatione suscepta, animæquior effectus, consecrationem ab eodem post modicum suscepit episcopalem. Tantus autem et in ipsa consecratione, et toto illo quo ibidem demoratus est tempore, illius viri tanti amor in eum ostensus est, ut patenter ostenderetur, divinæ in eo gratiæ magnum aliquod præsensisse præsagium. Sed et comitissa Mathildis (16), habitus quidem feminei, sed animi per cuncta virilis, quæ rerum humanarum tumultus atque pericula, instar prophetissæ Deboræ, prudenter sedare et fortiter noverat tolerare, in suo Deum venerans famulo, diei consecrationis ejus necessaria cuncta subministravit, pastoralem, quo diu usus est, baculum dedit, additis psalmorum secundum B. Augustinum Explanationibus, cum B. Ambrosii volumine, cujus est titulus De officiis, totoque quo deinceps tempore vixit, tanquam verum Dei famulum sincera devotione specialiter honoravit et coluit, sitiens ejus instanter et consiliis instrui et oratione defendi.

9. His ita non solum prospere sed et religiose peractis, ad susceptam reversus Ecclesiam, invenit clerum et populum, in divinis nimis rudem et incompositum, et sanctarum observationum in tantum inscium, ut non solum gradus inferioris clerici, sed et sacerdotes uxores ducerent, nuptias publice celebrarent, emere ac vendere sancta non hæsitarent, ecclesias, oblationes, decimas et cœmeteria laici, et eorum ditioni sacerdotes subditi possiderent; usurarii sive fœneratores injusta ex alienis damnis lucra coarcervarent, nec ob hoc tamen minus eorum aliqui vel ecclesias intrarent, vel mysteria sacrosancta perciperent. Adeo erant omnes disciplinæ totius expertes. Porro substantia domus episcopalis, dissipantibus non tam episcopis quam tyrannis qui præcesserant, pene fuerat tota consumpta; unde multas ibidem etiam necessarii victus inopias per plures pertulit annos, eo quod nec illicitis contractibus (sicut pluribus mos est) suas indigentias supplere volebat, et mutuare, unde redderet non habere se cogitans, minime præsumebat. Verum tot et tanta suscepti populi vitia vel peccata, quanta vigilantia quibusve prædicationis et disciplinæ flagellis persecutus fuerit; quos ibidem labores, quos discursus, quasve sollicitudines insumpserit; quæ jejunia, quas vigilias, quas psalmodias, quos gemitus, quas preces, quosque lacrymarum imbres, ad propitiandum pro eis Dominum, paterna pro eis compassione profuderit, non est nostræ facultatis evolvere. Sed nec, quis ex tantis laboribus provenerit fructus, nostris exponi verbis aut potest aut opus est, cum rerum in melius manifesta mutatio idipsum cernentium evidenter ingerat oculis.

CAPUT III.

Monachatus Cluniacensis per annum. Frequens in Carthusia cum S. Brunone et aliis conversatio. Inter afflictiones donum lacrymarum.

10. Ipse vero interim, pennatorum in Ezechiele animalium, coram sua semper facie gradientium, sedulus imitator, sese ante se ponere, et sua vel pericula vel profectus subtili examinatione discutere non cessabat. Contemplans itaque suam vel ætatem, vel morum imperfectionem (in quam præcipue usque ad mortem mentis oculos intentos et ipse habuit et alios habere persuasit) et suscepti pondus officii, necdum duobus post consecrationem expletis annis,

(16) Acta collegit et edidit Italice Franciscus Maria Florentinius. Plurima de ea dicuntur in Vita S. Anselmi ep. Lucensis, a nobis edita, ad diem 18 Martii, potissimum cap. 2.

contemptis omnibus, Casæ Dei (17) ordinis Cluniacensis factus est monachus : ibi quippe majus tunc pauperitatis et humilitatis studium visebatur. Ubi sanctorum, quorum ibidem aderat copia, virorum succensus exemplis, eosque suis, quanquam novitius, non minus ipse succendens, annum fecit; cum cæteris bonis, tum præcipue humilitate (cujus præ cunctis virtutibus sectator exstitit indefessus) cunctis amabilis. Ita namque sese gerebat ut cunctorum imitatione pariter et veneratione dignus existeret. Post hoc cogente, qui se sacraverat, memorato sedis apostolicæ præsule Gregorio septimo, ad episcopatum a monasterio, quo fervens intraverat, ferventior est reversus, ex unius anni studiis tanta virtutis incrementa reportans, quanta de diuturnæ vitæ laboribus vix assolent multi; pro claustro circumspectionem habens pervigilem, qua non tantum sui sensus corporis, sed et cogitationes comprimeret cordis; pro abbate justitiam, a cujus mandatis nec prosperis unquam potuit nec adversis abduci; pro congregatione autem religiosos (quibus, propter illud : « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris [*II Reg.* XXII, 26], » carere nunquam voluit) socios, imo totam universaliter Ecclesiam, quam tam sinceræ dilectionis complectebatur affectu, ut ejus nec adversa nec prospera inconcussis posset tolerare visceribus. Nam juxta illud Apostoli : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* XI, 29), semper Ecclesiæ et lætabatur prosperis et torquebatur adversis.

11. In his agebat, et ecce tribus necdum in episcopatu, post monasterii reditum, completis annis, adest magister Bruno (18), vir religione scientiaque famosus, honestatis et gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulacrum. Habebat autem socios magistrum Landuinum (qui post eum Carthusiæ prior exstitit), duos Stephanos, Burgensem et Diensem (hi S. Ruffi (19) canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ ei, abbate favente, sese conjunxerant), Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio; duos laicos, quos appellamus Conversos, Andream et Guarinum. Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Hac ergo spe, simul et suavi sanctæ conversationis ejus odore trahente, ad virum sanctum venerunt. Quos ille non solum gratanter sed et reverenter suscepit, tractavit, et voti compotes fecit. Ipso namque consulente, juvante, comitante, Carthusiæ solitudinem intraverunt atque exstruxerunt. Viderat autem circa id tempus per somnium in eadem solitudine Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Erant vero et hi septem. Quapropter non istorum tantum, sed et qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est, et usque ad mortem Carthusiæ habitatores consiliis fovit semper et beneficiis.

12. Licet vera et prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad disciplinæ cœlestis exercitia eorum exemplis et familiaritate inferbuit quam si flammanti quis faci plures circumponat alias ardentes. Erat cum eis, non ut dominus aut episcopus, sed ut socius et frater humillimus, et ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus, adeo ut vir venerabilis Guilhelmus, prior tunc S. Laurentii, postea S. Theofredi (20) abbas, magistro Brunoni etiam ipse religiosa devotione non mediocriter alligatus, B. Hugonis contubernalis (bini quippe tunc per singulas inhabitabant cellas apud magistrum Brunonem), non leviter conquereretur quod pene omnia, ad humilitatem spectantia, intra cellam sibi præriperet officia; et episcopus non secum, saltem ut socius, sed potius conversaretur ut famulus, non licere sibi tristis asserens ex servilibus operibus quidquam attingere, quæ juxta morem debebant per vices efficere, eo sibi cuncta præripiente. In tantum autem eremum devotus incolebat sedulus, ut cum magister Bruno nonnunquam exire compelleret : « Ite, dicens, ite ad oves vestras; eisque, quod debetis, exsolvite. » Eo tempore, magnæ pauperitatis et humilitatis ardore succensus, voluit equitaturas suas cunctas vendere, et, diviso pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione discurrere. Sed homo profundi cordis, magister Bruno scilicet, cujus consiliis non aliter quam præceptis obtemperabat abbatis, non consensit, timens ne apud se forsan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur episcopis, aut (quod dubium non erat) ipsum propter asperitatem et inæqualitatem itinerum consummare non posset.

13. Factum est autem, ut, dum contemptis carnalibus, spiritualia zelo ferventiore sectaretur, præ nimiis vigiliis, jejuniis et lectionibus, orationibus et meditationibus, et reliquis sacris exercitationibus, capitis et stomachi gravissimam decideret in ægritudinem, cujus molestiis et cruciatibus, omni fide frequentioribus et acrioribus, per quadraginta ad minus annos, quoad vixit, nequaquam caruit, atque ita ad illum, cujus supra meminimus, Satanæ angelum, quo multiplicius colaphizatus minus extolleretur, alter est additus. Quantum autem his dualis afflictionibus, tentatione videlicet et ægritudine, tan-

(17) Casa-Dei monasterium in Arvernia, fundatum a S. Roberto primo ibidem abbate, mortuo anno 1058, die 24 Aprilis, ad cujus Acta plura de illo monasterio dicuntur. Wion perperam S. Hugonem appellat abbatem Caslesiensem.

(18) Hæc latius referuntur in Vita S. Brunonis, ad 6 Octobris, hinc ob sinceritatem et antiquitatem illustranda. Lib. I Speculi Carthusiæ, cap. 5, dicitur « S. Hugo credi socius in scholis fuisse magistri Brunonis. »

(19) Erat tum hoc S. Ruffi monasterium ad muros urbis Avenionensis; sed postea ab Albigensibus vastatum, dein Valentiam translatum est.

(20) Monasterium S. Theofredi, a S. Calminio duce Arvernorum exstructum, sex leucis distat Podio, in cujus est diœcesi. Colunter S. Calminius 19 Augusti, et S. Theofredus 18 Aug.

quam aurum in fornace, decoctus atque purgatus, in spiritualem erga Deum devotionem, et in omnium afflictorum veram compassionem excreverit, nec ipse adhuc vivens ad plenum, si vellet etiam, posset exponere. Quo enim per hæc magis affligebatur, eo vehementius spretis, quæ mundi sunt, in Deum, refugium verum et unicum, totus efferebatur, voluptatem inde, sicut aiebat, tanto pleniorem hauriens atque suaviorem, quanto fuerat angustiam passus acerbiorem, juxta illud psalmi : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam (*Ps.* XCIII, 19). » Hujusmodi alteritatum (21) in eo ad finem usque non cessavere vicissitudines; nunc enim in superna totis viribus spiritalibus erectis oculis, gustando et videndo quoniam suavis est Dominus, ineffabilibus recreabatur gaudiis; nunc infirmitatibus humanæ pondere relapsus ad solita, prioribus non vacabat angustiis. Utrobique lacrymæ; ibi pro gaudio, hic pro tædio. Quid plura? Factæ sibi fuerant lacrymæ suæ panes die ac nocte; non has illi prospera, non has siccabant adversa; vix legere, vix psallere, vix sine his divina meditari. Adeo namque harum in eo excreverat gratia ut frequenter nec edenti, nisi frenatæ, deessent; multoties enim per has sibi et soclis convivium, maxime aliquot ante finem annos, vel impediebatur, vel fuscabatur.

14. Habebat quippe lectorem, a quo sanctos codices, quorum non paucos scribi fecerat, et alibi et præcipue sibi ad mensam legi faciebat, ut duplicatis deliciis sese suosque saginaret. Cumque lectori de divinis vel severitatibus vel miserationibus aliquid occurrisset insigne, idipsum bis aut ter dicere compellebat; nec mora, spiritali per Scripturam voluptate gustata, concussis ab imo visceribus, tantis lacrymarum infundebatur irriguis ut voluptatem ventris et gutturis, et sibi funditus tolleret, et in sociis temperaret. Edocti itaque per experientiam comites, cum tales motus cernerent imminere, innuebant lectori cedere et aliquantisper a legendo cessare, ut taliter molestiam hanc possent ad tempus declinare. Hanc autem divini muneris gratiam peccatores, ob confessionem ad eum venientes, vel maxime sentiebant, clementer enim hos humiliterque suscipiens, patientissime audiebat; aliquando flens ipse cum flentibus, aliquando vero ad lacrymas suis eos excitans fletibus : quod uno liquebit sufficienter exemplo. Vir Deo charus Gauterius (22), cognomento Calnesius, qui apud nos in monachatu diu laudabiliter vixit et obiit, solebat referre, quod cum in sæculo positus, suas ei confiteretur offensas (erat enim in Ecclesia Gratianopolitana litteris et honore præclarus), incubuerit ipse super caput ejus, et tantam vertici lacrymarum infuderit copiam ut madefactis capillis, deorsum eti im rivuli per confitenti, ora defluerent. Porro mulierum confessiones non minus caute quam benigne suscipiebat; non enim in angulis, aut obscuris aut secretis locis eas audire solitus erat; sed potius ubi a pluribus conspici posset, et aurem quidem satis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aspectum, auditum solum, propter insidias diaboli, hujusmodi negotiis asserens applicandum.

(21) Alteritas, *vicissitudo*. S. Augustinus De musica, lib. VI : « Cum adhibentur ea, quæ nonnulla, ut ita dicam, alteritate corpus afficiunt. »

(22) Aliis *Galterius* et *Gualterius*.

CAPUT IV.

Oculorum et aliorum sensuum ac linguæ sancta custodia.

15. Prædictam suorum oculorum custodiam incredibili semper et ubique circumspectione servabat, ita ut cum potentes ac nobiles mulieres juxta illud Apostoli : « cui honorem, honorem (*Rom.* XIII, 7), » ad colloquium honorifice hilariterque frequenter susciperet, multa coram se diuque tractantium facies penitus non videret. Dicebat enim cogitationes illicitas difficillime posse vitari, nisi quis corporis sensus vigilantia multa compresserit; intrare autem, secundum Prophetam, mortem per has quasi fenestras, et ingredi domos nostras (*Jer.* IX, 21). De qua etiam cohibentia sensuum dum vice quadam cum religiosis quibusdam colloqueretur (inter quos erat vir litteris et puritate conspicuus : dominus scilicet Airaldus, archipresbyter tunc ipsius, nunc Maurienensis episcopus), respondit idem vir Domini Airaldus passim se mulieres aspicere, nec earum sibi nocere contuitum; est enim castissimus. Ad quod ille, non a mulierum tantum, sed a virorum quoque vultibus religiosæ mentis avertendum respondit intuitum; asserens (quod experientia sua potest quisque conjicere), per communionem humanæ mutabilitatis atque compassionem, fieri ut affectiones conspecti frequenter ad conspicientem inæstimabili velocitate pertranseant, et, verbi gratia, de irato iratus, et de tristi tristis, et de lasciviente fiat lasciviens; quas passiones satis esse habere quemquam proprias, non in se transcribere taliter alienas : nullius se totius episcopatus sui mulieris, præter unius, ita faciem aspexisse, ut ex consideratione vultus, si occurreret, quænam esset, posset agnoscere. Quid hac responsione castius? quid circumspectius? quid philosophia vera refertius? Talem utique se mulieribus exhibuisse, castissimum; talia in humanis affectionibus advertisse, sapientissimum. Hinc fuit illud quod cum de matre mea (quæ cum eo, quæ voluit, quandiu voluit, locuta fuerat) ab eo quæsissem utrum eam valde senecta fregisset, paululum secum præmeditans, « Nescio, inquit, utrum sit vetus an non. » Hinc et illud, quod mulierem quadam, potentia nobilitateque præclara, cujus nomen edicere nolumus, in ejus conspectu, quam morose placuit, multa loquente; cum et ipse, quod libuit, respondisset, illaque discessisset, discrepantque socii ejus, quos prudentes et religiosos semper habere curabat, cur non eam corripuisset, quod se suamque faciem tam facete tamque lascive poliret, respondit ille, non sine horrore quodam et exsecratione, faciem ejus se penitus non vi-

disse. Et quidem mirum, quod faciem illius unius non viderat, qui nullam noverat? Ubi nunc sacerdotum, ubi plurimorum in sacro habitu constitutorum curiosa lascivia, lascivaque curiositas? Attendant hæc et imitentur, si possunt; mirentur et revereantur, si non possunt. Sed et qui sanctitatem sine miraculis nihili ducunt; quæ nos ideo non magni facimus, quoniam ab electis hæc et reprobis haberi communiter scimus, et in majoribus patriarchis multisque aliis qui Deo valde placuere sanctis vel nulla vel pauca reperimus: qui tamen, ut dicere coperamus, miracula quærunt, etiam atque etiam considerent utrum mirabilius ab homine, mortali carne circumdato, quidquam debeat exigi; et utrum cuiquam possit non impossibile videri, per quinquaginta et amplius annos grandem episcopatum a quolibet homine regi, et præter unius, nullius omnino feminæ faciem sciri. Et certe erat hæc ipsa parum quidem formosa, sed consilii ejus satis indiga. Et tamen ad ipsius præsentiam, non solum ex suo, sed etiam ex aliis episcopatibus, seu pro confessione, seu aliis causis innumeris, tanto devotius frequentiusque veniebant, quanto sanctiorem cognoverant.

16. Non autem hunc solum, id est, oculorum sensum, sed et cæteros omnes simili diligentia cohibebat. Aures namque et linguam cum a cæteris illicitis, tamen quam maxime ab obtrectationibus frenans, aiebat sufficere unicuique propria peccata, nec esse necesse ut alienis, suam vel audiendo conscientiam, vel loquendo, contaminet linguam. Rumores nec interrogabat, nec facile referebat. Veracem autem eum fuisse in suis sermonibus, quo certius quam inimici testimonio probare poterimus? Guigo (23) comes, ad ea quæ mundi sunt homo satis idoneus, circa eumdem etiam Dei famulum tranquillitatis tempore valde devotus, invictissime pro justitia resistenti, molestias non parvas nec paucas intulit, bis namque, ut multa taceamus, ab eo pro suis est excommunicatus excessibus, bis eum episcopalibus expulit domibus. Itaque cum grande placitum inter eos haberetur, in præsentia Guidonis (24) Viennensis archiepiscopi, qui postea papa Calixtus effectus est, et vir Dei, juxta illud quod scriptum est: « Justus quasi leo confidens absque terrore erit (*Prov.* XXVIII, 1), » justitiam adversus comitem aperta contradictione defenderet, indignatus ille atque iracundiæ facibus inflammatus, paratusque, sicut apparuit, quidquid potuisset objicere, quasi pro gravi crimine intulit, dicens: « Audivi aliquando a vobis ego, quod verum non erat dici. » Ad hæc sanctus episcopus, coram cunctis qui aderant (aderant autem diversi ordinis non pauci) interrogavit utrum se scientem audisset mentitum. Tunc ille, quanquam iratus, quanquam furore repletus, veritatis tamen pondere pressus, A eum se respondit scienter nullatenus audisse mentitum. De veriloquio igitur ipsius hoc unum hostis et irati sufficiat testimonium.

17. Et quanquam digressionis forsitan arguamur, quia tamen per comitem beati viri patuit veritas, per eumdem monstretur consequenter etiam charitas. Infestissimus, ut dictum est, erat ei, adeo ut non in suis domibus, sed aut nobiscum, aut Lugduni demoraretur; ejus quippe civitatis Ecclesia magnam illi reverentiam, magnumque in suis tribulationibus præsidium semper exhibuit, ejusque consiliis in gravioribus uti negotiis pergratum habuit. Cum ergo die quadam de comite pariter loqueremur, ait ipse bonam se de salute illius spem gerere, nec assecuturum Dei misericordiam desperare, quia nunquam B delectabilius aut ferventius quam pro eo solitus fuisset orare. Miranda charitas, sed et stupenda non minus humilitas! Quid enim charitate plenius, quidve apud homines singularius quam orare non segnius pro persequente quam obsequente? Quid autem humilius quam hanc ipsam devotionem non ad sua, sed ad ipsius referre merita, non quæ jam esse sciret, sed quæ futura speraret? Quia igitur certum est ab eo mandatum esse impletum, quo dicitur: « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (*Matth.* v, 44), dubitari non licet assecutum etiam mercedem quæ sequitur: « Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*ibid.*, 45). » C Qua profecto mercede nihil beatius, ut et præcepto nullum sublimius. Accedant itaque, qui cordis non carent oculis, ut videant cujus sit meriti qui talis exsecutor præcepti, tanti compos est præmii.

18. De tactu vero vel odoratu superflue facimus mentionem; quorum alterum, id est odoratum, ad hoc solum curabat, ut putores propter passiones cerebri non admitteret; alteri vero, id est tactui, et antequam ordinaretur, in totum valefecerat. Nec ideo se suosque sensus ab intuitu feminarum tam disciplinate frenabat, quod circa libidinis vitium se sentiret infirmum (quippe quem et præfatæ tentationes atque infirmitatis angustiæ, et ecclesiasticæ dispensationis multiplices curæ, et maxime assiduum legendi, psallendi, orandi, meditandi, speculandique D divina studium, ad hujusmodi delectationes pene fecerant insensibilem), sed ut sui habitus et officii, qualem decebat, maturitatem severitatemque servaret; et contra inveterati hostis insidias, circumspectionis infirmioribus, quæ sequerentur, exempla monstraret; docens non debere quemquam de quantalibet puritate vel firmitate præsumere, cum et homo, testante Job, in eodem statu non perseveret (*Job.* XIV, 2); et adversarius rugiendo sicut leo circuit alii.

23) Floruerunt isto tempore Guigo Crassus, filius Guigonis veteris, qui et comes Albonensis, et Guigo comes Forestensis, de quibus agit Nicolaus Choierius, lib. II Delphinatus pag. 797. At quisnam hic ἀντονομαστικῶς Guigo comes appellatur, dijudicent

(24) Guido, e nobilissima comitum Burgundiæ familia, creatus archiepiscopus anno 1083, dein legatus apostolicus, papa electus est an. 1119, et Calixtus II dictus, mortuus an. 1124.

cumiens, quærat sine cessatione quem devoret (*I Petr.* v, 8); David et Salomonem pro oculis ponendo, quorum, quia se circa mulieres exhibuere licentius, alter ex summa innocentia in adulterium decidit et homicidium; alter de sapientia, qua mortales cunctos excesserat, in servitutem usque desipuit idolorum. Desideria porro ventris et gutturis vir beatus instantia quanta represserit, res ipsa, tacentibus nobis, certioribus probat indiciis. Capitis namque dolores et stomachi, his maxime creati studiis, satis et super satis eum ab hujuscemodi monstrant abstinuisse deliciis.

CAPUT V.

Eleemosynæ factæ, munera spreta, dissidia sublata, conciones, auctoritas summorum pontificum defensa.

19. Eleemosynæ sane fuit et per se diligens exsecutor, et in aliis etiam fervidus exhortator; exceptis enim domus suæ duntaxat necessitatibus, cuncta pene, quæ consequi poterat, non in thesauros congerebat, posterorum vel dissipanda litibus, vel consumenda luxibus, sed sciens illud Apostoli: « Hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* IX, 7), » distribuit lætus egentibus. Denique annulos aureos et gemmatos, calicem etiam similiter aureum vendidit, tempore magnæ famis, horreis defectum minantibus, et alendis impendit pauperibus. Adjuvantes etiam non minime hanc in eo gratiam potentes et nobiles, qui sanctæ conversationis ejus, longe lateque salubriter suaviterque fragrantis, odore percepto, de remotis etiam regionibus, quamvis eum non vidissent, ob divinam tamen reverentiam beneficia multa mittebant. Procul non a mensa tantum ejus, sed a totis etiam atriis, histriones tanquam vasa perditionis et organa falsitatis, procul militares clientes, tanquam rapinarum et cædium et totius instrumenta crudelitatis, procul etiam equites, nisi rari, et ipsi raro, respectuque quam maximi specialis (25) utilitatis. Non enim æquum putabat ecclesiarum bona, quæ patrimonia sunt æstimanda pauperum, in aliorum expendi, præsertim malorum, usibus hominum; imo magis semetipsum, tanquam ex pauperibus unum, graviter accusabat, quod sibi ac sociis, de rebus sibi commissis competentem sumeret copiam, ac non potius sustineret cum pauperibus et ipse pauper inopiam. Eleemosynam igitur, ut diximus, libenter faciebat, sedule suadebat, pro satisfactione etiam pœnitentibus injungebat. Hæc namque tria præcipue culpas suas emendare cupientibus sectanda præcipiebat, orationem, jejunium, et eleemosynam, non humanam in hoc temeritatem, sed evangelicam sequens auctoritatem. Dicit enim Dominus pessimum dæmoniorum genus ejici non posse, nisi in oratione et jejunio (*Marc.* IX, 28). Alibi quoque Pharisæis loquens: « Date, inquit, eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI, 4). »

20. Verum si scribere velimus quanta moderatione hæc ipsa pro personis, viribus, affectibus et facultatibus dispensare solitus erat, quamque sapienter et sobrie res suas in suorum et suos spirituales et corporales usus, nec non et pauperum solatia distribuerit, erit quidem non solum sanctitatis ejus, sed et solertiæ documentum evidentissimum: sed lectoris debemus vitare fastidium. Illud sane quo pacto præterire possumus, quin vel breviter attingamus, quod cum frequentissime suorum et alienorum causas mundanas et ecclesiasticas audiret, versaret, terminaret; cumque in subditis sibi clericis per tam prolixum vitæ spatium toties consecrationes, degradationes, reconciliationes, pro personarum et ecclesiarum competentibus causis et necessitatibus, celebraret, manus suas tamen ab omni, secundum propheticum præconium, excussit munere (*Isai*, XXXIII, 15). Eo judice, nulli unquam, personæ dignitas, nulli pecuniæ profuit quantitas, nullum paupertas, nullum quantacunque officiorum sive natalium rerum fecit extremitas; non mitiorem amicus, non duriorem expertus est inimicus; non deargentatam convictis vel confitentibus imposuit pœnitentiam, non lucrosam in placitis defendit ediditve sententiam; non considerabat personam pauperis, non honorabat vultum potentis: quod beati viri eo præclarius illustrat meritum, quo rarius vel in præsentibus, vel in præteritis habet exemplum. Quanta nobis hoc loco, si laudare comparatione malorum bona velimus, offertur materia in præsentium temporum fæces invehendi; in quibus, cum dedecore atque eversione honestatis et æquitatis, pecunia templa penetrat, altaria maculat, sacerdotia venundat, innocentiam exterminat, omnia divina profanaque contaminat! Excæcant nunc munera oculos sapientum, et subvertunt verba justorum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; a minimo usque ad maximum omnes avaritiæ student, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, non deficit de plateis nostris usura et dolus, postremo in capite omnium avaritia, et pecuniæ obediunt omnia. Sed hæc hactenus; non enim ista suscepimus.

21. Ad Dei igitur hominem verba vertamus, qui temporalium negotiorum litigiosas causas æternorum amore non amare, sed tolerare, magistra pietate, didicerat. Dicebat enim omni febre molestiora sibi placita, modisque omnibus his abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sciret offensurum. Intererat autem illis tantummodo pacis obtentu, maxime pauperum atque ecclesiarum; his etenim noverat gravius motus nocere guerrarum. Ubi vero inexorabilia in aliquibus odia et inexpiabiles repererat iras, tunc demum fortissime, de Dei fisus auxilio, totusque in charitatis atque humilitatis solutus affectum, instantissime ac devotissime, offensis, pro his qui offenderant, supplicabat. O quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cœnosa se pro talibus causis loca pro-

(25) Loco *specialis* in altero nostro ms. legitur *spiritualis*, quod et margini apud Surium appositum est.

jecit! quoties ad pedes contemptibilium etiam personarum diu prostratus jacuit! Nec facile, imo pene nunquam frustrabatur optatis; nam et si qui negassent, non solum gratis, sed et cum satisfactione pœnitentes, offerebant postea non roganti quod negaverant supplicanti. Tantam quippe omne genus hominum ei reverentiam deferebat, ut Deum graviter offendisse se crederet quisquis ei postulata negasset.

22. Fuit etiam prædicator egregius; erat quippe non mediocriter litteratus. Sed et ingenio et memoria bene præditus erat, inquantum molestia capitis non obtundebat; nam et litteras suas ipse dictabat, eas præsertim quarum ei cura propensior erat. Ideo autem prædicans facilius suadebat, quia quod verbis dicebat, operibus ostendebat. Ut enim commissam efficacius instrueret plebem, faciendo præveniebat sermonem, sicut et de Domino scriptum est : « quia cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I, 1). » Instruebat igitur ad confessionem, excitabat ad pœnitentiam, promptam ad ignoscendum divinam monstrando clementiam; nec quærebat in quo a litteratis quasi sapiens laudaretur, sed quod ab auditoribus et melius intelligeretur et utilius retineretur. Denique in tantum auditores ejus interdum prædicatione ejus movebantur, ut capitalia etiam aliqui crimina, Deum magis verentes quam homines, publice faterentur; quod sequens declarabit exemplum : Apud Vinnaicum castrum (26), populo multo, ad dedicationem ecclesiæ congregato, verbum fecit quo in multas lacrymas audientium corda resolvit. Ibi mulieres duæ, quæ (sicut apparuit) ejus verba profundius aure cordis imbiberant, audientibus pluribus scelera confessæ sunt quæ commiserant; et posterior quidem quid dixerit, non satis habemus compertum; prior autem suum se prodidit occidisse maritum. Cumque vir Dei necis exquireret modum, retulit in escam illi se dedisse venenum; post quæ jussit præsentes abscedere, ut ei cæteri, quod volebant, liberius possent ostendere. Tanta vero ad confitendum fuit reliquæ plebis instantia, ut ne dimidiam quidem partem ejus, in tali opere valde licet devota, auscultare quiverit tolerantia. Hoc a viro ætate et sanctitate reverendo Wilhelmo, S. Theofredi nunc abbate, tunc monacho, nos audivimus, qui beati viri per annos plusquam viginti comes exstitit individuus.

23. Sed quando nos omnia bona ejus, vel breviter tangendo, memoriæ mandare poterimus? Congesserat namque in illum unum divina gratia virtutum ornamenta plurima, quæ dispertita per singulos, plurimos illustres sufficienter facere possent atque conspicuos. Si enim laudatur castitas, quis illo mundior? si sermonis veritas, quis in loquendo cautior? si Dei charitas, quis ferventior? si proximi, quis benignior? si humilitas, quis dejectior? si eleemosyna, quis largior? si oratio, quis devotior? si lacrymarum gratia, in quo effusior? si contemplatio, in quo sublimior? si tolerantia, quis in tribulatione fortior? si justitia, quis districtior? si prudentia, quis circumspectior? si temperantia, quis moderatior? Verum, cum talis esset ac tantus, ipse tamen, juxta illud Evangelii : « Cum feceritis omnia, dicite : Servi inutiles sumus (*Luc.* XVII, 10); » se infructuosum, se semper accusare non cessabat inutilem, qui episcopi locum occuparet, episcopi honorificentiam susciperet, episcopalia bona consumeret, episcopi vero nec merita, nec fructus haberet. Et certe præsto erant quæ possent menti ejus non modo solamen afferre, sed et in superbiam, nisi tam solida esset, extollere. Ut enim taceamus quæ clero pariter et plebi per eum bona provenerant, eremus Carthusiæ, Calesiensis abbatia, excubiarum eremus, regularium canonicorum apud Miserenum et apud S. Georgium domus, ipso adnitente cœperant, ipso spiritaliter et corporaliter fovente profecerant. Sed ipse imperfectionem suam, qua nec Apostolus carebat, dicens : « Non quod jam acceperim aut perfectus sim (*Phil.* III, 12), » tantummodo cogitans; et cum Psalmista dicente : « Ut sciam, quid desit mihi (*Psal.* XXXVIII, 5); » non quid sibi virtutis adesset, sed quid deesset subtili admodum discussione considerans, episcopalem sarcinam modis omnibus exuere desiderabat; qua sententia vel desiderio, sicut in principio diximus, ab initio suæ promotionis ad mortem usque non caruit.

24. Hac igitur voluntate in dies augmenta sumente, Romam legatos et litteras in hoc ipsum ad venerandæ memoriæ papam misit Honorium (27). Sed cum legati postulata non impetrassent, imo magis litteras ad eum consolatorias et ad perseverandum exhortatorias accepissent, ipsemet, quamvis morbis ac senectute gravatus, spe tamen in posterum quiescendi roboratus, eumdem Romanum pontificem adire curavit, rogans suppliciter et obtestans dari senectuti suæ licentiam quiescendi, et Ecclesiæ Gratianopolitanæ meliorem in suum locum pastorem substituendi. Sed nec ipse (quamvis multas, ut putabat, justas et animi et corporis allegaret occasiones) impetrare valuit, ut sibi tantum et Deo vacare permitteretur. Creditum est enim quod sola auctoritate et sanctæ conversationis exemplo plus posset plebi prodesse subjectæ debilis et ægrotus, quam quivis alius, robustus licet et sanus. Concessis itaque cæteris quæ petebat, honoratusque a summo pontifice et consolatus ut potuit, ad propria remeavit; dimittendi tamen episcopatum olim conceptum non deposuit desiderium.

25. Defuncto autem Honorio (28), cum per tyrannicam et schismaticam rabiem, non suis meritis, sed

(26) Vinnaicum castrum, vulgo *Vinay* oppidum, sex M. P. ab Antoniano cœnobio distans. In altero ms. legitur *Insuaicum;* et Surio adjectum est *Jusnaicum.*

(27) Successit Calixto II pontifici Honorius II, anno 1124, 14 Decemb. Et obiit mense Februarii anni 1130.

(28) [illegible] jam dictis mense et anno Innocentius II.

cognatorum et fratrum fultus præsidiis, Petrus Leonis (29) adversus vestram innocentiam, quæ beatæ memoriæ Honorio successerat, emersisset, atque hoc vir Dei certissime comperisset, morbis licet, ut diximus, et ætate consumptus, zelo tamen domus Dei, cujus diligebat decorem, perrexit Anicium (30), ut eumdem cum aliis episcopis excommunicaret schismaticum. Quæ profecto excommunicatio, propter auctoritatem tanti viri, contulit multum et profectum Catholicis et detrimentum schismaticis. Et certe tam idem Petrus, quam pater ejus, sancto viro multas olim veneraliones et obsequia præstiterant; sed beatus homo in tali negotio, id est, ubi periclitabatur Justitia, nec amicitia flectebatur, nec potentia terrebatur. Nam et ante aliquot annos, cum Henricus imperator papam Paschalem, cum clericis et parte civium, in ecclesia B. Petri nefanda proditione cepisset, et eorum qui secum erant capti, pietate victum, ad illicita pacta coegisset, ipse præ cunctis, ut apud Viennam (31) excommunicaretur, effecit; qua excommunicatione, Ecclesiæ suæ Domino roborante sententiam, tyranni illius in contrarium est mutata prosperitas, et imperiali dignitate privata posteritas. Declinante igitur persecutiones præfati schismatici serenitate vestra, et Gallias ingressa, occurrit ei Valentiam B. Hugo, cum lacrymis rogans et obsecrans (quod et pridem ab antecessore vestro petierat), ut scilicet cunctis sarcinis et honoribus ecclesiasticis absolveretur, et utilior in Ecclesia Gratianopolitana pastor eligeretur; sed nunc tunc quidem impetrare potuit, quod tam efficaciter humiliterque petivit.

A tinens formas. Ea ergo memoriæ parte obliterata sive confusa, pars illa quæ veritatis et Justitiæ totiusque divini cultus impressa lineis in hominibus sanctis et angelis tantum congruit pietatis actibus, non solum æque ut prius, verum etiam constantior interdum ferventiorque innotuit, adeo ut litaniis et psalmis pectorisque contusionibus, diebus ac noctibus divinæ clementiæ aures interpellando, religiosis, qui sibi serviebant, onerosus plerumque fieret fratribus.

27. Aderant namque ad serviendum ei, tam ex sociis propriis quam ex nostra et Calesiensi, nec non et Excubiensi domibus, octo vel novem, et interdum etiam decem, partim litterati, partim sine litteris, omnes religiosi fratres; nec ulla prorsus persona sæcularis ad ipsius admittebatur obsequium. Hi vero B die noctuque corporalibus ac spiritualibus necessitatibus ejus devotissime serviebant. Erga quos, servitores videlicet suos, quantum in humilitate (quam inter cæteras virtutes præcipue sectatum supra retulimus) profecerat, quamque profunde puri cordis sacris eam impresserat recessibus, manifestis ostendit indiciis. Nam si quid opus habebat, non a quoquam eorum jubendo tanquam dominus, sed rogando; nec humanam, sed divinam potius remunerationem imprecando, suppliciter exposcebat, verbi gratia: « Exhibe vel fac mihi hoc aut illud propter Deum, ut Deus hoc tibi retribuat in futuro. » Mirabantur autem et vehementer stupebant quod qui subjectos omnes, et propriam præsertim familiam tanta auctoritate tantaque severitate regere consuevit, in ægritudine, quando solent alii, morbi stimulante molestia, ad irarum et indignationum motus esse procliviores, tantam mansuetudinem, tantam induerat humilitatem. Nam, etiamsi quis vel modice reprehendisset eum, vel aliquam molestiam in ejus famulatu se pertulisse dixisset, protinus pugnis graviter pectus verberans, se reum clamabat, et virgarum disciplinam imponi sibi devotissime flagitabat. Quod quia cuncti propter multam circa eum reverentiam recusabant, flebat ubertim, confessionemque illam, qua mysteria celebraturus uti fuerat solitus, innumerabiliter repetebat. Psalmos quoque et divinarum Scripturarum sententias, litanias etiam et orationes ecclesiasticas die noctuque incredibili instantia frequentabat, ita ut nocte una (sicut nobis veraci narratione relatum est) Dominicas orationes trecentas expleverit. Cumque a servientibus sibi corriperetur, quod hæc agendo non solum suo fatigationem corpori, sed etiam augmenta præberet infirmitati, respondebat ille, non solum non hinc suis incrementa miseriis, sed insuper magna provenire remedia.

28. Ita quippe his assueverat studiis, et ita dulcedinem divinæ laudis et obsecrationis medullitus im-

C

CAPUT VI.

Morbus, visitantibus monita data, mors, sepultura.

26. Ab hoc tempore cœpit in dies magis magisque debilitari, et morti crebrescentibus molestiis propinquare. E quibus namque Satanæ angelis, quos ei ad colaphizandum, ne extolleretur, datos supra retulimus, tentatione videlicet atque infirmitate, alter, id est tentatio, ita exstinctus est ut nec vestigium ejus nullum relinqueretur; alter vero, hoc est infirmitas, excrescere quotidianis non cessavit augmentis, donec illo obeunte, ipse quoque pariter finiretur. Sed cum et antea semper verbis et operibus, in ejus beata anima Deum habitare claruerit, tum præcipue in D hac infirmitatis afflictione postrema, quis vel quanti foret meriti, et quam sincero Dominum veneraretur affectu, et quam vera dilectione in tam diuturna vita sua justitiam veritatemque defensasset, latere non potuit; nam per ejusdem infirmitatis nimiam violentiam, deleta vel perturbata est pene tota memoria, in ea duntaxat parte quæ bonis malisque communis est, et bonis ad bonos, malis ad malos indifferenter usus deservit, localium et temporalium rerum con-

(29) Petrus Leonis Romanus, anno 1120, creatus cardinalis, antipapa dictus Anacletus II, de quo egimus 10 Febr. in Vita S. Guilielmi eremitæ, occasione Guilielmi ultimi ducis Aquitaniæ, a S. Bernardo ab hujus schismate ad Innocentii II obedientiam reducti.

(30) Anicium seu Podium B. Mariæ in Arvernia, ubi Gerardus ep. Engolismensis depositus est.

(31) Anno 1112, præside Guidone archiep. Viennen., et valde collaborante S. Godefredo, ep. Ambianensi, qui colitur 8 Novemb.

biberat, ut cum cætera pene omnia per passionem, ut prædiximus, capitis de memoria diffugissent, hæc prorsus de sanctissima ejus mente nulla vel phrenesis vel alterius morbi vi potuerint aboleri. Imo tanto hæc instantius et delectabilius revolvebat, quanto cætera, oblivione quoque juvante, rarius incursabant. Et cum plerumque, hac ipsa oblivione cogente, ubi esset, vel cum quibus esset, nesciret, interrogatus tamen de his quæ ad justitiam religionemque pertinebant, sine cunctatione veracissime sapientissimeque respondebat. Nam cum falsus rumor exisset quod comiti Amedeo (32), qui comitis Umberti, patris videlicet sui, secutus exemplum, non exiguam beato seni reverentiam exhibebat, filius natus fuisset, quærerentque qui assistebant ei an eum vellet ipse baptizare, illico non sine aspernatione respondens : « Non, inquit, a quo quis baptizetur curandum est (33), cum baptismus, a quocunque datus, sit semper idem. » Item disceptantibus inter se qui aderant quis successorem ejus, eo ipso petente jam electum, in sacerdotem consecraret, similiter indignatus respondit non eligendum intra Ecclesiam catholicam ordinatorem, cum, licet diversis et a diversis datum sacerdotium, non possit esse diversum. Indignabatur autem in talibus facilius et vehementius, quia vel dubitare in his blasphemiam deputabat.

29. Accurrentibus etiam ad visitandum eum clericis et laicis, satis multum venerabiliter ac devote, pro personis et officiis, monitus saluberrimos infundebat. Inter quos Guigonem Desiderii, unum de majoribus post comitem, erga se præ multis devotum, cum flexis genibus (ita quippe omnes faciebant) ante lectum ejus benedictionem flagitaret, severa increpatione corripuit, dicens eum, injustas in subditos exactiones faciendo, animæ suæ perpetua tormenta lucrari. Ad quæ ille stupefactus ait non hæc sibi ab illo qui jam pene inter mortuos deputari poterat, sed a Deo potius, qui ei revelaverat, dici, asserens gravissimam revera recenter terræ suæ multam imposuisse, necdumque accepisse, nec post hæc ejus monita accepturum deinceps esse.

30. Carnotinus etiam episcopus, dominus Gaufridus (34), servo Dei ex quo notus singulariter etiam charus, post visitationem (quam ei tanto gratiorem quanto magis desideratam exhibuerat) Valentiam, ubi tunc eratis, ad vestri præsentiam reversurus, cum, quid ex sua vobis parte dici præciperet, quæreret, ait ille ut pro se vestra benignitas Dei clementiam exoraret. Sed et hic cum quæreret quid pro se vellet orari : « Ut Deus, inquit, in me mundanum exstinguat, et suum accendat amorem. » Idipsum religiosos fratres, qui sedulum sibi exhibebant obsequium, sæpissime precabatur, reum se et indignum divinis beneficiis non sine pectoris contusione contestans. Quadam autem vice quidam ex sociis, tantis ejus fletibus atque suspiriis motus, quasi consolaturus : « Quid, inquit, Pater, tantum plangis, cum nec homicidium, nec perjurium, nec aliud quid criminale commiseris? » Protinus ille : « Quid hoc, inquit, refert, cum sola cupiditas et vanitas, si divina non adsit clementia, perditioni possint humanæ sufficere? » Quid prudentius aut compendiosius ab incolumi et integræ memoriæ potuit responderi? Omnia quæ vel boni piis studiis aversantur, vel mali perniciosis nisibus consectantur, duobus verbis, cupiditatis et vanitatis, inclusit.

31. Diensis etiam episcopus dominus Odolricus (35), unus ex ejus alumnis, et in Ecclesia Gratianopolitana per omnes honores usque ad decanatum (qui post episcopatum major ibidem est dignitas) ab ipso provectus, vitæ regularis habitum per reverendas manus sanctissimi senis desiderans sumere, devotus advenit, ipso jam multa, morbis ingravescentibus, debilitate gravato. Cujus adventus causa, ministris indicantibus, vir beatus audita, tanto exsultavit gaudio, tantaque protinus et repletus lætitia, ut oblitus infirmitatis, venienti occurrere gestiens, pene se de lectulo præcipitaverit. Accedente autem illo, osculatus est eum, et præ gaudio lacrymas fundens : « Exuat, inquit, te Deus veterem hominem cum actibus suis, et induat te novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, » memoria, ut jam dictum est, ad communia ultra fidem deficiente, ad divina solito nonnunquam amplius exuberante. Nam et post multa sanctissima et saluberrima monita cum abiret, necdum atria cuncta transisset, id etiam mandare curavit ut de caligis pedules abscinderet, quatenus præter pedes totus jaceret vestitus; dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis injuriam, tibiis dormire nudatis. Post hæc, juvantibus ministris, in planum descendit solum, prostratusque in faciem, magnas Deo, pro eo quod factum fuerat, cum lacrymis gratias obtulit; his indiciis, quantum salutem desideraret humanam, pene jam defunctus ostendens.

32. Ridere autem, vel otiosis vacare verbis, aut rumores inutiles recitare, servitores suos, nequaquam patienter habebat; statim enim hoc ipsum severa increpatione frenabat, asserens tempora fletibus debita et pœnitentiæ, occupanda lamentis, nec cachinnis, nec nugacibus relationibus, nec otiosis terenda sermonibus. Unde, quæsumus, etiam etiamque considerent, qui mirari nisi insolita non norunt, utrum vel in Scripturis, vel in humanis relationibus tale quidquam nosse potuerint, et utrum non omnino impossibile et contra naturam, et ideo incredibile etiam videatur, potuisse hominem corporalia et a

(32) Hic est Amedeus II, comes Sabaudiæ, filius Humberti II, cui, anno 1103, mortuo successit, in Cypro insula defunctus Kalendis Aprilis, an. 1149.

(33) Scilicet sive is episcopus fuerit, sive parochus sacerdos.

(34) Sedit Gaufridus ab anno 1116 ad 1138, legatus apostolicus Innocentii II, quem anno 1130 excepit Carnuti et jam reducebat in Italiam.

(35) Aliis Odoricus et Uldricus, qui traditur vixisse usque ad annum 1144.

puero consueta de memoria perdere, et divina non potuisse, cum id potius naturæ vel consuetudinis exigat ratio, ut spiritualia et divina, tanquam subtiliora in minus assueta, captuque difficiliora, prius abscedant; illa vero, utpote familiariora et humanæ infirmitati ad cogitandum faciliora, diutius maneant. Quod si ea, quæ circa sanctos contingere solent, quo variora eo sunt etiam mirabiliora, quid eo mirabilius, cujus pro sui raritate, nec in scripturis ullum, nec in humanis rebus exstat exemplum? Et sentiat quisque quod vult, nobis autem videtur (nec aliter peritiores, eos maxime qui physicam norunt, sensuros existimamus) non minus singulare, minusve, imo forte amplius fuisse mirabile, inter tot tamque diuturnas et acerbas cerebri passiones, divinam cognitionem atque invocationem et religiosam non perdidisse devotionem, quam inter eculeos ardentesque laminas et succensas craticulas insuperabili constantia Christianam non negasse fidem. Ibi enim, quod infestat, exterius totum ingeritur; hic ipsa rationis instrumenta ipsaque divinorum et humanorum sensuum, quasi cellarium memoria, intrinsecus impugnantur; et qui eis præsidet animus, non aliunde nec alibi quam ex eis et in eis quibus juvari debuerat, dignioribus scilicet et sublimioribus, sibique pro sui subtilitate conjunctioribus sui corporis partibus, attentatur. Horum alterum in reverendis martyribus, alterum miramur in B. Hugone. Verumtamen hoc illi nec novum nec recens fuerat, in suæ namque mentis excessibus, quos utique crebros et sublimes habebat, relictis non solum cæteris, sed et semet sub se, supernam dulcedinem delectabiliter gustare solitus fuerat; unde etiam ad id recurrebat afflictus, quod incolumi fuerat dulcius. Apparet igitur B. Hugonem, sicut et sanctum Job, ideo tantis tribulationum procellis exagitatum, tantisque dolorum fornacibus instar auri decoctum, ut et ad societatem sanctorum purior et clarior hinc exiret, et quod non superficie tenus, sed ex totis medullis Deum dilexerat, mundus agnosceret, dum ab ejus invocatione nec doloris nec phrenesis vis eum ulla compesceret. Quid plura? In his usque ad ultimum perseveravit spiritum. Erga suam Carthusiam, ejusque priorem indignum (quod sine lacrymis non scribimus) specialem dilectionem, eorum in tantis afflictionibus memoria non carendo, demonstrans.

33. Anno itaque ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo secundo, ætatis porro suæ ad minus octogesimo, mense quarto, consecrationis autem itidem ad minus quinquagesimo secundo, Kalendis Aprilis, sexta ante Palmarum Dominicam feria, circa gallicinium, B. Hugo, inter sui temporis episcopos operibus et fama singularis, pacata domo et cunctis referta bonis, commissa etiam Ecclesia ac plebe tranquilla pace fruente, migravit ad Dominum, successorem substitutum jam sibi Carthusiensem (sicut diu multumque desideraverat ante) relinquens. Servatum est autem corpus ejus insepultum, usque ad tertiam sequentis hebdomadæ feriam, serenis diebus et calidis, ita ut nemo desideraret æstatem, mirantibus plurimis, quod nec clementia aeris, nec circumstantis constipatæ multitudinis æstu, nec cereorum calore tabesceret. Ad cujus venerandas exsequias tres accurrerunt episcopi, Diensis, Gratianopolitanus, Carnotinus; qui præcedenti die, post secundam, quam ei in hac sua ultima debilitate visitationem exhibuerat, vix tandem recesserat; rogans, ut si brevi deficeret, post eum (quod et factum est) protinus mitteretur.

34. Statim vero ut ejus obitus fama percrebuit, accurrerunt, non ex suo tantum episcopatu, sed ex remotis quoque regionibus innumerabiles populi, cereos ac diversi generis oblationes afferentes. Omnis ætas, sexus atque conditio devotissime osculabantur pedes ejus, intantum ut sandalia ipsa, tanquam tincta pellis, saliva pariter et lacrymis obscurarentur; nam et lactentes offerebantur parvuli, quo tam sancti corporis tactu adversus omnia munirentur adversa. Nonnulli etiam sandalia ipsa, ardentiori fide osculando, mordebant; aliquid inde ob sanctificationem secum ferre volentes. Annuli ac nummi et res aliæ sancto applicabantur corpori, ut eo sepulto pro reliquiis haberentur. Aderant ex nostris et Calesiensibus atque Excubiensibus plures conversi, sanctissimæ glebæ custodes assidui, monachorum quoque et clericorum cum ecclesiasticis apparatibus greges quam plurimi; tantus autem concursus undique fuerat populi, et tam grata cunctis etiam defuncti præsentia, ut vix tandem eum permiserint sepeliri. Denique quinta defunctionis die, tertia, ut diximus, post Palmas feria, deceperunt turbas, promittentes quod ipsum extra ecclesiam efferrent, ut eum liberius et intuerentur et tangerent. Hac itaque spe exeuntibus, et ita ecclesia Beatæ semper virginis Mariæ, ubi sepeliendus erat, ex parte vacuata; obseratis protinus firmissime januis, sacri corporis venerandæ reliquiæ, in præparato sarcophago, cum multa reverentia et ingenti lamentantium pariter et psallentium clamore, ponuntur. Frequentia porro turbarum circa sepulcrum ejus, modo rarior modo densior, ob spem divinæ in se miserationis, propter ingentia beati viri merita, nunc usque perseverat.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

GUIGO

CARTHUSIÆ PRIOR GENERALIS

HUJUS NOMINIS SECUNDUS

BERNARDUS, JOANNES, STEPHANUS DE CHALMETO

CARTHUSIANI

NOTITIA IN GUIGONEM

(FABRIC., *Bibliotheca mediæ Latinitatis*, III, 135.— De aliis vide infra Præfationem Petri Francisci Chiffletii)

' *Guigo II*, *Carthusiæ* prior generalis, qui abdicato an. 1176 generalatu, diem obiit an. 1188, auctor habetur libri in capita 36 divisi, *De quadripertito exercitio cellæ*, rerum sæcularium declinatione, meditatione, oratione et opere manuum. Hunc cum aliis antiquis monumentis non dissimilis argumenti edidit Petrus Franciscus Chiffletius S. J. Divione 1657, 8°, in libro cui titulus : *Manuale Solitariorum, ex veterum Patrum Carthusianorum cellis depromptum*. Recusum cum iisdem in Bibl. Patrum Lugd. tom. XXIV, pag. 1468-1501. Fortasse huic Guigoni tribuenda etiam *Scala paradisi* sive *Scala claustralium*, seu tractatus *de modo orandi, et de vita contemplativa* ad fratrem Gervasium ; editus inter S. Augustini Opera in appendice, tom. VI, pag. 643, edit. Amst., et inter S. Bernardi, tom. II, edit. novæ, pag. 325-330

SCALA PARADISI

SEU TRACTATUS

DE MODO ORANDI ET DE VITA CONTEMPLATIVA

Guigoni II fortasse ascribendus.

(Exstat inter S. Augustini Opera, tom. VI, seu *Patrologiæ* tom. XL, append., col. 997.)

GUIGONIS CARTHUSIÆ PRIORIS

EJUS NOMINIS SECUNDI

LIBER DE QUADRIPERTITO EXERCITIO CELLÆ.

ACCEDUNT

BERNARDI Carthusiæ Portarum primi prioris; JOANNIS, Stephani DE CHALMETO, ejusdem Carthusiæ monachorum,

EPISTOLÆ

NECNON

Alexandri III papæ ad Arthaudum priorem Carthusiæ Alveriæ Epistola.

(*Bibl. PP.* XXIV, 1463, ex *Manuali Solitariorum*, cura et studio Petri Francisci CHIFFLETII, societatis Jesu presbyteri, edito.)

DE SEQUENTIBUS OPUSCULIS PRÆFATIO.

Quia hæc opuscula curis nostris lucem nunc primum aspiciunt, et ignota fuisse videntur etiam Theodoro Petræo, qui nusquam eorum meminit in Bibliotheca Carthusiana, nostra sane interesse credimus, ut quibus ex bibliothecis, et quam vetustis ex codicibus prodierint, quibus ab auctoribus conscripta fuerint, et qualia denique sint, per nos ipso in operis vestibulo intelligatur.

1. *Liber De quadripertito exercitio cellæ, auctore (ut videtur) Guigone, priore Carthusiæ, ejus nominis secundo.*

Hunc librum ex codice Carthusiæ Portarum descripsimus, deinde ex codice Carthusiæ Parci, in Cenomanis, acceptas variantes aliquot lectiones, ubi opus fuit vel textui ut saniores alligavimus, vel ad nostrum exemplar inter uncos adnotavimus, præmissis litteris *Par:* quibus Parcensis codex significaretur. Qui autem has diversas lectiones ad me transmisit vir humanissimus, atque admodum venerandus, domnus Joannes Chauvet, generalis scriba ordinis Carthusiensis, simul admonuit eum codicem Parcensem de illorum esse numero quos sanctus Gaufridus de Lauduno, Cenomanensis episcopus (sic enim vulgo nuncupatur, quamvis nulla Romanæ sedis auctoritate vindicatus), Carthusiæ Parci fundator secundus, ei domui contulit circa annum Christi 1244. Quod si ita habet, affirmare necesse erit descriptum esse Parcense illud exemplar ante annos circiter quadringentos. Portarum vero codex, etiam vetustior ex eo deprehenditur, quod habet voces quasdam remotioris ævi, et a puro Latio magis abhorrentes, quæ in Parcensi emendatæ reperiuntur. His quasi vestigiis deducti, illum B. cui tractatus iste inscribitur, priorem Carthusiæ Wiltheamensis, haud alium esse censuimus a Bovone, magnæ religionis et spiritus prophetici viro, quem S. Hugonis Lincolniensis episcopi Vita prolixior, quinque in libros digesta ab auctore ejus domestico, Hugoni ex priore Wiltheamensi ad episcopatum assumpto, anno Christi fere 1186, in ejusdem Wiltheamensis Carthusiæ administratione successisse confirmat, cum ante quinque admodum annos magnopere auctor fuisset, ut Anglorum regi Hugo idem Wiltheamensi domui præfuturus concederetur: sic enim habet Vita illa S. Hugonis, lib. II, c. 3; in consultatione Patrum Carthusiensium super eo negotio: *Unus Bovo, quem postea priorem Wilthamiæ hoc sæpius referentem audivimus, a Deo exisse verbum regis asserebat;* de Hugone hæc subjiciens: *Credite meæ parvitati. Inter præcipua Ecclesiæ sanctæ luminaria ipsum in brevi audietis, super candelabrum ecclesiastici regiminis sublevari. Dudum mihi virtutibus Hugo, episcopus potius visus est quam monachus exstitisse.* Notatu autem digna res est, quod in dedicatoria scribitur: B. *Prior pauperum Christi, qui in Wiltheam commanentes: ordinem sunt Carthusiensem professi.* Qua forma et Guigo prior V majoris Carthusiæ sic orditur prologum Vitæ S. Hugonis episcopi Gratianopolitani. *Domino et Patri charissimo, ac reverendissimo sedis apostolicæ pontifici Innocentio, Carthusiensium pauperum servus inutilis Guigo, perpetuam salutem*, etc., et Carthusienses Majorevi, inter epistolas Petri Cluniacensis, lib. VI, epist. 23: *Petro Venerabili et honorando Dei gratia Cluniacensium abbati,*

A

B

C

frater humilis pauperum Majorevi prior vocatus, cum eisdem pauperibus, æternam a Domino salutem. Ut minime dubium sit quin Carthusiani prisco ævo *pauperes* vulgo cognominati fuerint; quod scilicet eorum victus ac vestitus vel tenuitas vel asperitas præ cæteris emineret: quam in rem, videndus præter alios Petrus Venerabilis, lib. II De miraculis, c. 28 et 29, qui et quanti fecerit Carthusiense institutum sæpe alias declarat; præsertim vero libri sexti epistola duodecima ad Eugenium papam, vicesima quarta ad fratres Majorevi, et quadragesima ad Basilium priorem Carthusiæ. Nunc porro procedamus ad inquirendum hujus auctorem operis: quem etsi neuter codex de nomine appellavit, quibusdam tamen inspersis rerum adjunctis, ad Guigonem ex priore Carthusiæ, ejus nominis secundo, nos quasi manu B deduxit qui nimirum abdicato generalatu, ad annos duodecim superstes, privatam in Carthusia vitam egit; obiit autem v Kalendas Octobris, anno Christi 1188, cum jam ante biennium Bovo Wittheami priorem agere cœpisset. Nam in primis auctor, capite 15, et passim aliis locis Carthusianum se prodit. Deinde cum citet pluries juxta antiquam formam statuta Guigonis, quæ postea anno Christi 1259, aliter digesta sunt; medio tempore inter Guigonem primum (qui scripsit circa annum 1130) et annum 1259 scripsisse illum necesse est. Ad hæc eodem illo capite 15, et locis aliis, loquitur tanquam potestatem habens, ac priores ipsos totius ordinis Carthusiensis velut in generali capitulo præsentes C alloquitur, et ea sententiarum gravitate compellat, quæ aut generalis præpositi auctoritatem, aut saltem ejus magistratus olim gesti reliquias redolet. Fuit igitur auctor et Carthusiæ incola, et præcipuæ in ea dignitatis. Atque hæc omnia vix invenias in quem apte conveniant, cum ab uno hoc Guigone discesseris: de quo hæc tradit quidam ejus ordinis scriptor: *Magnus sane vir, admirabili docilitate, et prudentia sine dubio humana majore, contemplationi ac quieti impense deditus, a capitulo generali absolutionem petiit et accepit, onus illud sibi longe gravissimum excutiens, quod se minus idoneum putaret, propter inexperientiam rerum humanarum, quas multa divinarum contemplatione neglexerat. Pius tandem Guigo spiritum ad lucem emittit perpetuam,* v *Kalendas* D *Octobris* 1188, *anno* 12 *post absolutionem: non tam vivendi ratione commendabilis, quam quibusdam supra humanum naturæ cursum dictis factisque admirabilis. Appellabatur ideo a plerisque omine non inani Angelus; qui ob vitæ innocentiam, angelorum ferias postera a morte luce apud superos agere meruit.* Ita, si nostræ conjecturæ locus est, ediderit, Guigo opus istud ad Bovonem Witthamiæ priorem circa annum Christi 1187, spiritalis ejus uteri filium se appellans, fortasse quod illo præfecto spiritus, aut conscientiæ suæ arcanorum conscio arbitroque usus fuisset in Carthusia. Sane Bovonis præ Guigone excellentiæ nonnullius argumentum est, quod in tabulis rei gestæ inter abbatem Bonævallis et Jocelinum Carthusiæ A priorem, datis ad annum 1183, testes inscribuntur, priore loco Bovo Carthusiæ monachus, tum Guigo ex priore domus ejusdem. Et hæc quidem impræsentiarum ex conjectura. In posterum si quid diversam in sententiam novæ lucis affulserit, nos in eam ultro ac lubentes concedemus.

Cæterum in hoc opere mirari quis possit quod ait auctor, cap. 28, reprobos angelos charitatem nunquam habuisse, adeoque charitatis quidem capaces fuisse, non tamen charitatem capientes; Ezechielem pro se allegans, cap. XXVIII, versu 15, juncta interpretatione sancti Gregorii papæ. Ruperti sane institisse videtur vestigiis, hoc ipsum asserentis lib. I, De operibus Trinitatis, cap. 16, et eodem ex loco Ezechielis, imo et Gregorii papæ, quem hic sublegit ac pene transcripsit. At istos seu Patres seu doctores sunt qui explicant de charitate actuali, quam angelos reprobos nunquam habuisse haud improbabile est, præsertim posita quorumdam sententia, asserentium eos uno tantum instanti a primo suo conditu ad lapsum usque perstitisse. Quia tamen probabilius est tam brevem non fuisse angelorum viam, et quia frustra infusi viderentur habitus supernaturales, si nullum unquam in actum prorupissent; malim dicere cum Joanne Martinon, disp. 43, de Angelis, sect. 5, n. 41, Ezechielem cum Gregorio potius intelligendos *de charitate, non simpliciter, sed aucta per merita; ut indicat verbum* repleri; *vel etiam consummata per beatitudinem et gloriam, ubi charitas in actu secundo tanto major et intensior est, quanto visio Dei præstat actui fidei.* Minus autem probabile est quod aiunt Hugo de Sancto Victore in Summa Sentent. tract. 2, c. 2; Petrus Lombardus in 2, dist. 3, part II; Bonaventura ibidem, dist. 4, art. 1, quæst. 2, et alii nonnulli, angelos malos in statu puræ naturæ creatos fuisse, nec ulla gratia seu charitate habituali præditos; quod angelico Doctori adversatur, quæst. 62, art. 3, imo et sanctis Patribus Græcis æque ac Latinis, si bene illorum mens percipiatur. Vide interpretes Ezechielis, ad locum propositum, et theologos scholasticos in citata loca Magistri et S. Thomæ, necnon Petavium, tom. III Theologicorum dogmatum, lib. I, cap. 16.

II. *Bernardi Carthusiæ Portarum primi prioris epistolæ tres.*

Hujus Bernardi, Portarum primi prioris, et ejus discipulorum Joannis ac Stephani, quas hic dedimus epistolas, uni debemus membraneo et bonæ notæ ms. codici inclyti monasterii Juriensis, quod olim a primo suo exortu *Condatescense*, exinde *Sancti Augendi* sive *Eugendi*, novissime *Sancti Claudii* nuncupatum est.

A fundata Portarum Carthusia, hoc est, ab anno Christi 1115 usque ad annum circiter 1200, quinque omnino Bernardos priores ei domui præfuisse compertum nobis est, vel admonitu domini Hugonis Buat, in Carthusia Majorevi coadjutoris, viri humanissimi, et sui maxime ordinis historiarum scientissimi; vel inspectione ipsa autographarum

veterum tabularum. In quarto et quinto discernendis nihil admodum negotii fuit. Quartum enim, cognomento *de Turre*, ex priore Portarum præfuisse constat toti ordini Carthusiensi ab anno 1253 ad 1258. Quinto cognomen fuit *de Samia*, qui et ab anno circiter 1256 ad 1260, Portarum priorem egit. At alios Bernardos tres superioris ævi Portarum priores (quos plerique scriptores in unum conflarunt) distinguere sane quam operosum est. Paucis rem exsequar, quoad tamen argumenti ratio feret.

Primus Bernardus Portarum prior, idem et fundator fuit, ex monacho Benedictino Ambroniacensi, anno Christi 1115, unde et Portarum Carthusia, primum a majore Carthusiacis Alpes jure antiquitatis locum obtinet, et est ordinis totius post secundam Calabricam tertia. Hujus obitum hac forma adnotatum legi in Necrologio Majorevi (cujus nominis originem indicabimus in appendice hujus Manualis, num. 31). *Pridie Idus Februarii obiit Bernardus, primus prior Portarum, MCLII.* Sed jam multo ante abdicaverat. Etenim ex tabulis Majorevi, anno Christi 1147, die festo S. Thomæ apostoli, meminit Bellicensis sui episcopatus abdicati Bernardus de Portis, idemque Portarum tunc prior. At erat jam episcopus Bellicensis Willelmus Kalendis Septembris 1141. Testatur enim Falco Lugdunensis archiepiscopus, eo anno Christi 1141, indictione IV, pontificatus Innocentii papæ II anno XII, sui porro episcopatus anno secundo, Kalendis Septembris, luna 27, venisse ad se Bernardum Portarum priorem, cum Poncio, Bosone, et Stephano ejusdem domus monachis, qui ab anno Christi 1115, per viginti quinque amplius annos in eremo Portarum Christo Domino deservierant, ut de suæ ditionis limitibus orta inter vicinos controversia, ipsius Falconis archiepiscopi, necnon Guillelmi Bellicensis episcopi, atque Ismionis Ambroniacensis abbatis arbitrio dirimeretur. Fuit autem exinde Guillelmus Bellicensis episcopus saltem usque ad annum 1157. Cum igitur Bernardus de Porta (quem a Bernardo de Portis non distinguimus) tantum monachus Portarum legatur in diplomate Portensi, dato ad annum 1135, III Nonas Maii (de quo et nos infra, in Stephano de Chalmeto), illum medio tempore inter III Nonas Maias 1135, et Kalendas Septembres anni 1141, episcopum Bellicensem fuisse necesse est; imo medio tempore inter annos 1135 et 1138. Nam Bernardus de Portis fuisse quoque asseritur Mauriennensis episcopus post Airaldum, cujus obitum anno Christi 1138 ascribunt Mauriennenses. Meminit certe Airaldi et Bernardi episcoporum Mauriennensium ex monachis, Gaufridus abbas Altecumbæ in Vita sancti Petri Tarentasiensis episcopi (ut est in ms. meo exemplari) lib. I, cap. 16, et utrumque e Portarum Carthusia assumptum affirmant Mauriennenses. Videtur ergo Bernardus de Portis fuisse Mauriennensis episcopus ex Bellicensi, ab anno 1138 usque ad annum saltem 1146, cum appellatum legerimus in mss. tabulis Ecclesiæ Viennensis *Bernardum Moriennensem episcopum*, in privilegio eidem Ecclesiæ concesso, a Conrado Romanorum rege, anno regni ejus octavo, die Apparitionis Domini (nempe 6 Januarii), anno vero ab Incarnatione Domini 1146. Abdicarit autem anno eodem, vel proxime sequenti 1147, quo illum vidimus Portarum duntaxat priorem, die mensis Decembris 21. Ille est Bernardus de Porta, seu de Portis, ad quem adhuc privatum sunt epistolæ S. Bernardi Clarevallensis abbatis 153 et 154, in quibus testatur se ejus hortatu et crebris epistolis incitatum, sermones aliquot conscripsisse in Cantica Salomonis. Eumdemque Bernardum de Portis ab Innocentio papa II vocatum fuisse ad aliquem episcopatum in Longobardia, Mediolanensem dicunt nonnulli, nescio quo certo et fide digno auctore testatur idem S. Bernardus, sequenti epistola 155, qua rogat impense Innocentium, ut Bernardus de Portis congruentiori loco atque alteri populo reservetur. Nec frustra; nam ille pro Longobardio episcopatu sortitus est Bellicensem per id tempus quod designavimus. Dictus est autem *de Portis*, a quopiam hujus nominis prædio? Eodem ipso fortassis, in quo Portarum Carthusia fundata est, cui sese addixit. Saltum enim illum jam olim *Portas* appellabant, quod in eo nativæ ipsæ rupes, certis locis velut artificis manu excitas portas ementirentur. Dicet quispiam, veteri se ut Bernardus Mauriennensis a Bellicensi fuerit plane diversus; argumento necrologii Majorevi, in quo ad XVII Kalendas Januarii hoc tantum ascribitur: *Obiit Bernardus de Portis, monachus et episcopus Bellicii, MCLII.* Adnotandus enim videbatur etiam episcopatus Mauriennensis si eidem quoque obtigisset. Verum cum moriens Bernardus de Portis, nec esset Mauriennensis episcopus, nec Bellicensis, sed tantum Portarum prior, a Bellicensi potius episcopatu appellandus fuit, ad cujus titulum primo consecratus fuerat. Nunc reliqua prosequamur. Prior erat Portarum Bernardus de Portis anno 1147, ex episcopo Bellicensi et Mauriennensi. Igitur Bernardus Portarum primus prior ac fundator, qui vixit usque ad annum 1152, Bernardum de Portis jam ab anno saltem 1147 sibi suffecerat. Obiit autem uterque hic Bernardus anno 1152, fundator pridie Idus Februarii, alter XVII Kalendas Januarii; sed tamen hic prius illo; quia more Gallorum veterum, annus hic 1152 ducendus est a Paschate, vel ab Incarnatione, hoc est, a 25 Martii, non autem, ut nunc, a Kalendis Januariis. Ab obitu Bernardi de Portis, usque ad obitum Bernardi domus Portarum fundatoris, sunt dies omnino 58. Per hoc tempus superstes Bernardus fundator Antelmum seu Nantelmum, suum olim novitium, tunc autem ex priore Carthusiæ, Bernardo de Portis in Portarum prioratu substituit. Unusque et idem est Bernardus prior Portarum, de quo auctor æqualis Vitæ S. Antelmi, cap. 2, dicit quod Antelmum in Carthusia Portarum receperit; et cap. 10, quod jam senio gravis, domus Portarum præfecturam in Antelmum derivarit. Præ-

fuit Antelmus fere biennio, usque ad annum 1154, indeque ad suam cellulam in Carthusiam primariam rediit. Post novennium, nempe anno 1163, consecratus est in episcopum Bellicensem ab ipso Alexandro papa III, die Nativitatis beatæ Mariæ virginis, quæ tum in Dominicam incurrebat : cum nempe esset littera Dominicalis F. obiit autem anno 1178, episcopatus sui XV, sexto Kalendas Julii, post Completorium : et ejus depositio, seu dies sepulturæ sic est adnotata in Necrologio Majorevi : v *Kalendas Julii obiit Nantelmus Bellicensis episcopus.* At in Ecclesia Bellicensi colitur ipso die obitus, sexto Kalendas Julii, sub nomine Antelmi, cum tamen et eum Carthusiani, et ipse se Nantelmum appellaret. Vide appendicem, num. 2.

Nantelmo excedenti e Portarum prioratu, anno 1154, successit Bernardus, tertius ejus nominis Portarum prior, et exinde Diensis episcopus, de quo nomenclatura priorum Carthusiæ, antiquis statutis et impressis manuscriptis adnexa, sub Guigone priore Carthusiæ, hujus nominis secundo, circa annum Christi 1176 : *Eo tempore floruit dominus Bernardus, olim prior Portarum, postea episcopus Diensis, qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, et innumeris aliis claruit miraculis.* Et in codice ms. Portarum legisse se asserit, jam supra a nobis laudatus domnus Hugo Buat, hæc ipsa verba ad paginam 42 : *Sub beato pontifice Alexandro tertio, nobis ereptus est domnus Bernardus prior quondam noster, vere vir Dei et sanctus, ut episcopus Diensis præficeretur.* Tum pagina sequenti : *Itaque sanctus vir Bernardus episcopatum Diensem mira patientia, majori pietate, et ferventissima charitate gubernavit, ovesque propria mirabili dexteritate de fauce tartari eripuit et liberavit.* Bernardo huic tertio, cum ad episcopatum Diensem vocatus est, successisse videtur Stephanus prior Portarum, cujus mentio ad annum Christi 1171, in bulla Alexandri papæ III. Ac fortasse hic ipse est Stephanus de Chalmeto, de quo infra. Stephano successit Rosthannus, quem appellat bulla Lucii papæ III, data ad III Nonas Februarias 1182, indictione I. Bernardum vero tertium quia plerique omnes scriptores, etiam Carthusiani recentiores, ut Petrus Sutor, Petrus Dorlandus, Theodorus Petræus et Laurentius Surius in Vita S. Stephani Diensis episcopi, cum Canisio nostro, et Saussayo in suis Martyrologiis, et aliis plerisque, nunc cum Bernardo primo, modo cum secundo confuderunt, sic nobis illi ex dictis discernendi sunt.

Primus Bernardus, fundator domus Portarum anno 1115, ex monacho Ambroniacensi, prioratum jam abdicaverat die sancti Thomæ apostoli 1147, Bernardum de Portis ex Bellicensi episcopo sibi substituens. At Bernardo de Portis mortuo 1152, XVII Kalendas Januarii, ei superstes Bernardus primus Nantelmum ex priore Carthusiæ, Portarum priorem constituit. Nec multo post, nempe diebus 58 post obitum Bernardi de Portis, excessit e vivis Bernardus primus, pridie Idus Februarii, anno (ut hodie numeramus) a nativitate Christi vel a Kalendis Januariis 1153, qui tamen adhuc erat tantum 1152, Gallis a 25 Martii sequente suum annum 1153 auspicaturis.

Post Bernardum secundum, cognomento de Portis, fuit Nantelmus prior Portarum tertius, fere per biennium, hoc est ab anno 1152 ad 1154. Cui abdicanti, ut in suam Carthusiæ solitudinem se reciperet, successit Bernardus tertius : qui deinde creatus ab Alexandro papa III Diensis episcopus, virtutibus et miraculis claruit.

De Bernardo primo hæc in codice ms. Portarum se legisse mihi testatus est domnus Hugo Buat : *Nonnullas epistolas ad virtutem et ad vitam religiosam commonentes scripsit, quarum præcipue habentur, ad Falconem decanum Lugdunensem, et ad eumdem jam episcopum factum, ad Aymondum de Rohieres, ad Rainaldum inclusum, ad moniales de Lugduno, ad Berlionem episcopum Bellicensem, ad moniales de Blesio, ad Eugenium papam, ad divum Bernardum Clarevallis abbatem, et ad Ismionem abbatem Ambroniacensem, quæ omnium est pulcherrima, in qua declarantur causæ cur monasterium dereliquerit, et ad eremum Portarum transfugerit ; incipiens in hæc verba :* [In montem salvum te fac, ne et tu simul pereas.] Ex his epistolis tres tantum ad nos pervenerunt.

Prima ad Aymonem de Varennes, et Aymonem de Rohoria, De fuga sæculi. De quibus viris meminit his verbis tabularium Arveriæ, inter ejus domus benefactores. *Aymo et Hugo de Varennes ædificaverunt Ecclesiam,* nempe Arveriæ. *Aymo de Rivoria fecit dormitorium fratrum.*

Secunda est ad sanctimoniales Lugdunenses, hortatoria ad capessendam magno animo, quam recens susceperant, regularem disciplinam. Duo puellarum asceteria Lugdunensia memorat Leidradus Lugdunensis archiepiscopus, in epistola ad Carolum Magnum : *In eadem,* inquit, *civitate alias restauravi ecclesias. Unam quidem in honorem Sanctæ Eulaliæ (ubi fuit monasterium puellarum) in honorem S. Georgii : quam de novo operui, et ex parte macerias ejus de fundamentis erexi.* Tum paucis interjectis : *Monasterium quoque puellarum, in honorem sancti Petri dedicatum, ubi corpus sancti Annemundi martyris humatum est (quod ipse sanctus martyr et episcopus instituit) ego a fundamentis tam Ecclesias quam domum restauravi : ubi nunc sanctimoniales numero 32 secundum institutionem regularem viventes habitare videntur.* Cum autem nunc scateat Lugdunum monialium cœnobiis, de S. Petri monasterio Benedictinarum, etiamnum opibus ac religione inclyto, Bernardi Portensis epistolam accipio ea ratione quod ejus ævo unicum Lugduni fuisse existimem. Nam vetus illud S. Eulaliæ (ubi nunc ædes S. Georgii) suo tempore jam desitum indicat Leidradus. Alia porro omnia puta Clarissarum, Carmelitanarum Annuntiatarum, et cætera, post Bernardum fundata esse non dubium est.

Tertia ad Rainaldum inclusum, qualiter coram Domino sit vivendum. Ecquis esset Rainaldus iste inclusus, docuit me vetus membrana e tabulario Majorevi, quæ incipit, *Guido de Aranda*, descriptaque est a nobis in Appendice hujus Manualis. Ea charta sine nota temporis, cum inter testes Hugonem Majorevi procuratorem subscriptum habeat, quem aliæ tabulæ circa annum Christi 1134 id muneris gessisse significant ; vel ex hoc indicio, Rainaldi ad S. Ragnebertum inclusi ætatem agnoscat licet, quod et ex ipso tabularum charactere deprehendere est. Fuit igitur hic Rainaldus eremita inclusus, seorsim a fratribus cellam habens, haud procul a monasterio S. Ragneberti Benedictinorum, quod duabus admodum leucis horariis abest a Portarum Carthusia : et a Ragneberto Radeberti ducis filio nomen habet, quem olim Ebroini nequitia martyrem fecit. Prius autem id monasterium Bebronnense nuncupabatur, a Bebronna quo alluitur torrente : ac fundatum fuerat a S. Domitiano abbate, ad Kalendas Julias Martyrologiis inscripto. In cujus vita, quam ex veteri ejusdem monasterii codice olim descripsimus, emendandum est illud, quod S. Domitianus Juliani Apostatæ persecutionem fugisse dicitur. Non enim id convenire potest cum iis quæ adduntur de Domitiani congressibus cum Vincentio Lirinensi, Hilario Arelatensi, et Eucherio Lugdunensi, quos annis fere centum post Julianum floruisse omnes norunt.

III. Joannis Portarum monachi epistolæ quinque.

Carthusiæ Portarum se monachum profitetur Joannes hic, initio epistolæ quintæ ad Bernardum nepotem ; quem cum his alloquitur verbis : *Novimus enim, de domo in qua es, et de Carthusiensi, et de nostra, et de aliis hujus propositi, particulares exisse ; quorum nonnulli post paucos dies, aliqui vero post paucos menses obierunt*, Carthusianum quidem eum fuisse significat, non tamen de primaria Carthusia, aut etiam de domo Portarum. Fratrem autem se dicit *carne et spiritu*, Stephani illius quem epistola sua prima vehementer cohortatur ad vanitatem sæculi abdicandam. Quo mihi arridet conjectura, hunc ipsum esse Joannem de Monte medio, Carthusiæ Portarum monachum, cujus mentio ad initium primæ epistolæ Bernardi Portarum prioris ; qui fratri suo Stephano de Chalmeto auctor fuerit atque hortator ad vitæ sæcularis sarcinam abjiciendam. Diversis enim cognominibus distingui fratres, in nobilibus præsertim familiis, uti nunc passim videmus, ita et prioribus sæculis in usu fuit. De hoc ipso Joanne, accipiendum puto antiquum auctorem Vitæ S. Antelmi Bellicensis episcopi, cap. 13, apud Surium, 26 Junii. Antelmus, inquit, ex priore primariæ Carthusiæ factus prior Portarum, post Bernardum qui senio gravis præfecturam suam in eum derivarat, *Domno Bernardo præstabat reverentiam, illum sibi anteponens. Idem erat erga religiosum Christi servum Joannem, cui advenienti solebat reverenter assurgere. Nec id unquam prætermisit, etiam cum episcopi, abbates, aut cujuscunque dignitatis personæ adessent.* Nam S. Antelmus prioratu majoris Carthusiæ abierat anno Christi 1151. Inde vero ex privato prior Portarum fuit per biennium, ab anno scilicet 1152 ad 1154, quæ tempora cum Joanne de Montemedio apte comparantur. Vix autem adducor ut harum epistolarum auctorem agnoscam Joannem quemdam, ex abbate Abundantiæ, monachum Arveriæ ; hoc est, ex Augustiniano Carthusianum qui nonnullis in schedis legitur anno Christi 1202 e vivis abiisse : quia iis quæ dixi argumentis Joannes hic noster et Portarum Carthusianus, et illo Joanne antiquior deprehenditur.

IV. Stephani de Chalmeto, monachi Portarum, epistola ad novitios Sancti Sulpicii, De perseverantia ordinis.

Richardus de Benuntia (ut legi in autographis tabulis, datis ad tertium Nonas Maii, anno Christi 1135) aliquot fundos dedit Carthusiæ Portarum, *in manu domni Bernardi prioris : sub testimonio monachorum ejusdem loci, Bernardi de Porta, Bosonis procuratoris, Stephani de Chalmeto adhuc novitii.* Nec raro alias in eodem archivio Portensi hunc Stephanum ascriptum reperias, nunc novitium, nunc monachum Portarum. Hæc porro habet codex ejusdem Carthusiæ. *Stephanus de Chalmeto, nobilis genere, nobilior pietate, fit Portarum monachus anno* 1135. *Nonnulla pia opuscula conscripsit, et epistolas ad diversos, ejus sanctitatem redolentes, transmisit.* Diversus est hic Stephanus a primo et quarto ejusdem nominis prioribus Majorevi et utroque junior. Nam Stephanum Majorevi primum priorem obiisse certum est 4 Januarii 1118. Quartus autem præesse cœperat anno 1130 vel 1131. Dubitari verisimilius possit, num Stephanus de Chalmeto, idem ipse sit Stephanus prior Portarum, cujus mentio in Bulla Alexandri papæ III, Portensibus data anno 1171, qui erat ab ejus conversione ad vitam monasticam annus 36 vel 37. Cæterum, S. Sulpicii domus, cujus novitios spectat hæc epistola, diœcesis Bellicensis fuit, ordinis porro Cisterciensis ; fundata ab Amedeo, Sabaudiæ comite, anno Christi 1130, ex Pontiniacensi monasterio monachis eo deductis ; ut docent fundationis tabulæ antiquæ, apud Samuelem Guichenon, virum eruditum, in Historia Bressiæ et Bugeyi. Certe hos novitios, ad quos scribit Stephanus de Chalmeto, non fuisse Carthusienses vel ex illis ejus verbis intelligitur ; *Quia vero quidam, cum ad nostrum vel vestrum propositum venerint, solent vel de nostro ad vestrum, vel de vestro ad nostrum suspirare ; ne vero et nobis hujusmodi suggestionibus tentator illudat, audiamus Apostolum dicentem : Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor.* VII, 20).

Fuisse tamen per hæc ipsa tempora ejusdem tituli domum aliquam ordinis Carthusiensis, ex eo probari videtur quod circa annum Christi 1130, Guigo primariæ Carthusiæ quintus prior, statuta sui ordinis a se recens conscripta nuncupavit Bernardo Portarum, S. Sulpicii et Miloni Majorevi prioribus

Quomodo enim disciplinæ suæ domesticæ arcanas A leges homini externo recognoscendas vir prudentissimus transmitteret? aut quomodo cum duobus Carthusianis prioribus tertium Cisterciensem illarum arbitrium esse pateretur? Hujus S. Sulpicii Carthusiæ vestigia etiamnum superesse nonnulli affirmant, haud procul abbatia S. Sulpicii Cisterciensium, in diœcesi Bellicensi, loco ejusdem montis abditissimo ac pene inaccesso, quem hodieque ab indigenis Carthosam vocitari dicunt. At Guichenonus, in Historia citata, exstare ait in episcopatu Gratianopolitano monasterium quoddam S. Sulpicii nomine, quod olim Carthusiensium fuisse asserit. Hæc si vera sunt, harum Carthusiarum alterutri ille (opinor) præfuerit Humbertus prior, cujus in statutorum præfatione meminit Guigo.

V. Alexandri Papæ III epistola ad Arthaudum priorem Arveriæ, de schismate sui temporis.

Hujus epistolæ pontificiæ autographum vetus perlegimus ipsi in Carthusia Arveriæ. Celebrato Turonis concilio ad annum c. 1163, Alexander papa *ad civitatem Senonensem moraturus accessit, quoniam ipsa metropolis valde formosa erat et fertilis. In quo loco a Kalendis Octobris usque ad Pascha secundi anni moram diuturnam faciens, universalis Ecclesiæ negotia inibi pro sui debito officii pertractavit.* Sic Acta hujus pontificis, ex codice Vaticano, apud Baronium anno Christi 1163, num. 18. Cum igitur ex his constet Alexandrum pontificem in civitate Senonensi habitasse, a Kalendis Octobris anni 1163 usque ad C Pascha anni 1165, et data sit hæc ad Arthaudum epistola, Senonis quarto Kalendas Martii, quam diem ibidem egit annis duobus consequentibus; dubium hæret an ad annum 1164, vel 1165, referenda sit.

De Arthaudo, sive Artholdo priore Arveriæ (qui ut beatus apud suos colitur pridie Nonas Octobris) hæc in sacris fastis adnotata sunt: *Vir Dei Arthaudus, ex Carthusiano grege ad Bellicensem præsulatum arctatus, senio confectus ad claustri sui quietem rediens, in Arveriæ eremo in pace Deo spiritum reddidit.* Episcopus Bellicensis post Rainaldum fuisse scribitur, ad anno Christi 1184 ad 1190. Exinde privatus vixit ad ultimam usque ætatem, et annum Christi 1206. Sane cum illum in eremo Arveriæ latentem D invisit S. Hugo episcopus Lincolniensis (æstate nimirum anni 1200), *processerat in diebus suis*, ut Vitæ S. Hugonis auctor, ejus æqualis, qui et addit: *Nec dissimiles erant animi pontifici nostro, licet in ætate dissimili.* Nimirum sexagenarius tum erat S. Hugo, quatuor fere ante obitum suum mensibus, cum erat affectæ jam ætatis B. Arthaudus, ac fortasse nonagenario major. Interim vel ex hujus epistolæ argumento intelligis, quam vere affirmet antiquus scriptor Vitæ S. Anselmi, cap. 15, adjutum maxime a Carthusianis atque a Cisterciensibus Alexandrum papam, in negotio schismatis perquam difficili: quod et ex Gaufrido Altæcumbæ abbate colligere possis, in Vita S. Petri archiepiscopi Tarentasiensis.

VI. Appendix, probationes continens eorum quæ de primis tribus Bernardis Portarum prioribus, et his illigato Nantelmo, ad hujus præfationis numerum secundum disputata sunt.

Hic moram facere possit, ad hujus Appendicis n. 4, diploma Rainaldi Lugdunensis archiepiscopi, de nomine et origine Majorevi, et quæ in eo describuntur superius ævum spectantia. Vidimus certe his oculis in archivo Majorevi, tabulas Rainaldi autographas, datas Aprili mense anni 1213, et ejus sigillo munitas. Ut minime dubium sit, quin si in probando excutiendoque Valentiniani privilegio peccatum est, id erroris Rainaldo ipsi archiepiscopo, aut ejus cancellario tribuendum sit. Nec tamen a Rainaldo describuntur Valentiniani ipsius tabulæ, sed quædam tantum B beneficii ab eo in Majorevum collati declaratio, quæ pluribus post Valentinianum sæculis a tabellione quopiam, apud Isernoros, sive Isarnodorum conscribi potuit; ac meminisse privilegii Majorevo jam olim concessi. Quod refert adnotasse, ne quis hic ascriptionem consulatus, aut cæteram rescriptorum imperialium formam desideret; vel causetur absentiam Valentiniani ab Isarnodoro (Insulæ Gallicæ et Sebusianorum, seu mavis Segusianorum oppido) anno 385, cum Gallias obtinente Maximo tyranno, Valentinianus sese in Italia contineret. Nam datum esse potuit a Valentiniano privilegium Romæ, aut Mediolani, aliove Italiæ loco, quod longo post tempore datis Isarnodori tabulis declararetur. Hujus vero declarationis si Rainaldus archiepiscop. aurei sigilli a se visi emblemata descripsisset, de fide illius atque antiquitate liberet ratiocinari. In cæteris, quod scriptum falsi redarguat, nihil agnosco. Cæsus est dolo Arbogastis Valentinianus junior, anno imperii sui 17, Arcadio II et Ruffino consulibus; et quidem (ut notat Epiphanius in libello de mensuris et ponderibus) Idibus Maii, die Sabbati, pridie Pentecostes quæ tum in XVII Kalendas Junias incurrebat, quæ omnia annum designant æræ Christianæ 392. Sed jampridem inter Arbogastem et Valentinianum invaluerant odia et suspiciones, ut colligere est vel ex Zosimo, libro quarto. Inierat Valentinianus idem post mortem patris cognominis, a die X Kalendas Decembris, anno Christi 373, P. C. Gratiani III et Equitii decimo post anno, Christi 385. Majorevi Valentiniano a cubiculis, tentari jam potuit fides ab Arbogaste, ac probatæ regia merces decerni. De Jovino Popa templi Montis ægrorum, cujus ad coercenda latrocinia Majorevum castrum exstructum dicitur, illum ego non alium fuisse censeo a Jovino, *qui dudum promotus a Juliano per Gallias magister armorum* (ut ait Ammianus lib. XXVI) in eodem munere magistri utriusque militiæ, sequentibus aliquot imperatoribus fidam operam navavit. Qui et consul cum Lupicino ad annum æræ Christianæ 367, quo etiam anno Remis data sunt ad eum duo rescripta Valentiniani et Valentis Impp. leg. 9 et 10 *Cod. Th., De re militari.* A quo et originem duxit uxor Consentii, de qua sic Sidonius in Narbone (*carm.* 23):

Huic summi ingenii viro, simulque
Summæ nobilitatis atque formæ
Juncta est femina, quæ domum ad mariti,
Frisci insignia transferens Jovini,
Implevit trabeis larem sophistæ,

Qui et *Christianissimus* in testamento S. Remigii, et apud Flodoardum lib. I Hist. Remensis, cap. 6, illiusque Remensis basilicæ fundator, quæ olim a Beato Agricola, nunc a Sancto Nicasio nuncupatur. Cujus etiam ibidem anniversaria memoria recolitur ad VII Idus Septembris. Unde et minime dubitandum reor quin huic ipsi Jovino excisum fuerit monumentum marmoreum, quod nunc post primarium templi ejus ostium, ad dextram, aliquot columnis impositum visitur : cujus monumentis emblema ex æneo typo expressum edidit, et eleganti commentario illustravit Tristanus Sanctamantius in Hadriano. Sed huic additum velim, non veram aliquam ferarum infectationem olim a Jovino peractam signis illis repræsentari, sed symbolicam duntaxat, et emblematicam. Vix enim quis credat confectum leonem ab homine Gallo, cujus nec ab Ammiano, libris XXI, XXII, XXVI et XXVII (ubi de illo agit), nec ab aliis scriptoribus, extra Gallias, Italiam, Germaniam et Britanniam (quæ regiones leonum feraces non sunt) res gestæ ullæ memorantur. Aprum autem, aut damam, aut cervum venabulo confixisse, et viri Christianissimi, et militum magistri frigida sane laus erat, neque digna quæ tam operoso mausolæo ad sempiternam memoriam omnibus posteris commendaretur. Cum igitur legam apud Ammianum locis citatis, in iis quas diximus regionibus non semel a Jovino perdomitos Romanorum hostes; et apud Prosperum lib. III, De promissionibus et prædictionibus, cap. 38, *Theodosii religiosi principis imperio, per Jovinum et Gaudentium comites omnia templa exspoliata;* intelligo demum cur ille in æterno marmore, et apri, et cervi, et damæ, et leonis domitor exhibeatur; quibus feris vel barbaros populos ab eo profligatos, vel exauctoratos suisque exturbatos sedibus cacodæmones apte designari negaverit nemo. Simul deprehendo cur fuerit Jovinus a Majorevo contumeliose appellatus. Erat scilicet Majorevus, ut plerique qui tum vel palatinam vel castrensem militiam profitebantur, more majorum suorum, idolorum cultui addictus. Graviter ferebat a Jovino disturbari idola, ac eorum delubra opibus suis atque ornamentis spoliari. Illum idcirco nefarium et ferocem appellavit Popam templi Montis ægrotum : adeo tamen præpotentem eum agnoscens, ut ab ejus invasionibus, etiam castro exstructo cavendum sibi putaret. Ethnici nimirum et militaris hominis est convitium istud : Excubare in Æsculapii templo solitos ægrotos innuunt Solimus cap. 7, Polyhistoris, et Plautus in Curculione. Æsculapio autem consecratum fuisse templum in monte Lybiæ, testatur Trismegistus in Asclepio : et fere id observatum ab antiquis, ut Æsculapio templa, et in montibus ad auræ salubritatem, et haud procul ab aquis ad ægrotorum commoda constituerent. Plurima hodie castra *Aigremont* Gallorum vulgus nuncupat, quod est Mons ægrorum, ex eo quem dixi ritu. Fuerat fortasse Jovinus noster aut alicui Æsculapii templo quondam præfectus, priusquam Christo se addiceret, aut jam Christianus nosocomium aliquod excelso loco, cum æde sacra, ritibus Christianis fundaverat. Hinc Popa templi Montis ægrorum Majorevo dictus, per ludibrium, ac per contumeliam; quia templa idolorum, Christianissimi principis jussu pessumdabat. Hæc satis, ex conjectura, ne Rainaldi Lugdunensis archipræsulis prudentiam temere redarguas, qui fidem habere visus est huic diplomati de castro Majorevo; in quo Carthusiensibus domus posita est, jam ab anno Christi 1116, inter domus totius ordinis secundum fundationis antiquitatem sexta.

LIBER DE QUADRIPERTITO EXERCITIO CELLÆ

AUCTORE, UT VIDETUR, GUIGONE, PRIORE CARTHUSIÆ, EJUS NOMINIS SECUNDO.

Ex mss. codicibus Carthusiæ Portarum, et Carthusiæ Parci.

PROLOGUS.

Reverendissimo domino, et Patri in Christi visceribus dilectissimo, B. priori pauperum Christi, qui in Wittheam commanentes, ordinem sunt Carthusiensem professi, Dei servorumque Dei servus indignus, spiritualis uteri vestri filius, in præsenti sanctitatem in merito, et in futuro felicitatem in præmio.

Si vocare liceret in jus vel patrem suum filio, vel dominum servo, nonnihil (mi Pater reverende) mea fortassis parvitas haberet, super quo nec injuste, ut sibi videtur, in vestram sub judice magnitudinem agere posset. Nam ecce dum attendit potens auctoritas vestra, quid in me sibi liceret, attendere quoque supersedit moderamen discretionis vestræ quid infirmitas mea valeret. Hinc prædicator egregius, cum omnia sibi asserat licere, negat nimirum omnia expedire. Ut enim quod pro tempore et loco, pro causa et negotio pertinet ad rem, imponat jubendo pater filio, et prælatus subjecto, sententiæ

quidem est : sed videndum prius si ad ferendum quod imponitur, tam unus quam alter quantum ad scire et posse sufficiens est. Sane velle nunquam debet deesse, ne tunc quidem cum scire et posse contigerit non adesse. Hæc idcirco prælibavi, quia injunxit veneranda paternitas vestra mihi, ut scripto conarer ostendere quibus potissimum exercitiis in cella debeat intendere, qui sanctum ordinem Carthusiensem professus, in ea debet solitarius manere : nec aliquo de ea tempore, nisi causis rationabilibus exigentibus (quæ juxta ejusdem ordinis tenorem expressæ sunt) occasione aliqua exire. Utile (ut verum non diffitear) opus ; sed ad id solus sufficit expertus. Ego autem non ignoro ad hæc me idoneum non esse, qui scio quidem mel esse dulce, sed magis auditu quam gustu. Scio etiam, ut ait philosophus ille, quod nescio, videlicet hæc dicere ex sententia. Nec scio ore meo loqui, quasi legens quod Prophetam fecisse ejus notarius asseruit. Certe de Sapientia *perditio et mors dixerunt : Auribus nostris audivimus famam ejus* (*Job* XXVIII, 22). Nunquid oculis viderunt decorem ejus ? nequaquam. Nunquid faucibus suis perceperunt suavitatem ejus? ne hoc quidem. Solus in eis ad famam viguit auditus, sed nec ad speciem visus, nec ad dulcedinem gustus. Et ego quid loqui digne possem de dulcedine cellæ, quem constat (sicut negare non valeo, sic nec volo) aliquid de ea vel tenuiter audisse : quæ vero, qualis quantave sit, vel nihil omnino, vel modicum certe aliquando expertum fuisse ? Verum ariolandi incurrere peccatum et scelus idololatriæ metuens ; et magis deprehendi ea vacuus quæ inflat, quam quæ ædificat, eligens ; vim mihi ipsi inferens, ut jam essem volens, qui ante fueram nolens ; institi ut potui : docens quod non didici, et tradens quod non accepi. Consequens proinde est quod nisi ad excusandam hanc magnam in me temeritatem et præsumptionem, obedientia cum charitate, charitas cum obedientia procedat ; illis jure debeam adnumerari, quos asserit Apostolus esse conversos *in vaniloquium : volentes esse legis doctores : non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant.* Sed esto. Ecce factus sum insipiens, sed sapienter ; quia vos me coegistis. Inde est quod si accusat præsumptio, sed excusat coactio. Nam etsi a me silentium exigit imperitia mea, sed os meum aperuit jussio vestra. Inde mecum actum est quod silere timui, qui loqui erubui : magis volens per imperitiam locum in me dare confusioni, quam pro eo, si resisterem potestati, ac perinde et Dei ordinationi, subjici damnationi. Igitur vestrum pro posse aggrediens exsequi præceptum, applicare curavi et studio animum, et calamo manum, et quod mihi de hac materia ad præsens occurrit, pro eo quod ut de ea tractarem, vestra me paternitas compulit ; sicut in studio deprehendi sic scripto digessi. Quia vero in rigore capituli generalis, quod singulis apud Carthusiam annis convenientibus in eodem loco de longe et de prope ejusdem ordinis prioribus, tenetur vigor totius ordinis et robur consistere non dubitatur : ab eo hujus meæ locutionis curavi exordium sumere. Sicque in quibus ipsa ordinis summa consistat ; et maxime quæ illa sint sanctæ religionis exercitia, quibus inhabitator cellæ intendere debeat : assumptis hinc inde (prout ratio exigebat) sacræ Scripturæ testimoniis, conatus sum pro posse demonstrare. Sunt autem quatuor exercitia illa, studium sacræ lectionis, maturitas defecatæ meditationis, devotio puræ orationis, strenuitas utilis actionis. Quatuor hæc : major horum oratio est. Hinc est quod huic libro hunc titulum, videlicet *De quadripertito officio cellæ* dignum duxi præponendum, nisi forte paternitati vestræ aliud fuerit visum. Capitula quoque ante libri exordium universa posita sunt, eo quoque ordine quo sibi invicem succedunt : ut cum aliquid quæritur, absque omni statim difficultate reperiatur. Non solum autem, sed et in ipso libro, eadem capitula in locis sibi singula convenientibus apponuntur ; ut cum præfixum capitulum attenditur, unde tractet quod sequitur evidenter agnoscatur. Accipiat jam dilecta mihi in Domino paternitas vestra munus quidem parvum, non parva tamen ei devotione oblatum : et si forte non multum in eo viderit quod ipse jure debeat approbare, devotam saltim offerentis voluntatem dignetur acceptam habere. Obsecro etiam vos ut pro eo quod, omissis aliis quibusdam quibus intendere mihi dulcius esse (etsi forte non utilius) vestram sum, etsi non ut debui, certe ut potui, jussionem exsecutus, hanc mihi pro labore meo mercedem reddatis, ut in orationibus vestris mei reminisci velitis : sitque remuneratio promptæ obedientiæ meæ, instantia pro me ad Deum orationis vestræ devotæ. Venerandam paternitatem vestram Deus omnipotens Pater, per dilectum Filium suum, in sancto utriusque Spiritu ab omni malo custodiat, diesque vestros in sua pace disponat, atque ab æterna damnatione vos eripi, et in electorum suorum jubeat grege numerari. Amen.

CAPITULORUM SERIES.

I. *De modo et causa adventus priorum ordinis Carthusiensis ad annuum capitulum, et de triplici fructu adventus eorum.*

II. *De suavitate sublimi, et sublimitate suavi, quæ in ordine Carthusiensi in tribus specialiter consistit.*

III. *De spirituali conversatione fratrum Carthusiensium in qua eunt post Christum, per Christum, ad Christum.*

IV. *Quid spiritualiter debeat accipi per vilitatem et asperitatem habitus Carthusiensium, et de paupertate victus eorum.*

V. *De puritate contemplationis internæ, quæ ad cellæ potissimum solitudinem spectat.*

VI. *Qualiter suavis cellæ quies, et quieta ejus suavitas in quibusdam sacræ Scripturæ locis expressa sit.*

VII. *De eadem quiete cellæ : qualiter per viros sanctos a Moyse usque ad Isaiam eius secretum sit expressum.*

VIII. *De quibusdam viris sanctis qui fuerunt ab Isaia usque ad Christum : et de quibusdam qui fuerunt post adventum Christi, qualiter per eos figurata sit cellæ quies.*

IX. *De quiete cellæ ; et quod non expedit ei qui in ea habitat, ut curiositate temeraria nimis diu extra eam moretur.*

X. *De eo quod cella, ab eo qui eam inhabitat, jugiter tenenda est ; et quod ei periculum eveniat si temerarie ab ea fuerit egressus.*

XI. *De magnis multisque periculis quæ ille incurrit qui habitator est cellæ, et de illa male exit ; et de eo quod magnam animæ sanctæ confert quietem plena et perfecta abjectio sæcularium rerum.*

XII. *De sæcularium (cui precipue intendunt Carthusienses) negotiorum et sollicitudinum ac possessionum abjectione.*

XIII. *De loco sanctæ voluptatis, et de spirituali fuga sancti Job.*

XIV. *Quomodo spiritualiter egrediebatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum : et quis ille fluvius sit.*

XV. *Quod qui ad annuum conveniunt capitulum priores, ordinis debent diligenter intendere renovationi : et de quatuor exercitiis sanctis, quibus sollicite studere debet omnis qui in cella vult fructuose commorari.*

XVI. *De commendatione cellæ, et de quatuor capitibus illis in quæ fluvius dividitur qui ad irrigandum paradisum de loco voluptatis egreditur*

XVII. *Quod qui habitator est cellæ, omnem debeat illicitam devitare locutionem : et quæ illa sint bona ad quæ vos sacra lectio provehit.*

XVIII. *De generibus sanctarum meditationum, quibus intendere debet qui in cella solitarius sedet : et de studiosa sacræ Scripturæ recordatione.*

XIX. *De illo meditationis modo qui in animo meditantis, timoris gignit causam et doloris, qui in octo modos dividitur.*

XX. *De generali resurrectione mortuorum, et pœnis damnatorum, et qualiter repeti debeant illi octo modi, in quibus timoris existit causa et doloris.*

XXI. *Qualiter in animo meditantis, timor expellit elationem ; et de tertio meditationis modo, qui occasionem administrat amoris et consolationis.*

XXII. *De quarto meditationis modo, qui causam gignit in animo meditantis, pietatis et compassionis : et quod quædam quæ videmus ab aliis mala fieri, magis debeamus intra nos plerumque excusare quam temere judicare.*

XXIII. *Qualiter quintum meditationis modum opponere debeamus in mente nostra, contra illam qua jugiter pulsamur tentationem carnis, et diaboli, et mundi.*

XXIV. *De tædio quod aliquis patitur qui cellæ habitator est : et quomodo illud a se repellere, seque renovare et reparare possit.*

XXV. *De his quæ in carne operatus est Christus ; et de laboribus sanctorum suorum.*

XXVI. *De septimo meditationis modo, qui stuporis in mente meditantis causam gignit et admirationis : et de eo quod per ea quæ facta sunt conspicitur ipse qui fecit.*

XXVII. *De vocibus et locutionibus quas anima spiritualiter audit : et qualiter anima ad imaginem Dei facta sit, et quem motum suscipiat, et cujus motus susceptibilis non sit.*

XXVIII. *De illis beatis spiritibus, quæ videlicet illa sint quæ ad eos pertinent ; et quid de illis in pura meditatione sua, cellæ debeat intra se habitator revolvere.*

XXIX. *De illo meditationis genere quod intra nos in ipsis intimis cordis nostri debemus habere, cum de Deo studemus cogitare : et qualiter de illo nos deceat et liceat sentire.*

XXX. *De Trinitate personarum, de unitate substantiæ quæ Deus est, et quod præjudicium aliquod nec Trinitas unitati, nec unitas facit Trinitati.*

XXXI. *De diligenti sollicitudine, et sollicita diligentia quam orationi nostræ quando ei incumbimus debemus impendere : et de magna instabilitate qua in corde, orationis tempore, per otiosa et nociva, dispersis cogitationibus nostris misere ac miserabiliter fluctuamus, et per innumera evagamur.*

XXXII. *De mentis evagatione, quam nobis orationis tempore inesse sentimus : et qualiter et quare per tertium qui de loco voluptatis egreditur fluvium, qui et Tigris vocatur, orationis accipienda devotio sit.*

XXXIII. *Quales nos exhibere debeamus priusquam ad orationem accedamus, ut cum ad eam venerimus, sic eam Deo offeramus, ut ipse eam sibi acceptam, et nobis misericorditer efficiat fructuosam.*

XXXIV. *De eo quod cum ad orationem accedimus, et illis qui in nos deliquerunt, ex puro corde dimittere, et si sunt qui habent aliquid adversum nos, plene eis ac perfecte reconciliari debemus.*

XXXV. *De quatuor cogitationum generibus, quæ nobis necessarium est in mente habere, si pure, et devote, atque fructuose Dominum volumus orare.*

XXXVI. *De opere manuum, cui debet cellæ inhabitator intendere, et quibus horis spiritualibus exercitiis, et quibus insistere debeat manuum operibus, et de pluribus aliis quæ ad eumdem cellæ incolam pertinent.*

CAPITULUM PRIMUM.

De modo et causa adventus priorum ordinis Carthusiensis ad annuum capitulum, et de triplici fructu adventus eorum.

De adventu venerabilium Patrum nostrorum, ordinis Carthusiensis priorum ad annuum capitulum, magnus ordinis ejusdem universitati provenit fructus. Sane conveniunt in eremo Carthusiensi sicut omnes ex locis diversis, sic et multi eorum ex longinquis. Et ut non diffiteamur quod verum est, conveniunt non sine magno [Cod. Parci, *multo*] labore, cum ingenti devotione, sed hilaritate, sed alacritate, sed humilitate, sed simplicitate, sed be-

nignitate, sed pietate [Cod. Parci, *puritate*], sed charitate. Et hæc quidem adventus illorum est causa. Primum quidem ut ostendant debere se promptam et humilem (sicut decet tam sinceræ conscientiæ viros) antiquæ ordinis institutioni obedientiam exhibere. Ipsa nimirum est qua tenentur annis singulis, tempore illo quo generale teneri debet capitulum, in prædicto loco convenire. Excipiuntur quoque illi qui ne forte plerumque possint adesse, justam habuerint occasionem et causam, eisque ut remaneant, ab ipso fuerit discrete capitulo ac miserabiliter indultum. Secundo vero, ut sese in omni jucunditate spirituali, etiam corporaliter videant, mutuamque in invicem dulcissimæ in Domino fraternitatis charitatem magis ac magis adaugeant. Tertio quoque ut ordinem quem sunt professi, pro nosse ac posse suo, cum zelo secundum scientiam, discretione prævia ex communi consilio et assensu reparent, et in statu bono solident ac confirment. Et tam in destruendo noxia, quam in construendo utilia, intentos se in omni secundum Deum et sollicitudine fervida, et fervore sollicito exhibeant : sicque illum in hoc gemino salutis opere studiose imitentur, quem ad hoc constituit Dominus super gentes et regna, ut evelleret, et destrueret, et disperderet, et dissiparet, et ædificaret, et plantaret. Et est funiculus triplex, quo ligati in Christo Patres et Domini nostri conveniunt; fortitudo humilitatis profundæ, dulcedo charitatis fraternæ, sollicitudo curæ sibi commissæ. Qui nimirum difficile rumpitur, imo penitus impossibile ut in sanctis duntaxat viris rumpatur, roborante eum Domino, ac in sua magis ac magis integritate conservante. Cum enim ipse dicat humilitatis amator et auctor : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XIII, 29), nimirum quos constat perseveranter usque in finem veritatis esse discipulos, patet et eos consequenter suavi humilitatis esse vinculo ligatos. Item cum juxta Apostolum : *Qui proximum diligit, legem implevit* (*Rom.* XIII, 8); et ut idem in continenti concludit, *plenitudo ergo legis est dilectio* (*Job* 10); liquet aperte hujus apud illum funiculi integritatem in nullo posse dissolvi, apud quem imo intra quem fraternæ constat charitatis perfectionem non minui. Et de eo quid possumus, sive quid debemus dicere, qui præest in sollicitudine? Nonne pastoribus vigilantibus, et custodientibus vigilias noctis supra gregem suum, angelus stat juxta illos, et claritas Dei circumfulget illos? Patet quia non timent sibi ab aliqua lasione, qui juxta se habent angelum stantem; non ab aliqua obscuritate, qui claritatem nihilominus Dei habent se circumfulgentem. Et unde eis hæc duo eximia bona? Inde utique quod vigilabant, et vigilias noctis supra gregem suum custodiebant. Porro sic vigilare sicque custodire, quid est aliud quam mala destruere, bona vero construere?

CAPITULUM II.

De suavitate sublimi, et sublimitate suavi quæ in ordine Carthusiensi in tribus specialiter consistit.

A Diximus aliqua de modo et causa adventus dominorum ac Patrum nostrorum, priorum videlicet, ad generale capitulum, et quis de hoc eorum adventu proveniat fructus. Nunquid eis tali modo talique ex causa convenientibus dicendum esse putamus, quod quibusdam Corinthiorum dicit Apostolus, videlicet quod *jam non est Dominicam cœnam manducare?* (*I Cor.* XI, 20.) Absit. Imo sic convenientibus eis in unum jam est Dominicam cœnam manducare! Cœnam diximus Dominicam, non Holophernis, quæ plena est voluptate : sed nec Herodis, quæ polluta est sanguine; sed cœnam Domini, in qua munditiæ linteo præcincti, pedes suorum lavent discipulorum, qui sunt affectiones et intentiones eorum. Et consurgentes diluculo, atque offerentes holocausta per B singulos, obstent omnibus quibus potuerint modis, ne forte peccent, et benedicant Deo in cordibus suis. Sicque digni erunt ut ad illam cœnam, quam homo quidam fecit magnam, perveniant. Ipsa est ad quam ne velint venire, adhuc hodie multos impediunt, et villa vanitatis, et jugum quinariæ curiositatis, et uxor voluptatis. Igitur faciant hi viri sancti quam sollicite, prout possunt, propter quod conveniunt. Ordinis institutioni obediunt in eo quod conveniunt : convenienter vero se invicem corporaliter visitant, sicque mutuum in se fraternæ charitatis amorem multiplicant. Superest jam ut tertiam pro qua conveniunt causam adimpleant. Quod nimirum faciunt, cum de ordine colloquentes, tam exstirpare quæ eis apparuerint mala, quam apponere quæ bona, C et in devotione sollicita, et sollicitudine devota, simul universi studeant. Igitur egrediatur fluvius de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum. Quid putamus nos posse convenienter per hunc accipere paradisum juxta tropologicum, secundum quem incedere proponimus, sensum? Accipiamus per eum, ordinis quem professi sumus suavitatem in Domino sublimem, et sublimitatem nihilominus suavem, nisi forte alicui aliud visum fuerit quod melius, verius et congruentius sit. Certe si quid aliter quis alius sapit, et hoc ei Deus revelavit. Et nobis videtur quidem sic posse non interim sentire absque præjudicio duntaxat sententiæ melioris. Intuemur enim quæ, et qualis, ac quanta utriusque boni hujus D in eo prærogativa sit : unde est quod sic audemus sentire. Non solum autem, sed et illud nonnunquam, etsi perraro, vel tenuiter nobis experiri datum. Sane consistit hujus gemini boni prærogativa in his tribus : in externa exercitatione, in jugi solitudine cellæ, in plena hujus sæculi abjectione. Itaque commendant præcipue quoque ordinis, quem paradiso assimilavimus, sublimitatem suavem, et suavitatem nihilominus sublimem, inter cætera multa et magna, quæ ei insunt bona, probabilis externa exercitatio, jugis cellæ solitudo, perfecta sæculi abjectio. Tria hæc. Major autem horum est cellæ solitudo : et ideo major, quia ipsa est quæ nec utilis esse valet exercitatio externa, nec sæculi abjectio perfecta. Si quidem ut illa tam Deo quam hominibus placere,

et eam exercenti prodesse queat, occasionem et causam præstat, et istam absque consumptione consummat. Nos autem, ut primum hoc magnum bonum vel breviter attingamus, ad externam exercitationem referimus vilitatem, asperitatem, parcitatem; vilitatem in habitu, asperitatem in cilicii usu, parcitatem in victu.

CAPITULUM III.

De spirituali conversatione fratrum Carthusiensium, in qua eunt post Christum, per Christum, ad Christum.

Et nunc obsecramus vos, Patres in Domino venerandi, et fratres dilecti, ut æquanimiter sinatis nos in medium proferre, et in altum efferre religiosam et sanctam conversationem vestram. Et hoc ad vestram quidem quantulamcunque consolationem, sed est ad illius potissimum gloriam et laudem, qui ei est causa pariter ut sit, et forma nihilominus ut talis sit. Ipse est *quem Pater sanctificavit, et misit in mundum* (*Joan.* x, 36), ut vivamus per eum. Quod tunc fit cum *sapientis oculi*, ut ait Ecclesiastes, *in capite ejus* (*Eccle.* II, 14); ut (sicut monet Joannes) *qui se in eo manere dixit, ambulet sicut ille ambulavit* (*Joan.* II, 6); unde et hæc vox ejus : *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, sed et ista est quæ tunc temporis dicta est : *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis?* (*Joan.* XIV, 6.) Duobus quoque fratribus, quos hominum fecit piscatores, *venite*, ait, *post me* (*Matth.* XI, 28), o, post me, o, per me, o, ad me. His tribus viis ambulatis et vos, venientes post eum, venientes per eum, venientes denique ad eum. Ait itaque, post me, per me, ad me. Quare nobis, o dulcis et bone Jesu, eundum est post te? Utique quia via es. Et quare per te? nimirum quia veritas es. Quare etiam ad te? certe quia vita es. *Ego*, inquit, *sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Verum est hoc, quia tu via, tu veritas, et tu vita; via plane in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Via nobis es, o mediator Dei et hominum, Deus et homo, Christe Jesu, in humanitate tua, quam de nobis sumpsisti pro nobis, quia sanctæ nobis in ea monstrasti conversationis exemplum. Vita nobis es in divinitate tua, in qua Patris es coæqualis, coæternus, et consubstantialis. Quia *sicut habet ipse Pater vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26), sic dedit tibi Filio vitam habere in teipso. Dedit, quia genuit. Nequaquam dedit Filio quod ante non habuit : sed illud dare, ab æterno gignere fuit, imo est. Et dedit vitam, non quidem aliam quam illam quæ ipse est, ut sit vita data a vita, Filius genitus a Patre, Deus de Deo, lumen de lumine; et una eademque vita ille qui dedit, et ille cui dedit, sicut non alius et alius, sed unus idemque Deus, et gignens et genitus. Inde est quod *sicut habet Pater in semetipso, sic dedit et Filio habere in semetipso*, ut credamus quia non est genitus gignente posterior, sicut nec gignens genito prior, licet a nullo Pater sit, quia est Pater; Filius vero a Patre sit, quia est Filius. In eo quod audivimus, quia *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere in semetipso* (*Joan.* v, 26), intelligimus quia unum sunt et coæquales, et coæterni, et substantiales Pater et Filius. In sola vero hujus vitæ visione et participatione, et gaudii nostri plenitudo, et tota nostra consistit beatitudo. Porro veritas es, o bone et benigne Jesu, in utraque natura tua, et assumente et assumpta, quia quod nobis promittis homo, reddis Deus. Vos itaque, o domini et fratres nostri, vos, inquam, itis post ipsum; itis et per ipsum, ut perveniatis ad ipsum. Sic ire desiderabat ipse, cujus erat oratio hunc habens modum : *Deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua. Lætetur cor meum* (*Psal.* LXXXV, 11). In hac via sinceritas est in rectitudine; in hac veritate claritas est in cognitione; in hac lætitia, vera felicitas est in beata et beatificante Dei visione. Idem etiam eumdem in alio psalmo alloquens : *Tenuisti*, ait, *manum dexteram meam, et in veritate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Psal.* LXXII, 24). Tenuisti, deduxisti, suscepisti. Tenet vestram dexteram manum qui via est, ut eatis post ipsum; in bona voluntate sua deducit vos, qui veritas est, ut eatis et per ipsum, cum gloria quoque suscipit vos qui vita est, ut in fine perveniatis ad ipsum, et sine fine sitis cum ipso. Et quidem vera esse verba hæc clamare non cessat excellens religio vestra. Volitat de ea longe lateque fama bona. Vos autem modis omnibus studete ut non sit inferior illa, sancta conversatio vestra. Alioquin si falsa fuerit, quod absit, quæ de vobis dispergitur fama, quid ni infamia erit? Non solum autem, sed et ruboris maximi erit occasio et causa. Ut enim Boetius dicit : « Qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant (*De cons. phil. l.* III, *pr.* 6). » Idcirco providete ut qui de vobis audiunt quæ probabilia sunt, hoc de vobis dicere possint; quod de se dudum confessa est regina Saba illi magnifico regi Salomoni : *Probavi*, inquit, *quod media pars mihi nuntiata non fuerit* (*III Reg.* x, 7).

CAPITULUM IV.

Quid spiritualiter debeat accipi per vilitatem et asperitatem habitus Carthusiensium; et de paupertate victus eorum.

Superexcellens quoque hæc conversatio vestra penitus est a mundo et his quæ sunt mundi segregata : unde et jure valet, et debet paradisus videri, sed eam duntaxat amanti, et cum ingenti eam fervore, totis conatibus exercenti. Est itaque vilitas, est et asperitas in habitu vestro. Quid in his vester vobis habitus innuit, nisi duo illa eximia bona, solius autem Dei dona; humilitatem videlicet cordis, et mortificationem carnis? Nos enim ad humilitatem referimus vilitatem, asperitatem vero ad mortificationem. Et illa quidem tumorem in mente premit elationis, hæc autem fetorem in corpore perimit corruptionis. Hæc profecto sunt duo pravitatis suæ vincula, quibus in reprobis antiquus ille hostis genus ligat humanum. Ipse nimirum est serpens, verus et tortuosus; pectore (ut in translatione veteri legitur)

repens, et ventre. Nam mundi ille rector tenebrarum harum, hinc quosdam erigit inaniter supra se, hinc quoque alios enerviter prosternit subtus se. Illic sic et hos sua fortitudine vincit, quam habet in lumbis suis, propter sexum superiorem; et in umbilico, propter inferiorem. Hæc autem in electis suis venit disrumpere vincula, qui de puella humili et incorrupta natus est, humilis ille Dei hominumque mediator, et sanctus, docens eos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudiens eos. Quod etiam in ipsa cruce sua et morte excellenter expressit. *Morte*, inquiunt, *turpissima condemnemus eum* (*Sap.* II, 20). Vox est Judæorum in mortem Salvatoris conspirantium. In eo sane quod auditis eos velle condemnare illum morte, notate asperitatem : quid enim magis asperum quam mors? In eo autem quod proponunt et deliberant, ut eadem mors non modo turpis, sed et turpissima sit, ipsam vos sciatis debere intelligere crucem ejus. Quod enim magis vile genus mortis quam crux? Nam crux probrosum supplicium est. Et opprobrium referte ad vilitatem, supplicium ad asperitatem. Itaque factus Dei Filius obediens Patri usque ad mortem : et ne hoc quis modicum putaret, dignum duxit Apostolus addere, *mortem autem crucis* (*Phil.* II, 8). Talem pro nobis mortem patiendo præfiguravit quidem in semetipso, quod notare potestis non inconvenienter in habitu vestro. Et quid hoc ad utilitatem vestram? Multum per omnem mundum. Ut humiliantes nimirum vos sub potenti manu Dei, exaltari ab eo mereamini in tempore visitationis. Simili modo spiritu facta carnis mortificantes, ad vitam perveniatis. Et humilitatem (ut jam dictum est) habitus vestri vilitas, et mortificationem asperitas notat. Sane parcitas victus principi resistit coquorum, ne destruat muros Jerusalem, et ipsa profecto valde necessaria nobis; quia si verum est quod Salomon ait : *Qui delicate a puerilia nutrit servum suum, postea eum sentiet contumacem* (*Prov.* XXIX, 21). Nonne tantum, taleque possidere bonum, quemdam est possidere paradisum? Nam elevati estis supra mundum, de cujus amatore Dominus dicit, quia *Induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide* (*Luc.* XVI, 19). In purpura color, in colore species, in specie nitor, in nitore vanitas, in vanitate superbia est. In bysso autem mollities, in mollitie suavitas, in suavitate carnis pruritus, in pruritu titillatio, in titillatione voluptas, in voluptate luxuria est. Itaque elatum eum fuisse purpura, et lubricum byssus ostentat. Quod autem non interpolatis diebus, sed quotidie epulabatur splendide, notamus eum gastrimargiæ fuisse subditum. Vos autem non sic. Magis autem mendico illi vos assimilamus, quia et mendicare alicujus est vilitatis. Qui erat ulceribus plenus, non mendaciter eum asseruimus, quantum ad hoc in asperitate fuisse. Nam in eo quod cadentes micas non accepit, ab eo qui epulabatur quotidie splendide longe disjunctus fuit.

CAPITULUM V.

De puritate contemplationis internæ, quæ ad cellæ potissimum solitudinem spectat.

Contendum post hæc, quia jugis cellæ solitudo secundum bonum est, quod ad spiritualem retulimus paradisum. Certe a vero illum deviare non puto, qui jugem solitudinem cellæ dicit paradisum. Sed nunc putabit aliquis, qui quæ, qualia, ac quanta ei insunt bona per experientiam novit. Cur enim verear cellam vocare paradisum, quam constat esse ipsum cœlum? Ut enim ex re nomen habeat, et id vocetur quod sonat; quid cella, nisi cœli aula? Vere Dominus in cella, quia non est ipsa *aliud nisi domus Dei et porta cœli* (*Gen.* XXVIII, 17). In ea namque angelorum fit ascensus et descensus supra Filium hominis in scala charitatis. Quod præfiguravit in se venustus vultus Rachelis decoræ; quod læta, et lætificans quies sedentis et audientis Mariæ, hoc totum habet in se jugis cellæ solitudo : et in re quidem magis quam in significatione : non in solo olfactu, verum etiam in gustu. Ignorat laboriosam turbationem Marthæ; gaudet autem vehementer super placida, sed tranquilla, sed quieta, sed suavi, sed dulci, sed jucunda, sed bona, sed serena, sed amœna, sed speciosa, sed luminosa, sed deliciosa sessione Mariæ. Et quando sufficienter quæ in hac cœli aula sunt bona poterimus admirari, enarrare, collaudare? In tantum certe et omnem eorum et magnitudo mensuram, et multitudo excedit numerum, ut ad eorum immensitatem explicandam sic aliqua lingua sit loquens, sicut est stilla parvula tenuiter cadens, ad flumen latissimum et profundissimum perenniter fluens. Num hyperbolice aut adulatorie loquimur? Absit. Imitamur namque in hoc pro posse, illum qui, ut de se dicit Neriæ filius, *ex ore suo loquebatur quasi legens* (*Jer.* XXXVI, 18) : Nimirum quia lectio divina tam falli quam fallere nescia, est experientia copiosa. Ista est quæ nos ex nonnula parte super his eruditos reddit, et certos, propter quod et loquimur. Discurramus jam ex more, si placet, per amœna et fecunda prata Scripturarum, et videamus quibus et qualibus, quam pulchris videlicet et odoriferis, quam suavibus et salubribus respersum habeat flosculis, hæc cœli aula, illum qui in ea est lectulum; ut possit unusquisque vestrum dicere ex sententia : *Lectulus noster floridus* (*Cant.* I, 16). In amore quidem exercitii hujus tam salubris et religiosi studii, ostenditis vos plene scire, in quantum sancta inse solet Scriptura hanc et figurare placidam Sanctorum quietem, et approbare. Ecce, cum in protoplastum sopor immittitur formatam ex se feminam statim intuetur : et aliquid in se esse quod regat virile, et aliquid quod regatur muliebre. Quandiu sanctus Abel intus fuit, nimirum non in morte, sed in vita fuit. Ex quo certe ad suggestionem Cain foris exiit, ipsam quoque mortem incurrit. Vox itaque Cain ista est : *Egrediamur foras* (*Gen.* IV, 8). Est autem suggestio eorum, qui terrena illicite possident; qui et agricolæ ac per hoc terreni, non cœlicolæ

sunt; quia illos decipere nituntur, qui præsens exsilium lugent, ut omissis internis, in externis se totos per appetitum et per actum effundant. Nam Cain *possessio*, Abel vero *luctus* interpretatur. Sed quid inde sequatur, audite, et quod auditis, vitare omnibus modis studete. Quid enim verax historia dicit? *Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum, et interfecit eum.* Nec mirum quod interfectus fuit, qui foras in agrum exiit : ut enim per semetipsam Veritas ait : *Ager est hic mundus* (*Matth.* XIII, 38); qui cum *totus* (ut dicit apostolus Joannes) *in maligno positus* (*I Joan.* V, 19) sit, quomodo mortem poterit evadere, quicunque in eum per voluntatem, per voluptatem, per actionem nefariam moraturus introierit?

A nomen est viventis et videntis (*Gen.* XXV, 11), ut sit in anima devota, quæ ad æternæ exsultationis risum festinat, et visio vivens, ne cæca caliget a vero; et vita nihilominus videns, ne pigra torpeat a bono. Dormit profugus iræ fratris Jacob, ad caput habens lapidem (*Gen.* XXVIII, 11, 12), mentem in Christi : sanctosque nuntios puris intuetur oculis, in scala charitatis ascendentes et descendentes super Filium hominis; ut hinc mente excedant Deo, hinc vero sobrii sint nobis. Moritur, sed vitaliter sanctus Joseph centum et decem annorum (*Gen.* L, 23), in sanctitatis perfectione decalogum custodiens; quia et numerus centenarius perfectionem, et denarius innuit legem. Et odoriferis spiritualium virtutum aromatibus conditus, deponitur intra seipsum, in interni secreti B loculo, dum corpore est, in hujus sæculi Ægypto, et ita sit in mundo, ut non sit de mundo.

CAPITULUM VI.

Qualiter suavis cellæ quies, et quieta ejus suavitas in quibusdam sacræ Scripturæ locis expressa sit.

Delectat adhuc intendere iis quæ in manibus habemus, ut quæ et quanta sit cellæ quies demonstremus. Ecce sanctus Enoch pro eo quod cum Deo ambulat, non apparet, quia tollit eum Deus (*Gen.* III, 24). Quod, juxta tropologiam, quid aliud est, nisi quod illi qui soli Deo se dedicant, dum illi militant, negotiis se sæcularibus non implicant. Ut autem ei medullitus placeant cui se probaverunt, exteriora a se universa pro posse excludunt. Sic, sic, dum solis internis intendunt, in occupationis immoderatæ publico apparere refugiunt. Justus coram Deo Noe, ut juxta interpretationem nominis sui requiem habeat, quo vehementius inundare super terram aquas diluvii considerat, eo libentius ipsius se arcæ latibulis occultat : sed et columba ubi requiescat pes ejus, foras non inveniens, intus sibi requiem quærit (*Gen.* VII *et* VIII); quia sancta anima, simplex et innocens, eo delectabilius in interioribus pausat, quo se studiosius omnium prorsus exteriorum delectatione evacuat. Super Abraham irruit sopor, in quo magnus eum invadit horror (*Gen.* XV, 12); et dum dici sibi verbum absconditum audit, quasi furtive auris sua venas susurri ejus suscipit. Hoc est, sanctarum cogitationum pater animus sanctus, per contemplationem quidem excelsus, eo magis plerumque in interna meditatione pavere compellitur, quo plenius ut ei libere possit intendere, omnis in eo exteriorum negotiorum cura D sopitur. Sicque dum per infusionem inspirationis intimæ, in sublimitatem silenter intra se loquentis contemplationis elevatur, causas quoque ejus, et origines, occasiones, et modos in intimo sanctæ puritatis secreto delectabiliter rimatur. Sara moritur, et mortua in spelunca duplici sepelitur (*Gen.* XXIII, 2, 19). Quod utique tunc spiritualiter fit, cum in anima sancta et pura, omnium visibilium affectum, et appetitum, plenus eorum contemptus, et abjectio exstinguit perfecta. Sicque de cætero gemino huic sancto exercitio, contemplationis videlicet defecatæ, et actionis egregiæ diligenter intendat : et hoc modo vitaliter mortua, in Deo vitam cum Christo absconditam habeat. Juxta puteum habitat, Isaac cujus

CAPITULUM VII.

Item de eadem quiete cellæ, qualiter per viros sanctos a Moyse usque ad Isaiam ejus secretum sit expressum.

Pascit oves Moyses, minans eas ad interiora deserti ut magnam videns visionem, in rubo absque combustione (*Exod.* III), ignis deprehendat ardorem. Nutrit verbo Dei cogitationes intra se simplices et innocuas animus sanctus, easque perducens ad intima secreti, puro conspicatur vere fidei intuitu : et divinam in una eademque Christi persona naturam, et humanam : et tanto talique fœdere utramque sibi invicem unitam, ut nec glorificatio consumat C inferiorem, nec assumptio minuat superiorem. Non solum autem, sed in una singularis meriti puella, præ cunctis quæ sui sexus sunt, nitere virginitatem, sed fecundam; fecunditatem, sed virgineam; sicque in se utramque habeat, ut neutrum alteri præjudicium faciat. Et adhuc aliud quod eidem Moysi in hac visione præfiguratum est; ut videlicet sciret quod illius populi ducatum habiturus erat, qui sic legis ignem susciperet, ut peccati spinam non vitaret. Cernunt promissionis terram de longe Caleph et Josue, quam et asserunt lactis et mellis rivis fluere (*Num.* XIII); idque agnosci posse per botrum qui portatur in vecte, Christum videlicet qui adoratur in cruce. Dormit in tabernaculo, ubi arca Dei est, puer Samuel (*I Reg.* III); qui a Domino meretur vocari, et quid respondere vocanti debeat, doctus a sene puer, sic dicit : *Loquere, Domine, quia servus tuus audit.* Rapitur et ardet ingenti et sancto desiderio sanctus David qui dicit : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal.* LIV, 7.) Ut autem nobis ostendat ubi in his pennis columbæ et sancto volatu isto requiem invenire queat, adjungit, *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*ibid.*, 8). Igitur in elongatione aut fuga, et maxime in mansione solitudinis requies ejus. Merito dicitur de eo quod habeat ætatis plurimos dies, virtutum scilicet spiritualium multas claritates, nec aliquam in fallacibus mundi hujus bonis delectationem habeat; quia *cum operiretur vestibus, non calefiebat* (*III Reg.* I, 1). Nam ter-

rena omnia quasi quædam corporis sunt indumenta. Idcirco dormit in suavibus Abisag amplexibus, quæ *ovaris mei rugitus* interpretatur, per quam vera sapientia designatur. Hæc est adolescentula speciosa, quæsita in omnibus finibus Israel ; et inventa adducta est ad regem , quæ stat coram eo ad rectitudinem, fovet eum ad suavitatem, dormit cum eo ad quietem, calefacit eum ad verum et castum amorem. Quæ ita calida est ut in eo accendat ardorem divinæ charitatis; et tam casta est, ut eum non stimulet neque excitet ad libidinem mundanæ, seu carnalis, vel diabolicæ vanitatis, voluptatis, curiositatis. Nam, ut Scriptura dicit : *Rex David non cognovit eam* (*ibid.*, 4). Nam cognosceret si de data sibi desuper sapientia inaniter superbiret. Sanctus Elias minas meretricis et veneficæ metuens (*III Reg.* XIX), et dimittens puerum suum (puerilem videlicet sensum), pergit ad latibula deserti, et projiciens se, dormit in umbra Juniperi. Desiderium vero habens dissolvi et cum Christo esse, petit ut tollatur anima sua, et universa quæ sua sunt, in dilectione Dei, et proximi constituens, bis soporatus, bis excitatus, bis denique refectus, abiit in fortitudine cibi illius. Donec post observationem Evangelii et legis, quasi post quadraginta dies veniat ad montem Dei; ubi in carnis manens spelunca, post spiritum grandem et fortem, qui et altitudines dejicit, et duritias conterit; post commotionem timoris, post ignem amoris, sibilum audit auræ tenuis, in subtilitate puræ contemplationis ; et hoc audito sibilo, quasi qui claustra cupit carnis exire, egressus stat in ostio; et ne scrutator majestatis opprimatur a gloria etiam vultum suum operit pallio. Eliseus moritur, et mortuus sepelitur (*IV Reg.* XIII, 20). Cur hoc erat dicendum, cum non sit novum, sed antiquum ? non alicui singulare, sed omnibus absque ulla exceptione commune ? Ideo quidem, ut valde venerabile sepulcrum illius ostendatur, quia, cum in illo [*Cod. Parci*, illud] nescio quis mortuus projicitur, tactis ejus sanctis ossibus etiam vitæ pristinæ redonatur. Religiosus rex Ezechias, in promissione a propheta accipit, quia quod de Juda salvatur, et quod reliquum est, mittet radicem deorsum (*IV Reg.* XIX), quantum ad occultum mundæ cogitationis; et fructum faciet sursum, quantum ad publicum egregiæ actionis. Qui etiam ad peccatorum suorum qui inter ipsum et Deum dividit parietem, convertens faciem (*IV Reg.* XX, 2), dicit prius iniquitates suas ut justificetur : imitatus in hoc illum qui ait : *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L, 5). Et ideo plorans orat, et orans plorat, et diluere studens peccata magna magno fletu, sicut pullus hirundinis sic clamat, meditatur ut columba.

CAPITULUM VIII.

De quibusdam viris sanctis qui ab Isaia fuerunt usque ad Christum, et de quibusdam qui fuerunt post adventum Christi, qualiter per eos figurata sit quies cellæ.

Vidit Isaias Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa.* VI, 1), ipsum in puritate contemplationis internæ intuens ; universitatis Conditorem intellectui præsidere creaturæ angelicæ, in sua permanentis sublimitate, et humanæ per unum mediatorem a lapsu erectæ. Sed hoc non nisi in anno quo mortuus est rex Ozias, præsumptuosus scilicet ille et leprosus. Et ut quid hæc? Nimirum ut sciamus illi non posse adesse puritatem contemplationis, in quo per affectum adhuc et effectum dominatur et vivit, et tumor elationis, et fetor corruptionis. Denique post hæc dicit : *Secretum meum mihi. Secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16). Cor suum percutit Josias cum lectionem audit libri quem in domo Dei Helchias reperit (*IV Reg.* XXII) : eumque consolatur Olda quanquam femina, quæ habitat in secunda. Jeremias virgam videt vigilantem (*Jer.* I, 11), quatenus sciat quia vigilat Dominus super verbum suum ut faciat illud ; quem de lutoso profundo, et profundoso luto levant funes, quibus intersunt imo subtersunt [*Par.* subsunt] panni veteres. Et ideo quidem hoc, ut ascendens a convalle plorationis, et cantans cantica graduum, vulneratio a charitate Christi corde ejus, gestet verba ejus in visceribus quasi sagittas acutas. Et hoc quidem propter funes. Sane propter pannos veteres, gestat etiam exempla servorum Dei, quos de mortuis vivos, et de nigris lucidos facit, tanquam carbones vastatores. Ezechielem in cincinno capitis sui, missa ad eum similitudo manus apprehendit (*Ezech.* VIII, 3); et elevatum inter terram et cœlum, in Jerusalem de Chaldæa in spiritu ducit , ut abominationes quæ ibi sunt aspiciens, de funiculis facto flagello, et ementes et vendentes ejiciat de templo, dicendo : *Quoniam zelus domus tuæ comedit me* (*Joan.* II, 17). Daniel cum tribus sociis suis abstinet ab eo quod suave est ventri, ut ad id pertingere possit quod non falla citer dulce est menti; dignus effectus extunc, percipere intelligentiam omnium visionum et somniorum. Non solum autem, sed et super flumina Babylonis sedens, et in recordatione supernæ Sion flens, fenestris cordis sui ad Deum apertis, tribus vicibus orat in die contra Jerusalem ; suspirans in vera spiritus sui claritate, et ad securitatem supernæ pacis, et ad beatam et beatificantem visionem sempiternæ Trinitatis. Præparat cor suum Esdras scriba doctissimus et velox, ut investiget legem Domini (*I Esdr.* VII, 10), faciens et docens præceptum in Israel et judicium ; sciens animal esse mundum quod pariter ruminat et ungulam findit. Et bene primum faciat, deinde doceat, ut et a mandatis Domini intelligat, et in ornatu pontificis prius superhumerale, deinde rationale ponendum agnoscat. Consolator Nehemias, juxta interpretationem nominis sui muros reparat Jerusalem (*II Esdr.* III), ædificans in eis portas sex, quæ sunt fortassis visus, auditus, gustus, odoratus, affatus et tactus. Ecce porta Gregis, porta Piscium, porta Vetus, porta Vallis, porta Sterquilinii, porta Fontis. Et ut ad tempora gratiæ veniam, *videns Jesus turbas, ascendit in montem* (*Matth.* V, 1) ; et alia

vice *ascendit in montem solus orare* (*Matth.* XIV, 23). Domini futurus præcursor beatus Joannes adhuc puer, crescit et confortatur spiritu manens in desertis, usque ad ostensionis suæ diem ad Israel (*Luc.* I, 80). In superiora Petrus ascendit ut oret, nec absque esurie; præclara Cornelii fide (*Act.* X, 9) postmodum, ac post modicum satiandus. Monet Timotheum prædicator egregius Paulus (*I Tim.* IV, 13), ut dum venit attendat lectioni, exhortationi, doctrinæ (*ibid.*, 16); asserens quod hæc faciens, et semetipsum salvabit, et eos qui illum audiunt (*ibid.*, 8). Qui et dicit, corporalem exercitationem ad modicum utilem esse, utilem vero ad omnia esse pietatem: quam et asserit promissionem habere vitæ quæ nunc est, et futuræ. Cum fores sunt clausæ, ubi propter metum discipuli congregati sunt *venit Jesus, et stat in medio, et dicit eis: Pax vobis* (*Joan.* XX, 26). Succedent tria hæc videlicet, venire, stare et dicere; si hæc tria præcesserint, scilicet sero, die illo, una Sabbatorum. De manu angeli stantis super mare et super terram, Joannes apostolus in Apocalypsi (X, 9) accipit librum, et ab eo devoratus facit amaricari ventrem suum. Sed est in ore suo tanquam mel, dulcis. Sacram quippe Scripturam adimplevit opere, ille magni consilii angelus, potens in opere et sermone Dominus Jesus; circumcisionem, quæ ad terram refertur justificans ex fide; et præputium quod ad mare, per fidem, ut cum aquilo dat auster non prohibeat. Quem librum, cum accipit Joannes, amaritudo quidem in ventre, sed dulcedo fit in ore; una in adimpletione et experientia, altera vero in recordatione et intelligentia. Hæc omnia (o Carthusienses) et singula si diligenter intenditis, quæ, et qualis, et quanta sit cellæ quies evidenter deprehendetis. Cui nimirum, ut novit qui expertus est, quo instantius intenditis, eo dulciorem, sed suaviorem, sed jucundiorem, sed sereniorem, sed delectabiliorem, sed faciliorem, sed clariorem sentietis.

CAPITULUM IX.

De quiete cellæ, et quod non expediat ei qui in ea habitat, ut curiositate temeraria nimis diu extra eam moretur.

Hoc autem uniculque qui moratur in cella sciendum, et diligenter est ei in tenaci memoria recondendum, quod non vult hæc de qua loquimur cella, ut qui in ea conversatur, nimis diu extra eam temere demoretur. Et quis diu extra eam temere morari amat, nisi qui quanta ei insunt bona penitus ignorat? Et quidem quantum in ea morari fructuosum, tantum extra eam longe vel diu vagari periculosum. Non enim diutius habitator cellæ vivere potest spiritualiter extra cellam, quam corporaliter piscis extra aquam. Considerate quia pisciculo illi, qui *halec* dicitur, unum idemque momentum est, et extra aquam esse, et exspirare. Et cella quidem formatur ex hac dilectione *halec* cum convertitur. Et putant aliqui non recte considerantes, illis qui aliquo (ut nonnunquam solet evenire) in cella tædio affi- A ciuntur, in hoc consulere, si faciunt eos exire. Sed hi nimirum sola quædam minus providæ discretionis imagine falluntur. Id enim penitus non expedit. Sentitur certe utcunque momentanea quædam sine quiete quies, et sine dulcedine dulcedo, et sine consolatione consolatio; sed succedit absque mora perturbata amaritudo, et amara perturbatio, et intolerabilis omnino desolatio. Mox enim ut ad cellam redierit, apprehendet ac penetrabit, ac circumdabit eum intrinsecus, durissima agonia et durissima angustia spiritus, gravissimum tædium cordis, atrocissima evisceratio mentis. Quia quoties minus diu extra eam in evagatione curiosa et vana moraturus quis temere cellam egreditur, toties quasi novus inhabitator revertitur, aliumque se sensit et invenit B regressus, quam erat antequam fuit egressus. Accedit ad hoc quod de se quædam ait, quia egressa est plena, et vacuam reduxit eam Dominus: unde, nec amplius Noemi sed Marath se voluit extunc vocari (*Ruth.* I, 21); quia quæ pulchra erat priusquam egrederetur, regressam vero jam se esse sibi et in se amaram experitur. Et de quo loco egressa est? nonne de Bethleem? Et quæ suæ egressionis causa? nonne fames? Et quo egressa est? utique in regionem Moabitidem. In qua certe, ut verax historia dicit, morabatur sic quod in ea peregrinabatur. Et ideo quandiu ibi fuit peregrina fuit. Et quare peregrina, nisi quia ibi non fuit in proprio, sed in alieno? Nam propria habitatio non alias ei quam in Bethleem. Quid in his vobis videtur de iis? Cur veremur cellam, quandam vocare itaque audemus, sed spiritualem non temporalem [*Par.*, corporalem], non historialem sed moralem. In historica illa Bethleem, Beata mater semel peperit Jesum Christum; in hac autem tropologica, ut novit omnis qui aliquoties est expertus, quotidie, imo indesinenter confert nobis mater gratiam sanctitatis suavem pariter et salubrem fructum. Suavem propter unctionem, quod sonat nomen istud quod est Christus; salubrem vero, propter salvationem, quod in se habet hoc nomen quod est Jesus. Nam unctum, ut scitis, sonat hoc nomen quod est Christus; Salvatorem vero, beatum hoc nomen quod est Jesus. Igitur si vultis recipere, illi qui cellam inhabitat eo modo quo inhabitare debet, spiritualem veræ sanctitatis confert gratia fructum, et propter exsultationem qua intrinsecus gaudet, jucundum et suavem. Quod est, Beatam Mariam, quantum ad hunc attinet secundum (quem modo incedimus) tropologicum sensum, in Bethleem parere Christum, et propter religionem quam exterius exercet, utilem et salubrem? quod ex juxta eumdem sensum, ipsam beatam Mariam in Bethleem parere Jesum. Verum cum hæc dicimus, nemo putet quod aliquam faciamus differentiam seu divisionem inter Jesum et Christum, quantum ad illam duntaxat personam spectat, quæ sic dicitur; quia, qui Christus, ipse quoque Jesus esse non dubitatur. Sed propter diversam horum nominum interpretationem, diversam quoque in eis accipimus significationem. C D

Nam persona quidem una, significatio quoque nominum ejusdem personæ diversa. Itaque aliud notat hoc nomen quod est Jesus, aliud istud quod est Christus : non tamen alia persona notatur per Jesum, alia per Christum, quia non alius et alius, sed unus idemque est Jesus Christus, Filius Dei, Dominus noster; mundi Redemptor, et Deus et homo, Dei hominumque mediator. In eo quod homo, Patri pro nobis supplicans; in eo quod Deus, cum Patre (cui per omnia æqualis est) nobis propitians. Itaque ei qui in cella fructuose est, a matre gratia spiritualem conferri fructum, suavem, et salubrem; hoc est (secundum quemdam quodam modo sensum moralem) in Bethleem nasci Christum Jesum. Sed licet juxta nominis sui interpretationem, in Bethleem sit panis (utpote quæ domus dicitur panis), est tamen nonnunquam in ea præsentia famis. Nam adest ei nimirum præsentia famis, cum adest ei absentia panis. Liceat audenter dicere ad vos, quia cum tædium cordis (ut nonnunquam contingere solet) pro eo quod multis repletus miseriis homo nunquam in eodem statu, permanet et torpor spiritus in eum qui habitor est cellæ irruit; tunc nimirum in Bethleem fames fit. Verumtamen non egrediatur propter hanc famem (consulo) de Bethleem Noemi; sed sciat quia post tempus inopiæ, veniat tempus abundantiæ. Quod si egressa fuerit, sciat se regressuram omnino amaram; et (sicut de se dicit ipsa Noemi) revertetur vacua, quæ egressa fuit plena. Et eo accedet hoc, ut ipsamet se judicet, non de cætero Noemi vocandam, sed potius Marah. Ecce quia ubi aliquando pulchritudo, jam ibi amaritudo. Similiter vero ubi dudum plenitudo, ibi jam vacuitas est. Et tam magni, tamque horribilis mali causa est, sola illa quæ juxta hunc sensum egressio facta est.

CAPITULUM X.

De eo quod cella ab eo qui illam inhabitat jugiter tenenda est : et quod ei periculum eveniat si temerarie ab ea fuerit egressus.

Quædam de cella diximus, et quod ei qui eam inhabitat, omnino non expedit ut nimis pueriliter de ea egrediatur; et egressus (quod tamen raro, et non nisi rationalibus ex causis contingere debet) nimis temeraria vagatione extra eam demoretur. Nam ut ostendamus nunc plenius, sicut jam ex parte ostendimus, quam periculosa talis egressio sit; ecce quia verax historia dicit, quod Dina egressa est, et egressa est ut videret, non quidem viros, sed mulieres (*Gen.* XXXIV, 2), et ipsa quidem mulier. Nec mirum; nam vulgo dicitur : Similis similem quærit; testimonium hoc verum est. Et quid accipimus per mulierem nisi mollitiem? Non enim nunc in sexum agimus, sed quæ illa sit, quæ per naturalem ejus accipi potest infirmitatem, utriusque sexus debilitas reprehensibilis notatur. Omnis igitur qui reprehensibiliter mollis est, juxta quemdam quoque modum mulier est : etsi non naturaliter quantum ad sexum, tamen reprehensibiliter quantum ad actum. Dicit sane vir sapiens : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est suæ operæ dissipantis* (*Prov.* XVIII, 9). Nonne vobis videtur iste quodammodo mulier esse, quem constat molli et dissoluto ac dissipanti similem esse? Talis est egrediens Dina, per quem notatur ille qui reprehensibiliter exit de cella. Et quæ talis est, ad hoc egreditur ut videat tales, mulier, videlicet mulieres. Et quid ejus est videre, nisi amare? Quo enim se amor extendit, illic et oculus tendit, et ubi aspectus, ibi et affectus. Nam dilige iniquitatem tu, et diliget te iniquitas. Unde et quæ egressa est ut videret, et ipsa visa est; nam Scriptura dicit : *Quam cum vidisset Sichem*, et addidit, *adamavit* (*Gen.* XXXIV, 2). Nimirum illud videre, adamare fuit, quia profecto ubi visio temeraria præcessit, ibi consequenter et illicitus amor successit. Neque lavantem se mulierem David illicite concupisset, nisi eam primitus incaute vidisset. *Et dormivit cum ea;* haud dubium, quin Sichem cum Dina. Quod non est aliud, nisi mollem hunc et dissolutum, atque dissipanti similem, qui temerariam de cella non vitavit egressionem; carni, mundo ac diabolo damnabiliter consentiendo, illicitam ad se et in se admittere suavitatem; per cujus experientiam, ad æternam pertingat perditionem [*Par.* damnationem]. *Ut opprimens virginem.* Ecce, quia ante egressum virgo fuit, post vero corrupta. Quid enim est eam opprimi, nisi corrumpi? Verum quæ est oppressa vi, patet nimirum quia non ideo quidem ut opprimeretur egressa est; attamen quia temerariam admisit egressionem, quia ad illicitam aspiravit visionem, ex hac gemina culpa quæ præcessit, digna fuit et meruit, ut et illam quæ non tam successit quam accessit, licet violentam, incurreret oppressionem. Sed jam de ista sic egressa, sic visa, sic adamata, sic corrupta, sic et oppressa quid in fine dicit historia? Ecce advertite : *Tristemque blanditiis delinivit.* Et ecce quia Dina quidem tristatur, sed blanditiis eam corruptor ejus et oppressor delinire conatur. Et hæc est seductoria vox, qua tristem delinire studet. Quare tristis est anima tua, o Dina, et quare teipsam conturbas? Num doles quia egressa es? quid deliquisti in hoc? quod sacramentum est ut sedeas sola in domo inclusa? Quæ ista religio, si tamen religio, ut nocte ac die sola maneas in domo? quæ auctoritas talis religionis? Num eam beatus instituit Benedictus? Num magnus ille Augustinus? Ergone religiosi et sancti non sunt Cluniacenses, Cistercienses, et alii quamplures ordines qui talem vitam non ducunt? Et si hoc fortassis in quibusdam aliis tolerabile est, sed in te nequaquam quæ talis ac tanta es. Abundat namque in te præ multis aliis scientia profunda, eloquentia nitida, acumen sentiendi in corde, verbum eruditionis in ore. Quæ tamen utilitas in omnibus his? Nam universa hæc abscondita sunt. Manifesta ergo te mundo, et esto in mundo, in quo, si vis, ita esse potes, ut non sis de mundo. Noli itaque diutius includi ip domo; sciens multo tibi esse utilius et fructuosius, ut tecum salves multos, quam te solam. His quidem blandimentis de-

linita stulta hæc, seductorios libenter audit cantus sirenæ; nec salvat jam aliquem, insuper et scipsam perdit. Ecce quæ et qualia, quot et quanta mala jam incurrit quæ temere egressa fuit. Nam omnia hæc quæ dicta sunt de Dina, ad eum referimus qui curiositate nimis temeraria, et temeritate nihilominus curiosa, tam mente quam corpore egreditur de cella.

CAPITULUM XI.

De magnis multisque periculis, quæ ille incurrit, qui habitator est cellæ, et de illa male exit, et de eo quod magnam animæ sanctæ confert quietem plena ac perfecta abjectio sæcularium rerum.

Itaque, ut Scriptura dicit, egressa est Dina, et ad hoc egressa est ut videret. Egressa vero ad vivendum, et ipsa ad magnum malum suum visa est. Porro visa, etiam est adamata. Sic etiam adamata corruptionem suam sustinuit; ad quam quidem coactione quadam violenta, fortassis tamen voluntaria attracta fuit. Carnalis etenim delectatio in causa fuit, quod sic trahi potuit; et ideo potuit quia non nimis forte restitit, nec voluntate plena contradixit. Siquidem diu est ex quo primum dictum est: *Trahit sua quemque voluptas.* Et ne post hæc omnia, misera hæc et stulta prævaricatrix rediret ad cor, et contristaretur secundum Deum ad pœnitentiam, etiam tristis blanditiis delinitur. O quam magna et quam multa mala! Et eorum omnium quæ fuit occasio et origo, vel quæ causa? Utique temeraria egressio ejus; nullum enim horum malorum incurrisset, si se intus tenuisset. Sed quia curiose exiit, ad hæc mala damnabiliter pervenit. Nam, quia curiositas in causa fuit ut exiret, per hoc nimirum patet, quia, teste Scriptura, ad hoc egressa est ut videret. Erat autem et huic curiositati voluptas adjuncta, quia egressa est ut videret mulieres. O curiositas supra modum periculosa! Nam pretiosum foras depositum perdidit quod nunquam postea recuperare potuit denique virgo exiit, et corrupta rediit: sicque illum sublimis puritatis statum foras se amisisse doluit, ad quem ulterius conscendere nequivit. Sic et pilosus ille ac in modum pellis hispidus (*Gen.* XXVII), nimiam foris moram faciens, a benedictione paterna se fecit alienum, nec ad eam deinceps potuit pervenire. *Cupiens* enim (ut ait Apostolus), *hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim* (ut idem subjungit) *invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis requisisset eam* (*Hebr.* XII, 17). Non itaque ut longe superius dictum est, egressio de cella, illi qui aliquo forte in ea nonnunquam tædio afficitur, confert consolationem, sed infert duplicem desolationem. Et fit quidem hoc ad instar hydropici, qui quo avidius bibit, eo et vehementius in se sitim accendit, ut hoc sit eum amplius sitire; multum bibere. Quid ergo est? Utique cum quis tædio se sentit affici, quasi pro obside det corpus suum parieti cellæ, et de egressu funditus non cogitans recurrat ad orationem, lectionem, meditationem, atque ad utilem aliquam actionem. Aderit certe ex more sine mora, Pater ille misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui post hanc tempestatem tranquillum faciat, et nubilum in serenum vertat, confortabit pusillanimem, lætificans mœstum, invalidum roborans, et vacillantem confirmans, nutantem ad stabilitatem ducens, et fugatis undique ventis, sedatis et fluctibus, mare turbidum in placidum et securum littus commutans. Euntes proinde discite quid sit: *Ipse Deus meus, Salvator meus, adjutor meus, non emigrabo* (*Psal.* LXI, 7). Tunc vos arctius in cella contineatis, cum aliquod in ea forte, ut evenire plerumque solet; tædium vos sustinere sentitis. Revocate ad memoriam quia illa puella, genitrix Dei salva virginitate mox futura, intus in ipsis penetralibus est inventa, quando a Gabriele est visitata. Sic enim legitis: *Ingressus angelus ad eam* (*Luc.* I, 28). Patet quia non foras, sed intus erat, ad quam angelus nisi ingrederetur, quasi venire non poterat. Sed ex abundanti est, super hoc commonere vos; in pleno namque ac perfecto exercitio istorum prævenistis et nos, et sermones nostros. Hæc tamen idcirco diximus, ut quis sit in silentio et solitudine cellæ fructus spiritualis, ex parte aliqua vobis ostenderemus. Quæ vobis quidem magis antiqua quam nova sunt; utpote quæ jam ex longo tempore, favente Domino, per jugem experientiam didicistis. Inde est quod super his per locutionis nostræ ministerium erudiri non indigetis. Porro quantus in plena sæculi abjectione et quam quietus sit animæ fructus, et quies fructuosa, evidenter ex multimodis, quas perferunt angustiis, ii qui curis illius et sollicitudinibus implicantur, perpendere valemus. Et quia nimis longum, imo impossibile est nobis easdem angustias singillatim exprimere in præsenti, unum libet nunc exemplum satis congruum ponere, per quod possunt qui indigent, quantum inter eorum occupationem, et sanctorum qui Deo in otio sine otio serviunt, distet quietem, addiscere. Ecce ipsi tepidi, et de sua multoties vita penitus incerti, sed et omni plerumque spe frustrati, contra procellas tempestatum, contra sævitias fluctuum, contra violentias ventorum anxia laborant. Isti vero ab iis omnibus, et cæteris quæ in hunc modum sunt periculis prorsus alieni, securi et læti, in serena et amœna tranquillitate, in tranquilla et amœna serenitate, in serena et tranquilla amœnitate cujusdam placidissimi littoris stant. O quantum dispendium apud illos, quantum compendium apud istos qui sunt tanquam nihil habentes et omnia possidentes. Desperant namque, nec ultra jam vivunt, gaudentque vehementer ex inventione sepulcri eligente suspendium anima eorum, et mortem ossibus eorum; et ideo dormientes silent, et somno suo requiescunt, malorum timore sublato. Sciunt enim in tempore vacuitatis scribendam esse sapientiam, et quod qui minoratur actu ipse inveniet eam: eisque esse vacandum, ut videant Deum, quia Dominus ipse est Deus. Et quia *abyssus dicit* de Sapientia: *Non est in me, et mare loquitur: Non est mecum* (*Job* XXVIII, 14).

CAPITULUM XII.

De sæcularium (cui præcipue intendunt Carthusienses) negotiorum, et sollicitudinum, et possessionum abjectione.

Hanc quidem a sæculo segregationem vos abunde habetis, qui de redditibus ecclesiarum, parochiarum, et decimarum vos non intromittitis; contenti paupertate vestra, plena divitiis. Nihil enim extra terminos vestros vultis possidere, sicut nec debetis, ut abundantius quieti et paci vestræ consulatis. Ut autem hac via ad regnum Dei compendiosa, secura et munda incedatis, vestri vos et exemplo et verbo docuere prædecessores, et Patres qui magis volebant pauperes esse quam divites : quia (si non mentitur Paulus) *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem* (*I Tim.* VI, 9); et adjungit : *Radix enim omnium malorum est cupiditas quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (*ibid.*, 10). Et ecce statim admonitio salubris : *Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem* (*ibid.*, 11). Et in præcedentibus : *Habentes*, inquit, *alimenta et quibus tegamur, his contenti simus* (*ibid.*, 8). De hac abjectione sæcularium negotiorum et terrenarum possessionum, ut immutata et inviolata in ordine perpetuis temporibus habeatur, teneatur, custodiatur, ita piæ memoriæ (ut ipsi scitis) vir vitæ venerabilis, domnus Guigo (*Statutorum* cap. 41), homo magnæ religionis scribit : Cupiditatis occasiones nobis et posteris nostris, quantum, Deo juvante, possumus præcidentes, præsentis scripti sanctione statuimus; quatenus loci hujus habitatores, extra suæ terminos eremi nihil omnino possideant, id est, non agros, non vineas, non hortos, non ecclesias, non cœmeteria, non oblationes, non decimas, et quæcunque hujusmodi. His etiam hoc modo vir Dei adjungit. Simili etiam tenore sancitum est, ut neminem prorsus sive intra, sive extra eremum istam defunctum suo sepeliant in cœmeterio, nisi forte aliquem hujus propositi hic obire contigerit. Sed et cæterarum religionum, si quis hic defunctus fuerit, quem sua congregatio hinc asportare aut nequiverit, aut neglexerit, hunc sepelient. Nomen vero cujusquam in suo non scribent Martyrologio, nec cujusquam anniversarium ex more facient. Quod profecto ne forte alicui nimis durum et crudele videri debeat, quam rationabili causa, et intentione discreta, et ad quæ præcavenda mala hoc institutum fuerit : prædictus Jesu Christi famulus, homo magnæ suo tempore (ut adhuc hodie apparet) tam religionis quam scientiæ evidenter manifestat, hoc modo subdens; audivimus enim, (quod non probamus) plerosque toties splendide convivari : missasque facere paratos, quoties eis aliquis pro suis voluerint exhibere defunctis. Quæ consuetudo et abstinentiam tollit, et venales facit orationes; dum quotus pastuum numerus, totus est et missarum. Nec ullum ibi vel jejunandi, vel obsecrandi constat A propositum, ubi non de devotione facientis, sed de pascentis potius pendet arbitrio. Nulla quippe die convivium vel missa deerit, si qui pascat, nunquam defuerit. Et de his usque huc. Dicit autem et superius idem vir (Guigo, *Statutorum* cap. 40) hoc modo : Ornamenta aurea, vel argentea, præter calicem et calamum quo sanguis Domini sumitur in ecclesia non habemus; pallia tapetiaque relinquimus : feneratorum et excommunicatorum munera non accipimus. Et ita prædictus homo Dei scribit de his. Vos autem, o Carthusienses, hæc quidem diligenter et cum omni sollicitudine custoditis, et bene facitis; et ideo bene facitis, quia quo minus de sæculo accipitis, eo et minus ei debetis. Sed hoc addendum, quia quo minus sæculo, et his quæ sæculi sunt, non B solum per affectum, sed et per actum intenditis, eo liberius et purius, eo sincerius et suavius, eo peramplius et perfectius soli Deo intendere potestis, ut ad perfectionis tendentes desertum, ne ungulam quidem in Ægypto remanere permittatis ex omnibus, quæ ad sacrificium divinum necessaria sunt. Sed plene ac perfecte intellexistis hæc omnia, quæ ad hæc tria diximus pertinere; videlicet ad externam exercitationem vestram, ad jugem quam tenetis cellæ solitudinem, ad plenam denique sæculi, et eorum quæ sæculi sunt abjectionem. Non vobis (ut arbitramur) videri debet absurdum, quod ordinis vestri, quem hæc tria commendant, suavitatem sublimem, et sublimitatem quoque suavem, quemdam diximus esse paradisum. Vere paradisus est, hortus utique C deliciarum, omni delectatione refertus, et amœnitate omnimoda plenus. Sed rigetur iste paradisus, hoc enim probabile et valde bonum. Porro irrigatio ejus, augmentatio ejus; irrigatio ejus, profectus ejus. Nam tunc irrigatur, cum robur ei et incrementum confertur. Et paradisus est, et irrigari ei necessarium est. In conversatione quippe spirituali non proficere deficere est. Dum enim (ut Scriptura dicit) *cum consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccli.* XVIII, 6), paradisum quidem patet, paradisum esse, et irrigatione tamen indigere. Amplius : Cum juxta quod beatus Job dicit (*Job* XIV, 1), et nos omnes jugiter experimur, nunquam in eodem statu natus de muliere permaneat homo, vel ascendit ad alta munere D roborantis eum gratiæ, vel descendit ad ima pondere infirmitatis propriæ. Ideo ex his luce clarius patet, quia qui de augendo spirituali profectu suo solliciti non sunt, nimirum in defectum teterrimum corruunt. Qui enim hujusmodi sunt *ibi* (ut longe ante nos dictum est) *deficiendi incidunt periculum; ubi proficiendi deposuere appetitum.* Idcirco ipse paradisus irrigetur, quia qui lotus est, indiget quoque ut pedes lavet. Et cum omnibus apostolis plus laboraveri Paulus, indignum se tamen asserit ut vocetur apostolus.

CAPITULUM XIII.

De loco sanctæ voluptatis et de spirituali fuga sancti Jacob.

Quomodo, ait aliquis, iste paradisus irrigabitur?

In Genesi quid scriptum est? quomodo legitis? Nonne Scriptura dicit, quia *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum?* (*Gen.* II, 10.) Et quis fluvius iste? imo quis hic voluptatis locus? Nam hoc prius quærendum, quia nimirum sicut de fluvio hoc procedit irrigatio, sic et de loco voluptatis sit fluvii egressio. Itaque ut patet ex his, difficile, imo impossibile, ut paradisus iste irrigetur, nisi prius de loco voluptatis quicunque ille sit fluvius, egrediatur. Ideireo ex quo ita est, quis hic voluptatis locus est? Nobis videtur (si ita vobis sedet) quod dulcis et suavis sinceræ charitatis unanimitas, quam secundum Deum in invicem habetis puram ac defæcatam, bonam pariter et jucundam, in omni (pro nosse, ac pro posse in Christo) et ad omne malum nolle, et ad omne bonum velle, quidam non incongrue possit et debeat dici locus voluptatis. Vere locus hic, locus voluptatis est, voluptatis inquam non carnalis, sed spiritualis; non qua caro vel spiritus inquinatur, sed magis qua et spiritus et caro purificatur, adornatur, decoratur. Hic locus est ad quem venit qui a facie mortem ei comminantis pilosi fugit, in quo vult requiescere occumbente jam sole. Sic enim in historia veraci continetur: *Cumque venisset* (haud dubium quin Jacob) *ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum* (*Gen.* XXVIII, 11). Quis fugiens iste, nisi ille de quo præcipitur in onere in Arabia per Isaiam iis qui in terra Austri habitant, ut ei cum panibus occurrant? Ipse est electus quislibet fidelis, qui a superfluitate carnali seu mundiali, magis se ac magis elongat ne mortem incurrat. Cui necessarium valde ut cum panibus occurratur ab inhabitantibus terram austri, quatenus qui spirituales sunt, instruant in spiritu lenitatis hujusmodi; et eos qui tridno sustinent illum, in domos suas Dominus jejunos non dimittat, ne deficiant in via. *A facie*, inquit, *gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii* (*Isa.* XXI, 15). Hæc omnia ad mortem spectant, quam minatur pilosus leni, Esau Jacob: quam ne incurrat, per fugam sibi consulere parat. Itaque fugiens venit ad quemdam locum. Et ipse est voluptatis locus, quia locus quietis est: nam et hoc sequitur. *Et vellet in eo requiescere post solis occubitum.* Quando sol occubuit? quando fervor tentationis deferbuit. Impossibile ut hic fugiens requiescat, antequam iste sol occumbat; quia quandiu mentem exurit ardor tentationis, in sereno non pausat internæ quietis; ac per hoc nec adhuc ad locum pervenit spiritualis voluptatis. Nam quomodo ibi suavitas ulla, ubi tranquillitas nulla? Sed tunc fugiens iste, et ad hunc locum venit, et in eo requiescit, cum suavem secundum Deum quietem, et quietam nihilominus suavitatem apprehendit, apprehendens tenet, tenens non dimittit. Jam tollat de lapidibus qui jacent, de viris videlicet divitiarum, qui in civitate Domini virtutum, in veræ fortitudinis multitudine se humiliant: illum omnium sanctorum Sanctum, eumque mentis suæ capiti per imitatio- A nem supponat; sicque ei inhærens dormiat in eodem loco; dormiat, inquam, quantum ad quietem; in eodem loco, quantum ad suavitatem, ut sit illius et quies suavis et suavitas quieta. Sicque in suavitate hac, in quiete hac, purificatis videns oculis mentis charitatis scalam; et in imis per compassionem proximi demissam, et in summis per desiderium Dei delixam: angelorum quoque, qui sunt veritatis præcones, et per contemplationem ascensum, et per actionem intueatur descensum: eumque qui reddet mercedem laborum sanctorum suorum, eidem scalæ innixum. Jam cum pavore obstupescens et cum stupore expavescens, evigilando ad se reversus exclamet, et dicat: *Vere Dominus est in loco isto.* Ubi enim Dominus, nisi in quiete cui deest omnis perturbatio? nisi in suavitate cui inest omnis dulcedo, B et nulla prorsus amaritudo? *Et ego*, inquit, *nesciebam.* Nec mirum non enim hoc eo potuit sciri, quoad usque id ei datum est experiri. Verum extunc scivit, ex quo ad locum illum venit, de lapidibus tulit, tollens capiti suo supposuit; supponens dormivit, dormiens, scalam et quæ in ea agebantur vidit. Nec sic dicimus quia scivit veniens, tollens, supponens, dormiens; quasi ei hanc scientiam conferre possent, si non scalam, et ad eam pertinentia vidisset. Sed quia hæc quatuor ad hoc præcesserunt, ut quintum succedere posset, cui sextum, hoc est scientia, non tam successit quam accessit. Igitur tunc scivit quando vidit; et sicut nisi videret non sciret, sic C non videret nisi dormiret, nec dormiret nisi supponeret, non autem supponeret nisi tolleret; sed non tolleret nisi veniret. Itaque quando vidit tunc scivit, quia quando expertus est, et quantum expertus est, nimirum tunc et tantum scivit. In tanta quippe talique re, tantam et non amplius comprehendi scientiam, quantum sentit ipsa experientia. Addidit etiam ad hæc: *Quam terribilis est locus iste!* Nihil verius. Nam terribilis diabolo, terribilis mundo, terribilis et homini pravo; et sic terribilis, ut castrorum acies ordinata. Illi soli amabilis est, illi soli accessibilis est, qui fugit a facie pilosi, et in morem pellis hispidi, cum sit ipse lenis. *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli.* Verum et hoc, neque aliquid sub cœlo verius vel est, vel esse potest in hoc D quippe loco potissimum manet Deus, sed et ad cœlum per ipsum introitus est.

CAPITULUM XIV.

Quomodo spiritualiter egrediatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, et quis ille fluvius sit.

Iste specialiter locus Dei est, ubi et auditur vox commotionis magnæ, benedicta gloria Domini de loco suo. Nam sudarium, quod fuerat super caput Domini sepulti ipso etiam resuscitato inventum est separatim involutum in unum locum. Quare hic locus dicitur unus, nisi quia locus est voluptatis? Non enim in scissura mentium sed in unitate Deus est; et ubi illa deest, ibi vera animæ suavitas non est. Hic locus est talis unanimitas vestra, qualis a

nobis superius breviter descripta est. De hoc loco emanant fluvii magni et multi : siquidem locus est fluviorum, ubi rivi latissimi et patentes. Sed ille quam maxime fluvius de loco illo egreditur, ut paradisus vester irrigetur. Nulla fluvio huic participatio, societas, et conventio cum fluviis illis, de quibus Dominum alloquens Psalmista : *Tu*, inquit, *siccasti fluvios Ethan* (*Psal.* LXXIII, 15); sed nec cum illis de quibus eidem Domino dicit Habacuc : *Fluvios scindes terræ* (*Habac.* III, 10) : multo minus cum illis qui dicuntur Abana et Pharphar, fluvii Damasci. Magis autem assimilari et valet et debet fluvio, qui Jordanis appellatur; in quo lavatur, et totus mundatur Naaman Syrus (*IV Reg.* V, 12, 14) ; et aquis Siloe, in cujus natatoriis totus illuminatur cæcus natus (*Joan.* IX, 7). Valet etiam ex parte assimilari fluvio illi, de quo sanctus Joannes in Apocalypsi, visione septima hoc modo scribit; *Ostendit mihi* (haud dubium quin angelus) *fluvium aquæ vivæ, splendidum procedentem de sede Dei et Agni* (*Apoc.* XXII, 1). Nam quod sedes Dei et Agni, locus incomprehensibilis cujusdam voluptatis sit, nemo qui contradicere velit vel possit. De hac sede fluvius procedit incomprehensibilis illa superabundans, viva et æterna felicitas, qua in æternum fruenter electi; in contemplatione indeficienti divinæ visionis. Dicit enim Dominus de hoc electis suis : *Mensuram bonam, et conferiam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI, 38). Ecce mensura sine mensura, de qua quod superfluit, dicitur ; verum hoc non in præsenti est, sed in futuro erit. Et tamen non solum possunt verba hæc de illa intelligi felicitate, qua fruentur qui digni habebuntur, in præmio, quia possunt, et de sanctitate qua nunc ditantur in merito. Ut autem vos diutius non protrahamus, videtur nobis quod fervens et indeficiens puræ mentis vestræ devotio, quidam sit fluvius perenniter fluens ; qui tunc quidem egreditur de loco voluptatis, apud vos extrinsecus apparens, quasi ad publicum procedens, et inde tamen non recedens, non exeundo exit de secreto (qualem in præcedentibus descripsimus) vestræ unanimitatis. Ipsa itaque qua intrinsecus erga Deum et ea quæ Dei sunt inflammati estis mentis devotio, iste est fluvius, qui tunc egreditur quando certis foras indiciis manifestatur, cum eam cohibere præ nimia ejus vehementia ipse quoque animus non sinitur. Et iste est fluvius qui egreditur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. Ecce quia quis iste sit paradisus quis etiam locus voluptatis, quis vero iste fluvius, quidve sit hunc paradisum irrigari, diximus vobis jam, et audistis.

CAPITULUM XV.

Quod qui ad annuum conveniunt Capitulum priores, ordinis debent diligenter intendere renovationi : et de quatuor sanctis exercitiis, quibus sollicite studere debet omnis qui in cella vult fructuose commorari.

Itaque si est apud vos, imo intra vos (vobis autem dico, reverendi Patres nostri priores, qui ad annuum Capitulum convenistis) : si, inquam, est apud vos et intra vos fluvius iste, imo quia est, scitote quia jam tempus non tam instat quam exstat, ut egrediatur ad irrigandum paradisum. Et dicitis : Quomodo fiet istud? Quomodo superius ostensum est. Convenite in unum spiritualem secundum Deum, ex Deo, pro Deo, cum Deo consensum, sicut in unum jam convenistis corporalem locum, et tam singuli quam simul omnes, cum magna devotione, et illo qui secundum scientiam est, zelo, id est, discreto de ordinis reparatione, renovatione, corroboratione, tam in sinistris, si quæ sunt, corrigendis, quam in bonis instituendis, adaugendis, confirmandis, strenue vos intromittite. Itaque levate oculos vestros; et videte regiones si albæ sunt jam ad messem, an (quod abiit) siccæ ad ignem. Mane surgite ad vineas, videte si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. Ibi potissimum dabit sponsa ubera sua sponso. Quo autem hæc attineant, ideo devitamus apertius exponere, scrutari profundius, profusius edicere, quia hæc nullo modo potestis, quantum ad ipsam duntaxat experientiam spectat, ignorare, si vestrum studetis tam jugiter quam viriliter pro loco et tempore, pro negotio et causa, pro mensura et modo, ut licet, decet et expedit officium exercere. Hoc autem quam sollicite procuret fluvius iste, ut sic egrediatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, quatenus inde dividatur in quatuor capita. Nam sic verax refert historia (*Gen.* II, 10): nos autem, si in præsenti melius non habetis, hæc quatuor capita referimus ad totidem sanctæ religionis exercitia, in quibus ipsa consistit totius ordinis nostri forma [*Par.*, summa]. Sunt autem, lectio, meditatio, oratio, actio : quatuor hæc, major autem horum est oratio. Omni quippe hora cum ab ipsis corporalibus necessitatibus vacamus (quibus quandiu hic vivimus, servire compellimur) in aliquo istorum quatuor inveniri, eique quam sollicite intendere tenemur. Et oportet quidem ut lectio evidenter intelligatur et memoriter retineatur : meditatio, ut nullius phantasmatis caligine obscuretur, sed plena veritatis luce illustretur ; oratio quoque, ut cœlesti in omni puritate sincera et sinceritate pura desiderio inflammetur, et integra, recta, directa atque erecta piarum lacrymarum effusione humectetur. Actio vero ab omni prorsus tepore, segnitie, et perturbatione, ac murmure aliena, omne quod potest obesse omittendo, nulla malitiæ alicujus peste corrumpatur; sed magis cum perfecta sollicitudine, alacritate, hilaritate, strenuitate, quidquid valet prodesse, pro posse et nosse admittendo, omni probabili exercitio adornetur. Nisi sanctis his quatuor exercitiis sanctitatis intendere diligenter et indesinenter curemus, fructuose in cellis nostris morari non valemus. Quam dulce, quam suave, quam bonum, quam jucundum, quam delectabile, quam amabile videri servo Dei debet, latenti in cella, his quatuor intendere! ut nunc studiosæ intendat lectioni, nunc puræ incumbat orationi, nunc necessariæ suam impendat dili-

gentiam actioni ; et ita ut in singulis his nulla hora vel momento mens sua defæcatæ desit meditationi. Ipsa namque cum singulis his absens est, nulla penitus in exercitio suo plene fructuosa est. Etenim absque præsentia ejus, nec lectio valet per intelligentiam apprehendi et retineri, nec oratio in summis suspendi et morari, nec actio ad necessaria et utilia extendi et dirigi. Idcirco necessarium valde ut unamquamque reliquarum trium ista præcedat, et comitetur, et subsequatur : præcedat dico unamquamque, ut bene incipiatur ; comitetur, ut bene incepta, plene consummetur ; subsequatur, ut plene consummata, firmiter roboretur. Consolare (tibi dico, qui inhabitator cellæ es) consolare, inquam, et lætare in Domino, cum Domino, pro Domino, quia illam quam te speras in futuro habiturum quietem, jam modo in quibusdam suis quodammodo primitiis habes et tenes. Audenter dicimus tibi, quia si eo modo quo esse debes, in cella es, juxta quemdam modum in ipso cœlo es. Ecce legis et oras, meditaris et operaris : hæc sunt exercitia quibus intendis in cella. Quam sanctum os tuum, quam sancta et auris tua ! Cum oras (si tamen eo modo oras, quo orare debes), os tuum in aure Dei est. Et ego verebor illud os sanctum dicere quod in ipsius aure Dei video esse? Cum vero legis, et os Dei in aure tua est. Et aurem hanc ego sanctam non dicam? Sive ergo tu loquaris Deo (quod utique facis cum oras) : sive loquatur tibi Deus (quod tunc nimirum fit cum legis), beatum te incunctanter assero. Quid dicam de meditatione pura? quid de actione egregia? Nam illa sanctificat animum, hæc autem exornat manum. Quis neget Deum esse intra te, cum in mente tua nihil non bonum et sanctum, nihil non sincerum et religiosum, nihil non mansuetum et pium, nihil non purum et mundum, quantum duntaxat ad crimen pertinet ; sed quod est sanctitatis et bonitatis, quod sinceritatis et religionis, quod mansuetudinis et pietatis, quod puritatis et munditiæ, in ea versatur. Quis etiam tunc neget eum esse apud te, cum nihil nisi quod utile est operaris? Sunt itaque quibus in cella jugiter intendis, qui habitator es cellæ, quatuor exercitia hæc lectio studiosa meditatio pura, oratio medullata, actio necessaria.

CAPITULUM XVI.

De commendatione cellæ, et de quatuor capitibus illis in quæ fluvius dividitur, qui ad irrigandum paradisum de loco voluptatis egreditur.

Quid melius, quidve jucundius, tu qui habitator cellæ es, æstimare debes, quam has die ac nocte diligenter alternare vices? Sane tam dulce tibi intendere his, tantamque in unoquoque eorum suavitatem invenis, ut quando uni intendis, vix ab eo evelli possis ut ad aliud accedas. Eo magis singula hæc tibi sapere et dulcescere sentis, quo magis eorum saporem et dulcedinem nec tam sæpe quam semper, nec tam frequenter quam indesinenter percipis. Et quidem comedis et bibis cum his studiose intendis ; sed hæc in te comestio magis famem adauget quam minuit : et multum bibere nihil est aliud quam amplius sitire. Sicque verum esse invenitur quod ipsa de se Sapientia dicit : *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Quando te poterit arripere pusillanimitas spiritus, animi tempestas, agonia cordis, vel contristare aliquod tædium, cum quadripartitum hoc apud te viguerit exercitium ? Quare quidam cellæ solitudinem et quietem [*Par.*, silentium] abhorrent, et sufferre grave deputant ; nisi quia quæ, qualis quantaque sit eorum suavitas et dulcedo penitus ignorant? Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, qui amator et inhabitator es cellæ ; qui eam et amando inhabitas, et inhabitando amas? Quis in hac vita homo in hac te dulcedinis experientia superior? quia talis ut mihi videtur nullus invenitur. Sed quis tibi vel æquari poterit? Num aliquis eorum qui summi sunt rerum domini? Nullus omnino. Nempe superiores te esse fortassis videntur, quantum ad quamdam nomine tenus, et superficie tenus dignitatem periculosam ; de qua et pro qua in districto Dei judicio reddituri sunt rationem. Sed longe sunt te omnes inferiores et minores quantum ad singularem hanc, in qua tu exsultas et tripudias suavitatem ; sed jucunditatem, sed dulcedinem, sed hilaritatem, sed alacritatem, sed amœnitatem, sed serenitatem, sed sinceritatem, sed delectationem, sed omnis denique (ut breví multa sermone concludam) boni plenitudinem et quamdam illius ad quam suspiramus beatitudinis cœlestis imaginem, et similitudinem. O quam magna quamque multa in his quatuor exercitiis dulcedo, in lectione, in meditatione, in oratione, in actione! Magna; nec ad eam attingit mensura ; multa; nec video quod aliquis sit ejus numerus. Et quatuor hæc, fortassis illa quatuor sunt capita in quæ fluvius ille dividitur, qui ad irrigandum paradisum de loco voluptatis egreditur. Videamus jam quid dicat Scriptura de quatuor capitibus istis : *Nomen uni Physon, nomen secundi fluvii Gyon, nomen tertii fluvii Tygris ; fluvius vero quartus est Euphrates.* Et de Physon dicitur quod circuit omnem terram Evilath, de Gyon quod circuit omnem terram Æthyopiæ, et Tygris vadit contra Assyrios. Non autem dicitur quod Euphrates aliquam terram circumeat, vel quo vadat ; sed solummodo dicitur, quod fluvius quartus ipse est Euphrates. Num aliquid istorum otiose dictum est? Non utique. Jam ergo intendamus his. Os pupillæ dicunt sonare Physon. Et si hoc verum est, sicut ad pupillam visio, sic ad os locutio referri potest ; nam in ore lingua est qua loquimur, in oculo pupilla qua videmus. Et ubi quod verum est videmus, ne in caligine falsitatis aberremus, nisi in studiosa sacræ Scripturæ lectione? Et quando ex ordinis indulgentia diebus festis locuturi convenimus, unde quæso loqui debemus, nisi de iis quæ lectio in se continet sacræ Scripturæ? Merito per os et pupillam, studium sacræ lectionis exprimitur, in qua lux fulget veritatis, per quam ad claritatem pertingimus luminosæ cogni-

tionis; et legimus verbum sacræ eruditionis, de quo conferimus ad invicem ad documentum tam propriæ quam fraternæ ædificationis. De eo autem quod primo loco posuimus, loquitur in secunda Epistola sua Petrus, *Habemus*, inquiens, *firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, sicut lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*II Petr.* I, 19). De eo vero quod secundo, sanctus David ipsum communem Dominum omnium alloquens : *Lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105).

CAPITULUM XVII.

Quod qui habitator est cellæ omnem debeat illicitam devitare locutionem, et quæ illa sint bona ad quæ nos sacra lectio provehit.

Tu ergo, serve Dei, qui in cella solus; et non tamen solus habitas; si omnia quæ pertinent ad sacram Scripturam per plenam notitiam apprehendis ad clarissimam quamdam in mente visionem pertingis. Cum vero quoties tibi indultum fuerit ut loquaris, si in his linguam tuam occupare studueris, jam non solum visum intrinsecus clarificatum, sed et os tuum mundum intrinsecus habebis et ornatum. Sic, sic, non sine causa interpretari os pupillæ dicere poteris Physon, per quod sacram nos posse per lectionem accipere diximus; dum per eam tantam acquiris et in intuitu interno claritatem, et in ore exterius verbum veritatis, ad tuam et eorum qui te audiunt ædificationem. Absit semel et iterum, absit sæpe et semper, ut in claustro festis diebus cum os tuum ad loquendum aperies, loquacitatem in eodem ore tuo inordinatam assumas : hoc enim gravitatem et maturitatem tuam omnino non decet. Non multum apparet, quod diebus aliis studiosæ lectioni, puræ meditationi, medullatæ orationi intentum te exhibueris, si os ad loquendum aperiens, loquacitati aut garrulitati, et maxime disceptationi et contentioni linguam tuam ex prava consuetudine accommodaveris : hæc enim omnia, sed et omne verbum stultum et vacuum, mendax, dolosum, otiosum, impudicum, excusatorium, detractorium, comminatorium, iratum, superbum, ab illis spiritualibus exercitiis, quibus in cella intendere debes, prorsus aliena sunt. Memento quid per semetipsam Veritas dicat : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Si ergo est reddenda ratio de verbo otioso, quanto magis de noxio? quanquam non possit esse non noxium etiam verbum otiosum. Sed noxium hoc loco verbum vocamus, verbum deceptorium, adulatorium, litigiosum, falsum, et cætera in hunc modum verba criminalia, si quidem est crimen plerumque in ore, sicut et in corpore. Cætera, inquam, in quibus et Deus multum offenditur, et omnis qui audit non mediocriter læditur, ipse etiam qui loquitur, gravi peccato addicitur : ipso Domino teste : *Sicut ex verbis tuis justificaberis, sic et ex verbis tuis condemnaberis* (*Matth.* XXII, 37). Vide quanta debeas præcavere cura ne illud incurras, quod te condemnet. Hinc Pater et dux atque advocatus monachorum beatus Benedictus, in Regula monachorum sic scribit : *Scurrilitates, vel verba otiosa, et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus* [*Regula S. Benedicti*, c. 6]. Scito, dilectissime nobis, qui habitator es cellæ, quia fabulationes et nugæ, quæ in ore multorum sæcularium fere indesinenter sunt, in ore virorum religiosorum, et maxime in ore Carthusiensium, blasphemiæ sunt. Certe, ut ait Dominus, *bonus homo de bono thesauro profert bona* (*Matth.* XII, 35). Si in thesauro cordis tui reposita est per amorem ardentem, et exercitium continuum lectio, meditatio, oratio, utilis actio proferet utique lingua, aliqua istarum cum se moverit ad loquendum. Si hoc modo egeris, sensus tuus illustrabitur, et exterius os tuum venustabitur; et utrumque hoc bonum per studiosam tibi lectionem conferetur; ut non sine magno mysterio Physon, *os pupillæ* interpretetur. Hæc autem, de qua jam quædam diximus, lectio studiosa erudit nos, ut cantemus Domino canticum novum et sanctæ semper vitæ novitatem parturiamus, quia et Physon circuit omnem terram Evilath. In hac sanctæ novitatis parturitione, veræ sapientiæ nascitur aurum, et terræ illius aurum horum (haud dubium quin Evilath) optimum est. Quia nimirum est *sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, judicans sine simulatione* (*Jac.* XIII, 17). Sapientia sane nonne sapida scientia est? Et aurum quod non solummodo bonum, sed quod optimum est, in terra Evilath nascitur, quando et ab anima pia, et in qua per studium sacræ lectionis visus interior [*Par.*, intrinsecus] ad illustrationem, et apud quam extrinsecus nihil profertur in ore, nisi quod pertinet ad ædificationem? cum sanctæ novitatis parturitioni intendit, diligitur bonum, et in ipso interno palato suo, cum abjecta prorsus omni dulcedine illicita, nihil ei dulceseit nisi solus Deus; sapit ei quod omnium est bonorum optimum. Et sic est uni nomen Physon : et sic circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum est.

CAPITULUM XVIII.

De generibus sanctarum meditationum quibus intendere debet qui in cella solitarius sedet, et de studiosa sacræ Scripturæ recordatione.

Porro nomen secundi fluvii Gyon, qui cum sit præruptio, circuit omnem terram Æthiopiæ. Ipsa est meditatio, quæ quidquid est Æthiopieæ nigredinis, ad peccati pertinentis deformitatem, priusquam per consensum animam deformem reddere possit, viriliter et valenter resistendo perrumpit. Cum enim internæ meditationis puritati anima sancta ex omni parte se intendit, nulla eam sibi quantumlibet violenta tentatio per consensum subjicere valet. Mox quippe ut ad ipsam mentis januam pulsare tentatio incipit, si in defæcata meditatione perfecte mens

occupata fuerit. Ejus nimirum vires, non tam quæ jam nocuerunt abrumpit, quam ne de novo nocere valeant perrumpit [*Parc.* prærumpit]. Idcirco, tu, qui habitator es cellæ, sicut tibi sapit studiosa lectio, quæ est Physon, cum ejus aquas bibis, (quæ circuit omnem terram Evilath, ubi optimum nascitur aurum;) sic nihilominus sapiat tibi meditatio pura, quæ et circuit omnem terram Æthiopiæ. Nam nimis periculose evomis quidquid scribendo de aquis sumpsisti Physon, nisi statim de aquis bibas Gyon. Sicut enim legere et non intelligere negligere est, sic profecto lecta et intellecta oblivisci, quid aliud est quam omnino perdere quidquid legendo et intelligendo acquisisti? Sunt autem plures meditationum modi, quibus cum studiose intenderis, ad stabilem nimirum mentem tuam maturitatem, et maturam stabilitatem restringere poteris. Sicque coges eam ut solide subsistat in se, nec se vel inaniter elevet supra se, vel enerviter dejiciat subtus se. Nec sordescat, inquam, cum fuerit ab illo summo magistro super tumenta terræ edocta; nec inanescat cum super volucres cœli erudita. Sicut autem hujus de qua loqui proponimus meditationis diversi modi sunt, ita et diversas in animo meditantis causas gignunt. Nos autem illum primo loco modum ponimus, quo in meditantis mente causa procedit eruditionis; secundo, qui causam gignit doloris et timoris; tertio vero loco ponimus illum, qui occasionem administrat amoris et consolationis; quarto quoque, de quo percipit mens causam pietatis et compassionis; quinto vero, de quo discretionis causa venit et objectionis; sexto loco illum ponimus modum, de quo venit in anima renovationis suæ causa et reparationis; septimo quoque, de quo stuporis causa venit et admirationis; octavo illum ponimus modum, quo in mente meditantis illa revolvuntur, quæ sunt invisibilia et spiritualia; sed et illum nihilominus ponimus, quo mens sobria et sancta ab omni non solummodo affectione impura, sed et ab omni cogitatione otiosa prorsus expers effecta et aliena, per visionem non jam spiritualem, sed nec rationalem, sed per visionem potius intellectualem, in ipsis veris ipsam veritatem beatis conspicit. Hic puræ mentis beatus fit excelsus in Deum, qui jam non simplex meditatio, sed excellens valet contemplatio vocari. In ea eamque pia et succensa mens, omne corpus, omnesque corporeas imagines similitudinesque transcendens, in ipsa luce Veritatis, in qua vere et vera sunt omnia, præterita præsentia et futura; nec aliter præterita, quam futura vel præsentia; nec aliter præsentia, quam præterita vel futura; nec aliter futura, quam præsentia, vel præterita; sed simul, et semper, et eodem modo omnia, quæcunque ei Veritas revelavit, simplici intuitu contemplatur. Quidquid in hac fuerit visione ab anima sancta pure comprehensum, vere luminosum esse constat, et certum. Ipsa est quæ semota visione imaginaria pariter et phantastica, visionem sensualem et spiritualem clarificat, ut fiat in ea videns, vel mysteria loquens, vel occulta patefa-

A ciens, vel ventura prænuntians. Sunt autem et alia fortassis meditationum genera quæ rationabiles et convenientes ex se causas producunt; sed ista nobis in præsenti occurrerunt. Et nunc audi plenius et perfectius, tu qui habitator cellæ es, quædam quæ pertinent ad hæc. Itaque, ut primum de primo modo sermonem habeam ad te, sedens in cella tua, mente per omnes divinæ paginæ libros discurre; comitante silentem hanc ruminationem et recordationem tuam intelligentia, eamque clarificante, revolve apud te, imo intra te, in mente, quæ in libris sunt legalibus, et libris prophetarum, et agiographorum; sed et quæ continentur in libris quæ ad Novum pertinent Testamentum, evangelistarum videlicet et apostolorum, atque doctorum catholicorum narrationes et gene-
B rationes, eventus et gesta; sive quæ historice, sive quæ allegorice aut tropologice, vel certe anagogice, recte et catholice intelligenda sunt. Duc considerationem tuam ab ipso mundi exordio, per ea quæ per quatuor successionum variationem [*Par.* narrationes] sunt facta et dicta, per ætates sex, per tempora tria, per status duos: et a tempore Incarnationis Christi usque ad hujus temporis fecem, quæ ad ipsum Christum, quæ etiam ad apostolos, et martyres, et confessores, et virgines spectant. Quam magnum sub silentio in corde tuo multiloquium in singulis! Num quando hæc omnia et singula intra te ruminas, esse solus in cella dicendus es? Non utique
C tunc solus es, quia cum his diligenter intendis, universæ de quibus agit vetus et nova Scriptura, et de quibus in Scripturis Patrum qui post Incarnationem fuerunt mentio fit, tecum quodam modo personæ sunt. Nisi quia hoc fortassis peramplius et perfectius est, quia in te quoque sunt: et magnam quidem ac multam hic percipies eruditionem, qui ipsam intra te sacræ Scripturæ comprehendis universitatem.

CAPITULUM XIX.

De illo meditationis modo, qui in animo meditantis timoris gignit causam et doloris, qui in octo modos dividitur.

Meditationi huic succedit alia, et est (o tu, qui habitator es cellæ) quæ specialiter pertinet ad te. Sedens itaque in cella tua recogita in amaritudine animæ tuæ annos et dies tuos; volvens intra te et
D revolvens quæ et quanta et qualia mala, ubi et quando, qua voluntate et intentione, sed et quandiu sive in mente sive in carne tua commisisti. Cogita et recogita intra te, quam sis et mente et corpore infirmus, quam proclivis ad vitia, quam invalidus ad virtutes, quam multis sis timoribus contractus, doloribus afflictus, erroribus vagus, curis anxius suspicionibus inquietus: quibus quantisque periculis sis expositus, vinculis ligatus, sordibus inquinatus, placulis repletus, quam magnorum sis multorumque malorum molibus oppressus. Qualiter fere incessanter alienis a te, dilanieris in te, dilacereris intra te, dissiperis extra te, dejiciaris infra te (et prosternaris subtus te, sed et inaniter eleveris supra te. Et quia nimis longum est, imo impossibile no-

bis est omnes numerare calamitates, quas intus et extra miser patitur homo, cogita quomodo sis ipse similis descendentibus in lacum : et nisi tibi gratuita Conditoris tui adsit gratia, talis es in tentatione, qualis est vel cera a facie ignis, vel pulvis levissimus in flatu vehementissimi venti. Repræsentet tibi post hæc in mente tua ipsa meditatio tua, quam terribilis sit ipse universæ creaturæ Conditor in consiliis super filios hominum, reproborum nec mala diluens, nec bona acceptans, insuper et corda eorum justo sed occulto judicio suo non emolliens, sed etiam indurans, ne convertatur et sanet eos. Cogita intra te quod Ecclesiastes dicit, quia *sunt justi et sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt; et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit* (*Eccle.* IX, 1); sed omnia in futurum servantur. Tunc erunt certa, quando ut se emendet homo, nec locum jam habebit, nec tempus. Dicit item idem ipse : *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit* (*Eccle.* VII, 14). Statue post hæc ante oculos considerationis tuæ, ipsum animæ tuæ a corpore egressum depingens modo intra te, quam terribilis tibi erit hora illa, et ideo non mediocriter etiam nunc metuenda? quanta erit tunc, et in anima tua trepidatio, et in corpore tuo afflictio, quando duos istos (ut sic dicam) socios, qui simul aliquanto fuerunt (dico autem de corpore tuo et de anima tua) separabit ab invicem amara et inimica mors. Meditare nunc apud te, imo intra te, quæ tunc erit tibi in mente, non solum omnium quæ in hoc mundo sunt rerum, sed et cunctorum charorum, amicorum et parentum oblivio. Et erit tunc quidem hinc egressio, sed ignoratur penitus quo emigratio; sicut quidem ait de seipso : *Egrediar, sed nescio quo, sed nescio quando;* nec aliqua spiritus ad corpus ante novissimum diem speratur reversio, juxta illam veram sancti viri sententiam, quæ talis est : *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo* (*II Cor.* V, 10). Deserit corpus spiritus, ipsoque illud deserente moritur corpus. Itaque corpus quod vivit ex anima, fit exanime. Ut enim beatus dicit Augustinus (quod et nos quotidie in iis qui nos præcedunt intuemur; sicut et in nobis, cum tempus nostrum advenerit, qui erunt superstites intuebuntur) discedente anima, qui ambulabat jacet, qui loquebatur tacet : clausi oculi lucem non capiunt, aures nulli voci patescunt, omnia membrorum officia conquiescunt. Non est qui moveat egressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis habitator ornabat? Recessit qui non videbatur, remansit quod cum dolore videatur. Hæc beatus Augustinus de his. Convertat se jam ad aliud meditatio tua, et prævideat prout potest præsentationem animæ tuæ a corpore exutæ, ad tribunal illius judicis terribilis, judicis districti. Ut enim Apostolus ait : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini nostri Jesu Christi; ut unusquisque referat propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum* (*Joan.* XIV, 30). Unus homo erat, qui pro eo solus ingressus est sine macula, qui et solus liber inter mortuos fuit, solus quoque dicere potuit : *Venit ad me Princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Non est aliquis nostrum in quo non habeat aliquid summ. Intuere post hæc considerationis tuæ oculo, in ipsa interna meditatione tua, quid de tuo corpore erit, postquam ab eo anima tua recesserit. Non autem necesse habet multum laborare in prævidendo hoc meditatio tua; quia quid super hoc debeat sentire, ipse quoque te certum reddit corporalis aspectus. Nam vade modo, et cujus volueris mortui sepulcrum aperi et inspice. Nonne si hoc feceris, in tantum et aspectui erit et olfactui quod apparebit horrori, ut neutrum aliquo possit modo vel ad momentum sustinere? Certe apparebit cadaver horribiliter fetens, putredine scatens, vermibus scaturiens : et usque ad hoc deveniet istud de quo loquimur corpus, ut sit post exitum animæ, fetor, post fetorem, putredo; post putredinem, vermis; post vermem, omni pulvere abjectior, vilior, fœdior, et fetidior pulvis.

CAPITULUM XX.

De generali resurrectione mortuorum, et pœnis damnatorum, et qualiter repeti debeant illi octo modi, in quibus timoris existit causa et doloris.

Jam tibi, qui habitator es cellæ præmonstret, de qua sermonem habeo ad te, tua meditatio, aliqua de futura illa in novissimo die resurrectio mortuorum generali; quando in fine sæculi veniet ipse Rex regum, et judex vivorum et mortuorum. Et veniet in potestate magna et majestate judicaturus, qui in infirmitate et humilitate dudum venit judicandus. Et cum (sicut ipse promisit) sic venerit, *venient et omnes angeli ejus cum eo, et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Tunc dicet justis, et ideo salvandis : *Venite, benedicti;* injustis, et ideo damnandis : *Discedite a me, maledicti.* Illis dicet : *Possidete regnum;* istis vero : *Ite in ignem æternum.* O! possidete regnum. O! ite in ignem æternum. Erit tunc impletum veraciter quod de reprobis in Apocalypsi sua sanctus Joannes narravit quasi præteritum, quod adhuc est futurum. *Sustulit,* inquit, *angelus lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon illa civitas magna, et ultra non invenietur* (*Apoc.* XVIII, 21). Hic angelus ille est, qui vocatur magni consilii angelus; fortis quidem, quia *Dominus ipse fortis et potens* (*Psal.* XXIII, 8). Ipse magnam illam reproborum stipulum siccam æternis incendiis præparatam (quæ lapis dicitur, propter insensibilem duritiam; molaris vero, quia *in circuitu impii ambulant* [*Psal.* XI, 9]) mittet in mare æternæ damnationis. Qui lapis molaris, illa est Babylon magna, quæ sic in hoc mare mittetur, quod ultra non invenietur. Et magnam quidem solet hæc in anima meditatio facere moram, depingens apud eam, imo intra eam illum judicis qui tunc apparebit, maximum terrorem, omnium occultorum aperitionem. Nam judicium sedebit et libri

præteritarum conversationum et internarum conscientiarum aperientur; et judicabuntur singuli, secundum id quod scriptum habebunt libri. Depinge quoque virtutes cœlorum motas, cœlos et terras ardentes, ipsam quoque terribilem et horribilem quam in reprobos exercebit vindictam, *ponens eos ut clibanum ignis in tempore vultus sui, quos ipse conturbabit, et devorabit eos ignis* (*Psal.* XX, 10). Ignis utique qui ut legimus, non exstinguitur. Et multa alia terribilia, et horribilia, atque tremenda, quæ potest anima utcunque prævidere, quæ huic studuerit meditationi sollicite et diligenter intendere. Jam vero post hæc circumeat meditatio tua, et perambulet *terram illam tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (*Job* X, 21, 22). Videat in terra illa pœnas æternas reproborum, gehennam infernalem, ubi ignis erit inexstinguibilis, vermis immortalis: ubi etiam (ut innumera verbo brevissimo concludamus) nihil aderit boni, nihil deerit mali. Ecce meditationes octo, quas tibi, qui habitator es cellæ, proposui; sex quidem in capitulo præcedenti, duas vero in hoc sequenti. In has vero octo meditationes illud secundum meditationum genus dividitur, in quo timoris pariter causa consistit et doloris. Has quoque meditationes octo, repetitione volumus compendiosa enarrare, ut eas et arctius in memoria retinere, et cum volueris intra te possis revolvere. Prima est; de multis quantum ad nos absque numero, et de magnis sine mensura excessibus, quos et in mente et in carne damnabiliter commisimus. Secunda, de miseriis, quæ et ipsæ mensuram excedunt, et numerum non admittunt, quas in corde et in corpore sustinemus; tam illis quæ ad culpam pertinent qua polluimur, quam quæ ad pœnam qua cruciamur. Tertia est, de secretissima, severissima, et in æternitate immobiliter fixa animadversione, qua ille terribilis super filios hominum, justus et oculatus, atque districtus judex Deus vigilat super creaturam rationabilem reprobam; quam et ab æterno reprobat, et in æternum damnat. In qua meditatione deprehendimus nos non absque grandi timore et terrore ignorare, in qua via habitet lux, et tenebrarum quis locus sit, et nescire utrum amore simus an odio digni. Quarta quoque est de illa resolutionis hora terribili, in qua corpus ab anima et animam a corpore continget separari. Quinta est de manifestatione animæ ante tribunal judicis; quando talis ibi præsentabitur, qualis hinc egredietur: cui apparebit et hostis, de omnibus eam quæ commisit illicitis, quæ per pœnitentiam et confessionem et satisfactionem deleta non sunt, accusans: et conscientia iis attestans, et ipse judex secundum sua ei merita reddens. Sexta profecto est de eo quod evacuatum anima corpus sepulturæ traditur, terra terræ commendatur, cinis in cinerem revertitur, caro vermibus esca datur, in putredinem redigitur post putredinem abjectissimus pulvis efficitur. Septima est de generali resurrectione mortuorum, et de tremendo judicio illo, ad quod ipsa congregabitur generis humani universitas; de terrore judicis in quo reprobis apparebit; de prolatione terribilis sententiæ, quæ talis erit: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Octava est de suppliciis eorumdem reproborum in æternum damnatorum; ad quæ pertinet ille de quo Isaias dicit, ignis exurens, vermis corrodens (*Isa.* LXVI, 24), et utriusque æternitas; quia de illo dicitur quod erit inexstinguibilis; de isto vero quia erit immortalis.

CAPITULUM XXI.

Qualiter in animo meditantis timor expellit elationem, et de tertio meditationis modo, qui occasionem administrat amoris et consolationis.

Istæ meditationes, quas numero octo tibi qui habitator es cellæ, proposuimus, ad illum pertinent meditationis modum quem secundo loco proposuimus, de quo etiam diximus quod doloris gignat causam et timoris. Et verum quidem diximus: quid enim in singulis octo his aliud animus invenit meditantis, quam quod validi ei timoris causam occasionemque gignat, et doloris? Istæ sunt meditationes, quæ mentem cum eis diligenter intenderit; pungunt et percutiunt, verberant et flagellant, vulnerant et cruciant, ad compunctionem provocant et ad lacrymas excitant. Dolet quippe supra modum anima his intra se meditationibus diligenter intendens; dolet inquam et timet. Dolet multum, quia se sentit in præsenti pati tam gravia; sed magis timet, quia formidat ne in futuro patiatur valde graviora. Hunc in se habuit dolorem et timorem, qui concussus et compunctus, illi terribili judici hoc dicebat: *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* (*Psal.* LXXXVII, 17). Postquam iræ suæ in nos transierunt, terrores etiam sui nos conturbant, quia cum supra modum nobis videantur dura quæ nunc toleramus, metuimus quoque ne exigentibus culpis nostris, ad toleranda in fine sine fine longe duriora perveniamus. Iste meditationis modus, quem in octo modos divisimus, tibi qui habitator es cellæ, quemdam dat ignitum sentire affectum; sicut præcedens ille, ad luminosum quemdam et præclarum te perducit intellectum. Et cum uterque modus sit admodum bonus, magis tibi iste est necessarius, quia ille quidem te instruit, sed iste te afficit; ille quasi multas divitias ostendit, iste vero ad earum te possessionem perducit. Vide quia ille dici dives debet qui divitias multas possidet, non autem ille qui eas solummodo (cum sint alterius, et non suæ) oculis videt. Ibi percipies scientiam, hic autem sapientia; ibi ut agnoscendo scias, et sciendo agnoscas; hic autem ut timendo doleas, et dolendo timeas. Quod ibi est, quasi tenuiter fragrat in olfactu, quod vero hic est, plene sapit in gustu. Illi intendere, nisi similiter intendas et isti, periculosum est tibi; quia ille nonnunquam administrat elationem, hic autem semper humilitatem, nam scientia inflat, et cognitio mentem inaniter exaltat: dolor vero, dum compun-

gendo flagellat, inflationem detumescere facit; et timor, dum quasi minando excruciat, inanem in mente exaltationem premit. Itaque causa est multoties scientia et cognitio, elationis; sed est dolor et timor semper causa profundæ humilitatis. Itaque in primo illo meditationis modo, quasi cernis quamdam maximam lucem; in hoc secundo quemdam maximum sentis calorem : et idcirco statim postquam diligenter intenderis illi, intende non minori diligentia et isti, ut si forte inquinasti in illo pedes tuos, in isto quoque laves eos. Verum, sicut primus ille modus indiget isto secundo, ne nimis inaniter per tumorem elationis erigat; ita nihilominus et iste secundus indiget quodam tertio, ne nimis lethaliter per horrorem desperationis dejiciat. Quia igitur nihil in hoc secundo meditationis modo tua, o, qui habitator es cellæ, mens invenit nisi quod est doloris, quod magnæ est amaritudinis; ne forte (quod absit) abundantiori tristitia absorbeatur quando hæc cogitat, bene facit si sibi læta quædam et dulcia, ad mitiganda tristitia hæc, et ad minuenda ne in id quod nimis est se extendant amara ista, repræsentat. Idcirco repræsentet hic tertius meditationis modus tuæ intrinsecus menti, quantæ sit dulcedinis et pietatis, quantæ clementiæ et bonitatis ipse Deus, quod suavis est universis, quod miserationes ejus super omnia opera ejus, quod multus est ad ignoscendum, quod præstabilis super malitia, quod longanimis est in exspectando, quod multum misericors in remittendo, quod Pater est misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur suos in omni tribulatione eorum, quod quomodo miseretur pater filiorum ita [*Par.*, ipse.] quoque timentibus se miseretur. Id autem quam maxime meditatio, hæc menti tuæ repræsentet, quod proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : omnia nobis in illo donans; et in ipso, et per ipsum, mundum sibi reconcilians. Quod idem Filius in tantum nos dilexit quod lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; quod pro nobis indutus est carne, turpatus cruce, multatus morte. Quod carnem suam et sanguinem suum dedit nobis, et animam pro nobis; carnem ad duram, et diram, et ignominiosam passionem; sanguinem vero ad largissimam de quinque locis sacratissimi corporis sui effusionem, animam ad emissionem. Et si volumus aliquid interius in his scrutari, nobis et carnem dedit in cibum, et sanguinem in potum, et animam in pretium. Quid hoc ad nos? multum per omnem modum; ut reficiamur videlicet jejuni, potemur aridi, redimamur captivi. Qui tot et tanta passus est pro te putas quod deserat te? Absit ut hoc putes. Quam multos, qui longius quam tu recesserant ab eo vocavit ad se? Nam ipse est, qui ubi abundavit delictum, superabundare gratiam facit. Testis est sanctus David, qui peccavit peccatum grande. Nam, adulterio pollutus, homicidio cruentus, adauxit quoque geminum malum hoc abominatio proditionis. Erat autem quo ligatus fuit funiculus triplex; adulterium, homicidium, proditio; fœdus ipse, cruentus et dolosus. Et difficile quidem imo impossibile ut rumperetur, nisi quia ubi abundavit delictum, superabundavit, in eo et gratia. Nam hæc ejus peccata erant; incestus, crudelitas et dolus. Sed ubi abundavit incestus, superabundavit munditia; ubi abundavit crudelitas, superabundavit pietas; superabundavit et simplicitas puritatis, ubi abundavit dolus proditionis. Certe multiplicantur super numerum qui tales sunt, si velimus (quod tamen non possumus) revocare ad memoriam universos quorum misericors Deus et pius remittit iniquitates, tegit peccata; abluens eos, et justificans, ac sanctificans in Spiritu sancto. Sic sic, quantum distat ortus ab occidente, longe fecit ab eis iniquitates eorum, ponens in eis bonum ubi erat malum, ubi injustitia ibi meritum, et gratiam ubi culpa. Et hic est tertius meditationis modus, de quo tibi diximus, qui habitator es cellæ, quia occasionem gignit et causam amoris et consolationis; sicut præcedens, qui secundus est, timoris administrat causam et doloris. Et necessarium valde ut hic modus tertius succedat primo, quatenus quemadmodum secundus in primo evacuat tumorem elationis, ita et tertius horrorem a secundo auferat desperationis. Sicque in duobus his modis, secundo videlicet et tertio mens tua Deo cantare valeat, non solum misericordiam, ne eam elevet temeraria præsumptio, nec solum judicium, ne eam absorbeat mortifera desperatio; sed misericordiam pariter et judicium, ut nequaquam in unam sui partem claudicet, ne (quod absit) a recta semita exorbitet, sed via recta incedere curet : non declinans, vel a dextris, insipienter in spe vana [*Par.*, vacua] exsultans; vel a sinistris, damnabiliter in desperatione profunda trepidans.

CAPITULUM XXII.

De quarto meditationis modo, qui causam gignit in animo meditantis pietatis et compassionis : et quod quædam quæ videmus ab aliis mala fieri, magis debeamus intra nos plerumque excusare, quam temere judicare.

Meditationis quoque quartus modus est, de quo percipere debes tu, qui habitator es cellæ, causam pietatis et compassionis. Et apte modus iste, illi succedit tertio modo, qui causam tibi administrat consolationis; ut tu nimirum consolatus quoscunque videris vel miseria afflictos, vel culpa contaminatos magis prosilias ad compatiendum, quam ad judicandum; magis ad consolandum te promptum exhibeas, quam ad exprobrandum. Hoc ideo diximus, quia illi, qui habitu religionis induti videntur, seu monachi, seu etiam clerici regulares, in claustris suis morantes, vel nos quoque anachoretæ et eremitæ, qui soli degimus (et utinam soli), cum aliquid intuentur ipsi quod eis displicet, intuemur et nos nulla discretione præ oculis habita, absque compassione aliqua. Et illi multoties ad judicandum potius quam ad consolandum concurrunt, concurrimus quam sæpe et nos.

Ut quid tu qui in angulis cellæ tuæ latitas, alios judicas; non quidem jam ad similitudinem lupi rapacis, sed magis mordens ad instar pulicis mordacis? Nec judicas, ut ille judex justus, in æquitate, sed magis ut judex iniquus, qui nec homines times, nec Deum revereris, in iniquitate. Nam impingis in priorem tuum, aut in eum qui loco ejus, ipso absente tibi præest, seu in provisorem tuum, vel in aliquem fratrum tuorum. Nunquam aliquem istorum reperies, qui non tibi multoties reprehensibilis appareat, etsi unusquisque veraciter irreprehensibilis, sicut homo esse potest existat. Quomodo, ait, erit istud, ut cum aliquis eorum merito reprehendi non debeat, mihi quoque unusquisque eorum jure reprehendendus appareat? Ex eo quidem est quod tu superbus et iracundus, immitis et impatiens es, et nunquam propriam tuam, quantumcunque fuerit perversa, voluntatem vis frangere; sed eam semper contra jus et fas, protervus et rebellis, atque quantum in te est penitus invincibilis conaris adimplere. Cumque omne quod in te est, sic sit in te, ut non ab aliquo alio, sed a teipso sit; tu tamen non id tibi, sed aliis potius imputas, quia oculos quidem tuos ad alios aperis, ad teipsum autem ex toto eos claudis: unde fit ut salubriter teipsum videre non possis, dum nunquam te, sed semper alios attendis. Si enim tuus te oculus plene videret, nullus multoties tibi alius quisquam quam tuipse, tibiipsi reprehensibilis appareret. Sed quia quadam nimis gravi infirmitate deprimeris eos qui etiam bene tibi in omnibus ministrant, semper reprehendis: cum hoc te cogat facere non eorum aliqua (quia prorsus nulla est) negligentia, cum omni tibiipsi serviant diligentia; sed tua potius infirmitas magna. Nec ista idcirco diximus, quod omnia quæ ab aliis vides fieri, semper debeant laudari, et nunquam pro loco et tempore, pro persona et causa a te reprehendi (cum non tam sæpe, quam fere semper magis reprehendenda videas quam laudanda), sed ut sic, cum causa exigit, alios accuses, ut in iis in quibus tuipse digne accusari debes, te nunquam excuses. Et sic fiet ut dum incessanter attendis quam gravia sunt mala propria, tolerabiliora tibi videantur aliena; ut dum zelus tuus plene temperatus fuerit etiam nimius esse non possit. Eritque hoc cum nunquam nimis vel subsistens citra, vel se extendens ultra, sub modo se cohibeat et mensura; via quidem regia ambulans et nequaquam nimis temere vel a dextris vel a sinistris declinans. Itaque tu qui habitator es cellæ, cum nonnulla vel audieris vel videris a quibusdam mala committi, sic ea per zelum et rectitudinem accuses, ut ex nonnulla parte per pietatem et compassionem excuses. Nequaquam laudandum putes quod jure debet reprehendi, sicut nec reprehendendum, quod merito laudari: ne illud propheticum incurras quod tale est: *Væ qui dicunt malum bonum, et bonum malum; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isa.* v, 20); sed sicut semper cum laudas, adulatio debet abesse; ita nihilominus cum reprehendis compassio debet adesse. Idcirco cum sinistrum aliquid fieri videris, puta id evenire ex infirmitate, puta ex subreptione, puta ex casu. Excusa intentionem operantis, si excusare non potes ipsum opus. Quod si nec ipsam videris prorsus aliquam excusationem admittere, puta tentationem nimis fuisse vehementem. Cum itaque aliquem videris spiritualiter ægrotare, sic ejus tibi displiceat ægritudo, ut placeat tamen tibi qui ægrotus jacet: nec tibi placeat quod ægrotus est, sed ille tibi placeat qui ægrotus est. Sic, sic diliges hominem, et persequeris peccatorem: qui tamen placere tibi debet, non quia peccator est, sed quia homo est. In malis proinde, quæ videris apparere in hominibus, nec zelus tibi, nec compassio desit: et sic tam ille quam ista in te sit, ut utriusque causa, principium quoque, et medietas, atque finis, sincera et ordinata charitas adsit.

CAPITULUM XXIII.

Qualiter quintum meditationis modum opponere debeamus in mente nostra, contra illam, qua jugiter pulsamur, tentationem carnis, diaboli et mundi.

De quinto meditationis modo, despectionis causa venit et abjectionis, et venit hoc modo. Jugis te experientia debet reddere certum, qui habitator cellæ es, quia nullatenus absque tentatione esse potes. Si enim vera est illa sancti viri sententia: *Tentatio est vita hominis super terram* (*Job* I, 7), imo, quia vera est, tentatio nunquam deesse potest quandiu vita super terram est? Consequens proinde est, ut cum jam non super terram amplius vivis, scias quod nequaquam ante, sed tunc primum sine tentatione sis. Nunc te tentat caro, tentat mundus, tentat et ille hostis antiquus. Trahere te nititur caro ad voluptatem, mundus ad vanitatem, diabolus ad illum quo ipse plenus est, superbiæ et tumoris, invidiæ et livoris, iræ, odii, et aliorum quæ in hunc modum sunt vitiorum spiritualium horrorem. Tu autem cum aliqua istarum tentationum pulsari te sentis, statue te ante te, sedens in cella tua: et in interna meditatione tua vide et considera qualiter eam despicere, et a te abjicere possis. Cum te caro tentando alloquitur, voci ejus nefariæ non præbeas aurem, sed absque omni mora fac eam silere: fac autem hoc modo. Considera in meditatione tua quam impura, quamque fœda sit hæc caro quam portas, quam immunda et brevis sit omnis delectatio ejus, quod post modicum morti est tradenda, et post mortem futura est vermis, et putredo, et fœtor; post vermem vero, fetorem et putredinem, abjectissimus et vilissimus pulvis. Cum igitur ad experientiam illicitæ et acceleratæ, ac ideo mortiferæ dulcedinis trahere te nititur, depicta ab illo seductore callido coram mentis tuæ oculis, carnalis species formæ; considera, non quidem qualis utcunque extrinsecus videtur apparere, sed magis qualis in ipsa rei veritate, in seipsa etiam nunc in vita sit, et qualis post mortem futura sit. Videbis aperte, quia quasi saccus quidem foris nitidus apparet, sed intus omni spurcitia, et immunditia, et

corruptione intolerabili fetet. Nunc mentis tuæ conspectibus talis per omnia appareat vivens, qualis erit mortua in sepulcro jacens, et vermibus scaturiens, et evidenter deprehendes quod cum illa concupiscitur, nihil aliud quam tabes et putredo desideratur. Sic cum beato Job, testa saniem rades (*Job* II, 9); sic ad petram miseræ filiæ Babylonis parvulos allides. Cum autem in auribus tuis os aperit mundus immundus, suggerens tibi ut illam qua ipse plenus est desideres vanitatem, considera quod fumo similis est omnis altitudo ejus, et omnis gloria ejus ad finem ignominiosum velocissime tendit. Cum aliquem videris in eo exaltatum, et elevatum sicut cedros Libani, transi, et ecce non est. Nam laus ejus brevis est, et gaudium ejus ad instar puncti. Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderant, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans, non invenietur; transibit quasi visio nocturna (*Job* XX, 5-8); et cætera quæ ab inimicis sancti viri, mendaciter quidem, de eo dicta sunt, sed veraciter de superbo quolibet et impio qui, contemptis omnino cœlestibus, sola quæ mundi sunt cogitat et amat. Jam vero ad destruendam vocem amici versipellis et malitiosi, nihil (ut mihi videtur) vivacius poterit opponi, quam omnimoda perfectio illa sanctitatis (quam in corde habuit, et in ore protulit, et opere ostendit) Salvatoris tui. Ut clavus clavum expellit, in nihilum penitus redigat in corde tuo abundantiam malitiæ diaboli, habita semper præ oculis mentis tuæ, inæstimabilis [*Par.*, ineffabilis] illa plenitudo sanctitatis Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi. Nihil omnino ad mortem pertinens ille tibi per consensum infundere poterit, quod non funditus annihilet in mente tua, superabundans sanctitas hujus, cum plene et perfecte per puram meditationem, cum devotione et amore intra te perseveranter manserit. Hæc itaque meditatio est, causam tibi conferens cujusdam bonæ despectionis et abjectionis: docens videlicet te despicere in te, et abjicere a te, quidquid tibi suggerit susurrans in interna aure tua, vel caro ad fœdam voluptatem, vel mundus ad instabilem vanitatem, vel ille magnus hostis noster ad omnimodam perditionem.

CAPITULUM XXIV.

De tædio quod aliquis patitur qui cellæ habitator est, et quomodo illud a se repellere, seque renovare ac parare possit.

Ad ea vero in quibus renovationis tuæ existit causa et reparationis, tibi dico, qui habitator cellæ es, sextus meditationis pertinet modus, quam hoc modo intra te debes habere. Apprehendit te multoties cum solus in cella es, inertia quædam, languor spiritus, tædium cordis; quoddam et quidem valde grave fastidium sentis in te ipso; tu tibi oneri es, interna illa qua tam feliciter uti solebas suavitas, jam defecit tibi. Dulcedo quæ tibi inerat heri et nudiustertius jam in magnam amaritudinem versa est; ex toto aruit ille quo abundantissime perfundi solebas lacrymarum humor; spiritualis in te emarcuit vigor, interiit decor. Dilaniatam et dilaceratam, confusam et discissam, tristem et amaricatam portas animam tuam: et ubi eam ad quietem componas non habes. Non jam sapit tibi lectio, oratio non dulcescit, solitos meditationum spiritualium imbres non invenis, et quid amplius dicemus? Nihil in te remansit hilaritatis, alacritatis, jucunditatis spiritualis. Ad cachinnos, ad fabulationes et otiositates promptus et velox es; ad silentium vero, ad agendum aliquid utile, et ad omne spirituale exercitium tardus omnino et piger es. O quam misera mutatio studiorum! Jam idem ipse non es qui aliquando fuisti, sed ex toto alius. Sed consurge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui. Conare qui sic discissus es reparare te: et renuntians huic vetustati, intende totis viribus tuæ renovationi. Quomodo hoc, inquis, facere potero? Audi, et intellige quomodo hoc possis facere. Repræsenta tibi coram oculis tuis] sociorum [*Par.*, sanctorum] præcedentium et labores magnos, quos sustinuerunt in tempore, et præmia longe majora quæ jam perceperunt in æternitate. Conjunge vectes vectibus, in interno tabernaculo tuo, corde tuo: ipsis quoque annulos aureos impone, ut firmum sit ædificium mentis tuæ, et non vacillet. Vectes utique vectibus conjunguntur, cum virtutes virtutibus copulantur. Vide quomodo vectes vectibus ille apostolorum princeps in secunda epistola sua conjungat, qui in ea sic ait: *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem fraternitatis amorem, in fraternitatis amore charitatem* (*II Petr.* I, 5). Quanta autem ex hac vectium insimul copulatione utilitas proveniat, subdendo manifestat: *Hæc enim si vobiscum adsint, superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione* (*Ib.*, 8). Sed vectes hos annulis aureis impone: hoc est, considera in mente quæ et qualia, et quanta sint præmia quæ jam perceperunt. Nam per aurum claritas, per annulum vero, in quo nec initium nec finis valet inveniri, perpetuitas designatur. Ut scias nimirum, ineffabiliter præmiorum suorum et perpetuitatem esse claram, et claritatem perpetuam. De ipsis quoque vectibus simul copulatis, et annulis aureis, hoc modo Psalmista facit mentionem: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8). De virtute ire in virtutem, ad vectes: videre Deum deorum in Sion ad annulos aureos spectat.

CAPITULUM XXV.

De iis quæ in carne operatus est Christus, et de laboribus sanctorum suorum.

Vade ergo, et in primis considerationis tuæ oculis pone illum Sanctum sanctorum, qui tuum et electorum omnium caput est, ut sic te probes esse sapientem: Nam *oculi sapientis in capite ejus.* Itaque vide eum absque omni impuritate conceptum, et natum, et pannis involutum, et in præsepio reclinatum,

lacte materno nutritum, circumcisioni subditum; apparentem Magorum fidei Deum æternum, Regem omnipotentem, hominem mortalem; in templo præsentatum, in Ægypto cum matre ductum, et in terra Juda reductum, proficientem sapientia, et ætate, et gratia. Considera eum baptizatum, jejunantem, esurientem, tentatum, cum hominibus conversatum, ex itinere fatigatum, conversantem per omnia sancte : operantem mira, prædicantem salubria, docentem vera, patientem dura, sustinentem indigna, tacentem ad convicia, tolerantem opprobria, lavandis discipulorum pedibus se humiliter inclinantem, corporis sui ac sanguinis sacramenta porrigentem, in agonia factum prolixius orantem, sudorem sanguinis emittentem. Aspice eum venditum, emptum, osculo traditum, cum gladiis et fustibus captum, ligatum, adductum, falso accusatum, injuste judicatum, crudeliter damnatum, sputis illitum, colaphis cæsum, velatum, alapis passum. Cerne eum flagellatum, derisui habitum, chlamyde coccinea indutum, spinea corona caput sanctissimum habentem dilaceratum, sceptrum arundineum tenentem, purpura ad ignominiam tectum, in derisu adoratum, ab Herode et exercitu suo contemptum, in veste alba illusum, a militibus male tractatum, crucem suam bajulantem, clavis cruci crudeliter affixum, verbis duris conviciatum, felle cibatum, aceto potatum, caput inclinantem, spiritum emittentem, dilectam illam animam suam in manus Patris commendantem. Intuere illum lancea militis in latere vulneratum; et ex eo sanguinem ad nostram redemptionem, et aquam ad nostram spiritualem ablutionem, effundentem, de cruce depositum, sepultum, inferos spoliantem, ipsum infernum mordentem, mortem mortificantem, resuscitatum, apparentem, cum discipulis convescentem, ascendentem ubi erat prius; qui nec inde recessit cum huc venit, nec hinc abiit cum illo accessit. Hoc modo habe oculos tuos in capite tuo. Quod si diligenter hæc omnia, et alia quæ hoc modo de eo sunt, cum devotione debita, et compunctione pia, apud te, imo intra te ruminaveris, putamus quod ab hac inertia tua ex nonnulla parte eripi poteris. Nam in quanto honore et gloria illa sit exaltata natura in dextera Patris, quæ et sine omni contagio alicujus prorsus peccati, processit ex matris Virginis utero, et magnam tolerans diræ mortis agoniam pependit in ligno, ut id tibi possimus explicare, omnino non possumus comprehendere. Hoc tamen indubitanter, veraciter promittente ipso scimus, quod ubi est ille, ibi et minister ejus erit. Et est ejus oratio ad Patrem, hunc habens modum : *Volo, Pater, ut ubi ego sum, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam quam dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 24). Appareat inter hæc (ut a capite descendamus ad membra), appareat, inquam, internæ considerationis tuæ oculis Baptista Joannes capite truncatus; Petrus pedibus sursum erectis, et capite deorsum pendente crucifixus; Paulus decollatus. Appareat Andreas, biduo in cruce vivens, Jacobus occisus gladio, alter vero Jacobus prostratus, Joannes in ferventis olei dolium, et demum in exsilium missus; et cæteri omnes apostoli consummati, illi vero bimuli, testimonium Christo non voce, sed morte ferentes. Appareat et sanctus Stephanus lapidatus, Laurentius assatus; et (quia nimis longum, imo impossibile est, singulatim universorum qui pro Christo passi sunt martyrum referre passiones) repræsenta tibi prout poteris, et quantum poteris, eorum in utroque sexu, in diversa ætate, admirabiles agones et triumphos. Sed et sanctorum confessorum venerabiles conversationes, qui etsi per sanguinis sui effusionem per apertum martyrium non migrarunt, vitam tamen sanctam martyrio non dissimilem duxerunt. Si his diu immoratus fueris, putamus quod ab hoc quo gravaris et oneraris tædio, continuo liberaberis; atque alleviatum et exhilaratum, et alacrem effectum sentire te poteris. Consulimus autem ut hæc sollicitius tunc quidem facere studeas, quando aliquid tibi forte (ut nonnunquam evenire solet) contra voluntatem tuam dictum factumve fuerit; per quod, et propter quod nimis efficeris pusillanimis et tristis, turbatus et iratus; disceptationibus amaris, susurris, iniquis comminationibus, objectionibus, responsionibus, intrinsecus miserabiliter vastatus. Curre tunc, cum hæc fuerit in mari cordis tui tempestas magna, et projecto a te silente clamore, et clamoso silentio, strepente, et horribiliter tumultuante in foro mentis tuæ; suscita pium Jesum, qui adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione; petens ut periclitanti tibi succurrat. Idcirco veniat ante oculos mentis tuæ sanctus Abel a fratre occisus, Jacob per fugam humilem germanæ iracundiæ cedens, Joseph a fratribus venditus, quia peccare noluit, quod peccaverit accusatus, sine culpa carceri mancipatus, et innocens in lacum missus. Veniat ad cor tuum, imo intra cor tuum, mitissimus super omnes homines qui morabantur supra terram, Moyses sanctus, pro populo iniquo lapidare se volente intercedens; contradictionem et rebellionem contentiosam a Dathan, et Abiron atque Chore sentiens : et fratris sui, et sororis detractionem sustinens? Veniat etiam ille, quem accusare nemo juste potest, conversatus sine querela ab adolescentia usque ad canos, qui grande se peccavit peccatum committere, si non pro dejiciente eum a principatu populo intercederet. Qui et lugere non cessavit regem a Deo abjectum, nec tunc quidem quando se ab eo timuit occidendum. Veniat nihilominus et ille qui persecutorem suum humiliter fugit ut dominum; et se ulciscendi occasionem accipiens, et locum, non recognovit inimicum : quem etiam flendo planxit occisum, cum se tamen non ignoraret ejus in regno successorem futurum. Ipse est qui pietate pectus habens plenum, parricidam filium deflet exstinctum : et interdicit ne feriatur servus maledicens ei, cum sit ab eo vir sanguinum, vir Belial vocatus. Et ut montes et colles transilientes omittamus (ne fastidium tibi ingeramus), alios innumeros viros misericordiæ, quorum

justitiæ oblivionem non acceperunt, et saltum faciamus ad caput eorum; scis ipse quia homo vocatus est vorax, et potator vini, amicus peccatorum et publicanorum, et dæmonium habere dictus est, et Samaritanus vocatus : et cum accusaretur a multis, nihil respondit; qui et sicut agnus ad immolandum ductus est, et non aperuit os suum. His condimentis refove viscera tua, cum lethali ea veneno studet contaminare pacis ille turbator, et unitatis divisor, qui fervescere facit ollam quasi profundum mare; omne sublime videns, et rex super omnes filios superbiæ existens. Hoc enim salubre tibi ut facias; quatenus depulsa a te turbida et tenebrosa, qua cooperitur mens tua, nube hac, repareris pariter et renoveris : et surgente Jesu in fluctuante, et vacillante, et fluctibus jam cooperta, atque periclitante navicula cordis tui, et imperante tentationum ventis, et profundæ atque tumidæ amaritudinis mari, tranquillitas magna fiat.

CAPITULUM XXVI.

De septimo meditationis modo qui stuporis in mente meditantis causam gignit, et admirationis, et de eo quod per ea quæ facta sunt conspicitur ipse qui fecit.

Modus vero meditationis quem septimo loco posuimus, ille est qui in te, qui habitator es cellæ, cum in eo aliquandiu moraris, stuporis causam administrat et admirationis. Hunc si habere in te modum desideras, oportet ut solitarius sedens, et cogitationem tuam puram et stabilem, ab ipso mundi exordio, per ætates et generationes singulorum, usque ad hoc tempus in quo tu es perducas, et quæ in eis illæ universæ creaturæ conditor, atque dispositor mirabilia mirabiliter, ipse mirabilis operatus sit, diligenter attendas. Considera absque exceptione aliqua omnia quæ præter ipsum sunt de non esse ad esse ipso volente prodiisse et venisse : ipsumque qui vivit in æternum creasse omnia simul : et tamen primo omnium creatam quidem sapientiam; cum verax quoque dicat Scriptura quia : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Sed in his nullam prorsus esse contrarietatem putes : quin potius inter ipsum temporis initium et prærogativam dignitatis, distinctionem factam agnoscas. Quantum enim ad id quod primo loco posuimus : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul, et in principio creavit Deus cœlum et terram* (*Eccl.* XVIII, 1). Quantum vero ad id quod secundo, primo omnium creata est sapientia, quæ est rationalis creatura. Visibilis quoque creatura, primum in rudi, et quodammodo informi apparuit materia; quæ ad illa quatuor pertinet elementa, quæ sunt, ignis, aer, aqua et terra; deinde per intervalla sex dierum in formam redacta. Sane in tribus hanc de qua loquimur creaturam comprehendimus; in informi creatione non existentium, in formatione sic creatorum, in dispositione quoque formatorum. In ipso quippe initio temporis, ante omnem diem, in illis quatuor elementis informis et rudis, de non esse ad esse prodiit materia. Postea tribus præcedentibus diebus elementa in locis sibi competentibus sunt disposita; sicque creatura visibilis est formata. Nam prima die lux facta est, et a tenebris divisa. Secunda die firmamentum inter aquas superiores et inferiores locatum. Tertia die aquæ in unum locum sunt congregatæ, quarum congregationes maria sunt appellata, et terra graminibus et arboribus est vestita. In tribus quoque subsequentibus diebus ordine convenienti exornantur. Primum fiunt luminaria, sol, luna et stellæ. Die quinta fiunt pisces et volatilia. Et sexta repentilia, jumenta ac bestiæ terræ; et ipse homo, omnium visibilium dominus futurus. In Sabbato vero, die videlicet septimo dicitur quievisse, quia nihil legitur in eo fecisse. Itaque si diligenter intra te consideraveris informem creaturæ corporeæ creationem, si creatorum formationem, formatorum dispositionem, primi hominis creationem, institutionem, post lapsum reparationem, et sex ætatum eventus qui in eis contigerunt, putamus quod stuporis tibi causa non deerit et admirationis. Inter hæc in ipsa mentis tuæ meditatione tange, et audi. Habet namque ipsa mens tua quemdam tactum, habet et quemdam auditum; sed utrumque spiritualem, quia et ipsa mens spiritus est. Contingat itaque tactus ejus spiritualis tria quæ insunt creaturis. Primum est quod ex se : secundum quod ex creatore : tertium vero bifarium est, digno merito condignum reddens stipendium; vel ut justitiæ, vitam; vel ut nequitiæ mortem. In primo contemptus operis; in secundo gloria conditoris; in tertio famulationis beneficium, admonitionis consilium, damnationis supplicium. Horum itaque trium primum quidem auxiliatur, secundum exhortatur, tertium comminatur. Inter hæc accedat tactus tuus spiritualis ad tria visibilia visibilium creaturarum, et primum quidem immensitas est, formositas secundum, utilitas tertium. In prima reperit tactus iste spiritualis admirationem, in secunda approbationem, in tertia revelationem [*Par.* relevationem]. Nam earum prima multitudinem et magnitudinem vendicat sibi, et est multitudo in similibus, in diversis, in permistis : magnitudo vero in mole, quæ est in massa, et pondere; et in spatio, quod est in longo et lato, profundo et alto. Multitudinis vero testes sunt stellæ cœli, arena maris, guttæ pluviarum, dies sæculorum, horæ dierum, momenta horarum, pili animalium, gramina camporum, folia arborum, squamæ piscium, pennæ volucrum, et universa hujusmodi. Magnitudinis vero testes sunt, moles montium, concava vallium, tractus fluminum, altitudo cœli, latitudo terræ, profundum abyssi, et innumerabilia in hunc modum. Quantum ad nos, nec illa numerum, nec ista admittunt mensuram. Porro formositas admiranda, illa quatuor comprehendit : situm, motum, speciem, qualitatem. In situ compositio, et dispositio, quæ sibi vendicat res, loca, et tempora. Motus vero quadrifarius est; localis, qui est ante et retro, sursum et deorsum, dextrorsum et sinistrorsum, et circum; naturalis, qui auget et minuit; animalis, qui appe-

tit et sentit; rationalis, qui discernit et facit. Speciem quoque hæc quinque mirabilem clamant : formositas, deformitas, immanitas, parvitas, raritas. Qualitatem vero hæc quinque mirabilem asserunt, quæ totidem sensus corporis pascunt; decor colorum demulcens aspectum, melos sonorum auditum, fragrantia odorum olfactum, suavitas saporum gustum, aptitudo corporum tactum. Utilitatem quidem creaturarum hæc quatuor exornant : aptitudo, gratitudo, placitum, necessitas. Non potes utique non obstupescere et admirari, tu qui habitator es cellæ, cum hæc intra te diligenter cogitas et meditaris. Visibilium namque et sensibilium creaturarum Dei diligens inspectio, magna et pervalida tibi erit admirationis causa et occasio. In eis si quidem ipsa invisibilis sapientia quodammodo videtur, quæ in semetipsa a nemine sicuti est, in præsentis exsilii cæcitate videri potest. Hinc illud est quod quidam de Sapientia dixit : *In viis suis ostendit se hilariter illis* (*Sap.* VI, 17). Viæ invisibilis Sapientiæ, ipsius sunt visibiles et sensibiles creaturæ : in quibus profecto viis se ostendit, quia in suis juxta quemdam modum operibus apparet; quæ in semetipsa nos adhuc latet. Et bene dictum est *hilariter* quia quasi quædam admodum delectabilis cujusdam jucunditatis hilaritas est, in inspectione operis, visio conditoris. Vide igitur intra te in meditatione tua, quatuor ista elementa, et ex eis formata corporalia universa. Vide omnia sub terra repentia, de terra germinantia, super terram gradientia, in aere volantia, in aquis natantia, in firmamento lucentia : et quæcunque sunt a Deo corporalia et visibilia creata, formata et disposita : et scito has esse invisibilis Sapientiæ vias, in quibus se tibi hilariter ostendit. Ut enim Apostolus ait : *Invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Non autem alia sunt invisibilia Dei, aliud ipse Deus; quia quod habet, hoc est. Unde et adjungit Apostolus : *Sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas :* et nihil est aliud, hæc invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt conspici, quam ipsum invisibilium factorem, in iis quæ fecit et per ea quæ fecit, quodammodo videri. Sed sic videntur modo invisibilia hæc creatura mundi; quia ratione utens creatura nobilis, anima videlicet humana, hoc modo adhuc exsulans, in ipsis visibilibus invisibilem conspicit, et in factis factoris notitiam apprehendit. Nam creatura cœli (ipsa est angelica) non hoc facit : non enim indiget in creatura videre creatorem quæ ipsum indesinenter videt in seipso. Tu autem qui hoc necdum potes; interim eum qui fecit conspice in iis quæ fecit. Ait quidam : *Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus et stellarum dispositiones; naturas animalium et iras bestiarum, viam ventorum et cogitationes hominum, et differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quæcunque sunt absconsa et improvisa didici. Omnium enim artifex docuit me Sapientia* (*Sap.* VII, 17-21). Igitur si hæc omnia intra te diligenter ruminaveris, habebis profecto in hac meditatione tua nonnihil, unde obstupescas et admireris.

CAPITULUM XXVII.

De vocibus et locutionibus, quas anima spiritualiter audit : et qualiter anima ad imaginem Dei facta sit, et quem motum suscipiat, et cujus motus susceptibilis non sit.

Tempus est jam, ut ad illum accedamus octavum meditationis modum, quo diximus, in animo meditantis quæ spiritualia et invisibilia sunt revolvi. Hæc autem, de quibus loqui proponimus, spiritualia et invisibilia, ad animam pertinent humanam, ad creaturam angelicam, ad naturam etiam divinam. Et quidem de his tribus, hoc est, de anima humana, de ipsis angelis, et de Deo aliqua tractare in his capitulis proxime subsequentibus, in proposito habemus. Tu ergo, qui habitator es cellæ, et solus in ea consistens, et non solus, in primis erige intra te auditum illum spiritualem, quem superius diximus in anima haberi, et audiat trium spirituum vocem. Primus noster est, secundus angelicus, tertius vero ille est qui condidit istos. Dicit enim de illo spiritu, qui Deus et homo est : *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV, 24). Habet autem unusquisque istorum spirituum vocem suam, et unamquamque quidem tunc tu vocem audis, cum de unaquaque diligenter ac pure meditaris. Quæ illorum voces cum ad firmamentum pertineant; prima sub ipso, secunda de ipso, tertia supra ipsum est : et in hac gradum coguntur animalia figere, et alas submittere. Percipiat etiam auditus iste, et audiat spiritum increatum, hos quatuor alloquentem : angelos, sanctorum animas, diabolum, homines. In locutione prima, infusio est divinæ animadversionis : in secunda, immissio spontaneæ exspectationis. Tertia vero quatuor recipit modos. Primus increpationem continet nequitiæ, secundus laudem justitiæ, tertius tentationis concessionem, quartus vero prohibitionem. In duobus vero distinguitur verbum illud, quod Spiritus de quo nunc loquimur, increatus quasi dicit ad homines. Illud namque per se, aut per subjectam formam creaturam; per creaturam videlicet angelicam, et in octo modis reperitur : nam formatur verbis, rebus, simul verbis et rebus, imaginibus cordis oculis ostensis, imaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis, cœlestibus substantiis, terrenis, simul cœlestibus et terrenis. Sed in quod formetur illa quæ per se est, animalis homo non percipit. Sane hoc tandiu latet intellectum, quandiu et experimentum. Illum adhuc qui eis loquitur, hos quatuor audit alloquentes. Modo uno angelos, et animas uno : illos, incomprehensibilem divinitatis infinalitatem admirando : istas vero vindictam sanguinis exspectando. Diabolum tribus modis, et totidem homines. Illum, malitiam celare non volendo, innocentiam injuste accusando, et eam ad tentandum malitiose

expetendo : homines quoque, precando veniam peccatorum, gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Lege secundum, et vigesimum octavum librum Moralium beati Gregorii ; in eis invenies, quam profunde, quamque nitide idem vir de his disserat, quem inter cæteros constat fuisse doctores et ingenio acutum, et in eloquio decorum. Vide inter hæc, in ipsa meditatione tua interna, quod ex duabus substantiis homo factus est ; una corporea, incorporea altera. In quantum (ut ante nos longe dictum est) ex corporea est, cum cæteris animalibus communis naturæ habet participationem ; sed in formæ compositione, ad alia animalia differentiam habet. Nam illa formam ad terram habent inclinatam et pronam : quo significatur, præter ea quæ terrena sunt, ab eis nulla esse appetenda. Hominis vero forma in altum erigitur, et sursum elevatur ; qui et præter cætera animantia [*Par.*, animalia] rectum habet incessum, et ad superna aspectum. Quo liquide declaratur, et eum quæ sursum sunt sapere debere, et tota mentis intentione illuc tendere ubi Christus sedet in dextera Dei Patris. Unde et quidam ait :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre [*tueri*]
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

(Ovid., *Metam.*, l. I, 84.)

Sic ergo homo ex corporis forma admonetur, in appetitu bonorum a cæteris differre animalibus, quanquam cum eis corporis communem habeat naturam. At secundum animam, cum aliis animantibus non habet proprietatis communionem. Ea namque sola ad imaginem Dei et similitudinem facta est. Ad imaginem, ut aiunt, Dei facta est, secundum substantiam et puritatem rationis. Sed ad similitudinem, secundum imitationem puritatis et amorem charitatis. Vel, ad imaginem Dei facta dicitur, quantum ad veritatis cognitionem : ad similitudinem vero, quantum ad naturæ et rationis puritatem. Est autem anima imago Dei ad imaginem : nec ejusdem naturæ cum Deo, sed longe ab eo differentis ; quia profectus et defectus capax est, et ideo variationi subjecta est. Et in hoc longissime a Deo distat (quanquam, imago ejus quædam sit, et similitudo), unde et ab illa imagine valde remota est, quæ cum ipso Deo circumquaque idem est, id est a Filio Dei Patris, qui circumquaque idem cum Patre est. Inest autem animæ naturalis simplicitas essentiæ suæ. Est etiam ei idem esse quod vivere. Non autem dicimus quod est vivere, vel bene quantum ad sanctitatem, vel beate quantum ad felicitatem. Cum enim non possit ex quo creata est aliquando non vivere, sicut nec aliquando non esse, potest tamen vivere male, cum est iniqua ; et misere, cum est damnata. Est in ea et libertas arbitrii, qua inter bonum et malum discernit, et quod eorum voluerit diligit et eligit, ut in iis meritum ejus sit. Ecce in anima, essentiæ simplicitas, vitæ perpetuitas, arbitrii libertas. Suscipit quidem motuum variationem, quia mutabilis est. Est autem motus secundum locum, secundum tempus, secundum formam. Illius vero motus, qui secundum formam est, tres quidam dicunt species esse, augmentum, diminutionem, alterationem. Movetur quidem aliquid secundum locum, cum ipsum de loco ad locum, mediante loco transit : quod ad solum corpus pertinet ; non enim hoc spiritui humano, vel angelico convenit. Secundum tempus alia moveri dicuntur, quæ prius et posterius suscipiunt. Secundum augmentum vel diminutionem illa moventur quæ quantitate augentur vel minuuntur. Motum autem alterationis illa suscipiunt, quæ formarum et actuum diversitate quodammodo alterantur. Sunt autem res quædam, quæ omnium generum motuum susceptivæ sunt ; velut res corporeæ, quia loco et tempore moventur. Spiritus quoque creati variis affectibus moventur quos incipiunt habere, et desinunt. Et ita motum secundum formam, semper sequitur motus secundum tempus. Spiritus ergo creati, quia de bono in malum moventur, de malo in bonum, de bono in bonum, de malo in malum, duabus speciebus motuum moventur. Motus vero secundum locum, animæ convenire non potest ; sed illius qui secundum tempus, et secundum formam fit, susceptibilis est. Nam per varias affectiones sæpe variatur, quod sine motu temporali fieri non potest. Non enim mediante loco, ad locum de loco movetur, quia localiter non movetur. Dicit quoque beatus Augustinus : « Nihil quod corpus non est, in loco est. » Sed et Boetius in libro de Trinitate nec quantitates, nec qualitates in loco dicit esse : quas tamen verum est in subjecto esse. Etenim aliud est esse in subjecto, aliud in loco : sicut aliud est animam esse in corpore, aliud animam esse in loco. Quæ enim in loco sunt, locum replent, locum occupant, quod soli corpori convenit. Nam non sine causa philosophus dicit quod « singulæ particulæ loci, obtinent singulas particulas corporis (lib. IV, *Physico.*). » Corpus quippe in loco esse, est ipsum corpus locum replere ; est ipsum distantiam facere ; id est sursum, deorsum, retro et ante, dextrorsum et sinistrorsum. Hoc nimirum animæ non convenit, quæ sic est in loco, et sic circumscriptibilis est, quod nullius loci ambitu continetur et includitur, sicut continetur et includitur corpus. Hoc autem falsum esse nullus dicit, qui quantum natura spiritus a corporea distet natura comprehendit.

CAPITULUM XXVIII.

De illis beatis spiritibus, quæ videlicet illa sint quæ ad eos pertinent, et quid de illis in pura meditatione sua, cellæ debeat intra se habitator revolvere.

Nunc autem tibi, qui habitator cellæ es, aliqua de istis cœlestibus spiritibus dicere libet. Nam tua potissimum conversatio cum illis esse per puritatem, et aviditatem, atque per desiderium debet. Non enim putare debes quod quando in cella es, solus in ea sis. Nam nunquam minus solus es, quam cum in ea solus es (ita dicimus hoc), si in illa eo es modo

quo esse debes. Tune tunc solus es, cum in interno puræ et defecatæ mentis tuæ cubiculo inclusus, clauso ostio cordis contra universa inutilia, oras in spiritu Patrem tuum? Solusne tunc es, cum in ipsis internis animi tui, quibusdam maturis et integris intellectus luminosi, et affectus succensi passibus, exclusis a te hora eadem universis cogitationibus levibus et otiosis, lucidas et pulcherrimas perambulas et circumis mansiones spirituum beatorum, qui in cœlis semper vident faciem Patris? Quomodo tunc solus es, cum in dilatatis et purificatis, et in longis prætoriis spiritus tui, in lumine et ardore magno, non absque gaudio ineffabili et exsultatione, discurris per cuneos patriarcharum, per collegia prophetarum, per senatum apostolorum, per decoras rosas martyrum, per formosas violas confessorum, per amœna et suave olentia lilia virginum? Quam bonum est hic te esse! quam dulce est et suave formosæ et speciosæ columbæ, et animæ (cujus hæc vox est : *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant.* II, 16): sed et ista : *Vulnerata charitate ego sum* (*Ibid.*, 5), inter ejusdem dilecti lævam et dexteram dormire? ubi eo securius pausat, quo sollicitius et diligentius pro illius quiete ipse vehementer, ipse zelans omne quod hunc vigilem ejus soporem turbare valet, et diminuere, ac impedire, procul repellere non cessat. Denique cum adjuratione quadam admirabili alloquitur filias Jerusalem : *Ne suscitetis*, ait, *neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* (*Cant.* III, 5). Et nunc, dilectissime nobis, tu qui inhabitator cellæ es, dans in quantum potes, transitoriis tergum terrenis et infimis, faciem vero sempiternis, cœlestibus et supernis, erige cordis tui cogitationem ad ea quæ de spiritibus illis cœlestibus sentienda et tenenda sunt. De non esse ad esse, volente Deo [*Par.* illo] omnipotente universæ creaturæ Conditore prodierunt. Non enim Deo coæterni sunt, sicut nec coæquales, nec consubstantiales : quia licet valde præcelsæ et dignæ, creaturæ tamen sunt. In ipso mundi exordio creati sunt, quando cœlum et terra primum condita sunt. Et simul quidem creati fuerunt, et boni qui perstiterunt, et mali qui corruerunt; sicut simul et aversi præcipitati, et conversi confirmati. Sic enim asseruerunt, et in suis scripturis reliquerunt doctores catholici, qui de iis tractaverunt. Creati rationales, et omnes quidem, tam illi qui futuri erant mali, quam illi qui futuri erant boni, charitatis creati sunt capaces. Non autem dicimus quod charitatem omnes erant capientes, sed charitatis capaces. Nam qui se a Deo averterunt, et in æternum damnati sunt, nunquam charitatem habuerunt, sed nec unquam habebunt; et ideo charitatem capientes et habentes, mali creati non sunt, sed charitatis capaces. Nam habere potuerunt, sed contra Conditorem suum intumescentes, eam habere nolnerunt. Dicit ergo propheta Ezechiel, de illo qui ruinæ illorum auctor exstitit hoc modo: *Aurum, opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt* (*Ezech.* XXVIII, 13). Ecce quia foramina sua in die qua conditus est dicit præparata, quia charitatis quidem capax fuit; sed nunquam impleta, quia charitatem capiens non fuit. Exponit namque hoc modo verba prophetiæ [*Par.*, prophetæ] beatus Gregorius in libro Moralium trigesimo secundo (cap. 18): « Aurum, inquit, opus ejus exstitit, quia sapientiæ claritate canduit, quam bene creatus accepit. Foramina vero idcirco in lapidibus fiunt, ut vinculati auro, in ornamenti compositione jungantur; ut nequaquam a se dissidant [*Par.*, discedant] quos interfusum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus : qua si repleri voluisset, stantibus angelis, tanquam positis in regis ornamento lapidibus potuisset inhærere. Si enim charitatis auro sese penetrabilem præbuisset, sanctis angelis sociatus, in ornamento (ut diximus) regio lapidis fixus maneret. Habuit ergo lapis iste foramina, sed per superbiæ vitium, charitatis auro non sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant; idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempsit. Nunc autem cæteri lapides, qui similiter fuerant perforati, penetrante se invicem charitate ligati sunt, atque hoc in munere isto cadente meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento regio cadendo solvantur. » Hæc beatus Gregorius, et hoc modo de his. Hæc autem quatuor in ipsa sua creatione, angeli suscepisse creduntur : substantiam videlicet simplicem et immaterialem; discretionem personalem sapientiæ, et intelligentiæ veritatis ac bonitatis divinæ; formam rationabilem, et libertatem arbitrii, id est, facultatem bonum a malo discernendi, et in alterutrum per electionem se flectendi. Ideo simplicem et immaterialem substantiam, quia ex nulla diversitate partium subsistunt. Ex partium etiam compositione, sed nullius dimensionis suscipiunt quantitatem : id est, nec longitudinem, nec latitudinem, nec altitudinem. Sunt autem omnes in personali proprietate differentes. Scientiæ vero aptitudinem habuerunt, et tanto majorem, quanto purioris substantiæ sunt. Hæc habilitas cognoscendi erat, per quam scire poterant quid conditori, quid sibi, et quid consortibus suis deberent. Eorum vero potestas tripertita dicitur esse. Nam ad se (ut dicitur) potestatem habebant, et inter se, et ad ea quæ erant extra se. Quam vero ad se habuerunt potestatem, non omnes habuerunt æqualem; quia secundum substantiæ suæ subtilitatem, ac naturæ puritatem, in hac erant potestate differentes. Quanto enim quis subtilioris naturæ ac perfectioris erat, tanto in hac potestate alium superabat, et hoc promptior erat ad contemptum mali, et appetitum boni. Et hac potestate quam ad se habuisse dicuntur, facile poterant et bonum assequi, et malum aspernari. Verum illa quam inter se habent, dominationis esse dicitur, in qua potestate dominationis alii superiores, alii infe-

riores : eo quod isti præcipiunt, illi præcipientibus pro debito subjectionis obediunt. In qua potestate non solum sunt excellentes, sed et differentes. Nam et ab illis quibus dominari debent, ex eo quod eis dominantur differunt. Potestas vero quæ ad externa est, potestas administrationis a quibusdam nominatur. Nam illa circa bonos operantur quæ eorum saluti necessaria sunt, aut ad bonam eos voluntatem inclinando, aut ad habitam explendam vires præbendo, et a contraria potestate eos tuendo. Mali etiam homines per eos sæpissime puniuntur, quia, quemadmodum ait Augustinus, « per bonos angelos et per malos, homines malos nonnunquam Deus flagellat. » Sed quod per angelos bonos unquam Deus homines bonum flagellaverit, dicit se legisse non recolere. Hujus autem potestatis non minima pars est, libertas arbitrii eorum. Est autem liberum arbitrium, judicium voluntatis liberum : quo quippe fere modo et a philosophis descriptum invenitur. Aiunt enim : « Liberum arbitrium est, liberum de voluntate judicium. » Id est, liberum arbitrium est potestas discernendi inter bonum, et malum cum voluntaria electione boni et reprobatione mali. Nam arbitrium ad discretionem judicium [*Par.*, judicii] pertinet, unde arbitros judices dicere solemus : libertas vero ad voluntatem, quam liberam habet creatura rationalis. Nam libere bonum vult illa quæ bonum vult : et libere malum vult illa quæ malum vult. Sed illud fit gratia Dei præveniente, id est, quod creatura rationalis vult bonum : hoc autem fit gratia Dei deserente, id est, quod creatura rationalis vult malum : sed semper utrumque fit voluntate. Nam nec gratia Dei adjuvans, voluntatem premit necessitate, nec deserens spoliat libertate. Inde est quod voluntas præmium meretur et pœnam, quia libere et absque omni coactione ad utrumque se inclinat, id est ad bonum et malum. Non autem sine causa dictum est liberum voluntatis judicium, vel liberum de voluntate judicium. Sola vero voluntas semper creaturæ rationalis est. Nam ad voluntatem habendam nullo indiget extra se posito creatura rationalis : quod in mala voluntate omnes esse novimus. Nam ad eam habendam ex se sola, creatura rationalis sufficiens est : sed ad bonum habendum, ex se sola, creatura rationalis sufficiens non est, nisi sit adjuta a gratia Dei. Sed licet sine gratia Dei, bonam voluntatem habere non possit, non tamen aliquo extrinseco eget ad bonam voluntatem habendam. Nam nisi culpa creaturæ rationalis obsistat, nunquam gratia Dei deest ad bonam voluntatem habendam. Nihil est ergo quod sic sit potestatis creaturæ rationalis, sicut est ipsa voluntas, quam semper libere habet ratione discernente an bona sit vel mala. Bene ergo liberum arbitrium dicitur liberum voluntatis judicium, vel liberum de voluntate judicium, eo quod (ut dictum est) creatura rationalis semper habet potestatem libere volendi bonum vel malum, cum electione hujus, id est boni, et judicio reprobationis illius, id est mali. Illi vero spiritus qui ad Deum conversi sunt, glorificationis præmium acceperunt beatitudinem æternam, quæ pro meritis digni facti sunt gratia Dei adjuvante, absque coactione quidem, et in æternum Deum videntes, in ipso, de ipso, et cum ipso sine fine gaudent [*Par.*, gaudebunt]. At vero qui a Deo aversi sunt, inferni sunt rudentibus traditi (quod ex culpa meruerunt Deo deserente, absque oppressione tamen), et in æternum Deum non videbunt. Dispositio vero bonorum in duobus consistit : in laude videlicet divina, in qua jugiter perseverant, et in officio administrationis multarum in hoc mundo gerendarum, sive circa homines, sive circa alias quascunque res, in quarum administratione divinæ obediunt dispositioni. Maxima vero eorum administratio circa homines consistit, tam in corporalium, quam in spiritualium beneficiorum exhibitione : quæ quidem sine omni labore, sed tamen non sola voluntate adimplere possunt (quod solius Dei est, cujus velle facere est), sed aliquo vel visibili, vel invisibili, prout eis competit, actu. Ordines vero ipsorum beatorum spirituum, secundum tres hierarchias distincti sunt, quarum quælibet ordines continet tres. In prima hierarchia sunt tres ordines isti, seraphin, cherubin et throni. In secunda, dominationes, principatus et potestates. In tertia virtutes, archangeli et angeli. Qua vero ratione et causa talia ordines isti sortiti sunt nomina, satis superque multorum catholicorum doctorum ostensione notissimum est, et idcirco necesse non est, ut de illa nos ratione et causa aliquid in præsenti loquamur. Sed ut ad te veniamus, qui habitator es cellæ, pro quo et cui hæc omnia dicimus, erige quatenus licet, imo quatenus tibi datum fuerit, defæcatos puræ considerationis tuæ oculos ad hos novem beatorum spirituum ordines, ut ex parte videas quæ eorum sint sublimitates et dignitates. In ipsa intra te interna recordatione, stude olfactu memoriæ vel tenuiter odorare : et gustu amoris, in quantum potes, aliquid de gaudiis cœlestium spirituum prægustare, qui in singulis ordinibus sunt : quomodo singuli in seipsis sunt incorrupti et integri, jucundi et læti : in amore sincerissimo, ardentissimo, et perseverantissimo invicem benevoli et benigni : pace imperturbabili tranquilli, in perfectissima certitudine securi, individui, puri, sereni, ipsum Deum facie ad faciem videntes, Deo incessanter adhærentes nulla interposita re alia : in Deo et ex Deo beati existentes, Dei indesinenter in plenitudine veræ et in æternum indeficientis dilectionis, et exsultationis, laudibus et præconiis insistentes : quibus (ut multa brevi sermone concludamus) nihil penitus adest, nihil deest boni. O quanta suavitas et dulcedo in verbis istis! Si tu aquila es, imo quia es, si tamen sicut in cella esse debes, ita in ea es, elevare, elevare ab eis quæ sunt infra te, et ab eis quæ sunt extra te : et elevare mediantibus his quæ sunt intra te ad ista de quibus loquimur, sublimia et magna, perfecta et integra, tranquilla et

quieta, secura et certa, festiva et læta, jucunda et amœna, lucida et præclara, dulcissima et suavissima (et quia verba sunt hæc) et omni denique quod appetendum est plena, et ab omni nihilominus quod fugiendum est aliena quæ sunt supra te. Sic, sic pone in arduis nidum tibi, et in petris manens, et in præruptis silicibus commorans, atque inaccessis rupibus; inde contemplare escam. Cum itaque hoc modo in pura consideratione, cum pleno amore et desiderio, et te sedens in cella illis beatis spiritibus, et illos tibi repræsentas, scito quia intus duxit te rex in cellam vinariam, ut ordinaret in te charitatem, qui et potes jam dicere cum Paulo : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20), et illud : *Consedere nos fecit in cœlestibus, in Christo* (*Ephes.* II, 6). Tunc Paulus, ut beatus Gregorius dicit, in carcere fortassis tenebatur, cum se sedere in Christo in cœlestibus testaretur. Sed ibi (ut subjungit beatus Gregorius) erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic, ubi illum necessarie pigra adhuc caro retinebat. Vade, et tu in cella tua fac similiter, et poteris cum redieris ad nos, dans gloriam Deo, dicere nobis, quod in arduis posuisti nidum tibi, in petris etiam mansisti, in præruptis silicibus es commoratus, et in inaccessis rupibus contemplatus es escam.

CAPITULUM XXIX.

De illo meditationis genere quod intra nos in ipsis intimis cordis nostri debemus habere, cum de Deo studemus cogitare, et qualiter de illo nos deceat et liceat sentire.

Jam quidem eo usque pervenimus ut tecum aliquid, qui inhabitator cellæ es, de ipsis invisibilibus Dei conferamus. De quibus invisibilibus prædicator egregius sic dicit : *Invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Et certe non aliud hæc ejus invisibilia sunt, quam id quod ipse est. Unde et idem Apostolus, ut nos instruat quid de his invisibilibus sentire debeamus, adjungit : *Sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.* Sua ipsius sempiterna virtus et divinitas ipse est, qui Deus sempiternus est. Si quidem habet sempiternam virtutem et divinitatem; sed quod habet, hoc est. Locuturi autem de Deo, quid ipse sit dicere non possumus, quia hoc cogitare non valemus. Quod ergo comprehendere non possumus mente, consequenter nec exprimere possumus ore. Certe quidquid est vel ipse est, vel est creatura quam condidit ipse. Sed a suo esse, creaturæ esse tam longe est, quod de ea dici potest, quod ipsa secundum quemdam modum non est, sed quod ipse solus est. Est namque viri sancti sententia de hoc, hunc habens modum : *Ipse enim solus est, et nemo potest avertere cogitationes ejus; et anima ejus quodcunque voluit, hoc fecit* (*Job* XXIII, 13). Et Apostolus dicit quod *solus habet immortalitatem* (*I Tim.* VI, 16). Quomodo non solus immortalis est, qui etiam solus est? Solus utique est, cui soli idem est esse quod est. Ipse sibi esse, ipse et omnibus esse est. Sed ipse qui solus est, qui solus habet immortalitatem, quid est? Nihil eorum quæ condidit, ipse est : quia ab æterno est, non ex tempore. Omnium creaturarum creator ille est; unde constans est quia ipse creatura non est. Scimus tibi dicere, qui habitator cellæ es, quid Deus non sit, sed quis dicere potest quid sit? Dicit enim de his hoc modo beatus Dionysius in libro angelicæ Hierarchiæ, capitulo secundo : « Itaque et colendam superessentialis divinitatis beatitudinem manifestativorum eloquiorum mysticæ traditiones, aliquando quidem ut rationem, et intellectum, et essentiam laudant; divinam rationalitatem et sapientiam ejus declarantes, et vere existentem substantiam, et eorum quæ sunt subsistentiæ causam veram : et quasi lumen eam formant, et vitam vocant, tantis mirabilibus formationibus castioribus manentibus, et materiales formationes excellere quoquo modo probatis deficientibus, et sic divina ad veritatem similitudine. Est enim super omnem scientiam et vitam, nullo quidem ipsam lumine characterizante, omnique ratione et intellectu, similitudine ipsius incomparabiliter derelictis. Et aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis eloquiis, supermundane laudant eam invisibilem, et infinitam, et incomprehensam, vocantibus : et quæ, et ex quibus non quid est, sed quid non est significatur. Hoc enim, ut æstimo, potentius est in ipsa. Quem quidem (ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit) hoc quidem non esse secundum quid eorum quæ sunt, eam vere dicimus. Ignoramus autem superessentialem ipsius, et invisibilem, et ineffabilem infinalitatem. Si igitur negationes in divinis veræ, affirmationes vero incompactæ, obscuritati arcanorum magis apta est per dissimiles formationes manifestatio. » Hæc beatus Dionysius de his verba quidem perplexa, sed intelligentia in eis latet profunda. Ecce quia nos dicit ignorare superessentialem ipsius, et invisibilem, et ineffabilem colendam infinalitatem. Ecce, quia subjungens asserit, negationes in divinis veras, affirmationes vero incompactas. Et idcirco dicit obscuritati arcanorum magis aptam esse per dissimiles formationes manifestationem. Certe, superessentialis ipsius, et invisibilis, et ineffabilis infinalitas nihil est, nisi id quod ipse est. Et qui hanc ipsius infinalitatem ignoramus cum hæc infinalitas sit ipse, quid ipse sit quomodo non ignoramus? Si autem negationes in divinis sunt veræ, affirmationes vero incompactæ, vera est nostra negatio cum dicimus : hoc non est, quia quod non sit scimus; incompacta vero confirmatio, cum affirmantes dicimus : hoc est, quia quid sit nescimus. Et tamen si nescimus hoc quod ipse est, scimus utique quia ipse est. Nisi enim sciremus eum esse, quomodo possemus eum diligere? Nam quod nescimus esse, quantum ad nostram duntaxat cogitationem nec habet esse. Et ideo quomodo a nobis diligi potest, quod quantum ad nos nec est? Sed eum esse nos scimus, eumque super omnia diligimus, et ad

eum totis præcordiis suspiramus. Sed quem tantum eum amando, et ad eum suspirando esse scimus, quid eum esse scimus? Et quidem electo famulo suo dixit se esse, cum ait : *Ego sum qui sum.* Hoc etiam de se sciscitantibus voluit de se responderi : *Ego sum*, inquiens, *qui sum. Hæc dices*, ait, *filiis Israel : Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Dixit quia est : non autem dixit quid hoc sit quod est. Sed fortassis dicens quia est, in hoc utique dixit quid hoc sit quod est, quod dixit quia est. Nam quidquid de eo potest catholice credi, quidquid veraciter dici, in hoc verbo instauratur quod est, est. Et quando strepitus oris nostri ubi verbum incipitur et finitur, aliquod emittet verbum, quo sufficienter possimus exprimere Deum? Et quidem Deus Dei Filius, a Deo Patre genitus, unus idemque cum Patre, et sancto utriusque Spiritu Deus existens, ipse est Verbum; sed Verbum non transeunter prolatum, sed æternaliter genitum, non factum; eique cujus est Verbum, coæquale, et consubstantiale, atque coæternum, quo in principio erat et apud Deum erat, et Deus erat. *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ecce æternitas ejus : quod enim in principio erat, nunquam factum erat; sicut de cœlo et terra dictum est : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Sed erat; hoc est, ab æterno erat. *Et verbum erat apud Deum.* Ecce quia diversa Verbi persona ab illius persona cujus est Verbum. Si enim alius apud alium erat, alius profecto ille qui erat, alius ille apud quem erat. Sed ne putes aliud : *Et Deus*, inquit, *erat Verbum.* Ecce divinitas Verbi : nec alia, sed eadem quæ ejus est, cujus est Verbum. Igitur Verbum quod apud Deum erat, idem ipse cum eo Deus erat apud quem erat, ut sit utique Verbum alius apud quem erat, non quidem alius Deus, sed alia persona a Patris persona, cum quo tamen unus idemque Deus, ex Deo Deus, ex Patre Deo Filius Deus. Non certe aliud, quia eadem cum eo substantia, æternitas et divinitas. Itaque alius, propter personarum diversitatem; sed non aliud, propter substantiæ divinæ unitatem. Sed cum totum hoc dicimus, quid dicimus? quando verba habebimus, quibus quid sit Deus dicere possimus? *Multa dicemus*, ait sapiens quidam, *et deficiemus verbis* (*Eccli.* XLIII, 29). Vere verbis deficiemus, magis quam ad id quod intendimus perfecte dicendum proficimus, et quando multa dicemus. Et verba quando utcunque sunt, quid aliud quam voces mentis sunt? Et quidem vel necdum sunt, vel jam non sunt, quia nisi transeundo non sunt. Sed antequam transire incipiant, necdum sunt, et cum transierint, jam non sunt. Unde, vel quando mihi verba, quibus tibi qui habitator es cellæ, loquendo ostendam quid sit Deus? Ecce in cella absque cessatione Deum ardentissime amas, Deum devotissime oras, ad Deum medullitus pervenire desideras; sed sic amando, sic orando, sic desiderando, quid Deum esse cogitas? Scis quia invisibilis est, nec est aliqua creatura invisibilis coram eo : principium sine principio, finis sine fine; super omnia est, sed non exaltatus; subtus omnia, sed non substratus; intus et extra, nec inclusus tamen, nec exclusus : semper ipse, et ubique ipse; sed nec unquam tempus, nec usquam locus. Est qui est, et idem ac eodem modo, nec ei quidquam vel evenerit, inerit, vel transit, infuit. *Magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Ps.* CXLVI, 5). Et, o manus omnia potens! o nihilominus et oculus omnia videns! non est quod illam effugere, quod istum possit latere. Ipse plenus seipso, et sine ipso nihil, qui sibi et omnibus est, quia suum ipsius et omnium est. Nusquam est, in eo quod loco non clauditur; et tamen nusquam non est, quia non excluditur loco. Et quis sine eo locus? Ex ipso, per ipsum, in ipso, ipsi gloria. Cui ipsi? Regi quoque sæculorum immortali, invisibili soli Deo. Deus est sæculorum, cui nequaquam ipsa vel accedere potuerunt vel decedere : nec tamen coæterna sunt. Quæ enim in se aliquando vel erant, vel erunt, in ipso semper sunt : et quidem sicut ab æterno, sic et in æternum. Neque enim ipsi vel quod fuit transit antiquum, vel quod erit eveniet novum : sed utrumque ei stat, inest; tam quod jam est, quam quod necdum est. Et, o quam mirabilis in seipso est, qui rerum omnium creator est, cum tam mirabilia sint quæ ab ipso creata sunt! Et quidem valde sunt mirabilia, ipsumque eis longe clamitant mirabiliorem. Ostendunt enim se creata quæ condidit bona bonus : ostendunt, inquam, se bona, pulchra, dulcia, multa et magna. Nam bona ad usum, pulchra ad visum, dulcia ad gustum, multa ad numerum, et ad mensuram magna. Hæc, inquam, se ostendunt, et mirabiliter se ostendunt : sed hæc se ostendendo, creatorem suum ostendunt longe meliorem, pulchriorem, dulciorem et majorem, qui est omnium bonorum optimus, omniumque pulchrorum pulcherrimus, omnium dulcium dulcissimus, omnium magnorum maximus : utpote vera, summaque et æterna sui ipsius bonitas, pulchritudo, et (si ita dicere licet) multitudo, magnitudo. Quidquid in hoc mundo, de hoc mundo videmus, audimus, gustamus, odoramus et tangimus, non est ipse. Quid ergo est ipse Dominus Deus noster; quid, quæso, est? Non est decor multus et magnus, quem aspectu cerno corporeo : non vox est quam corporaliter audio : non odor, quem olfacio, non sapor quem gusto, non aptitudo quam tango. Et tamen quædam quodammodo quasi multitudo est, quædam magnitudo, quidam decor, quædam vox, quidam odor, quidam sapor, quædam aptitudo. Quasi quædam multitudo, sed cum una simplicitate, et simplici unitate, in quam nullus numerus cadit. Magnitudo, sed sine quantitate, quam nulla mensura comprehendit. Decor, quem nulla offuscat deformitas. Vox, quam nullum rapit tempus. Odor, quem nullus dispergit flatus. Sapor, quem aliqua non minuit comestio. Aptitudo, quam aliqua non contaminat corruptio.

CAPITULUM XXX.

De Trinitate personarum, et unitate substantiæ quæ Deus est, et quod præjudicium aliquod nec Trinitas unitati, nec unitas facit Trinitati.

Ecce quæ tibi, qui habitator es cellæ, diximus de Deo. Et multa quidem diximus, sed quid in his omnibus diximus? nunquid non verbis deficimus? *Multa dicemus*, inquit, *et deficiemus verbis* (*Eccli.* XLIII, 29). Si multa sunt verba quæ dicimus, quare verbis deficimus? Nimirum quia eum, de quo verba multa dicimus, quid sit ad plenum non exprimimus. Dicimus quoque, si tamen ita dicere licet, quia unus cum sit multus est, sed sine numero, magnus sed sine quantitate; simplex, sed sine extenuatione; bonus, sed sine qualitate; semper, sed sine tempore; ubique, sed sine loco; in omni re, sed sine sui diffinitione; in omni tempore, sed sine aliqua sui mutabilitate. Nec potest ullo modo, vel pro sui puritate maculari, vel pro sua simplicitate dividi, vel pro sua immensitate comprehendi, vel pro sua infinalitate mensurari. Nec potest ullatenus cognitione variari qui sapientissimus est, nec affectu mutari qui optimus est. Cujus potentiæ omnis effectus subjicitur, cujus sapientiæ omne occultum manifestatur, cujus deliberationem omnis eventus sequitur, cujus æternitatem non capit tempus, nec bonitatem virtus, nec sapientiam sensus, nec potentiam opus. Ipsi gloria qui rex est sæculorum, colendus et adorandus, metuendus et tremendus, ac dominans Deus, immortalis, invisibilis; ex quo, et per quem et in quo omnia. Nam omnia ex ipso, quia omnium ipse principium et auctor. Omnia et per ipsum, quia per ipsum, omnibus confertur ut subsistant, sicut et collatum est ipsis ut essent. Sed et in ipso omnia. Nos tamen potius virtutis debemus mirari magnitudinem, quam loci alicujus somniare dimensionem. Dicimus adhuc (si tamen hic aliquid dicere vel scimus, vel valemus), Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus : personæ tres, quarum nulla est alia; et substantia una. Et libenter hoc catholica suscipit auris. Sed cum hoc dicimus, quid dicimus? Multum, ais, et magnum quid dicimus, cum hoc dicimus. Dicimus enim, ais, in uno eodemque Deo, præter quem alius non est, esse et personarum Trinitatem, et substantiæ unitatem. Bene, inquam. Sed nunquid aliud esse dicis ibi personarum Trinitatem, quam substantiæ unitatem? Non, inquis; sed habent personæ istæ proprietates suas : quia solius Patris est gignere, et ideo a nullo est; solius Filii est gigni, et ideo a Patre est; solius autem Spiritus sancti est procedere, et ideo a Patre et Filio est. Sed non sic a Patre et Filio Spiritus sanctus est, sicut est Filius a Patre; quia procedit ab utroque (a Patre videlicet et Filio Spiritus sanctus) sed a neutro gignitur. At vero Filius a solo Patre gignitur; et ideo Pater quidem gignens est, Filius autem genitus : et inde est quod Pater Pater est, et Filius est. Alioquin plures essent in illa Trinitate Patres, et Filii, quod nimirum credere, nimis abominabile, et horribile, et supra modum nefas est. Sunt ergo hæ tres personæ : Pater gignens, Filius a Patre genitus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens. Quarum quidem personarum nulla altera est; quia non est una persona, sed tres. Nam una persona non potest gignere se, et gigni de se, et procedere a se. Hæ tamen tres personæ una substantia sunt, natura una, divinitas una, majestas una, æternitas una. Recte quidem fidem catholicam tenes, tu qui habitator es cellæ. Sed quid est (quæso te) quod mihi numerum sine numero proponis, eumque mihi das, et statim eum tollis? Nam si tres sunt, nonne numerus est? Si autem tribus est substantia una, si natura, si divinitas, si majestas, si æternitas una, ubi numerus? Numerus, ais, ad personas refertur, quia tres sunt; non autem ad substantiam, quia una est. Bene dicis, sed nunquid aliud istæ tres personæ sunt, quam est ista una substantia? aut aliud hæc una est substantia, quam istæ sunt tres personæ? Non, inquis, quia istæ tres personæ, ista una substantia sunt : et hæc una substantia, illarum est trium personarum. Nulla namque trium personarum est ea quæ altera; sed unaquæque tamen est id quod altera. Quia Pater quidem alius est quam Filius, vel Spiritus sanctus, sed non aliud; et Filius est alius quam Spiritus sanctus, vel Pater, sed non aliud. Spiritus sanctus alius quam Pater vel Filius, sed aliud non est : quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, est unus naturaliter, idemque Deus. Sic damus singulis personis suam proprietatem, quod substantiæ non tollimus unitatem : quia in nullo præjudicat vel substantiæ unitas, personarum Trinitati, vel personarum Trinitas, substantiæ unitati. Quocirca nec a substantiæ unitate, personarum Trinitas; nec a personarum Trinitate, substantiæ unitas seorsum est cogitanda, vel separanda; sed potius et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda et adoranda. Si, ut dicis, ita est, imo quia ita est, quomodo ita est? Non plene, ais, per scientiam capio quomodo est, sed pie per fidem credo quia ita est. Optime dicis; nam credere pietatis est, discutere temeritatis : plene autem ac perfecte nosse, vita, et vita æterna est. Dicit autem beatus Augustinus quod tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; cujus nunc libet verba tibi, qui habitator cellæ es, ad memoriam revocare, quæ in sexto libro de Trinitate, ultimo videlicet capitulo ejusdem libri posuit, occasione illorum trium profundorum verborum Hilarii, quæ sunt, æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere. Scribit itaque beatus Augustinus hoc modo : « Horum verborum, id est, Patris et imaginis et muneris, æternitatis et speciei et usus, abditam scrutatus intelligentiam in quantum valeo, non eum secutum arbitror in æternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit : Filius autem de Patre est, ut sit, atque ut illi cæternus sit. Imago enim, si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa cœquatur ei, non illud imagini suæ. In

qua imagine speciem nominavit, credo, propter pulchritudinem, ubi jam est tanta congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo, nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla parte dissimilis, sed identidem respondens ei cujus imago est. Ubi est prima et summa vita, cui non est aliud vivere, et aliud esse, sed idem et esse et vivere : et primus ac summus intellectus, cui non est aliud vivere, aliud intelligere, sed id quod est intelligere, hoc est vivere. Hoc esse est, unum omnia, tanquam Verbum perfectum; cui non desit aliquid, et ars quædam omnipotentis et sapientis Dei, plena omnium rationum, viventium incommutabilium : et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus, quæ fecit per ipsam : et ideo cum decedant vel succedant tempora, non decedit vel succedit aliquid scientiæ Dei. Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo, quia facta sunt, ac non potius ideo facta sunt, vel mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Ille igitur ineffabilis quidam complexus Patris et imaginis, non est sine perfectione, sine charitate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo (si tamen humana voce aliquid dignum dicitur) usus ab illo appellatus est breviter, et est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus, sed genitoris, genitique suavitas, ingeniti [*f.* ingenti] largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas, pro captu earum; ut ordinem suum teneant, et locis suis acquiescant. Hæc igitur omnia quæ arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt, et speciem, et ordinem. Quidquid enim horum est, et unum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, ingeniaque animarum, et aliqua specie formatur (sicut sunt figuræ vel qualitates corporum, ac doctrinæ, vel artes animarum); et ordinem aliquem petit aut tenet, sicut sunt pondera vel collocationes corporum, et amores aut delectationes animarum. Oportet igitur ut Creatorem per ea quæ facta sunt intellecta conspicientes, Trinitatem intelligamus, cujus in creatura quomodo dignum est, apparet vestigium. In illa enim Trinitate, summa est origo rerum omnium, et perfectissima pulchritudo, et beatissima delectatio. Itaque illa tria, et se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt. Sed hic in rebus corporeis, non tantum est una, quantum tres simul : et plus aliquid sunt duæ, quam una res. Cæterum in summa Trinitate, tantum est una, quantum tres simul; tantum duæ quantum una. Itaque et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc, vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, et sic Deum honoret et gratias agat. Qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum; quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. Nec confuse accipiendum est, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia : nec diis multis, sed ipsi gloria in sæcula. » Et hæc beatus Pater Augustinus et doctor insignis de his. Nos autem de his loqui diutius nolumus, quia dum tantus talisque sol, et lucens illuminat, et ardens inflammat, dignum est ut lucerna lutea recedat, et ne ultra appareat, sub silentii latibulo se abscondat.

CAPITULUM XXXI.

De diligenti sollicitudine, et sollicita diligentia quam orationi nostræ (quando ei incumbimus) debemus impendere, et de magna instabilitate qua in corde, orationis tempore per otiosa et nociva dispersis cogitationibus nostris, misere ac miserabiliter fluctuamus, ei per innumera evagamur.

In transvadando fluvium illum secundum, qui egreditur de loco voluptatis, cui nomen est Gihon, aliquam fecimus moram. Nec debet, ut arbitramur, vel ipsa quam fecimus mora reprehendi, vel super ea aliquis nimium admirari, qui quanta duntaxat, vel ejus sit latitudo et profunditas non ignorat. Nunc autem ad tertium qui de loco voluptatis egreditur fluvium, cui Tigris nomen est, accedamus, ut per eum transeamus. Nos vero per hunc fluvium, qui dicitur Tigris, quantum ad moralem duntaxat attinet sensum, devotam diximus accipiendam esse orationem; sicut per illum qui Gihon vocatur, puram meditationem. Et de meditationum quidem generibus aliqua tibi, qui habitator cellæ es, diximus; et utinam tam sint dicta tibi fructuose, quam sunt a nobis dicta profuse! Nunc autem de devotione orationis aliqua tibi dicenda sunt; quæ (si quid de ea sufficienter dicere vel sciremus, vel possemus) eo magis tibi debent esse necessaria, quo inter omnia quibus in cella intendis exercitia, in frequentissimo soles hanc usu et consuetudine habere. Sed quid tibi de ea dicere vel scimus vel valemus? Ut autem scias, tu qui habitator cellæ es, qualiter ei intendere debeas, magis illa indiges quæ de omnibus docet unctione, quam nostra eruditione. Dicit enim Apostolus quia *quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Utique pro nobis postulat, quia quos replet, postulantes facit : et ex ejus solius munere, et gratiæ suæ infusione nobiscum agitur, ut sicut oportet orare sciamus. Magis quidem cum interno gemitu et dolore magno conqueri et nosmetipsos accusare debemus, quod fere nunquam sicut oportet oramus, quam ut alios orare doceamus : quia qualiter sicut oportet oremus nos certe nescimus. Nunquid tunc sicut oportet oramus, quando in oratione nostra, vel nihil penitus, vel omnino modicum (et hoc rarissime), omnium eorum quæ ore proferimus, corde versamus. Quando vero sic nobis ipsis absentes, et quod ore dicimus, funditus nescientes, orare nos arbitramur, periculose nimium fallimur; eisque per omnia similes efficimur, de quibus Dominus per prophetam dicit : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX, 13). Dicit autem beatus Augustinus clericis suis, in Regula (cap. 4) eorum : « Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. » Sed et beatus Benedictus sic de hoc in Regula

monachorum (cap. 19) dicit : « Ubique credimus divinam esse præsentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos : maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Propheta : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II, 11), et iterum : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI, 8) ; et : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII, 1). Ergo consideremus qualiter oporteat nos in conspectu divinitatis et angelorum esse, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. » — « Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum humilitate et puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio : nisi forte ex affectu divinæ inspirationis gratiæ protendatur (*Reg. S. Ben.*, c. 20). » Hæc illi eximii viri hoc modo senserunt de his. At nos miseri cum oramus, imo cum nos orare decepti putamus, vel somno inerti sæpissime deprimimur, vel cogitatione instabili extra nos, non tam frequenter quam fere incessanter, per quæque otiosa et frivola, per noxia et inutilia vagamur. Si talem orationem Deo esse placitam putamus, absque dubio fallimur. Quod si pertinaciter insistentes, et arroganter instantes, illam contendimus contra conscientiam nostram Deo placere, mentimur, et veritatem non facimus, et veritas in nobis non est. Non enim talis est oratio ad quam nos Paulus invitat, qui nos monet ut oremus in spiritu, et vigilemus in oratione, in omni instantia. Sed et ipse Dominus apostolos alloquens, et ad orandum exhortans : *Vigilate*, inquit, *et orate* (*I Cor.* XIV, 15); præmisit *vigilate*, per hoc erudiens nos, quatenus si et Deo placitam, et nobis fructuosam nostram esse orationem præoptamus, omni nimirum studio et conatu contra insolentes et instabiles, contra nocivas et inutiles cogitationes, et ante tempus orationis, et in ipsa quam maxime vigilemus oratione (*Coloss.* IV, 2; *Ephes.* VI, 18; *Marc.* XIV, 38) : ne quod lingua quasi orando proferre videtur, efficiente hoc cogitationum instabilium evagatione, omni penitus fructu spirituali privetur. Ut enim ait Ecclesiastes : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccle.* X, 1) : et (ut non tam frequenter, quam fere indesinenter experimur) descendunt volucres super cadavera. Et est valde necessarium ut abigat eas Abram ; ne forte penitus quod offert perdatur, si contigerit (quod absit!) ut ab eis rapiatur. Sed et mulieres (ut eorum quæ gessit Dominus, relator egregius sanctus Lucas nobis manifestat) ad monumentum Domini venerunt, *portantes quæ paraverant aromata* (*Luc.* XXIV, 1). Et quæ sunt hæc aromata, nisi suavia et odorifera sanctarum orationum odoramenta? Unde et petit Psalmista, orationem suam dirigi in conspectu Domini sicut incensum (*Psal.* CXL, 2) : et

A sanctus Joannes in Apocalypsi asserit, viginti quatuor seniores habere *phialas aureas, plenas odoramentorum* (*Apoc.* V, 8). Et ut sciamus quid per hæc odoramenta accipere debeamus, adjungit, *quæ sunt orationes sanctorum*. Quæ sunt hæ phialæ aureæ, nisi mentes sanctæ, puritate munditiæ claræ, et maxime amoris Dei et proximi decore pretioso adornatæ? In talibus phialis integra et incorrupta conservantur odoramenta, quia a cordibus puris et charitate plenis accepta Deo emittuntur et offeruntur piarum orationum incensa. Unde et dicitur quod illæ mulieres portaverunt aromata quæ paraverant (*Luc.* XXIV, 1). Nam minus quidem nos parata aromata portamus, cum Deo tales orationes (si tamen orationes) offerimus, quas instabilium et immundarum
B cogitationum abjectissimus pulvis exinanit et corrumpit, et ipsis divinis auribus indignas reddit. Sed prius aromata parentur, et sic aromata ad Dominum portentur. Hoc est, prius orationes nostras puras efficiamus, et tunc eas omnipotenti Deo, ut ei acceptabiles sint, devote offeramus. Verum, heu nos miseri! minus parata ad eum aromata portamus, qui quando nos orare putamus, quid ore proferamus, in corde nec per intellectum, nec per affectum multoties et fere semper versamus. Et quomodo nos illam a Deo exaudiendam esse orationem sperare possumus, quam sic offerimus, quod nos qui eam utcunque videmur offerre, nec per amorem, nec per intelligentiam sentimus. Et quando hæc aromata mulieres parata portaverunt? utique una Sab-
C bati, valde diluculo. O stabilitas! o tranquillitas! o et claritas! itaque una Sabbati, valde diluculo portaverunt quæ paraverant aromata, ut sciamus debere nos habere cum oramus, intra nos, et unitatem quantum ad cogitationum nostrarum stabilitatem ; et quietem quantum ad pacem, et claritatem quantum ad cognitionem ; quatenus orationis tempore nec per otiosa aliqua et illicita nos in mente evagari permittamus, sed quantum per Dei gratiam possumus, illis solis quæ ore proferimus, per cogitationem intendamus. Sed nec aliquam intrinsecus perturbationem revolvamus ; sed in plena erga omnes homines, et maxime erga fratres et patres nostros, quibus cohabitare tenemur unanimes in domo, pace quieti
D sumus. Ad extremum nec alicujus phantasmatis caligine obscuremur, sed potius lucis cujusdam spiritualis a Deo a nobis immissæ illustratione clarificemur.

CAPITULUM XXXII.

De mentis evagatione, quam nobis orationis tempore inesse sentimus, et qualiter et quare per tertium qui de loco voluptatis egreditur fluvium, qui et Tigris vocatur, orationis accipienda devotio sit.

Cogit nos ut tecum, qui habitator cellæ es, aliquid adhuc agamus de his; cogit nos, inquam, magna qua satis deprimimur miseria, nostri non oblivisci. Non enim possumus non suspirare et gemere, super ingenti instabilitate miseri et miserabilis cordis nostri. Supra modum vagum et profugum est, et se sibi [illegible]

incessanter furatur, et antequam sentiat, atque deprehendat, extra se fusum comminuitur, et per innumera dispergitur. Sic autem comminutum et dispersum vix se permittit ad se revocari et colligi, et intra se redintegrari : et si forte vel aliquando ad se fuerit collectum, nec uno (ut ita dicamus) intra se momento permittit se demorari. Et cum tantis ac talibus indesinenter miseriis miserabiliter devastetur, oneretur, prematur, tunc quidem magis ab eis vexatur cum ad orationem convertitur. Nam quando vel in codice legimus, vel manuali alicui operi intendimus, aliquantum nonnunquam cor apponere valemus, et ut iis de quibus nos intromittimus, utcunque licet multum renitens et reluctans, morari se permittat efficimus : verum cum ad orandum accedimus, confestim quasi hoc supra modum exosum, et in pleno ac perfecto odio cor nostrum habeat, se sibi furari, se a se extrahere, longe a se secedere [*Par.*, recedere], et iis quæ in ore proferuntur dorsum vertere velociter fugiens festinat. Et si forte ad se vel rarissime redit, statim a se recedit, et rursum vagationi pristinæ se tradit. O magna miseria! quam bene illud dictum est : *Factum est silentium in cœlo quasi media hora!* (*Apoc.* VIII, 1.) Nequaquam plena hora, sed dimidia stabilitas et quies fit in animo; quod est fieri silentium in cœlo. Sed nec illa dimidia, saltem ut dimidia sentitur, quia et quasi præmittitur. O cordis ingens morbus! et quidem omnino incurabilis quandiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ubi nobis in tanta miseria spes, nisi in sola misericordia Dei, qui exercitio illi, quod inter omnia quibus intendimus exercitia magis est nobis necessarium, sicut debemus, intendere non valemus? Quid de ipsis apertis malis nostris dicemus, quando ipsa bona nostra, non posse bona esse videmus? Quid inter hæc? Nosmetipsos incessanter et acriter in conspectu Dei arguamus, reprehendamus, accusemus, et miseram animam nostram in manibus nostris portantes, carnes nostras laceremus dentibus nostris. Erit fortassis apud pium Conditorem nostrum, qui cognoscit figmentum nostrum, qui et recordatur quia caro sumus, aliqua hujus nostræ fragilitatis excusatio, ipsa nostra accensa et humilis accusatio. Et quidem *quasi pannus menstruatæ*, ut ait Isaias, *omnes injustitiæ nostræ* (*Isa.* LXIV, 6); ut absque dubio sciamus quid de ipsis injustitiis nostris sentire debeamus, qui justitias quoque nostras (si tamen justitias) a tanto propheta tali rei assimilari audimus. Correptionem proinde severam, et redargutionem acutam, atque accusationem mordentem intrinsecus in corde, extrinsecus in ore, semper et ubique coram Deo circumferamus; ipsum devote exorantes, quatenus nobis pie concedere dignetur, ut sit impetratio veniæ, humilis hæc nostra cum interna contritione cordis, et pura confessione oris, cognitio culpæ : nos quoque aliquo modo coram se in hoc deputet justos, in quo nos plene ac perfecte sine omni excusatione reputamus injustos. At tu fortassis, qui cellæ habitator es, ita nobis respondes ad hæc : multum me in verbis istis sollicitum et pavidum reddidisti, multumque turbasti, commovisti, concussisti : nam plene mihi ac plane miseriam meam magnam, qua supra modum hac in parte oneratus ac vastatus sum demonstrasti, et omnem mihi penitus excusationem abstulisti. Si quidem omnia hæc ita in me sentio, sicut ea te dicere audio. Est utique quidquid dicis verum, et non est in his verbis tuis aliquod mendacium. Omnia enim quæ dicis, sic esse ut dicis, certissimum me reddit non solum scientia, sed et quotidiana, imo continua mea experientia. Sed quid mihi prodest quod valida (sicut ego ipse eo plenius scio, quod molestius eam sentio) me dicis ægritudine vexari, nisi et mihi ostendas quomodo possit et debeat curari? Dic proinde, quæso te, prout tibi occurrit, qualem me in oratione exhibere debeam, ut eam offerre Deo possim acceptam. Et nos tibi sic respondemus : Hoc ille tibi in corde tuo silenter dicit, absque cujus solius munere, oratio tua nec illi accepta, nec tibi valet esse fructuosa : cujus plerumque dixisse, fecisse est. Diceret tibi fortassis et per nos; licet loqui de hoc sine magna nostra confusione et rubore non possumus. Nonne confusio debet esse nobis quod alios docemus, nos ipsos autem non docemus? quod pulchrum depingimus hominem, ipsi pictores fedi? quod alios cibo potuque reficimus, qui fame ac siti perimus? quod alios vestimentis optimis induimus, et ipsi nudi ambulamus? Et in tantum nudi, quod cunctis apparet confusio nuditatis nostræ, et videtur ab omnibus turpitudo nostra. Igitur ut ad tuam ædificationem, tu qui habitator cellæ es, intendamus his, retulimus (sicut ipse scis) longe superius, et adhuc referimus juxta tropologicum sensum, ad hunc tertium fluvium qui egreditur de loco voluptatis, puritatem devotæ orationis. Ejus vero nomen est, ut verax dicit historia, Tigris. Est ergo Tigris sagitta, oratio pura et devota : quæ quidem velox est, perforans et penetrans, scindens et pertingens. Certe ad instar sagittæ velocissime volantis, et ipsa volat usque ad ipsum Deum. Denique oratio justi penetrat nubes. Quid ei obsistere potest? universa quæ visibiliter apparent quasi dura et clausa, ipsa perforat et penetrat, a puro spiritu emissa, et ab eo non amissa. Sed et quæcunque quasi obviantia spiritualis suæ puritatis acumine scindit, nec unquam resilit, si usque ad ipsum qui super omnia est pertingit. Non solum autem, sed et omnia quæ sunt nobis adversantia, quæ sunt contraria, quæ sunt nociva, ipsa debellat, exsuperat et annihilat. Et hoc fortassis est, quod de fluvio isto dicitur quia vadit contra Assyrios. Nam per populum Assyriorum quidquid spirituali nostræ militat læsioni, putamus esse accipiendum. Contra hos Assyrios vadit iste fluvius Tigris, quia omnibus quæ nocere nobis possunt (nisi forte ut prosint, et ut eorum obesse nihil aliud quam prodesse sit) similis acutæ

sagittæ, citissime volantis, puritas resistit et contradicit devotæ orationis. Si nos fatigat alicujus vehementia tentationis, si nos premit (ut nonnunquam assolet) moles ponderosa alicujus furentis adversitatis, contra hos et universos alios qui intra hunc mundum sunt Assyrios, vadit fluvius iste Tigris; quia valenter obsistit eis devotæ sinceritas orationis; cum nos plerumque fatigant, nunquam nos exsuperent, nec aliquando nos opprimant, etsi multoties premant. Num menti nostræ excidit, quia venit dudum Amalec ut pugnaret contra Israel? Quod nimirum adhuc hodie fit, cum reproborum populus terrena et transitoria per affectum et desiderium quasi lingens, pravis suis tam exemplis quam monitis, ad peccati delectationem ac perpetrationem, mediante illicito consensu pertrahere contendit. Sed ut sciamus quomodo vadat fluvius Tigris contra Assyrios; percutit eum Josue usque ad internecionem, cum in monte manus levat Moyses (*Exod.* XVII). Nam juxta hunc secundum, quem modo incedimus sensum, unum quid innuit; et Moyses ut expugnetur Amalec, in monte manus levans; et fluvius Tigris contra Assyrios vadens. Et quis iste Moyses? Num his insistendum est vobis, ut tu, qui habitator cellæ es, ædificeris? An a nobis est retrahendum, ne id quod dicimus putans esse nimium, incurras fastidium? Sed quis sapientium dicit esse nimium, quantumcunque fuerit in verbis prolixum, dummodo possint singula verba spiritualem in audientibus sanctæ ædificationis augere profectum? Quis ergo iste est Moyses, nisi tu qui verus et sincerus cellæ inhabitator es? Nam nomen hoc Moyses, quod more multorum celebre et frequens habetur, ex aqua assumptus interpretatur. Et nonne tu ex aquis es assumptus, qui visitante te gratia Dei, a fluxu es mundanæ conversationis ereptus, et ad suavem ac dulcem cellæ quietem translatus? Sed Moyses dicitur manus levare, quia tu in cella, sine intermissione, juxta admonitionem apostolicam, debes orare (*1 Thess.* v, 17). Et ad hoc ut effugetur Amalec, manus levet Moyses; quatenus fluvius Tigris vadat contra Assyrios. Sed oportet ut montem conscendat, ponatur lapis super quem sedeat, et uterque (tam Aaron videlicet quam Hur) manus ejus sustentet. Quandiu levatæ fuerint, superabit Israel et superabitur Amalec; cum autem vel ad modicum quasi lassatas deposuerit manus, superabit Amalec, et superabitur Israel. Sed ne hanc ipsis Israelitis valde periculosam manus ejus lassitudinem incurrant, eas Aaron et Hur sustentent. Quid sibi volunt hæc? Conscendat montem Moyses, ut sanctæ conversationis apprehendas sublimitatem, tu qui cellæ inhabitator es. Sed et super lapidem sedeas, ut in firma cogitationum mundarum stabilitate, et stabili earum firmitate requiescas. Ad extremum vero ne manus tuæ lassentur, et lassatæ deponantur, ab Aaron et Hur sustententur. Nam ne cogitationes tuæ (tibi dicimus, qui habitator cellæ es) in oratione tepescant, ac proinde nec Deo acceptæ, nec tibi fructuosæ existant, alacres eas et robustas exhibeant tam imum humilitatis, in infirmo eas ne superbiant premens; quam ardor charitatis, et in Deum eas et in proximum ne frigescas inflammans. Nam Aaron *mons fortitudinis* interpretatur. Et quidem veræ humilitatis virtus et sublimis est, et fortis; quia illam quam ex toto occupat mentem, et excelsam redit et robustam. Nam qui vere humilis est, quo magis in suis est oculis in imo, eo magis in divinis est oculis in excelso, et quo sibi apparet infirmior, eo coram Deo existit fortior: quia nimirum virtus in se habet humilitatis et fortitudinem humilem, et humilitatem fortem, ut neutra alteri præjudicet; quatenus humilitatis sanctæ virtus et in imo sit in oculis propriis, et in excelso in oculis divinis. Porro Hur *ignem* sonat, et charitatis ardorem designat. Itaque hæ virtutes eximiæ, fortis videlicet celsitudo, celsaque fortitudo humilitatis, et inexstinguibilis ardor charitatis, ne lassentur, tuarum devotionum sustentent manus: tibi dicimus, qui habitator cellæ es, qui verus ac sincerus juxta hunc sensum Moyses es. Et hæc omnia ideirco diximus, ut quomodo moraliter accipiendum sit ostendamus, quod fluvius tertius qui egreditur de loco voluptatis (per quem devotam esse accipiendam orationem asserimus) adhuc hodie sed spiritualiter vadat contra Assyrios. Ecce quanta ac qualia contra cuncta adversa, contra quæque nociva, virtus orationis, cum ei intendimus eo modo quo intendere debemus, solatia nobis et auxilia impendit: ut pateat nobis, quod nequaquam otiose Scriptura dicit, quia Tigris contra Assyrios vadit. Et quis ille est modus quo ei intendere debemus? Nam quis sit ille, quæris, qui habitator es cellæ, sciens nimirum tibi esse fructuosum hoc scire, fructuosius autem opere et veritate per experientiam exercere. Hoc autem non a nobis, sed ab experto quærere deberes, id enim quid sit, sola experientia capit. Verum quia inde nos aliquid dicere compellis, loquemur quod Dominus dederit nobis, qui nos non vis philosophos putari, quod fortassis fieret si taceremus. Videtur nobis quod si fructuose orare desideras, tria quædam diligentissime considerare debeas. Primum quidem, qualis ad orationem accedas. Secundo qualem te Deo in ea offeras. Tertio quoque qualem te post tempus orationis exhibeas. Quam mundus videlicet et quietus ad eam venias, quam purus et integer in ea persistas, quam gravis quoque ipsa devote celebrata et finita, quamque maturus quandiu potes permaneas; itaque de oratione te in cella tua intromittens, quo sollicitius hæc tria exercueris, eo nimirum oratio tua et acceptior Deo, et fructuosior erit tibi. Si his modis Patrem in illius nomine qui et vocabulo dicitur et re esse Jesus petieris, absque dubio quod sic petis impetrabis, sed universis quæcunque illa sint quæ tibi adversari moliuntur, efficaciter et valide resistere, ut ea devincas et destruas, potenter valebis, quatenus ipsa te tua certum experientia reddat, qualiter fluvius iste tertius

qui de loco egreditur voluptatis, qui et Tigris vocatur, contra Assyrios vadat.

CAPITULUM XXXIII.

Quales exhibere debeamus prinsquam ad orationem accedamus, ut cum ad eam venerimus, sic eam Deo offeramus, ut ipse eam et sibi acceptam, et nobis misericorditer efficiat fructuosam.

Antequam fluvium illum quartum intremus, quem de loco voluptatis egredi legimus, cui nomen est Euphrates, petis tu qui habitator cellæ es, ut de oratione tecum adhuc aliquid agamus, quo enim ei frequentius incumbis, eo nimirum eruditi qualiter ei intendere debeas, ardentius concupiscis. Annuimus, gerimus tibi morem, et pro posse et scire nostro tuam in hoc parati sumus implere voluntatem. Diximus, si reminisceris, circa finem illius quod istud proxime præcedit capituli, ut oratio tua, et a Deo accepta haberi, et tibi fructuosa possit fieri, tria quædam debere a te diligentissime considerari. Primum quidem est, ut attendas sollicite, qualis ad eam accedas. Secundum quoque est, qualem te Deo in ea offeras. Tertium vero, qualem te post finem orationis exhibeas. Ut autem primum de primo in hoc capitulo agamus (non enim de tribus his simul sufficienter tractare in hoc capitulo valemus) ut, inquam, primum in capitulo hoc de primo agamus, instanter te, qui habitator cellæ es, admonemus, obnixe exoramus, opportune quoque tibi et importune in Domino præcipimus ut, cum ad adorandum Dominum Deum tuum properas, et maxime cum immolare Patri Filium, ubi specialiter Deus est in eodem Christo mundum reconcilians sibi, accedere cogitas, diligenter in memoria habeas, et absque omni dubio scias, cum in omni loco oculi Domini speculentur bonos et malos, tunc te potissimum in conspectu Dei et sanctorum angelorum, qui præsentes adsunt, atque omnium sanctorum apparere. Et quod orando offers Deo, tam illo quam illis beatis cœlestis curiæ spiritibus, sed et omnibus sanctis (et cum in cella solus non solus, et cum in oratorio cum aliis oras) præsentibus te offerre. Et si hoc ita est, imo quia ita est, attende diligentissime qualiter accedas, et qualem te in hoc accessu exhibere debeas. Et dicis mihi? Ad te attinet me docere, qualiter me debeam hora illa exhibere; ad me autem, et humiliter audire, et pro posse ac nosse effectui devote mancipare. Et ego, ita fiat, ut dicis: precorque Deum ut sic faciamus. Itaque ad orationem accedens, diligenter stude, et totis viribus conare, ut cor mundum per omnia afferas, quatenus et Deo placentem et tibi salubrem orationem offeras. Quomodo, ais, fiet istud? Audi, et intellige, et audiens atque intelligens, etiam opere perfice. Quidquid conscientiam tuam remordet, imo quidquid conscientiam tuam illicite a te vel per cogitationem, aut per locutionem, seu certe per operationem, aut quocunque modo commissum remordere valet, pœnitentia prius plena; confessione pura, et humili, et fideli; satisfactione condigna, cum perfecto, per gratiam Dei, de cætero continendi proposito emendare, et a te abjicere stude. Idcirco dico, quidquid conscientiam tuam remordere valet, quia sunt quamplures qui nullum fere semper in cunctis excessibus suis morsum conscientiæ suæ sustinent, cum tamen indesinenter quod illicitum est committere non cessent. Non est enim timor Dei ante oculos eorum, non propriæ salutis desiderium. Inde est, quod in nullis quæ committunt illicitis, ad suam sciunt conscientiam redire: et cuncta quæ committunt mala cæca mente pertranseuntes, nec se etiam in aliquo reos æstiment, cum constet quod in innumeris delinquant. Cum vero plerumque aliquid quasi boni, vel tenuiter, et superficietenus videntur utcunque agere, hoc etiam apud se introrsum indesinenter, non in Domino sed in se gloriantes, revolvere, et exterius ore laudem quærentes humanam, non cessant arroganter referre. Non sic tu, qui habitator cellæ es, non sic, sed in omnibus quæ vel mente revolvis vel ore dicis, vel opere committis, ad conscientiæ tuæ semper et ubique testimonium revertere, et ipsam in plena veritatis luce pervidens, quod ipsa veraciter de singulis tuis et revolutionibus internis, et moribus externis judicaverit; hoc tu tam in iis quæ ipsa reprobat arguendis, culpandis, corrigendis, quam in iis quæ approbat, acquirendis, retinendis, exercendis, adaugendis, per omnia ratum habet. Itaque in balteo cordis tui, acutum semper gerens propriæ accusationis paxillum, sede te humiliando, fode te corrigendo, ut sic quod a te fœde ac fetide non tam per naturam egestum, quam per culpam gestum est, cooperias pœnitendo, sciens et beatos esse quorum tecta sunt peccata, et quia in sanctis animalibus, sicut duæ pennæ singulorum jungebantur, sic nihilominus et duæ tegebant corpora eorum. Quid autem sibi velint hæc, beatus Gregorius te doceat, magis autem propria te experientia certum reddat. Sed et si aliqua quasi bona videris in te, in primis certissime scias ipsa non esse a te, deinde non ignores quia ipsam quoque Jerusalem justus ille, et districtus judex scrutabitur in lucernis: et cum acceperit tempus, ipse etiam justitias judicabit. Quia nimirum sicut si venerit ad te, non videbis eum, sic quoque etsi abierit, non intelliges, ut si quando ridet ad te, non credas ei. Sicque bonum tibi, quatenus experimento discas, bonorum esse, ibi culpam æstimare, ubi culpa non est. Itaque illa mortiferæ excusationis protoplastorum a te funditus projice perizomata, quibus innumeri hodie sua ad magnam insipientiam sibi tegunt verenda. Sicque scias, nihil aliud esse culpam excusare, quam et simplicem geminare, et exiguam adaugere. Magis autem in ipsis internis tuis quoddam rigidum capitulum ratio quidem teneat; conscientia vero parcere, silere ac celare nescia, proclamationes faciat. Ipsa nihilominus mens ab omni excusationis, defensionis, contradictionis, tergiversationis penitus macula obmutescat; abjectis potius pravæ (quibus tegebatur huc usque) taciturn-

nitatis vestibus; per puram confessionem, nudam se et despoliatam faciat : et in præsentia rationis huic capitulo præsidentis, profunde se humilians, rigidam prout ipsa judicaverit, cum firmo de cætero emendandi proposito, condignæ satisfactionis disciplinam subire parata et prompta existat. Cum autem hæc omnia hoc modo, tu qui habitator cellæ es, penes te debeas habere; sed tunc quam maxime ea te decet exercere, cum ad orationem proponis accedere; quia et de se dicit Psalmista, quod iniquitatem si aspexit in corde suo, non exaudiet Dominus; sic adjungit : *Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ* (*Psal.* LXV, 19). Subaudis : quia non aspexi ego, exaudivit, attendit Deus. Si vero tu quæ dicta sunt, et eo modo quo dicta sunt, exercueris, cum gaudio confide exaudiendam esse orationem tuam a Deo; quia jam iniquitatem non aspicis in corde tuo. Si enim aliqua in eo aliquando fuit, jam ante deleta est.

CAPITULUM XXXIV.

De eo quod cum ad orationem accedimus, et illis qui in nos deliquerunt ex puro corde dimittere, et si sunt qui habent aliquid adversum nos, plene eis ac perfecte reconciliari debemus.

Inter hæc, tu qui habitator cellæ es, apostolicum illud habe diligenter in memoria præceptum et quidem saluberrimum, de quo in Epistola sua dilectum et electum alloquens discipulum : *Levantes*, inquit, *puras manus, sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II, 9). Quam putamus esse distantiam inter disceptationem et iram? Videtur utique nobis quod qui adversus aliquem nimis injuste et indiscrete, nimis acriter et crudeliter movetur; hic certe in ira est. Qui vero illum, adversus quem commotus est, etiam corpore absentem sibi in mente repræsentat, cumque in interno cordis susurro, silenti quodam clamore, seu (si ita congruentius dicitur) clamoso quodam silentio, cum tumultuosa turbatione, et turbato tumultu alloquens; allegationes multimodas, et omnes (ut sibi videtur) rationabiles, sed veraciter omni ratione carentes emittit : responsiones suscipit, ipso solo et non alio cum eo existente. In his et qui opponit, et qui reponit, iste nimirum in disceptatione est. Si quidem disceptat et disputat, et cum altero nullo amara vocc litigans, se semper excusans, et illum adversus quem commotus est, acriter accusans; silenter (utpote a nullo nisi a se solo auditus) et amare clamat. Sed absque utroque hoc malo nostræ in nostra oratione manus levandæ sunt; ut moveri adversus aliquem cessantes, nec alium aliquem in corde nostro, clamose taciti, et tacite clamosi, nos excusantes accusemus; nec alium accusantes, nos excusemus, ipsi in his et nullus alius existentes, qui et nos alium accusando excusamus, et nos excusando alium accusamus. Sine utroque hoc horribili malo (tibi dico, qui habitator cellæ es) levare debes manus in oratione; ut et Deo accepta, et tibi possit esse fructuosa. Et ad hoc utrumque damnabile malum, a nobis orationis tempore depellendum, geminum se habet Domini præceptum. Hoc autem unum est : *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem* (*Marc.* XI, 25); aliud vero est : *Si offers munus tuum ad altare*, et cætera quæ sequuntur. Sed de eo quod primo loco posuimus, prius agamus, antequam ad aliud accedamus. *Cum stabitis*, ait Dominus, *ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem.* Et item : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis peccata vestra; si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra* (*Matth.* VI, 14, 15). Ecce audisti, tu qui habitator cellæ es, et quid nos Dominus exhortetur, et quid nobis comminetur. Exhortatur siquidem, ut cum accedimus ad orandum, dimittamus; comminatur vero quod si nos non dimittimus, nec dimittetur nobis. Exhortatio, fateor, valde salubris, comminatio vero valde terribilis. Si dimittimus, et dimittetur nobis : si non dimittimus, nec nobis dimittetur. Ecce quia in nostra voluntate positum est, utrum nos foveat gratia, an feriat ira. Itaque accedens ad orationem, tu qui habitator cellæ es, dimitte ut dimittatur tibi; sed eo modo dimitte, quo tibi cupis dimitti. Dicis fortassis tu : Quid est dimittere? et sic nos respondemus tibi : hoc est dimittere, de mente emittere, ut nihil eorum in mente penes te et intra te retineas, quæ tibi a quoquam perperam dicta vel facta sunt. Si enim aliquid eorum quæ tibi vel durius ab aliquo dicta, vel durius acta sunt, commotus et dolens, tristis et conquerens, iratus et amarus, disceptans, et disputans intra te revolvis, et aptum reddendi talionem et vicem tempus exquiris; et si quid ei contigerit adversi, ab alio quidem, non per te illatum, tu quoque inde lætaris, audenter dicimus quia non dimittis. Nec fructuose quandiu sic intra te actitari sentis, ad orandum accedere potes. De mente namque tua id quod actum vel dictum est tibi, necdum emisisti, sed adhuc mortifero veneno plenam habes, quo eam tu ipse implesti. Quod si hoc facere vel non audes vel erubescis, seu certe non potes, sed eum tamen adversus quem commotus es, saucio et torvo oculo, demissis superciliis aspicis, eique vultus tui serenitatem tollis, et vel cum eo loqui non dignaris, vel (si forte loqueris) verba in eum amara hac de causa jacularis, et dulcis ei, sicut debes esse fratri tuo in mente non existis, scito pro certo quia necdum dimittis, et quod adhuc ad orationem accedere idoneus non sis. Ad hæc fortassis tu hoc modo : Durus est hic sermo tuus; quis te potest audire? Quando ergo dimitto, si tandiu non dimitto, quandiu sic intra me agi sentio? Et nos tibi hoc modo : Scito nihil placere Deo impurum qui summa puritas est, nihil simulatum qui vera æquitas est. Si patienter nos audis, dicemus tibi quando dimittis. Ecce, adverte : si quod tibi dictum vel actum est, ita ex toto de mente emittis, quod illud funditus oblivisceris : et illum qui tibi contrarii aliquid vel verbo vel facto intulit, absque omni eorum recordatione sereno

oculo aspicis, et cum perfecta illum mentis benevolentia et dulcedine alloqueris, nullamque eorum quæ tibi iliata sunt amaram vel in præsentia ejus, vel in absentia, illi qui tibi intulit, aut loquendo, seu alio quocunque modo mentionem facis, videtur nobis quod tunc dimisisti. Nam tunc dimittis non verbo et lingua, sed opere et veritate, implens illud quod Dominus dicit : *Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII, 35). Scias absque omni dubio quia omne quod sincerum non est, sic Deo non potest placere, sicut nec eum potest latere. Si quidem plena talis oblivio, ipsa est plena remissio. Nam in Lege scriptum est : *Nec memor eris injuriæ civium tuorum* (*Levit.* XIX, 18). Sed et mortuo et sepulto patre eorum Jacob, fratres Joseph mandaverunt ei : *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati, atque malitiæ quam exercuerunt in te* (*Gen.* L, 17). Ut autem sciamus quia talis oblivio dimissio sit, addiderunt : *Nos quoque oramus ut famulo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Ecce, quia quod prius vocabant oblivionem, jam vocant dimissionem. Quod si forte reminiscaris, sed nullo prorsus dolore tangeris, dicimus tibi quia dimittis. Nam plerumque tristium læti reminiscimur, et jam perfecte sani, ægros nos aliquando fuisse absque dolore aliquo recordamur : et in mente, sine omni quoque caligine illius priores quæ jam quantum ad se transierunt, tenebras intuemur. Ut autem finem jam imponamus his, tunc nobis videtur quod dimittis, quando reminiscens talia te pertulisse, gaudes et lætaris; illum in hoc imitans, qui se dicit libenter gloriari in infirmitatibus suis ut inhabitet in eo virtus Christi : qui etiam adjungit : *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo* (*II Cor.* XII, 10). Si autem tantæ perfectionis nondum es, ut gaudere et lætari possis, cum talium recordaris, sed ea tamen in hac recordatione tua sine aliqua intra te commotione revolvis : et ea pro nihilo penitus habens, eum qui tibi adversi aliquid intulit non minus diligis quam ante dilexisti, vel diligeres si nunquam intulisset, certe dimisisti. Igitur tunc fructuose accedis ad orandum, cum sic remittens, Dominicum adimples præceptum. Sed sicut non vis adversus alium habere quidquam, sic quoque necesse est ut non permittas aliquid habere adversus te, quantum fieri potest, et quantum in te est, quemquam : ut etiam illud Domini impleas præceptum, quod superius secundo loco posuimus, quod et tale est : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 23, 24). Ecce quia, ut beatus Gregorius dicit (*Hom.* 8 in Ezech.) : « Munus non accipitur, nisi prius ab animo discordia pellatur. » Ubi nimirum tibi intelligendum est, quia non minus debes discordiam pellere ab animo fratris tui, qui adversus te habet quem læsisti, quam eam depellis a tuo, qui eum læsisti, *Relinque*, ait, *et vade prius reconciliari fratri tuo.* Quid est munus relinquere, et ut te fratri tuo reconcilies ire, nisi humiliter interim ab oratione cessare, quousque fratri tuo fueris reconciliatus? Et si ita est, cur interim est ab oratione cessandum, nisi quia nec Deo acceptam, nec tibi fructuosam offerre orationem poteris, nisi prius fratri tuo reconciliatus fueris? Et quidem hoc facere potes et debes, si præsens fuerit frater tuus, quem recordaris quia habet aliquid adversus te. Si autem tam longe a te absens in hac tua recordatione fuerit, ut statim ad eum gressu corporali pertingere non possis, fac in corde tuo, coram eo qui ejusdem cordis inspector est, fratri tuo (licet longe sit absens) quod ei opere facere deberes, si adesset præsens. Et hoc interim facias, quousque fratrem tuum habere præsentem queas, ut ei facias tunc præsenti in aperto, quod nunc ei coram Deo facis absenti in occulto. Et quomodo, ais, fiet istud? Ecce, adverte quo modo fiet : Munus tuum, hoc est, orationis tuæ devotionem offerre Deo proponens, et hora illa, quia frater tuus habet aliquid adversus te, reminiscens, orationem tuam interim offerre differas, quousque quod dicimus modo tibi facias. Vade in ipso corde tuo ad fratrem tuum, licet longe a te corporaliter positum, et in humilitate profunda, in pœnitentia vera, te ei in mente, teste Deo qui præsens est, prosterne, et ad pedes ejus humiliter jacens, et te acriter reprehendens, veniam ab eo cum omni instantia pete, emendationem ei de cætero promitte, et sic fratri tuo reconciliatus, ad offerendum munus tuum accedas. Hoc videtur innuere verbum istud, quod est *tunc*. Nam quid est dicere, *tunc offeres*, nisi *prius quam hoc facias, offerre non debes;* quia munus oblatum nec Deo placeret, nec tibi prodesset, si aliter faceres. Sed est in hoc Domini præcepto magna habenda discretio, est et aliqua in eo intelligenda exceptio. Non enim compelli debemus ut hoc faciamus, quotiescunque recordamur quod frater noster quocunque modo putat se habere aliquid adversus nos. Si (verbi causa) fratrem tuum pro salute animæ suæ, tempore et loco corripis. Si proclamationem super eum justam charitative in capitulo facis, et eo per omnia modo quo secundum ordinem facere debes; et ob hoc turbatus et commotus, putat se aliquid adversus te habere; non nobis videtur quod tenearis ire ad reconciliandum. Nihil enim, quantum in te est, mali in illum commisisti, imo bonum ei magnum facere voluisti. Verum ipse magnum tuum bonum, animositate et impatientia sua vertit sibi in magnum malum, magisque infirmi est quam medici culpa quod ipse infirmus ægrotat, etiam de medicina. Hinc beatus Augustinus sic in Regula clericorum (cap. 8) scribit de hoc. « Nec vos, inquit, judicetis esse malevolos quando hoc indicatis. Magis quippe, innocentes non estis, si fratres vestros quos indicando

corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim, frater tuus vulnus haberet in corpore quod vellet occultari, dum timeret secari, nonne crudeliter a te sileretur, et misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? » Ecce, quia crudeles sunt, qui spiritualia fratrum suorum vulnera celant; et misericordes sunt, qui ea ut sanentur indicant. Item si prælatus aliquis subjectorum suorum aliquem pro culpa sua (quia et hoc tenetur ex officio suscepto facere) pie ac paterne ut emendetur corripuerit, num putas tu eundum ei ut reconciliet se fratri suo, si frater ille injuste commotus, putat se propter hoc aliquid habere adversus eum? Non puto, ais, nisi modum in correptione sua excesserit. Nos autem dicimus, quia nec tunc. Contingit namque multoties, quod ipse quo ardentius diligit, eo et citius in corripiendo modum excedit. Nam quia mens præsidentis, prout debet et quantum debet amat, suam plerumque correptionem plusquam debet exaggerat: nec de aliqua se debet hic reconciliatione intromittere, quia hoc ipsi discipulo magis obesse posset quam prodesse. Unde et sic beatus Augustinus in præfata regula (cap. 54.) scribit de hoc, loquens ipsis prælatis: « Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam vos modum excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis; ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Non enim carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. » Certe si de manubrio in cæsione lignorum, ferrum exsiliens, amicum percusserit et occiderit, amicus ille, et tamen occisor amici, vivere poterit, si ad unam trium urbium fugerit (*Deut.* XIX). Ita dicimus, si simpliciter ad silvam abierit. Et hæc ideo diximus, ut sciamus quales ad orationem accedere debeamus.

CAPITULUM XXXV.

De quatuor cogitationum generibus quæ nobis necessarium est in mente habere, si pure et devote atque fructuose Dominum volumus orare.

Ecce, ex parte aliqua (ut arbitramur) habes, tu qui habitator cellæ es, qualem te debeas per gratiam Dei præparare, cum ad orandum Deum tuum proponis accedere (cap. 35). Quidquid de oratione diximus, et adhuc fortasse dicemus, ad illum fluvium tertium referimus, qui et de loco voluptatis egreditur, et Tigris vocatur; de quo et legimus quia vadit contra Assyrios. Diu in eo morati sumus quia ob magnam nimirum ejus tam profunditatem quam latitudinem, cito eum pertransire non potuimus. Nunc autem tu quæris, ut te quod superius secundo loco posuimus, qualiter videlicet in ipsa oratione persistere, et quid intra te hora illa in cogitatione revolvere debeas, pro scire et posse nostro instruamus. Hoc autem indubitanter scire debes (quod et ipse, ni fallimur, frequenter expertus es) quia in nullo spirituali exercitio laborem certe majorem, et luctam graviorem sentimus, quam cum in oratione persistimus, si eam tamen talem habere, qualis ipsa nobis est necessaria studemus. Nam supra modum tunc potissimum fatigat vexatque nos, et magna instabilitas cordis nostri, et malitia hostis antiqui. Sciens autem versipellis et malitiosus ille, qui mille habet artes nocendi, per devotam quam maxime orationem, suas et occultas fraudes detegi, et apertas vires debellari; quatenus fructum ejus funditus evacuet, molestiorem se nobis, cogitationes tunc cordi nostro immittendo illicitas, efficere solet. Sed et ipsa instabilitas, et evagatio mentis nostræ, magis in oratione (ut longe superius cum magno gemitu conquesti sumus) quam in aliquo alio exercitio nos devastat: in tantum ut tunc animo nostro cogitationum otiosarum, immundarum et nocivarum multitudo, etiam nobis nolentibus et tota virtute contradicentibus, ex abrupto et antequam prævidere possimus, se ingerat; a quibus alienus et quietus aliis quoque temporibus erat. Unde necessarium nobis admodum esse sciamus, ut cum ista intra nos sentimus, ipsum miserum cor nostrum toto conatu stabiliamus; et ingerentibus se cogitationibus vagis et stultis inhærere illud, pro posse non permittamus. Si autem tu, qui habitator cellæ es, scire desideras quomodo pure orare valeas, imo quia (sicut ipsi certissime scimus) et ardenter desideras, conare totis viribus ut hæc quatuor orationis tempore in cogitatione tua revolvas et illum videlicet quem oras, et illum per quem oras, et illud quod oras, et te ipsum qui oras. Oportet ut cor tuum valde latum sit, quatenus hæc in se quatuor simul comprehendere possit. O quam lætus erat beati Benedicti animus, cui oranti et videnti ad cœlum ferri animam sanctam visum est, quasi totus esset sub uno solis radio mundus collectus: ut evidenter agnosceret quis illi a quo universitatis videtur creator, angusta est omnis creatura. Itaque tu quando oras, illum præ oculis cordis tui habeas, quem oras. Et quis ille nisi ipse Deus? Quid, ais, cogitabo cum Deum meum cogitabo? Nos autem respondemus tibi, quia hoc te magis docebit magistra quæ docet de omnibus unctio, quam aliqua humana eruditio. Ipsa te docebit unctio cogitare Deum tuum quamdam sempiternitatem, quia nec initium nec finis; quamdam immensitatem, quia nullus locus; quamdam incommutabilitatem, quia nullum tempus; quamdam omnipotentiam, quamdam charitatem, pacem quæ exsuperat omnem sensum, ubique essentialiter præsentem, quem et desiderando amamus, et amando desideramus, complectentes eum quasi quibusdam ulnis sinceri amoris, de quo scimus quod magnitudinis ejus non est finis. Hunc cogitet in oratione mens tua, dilata in amore illius, ut pure oret, eumque sibi soli solum repræsentet. Illum coram te, et te coram illo statue; et præ magno amore, quo

eum super omnia diligis, in dulcedine ineffabili quam tibi ab eo infusam sentis, in læto ac lætificante quodam jubilo, te tibi furare, te ipso privatus, illi inhære, in ipso agglutinatus. Qualiter vero cum pure oras, ille se tibi manifestet quem oras, non a nobis requiras, quia nos in his penitus ignorantes sumus. Et ideo ignorantes, quia vel id rarissime, vel nunquam sumus experti. Hoc autem scimus, quia cum mens sancta et sincera, mens munda, et defecata, et pura, in pleno ac perfecto amore et desiderio orat, tunc eidem menti quam maxime interna sua et occulta, suavia et dulcia, per secretam suam infusionem manifestat. Secundo loco posuimus, ut illum attentissime consideremus per quem oramus. Quis iste est, nisi mediator Dei et hominum, Deus et homo Christus Jesus? qui est in eo, quod homo est, una nobiscum, et longe meliore modo quam nos, pro nobis Patri supplicans : et in eo quod est Deus, nobis est cum Patre et Spiritu sancto cum quibus unus idemque est Deus, propitians. Ipse si quidem est advocatus noster apud Patrem justus, et ipse non solum divinus propitiator, sed et propitiatio pro peccatis nostris. Ecce altare aureum, humanitatis videlicet in Christo natura, in qua nihil prorsus est quod non sit ab omni culpa purum et alienum ; super quod orationes nostras offerimus Deo Patri : ut illi omnipotens et misericors Pater Deus, non immerito propitietur naturæ, in homine etiam puro, quam pro homine, personali intuetur unione copulatam Filio suo Deo. Igitur appareat tibi, tu qui habitator cellæ es, cum oras, internis tuæ considerationis oculis Filius Dei, Patri per omnia sanctoque Spiritui coæqualis et coæternus, et consubstantialis : appareat inquam tibi cum in oratione consistis, in magna lætitia, Patris præsentans vultibus victricis carnis gloriam. Ipse namque altare aureum est, Christus videlicet in natura apparens humana quæ ab omni peccato fuit aliena, et ideo aurea : super quod altare aureum, orationum nostrarum hostias immolamus, ut in eo nobis peccatoribus summus ille Pater propitietur, in quo naturam nostram eidem Filio suo, non autem culpabiliter, sed solummodo naturaliter, in unitate personæ copulatam intuetur. Itaque appareat interius tuæ considerationis oculis Christus, de Spiritu sancto conceptus : incarnatus sine corruptione, natus absque læsione : apparens Magis Deus sempiternus in thure, rex omnipotens in auro, homo verus et adhuc mortalis in myrrha. Appareat tibi, matris virginis ubera sugens, pannis involutus, in præsepi positus, circumcisioni subjectus, in templo oblatus, fugiens obsequio parentum in Ægyptum, et inde rediens ; subditus parentibus, sapientia, ætate et gratia proficiens. Appareat tibi baptizatus, jejunans, esuriens, tentatus, cum hominibus conversatus : in factis malitiosos sustinens observatores, in dictis pertinaces contradictores. Appareat tibi vera et salubria docens, nova et mira faciens, discipulorum suorum pedes abluens, sacramenta eis corporis sui ac sanguinis tradens, in agonia prolixius orans, ita ut fieret sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Appareat tibi et quam maxime, quidquid pro te durum, et dirum, et ignominiosum, et crudele pertulit ; quod venditus est, quod traditus, captus, ligatus, adductus, interrogatus, judicatus, damnatus, sputis illitus, velatus, colaphizatus, alapas passus, flagellatus, chlamyde coccinea indutus, in derisu adoratus, in veste alba illusus, arundinem in dextera tenens, crucem suam bajulans, cum iniquis reputatus. Felle mistum aceto ei oblatum ; pliissimi sanguinis non guttam, sed undam per quinque vulnera sacratissimi sui corporis fundens : pro transgressoribus orans, dilectam illam animam in manu Patris commendans, caput inclinans, spiritum emittens. Appareat tibi sepultus, resuscitatus, in multis argumentis per dies quadraginta discipulis apparens, ubi erat prius ascendens, ad Patris dexteram sedens; venturus cum potestate magna et majestate judicaturus, qui in humilitate venit judicandus ; in æternum in electis suis regnaturus, faciens illos discumbere, et transiens, eisque ministrans. Ecce per quem, Patrem orare debes, tibi dicimus, qui habitator cellæ es. Itaque quibusdam mentis tuæ brachiis, quando oras, amplectere hunc advocatum tuum, et talem eum cum oras præsenta in ipsa mentis tuæ puritate, vultui Patris. Talem illum offerre ei cum exsultatione et fide stude, qualem eum tibi modo monstravimus. Quid ad tuam salutem pertinens, in hac præsentatione et oblatione a pio Patre obtinere non possis, orans et petens in nomine dilecti Filii sui ; si fides in te non fluctuat, si spes non diffidit, si charitas non tepescit? Intende quoque in his et ipsis verbis tuæ petitionis, et ante Deum Patrem omnipotentem coram tota illa cœlesti curia stans, et advocatum tuum Patri præsentans, quod dicis ore, revolvas in corde ; ut concordet vox tua cum mente tua, et hoc cogitet illa quod sonat ista. Hoc est quod superius tertio loco posuimus, quatenus sic illum attendas quem oras, ut attendere non omittas quid illud sit, quod oras, ut quod lingua sonat, animus intelligat. Hoc, ais, ab omnibus fieri non potest, ut quod eorum lingua sonat, hoc eorum animus intelligat : nec dico solummodo propter instabilitatem quæ in eorum mente est, sed propter ignorantiam quæ in illis est. Nam sunt quamplures qui fere nihil eorum quæ dicunt intelligere valent, quia nullam pene, quantum ad intellectum, litterarum notitiam habent. Quamvis enim habeant quantum ad exteriorem verborum prolationem ; sed non habent quantum ad interiorem qui in eisdem verbis latet, sensus cognitionem. Nunquid horum dicis orationem omni coram Deo fructu carere, quia quod per vocem proferunt ore, per intelligentiam non capiunt in mente? Nos autem hoc modo tibi ad hæc. Absit a nobis ut hoc dicamus. Non enim de illis arbitramur dictum : *Ignorans ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 38). Nam licet hanc intelligentiam non habeant ; si corde devoto, et intentione bona, et recto modo sacra verba proferant, cum fide, spe et

charitate; confido de illius pietate quem orant, quia ipse in eis supplebit quod ipsi in se non habent; nec fructui orationis eorum præjudicium faciet talis ignorantia eorum, Neque enim credendum est quod ab eis districte debeat exigi quod eis datum non est, et quod eorum saluti magnum hoc detrimentum inferat, quia non reddunt quod nequaquam acceperunt. Sed sicut illi aliquam fortasse in his possunt excusationem habere, sic quoque tu non poteris nimirum excusabilis esse, qui eorum quæ profers notitiam et intelligentiam habes, sed eis intendere ob magnam tuam negligentiam non curas. Igitur appone cor iis quæ ore sonas, quando Deum tuum oras : nec solum quando sonas tu, sed et quando alios, vel psalmos, vel hymnos audis ore proferre. Cum in choro aliquid vel ad psalmos pertinens audis, vel cum cantas, seu certe cum legis, hoc intra te per intellectum versetur in corde, quod exterius per sonum profers in ore. Cum vero alios vel dicere versus psalmorum audis, seu cantare, aut certe legere; iis quæ ipsi proferunt per intentionem tu adesto : et cor tuum per intelligentiam cum aure iis appone, quæ ipsos audis proferre. Et hoc est quod jam diximus, debere videlicet te considerare et quod oras. Quod vero quarto loco posuimus, ut attendas scilicet et te ipsum qui oras, tunc tu adimples, quando Deum Patrem per Filium suum Christum Jesum, advocatum tuum, corde et ore deprecans, peccata tua et delicta, facinora et flagitia, et fragilitates multas, et magnas, quibus et in mente et in corpore deprimeris, ante te hora illa congregas et coacervas, et præterita tua, præsentia quoque, atque futura, pro posse ante considerationis tuæ oculos ponis, ut et circa infructuosam arborem fodiens, et stercora mittens, fructum eam facere compellas, et agnum assum cum lactucis agrestibus comedas. Sic orationem tuam Deo reddes placitam, sic signata quasi in sacculo habens delicta, gaude et lætare pro eo quod tua est iniquitas curata. Sic quoque cum publicano qui a longe stetit, et ad cœlum oculos levare noluit, sed pectus suum percussit, descendes postmodum ac post modicum justificatus in domum tuam. Si autem, ut nonnunquam contingere solet, suggerente hoste maligno (qui cum semper nobis nocere moliatur, sed in oratione quam maxime, ut omnem ejus nobis fructum subripiat, nobis molestus est) aliqua cum incumbis orationi cogitatio illicita, qualem aliquando vel ira, vel commotio, seu vanitas, vel curiositas, aut certe voluptas quocunque modo format, violenter se ingerens, vehementer te vastaverit, in tantum ut mentis ab ea non possis oculum avertere; consilium est ut, intermissis aliis petitionibus quibus intendebas, contra molestiam hanc orando viriliter te erigas, et ab hac erectione tua nullo modo cesses, quousque, miserente Deo, ipsa superata pacem invenias.

Ecce hæc illa quatuor sunt quæ te monemus qui habitator cellæ es, in mente tua orationis tempore revolvere, videlicet quis ille sit quem oras, quis ille per quem oras, quid illud quod oras, quis denique tu sis qui oras. In revolutione prima, Dei Patris omnipotentis ineffabilem intueris majestatem; in secunda, Salvatoris tui immensam pietatem; in tertia tranquillam quamdam puritatem, et puram tranquillitatem : in quarta propriam tuam qua in corde et corpore oneratus es infirmitatem. De eo quod superius diximus, quia scire nobis necessarium est, quales nos post tempus orationis exhibere debeamus, hoc breviter tibi dicimus, qui habitator cellæ es. Oportet ut oratione celebrata quandiu per gratiam Dei poterimus, in eadem gravitate, maturitate et integritate nos teneamus. Quia si fluxas in corde cogitationes suscipimus, et ad cachinnos et risus, ad venenosas detractiones et otiosas fabulationes statim redimus, timendum nobis valde ne, talia agentes, orationis nostræ fructum perdamus. Imitemur quam sollicite illam mulierem de qua legimus, quod oravit Dominum *flens largiter, loquens in corde suo : et labia ejus tantummodo movebantur, et vox penitus non audiebatur : vultusque ejus non sunt amplius in diversa mutati* (*1 Reg.* I, 13, 18).

CAPITULUM XXXVI.

De opere manuum, cui debet cellæ inhabitator intendere, et quibus horis spiritualibus exercitiis, et quibus insistere debeat manuum operibus; et de pluribus aliis quæ ad eumdem cellæ incolam pertinent.

Diu sumus in hoc fluvio tertio qui Tigris dicitur demorati, et fortassis non ad insipientiam nobis. Est enim admodum utile tibi, qui habitator cellæ es, qualiter orationi insistere debeas scire, quem constat huic spirituali sanctoque exercitio tam frequenter intendere. Sed jam de fluvio hoc tertio exeamus, et illum (si tibi placet) quartum intremus. Ipse quidem, Euphrates vocatur, qui etiam et ipse de loco voluptatis egreditur. De quo sacra Scriptura non narrat quod aliquam terram circumeat, sicut de Physon, qui omnem terram Evilath circumit; sicut de Gyon, qui circumit omnem terram Æthiopiæ : nec quod vadat contra aliquos populos, sicut de illo qui Tigris dicitur, qui vadit contra Assyrios. Sed tantummodo simpliciter et breviter : *Fluvius*, ait, *quartus, ipse est Euphrates* (*Gen.* II, 14). Et hoc ideo fortassis, quia utile et fructuosum manuum opus (ad quod juxta nominis suis interpretationem, fluvium qui est Euphrates referimus) magis est quampluribus commune, quam aliquod trium probabilium exercitiorum, de quibus hucusque, juxta illum sensum tropologicum, secundum quem incedimus, vel studium videlicet lectionis, vel puritas meditationis, vel devotio orationis. Non enim omnes quos religionis habitu videmus indutos, ad illa semper tria videmus sufficienter idoneos, ut satis superque possint universi, vel studio lectionis insistere, vel in ipsis mentis internis puræ meditationi instare, vel devotæ quoque orationi incumbere [*Par.* vel devotioni q. orationis i.] Sed qui est, qui si in om-

nibus membris corporis sanus fuerit, non aliquid quod bonum sit, pro necessitate et tempore manibus suis possit operari? Igitur quia *pietas* (ut Apostolus dicit) *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ* (*I Tim.* IV, 8), merito fortassis et de duobus fluviis dicitur, quod terras circumeunt, et de tertio quod vadit contra Assyrios. Quam utilitatem retulimus ad fluvios illos : ad Physon quoque propter studium sacræ lectionis, ad Gyon propter puritatem internæ meditationis, ad illum qui Tygris vocatur, propter sinceritatem devotæ orationis. Quia vero corporalis exercitatio ad modicum utilis est, (quam ad Euphratem, qui quartus fluvius est, referimus), in eo quod utilis est, quasi de loco voluptatis egreditur. Sed quia non ad omnia ut pietas, sed ad modicum utilis est, de fluvio illo quarto, per quem actionem accipimus, non dicitur, vel quod terram aliquam circumeat, vel quod contra aliquos populos vadat, sed solummodo (sicut jam diximus) simpliciter ei breviter : *Fluvius vero quartus, ipse est Euphrates* (*Gen.* II, 14). Et si hæc ita stare possunt, et si forte non possunt, quocunque modo rectius et congruentius intelligenda sunt, hoc quidem scire debes, tu qui habitator cellæ es, quod valde tibi pluribus de causis necessarium, ut operi manuum horis et temporibus constitutis, prout licet, dicet, et expedit, insistas. Nam fastidium tollit, oblectamentum parit, confert utilitatem magnam, et otiositatem, quæ inimica est animæ, sibi prævalere non sinit. Et eo desiderabilius et jucundius ad illa tria spiritualia exercenda, lectionem videlicet, meditationem et orationem redis, quo libentius ea propter bonæ actionis fructum aliquando intermittis. Quod si quæris cui debeas insistere operi, breviter respondemus tibi, ut illi videlicet insistas, quod ut ei insistas, a tuo tibi fuerit priore injunctum. Porro, si ita providerit prior, unum est cui in operatione specialiter intendere debes, ut videlicet et scribere discas (si tamen addiscere potes), et si potes et scis, ut scribas. Hoc quodammodo opus, opus immortale est; opus (si dicere licet) non transiens sed manens; opus utique, ut sic dicamus, et non opus, opus denique quod inter omnia alia opera magis decet viros religiosos litteratos. Semper enim viri religiosi, qui tamen litterati sunt, prout eis posse corporalis sanitas administrat; cum ab oratione, lectione, meditatione, et necessitatibus (quod nequaquam tacendum est) corporalibus, et necessariis substentaculis corporis vacant; in quantum tempus et ratio exegerit; non quidem prout eorum voluntas elegerit, magis autem sicut præsidentis auctoritas discreta, et discretio authentica dictaverit; libris utique vel præparandis, vel conficiendis, vel ligandis, vel emendandis, vel ornandis, vel illuminandis, vel intitulandis, vel iis quæ ad ista pertinent ordinandis, faciendis et perficiendis, sollicite intendere debent. Et cum hoc in omni ordine decens et congruum sit, sed magis in ordine nostro Carthusiensi, aptum utique hoc est, et pulchrum. Ut quid dico aptum? pulchrum et conveniens; quasi hoc sufficere possit. Certe dico, et sic oportet ut faciamus. Quis enim semper absque aliquando intervallo, aut lectioni, aut meditationi, aut orationi indefessus intendere valet? Et idcirco quamvis fere nullus de opere manuum fructus proveniret, est tamen bonum, ut ei nonnunquam diligens nostra sollicitudo, et sollicita diligentia pro tempore et modo intendat. Quatenus a nobis repellamus fastidium (ne nimis pondere pusillanimitatis onerati simus) et otiositatem, quæ inimica est animæ, quæ (ut quidam sapiens dicit), *multa mala docuit* (*Eccli.* XXXIII, 29) : ne supra modum ab omni mens nostra utili exercitio marcescat. Sanctus quoque Paulus nos instruit quam necessarium quamque salubre nobis opus manuum sit. Scribit namque sic, sicut ipse scis : *Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium, agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis* (*I Thes.* IV, 11). Sciamus autem quia et quod docuit hoc et ipse fecit; *ipsi*, inquit, *scitis quemadmodum vos oportet imitari nos. Quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus* (*II Thess.* III, 7, 8). Et ut ostendat nobis quia aliter posset facere si vellet, dicit : *Non quasi non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos* (*ibid.*, 9). Et item : *Cum essemus*, inquit, *apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet* (*ibid.*, 10). Et paulo post subjungit : *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete; nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui ejusmodi sunt denuntiamus, et obsecramus in Domino nostro Jesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent* (*II Thess.* III, 12). Quare putamus tantum doctorem tam sollicite et tam diligenter suos super hoc voluisse discipulos commonere; nisi quia ut hoc facerent, utile sciebat esse eis, et valde salubre : Vade tu qui habitator cellæ es, et fac similiter et omni die quo licet operari; aliquid utile, et ad fructum pertinens communem (si corpore plene sanus fueris) non quidem quod tu tibi propria voluntate elegeris, sed quod tibi a tuis fuerit prælatis injunctum, hilariter et ordinate, pro tuo scire et posse, manibus tuis opereris. Memento quod venerabilis Ivo, Ecclesiæ Carnotensis episcopus (epist. 10), virginibus in Dunensi monasterio manentibus, de hoc inter cætera sic scribit : « Ut semper, inquit, intentæ sitis orationi, aut lectioni, aut operi, ut diabolus nec vos inveniat otiosas nec mentes vestras nocivis et vagis cogitationibus expositas. » Et adjungit : « Iste mos fuisse legitur in monasteriis Ægyptiorum, ut neminem reciperent qui nollet operi operam dare, non propter necessitatem, sed propter vitandam otiositatem, quæ inimica est animæ. » Sed et beatus Benedictus de hoc in Regula monachorum

(cap. 48) sic dicit : « Otiositas inimica est animæ, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. » Ecce qualiter de opere manuum magni et summi viri sentiunt : ecce quæ de eo in suis scriptis reliquerunt, quod nos per quartum illum fluvium, qui de loco voluptatis egreditur, secundum sensum moralem accipimus, de quo dicit Scriptura : *Fluvius quartus, ipse est Euphrates.* Et certissime scimus nos, quod nisi valde fructuosum, valdeque salubre illud esse exercitium scirent, nullo modo de eo monendo, præcipiendo, scribendo, tam concorditer sentirent. Hæc meditare tu, qui habitator cellæ es ; in his esto. Attende tibi, et operi manuum tuarum. Insta in illo. Hoc autem esse debet specialiter opus tuum ut (sicut tibi superius intimavimus) libris scribendis operam diligenter impendas. Hoc siquidem speciale esse debet opus Carthusiensium inclusorum. Hinc bonæ memoriæ, et cum omni honorificentia nominandus venerabilis Guigo, quintus Carthusiensis eremi prior, litteris (ut legimus) sæcularibus et divinis admodum eruditus, acer ingenio, memoria tenax, facundiæ admirabilis, exhortator efficacissimus ; hic, inquam, tantus ac talis vir, in libro Institutionum Carthusiensis propositi, quem ipse scripsit, ita de hoc dicit, capitulo ejusdem libri vigesimo octavo : « Omnes pene quos suscipimus, si fieri potest, scribere docemus. » Et post pauca. « Libros quippe, tanquam sempiternum animarum nostrarum cibum cautissime custodiri, et studiose volumus fieri. Ut quia ore non possumus Dei verbum manibus prædicemus. » Quæ autem ex hoc utilitas proveniat, ostendit subdens : « Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis prædones facere videmur, sperantes a Domino mercedem, pro omnibus qui per eos vel ab errore correcti fuerint, vel in catholica veritate profecerint. Pro cunctis etiam, qui vel a suis peccatis et vitiis compuncti, vel ad desiderium fuerint patriæ cœlestis accensi. » In libro quoque Vitæ beati Martini legimus, quod « ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur. » Et subditur : « Cui tamen operi minor ætas deputatur. Majores orationi vacabant (Sulp. S., *in Vit. S. Martini*, c. 7). Quibus autem temporibus huic sancto manuum operi insistendum sit, præfatus venerandus Guigo, in prædicto libro, capitulo vicesimo nono, sic ostendit. « A Tertia vero usque ad Sextam hieme, et a Prima usque ad Tertiam æstate, manuum deputatur operibus. Quæ tamen opera, brevibus volumus orationibus interrumpi. Et in æstate quod Vesperam Nonamque disterninat, manualibus occupatur operibus, semperque in operando, ad breves et quasi jaculatas licet orationes recurrere. » De spiritualibus vero exercitiis, quibus horis tam hieme quam æstate, specialiter eis cellæ debeat incola suam operam dare, ita scribit : « Spatium autem vel a Prima usque ad Tertiam, hiemis tempore, vel a Matutinis usque ad Primam æstate, exercitiis spiritualibus mancipatur. » Item capitulo septimo : « Exeuntes de refectorio, inquit, a Kalendis Novembris usque ad Purificationem B. Mariæ, statim Nonam cantamus. Ex quo die usque ad Pascha, spatium quod (id est, inter prandium et Nonam) facimus, lectioni, vel aliquibus talibus exercitiis deputatur. » Item in eodem libro, vigesimo nono capitulo : « A Vesperis usque ad Completorium, spiritualibus opere datur. » Itaque habes cui specialiter operi et quibus ei temporibus, pro scire et posse tuo intendere debeas. Hoc autem scias, quia quæ hausimus apud te, propinavimus tibi : induimus te, sed vestimento proprio ; pavimus te, sed cibo tuo ; dedimus tibi, sed quod habebas ; ditavimus te, sed eo quo abundas. Et hæc tibi de opere manuali in præsenti dicta sufficiant, quod per illum accipimus fluvium quartum, qui de loco voluptatis egregitur, de quo verax dicit historia : *Fluvius quartus, ipse est Euphrates* (*Gen.* II, 14). Ecce, habes quod magis recognoscas, quam agnoscas, qualiter videlicet tu, qui habitator cellæ esse, illis quatuor sanctis ac sanctificantibus exercitiis insistere debeas ; quæ sunt, studium lectionis, puritas meditationis, devotio orationis, utilitas actionis. Nihil tibi in libello posuimus novum, sed antiquum, quia juxta comicum : « Nihil est dictum, quod ante non sit dictum. » Et Ecclesiastes dicit : *Nihil sub sole novum : nec valet quisquam dicere : Ecce, hoc recens est.* Et adjungit, *jam præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos* (*Eccle.* I, 10). Nobis autem conscii non sumus aliquid veritati contrarium nos scripsisse. Verumtamen quod nihil omnino aliter se habens scripserimus, pertinaciter non negamus, scientes bonorum esse, ibi plerumque culpam æstimare, ubi nulla est. Portantes si quidem animam nostram in manibus nostris, ori nostro sic parcere nolumus, ut non carnes nostras dentibus nostris laceremus, dummodo apud nos eas esse deprehendamus. Sed tuæ et sagacitatis providæ, et providentiæ erit sagacis, sic colligere rosam, ut in manu non assumat spinam : sicque (ut apertius dicamus) quod bonum est tenere, ut ab omni specie mala studeat abstinere. Verum jam finem imponamus his ; quia multa quidem diximus ; et utinam tibi, qui cellæ habitator es, tam sint fructuosa quam sunt profusa. Devota quoque te humilitate, et humili nihilominus devotione, et si corpore absentes, tamen spiritu præsentes, exoramus, ut si quid in omnibus quæ hic exarata sunt, tua sanctitas invenerit, ex quo fructum aliquem percipere possit spiritualem, pro anima illius miserrimi peccatoris pie intercedere velit, qui hæc utcunque non quidem ut debuit, sed ut potuit, in unum collegit.

BERNARDI

CARTHUSIÆ PORTARUM PRIMI PRIORIS

EPISTOLÆ TRES.

(Ex codice ms. monasterii S. Augendi Jurensis seu S. Claudii.)

EPISTOLA PRIMA.

AD AYMONEM DE VARENNES ET AYMONEM DE ROHORIA.

De fuga sæculi.

BERNARDUS Portarum prior, et filii ejus, JOANNES DE MONTEMEDIO, et Stephanus de CHALMETO, reverendissimis et in Christo dilectissimis AYMONI DE VARENNES, atque AYMONI DE ROHORIA. Quærere Dominum dum inveniri potest; ad quod curavimus qua Domino donante potuimus, invitatione exhortari præsentes, ad idipsum præsentibus notis cupimus invitare, et excitare absentes.

Qualescunque igitur summi patrisfamilias servi, ipsius ad vos legatione fungentes, ad cœnam ejus, et ad nuptias vos invitamus; ipso injungente adjicientes, tauros et altilia ejus esse occisa, atque omnia parata, et sine dilatione veniendum esse ad nuptias (*Luc.* XIV). Obsecramus ergo, seponite occasiones illas quibus quidam excusare solent, alius dicendo: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire;* alius vero dicendo: *Juga boum emi quinque, et eo probare illa;* alius autem: *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam.* Qui enim sic excusant, non se defendunt, sed patremfamilias, qui eos invitavit, offendunt. Sepositis igitur his et omnibus excusationibus, accelerando venite. Dicente enim angelo ad Joannem apostolum: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt* (*Apoc.* XIX, 9); ne forte ipse (quod absit) merito indignatus dicat: *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerant digni* (*Matth.* XXII, 8); aut certe illud quod terribilius sonare videtur: *Amen dico vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam* (*Luc.* XIV, 24). Cum dicat Scriptura: *Beatus qui loquitur in auribus audientis* (*Eccli.* XXV, 12), id est intelligentis; scientes nos nequaquam imperitis, sed eruditis auribus loqui; præmissarum sententiarum pondus, atque gravitatem, verborum nostrorum expositione extenuandam minime judicamus. Quo præmissa invitatio trahit, ut, contempta mundanæ superbiæ vanitate, Christi humilitatem sequantur; quantumcunque divitiis, vel deliciis in mundana conversatione affluxerint, gaudia non amittunt, sed mutant. Imo vero (exceptis æternis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se) incomparabiliter, atque ineffabiliter majorem inveniunt in divino famulatu, quam in sæcularibus gaudiis potuerunt experiri, jucunditatem, et delectationem. Non enim sine jucunditate sunt, qui dicunt: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*Psal.* CXIII, 14). Et: *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, et argenti* (*ibid.*, 72) Et: *judicia Domini vera, justificata in semetipsa: desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* XVIII, 10, 11). Et alia quæ longum esset numerare. Eos quippe, qui pro cœlestibus terrena, pro sempiternis peritura et immunda oblectamenta contempserunt, non sinit Spiritus sanctus, qui hæc testimonia in Scripturis digessit, experies, et inexpertos esse harum quæ in divinis eloquiis significantur delectationum; quæ quanto majores sint mentis, quam ventris; quantum potiores spirituales, quam carnales, inexperti audire possunt, intelligere autem, vel nosse, omnino non possunt. Noverat autem Apotolus, qui dicebat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (*II Cor.* VII, 4). Non dixit, in prosperitate, sed in tribulatione; nec in aliqua, sed in omni. Qui si diceret: Gaudeo in tribulatione, magnum quid et rem mirandam dixisset. Si etiam diceret, abundo gaudio in tribulatione, rem plus mirandam proposuisset. Dicendo vero: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, excellentiam gaudii sui expressius significare non potuit. Qui ergo suos hic ita consolatur in omni tribulatione ipsorum, quantæ eis consolationis gaudia paravit illic, ubi nulla poterit esse tribulatio? Qui eos sic lætificat, et reficit in peregrinationis via, quomodo lætificabit eos, et satiabit in æternæ mansionis patria? Sed de his hactenus. Quidam autem præmissæ cœnæ Dominicæ, nuptiarumque invitationem contemnentes, et sanctorum gaudia, vel quæ hic habent, vel quæ in futuro eis promissa sunt, aut non credentes, aut negligentes: juxta quod scriptum est: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (*Job* XXI, 13). Qui quia mala sua relinquere nolunt, si aliqua forte bona opera faciunt, non sunt accepta coram Deo; quia sicut scriptum est, cum dederit illis Deus tempus pœnitentiæ, ipsi abutuntur eo in superbia, et peccata multiplicando *thesaurizant sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 5). Tales quando non ipsi, sed Deus vult

imponere finem malis eorum, et reddere quod merentur, id est circa obitus sui diem, si forte permittuntur peccata sua confiteri; juxta quod dicit beatus Augustinus : Loquuntur, non confitentur, quia non acceptat Deus confessionem oris, ubi non est sincera pœnitentia, et sacrificium contriti cordis et humiliati. Nec tantum pœnitet eos peccasse, quantum dolent sibi peccandi licentiam ablatam esse. Neque possunt, nisi cum dolore relinquere quæ cum amore possederunt. Tunc quantumcunque pecuniam, quasi pro redemptione animæ suæ effundant, dura, terribilisque est adversus eos illa a Spiritu sancto per Salomonem prolata sententia : *Non proderunt divitiæ in die ultionis, justitia autem liberabit a morte* (*Prov.* II, 4). Diem ultionis dixit tempus quo jam ingruente ægritudine necessitas mortis imminet. Non proderunt autem, dixit, illis qui justitiam non sunt operati. Audite quoque quam terribiliter talibus contemptoribus commineetur ipsa Sapientia, id est Dei Filius, apud eumdem Salomonem : *Quia*, inquit, *vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit* (*Prov.* I, 24, 26). Et adjecit adhuc de talibus loquens : *Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit : tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et dextraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur* (*ibid.*, 27-32). Addidit quoque. *Aversio*, inquit, *parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos.* Quos significavit nomine parvulorum, eosdem exponendo expressit vocabulo stultorum. Nec de numero talium parvulorum excipiuntur, de quibus per Jeremiam dictum est : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jerem.* IV, 22), licet Apostolus dicat, quod *sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19). Nolite ergo, obsecramus vos, nolite effici participes eorum. Illos namque soles sacræ Scripturæ de hac vita securos exire pronuntiant, qui aut nullis post baptismum commissis, aut certe per dignos pœnitentiæ fructus deletis criminibus, alia in exitu suo quæ confiteantur peccata non habent, nisi illa de quibus dicit apostolus Joannes : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Quod dicendo, nequaquam aliqua crimina, sed illa tantum quotidiana et levia voluit significare peccata, sine quibus (quantumcunque sobrie et juste vivatur) hæc vita non deducitur. Omne autem crimen est peccatum, sed non omne peccatum est crimen. Peccata enim dicuntur ea, quæ etiam loquendo, aut cogitando, inania committimus; qualia per quotidianam confessionem, et Dominicam orationem dimittuntur. Crimina vero nonnisi illa gravia dicuntur, quæ a Deo separant hominem : scilicet quæ vel per Decalogum prohibentur, vel de quibus Apostolus dicit : *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V, 21). Perlecta et diligentissime perscrutata universa Novi ac Veteris Testamenti pagina, nusquam illis aliquam veniæ securitatem, vel certitudinem promittit, qui carnis et sanguinis operibus dediti, ante tempora obitus mala sua non relinquunt. Tunc enim (sicut supra dictum est) non ipsi, sed Deus ponit finem malis eorum. Quod autem in sacris litteris non invenitur, stultissime prædicatur, et infelicissime creditur. Potest autem Deus, de quibus ei placuerit, facere quod fecit de evangelico latrone. Sed unicum et singulare exemplum in doctrinam generalem recipi non debet. Quod ergo incertum est, relinquatur, et quod certitudinis et securitatis plenum est, teneatur. Currite igitur, currite ad misericordem, ne sentiatis postea Judicem, currite donec dies est, ut non tenebræ vos comprehendant. Dicente enim Domino : *Venit nox, quando nemo potest operari* (*Joan.* IX, 4); qui dissimulat et negligit donec dicatur ei : *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, quæ autem parasti cujus erunt?* (*Luc.* XII, 20.) frustra tunc implorat jam ferientem, quem contempsit prius misericorditer vocantem. Qui enim nunc ineffabilem prorogat misericordiam, ex tunc non novit nisi severam, districtamque irrogare sententiam : *Exite* (ait vox cœlitus emissa), *exite de Babylone, populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus* (*Apoc.* XVIII, 4). Et propheta : *O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis* (*Zach.* II, 7). Ne ergo inter filios Babylonis inveniamini, et involvat vos ruina ejus, exite, fugite, accelerate, sequentes, et totis visceribus pietatis amplectentes consilium Sapientiæ, quo dicit : *Fili, ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli.* V, 8, 9). Juxta petitionem vestram, quotidie pro vobis apud Dominum intercedentes, nunc apud vos ipsos, pro vobis ipsis intercedimus; certissime scientes obtinuisse nos apud Dominum effectum petitionis nostræ, si vos non fueritis magis quam ipse inexorabiles. Si agimus hic causam negotii vestri, nolite credere : si autem vestri, nolite negligere. Quod si aliquis vestrum movetur ad faciendum quod per nos monet Christus, alio forte non moto; eum qui nundum movetur obsecramus, et ei denuntiando coram Domino testificamur, et testificando denuntiamus, ut non præsumat revocare, vel retardare quem Dominus vocare dignatur; sed potius oret, ut et ipse trahi mereatur. *Nemo* enim (sicut dicit Veritas) *venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI, 44). Audiat dicentem sibi Sapientiam : *Noli prohibere benefacere eum qui potest; si vales, et ipse benefac* (*Prov.* III, 27) Spiritus et sponsa dicunt : Veni; et quisquam audet dicere : Noli? Cui Christus non promisit diem crastinum, quisquam audet supendere usque ad annum alterum? Christus enim dicit : *Orate ne fiat fuga vestra*

hieme, vel Sabbato (*Matth.* XXIV, 20) : et quisnam dicit ; Mecum poteris fugere anno secundo vel tertio ? Cujus autem cor Christus movit modis omnibus, det operam, ut qui non est motus moveatur, aut parum motus confirmetur. Alioquin audiat non illum revocantem, sed Christum dicentem : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum tibi est cum uno oculo ad vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis* (*Matth.* XVIII, 9). Idem de manu dixit, et de pede. Quidam dum eos, quos Christus vocat, quasi consulendo revocant, vel retardant ; incaute quidem et simpliciter, sed tamen non innocenter agunt partes diaboli contra Christum. Scimus plerosque qui, relictis omnibus, ad serviendum Deo se contulerunt : nonnullos etiam qui idipsum se in proximo facturos voverunt, hanc a Domino consolationem ardentissime exspectare, et desiderantissime flagitare, ut nostro et instituantur exemplo, et eruditiantur eloquio, et fulciantur consilio. Obsecramus vos, si estis obliti vestri, miseremini illorum ; necnon et multorum, quibus exemplo, et imitatione vestra januam pietatis suæ aperire paratus est Dominus. Alioquin vos videritis quam rationem de talento, quod hactenus reconditum in terra tenuistis, sitis Domino reddituri, jamjam ecce venturo. Hæc quæ non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, prout donare ipse dignatus est, calamo percurrente exaravimus, faciat Dominus ita in cordibus vestris operari ; ut in proximo et nos de effectu intentionis nostræ gratias ei agamus, et uterque vestrum sincera pietate coram ipso dicere mereatur : *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua* (*Psal.* CXVIII, 59), et : *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua* (*ibid.*, 101). Valete.

EPISTOLA II.

AD MONIALES DE LUGDUNO.

Hortatur illas ad capessendam magno animo, quam recens susceperant, strictiorem disciplinam.

PERNARDUS Portarum prior vocatus, et qui cum eo sunt fratres, venerandis ; et in Christo charissimis sororibus, abbatissæ Lugdunensi, et aliis sanctimonialibus sub ejus regimine Christo servientibus, devotissimam in Domino salutem.

Gratias agimus Deo, quod tandem vobis donare dignatus est, ut sub regulari disciplina religiose et sancte viveretis. De hoc gratiæ Dei circa vos beneficio angeli gratulantur, sancti lætantur, Ecclesia Christi gloriatur et exsultat. Jam ipse Christus coronam vobis præparavit in cœlis, quia, ipso donante, mundum et diabolum vicistis. Mundum namque vicistis, quia quamvis adhuc in mundo sitis, jam tamen per Dei gratiam de mundo non estis. Apostolis enim Dixit Christus et cum apostolis, vobis : *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo* (*Joan.* XV, 19). De mundo enim sunt qui mundum diligunt, et secundum mundi concupiscentias vivunt. Diabolum autem vicistis, quia arma in quibus confidebat abstulistis : fugiendo opportunitatem peccandi, quam ille præparat omnibus quos seducere potest ; et laqueos quos vobis tendebat disrupistis. Non autem vos, sed ille, cui gratias agentes, dicitis : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 17). Et de quo iterum dicitis : *Abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui* (*Psal.* XXVI, 5). Ipsa quoque gloriosissima Dei genitrix Maria, jam pro vobis intercedit, et gaudet vos in numero sanctarum computari feminarum. A modo Ecclesia Christi, quæ de vestra inordinata conversatione prius dehonestabatur, vestris apud Deum orationibus adjuvabitur, et quantum prius contristabatur de vestra irreligione, tantum gloriabitur, et lætabitur de vestra emendatione. Cum ergo et angelis in cœlo, et hominibus in terra gaudium sit de vestra conversatione ; quantum vos debetis de propria salute gaudere ? quantas Deo gratias agere pro vestra liberatione ? Devotissime namque dicere debetis illud quod in psalmo canitur : *Confitebor tibi, Domine Deus meus, et glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV, 12 13). Hoc autem scitote, multum expedire vobis, et salutare esse, ut bonum quod cœpistis, cum hilaritate et gaudio faciatis. Sic enim opus bonum debere fieri docet Apostolus, dicens : *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Unde in Psalmo : *Servite Domino in lætitia* (*Psal.* XCIX, 2). Quod si forte aliquæ ex vobis adhuc tristes sint de hac sancta, et Deo placita, quæ eis facta est, violentia, vos quæ prudentiores, et meliores estis, debetis eas in Verbo Dei consolari, et intimare eis quod sancta Scriptura dicit : *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno, ita tristitia nocet cordi* (*Prov.* XXV, 20). Dicit etiam Apostolus : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi vero tristitia mortem operatur* (*II Cor.* VII, 10). Debetis etiam pro eis orare, et eas ad orandum invitare, ut per gratiam Dei, necessitatem convertant in voluntatem. Et sicut beatus Hieronymus docet (epist. 10 *ad Furiam*), faciant de necessitate virtutem. Hoc pro eis si vos, et illæ pro se instanter oraverint, charitas Dei per Spiritum sanctum diffundetur in cordibus earum, et tunc veraciter dicent : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII, 31). Tristitia enim in corde facit angustias, ut bonum opus oneri sit et tædio. Charitas autem dilatet cor, ut opus bonum cum hilaritate, et sine difficultate fiat. Omnes quoque communiter facite quod dicit Apostolus : *Mulier innupta, et virgo, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore ac spiritu* (*I Cor.* VII, 34). Corpore sancta est quæ habet corpus immaculatum. Spiritu sancta est, quæ cogitando ea quæ Domini sunt, servat cor ab immundis, et illecebrosis cogitationibus mundum, unde illud : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Cor autem ita bene custodi-

tur, si sanctis semper cogitationibus, quantum fieri potest, occupatum teneatur : juxta quod legitur : *Cogitatio sancta servabit te* (*Prov.* II, 11 *sec. LXX*). Hoc autem vigilanter, et studiose facere debetis, modo per orationem, modo per sanctam meditationem, aliquando per manuum in silentio operationem, dicente Apostolo : *Qui non vult operari, non manducet* (*II Thess.* III, 10). Sæpe vero per psalmodiam cordibus et vocibus consonantibus; sicut idem Apostolus docet : *Cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Eph.* V, 19). Quæ licet omnia studiosissime facjatis, impossibile tamen est ut pravis omnino suggestionibus careatis. Tribus autem modis peccatum perpetratur ; suggestione, quæ fit a diabolo per cogitationem; delectatione, quæ fit per carnem, eodem diabolo inflammante concupiscentiam ; consensu, qui fit per animum. Sed nullum est periculum, nullum est omnino peccatum, si cogitationes, muscarum more, importune irruentes, instanter abigat animus, super custodiam sui vigilanter excubias agens. Si autem mens dormitat, et passim quaslibet immundas, et noxias cogitationes non solum ingredi, sed etiam moram in animo facere permittit, increpat nos sermo divinus per Prophetam : *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ?* (*Jer.* IV, 14.) Si autem post pravam suggestionem per nimiam negligentiam, delectatio, sive concupiscentia mota fuerit, tunc saltem expergiscatur animus, et per invocationem nominis Christi ignem excitatum exstinguendo, hostes, jam intra januam admissos, viriliter resistendo excludat, ne et ipse (quod absit) per peccati consensum captivus trahatur, vel etiam perimatur. Si vero post delectationem sequatur consensus, ut scilicet, quod caro concupiscit, animus decernat esse faciendum, jam omnino peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum : quoniam rea tenetur, etiam sine opere malo voluntas mala. Sicut enim bonam voluntatem reputat Deus homini ad justitiam, etiamsi non habeat facultatem bene operandi, ita voluntatem malam reputat ad peccatum, quamvis non habeat opportunitatem peccandi. Hæc de cordis custodia breviter diximus, ut intelligatis qualiter juxta apostolicum, quod supra diximus, testimonium, non tantum corporis, sed et mentis sanctimoniam sectari debeatis. Quam quanto studiosius sectatæ fueritis, tanto magis Christo Domino, cui desponsatæ estis placebitis, et ab ipso audire merebimini illud, quod legitur in Cantico canticorum : *Ecce, tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es. Oculi tui columbarum* (*Cant.* I, 24). Bis dixit, pulchra; pulchra scilicet interius et pulchra exterius; pulchra interius per cordis puritatem, et pulchra exterius per vitæ integritatem. Item pulchra interius per bonam intentionem; et pulchra exterius per bonam operationem. Pulchra interius per bonam voluntatem, pulchra exterius per sanctam conversationem. *Oculi tui*, inquit, *columbarum*, quia more columbarum, quarum natura simplex est, et sine felle, nihil vident oculi tui quod animus male concupiscat.

A Quando autem de hac vita exibitis, liberatæ ab æternis cruciatibus impiorum, perfruemini æterna felicitate justorum, et videbitis Regem in decore suo, in quem desiderant angeli prospicere Audite Dominum in Evangelio dicentem : *Vigilate omni tempore orantes, ut mereamini fugere mala quæ ventura sunt in novissimis diebus, et stare ante Filium hominis* (*Luc.* XXI, 36). Et Apostolus : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Hæc cogitate, hæc assidua meditatione recolite : et nihil laboriosum, nihil onerosum æstimabitis, quo possitis ignis æterni supplicia evadere, et beatitudinis æternæ præmia obtinere.

EPISTOLA III.

AD RAINALDUM INCLUSUM.

Qualiter coram Domino sit vivendum.

B Bernardus Portarum Prior vocatus, Rainaldo fratri incluso, in sancto proposito viriliter agere.

Rem quidem honestam, sed cui forte justam possemus excusationem obtendere, postulas; ut qualiter tibi coram Domino vivendum sit, scripto digeramus. Sed ne magis videamur charitati defuisse quam rationabiliter excusasse, non quidem prout expedit, sed sicut charitas suggerit, tuæ petitioni satisfacere aggredimur. Commoneri autem te volumus, nos nequaquam fixam tibi et certam vivendi regulam statuere; sed quæ compendiosa videntur, ex his quæ ecclesiastica religio observare consuevit, tibi breviter insinuare. Si quæ vero dixerimus, quæ vel dura nimis videantur, vel levia ; tuum erit vel dura levioribus C temperare, vel levia robustioribus mutare; prout Dominus voluntatem tibi dederit pariter, et facultatem : servata tamen ubique (quod multum monemus) discretione, quæ et ad profectum, et ad perseverantiam religionis plurimum valere dignoscitur. Incipientes enim, quos novitios vocant, plerumque majora viribus aggressi (eo quod fervorem eorum soleat indiscretio comitari) aut, quod graviter dolendum est, perseverantiam perdunt; aut gravem corporis, quandoque vero et mentis invalitudinem incurrentes, ad leviora, et nimis remissa quæ omnino reliquisse debuerant, redire compelluntur.

De silentio. — His igitur præmissis, de silentio prius dicamus. Hoc omnino tibi observandum videD tur, ut a Completorio usque ad Primam æstivo tempore, hiemali vero tempore, usque ad Tertiam silentium teneas. Cum enim semper (quantum res ipsa permittit) silentium captare et sectari debeas, maxime noctu non est violandum, nisi vehemens necessitas compellat, ut paucis verbis, et cum modestia prolatis, res necessaria significetur. Otiosa vero verba, et nullius utilitatis pondus habentia, non solum non debes aliquando loqui, sed nec ab aliquo audire. Nullus tibi fabulas, vel scurrilitates, nullus rumores exteriorum negotiorum audeat referre. Illud tantum audi libenter, unde Deo gratias agas, si beneficia divina sunt, vel unde coram Deo preces effundas, si tristia sint vel adversa. Omnis qui ad te venit, vel a te bona audiat, vel tibi bona dicat. Si

vero religiosi vel eruditi viri te visitant, paratior semper esto bona ab eis audire quam dicere. Hæc si observare studueris, non impedient devotionem cordis tui phantasmata vanitatum, in psalmodia et in oratione. Quanta vero necessitas hæc observandi tibi incumbat, his testimoniis Scripturarum sanctarum adverte. Dominus in Evangelio dicit : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Item scriptum est : *In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X, 19), et : *Vir linguosus non dirigetur in terra* (*Psal.* CXXXIX, 12) : et *mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Fac igitur quod dicis in psalmo : *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea; posui ori meo custodiam* (*Psal.* XXXVIII, 23) : ubi et sequitur : *Obmutui, et silui a bonis* (*Ibid.*, 3). Si ergo juxta Prophetam, debes propter gravitatem silentii, aliquando silere etiam a bonis, quam longe debent a te esse quæ bona non sunt?

Contra otiositatem. — Nunc de occupatione spiritualium vel corporalium operum prosequamur. Quoniam constans est otiositatem inimicam esse animæ, et Apostolus dicit : *Qui non operatur, nec manducet* (*II Thess.* III, 10), oportet ut aliquo spiritali opere occupatum te omni tempore quo vigilaveris tentator inveniat. Congruum etiam nobis videtur, ut juxta eumdem Apostolum, *secundum ordinem* (*I Cor.* XIV, 40), hæc eadem opera tua distinguas. Matutinum igitur tempus, usque ad Tertiam in hieme, in æstate vero usque ad Primam spiritualibus exercitiis impende. Spiritualia vero opera appellamus, orationem, sacram lectionem, sanctam meditationem, et psalmodiam. Per reliquum autem tempus diei, usque ad Vesperas, aliquo utili opere manuum occupatus esto; ita ut brevibus orationibus illud interrumpas. Post Vesperas autem spiritualibus operibus vacare, sed et tunc, quantum poteris, silentio operam dare memento. Post Completorium vero, quieti membra dare non differas. Diebus festis maxime debes spiritualibus studiis operam dare, prout tibi Dominus in eis fervorem, et gratiam præstare dignabitur. Noveris tamen melius esse ad aliquod opus manuum vicissim recurrere, quam dormitando lectioni insistere, et ex prolixitate lectionis tædium incurrere : ut præcurso aliquo opere, grata vicissitudine rursus ad orationem vel lectionem ferventior consurgas. Tale autem opus tunc facito, quod quiete, et sine sonitu possit fieri, ne turba indiscreta scandalum sumat. Cave autem ne unquam eam sollicitudinem circa opus aliquod corporale habeas, quæ te tardum, vel tepidum faciat ad orationem, vel, ad cætera quæ spiritualiter sunt facienda. Non enim corporalia exercitia spiritualibus præferenda, sed multo excellentius spiritualia sunt corporalibus anteponenda. Quæ corporaliter facies, suo tempore strenue, et impigre fiant. Absit autem ut tuum fervorem, vel devotionem quæ circa spiritualia debes habere, sui cura vel sollicitudine impediant. *Nihil solliciti sitis,* A ait Apostolus, *sed in omni oratione : et obsecratione cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum* (*Phil.* IV, 6). Ejusdem quoque Apostoli auctoritate : *Corporalis exercitatio ad modicum prodest ; pietas autem ad omnia est utilis* (*I Tim.* IV, 8).

De pretio operum. — De pretio operum tuorum quæ tibi necessaria erunt ad continuationem operis tui comparabis, quæ vero supererunt, in his quæ tibi necessaria erunt ad vestitum expendes. Nec ab alio expensam in vestibus accipere cures, si tibi eas de opere tuo sufficienter poteris comparare. Nam victum scimus te de monasterio habere. Illis vero quæ supra dicta sunt exceptis caveto omnino, et abominabile ducito, aliquid tibi quasi proprium recondere, vel retinere. Sed quidquid tibi post expensam quæ necessaria est ad vestes, et ad præparationem operis B tui supererit ; vel de his quæ tibi forte ab aliquibus servis Dei dabuntur, vel de pretio operum tuorum, continuo (prout tibi videbitur) necessitatibus indigentium impende ; ut, juxta Apostolum, *operando manibus tuis quod bonum est, habeas unde tribuas necessitatem patienti* (*Ephes.* IV, 28). Quod si aliquando tibi vult aliquis dare quod necessarium non habeas, memento scriptum esse : *Beatius magis est dare quam accipere* (*Act.* XX, 15). Absit enim ut aliqua vel levi cupiditate mentem tuam macules, et gratiam illius, qui te vocavit, a te repellas, vel retinendo, vel concupiscendo quod necessarium non habes ; qui non solum mundo, et universis concupiscentiis ejus abrenuntiasti, sed etiam temetipsum C abnegasti, ut crucem tuam post Jesum portando, ad ejus promissa pervenias.

Quibus vestibus utendum. — De vestitu vero ita nobis videtur, quod a lineis vestibus omnino abstinere possis et debeas, et laneis, atque pelliciis indumentis contentus esse. Quod si tibi ita placuerit, habe pro camisiis duabus duas tunicas. Caligarum duo paria vel tria, propter hiemalia frigora. Pedulia quæ sufficiant. Pelliciam unam, aut duas, si necessarias judicabis, et pelles, et cappam. Ad lectum habeto stramen, filtrum, coopertorium de grossis ovium pellibus rustico panno coopertum, vel cotum (1), pulvinum, ad caput. Habe quoque duas acus, filum, et forfices, et hujusmodi suppellectilem quam D tibi videbis esse necessariam, ne cogaris talia petendo ab aliis, silentium rumpere, vel indigentiam patiendo sollicitudinem habere. Videtur etiam nobis, quod canonicalem habitum, quando præsens erit episcopus, accipere debeas, ut non solum locus, sed et habitus commonefaciat te ad sobrie et pie vivendum coram illo qui absconditorum est cognitor.

Quomodo jejunandum. — De abstinentia vel jejuniis ita accipe. Dicit quidem Apostolus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX, 27). Et iterum : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V, 24). Sed quoniam hujusmodi habitatio, quam Deo inspirante elegisti, solet sanitati capitis propter

(1) Cotum, Gallis *coussin*, ex Teutonico *Kussen*.

aerem inclusum obesse, quod et crebra jejunia facere noscuntur; non arbitramur tibi expedire quod magnum abstinentiæ rigorem assumas. Igitur satis esse credimus, ut sexta feria semel reficias, per totum annum : abstinendo quidem a vino, sed pulmentum sumendo; nisi festi dies, vel octavæ sacrarum solemnitatum Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes occurrerint, vel sanguinem minueris, vel forte ægrotus fueris. Quod si quarta feria eadem abstinentia tibi transigenda videatur, nihil ulterius addendum censemus. Jejunia enim in pane et aqua, ea quam supra diximus causa, non arbitramur tibi esse commoda : nisi forte videatur tibi sic esse transigendas vigilias harum solemnitatum, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Ascensionis et S. Joannis Baptistæ, Petri et Pauli apostolorum, Assumptionis B beatæ Mariæ, et Omnium Sanctorum. Reliquum vero tempus totius anni, more monachorum tibi transigendum putamus; ut scilicet, ab Idibus Septembris usque ad Pascha semel comedas; a Pascha vero usque ad easdem Idus bis reficias. Vinum quoque ad mensuram monachorum, sed nunquam purum bibendo, et cætera, quæ tibi ab eis ministrabuntur, cum gratiarum actione percipiendo : excepto quod a carnibus et sanguine (nisi quando ægrotaveris) tibi abstinendum putamus. Illud autem Evangelicum oportet te in refectione semper attendere, quod Dominus ait : *Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34). Et quod ait Apostolus : *Carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Mediocrem enim cibum et potum, et me- C diocrem somnum, et animæ, et corpori saluberrimum esse, et ad munditiam cordis, et carnis plurimum prodesse notissimum est. Hanc tu mediocritatem sectari memento, ita ut eamdem, quantum Domino adjuvante poteris, mensuram refectionis semper servando, neque in vilioribus cibis aliquid naturali necessitati substrahas, neque in lautioribus et accuratioribus, plus solito, vel plusquam naturæ satis est, concupiscentiæ carnis indulgeas. Hæc temperantia victus, et Deo erit acceptior, et ad munditiam carnis pariter et cordis utilior, et corpori salubrior, quam si robustiora jejunia sectando, postmodum indiscreta saturitate jejunium compensares.

De divino Officio. — In Officio divino usum clericorum sequaris; unde non habes necesse ut scribamus tibi. Ut autem observes hanc distinctionem temporis in eodem divino Officio persolvendo, quantam poteris diligentiam adhibe : ut scilicet, vel ad gallorum cantum, vel ad signum monachorum, vel ad æstimationem tuam tali tempore surgas. Ut a Kalendis Octobris usque ad Pascha ante auroram; a Pascha vero usque ad prædictas Kalendas, paulo post auroram nocturnum Officium finias. Primam cantabis in hieme, lucescente aurora : Tertiam, oriente sole, sextam vero et Nonam, Vesperas et Completorium ad signum monachorum. Si præscriptum tempus surgendi ad nocturnum officium poteris observare, ad lectum matutinum horis nunquam A redeas. Tunc autem, sicut supra diximus, spiritualibus studiis, non somno debes operam dare. Raro enim qui studiosi sunt in spiritalibus, tali tempore, nisi forte minutionis causa dormire solent. Quod si aliquando productior hora superesset usque ad lucem, et dormiendum tibi putares, orationem solitam, si somno nimis gravatus non esses, deberes prius facere; et postea, si ita oporteret, paulisper somnum gustare. Si autem libros necessarios ad nocturnum officium non haberes (quos tamen tibi defuturos non arbitramur), deberes vel ante, vel circa auroram, ad orationem, et ad aliquid aliud spiritualiter agendum exsurgere. In æstate quoque, quod pene obliti fueramus, debes post meridiem, sicut et monachi, dormire.

De oratione communi. — Orationi instantissime, et intentissime intendere memineris. Ab hac nulla unquam sollicitudo, nulla ægritudo, vel molestia te revocet. Ora autem non pro tua, sed et pro omnium fidelium vivorum, nasciturorum, et defunctorum salute, et pro eis quorum solatio sustentaris, simul et pro nobis. Tunc fretus Spiritus sancti auxilio, qui docet orare sanctos *gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26), juxta Dominicam exhortationem; intra in cubiculum cordis tui, et clauso ostio pectoris contra vanitates, et immundas cogitationes, quibus hostis irrumpere nititur, ora Patrem tuum in abscondito. Omni hora, quantum Domino præstante poteris, sed tunc præcipue, omni custodia serva cor tuum.

Ut mentis et linguæ concordia sit. — Cum autem steteris coram Domino ad psallendum, omne studium, omnem vigilantiam adhibe, ut mens cum lingua conveniat; ut facias quod ait Apostolus : *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Eph.* V, 19); et quod de se dicebat : *Psallam et mente* (*I Cor.* XIV, 15). Et quod ait : *Psallite sapienter* (*Psal.* XLVI, 8), et : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII, 1). Hæc faciendo, infundente Spiritu sancto rorem suavitatis suæ plerumque non prophetiam vel verba ab alio dictata promere, sed ipsa verba devotissimæ orationis coram Deo fundere tibi videberis.

De tempore matutino. — Post psalmodiam, vel D orationem, matutino maxime tempore meditare in lege Dei, prout ipse gratiam tibi dederit : et quid tibi præcipiat Dominus, qualiter illud impleas, in secreto cordis tui scrutare : et ad regulam divinorum mandatorum, et ad exemplar sanctorum Patrum, fortitudinem cordis tui et morum tuorum dirige. Idem si quando in lecto dormire non poteris, facere stude sine intermissione, quod monet Scriptura, quod et paulo ante commemoravimus : *Omni*, inquit, *custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Res enim instabilis est humanus animus, et nisi semper, quantum Dominus adjuvare dignatur, sanctis meditationibus occupatus magno studio teneatur; postquam defluxit per vanitates, et immunditias, quas tentator suggerere, et ingerere

non cessat, non facile in oratione vel psalmodia devotus invenitur.

De lectione. — Ad lectionem quoque devotus, et cum spiritali desiderio accede, ut vel aliquid ibi audias quod in exemplum tuæ conversationis trahas; vel prout Dominus tibi dispensare dignabitur, dulcedine divinorum eloquiorum, et mysteriorum reficiaris. Hoc studio, hac intentione lege vicissim omnes quas poteris habere divinas Scripturas, non autem ut scientia inflaris, sed ut charitate ædificeris. Quas vero Scripturas intellectu non penetrabis, humiliter tanquam divina secreta venerare: et pie differ intelligentiam, donec intres in sanctuarium Dei, intelligas in novissima. Pro his autem quæ intellexeris, auctori muneris humiliter gratias age. Libris qui tibi accommodabuntur omnem diligentiam adhibe, ne vel fumo vel pulvere, vel alia qualibet sorde maculentur.

De molestia corporis. — Si quando corporis molestiam aut ægritudinem sustinueris, aut ab aliquo forte, vel verbo vel facto læsus fueris, meminisse debes passionum et injuriarum Christi. Angustias quas Domino disponente tolerabis, non solum patienter sustine, verum etiam gratias age illi, qui flagellat omnem filium quem recipit, si tibi dignatur flagella paternæ pietatis impendere. In his vero quæ a proximis patieris, non reddas malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario, non verbo tenus tantum, sed corde intimo, et placito benedicas, et pro calumniantibus et persequentibus ores, ut sis filius Patris tui, qui in cœlis est. Hujusmodi ab homine injurias licet nullas aut raras te passurum arbitremur; si quid tamen (prout sunt humana) contigerit, volumus pectus tuum adversus hujusmodi immune fore. Sed neque tibi ipsi irascaris, quod quibusdam indiscretis solet evenire, dum aliquam difficultatem in aliquo opere faciendo patiuntur.

Impedimenta orationis. — Solent etiam qui soli commorantur, ad semetipsos turbari, et quamdam nebulam tristitiæ agente diabolo contrahere. Novit enim hostis inveteratus, diversis generibus nocendi, orationes servorum Dei, et sancta eorum studia impedire. Ille modo tristitiam vel iram irrationabilem, modo elationem superbiæ, modo memoriam alicujus injuriæ, modo vanam eorum quæ aliquando vel dicta, vel facta, vel facienda sunt recordationem, modo immundas cogitationes, modo teporem animi vel torporem somni nititur ingerere, ut a sancta intentione animum possit avertere, vel impedire. Quod si in minoribus sentit sibi non resisti, majora continuo tentationum vincula nectit. Mavult enim supplantare quam impedire. Quos vero supplantare non potest, impedire (quantum prævalet) non cessat. *Sed fidelis est Deus*, ait Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* x, 13). Tum vero adversus hæc, et omnia omnino tentationum genera, adversus quoque nocturnas illusiones, A virtute orationis armare, et clypeum illum arripe de quo ait Apostolus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere* (*Eph.* VI, 16), etc. Sincerus enim amor, et fervens fides crucis Christi, universa machinamenta inimici irrita facit: et effusa cum lacrymis oratio, omne genus tentationis superat, et repellit.

De humilitate. — Hæc sunt spiritualia instrumenta et certamina militiæ tuæ coram Rege, cui cœpisti militare. Scire namque debes ob hoc te clausum esse corpore, et ab exterioribus curis separatum, ut corde possis ad ista vacare. Coram hominibus magnus haberis, quia reclusus diceris: sed nisi ista omni studio coram Deo, omnique vigilantia exsequaris, magnus esse minime poteris. Nam homines B sola exteriora advertunt: de interioribus autem judicabit Altissimus. Ubi vero te minus ad hæc exempla sufficere videbis, indevotionem et imperfectionem tuam coram Deo humiliter confitendo, auxilium gratiæ ipsius omni devotione expostula, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Necesse est enim ut sæpe tepidum, sæpe torpidum te invenias. Ob hoc igitur illius gratia ad tempus se subtrahit, ut de illius auxilio confidas, non de tua virtute præsumas. Sic Pater clementissimus novit superbiam humilitate sanare. Nisi enim ille aliquando gratiam suam subtraheret, elata mens humana, et se sibi ad justitiam sufficere credens, in superbiam gravius rueret. Sed sic ille deserit elatum, ut clementiori gratia redeat ad humiliatum: sic dormit C in tempestate, ut excitatus precibus, imperet ventis et mari, et faciat tranquillitatem magnam. Plenissime te docebunt Scripturæ, omnium virtutum custodem esse humilitatem, et omnem virtutem sine hac viduam et infirmam esse, imo nec virtutem esse. Jejunanti tibi, oranti, psallenti, non deerunt invisibiles inimici, applaudentes tibi, et dicentes: Euge, euge, quis tibi similis? quis ita placet Deo? O si scirent homines sanctitatem tuam! Quibus tu continuo in corde tuo prophetica voce responde: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi Euge, Euge* (*Psal.* xxxix, 16). Et adde: *Ego enim mendicus sum et pauper* (*ibid.*, 18). Revera enim quantumcunque de virtute in virtutem ambulando proficias, egenus eris semper et pauper, nec plenam de invi- D sibili hoste poteris obtinere victoriam: donec ad illum pervenias, cui dicit: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* xv, 11), et *satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* xvi, 15). Si quisquam forte homo te coram te laudaverit, noli plus alienis verbis quam propriæ conscientiæ credere, reminiscens Scripturæ dicentis: *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt* (*Isa.* iii, 12). Ut ergo de profectibus tuis apud te non extollaris, in mente habe quod Apostolus ait: *Quid habes quod non accepisti? et si accepisti, cur gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* iv, 7.) Ut vero appetitum humani favoris fugias, audi Dominum dicentem: *Attendite ne justitiam vestram coram hominibus faciatis ut videamini ab eis* (*Matth.* vi,

1). *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem cestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* VI, 5). Item de talibus dicit : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*ibid.*, 5). Noli autem arbitrari, malum esse ab hominibus laudari, si non adulationis causa fiat : cum e contra scriptum sit : *Væ homini, per quem nomen Domini blasphematur* (*Rom.* I, 24 ; *Isa.* LII, 5). Sed malum est, laudem appetere, vel amare.

De Charitate. — Postquam autem didiceris a Christo, mitis esse, et humilis corde, ille qui superbis resistit, et humilibus dat gratiam suam, petenti, quærenti, pulsanti tibi dabit per Spiritum sanctum charitatem, qua majorem nulli homini in hac vita dat gratiam. Hæc postquam cœperit in corde tuo fervere, ita dilatabit illud, ut quidquid tibi in divinis mandatis durum videtur, vel difficile, fiat facillimum. Ita, inquam, dilatabit cor tuum, et quæcunque tibi dura videntur, vel aspera, jucunda faciet et levia, ut veraciter dicas : *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII, 34) : Et illud : *In via mandatorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*ibid.*, 14). Hanc tu charitatem, nihil aliud quam dilectionem Dei et proximi intellige. Nam duo sunt præcepta, sed una est charitas. Cum de duobus mandatis Dominus loqueretur : *In his*, inquit, *duobus præceptis universa lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Cum autem de charitate, quæ una est, Apostolus loqueretur, ait : *Plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII, 10). Duo ergo sunt, quæ jubentur ; sed una est charitas per quam implentur. Præcepta quæ jubentur sunt in lege ; sed charitas per quam implentur est in corde. Sed non potest esse in cordibus nostris, ex nobis ipsis, vel per nosmetipsos ; sed *charitas Dei*, ait Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Hanc tu instantissime, incessanter et devotissime ab illo pete, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum. Quomodo sine charitate nullum opus bonum possit esse perfectum, imo sine charitate nihil possit prodesse, illa apostolica lectio te poterit edocere, quæ sic incipit : *Si linguis hominum loquar, et angelorum* (*I Cor.* XIII, 1 ; *Rom.* VIII, 38, 39), etc. Felix cujus animus ita plenus est charitate, ut veraciter possit dicere : *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

De confessione. — Aliquem spiritalem virum de monasterio, opportunis (prout tibi et illi videbitur) temporibus ad te venire postulabis, non quemlibet, sed religiosum virum et discretum, cui humiliter quasi Patri confitearis offensas, quibus te coram Deo reprehensibilem esse animadverties. Non solum enim negligentias actionum, vel temeritates locutionum, sed et peccata cogitationum debes discutere, et in cera notata, vel membrana memoriter confiteri : et quæ ab eo tibi injungentur, devote exsequi, et ut pro te oret humiliter deprecari, juxta illud : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V, 16). Per confessionem enim et pœnitentiam, cum sacrificio orationis et præterita peccata diluuntur, et futura caventur, et insidiæ atque illusiones dæmonum caventur, et vacuantur. Scire quippe debes, religiosis et magni et ardui propositi viris, pro gravibus culpis deputari quasdam offensas, quæ leves, et veniales in sæculari conversatione habentur. Itaque memento quod beatus Job ait ad Dominum : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job* IX, 28). Confortare igitur in Domino, et virili er age, non enim tibi deerit Christus, nec te sua promissione fraudabit, quia dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ipse autem qui te per gratiam suam vocavit, ita tibi et nobis auxilio tuarum orationum adjutis dignetur adesse, ut mutua nos in regno suo visione faciat sine fine gaudere. Amen.

JOANNIS
CARTHUSIÆ PORTARUM MONACHI
EPISTOLÆ QUINQUE

(Ex codice ms. monasterii S. Augendi Jurensis seu S. Claudii.)

EPISTOLA PRIMA.

AD STEPHANUM FRATREM CARNE ET SPIRITU.

De fuga sæculi.

STEPHANO dilectissimo in Christo, JOANNES frater ipsius carne ac spiritu, in Christi visceribus inveniri, et ab auditione mala non timere.

Qui fit, charissime, in Christo desiderantissime, ut cum omnes circumquaque populi Christianæ religionis professores simus, mandatis Dominicis, tanto eorum qui intra Ecclesiam continentur multitudo non solum obedientiam non deferre, faciendo imperata, verum etiam obstinatis animis adversari, faciendo prohibita, inveniatur ? Qui utrique, tam qui imperata non faciunt, quam qui prohibita facere non

metuunt, si quæ sunt in nobis viscera misericordiæ, si quæ pietatis, assiduo lugendi fletu, assiduo sunt plangendi dolore. Utrique enim, etsi non eamdem forte pœnam, eamdem tamen, nisi in pœnitentia perdurent, incurrent damnationem. Adeo quippe repleta est terra iniquitate, et quod in novissimis diebus Dominus futurum prædixit (*Matth.* XXIV, 14), abundante iniquitate, refrigescere cœpit charitas multorum; ut facilius invenias qui laudet peccatorem in desideriis animæ suæ, quam qui corripiat eum ab errore viæ suæ. Quod si de otiosis sermonibus reddituri sumus rationem in die judicii, qui voluptatum et illicitorum hujus mundi desideriorum sunt amatores magis quam Dei, quo ibunt a spiritu illius, et quo a facie ejus fugient; qui quidem in humilitate judicatus, venturus est cum potestate, et majestate judicare sæculum per ignem? Quomodo poterunt habitare cum igne devorante, et ardoribus sempiternis? Si neque ab oriente, neque ab occidente patet locus effugiendi judicem Deum, quando justus vix salvabitur, impii et peccatores ubi parebunt? Terribilis est ergo nimis, et supra quam vel dici, vel excogitari potest formidabilis, etiam justis, exspectatio illa judicii quo oportet omnes nos præsentari ante tribunal Christi. Horrendum quippe est incidere in manus Dei viventis. Sed non hæc cogitare, non hæc volunt animadvertere, qui variis et illicitis hujus vitæ desideriis deservientes, quæ de illo tremendo examine dicuntur, aut non credunt, aut contemnunt; vel etiam si credunt, diabolica tamen inspiratione levigante timorem, in contemptum, et oblivionem ducunt, quæ quantum fieri posset, etiam dormiendo, ante oculos mentis habere deberent. Quod si ea est causa levigandi timoris, quia scilicet dies illa judicii longe esse videtur; vel illa novissima decessus sui dies, quæ uniquique propinqua est, deberet unumquemque terrere, et sollicitum facere, et torporem et teporem mentium ad vigilandum excitare: in qua singulos pro meritis, quæ nec augeri amplius, nec minui poterunt, necesse est invenire ea, quæ vel bona in sempiternum non poterunt in deterius commutari, vel mala in melius converti. Sunt autem multi, imo infinita hominum multitudo, qui cum assiduis suis peccatis, mala sua multiplicent; peccatores quidem se esse recognoscunt, sed tamen converti dissimulant; exemplo scilicet illius Evangelici latronis nimis inhærendo, quadam præsumptione divinæ misericordiæ, una novissima tempore obitus sui confessione, deleri confidentes peccatorum suorum multitudinem, quam nec æstimatione comprehendere possunt. Horum multi dum incaute de misericordia confidunt, verenda nimis et occulta, sed tamen justa divini judicii severitate damnationem incurrunt. Quam rem quidem ita se habere subiti casus immaturæ mortis, et corda multorum sub indultæ confessionis tempore, impœnitentia lacrymabilibus, et miserabilibus modis nimis frequenter manifestant. Quam impœnitens autem cor, multi illius ultimæ confessionis tempore habeant, in illis maxime manifestatur, qui postquam de vita desperaverant, post illam quamcunque confessionem, de ægritudine convalescentes, ad consueta peccata redeunt, et deteriora quam prius aliquando committunt. Si enim vere pœnituissent, deflenda rursus atque dolenda committere caverent. Qui si illius invalitudinis tempore mortem subirent, utrum ad regnum Christi perventuri essent Deus viderit. Qui igitur ab hac vita ita egrediuntur, hujusmodi etiam confessione non carentes; sicut salus eorum dubia, ita et damnatio incerta: sicut non est de eis desperandum, ita nec præsumendum. Quomodo enim finem invenient suppliciis, qui finem nunquam imposuere peccatis? Si enim amplius viverent, forte amplius et peccarent. Quare autem illius venerabilis latronis confessio huic eorum confessioni non sit conferenda, alterius loci et temporis est disserere. Et hoc non nostra opinione, sed sanctorum Patrum auctoritate præferimus. Terribilem vero de talibus profert Apostolus sententiam: *An ignoras*, inquit, *o homo, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu vero, secundum duritiam tuam et cor impœnitens, thesaurisas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 4, 5). Sapientes igitur qui non acceperunt in vano animam suam, et qui illud operi suo posuere fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, quod est Christus Jesus, nunquam sub hujusmodi incertitudine salutem suam posuerunt. Anchoræ enim spei suæ firmissimæ immobiliter inhærentes, in hoc vitam suam instituunt, hoc modo ad normam divinorum mandatorum, omnes non solum actiones, sed et cogitationes, et locutiones suas dirigunt, ut quanto certius, quanto securius possunt, novissimam decessus sui horam, novissimam quoque magni judicii diem præstolentur: ut securi et sine confusione loquantur in porta exitus sui, et dicant: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30). Hi cupientes cum Apostolo dissolvi, et esse cum Christo, non solum non formidant, verum etiam summo cum desiderio novissimam tremendi examinis diem exspectant, scientes repositam esse sibi coronam justitiæ, quam reddet illis Dominus in illa die, et jam cessante voce, cordis desiderio frequenter ingeminare non cessant dicentes; *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI, 3.) Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? quando apparebo conspectui tuo et satiabor, cum apparuerit gloria tua? quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, et potabor torrente voluptatis tuæ? Scio quidem te mirari, vel etiam forte conqueri de prolixitate verborum? sed attende quia res, de qua ago, grandis, et negotiosa est. Negotium siquidem de quo ago, salus tua est. An tibi tantum negotium potest incumbere? Non te igitur pigeat legere, quod mihi scribere non fuit pigrum: tibi enim arbitratus sum esse utile. Hæc enim tibi scribere, ea me causa compulit, ea mihi ratio persuasit, quia scilicet omnium, si fieri posset, hominum, maxime vero fide-

lium salutem desiderans, non possum de tua salute non esse sollicitus, et eam quo possum affectu, et desiderio apud Dominum flagitare. Hanc in orationibus meis a Deo postulare non cesso. Raro pro me, sine tui memoria, ad Deum deprecationem facio. Inspirante gratia Dei, visum est mihi non satis esse orationibus insistere, nisi et tentarem animum tuum, et verbo exhortationis, prout Dominus dare dignaretur, excitarem

Petita igitur a domino priore licentia et data, quod Dominus inspirare dignabitur aggressus sum. Adsit igitur vivificans Spiritus sanctus, et pectus tuum flatu sancti desiderii, sua inspiratione potius quam mea exhortatione afflare dignetur. Ecce igitur Domino inspirante, favente Spiritu sancto, in nomine Domini Jesu Christi exhortans exhortor te, non mea voce, non mea auctoritate, sed Domini. *Vade*, inquit, *vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21), et nullus sequere me. *Nisi enim quis abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Durumne tibi videtur, aut difficile quod jussit. Animadverte (mi delectissime) circa hoc Dominicum mandatum, quantum ipse auctor mandati præmonstrare dignabitur, hæc quinque. Primum, non difficile : deinde, quis sit qui jubet ; postea causam mandati, quarto loco rationem ipsius ; quinto quid ipse fecit pro te qui jubet. Quæ eodem ordine ipso adjuvante consideremus.

Primum si difficile videtur et laboriosum, cogita quod labor brevis, præmium grande, opus paucorum dierum, merces sempiterna et requies sine fine. Si pensas laborem, pensas et mercedem. Non est timendus labor, quem tanta præmia commendant. Sed difficultatem aut nullam aut modicam esse. Via enim jam trita est a multis : et quotidiana conversorum exempla hoc declarant. Quod si etiam cætera desint, ad ostendendum non esse difficile, illius sufficit testimonium, cui non credere, a salute resilire est. *Jugum*, inquit, *meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 30). Cujus sententiæ virtutem et veritatem haud facile, nisi experti intelligere possunt. An forte jubet te relinquere, quod non sis accepturus? *Habebis*, inquit, *thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21), ubi fures non timentur, et depositum fideliter custoditur, putasne accipies simplum? *Centuplum*, inquit, *accipies, et vitam æternam possidebis* (*Matth.* XIX, 29). An vero jubet te dimittere quod semper eras habiturus? Non, nam *nudus egressus es de utero matris tuæ, et nudus illuc reverteris* (*Job* I, 21). Et Apostolus. *Nihil* inquit, *intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus.* Quis igitur hæc sciens et intelligens, dubitat relinquere, imo commutare pro æternis bonis, bona quæ non solum non possunt esse æterna, sed nec diuturna. O spes, o amor, o fructus temporalium inanis, utinam inanis tantum, non etiam perniciosus ! *Cum enim dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus cum interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* XLVIII, 17, 18). Quo vero descendet? ubi in æternum non videbit lumen. Relinquet autem alienis divitias suas et inanis quidem erit arca, sed inanior conscientia. Sed multi, inquis, post factum pœnitent. Et quidam post factum retro respicientes, propositum derelinquunt. An ignoras quarumdam palearum tantam esse levitatem, ut nec areæ ventilationem exspectent, sed facili impulsu venti levissimi recedant? Nonne abeuntibus paleis, remanent grana in horreum recondenda? Quare plus proficit apostasia paucorum recedentium ad desperationem, quam exempla multorum perseverantium ad propositi confirmationem? Nunquid propter scelus unius Judæ, Christi apostoli sunt in crimine?

Sed quis sit, qui illud mandatum abrenuntiandi propriis facultatibus tradidit, aut cujus auctoritatis sit qui hoc jubet, videamus. Omnipotens hoc jubet ; Deus tuus, qui ossibus et nervis compegit te, et in pulverem reducet te, et de mane usque ad vesperam finiet te. Ille cujus auctoritati esset parendum, si nulla, etiam parendo sequeretur utilitas. Vide enim omnia animata, tam sensibilia, quam insensibilia, vide ipsam molem elementorum, et quidquid in eis factum est ; *Omnia*, inquit Propheta, *servient ei* (*Psal.* CXVIII, 91). Væ miseris, væ peccatoribus nobis ! universa irrationalis creatura nec in modico voluntati et imperio creatoris sui renititur, nos vero qui ad imaginem et similitudinem ejus facti sumus, quibus æterna ipsius beatitudine perfrui concessum est, non solum non obedimus, sed etiam (quod nequissimum, et supra quam dici posset, impiissimum est) reluctari et adversari ei non cessamus : et juxta prophetam, *eum labiis honoramus, cor autem nostrum longe est ab eo* (*Isa.* XXIX, 13). Et iterum. *Confitemur nos nosse Dominum, factis autem negamus* (*Tit.* I, 16). Sed quid? juxta Apostolum ille fidelis est, negare seipsum non potest. Impios vero et peccatores gehenna suscipiet.

Diximus paulo ante, ut tertio et quarto loco, causam et rationem mandati consideraremus. Causam vero ejus considerare facile est. Nam ipsius causa, vita est æterna. Neque enim quidquam præcipit nobis Dominus (qui bonorum nostrorum non eget) propter se, sed propter nos ; non ut bene sit sibi, sed ut bene sit nobis. Rationem igitur paulo attentius consideremus. Omnibus mundanis jubemur abrenuntiare, quod quidem sola, sicut paulo ante dictum est, auctoritate jubentis, si multa etiam esset difficultas et labor, si nulla esset spes et causa præmii, si nulla ratio persuaderet, si etiam quoddam quasi irrationabile jubere videretur, omni studio tamen et diligentia implere deberemus. Ratio quoque cur hoc jussit, magna est, et vehemens, et immensæ necessitatis pondus tarditati nostræ impingens. Ut enim rationem hujus mandati ostenderet, clamat Apostolus Jacobus, dicens. *Adulteri, an ignoratis quod amicitia hujus mundi, inimica est Dei ? Quisquis enim voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus constituetur*

Dei (*Jac.* IV, 4). Primum quoque mandatum legis, et maximum est dilectio Dei. Quia igitur juxta Jacobi sententiam, non possumus diligere Deum simul et mundum; ad Deum autem, nisi juxta præceptum legis ipsum diligendo, pervenire non possumus; evidentissima et vehementissima ratio nos compellit, relictis omnibus Christum sequi; ut sic eum diligendo, ad ipsum perveniamus. *Adulteri*, inquit, in sacro namque baptismate, cœlesti et vero sponso Christo animam tuam desponsasti: ibi diabolo, et omnibus operibus, et pompis ejus abrenuntiasti. Sed quid est abrenuntiare diabolo, nisi abrenuntiare mundo? Quæ sunt vero opera diaboli, et pompæ, nisi opera et pompæ hujus mundi? Princeps quippe mundi hujus, teste Domino, diabolus est. *Nunc*, inquit, *princeps mundi hujus ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31). Quidam etiam ait:

Innexis mundo pars est cum principe mundi.

Si igitur omnino aliud quam Christum diligis: si mundum, cui in baptismo abrenuntiasti sequeris, et amplecteris, animam tuam ream adulterii facis; et non hominis, sed Dei, (quod gravissimum est) adulter esse convinceris. Quid ergo aliud moneo, vel quid a te aliud, nisi quod in baptismate vovisti exigit Christus? *Inimicus*, inquit, *Dei constituitur*. Tu ergo vis esse amicus mundi, ut inimicus Dei constituaris? Eamdem quoque, quæ circa dilectionem Dei ostensa est, circa dilectionem proximi considerare rationem, quam facile est. Quanta enim odia, iræ, rixæ, contentiones, simultates inter proximos, propter temporales possessiones contrahantur (adeo ut rara sit etiam concordia fratrum) non ratione monstrandum, sed quotidiano hominum usu inspiciendum est. Quantum autem ad habendum geminæ charitatis effectum, temporalia bona impediant, abrenuntiatio eorum proficiat; soli experti sunt, qui, relictis omnibus, ad diligendum Dominum et proximum se contulerunt. Si igitur, juxta Dominicam sententiam, *in his duobus mandatis* (id est dilectione Dei et proximi) *pendet universa lex, et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40); et juxta Apostolum, *plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XXXI, 10): cum divitiæ simul et charitas haberi vix aut nullo modo possint; amari autem divitiæ, et charitas haberi, nullatenus possint; quis sapiens, quis hæc intelligens, cunctatur vel modicum omnia relinquendo Dominum diligere, diligendo quærere, quærendo invenire, cum invento sine fine regnare? Undique igitur circumspecta, undique circumventa est tergiversatio nostra. Auctoritas jubentis nos premit, difficultas nulla impedit, causa persuadet, ratio convincit, postremo vero ineffabilis necessitas præmiorum atque pœnarum, ineffabiliter cogit, arctat et impellit. Aut enim obedientes præmia obtinebimus, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Dominus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9): aut inobedientes supplicia sempiterna luemus, ad quæ quicunque lapsu irremeabili cadent, nulla eos in æternis cruciatibus positos manebit ulterius consolatio, nulla omnino spes remedii, nulla vel ad modicum indulgebitur respiratio. Hæc igitur age (mi dilectissime) hæc cogita; hæc ante oculos cordis tui incessanter habeto. Si non invitant præmia, terreant vel supplicia; si non trahit amor, impellat te ille omnium maximus tremendi judicii, et æternorum cruciatuum timor. Nam *initium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* I, 7). De timore namque pervenies ad amorem. Quod si quo forte modo, ut solet, ille æterni judicii in animo tuo levigatur timor: in mente habe illum exitus tui diem, quem sicut incertum habes, ita propinquum esse certum habes: in quo pro meritis vel bona vel mala, (sicut supradictum est) invenies, quæ in sempiternum non mutantur. Sicut enim læta est spes bonorum, ita terribilis est incertitudo malorum. Nisi hic caves lapsum, postquam illic decideris, frustra suffragia amicorum flagitabis, frustra divinam misericordiam implorabis. Non tibi amici, non fratres illic poterunt opem ferre, non omnes sancti, non angelorum chori (audacter dico), non ipse Deus inde te poterit eripere. Justus est, injustos et impœnitentes salvare non potest. Non illic invenies remedia, quæ non quæsieris prius in vita. Si igitur peccatorem te esse recognoscis, imo quia revera peccator es (*non est enim sine peccato, nec infans cujus est diei unius vita super terram* (*Job* XIV, 4, sec. LXX). Quia, inquam, peccator es, aut hic, aut illic, pœnitebis, sed illic infructuose; nam in inferno nulla est redemptio. Nunquid enim Christus iterum pro eis qui descendunt ad inferna patietur? Resurgens a mortuis jam non moritur. Vide igitur, et omni studio, et vigilantia animadverte, quanta tibi necessitas incumbit, ut sive pro levibus, sive pro gravibus commissis, dignos pœnitentiæ fructus facias. Sed quid dixi, levibus? Utinam leve æstimaret Dominus aliquod peccatum! Quomodo leve est putandum aliquod peccatum, cum Christus pro peccatis nostris mortuus sit? Tam gravis, tam grandis, tam difficilis res peccatum, ut non potuerint peccata mundi deleri, nisi Dei Filius pro omnibus gustaret mortem. Et leve audet homo æstimare aliquod peccatum? Levia quidem et venialia sunt omnia peccata in eis qui dignos pœnitentiæ fructus faciunt; in impœnitentibus autem omnia, et quæ levia videntur, gravia et damnatione plena sunt. Quomodo autem digniores pœnitentiæ fructus facere potes, quam ut (juxta Domini præceptum, et ipsius voluntatem) omnia relinquendo, et nudus nudum Christum sequendo, non solum voluntatem, sed et locum, et opportunitatem peccandi fugias, et Deo corde et corpore vaces? Dura, inquis, sors si soli salvantur, qui mundo abrenuntiant. Dissimulantis est hæc vox, non Deum timentis. Qui hoc dicit, non cum eis qui in agone certant, coronari contendit, sed solo agonis nomine victus fatiscit. Noli, mi charissime et desideratissime, noli animadvertere quid alii faciant, sed vide, et aliud attende, et attentius considera, quid ipse facere debeas. Quæ stultitia,

imo quæ insania est, si cæci in foveam cadant, videntem quoque cadere velle? si quos vesania agitat, in ignem desiliant, prudentem quoque et scientem velle pariter desilire? et si cuncti damnentur, damnationem non cavere, neque formidare? Quare non audis: *Angusta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam?* (*Matth.* VII, 14.) Quare non audis: *Pusillus est grex, cui complacuit Domino dare hæreditatem?* (*Luc.* XII, 32.) Quare non audis: *Multi vocati, pauci electi?* (*Matth.* XXVIII, 10.) Ego, mi dilectissime, non possum aliud, nisi monere te. Si enim ad quod salubriter moneo, et utinam salubriter, te possem et salubrius compellere (crede mihi) vix bidui dilationem tibi concederemus! Hæc quidem et mihi ad persuadendum, et tibi ad consentiendum sufficere posse viderentur.

Sed restat adhuc quod quinto loco superius inspiciendum dixi, scilicet quid Dei Filius pro te fecerit, quantum ipse oculos cordis illuminare dignabitur, considerare; ut videamus utrum forte aliquid majus jusserit te facere pro se, quam ipse fecerit prior pro te. Primum igitur attende eum, hominem factum, adeo pauperem et egenum ut non haberet ubi caput reclinaret. Post hoc animadverte, et attentius quasi in quodam thesauro mentis tuæ considera; fame, siti, lassitudine laborantem; opprobriis, contumeliis, blasphemiis, et conviciis affectum: ipsum quoque proditorem usque ad mensam, in ipsa vero proditione usque ad osculum pertulisse: demum autem vinctum, sputis linitum, alapis excussum, flagellis cæsum: falsos testes nequissimos accusatores, et iniquum judicem sustinentem, spinis coronatum, crucem sibi portantem, cum latronibus deputatum, nudum in cruce pendentem, ibi ludibrium populi habitum, aceto potatum, postremo mortuum. Hæc omnia, inquam, circa ipsum, quanto diligentius potes, quasi sub oculis posita considera. Quæ quidem omnia perferendo, et mysterium redemptionis implebat, et viam tibi imitationis monstrabat. Sed quid est hoc? quid, inquam, est Deum hæc pati? Attende, animadverte attentius. Quid igitur est Deum hominem fieri? Vide quid sit Deus. Vide quid homo. Quid est Deum hominem fieri? Quid est illum omnia illa pati, qui omnia visibilia et invisibilia regit et condidit? Quid est illum crucifigi, qui crucifixores suos non solum a scelere prohibere, verum etiam solo nutu poterat omnes quasi culicem unum conterere? Quæ tanta humilitas, quæ tanta patientia vel excogitari alias potest? Quæ vero bonitas? quæ clementia, ut Deus hæc pro homine, Creator pro creatura patiatur? Ad hoc meditandum, ad hoc mirandum, cujusquam animus tepet, cujusquam mens torpore languida marcet? Et mihi quisquam aliquod ipsius præceptum durum, vel difficile audet nominare? Quid enim retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Si invenis aliquid quod facias pro ipso majus, quam ipse fecerit pro te, consilium laudo. Nam hoc utique debes Creatori et Redemptori tuo. Quis enim servus gratus est Domino suo, si non faciat plus pro Domino quam Dominus pro servo? Si vero tale quid nec in præceptis ejus invenire, nec apud te excogitare potes, par saltem pro pari debes reddere Creatori tuo. Quod si nec hoc invenire potes, vel ad illud exiguum faciendum, quod ego moneo; et ipse jubet, noli ulterius dissimulare. Quod quidem ei debes, ex eo quod Christiana, sicut supra dictum est, professione censeris; si etiam in innocentia, quam in sacro baptismate acceperas, perseverasses. Quod si peccator es, imple mandatum, cujus faciendi debitor es, et quære quid facias pro satisfactione peccatorum. Si vero pro utrisque nihil majus, nihil tibi efficacius suppetit, fac voluntatem Domini, implendo mandatum, et reputabitur tibi pro satisfactione peccatorum. Si inexpertus te monerem, rectius forte calculationem difficultatis opponere posses. Nunc vero qui hoc moneo cum expertus, et difficultatis timorem removerim et (ut minus sapiens loquor) exemplum monstraverim, ut vel sequaris, qui præcessisse debueras, nullus tibi apud me calculationis, nullus apud Deum excusationis, nullus omnino relinquitur dissimulationis locus. An ignoras quod ex facto meo pendet judicium tuum? Quod si adhuc dissimulare contendis, certus sum quod pro præsenti exhortatione accedet mihi aliquid præmii a Domino: tibi autem augebitur peccatum pro contemptu. Et quid dicam? lassescit manus, et non fatiscit vel affectus; languescit dextera, et non tepescit, imo fervescit et ignescit charitas. Adhuc ergo ad mysterium redemptionis, unde superius agebatur, revertamur, et videamus quid tibi illa quæ prædicta sunt patiendo Dominus contulerit, si forte tua namque ignescat charitas, vel moveatur affectus. Adsit ergo ille qui linguas infantium facit disertas, et quæ sibi placita sunt dicere donet. Adsit, inquam, Spiritus, et eo igne inflammet viscera animæ tuæ pariter et meæ, quem Dominus Jesus venit mittere in terram, et voluit vehementer ardere. Primum igitur (o homo) sine Deo eras in mundo, Deum et Creatorem tuum ignorans: in præsenti vita ad labores et pericula nascebaris, de præsenti vero miseria ad cruciatus sempiternos irremediabiliter ruebas: et (quod miserabilius est!) hunc ipsum perditionis tuæ modum ignorabas, unde et teipsum nesciebas. Qui enim neque finem, neque principium tuum noveras, quomodo teipsum sciebas? Venit itaque miseratus ab alto, venit ad te Filius Dei, et lumen verum tibi in regione umbræ mortis habitanti illucescens ignorantiæ tuæ tenebras repulit; Deum et Creatorem tuum tibi ostendendo, et statum tuum (scilicet unde esses, et quomodo esses) tibi manifestando. Qui eras filius perditionis, qui eras vas iræ et contumeliæ, inter vasa honoris, misericordiæ posuit; non solum ab æterna damnatione eripiendo, sed ad vitam æternam miserabiliter reparando. Paradisum perdideras, cœlum recepisti. Qui eras particeps dæmoniorum, factus es conscius et socius angelorum. Sed quid dicam? plus adhuc dicam, de servo adoptatus es in

filium. Quid dixi? Ita, inquam. Qui enim eras servus, non Dei, cui servire regnare est, sed servus peccati, servus dæmoniorum adoptatus es in filium. Sed cujus filium? Audacter dico, confidenter dico, lætanter dico, in filium Dei. Inquit enim: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Vis rem apertius designari? Iterum fiducialiter et exsultanter dico; Filius Dei factus est Filius hominis, ut tu filius Dei efficereris. *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23), et : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Si autem filius, et hæres, hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Et quid adhuc dicam? naturam tuam Filius Dei cœternus, coomnipotens et consubstantialis Patri, sibi in unam personam unitam, supra omnes cœlos, supra omnem principatum et potestatem, usque ad consessum Patris, usque ad dexteram majestatis exaltavit. Natura cui dictum fuerat : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), ad tantam gloriam, ad tantum honorem, non dico ad inæqualitatem angelorum, sed supra omnem sublimata est celsitudinem archangelorum, ita ut audierit : *Sede a dextris meis* (*Psal.* CIX, 1). Sed ad quid? Ut ipse solus sit ibi? Non. Imo ut tu sis ibi cum eo. *Ut ubi*, inquit, *ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Et : *Volo, pater, ut ubi ego sum, ibi sit et minister meus* (*Joan.* XII, 26). Sed, quid est hoc? Aperi oculos cordis, cordis, inquam, oculos aperi, excita fidem, accende charitatem; ignescat desiderium, fluant lacrymæ pietatis et humilitatis; lacrymæ pii desiderii. Quid igitur est hoc? quid (inquam) est hominem fieri filium Dei? Quid est filium hominis, imo filium perditionis, fieri fratrem et cohæredem Filii Dei, ad possidendam hæreditatem Patris? Quæ est ista dignitas, quæ nostræ naturæ collata est, ut sedeat ad dexteram Altissimi? Quæ est ista excellentia ut homo supra omnem naturam angelicam, usque ad dexteram majestatis sit sublimatus, qui usque ad infima inferni sub tyrannide dæmoniorum premebatur? Quæ vero tanta pietas, quæ tanta clementia divinæ bonitatis, ut non solum dignitas quam in primo pararte perdideramus, nobis restituatur, sed insuper dona et beneficia magnificentius et cumulatius crescant? Ubi pietas? ubi devotio? ubi laudes? ubi gratiarum actio? ubi est lætitiæ et exsultationis jubilatio? O mysterium ab æterno dispositum, a sæculis et generationibus promissum, et signis et ænigmatibus mirabiliter præsignatum, in fine sæculorum mirabilius adimpletum! Cum enim omnipotens Pater per unigenitum Verbum, visibilia et invisibilia cuncta creaverit, mihi quidem præ universis, quæ mirabiliter condidit, in opere redemptionis nostræ maxime mirabilis apparet. An alii itidem sentiant, haud scio; mihi vero pium est et dulce ita sentire. O gaudium, quo lætantur cœli, et exsultat terra! O mysterium cujus virutem etiam senserunt inferna! *Jubilate Domino, omnis terra, cantate, et exsultate, et psallite* (*Psal.* XCVII, 4). Recognosce, o homo, ad quantam dignitatem, ad quanta gaudia vocaris! In contemplatione reparationis tuæ crescat fidei tuæ fervor invictus; et oblita transeuntium bonorum, ad cœlestia se attollat spei tuæ indubitata exspectatio: assidua tantorum beneficiorum meditatione, more rotatæ rhedæ, fervescat desiderium, ignescat charitas, quæ cœlestia tantum bona norit amare, et adulterinos visibilium appetitus prudenter declinare. Mirare vero, prædica, et lauda incessanter bonitatem divinam. Quas enim laudes, quas gratiarum actiones digne referes Creatori tuo? Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Quid vero dignum poteris facere, ut tantis beneficiis dignus habearis? *Non sunt* quippe *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quid dicam, o mi charissime et desideratissime, si ad tantam salutem, ad tanta gaudia, quanto certius, quanto securius potes, festinare non contendis? Quid dicam si socius angelorum non timet, imo contendit fieri socius dæmoniorum? si hæres cœli, imo hæres Dei, et cohæres Christi, vult remanere in terra? si filius Dei vult servire mundo? Quid dicam, si naturam humanitatis tuæ, quam debueras in sanctificatione et honore custodisse, propter honorem et reverentiam illius hominis, qui sedet ad dexteram Dei, vis adhuc inundo et actibus ejus, vel illicitis desideriis implicare? Quomodo vero effugiens, si tantam neglexeris salutem? Si qui vias vitæ et veritatis non audierunt, sine fine damnantur, quam damnationis sententiam suscipient, qui audiunt et intelligunt, et negligunt? Age ergo (mi dilectissime), veni, et ad tanta et tam ineffabilia gaudia, omni studio omnique devotione pariter tendamus, pariter Deo præstante perveniamus. Ego te moneo in Christo, qui de provectu tuo in temporalibus bonis, magis (ni fallor) teipso gaudere solebam. Nunc vero arbitror omnia ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Age, veni, angeli te invitant, quibus gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente : qui si eos de pœnitentia tua gaudere feceris, procul dubio suorum gaudiorum te participem facient. Tu non relinques vana gaudia mundi, ut angelorum gaudiis inseraris? Age, veni; Christus te vocat. Quid? Imo et apparet vultui Dei pro te, et interpellat pro te; non enim vult pretium sanguinis sui irritum esse in te. Tu autem facies tibi irritam effusionem sanguinis Christi? Obsecro te, imo et obtestor, pro ipso et per ipsum, ut non auferas ei quod emit in te. Animam suam, sanguinem suum dedit pro anima tua. Non vides quanto pretio æstimatus es? Quid facies homini si Christo auferas jus suum? *Ecce*, inquit, *sto ad ostium, et pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo* (*Apoc.* III, 20). Curre, charissime, curre, festina aperire Christo pulsanti. Gustabis, crede mihi, et videbis quam suavis est Dominus. Quod si me monentem, et devotas preces, et pias lacrymas pro salute tua ad Dominum fundentem; si angelos invitantes, et opem ferre tibi paratos; si Christum vocantem, et apud Patrem pro te interpellantem,

et pretium sanguinis sui tibi (si neglexeris) imputantem, contemnis; apostolico utor verbo, *mundus ego sum a sanguine tuo* (*Act.* xx, 26). Sanguis tuus super caput tuum. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiens te in visceribus Jesu Christi, et precibus, et lacrymis hoc a Deo postulaverim, et præsenti exhortatione non sine labore flagitaverim. Sed non dubito, imo et certus sum te facturum quod hortor, imo ad quod tanta undique necessitatum multitudo te impellit. Spiritus enim Domini, qui mihi hæc scribenti adfuit (non enim sum mihi conscius, de corde meo hæc protulisse), sanctus, inquam, Spiritus, et scribendi fiduciam præstitit; fiduciam quoque præstitit lacrymis et scribendo, et orando profusis, se tibi pariter adfuturum. Quidquid igitur inspirante eodem Spiritu sancto facere disposueris, etsi plura moneam, hoc primum moneo, ut non præferas consilium hominum consilio divino. Cave, inquam, consilium hominum : labia enim iniqua sunt, et lingua dolosa. Quod si omnino forte cavere non poteris, jaculare contra sagittam potentis et carbones desolatorios. Deinde moneo, ut non quæ leviora sunt, et minus etiam ad salutem, facere proponas. Absit pusillanimitas a forti. *Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet* (*Psal.* liv, 23), et salvum faciet *a pusillanimitate spiritus tui* (*ibid.* 9). Ne credas pusillanimitatem minimum nocere, a qua tantus Propheta se gloriabatur salvum a Domino factum. Tempus breve est, salus sempiterna. Jugum Domini suave est. Experto crede. In mente habe passiones Domini. Quid etiam ipse feceris, et quid facere debueris animadverte : quantitatem enim mandati quidam advertentes, scelerumque suorum magnitudinis obliti, non quid fecerint, sed quid jubeantur attendunt. Dumque ad levem sarcinam et jugum Domini suave trepidant, in suis sordibus remanentes, damnationis sibi cumulum augere non metuunt. In quibus illud verisimile impletur, quod per Prophetam dictum est : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* xiii, 5). Et illud : *Ut qui in sordibus est, sordeat adhuc* (*Apoc.* xxii, 11). Vide etiam quantam tranquillitatem bonæ conscientiæ afferat, certiori et viciniori ad salutem via incedere, et quasi quodam portu salutis quiescentem novissimam horam fiduciaiiter exspectare. Vide, inquam, quantam fiduciam habeat apud Deum conscientia bona; sic scilicet vivere, ut secundum apostolicam sententiam : in his quæ agimus, *cor nostrum non reprehendat nos* (*I Joan.* iii, 21). Totum igitur pete portum. Merito imperitiæ arguitur nauta, qui, cum posset tutioris portus sinus intrare, tempestuoso littori se credere non formidat. Quid prodest enavigasse pelagus, evasisse procellas, si ad litus metuas idem naufragium, et importuna crepido naufragi littoris puppim illidat? Hæc igitur circumspice, et ut fidelis animæ tuæ consiliarius diligenter adverte : et pusillanimis si forte illud es (sed absit hoc a te!) esse desistas. Tertium quoque moneo, ut orationi creberrime et vehementer insistas. Ibi si fiduciaiiter, non timide; si viriliter, non ficte vis agere, consiliarium habebis Spiritum sanctum. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* i, 5). Ibi quidquid benignissimi et clementissimi flatus ejus aura suaserit, divino consilio roboratus, incunctanter, et sine omni dilatione aggredere : est enim hoc quartum, quod volo te commoneri, ut dilationes fugias. Multi dum dilationes quærunt, in laqueum inciderunt. Semper enim nocuit differre paratis. *Dimitte*, ait Dominus, *mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* viii, 22); tu autem sequere me. Nam ille, cui hoc dixit, dilationes quærebat. Corvina vox est, cras, cras, beatus Augustinus dixit (serm. 71, *ad fratres in eremo*). Corvus emissus de arca, non est reversus, columba vero reversa est, quia non amat Dominus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Hæc igitur age, hæc, o dilectissime, omni vigilantia circumspice. Hæc enim incircumspecta, quantos jam initia bonæ voluntatis habentes, vel a sancto proposito deflexerint, vel ad minus idonea declinare fecerint (nescio etiam an in damnationem impulerint) reminiscimur, audimus, videmus et dolemus. Ut vero rem ad effectum perduxeris, vide quos fructus beatæ vitæ statim capere incipies. Primum, omnis pagina sacri eloquii, quam modo propter morum et vitæ dissimilitudinem, velut quemdam invincibilem adversarium reniti tibi sentis, et reluctari ita tibi conveniet, ita vitæ tuæ consonabit, ut cantando psalmos, non tibi prophetiam, non verba ab alio dictata pangere videaris, sed quasi propria devotissimæ orationis verba coram Deo fundere. Ut vero morale erit quod dicetur, velut quamdam vocis, et vitæ harmoniam, tibi dulcissimam, Deo autem gratissimam resonabis. Quibus epulis, quibus musicorum instrumentis, quibus gaudiis, vel cui vitæ humanæ delectationi est ista jucunditas conferenda? Adverte et aliud, non minori jucunditate, et delectatione plenum, imo omnibus divitiis, omnibus omnino, quæ jucunda vel delectabilia in vita humana ducuntur, præferendum. Beatissimi Patres Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, atque alii, quorum quisque in tabernaculo Dei offert, quod potest, certatim tibi legis ænigmata resolvent, prophetarum oracula exponent, et quamdam ineffabili gaudio plenam Novi et Veteris Testamenti convenientiam tibi monstrare contendent. Ille tibi retributiones impiorum declarabit, ille gaudia æternæ vitæ monstrabit; ille te in contemplationem rapiet, ille tibi lacrymas piæ compunctionis excutiet, ille te ad humilitatem, ille ad patientiam, ille ad castitatem, hic ad modestiam, ille ad benignitatem, hic ad mansuetudinem, ille ad fidem, iste ad spem, omnes vero te informabunt ad charitatem : nec ante cessabunt, donec ita consummatus inveniaris, Spiritu sancto ubique operante, ubique dispensante, ut occurras in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Hæc gaudia et hujusmodi dispensat Christus militibus suis, interim dum differt æterna. Hanc mensam eis interim apposuit donec epulentur et exsultent in conspectu D.i

et delectentur in lætitia. Iis interim gaudiis eos solatur, A imo hæc gaudia superabundanti fenore compensata multiplicat, pro gaudiis vitæ præsentis, quæ reliquerunt, donec centuplum accipiant et vitam æternam possideant. Pauca quidem sunt, quæ tibi dicere possum, utpote miles adhuc ad nova bella rudis; sed tu pensa magna de minimis, plurima de paucis. Ab iis gaudiis te tandiu abfuisse gemes, et dices : *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 5), etc. Ad labores te vocari credebas, ad gaudia te invito. Veni ergo, ne differas, et mecum borum gaudiorum fructus, et pariter spei æternorum carpe libamina. Hæc gaudia nec somniare possunt qui sæcularibus causis et negotiis, et variis vitæ voluptatibus et curis inserviunt. Amisso enim sensu, stupidi corde, et quasi febricitantes sunt. Licet suavia, licet dulcia fercula, et pocula offeras febricitanti, non sapiunt ei, quia sensum non habet. Multitudinem quippe dulcedinis suæ abscondit Dominus timentibus se. Illis scilicet abscondit ab aliis; ut illi sentiant, alii non. Rogo autem ut non prolixitatem verborum penses multitudinem charitatis. Nunquam enim mihi satis dixisse, nunquam satis fecisse videbor, donec voluntatem Christi, et desiderium meum impleveris. Vale. Educat te Dominus de lacu miseriæ et de luto fæcis, et statuat supra petram pedes tuos, et dirigere dignetur gressus tuos. Eripiat animam tuam de morte, oculos tuos a lacrymis, pedes tuos a lapsu. Amen.

EPISTOLA II.

AD LATOLDUM.

De modo orandi.

LATOLDO fratri charissimo, frater JOANNES, salutem.

Nuper cum de modo orandi quærenti tibi, quod Domino dante mihi visum est respondissem, summopere postulasti, ut scripto tibi dirigerem tres petitiones, in quibus summam orationum, quas pro nobis singuli facimus, dixeram constare debere. Et quia ad excitandum devotionis affectum, hoc plurimum valere dixeram, si non semper eorumdem usum verborum sequamur; sed prout affectus dictaverit, verba variantes, vel ex ipsis orationibus, quibus utimur in Ecclesia, vel ex verbis sacrarum Scripturarum, petitiones nostras informemus, hoc quoque devotissime petiisti, ut aliqua tibi in hunc modum conscriberem; quibus commonitus hanc orandi formam sequi valeres. Postposita igitur excusatione, ne potius charitati defuisse, quam juste excusasse viderer, pro viribus quas Dominus dare dignabitur, desiderio tuo satisfacere curabo. Malo enim ut me imperitia mea accuset, quam quæ de corde tuo hoc jubet charitas, accuset.

Hic proponit tria esse postulanda.

Igitur quantum parvitati meæ dedit Dominus intelligere, tria debemus singuli pro nobis in oratione petere. Primum veniam delictorum. Deinde agnitionem et operationem divinæ voluntatis. Tertio salutem æternam, quæ est in Christo. In iis autem petendis, modo prolixius, modo compendiosius est immorandum, prout se habet vel temporis opportunitas, vel devotionis affectus. Plus vero quo affectu et desiderio, quam quibus verbis ista petenda sint curare debemus. Deus enim non necesse habet ut nos ei necessitatem, vel voluntatem nostram verbis quasi manifestemus, qui (sicut legitur) scit quibus opus sit nobis, antequam petamus eum; sed nos ineffabiliter indigemus, ut ejus beneficia ardenti desiderio flagitemus. Hoc autem tanto efficacius possumus; quanto gratia Spiritus sancti adjuvare dignatur nostram infirmitatem. Dicente namque Apostolo : *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Postulat, dixit, id est postulare facit, B vel postulandi præstat affectum. Nunc ad tres supra positas petitiones revertamur. Primum ergo petenda est indulgentia peccatorum, non eorum tantum, quorum nobis conscii sumus, id est, in quibus nos deliquisse cognovimus, sed et eorum in quibus ignoranter lapsi sumus. Si enim culpæ quas ignoranter commisimus non essent timendæ, non diceretur in Psalmo : *Ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Et Apostolus cum dixisset : *Nihil mihi conscius sum*, continuo addidit : *sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV, 4) : videlicet se in multis per ignorantiam deliquisse, vel delinquere potuisse significans. Juxta quod et alius apostolus dixit : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). In secunda vero C petitione duo præterea dixi esse postulanda, id est, non solum operationem, sed et cognitionem divinæ voluntatis : quia facile errat quis in eo quod non intelligit, et potest decipi specie recti, ut videatur ei, quod bonum est, malum, et quod malum est, bonum. Unde propheta : *Væ his qui dicunt malum bonum, et bonum malum* (*Isa.* V, 20). Quod ne nos incurramus, jubemur in Evangelio cum columbæ simplicitate, prudentiam serpentis habere (*Matth.* X, 16); quam qui habent, luget eos propheta, dicens : *Ephraim factus est sicut columba seducta, non habens cor* (*Ose.* VII, 11). Quia quidam volentes columbæ simplicitatem sectari, eo quod cor, id est, intelligentiam veritatis non habent, seducuntur et errant. Quas tenebras erroris et ignorantiæ ne nos incurra- D mus, omni instantia et studio orandum est, ut illum sincerissima et perseverantissima imitatione sequi mereamur, qui dicit : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ* (*Joan.* VIII, 12). Operatio vero divinæ voluntatis in illis duobus consistit, quæ breviter expressa sunt, ubi dictum est : *Declina a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Quæ duo quam generaliter comprehendant quidquid ubique in Scripturis præcipitur, facile quilibet animadvertit. Tertio (sicut dixi) petenda est vita æterna, ut simplici oculo, id est, sincera intentione Deum quæramus; et in omnibus quæ agimus, neque ad appetitum laudis humanæ, quod est hypocrysis; neque ad quidlibet aliud, nisi tantum ad Deum habendum nostra flectatur intentio. *In simplicitate*, inquit,

cordis quærite illum (*Sap.* I, 1). Et : *Ne accesseris ad Deum duplici corde* (*Eccl.* I, 36).

De illis quæ inveniuntur in psalmis.

Hæc autem tria, sive quatuor, quam multipliciter et varie in Scripturis, et maxime in psalmis petantur, facile potest advertere, qui diligentem auditum divinis eloquiis novit adhibere. Ex quibus juxta petitionem tuam aliqua ponam, ut ex his prout tibi Spiritus sanctus inspirare dignabitur) et verba in oratione variare discas, quod ad excitandam devotionem valere dixi, et petitiones tuas queas informare.

De illis quæ valent ad petendam veniam.

Ad petendam igitur veniam delictorum, ista valent quæ in psalmis posita sunt : *Ab occultis meis munda me, Domine* (*Psal.* XVIII, 13). Et : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Et : *Propter nomen tuum propitiaberis, Domine, peccato meo, multum est enim* (*ibid.* 11). Et : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* (*ibid.*, 18). Et : *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum* (*Psal.* LXXVIII, 8, 9). Et : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Et : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (*Psal.* L, 11), et cætera, quæ in eodem, et in aliis psalmis scripta sunt. Item alibi : *Ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis* (*Tob.* III, 3).

Quibus utendum sit ad petendam intelligentiam.

Ad petendam vero intelligentiam veritatis, his uti possumus, quæ de multis pauca commemoro : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII, 4). Et : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine ; Deus meus, illumina tenebras meas,* (*Psal.* XVII, 29). Item : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* (*Psal.* XXIV, 4). Et : *Notam fac mihi viam in qua ambulem* (*Psal.* CXLII, 8). Et : *Doce me facere voluntatem tuam* (*ibid.*, 10). Et : *Doce me justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 26). Et : *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (*ibid.*, 73), etc. Qui vero dicit : *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* (*ibid.*, 5). Et : *Deduc me in semitam mandatorum* (*ibid.*, 35); et : *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum* (*ibid.*, 133) : et cætera quæ in hoc præcipue psalmo, qui præ cæteris moralis est, atque in aliis psalmis in hunc modum posita, intelligi quidem possunt, sed numerari vix possunt. Qui ergo hæc et hujusmodi dicit, quid nisi voluntatem Dei facere quærit ; qui autem pio gemitu dicit : *Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est !* (*Psal.* CXIX, 5.) Et : *Non confundas me ab exspectatione mea* (*Psal.* CXVIII, 116). Et : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI, 3), et cætera hujusmodi ; utique visionem Dei, et vitæ æternæ promissa desidera. Hæc autem quæ quomodo sigillatim in Scripturis petantur, ostendimus, potest quilibet una simul oratione petere, ita dicendo :

Oratio ad Patrem.

Domine sancte Pater, qui vivificas mortuos, et vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, peccatorem me servum tuum, quem de morte peccatorum meorum ad tuam misericordiam vocare dignatus es, ab omnibus reatibus et peccatis meis misericorditer absolve : et data mihi intelligentia qua videam, et charitate qua serviam tibi et servis tuis, fac me ita semper in tuo famulatu ad meliora proficere, ut in regno tuo cœptum opus misericordiæ tuæ in me perficias. Per Dominum, etc

Alia oratio ad Patrem.

Domine sancte Pater, qui quod perierat requiris, et quod abjectum erat reducis, et quod pingue et forte custodis ; custodi circa me opera misericordiæ tuæ, quem errantem requirere, et ad oves tuas reducere dignatus es, et concessa mihi plena venia omnium delictorum meorum, da mihi ita intelligere, et cum debita perseverantia facere voluntatem tuam, ut misericordia sempiterna miserearis mei. Per Dominum, etc.

Item alia oratio.

Domine sancte Pater, qui non vis mortem peccatorum, nec delectaris in perditionibus nostris, dele ut nubem iniquitates meas, et quasi nebulam peccata mea, et in agnitione et operatione voluntatis tuæ, fac me ita cum sincera humilitate perseverantem habere profectum, ut salvum me faciaș in regno tuo cœlesti. Per Dominum.

Oratio ad Filium.

Domine Jesu Christe, qui venisti quærere et salvum facere quod perierat, vivifica me peccatorem servum tuum, quem vocasti : et dans mihi intelligentiam et observantiam mandatorum tuorum, ubi abundavit peccatum, ita fac gratiam superabundare, ut redemptionis et resurrectionis tuæ cum electis tuis me facias veraciter esse participem. Qui vivis, etc.

Alia oratio ad Filium.

Domine Jesu Christe, qui es lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, aufer tenebras peccatorum meorum, et da mihi illuminatos oculos cordis, ad cognoscendum te, et ad intelligendam et faciendam voluntatem tuam, nec me dimittas in perpetuum a te separari. Qui vivis, etc.

Cum itaque in hunc modum plura dici possint, nos hæc posuisse sufficiat.

De oratione morosa.

Quidam autem pro imploranda venia delictorum, morosius et studiosius orant ; et peccatorum suorum magnitudinem vel multitudinem attentius considerantes, non tam verbis, quam gemitu, et lacrymis, cordis contriti et humiliati sacrificium Deo offerunt, non tamen eodem fervore præ cæteris quæ supra posita sunt orare valentes. Hoc autem incipientibus, id est, nuper conversis, solet contingere,

qualibus dicit apostolus Jacobus : *Miseri estote, et lugete, et plorate, Risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* IV, 9).

De lacrymis perfectorum.

Alii vero, cum jam in via Dei, et intelligentia, et operatione proficere cœperint, mirantur se nullas aut raras pro peccatis habere lacrymas, sed tentationibus, et infirmitate præpediente, ut minus possint implere quod intelligunt, contra easdem et tentationes et infirmitatem suam, attentius atque ferventius orant, ut per auxilium gratiæ Dei et tentationum conflictus superetur, et intelligentia magis ac magis illuminetur, et infirmitas roboretur. De talibus scriptum est : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6).

De his qui cupiunt esse cum Christo.

Aliqui autem jam superatis tentationibus, ad implenda quæ intelligunt, efficacius per Dei gratiam convalescentes, magno æstu ardentis desiderii ad æterna suspirant, atque incolatum suum diutius prolongari ingemiscentes, dissolvi cupiunt, et esse cum Christo. Horum vox est : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus* (*Psal.* XLI, 2), et, *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum* (*Psal.* LXXXIII, 2), etc. Hi sunt ergo tres gradus, incipientium, proficientium, et perfectorum.

tem alius modus orandi.

Invenimus autem in Scripturis et alios modos orandi, quibus etsi ea quæ supra posita sunt nequaquam distincte petantur, omnia tamen, quæ ad salutem expediunt, compendiosa oratione peti intelliguntur, ut est illud : *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te* (*Psal.* XXXII, 22); et : *Miserere mei secundum eloquium tuum* (*Psal.* CXVIII, 58); et : *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam* (*ibid.*, 24): et : *Miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum* (*ibid.*, 132). Juxta hunc ergo modum possumus pro aliis quibuslibet orantes ita dicere. Fac eos, Domine, ita in justitia apparere conspectui tuo, ut satiari mereantur cum apparuerit gloria tua. Vel ita. Fac eos, Domine, participes omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Vel ita. Fac cum eis, Domine, secundum misericordiam tuam, sicut tu potens es superabundanter facere, quam nos petere, aut intelligere. Vel ita : Da eis, Domine, regnum, et justitiam tuam. Vel ita : Ea abundantia pietatis tuæ, qua et merita supplicum excedis et vota, fac eos ita in beneplacito tuo ambulare, ut tibi placeant in regione vivorum. Vel ita : Dirige eos in semita recta, ita ut mereantur videre bona Domini in terra viventium. Vel sic : Institue eos, Domine, in ea soliditate dilectionis tuæ, ut neque mors, neque vita, neque creatura, neque tentatio aliqua possit eos separare a te, et a charitate tua. Vel ita : Da eis, Domine, ut et te toto corde perquirant, et quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Vel sic : Dirige eos, Domine, secundum beneplacitum voluntatis tuæ, in viam salutis æternæ. Aliter : Fac eos, Domine, dignos promissionibus vitæ quæ nunc est, et æternæ. Vel sic : Fac eos sic transire per bona temporalia, ut non amittant æterna; quod magis videtur pro his esse orandum, qui in sæculari degunt conversatione. Atque illud : Fac eos, Domine, ita misericordes, ut misericordiam consequantur. Pro iis vero qui perfectiora sectantur, ut ita fiant pauperes spiritu quatenus regnum cœlorum possideant ; sic mites, ut terram viventium possidere mereantur ; sic lugentes, ut consolationem mereantur æternam ; sic esurientes et sitientes justitiam, ut satietatem repromissam obtineant ; sic etiam mundicordes, ut Deum videre, sic pacifici, ut filii Dei esse mereantur. Sic de virtute in virtutem ambulando proficiant, ut ad videndum Deum deorum in Sion perveniant.

Quod sit orandum pro prælatis ecclesiarum.

Orandum est autem pro universis Ecclesiæ rectoribus, quatenus sic agant curam suscepti regiminis, ut suam, et subditorum salutem operari mereantur. Pro quibuslibet vel in nostro proposito, vel in qualibet sancta conversatione degentibus, ut in vocatione qua vocati sunt, digne ambulare mereantur. Pro universis Ecclesiæ gradibus, ut in eis Dominus famulos suos et numero et merito augere dignetur, atque ut secundum divitias gratiæ suæ, bene in eis ambulantes ad meliora promoveat ; errantes vero, ad viam veritatis reducat. Pro his vero qui in qualibet, vel spiritali, vel corporali tribulatione positi sunt ; ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam Domini adesse sentiant ; vel ita : Ut secundum divitias gratiæ suæ Dominus universa eis adversantia propitiatus excludat, et omnia profutura concedat. Pro his qui in hæreses vel schismata lapsi sunt, ut ad viam veritatis reducantur. Pro infidelibus, ut ad sortem et societatem electorum perducantur. Sicut autem pro adipiscendis beneficiis divinis oratio est fundenda, pro adeptis est gratiarum actio facienda : de qua operosius scriberem, nisi quæ supra posita sunt nimiam etiam habere prolixitatem viderentur.

Hæc autem, quæ tibi quoquo modo manu accelerante exaravi, quantum tibi profutura sint nesciens, hoc certe scio, et te certissime scire volo, me quantum Dominus dedit, desiderio tuo satisfacere curasse. Quæ si tibi utilia esse cognoscere potero, laboris mei compensationem apud Christum tuis orationibus me recepturum sperabo ; qui per Apostolum suum jubet ut *per charitatem serviamus invicem* (*Gal.* v, 23). Fratres omnes per te nomine meo salutari desidero, non omnes simul, sed nominibus suis singulos ; quorum orationibus et tuis adjuvari quantum indigeam, nec præsens satis indicare potui, nec absens intimare sufficio.

EPISTOLA III.

AD HUGONEM.

De modo orandi, ac præsertim de gratiarum actione.

Dilectissimo suo fratri Hugoni, frater Joannes, salutem.

Scripsi aliquando epistolam de modo orandi, ad fratrem Latoldum, cum hoc ille a me devotissime flagitasset : ubi cum juxta formam orandi de qua agebam, tres ad Patrem, et duas ad Filium orationes exempli gratia posuissem, quando venit epistola illa in manus tuas, instantissime postulasti, ut aliquas etiam orationes adjiceremus ad personam Spiritus sancti specialiter pertinentes. Quamvis ergo Pater, et Filius et Spiritus sanctus, sicut sunt inseparabiles, ita etiam inseparabiliter operentur, et quidquid dat Pater vel Filius, det quoque Spiritus sanctus, acquiescens tamen petitioni tuæ, præmissis orationibus subjeci duas ad Spiritum sanctum, et tertiam ad sanctam Trinitatem. Postea vero cum animadvertisses in calce ejusdem epistolæ gratiarum agendarum me ita mentionem fecisse, ut si locus vel tempus permitteret, plura inde dicere possem ; rursus instanter et omnino importune petisti, ut de hac re, id est, de gratiarum actione aliquid tibi operosius scriberem. Ad hoc itaque quod petis, ego quidem insufficientem me invenio, sed tuis orationibus fultus, ab illo a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, sufficientiam spero.

(Hic totam inserit epistolam 2, ad Latoldum datam, De modo orandi ; cui sequentes tres precatiunculas illigat, medio loco inter secundam orationem ad Filium, et articulum de oratione morosa.)

Oratio ad Spiritum sanctum.

Spiritus sancte Deus, qui me mundo carnaliter natum, in sacro fonte spirituali nativitate regenerasti, da mihi plenam omnium, quæ quoquo modo postea contraxi peccatorum indulgentiam, et fac me in justificationibus tuis ita perseverantissime et intelligentia et actione proficere, ut ad sortem et societatem electorum tuorum merear in æternum veraciter pertinere. Qui cum Patre et Filio habes unam divinitatem, et ejusdem majestatis ac potestatis indivisam unitatem per omnia sæcula sæculorum.

Alia oratio ad Spiritum sanctum.

Spiritus sancte, qui es et donum Dei, et Deus ; Deus apud te, donum apud nos, fac, quæso, per inhabitationis tuæ gratiam, mentem hujus pauperculi servi tui, et veritatis intelligentia lucere, et charitatis igne fervere ; ut ab omnibus peccatorum meorum maculis, beneficio gratiæ tuæ clementer emundatus, in corpore merear, cujus caput Christus est, et hic bene, et in æternum beate vivere ; cum quo, et cum Patre est tibi gloria et honor individuus in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ad sanctam Trinitatem.

Sancta Trinitas unus Deus, qui omnes, quos in patria beatificas, prius via adoptionis Spiritu signatos vivificas et sanctificas, da mihi servulo tuo pignus hæreditatis nostræ eumdem Spiritum sanctum : ut ipso charitatem, quæ operiat multitudinem peccatorum meorum, in corde meo diffundente ; et in omni intellectu, sermone, et opere bono me confirmante, mecumque in æternum manente, cum eis qui habitant in domo tua te merear laudare in sæcula sæculorum. Amen.

Quod ergo in fine illius epistolæ dixi, hoc in hujus principiis repeto ; quia videlicet sicut pro impetrandis beneficiis divinis preces fundimus, ita pro adeptis gratiarum agendarum debitores sumus. Si homo quilibet alteri homini a quo beneficia habuit, ingratus existat, quis non hoc malum judicet, et iniquum? Si ergo malum est ingratum esse homini, quanto magis Deo? Quomodo autem nisi gratias agendo, nos beneficiis ejus ingratos non esse ostendimus? Ingratos fuisse illos arguit Scriptura, de quibus dicit : *Et obliti sunt benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis* (*Psal.* LXXVII, 11). Dominus quoque in Evangelio, cum decem leprosos mundasset, et unus tantum gratias ageret, reliquos novem ingratos exstitisse conquestus est, dicens : *Nonne decem mundavi, et novem ubi sunt ?* (*Luc.* XVII, 17.) etc. Animadveriat igitur discretus sanctarum Scripturarum lector, sive auditor, quod quando laudare Deum, vel benedicere, vel magnificare, exaltare, vel glorificare, aut cantare ei, aut exsultare, vel jubiare, aut gratias agere jubemur, sive monemur, res pene eadem diversis verbis significatur. Verbi gratia : *Benedicite, gentes, Deum nostrum* (*Psal.* LXV, 8), et : *Magnificate Dominum mecum, et exaltate nomen ejus in ipsum* (*Psal.* XXXIII, 4), et : *Cantate ei et psallite ei* (*Psal.* CIV, 2), et : *Venite exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro* (*Psal.* XCIV, 1). Confessio quoque in Scripturis sæpe laudem significat, ut ibi : *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo* (*Psal.* LXXXV, 12). Nam quasi exponendo quid dixerit, subdit ; *et glorificabo nomen tuum in æternum*. Et Dominus in Evangelio : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Luc.* X, 21). Non enim peccata confitebatur, qui peccata non fecit, sed Patri gratias agebat. Solent homines amicorum, vel dominorum suorum beneficia ad memoriam reducere, ut ex quantitate beneficiorum perpendant, quantum eis debeant rependere, vel amorem, vel obsequium. Nos ergo non solum ad mentem revocare, sed studiosissime excogitare et exquirere debemus, quæ et quanta nobis beneficia, et dona divinitus collata sunt, et devotissime auctori eorum laudes debitas, et gratiarum actiones referre. Nam dona cœlestia recolendo, amorem Dei in nostris cordibus excitamus. Gratias vero pro illis agendo, et ea quæ accepimus, nobis conservari, et quæ nondum accepimus nobis augeri promeremur. Unde Dominus ait in Evangelio : *Habenti dabitur, et abundabit ; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Luc.* XIX, 26). Ille enim dona Dei veraciter habere dicendus est, qui pia gratiarum actione eis ad id ad quod data sunt, id est, ad quærendum Deum utitur, et meretur gratiam pro gratia. Qui vero ad aliud quærendum eis abutitur, utpote ingratus, iis etiam quæ accepit privari meretur. Dona autem Dei quædam communiter dantur bonis et malis, quædam vero specialia sunt electorum. Nam exteriores divitiæ auri et argenti, et cæterorum, sanitas etiam corporis, et membrorum valitudo ; ingenium quoque et memoria, et litterarum scientia, et cætera hujus-

modi, reprobis pariter dantur et electis. Fidem vero quæ per dilectionem operatur, pietatem, charitatem, timorem sanctum et cætera verarum dona virtutum, solis electis dari manifestum est. Audiamus igitur quemdam in psalmo divina circa se beneficia cum exsultatione recolentem. *Exspectans*, inquit, *exspectavi Dominum, et intendit mihi: et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fœcis* (*Psal.* XXXIX, 2, 3). Huc usque ostendit de quo profundo malorum per gratiam Dei liberatus sit. Duobus vero sequentibus versibus confirmationem, et directionem, et innovationem suam describit, dicens: *Et statuit supra petram pedes meos* (*ibid.*), et reliqua. Ubi etsi nihil positum sit, quod benedictionem, vel gratiarum actionem significet, pia tamen divinorum beneficiorum recordatio, pro gratiarum actione habetur. In alio quoque psalmo glorificat Deum, dicendo: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum?* (*Psal.* XVII, 12) et quasi quæreremus, quid tibi fecit? quare eum ita magnificas et laudas? enumerat multas gratiæ divinæ circa se operationes, et subdit: *Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam* (*Psal.* XVII, 12), et cætera usque illuc, *et non sunt infirmata vestigia mea* (*ibid.* XXXIII, 37). Apostolus autem, *Gratias*, inquit, *ago ei, qui me confortavit, qui fidelem me existimavit, ponens me in ministerio.* Subdendo vero, *qui prius fui blasphemus, et persecutor, et contumeliosus* (*I Tim.* II, 12, 13); tanto majorem circa se gratiam Dei ostendit, quanto indignior erat, qui eam accipere mereretur. Gratias quoque agit ubi dicit: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum* (*II Cor.* I, 3), etc.

Differentia inter orantem et laudantem.

Hoc autem inter affectum orantis distat, atque laudantis, quod oratio contritionem habet, et gemitum, maxime quando peccata deflentur, aut quando inter tentationes, et tribulationes divinum auxilium imploratur. Qui vero laudat, et gratias agit, gaudio et lætitia spirituali perfunditur. Unde illis, qui pro peccatis vehementer conteruntur, expedire videtur, ut post mœrorem pro peccatis habitum, se ad gratiarum actionem convertant; ut animum pro peccatis mœrentem, gratiarum actio consoletur: ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est; sicque mens pro peccatis afflicta, de perceptis beneficiis gratias referendo, ad spem veniæ recreetur. Aliis quoque a gratiarum actione incipienda videtur oratio, ut mens orantis spirituali jucunditate perfusa, et fiducia repleta, ex quadam animi pinguedine totam sequentem effundat orationem.

Semper debemus gratias agere.

Non solum autem in prosperis, sed et inter flagella debemus gratias agere Patri, qui flagellat omnem filium quem recipit, sicut in persona justi scriptum est: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Qui enim in omni tempore benedicit, non solum in prosperis sed et in adversis gratias agit. Nam et mali inter prospera laudant Deum, sicut scriptum est: *Confitebitur tibi, cum beneferis ei* (*Psal.* XLVIII, 19), in adversis autem murmurare solent, et blasphemare.

De eodem.

Qui autem in gratiarum actione studiosus est et devotus, ante omnia debet illud omnium beneficiorum divinorum maximum atque excellentissimum recolere, et quanta potest devotione et pietate pro eo gratias agere, quo per sacrosanctum mysterium incarnationis et passionis Christi, a morte æterna redempti et ad vitam æternam sumus reparati. In Christo namque ipsa salus ad ægrotos, ipsa misericordia ad miseros, ipsa sapientia ad fatuos, ipsa vita ad mortuos, ipsa via ad errantes, ipsa veritas ad mendaces, ipse Redemptor ad captivos, ipse Deus ad homines venit. Illa majestas divinæ sapientiæ, quæ cœterna, et consubstantialis, et coomnipotens Patri, et Spiritui sancto, portat omnia verbo virtutis suæ, et attingens a fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suaviter, tanta miseratione tantaque abundantia pietatis suæ, nostræ miseriæ voluit subvenire, ut non solum usque ad susceptionem nostræ naturæ, sed etiam usque ad contumelias et ad mortem crucis, pro nostra redemptione et salute se inclinare dignaretur. Altissimus Patris altissimi unigenitus, sicut non habuit quo ultra se humiliando descenderet, quam ut in homine, quem sibi in unam personam univit, quasi reus, et damnatitius morte turpissima moreretur; sic nostra natura non habuit quo ultra posset sublimari, quam ut in Christo sedens ad dexteram Patris, habeat nomen quod est super omne nomen, et flectatur ei omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum. Spem autem nobis firmissimam dedit, nos, si ei fideliter adhæserimus, quo ipse præcessit esse secuturos. *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem quam dedisti mihi* (*Joan.* XVII, 24). Quis tantam gratiam digne cogitare, quis sufficiat digne pro ea laudes et gratias referre? Sed etsi non valemus dignas laudes persolvere, non tamen debemus a gratiarum actione cessare, donec ipso ducente, illuc perveniamus, ubi hoc sine fine faciamus, sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Nunc enim tempus est orandi pariter, et laudandi, tunc erit tantummodo laudandi. Tunc quippe sicut miseriæ beatitudo, ita orationi succedet laudatio. Impletis namque omnibus promissionibus Dei, nihil supererit petendum, sicut ipse dicit: *In illo die me non rogabitis quidquam* (*Joan.* XVI, 23). Quem quanto amplius diliginus, tanto studiosius canonicis, hoc est, propheticis, et apostolicis, nec non et aliis Scripturis intendere debemus et vigilantissime auscultare, quid de illo nobis insinuent, vel quid ipse nobis in eis loquatur. Quis audiens illum dicentem per prophetam: *De manu*

mortis liberabo eos, de morte rédimam eos : ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne (*Osee.* XIII, 14), non erumpit in hanc vocem jucunditatis et laudis, ut dicat : Gratias, Domine, tantæ pietati, quam nostræ redemptioni impendere dignatus es : et precor ut ejus em redemptionis, et salutis æternæ quæ est in te, nos facias in æternum veraciter esse participes? Quis audiens Apostolum dicentem : *Fidelis sermo, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim* I, 15) ; non effundat laudem pariter et precem, et dicat : Tibi, Domine, laus, tibi gratiarum actio, qui tanta miseratione vitam peccatorum, non mortem inquiris. Placeat tibi, Domine, ut jus illicare nos a peccatis, et salute æterna salvos nos facere digneris. Audientes ergo eloquia, quibus beneficia ejus vel referuntur, vel promittuntur, debemus (sicut Apostolus docet) *abundare in illo in gratiarum actione* (*Colos.* II , 7). Sed animus amantis et desiderantis, præmissa gratiarum actione, debet etiam preces subdere, ut promissionibus ejus dignus efficiatur. Qui enim audiendo eloquia divina, ad orandum, vel laudandum, vel amandum Deum inflammatur, veraciter potest dicere quod in Cantico canticorum scriptum est : *Anima mea liquefacta est* (*Cant.* V, 6), id est, in lacrymas amoris resoluta est. Scio ego prudentem quemdam, et religiosum virum dixisse : Spiritum Christi non habet, qui audiendo verba Christi, non ardet. Sed qui hoc dixit, videtur mihi hoc quod in se sentiebat, æstimasse de cæteris, quod proprium est hominum maxime plurimorum. Ego vero sciens multos etiam bonos et justos nullam habere vel raram gratiam lacrymarum, ad talium consolationem dico. Quidam enim diligunt Christum ardenti charitatis affectu : quidam non sentiunt quidem magnum affectum dilectionis ejus, sed ostendunt eam in operis effectu. De iis ipse dicit : *Qui habet mandata mea, et servat ea, hic est qui diligit me* (*Joan.* XIV, 21). Et iterum : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*ibid.*, 23) ; unde Gregorius : « Probatio dilectionis, exhibitio est operis. » In persona quoque illorum, qui Christum ardenti affectu diligunt, dictum est : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum* (*Psal.* XLI, 8), etc. Denique dico, quia tanto quisque melior est, et sanctior, quanto ad amandum, et quærendum Deum devotior est atque ferventior. Nam sicut orationes aliquando Patri, aliquando offerimus Spiritui sancto, sed frequentiori usu offeruntur Patri, per Filium, in Spiritu sancto, ita et de gratiarum actione faciendum est, dicente Apostolo : *Gratias agentes Deo Patri, per ipsum* (*Col.* III, 17), id est, per Christum. Quantum vero potui experiri utrumque negotium, orandi scilicet et gratias agendi, melius agit quisque suis, id est, de intimo corde prolatis, quam aliorum verbis. Nam neque in oratione, neque in gratiarum actione quæritur verborum ornatus, sed mentis affectus. Cui autem sua verba non suppetunt, psalmis, et aliis quibus potest modis oret, et gratias agat. Feci siquidem quod potui, sicut petisti. Violentus es. Utinam hac violentia regnum cœlorum diripere mereaA ris! Fructum autem laboris mei a Domino tuis orationibus exspectabo.

EPISTOLA IV.

AD BERARDUM.

De custodia cordis.

Dilectissimo fratri BERARDO, frater JOANNES salutem.

Petitionis tuæ votum, et promissionis tuæ debitum præsenti schedula persolvo. Nam cum tibi et fratribus qui tecum ad nos venerant, de custodia cordis exhortationem fecissem ; et quomodo anima vel caro obtemperare debeat rationi, ostendissem, obnixe rogasti ut ea quæ verbis expresseram, scripto tibi dirigeremus. Animadverte igitur duo esse, ex quibus homo constat, scilicet animam et corpus. Sed rursus B anima, non quidem dividitur, sed in duo distinguitur, id est in animam et spiritum. Est autem quædam vis animæ inferior, quæ vivificat et vegetat corpus, et carnis sensibus favens per carnales delicias immoderate defluere gestit : quæ in Scripturis anima nuncupatur, eo quod animet, id est, vivificet corpus. Quibusdam autem placuit, ut eam, sensualitatem appellarent. Et secundum hanc non distamus a pecoribus, quia et pecora animam habent, quæ movet et vivificat corpus, et appetit conducibilia, et noxia fugit. Est autem quædam vis ipsius animæ superior, quæ spiritus vel ratio dicitur, per quam distamus a pecoribus : secundum quam scilicet ad imaginem Dei facti sumus, quia per hanc inter bonum C et malum, et inter Creatorem creaturamque discernimus. Hæc tria, scilicet spiritum qui intelligit, animam quæ vivificat, corpus quod vivificatur, ita uno loco distinguit Apostolus, dicens : *Integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (*I Thess.* V, 23). Principale itaque nostrum, spiritus est, qui et mens, et ratio, et animus dicitur : nec est aliquid ab ipsa anima diversum, sed quiddam ipsius animæ quod debet præsidere. Inferius autem nostrum est, ipsa vita corporis, id est anima, quæ etiam quia carnalia appetit, caro nominatur. Unde Apostolus : *Mente servio legi Dei, carne autem, legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Et iterum : *Caro concupiscit adversus spiritum,* D *et spiritus adversus carnem* (*Gal.* V, 17). Caro vero nihil sine anima concupiscit. Ultimum vero nostrum est corpus, quod est etiam visibile. Sæpe vero ita loquuntur Scripturæ, ut hac distinctione non observata, et solo nomine animæ, et solo nomine spiritus, utrumque simul significetur. Dominus enim dicendo in Evangelio : *Animam meam pono pro ovibus meis* (*Joan.* X, 15), uno nomine animæ, illud totum quod est anima et spiritus designavit. Dicendo quoque : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46), non spiritum ab anima distinguere voluit, sed uno spiritus nomine utrumque expressit. Igitur quando vivit homo secundum corpus, carnalis vel animalis vocatur. Carnalis, quia carnalia sectatur ; animalis vero, quia fertur dissoluta licentia animæ suæ, quam non

regit spiritus, quia nec ipse subdit se regendum Deo. Hæc est vita hominis inordinata, et perditioni obnoxia. Qui autem spiritu animam regit, et per animam corpus quoque coercet intra metas naturalis ordinis (quod non potest facere, nisi Deum habeat et ipse rectorem) vocatur spiritalis. Hæc est itaque vita ordinata, ut spiritus hominis seipsum Deo subjiciat, id est, paratum se ad Dei voluntatem faciendam exhibeat, et tunc munere divino habebit et ipse carnem, animamque subjectam, id est, rationi obtemperantem. Primus siquidem homo quandiu præceptum obedientiæ in paradiso servavit, spiritalis fuit. Postquam vero peccavit, dimissus de paradiso, in eo remansit ut esset animalis. Et ideo hominem animalem prius agimus omnes, qui de illo per peccatum nascimur, donec per gratiam Dei spiritales efficiamur. Unde Apostolus : *Non prius quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spirituale* (*I Cor.* xv, 46). Etiam nunc in unoquoque homine nihil aliud agitur cum ad peccatum dilabitur, quam tunc actum est in paradiso in illis tribus, scilicet, serpente, muliere, et viro. Nam primo fit a serpente suggestio, sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo. Quæ suggestio cum facta fuerit, si concupiscentia non moveatur ad peccandum, excluditur serpentis astutia. Si autem mota fuerit, quasi jam mulieri persuasum erit. Sed aliquando ratio etiam commotam cupiditatem viriliter refrenat atque compescit. Quod cum fit, non labitur homo in peccatum, sed cum aliqua luctatione coronatur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit, faciendum esse decernat; ab omni beata vita tanquam de paradiso expellitur homo. Jam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quoniam rea tenetur in sensu conscientia. Iis ergo tribus modis perpetratur peccatum : suggestione, quæ fit per diabolum; concupiscentia sive delectatione, quæ fit per carnem, et animam, et consensu, qui fit per spiritum. Scit namque perversitatis ille persuasor, rationem ad peccati consensum deduci non posse, nisi prius delectatio, sive concupiscentia mota fuerit in ea parte animæ, quæ debet obtemperare rationi, tanquam viro regenti. Et ideo miris modis non cessat suggerere per cogitationem quidquid potest, et (nisi repulsus fuerit) post suggestionem carnis, concupiscentiam inflammare, ut postmodum captivum animum ad peccati consensum pertrahere valeat. Novit autem ille cui inspiret tumorem superbiæ, cui suggerat appetitum inanis gloriæ, cui virus propinet invidiæ, quem ad libidinem inflammet, quem ad iracundiam irritet, quem aliorum atque aliorum vitiorum peste contaminet : prout deprehendere potest diversorum affectiones, variorum vitiorum fomitem recipere. Ipse itaque (sicut de eo scriptum est) *calcaneo*, id est, lapsui nostro *insidiatur* (*Gen.* iii, 15). Nos autem debemus caput ejus, id est, initium pravæ suggestionis conterere, exertum semper tenentes gladium spiritus, et aliam de qua nos Apostolus instruit armaturam (*Ephes.* vi) Dicit enim Scriptura : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* iv, 23). Cor autem nullo alio modo melius custoditur, quam ut semper sanctis cogitationibus (quantum per gratiam Dei fieri potest) occupatum teneatur, sicut legitur : *Cogitatio sancta servabit te* (*Prov.* ii, 11). Quod si studiosissime facimus, nunc per lectionem, nunc per orationem, aliquando per psalmodiam, quandoque per sanctam meditationem : impossibile tamen est ut pravis omnino cogitationibus careamus. Sed nullum est periculum, nullum est omnino peccatum, si eas improbe irruentes instantissime abigat spiritus, sive ratio vigilantissime semper excubias agens, et contra illecebrosos ac noxios cogitatus nostros, orationis clypeum, et sanctarum cogitationum munimenta opponens. Si vero ratio dormitat, et passim quaslibet immundas et noxias cogitationes, non solum ingredi, sed etiam moram in animo facere permittit, increpat nos per prophetam sermo divinus, dicens : *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* (*Jerem.* iv, 14.) Si autem post pravam suggestionem, per nimiam negligentiam, etiam concupiscentia mota fuerit : tunc saltem debet animus evigilare ; et exstinguens ignem excitatum, hostes jam intra januam admissos, fortiter resistendo excludere, ne et ipse (quod absit) peccato consentiens perimatur. Hæc tibi breviter scripsi, petitioni tuæ (sicut potui) satisfacere curans : quæ si tibi grata esse didicero, mercedem tuis orationibus compensabo.

EPISTOLA V.

AD BERNARDUM NEPOTEM SUUM, QUI DE CARTHUSIENSI AD ALIUM ORDINEM TRANSIRE COGITABAT.

De constantia in proposito.

Frater Joannes, domus Portarum qualiscunque monachus, Bernardo dilectissimo secundum spiritum filio, et secundum carnem nepoti, debitam in divino famulatu perseverantiam et profectum.

Audivi quod a proposito ad quod te, Christi gratia vocaverat, vis recedere, et ad alium ordinem migrare. Hæc persuasio non est ex eo qui te vocavit, sed serpens, qui seduxit Evam astutia sua, te quoque vult seducere, et ab angusta via, quæ ducit ad vitam, per quam cœperas ambulare, te cupit ad latam et spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem, reducere. Audi ergo potius Christum dicentem : *Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare, et non poterunt* (*Luc.* xiii, 34). Non ait tantummodo, *intrate*, sed *contendite intrare*, quia profecto magna contentione et pugna, magno conamine et conflictu opus est, contra infirmitatem et mentis et corporis, contra innumerabiles quæ occurrunt infirmitates, et difficultates, et impedimenta, contra jacula linguarum et contumelias, et detractiones obloquentium; contra carnales et terrenas cupiditates, contra innumeras tentationes et dolos, atque insidias invisibilis inimici. Sicut enim ait quidam. Novit exsul cœli, quid agatur in cœlo; et invidens nobis beatitudinem quam

ap-e perdidit, non cessat (tentamentorum innumeris modis) per se, et per satellites suos elaborare, ut sicut parentes nostros de paradiso seducendo ejecit, ita aliquos bene viventium illaqueando, de paradiso Dei excludat : de quo dicit Christus in Canticis : *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.* Paradisus namque hortus interpretatur. Hortus ergo Christi, est sancta electorum in præsenti Ecclesia conversatio. Conclusus, id est, protectione divina munitus. In hoc horto germinant lilia castitatis, hyssopus humilitatis, rosæ patientiæ, abietes contemplationis : fragrat etiam myrrha abstinentiæ vel sobrietatis, et thus orationis, cæteraque virtutum ornamenta, quæ diversis aromatum, vel aromaticarum arborum sive herbarum vocabulis in Scripturis significantur. In hoc horto servi Dei, quanto magis proficere merentur, tanto suavius et efficacius carpunt illos fructus Spiritus, quos enumerat Apostolus, dicens : *Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia* (*Gal*, v, 22), etc. Horum fructuum adeo amant dulcedinem, ut etiamsi nulla sequeretur futuræ vitæ beatitudo, magnam, imo multiplici fenore abundantem, se jam accepisse a Deo recompensationem faterentur, pro divitiis, et voluptatibus, et mundi gaudiis, quibus abrenuntiaverunt. Nam profecto magna portio, et quædam imitatio futuræ beatitudinis est, nulla superbia inflari, nulla invidia morderi, liberum esse a servitute peccati; nulla ambitione, nulla avaritia, nullis aliis cupiditatibus raptari; prosperis non extolli; nullis adversitatibus frangi, nulli nocere, omnibus velle prodesse; lædenti vel quamlibet injuriam inferenti, non solum læsionem vel injuriam non referre, sed insuper bonum pro malo reddere; omnibus affectum charitatis impendere, Scripturarum sanctarum epulis pasci, Spiritus sancti consolationibus perfrui; exitum de hac vita non solum non timere, sed etiam ex testimonio bonæ conscientiæ, cum desiderio exspectare. Hæc et alia hujusmodi ideo appellat Apostolus fructus Spiritus, quia nemo nisi per gratiam Spiritus sancti talis esse potest. Quem quanto abundantius quisque recipit, tanto facilius et efficacius hæc et alia quæ Scripturæ sanctæ docent, implere meretur. Diabolus ergo duobus præcipue tentamentorum modis insurgit adversus eos, quos de paradiso præsentis Ecclesiæ ejicere, hoc est, de sancta conversatione, ad vitam reprobam trahere conatur. Nam, sicut dicit beatus Augustinus, aut terret ut frangat, aut blanditur ut decipiat. Terret scilicet per adversa, suadens intolerabilia, et importabilia esse ea, quæ molesta, dura et laboriosa occurrunt; ut desperatione fracti et dissoluti, a proposito sancto resiliant. Blanditur vero per prospera; ad carnales voluptates, et ea quæ in mundo appetibilia videntur, invitando. Tu ergo animadverte quæ circa te sunt, et cave ne a serpente seducaris. Pater namque qui quos diligit, corripit, et flagellat omnem filium quem recipit, te per corporalem quam sustines molestiam, cœpit flagellare. Si ergo durum tibi videtur, quod flagellat; incomparabiliter amplius tibi dulce esse debet, quia recipit : et gratias agere debes, si tanquam filius mereris flagellari. Si hoc feceris, hæc duo operatur tibi flagellum Patris; quia scilicet et præterita peccata purgantur, et futura caventur. Præterita purgantur, quia haud dubium quin Deus, sicut scriptum est : *Remittet in tempore tribulationis peccata* (*Eccl.* II, 13). Futura caventur, quia item scriptum est : *Priusquam humiliarer* (id est priusquam per flagellum affligerer), *ego deliqui* (*Psal.* CXVIII, 67). Nam et in hoc loco, et ubi dictum est : *Humiliatus sum usquequaque* (*ibid.* 107); hoc est valde, et : *Vide humilitatem meam, et eripe me* (*ibid.*, 153); et : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* (*Psal.* XXIV, 18), et in plerisque aliis locis, humilitas non est nomen virtutis, sed afflictionis. Justus ergo, in persona cujus totus ille psalmus scriptus est, dicendo : *Priusquam humiliarer, ego deliqui;* significavit quod propterea flagellatus est, ne peccaret. Flagellatus vero desiit peccare; unde subdit : *Propterea eloquium tuum custodivi.* Audi ergo, non serpentem, sed Apostolum dicentem : *In disciplina perseverate;* id est, in flagello perseverantiam nolite perdere. Et adjecit : *Tanquam filiis vobis offert se Deus* (*Hebr.* XII, 7). *Si autem*, inquit *extra disciplinam estis* (id est si flagellari renuitis), *ergo adulteri et non filii eritis* (*ibid.*, 8). Quod si serpenti, coacervatione tentationum tibi desperationem facere conanti credere malueris, eris cibus illius, sicut scriptum est : *Serpenti pulvis panis ejus* (*Isai.* LXV, 25). Pulvis enim sunt, id est, pulveri comparati illi, de quibus dictum est : *Non sic impii non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 4). Ventus, id est, tentatio; a facie terræ, hoc est, a stabilitate Ecclesiæ; pulvis, id est impii, qui tentationibus non resistunt, sicut pulvis vento resistere non valet. Si serpenti crediderit, inter inimicos Dei reputaberis, de quibus dictum est : *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in sæcula* (*Psal.* LXXX, 16). Si enim quod in die professionis tuæ spopondisti, irritum feceris, voti atque mendacii coram Deo et hominibus reus eris. Non solum autem tibi nocebis, sed etiam multis efficieris petra scandali, et multo pluribus nocebis scandalo, quam potuisti prodesse exemplo. Igitur non tantum de tua apostasia, sed de illorum pernicie judicaberis. Dicit enim Dominus : *Væ homini per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Job scatens vermibus et percussus ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem, dicebat : *Justificationem meam quam cœpi tenere non deseram* (*Job.* XVII, 6). Uxore quoque illius suggerente blasphemiam : *Si bona*, inquit, *suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* (*Job.* II, 10.) Dicit enim Apostolus : *In fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, in carceribus et plagis, et mortibus frequenter* (*I Cor.* XI, 27). In periculis, et tribulationibus, et persecutionibus innumeris Christo serviens non deficiebat, sed dicebat : *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam*

operatur, et patientia probationem, probatio vero spem (*Rom.* v, 3, 4), etc. Et alibi : *Placeo*, inquit, *mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo* (*II Cor.* XII, 10). Et quare in his omnibus non deficeret, reddit causam alibi, dicens : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Phil.* IV, 13). Nec solum eum confortabat, sed et, *consolatur nos*, inquit, *in nostra omnimoda tribulatione* (*II Cor.* I, 4). Tu vero corporali, quamvis tolerabili molesti correptus, animo defecisti : quia spem et fiduciam quam debes habere in Deo de omnibus quæ circa te sunt, vel futura sunt, perdidisti, dissolutus es, et cœpit minui corporis et animi tui fortitudo, sicut dicit sacra Scriptura : *Si desperaveris lassus in die angustiæ, minuetur tua fortitudo* (*Prov.* XXIV, 10). Nam si non desperasses, veraciter diceres : *In Domino sperans non infirmabor* (*Psal.* XXV, 1). Igitur resipisce, et time quod scriptum est : *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo ; ideo non protegentur ab ipso* (*Eccli.* II, 15) ; et illud : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*ibid.* 16). Resipisce, inquam, et super hoc, quia suggestionibus inimici assensum præbuisti, pœnitentiam agere, et crede Christo dicenti : *Omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* VII, 23), et quidquid *orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis* (*Marc.* XI, 24). Pete igitur ab eo mecum instanter et devote, ut det tibi in suo famulatu perseverantiam, et semper ad meliora profectum : et in corporali ægritudine ita faciat tecum (secundum suæ gratiæ clementissimam dispositionem) sicut ipse novit tibi expedire, et salutare esse. Et hæc orando, crede quia vel sanabit, vel sublevabit, vel citata morte finiet eam. Nam fortasse hoc novit Satanas, te scilicet citius moriturum : ideo ita importunus est, ut tibi perseverantiæ bonum tollat. Novimus enim de domo in qua es, et de Carthusiensi, et de nostra, et de aliis hujus propositi particulares exisse, quorum nonnulli post paucos dies, aliqui vero post paucos menses obierunt. Audi igitur Scripturam dicentem : *Crede Deo, et recuperabit te* (*Eccli.* II, 6). Et iterum : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se* (*Nahum.* I, 7). Et illud : *Spera in eo, et ipse faciet* (*Psal.* XXXVI, 5). Non dixit quid faciet : sed hoc ideo, ut intelligeremus eum omnia facturum, quæ sperantibus in se necessaria et salutaria erunt. Hæc ergo et similia meditando, confortare in Domino, et viriliter age. Si non potes jejunare quantum alii, jejuna quantum potes, certissime sciens, quia non potest in aliqua virtute esse perfectus, cui gulæ vitium dominatur. Nam ut consueta jejunia omnino dimittas, crede mihi, non expedit adolescentiæ tuæ. Noli ergo temporalem et momentaneam corporis sanitatem præponere saluti æternæ animæ. Nam Apostolus dicit : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitio et concupiscentia* (*Gal.* V, 24). Et Dominus : *Qui non accepit crucem suam et sequitur me, non est meus discipulus* (*Matth.* X, 38 ; *Luc.* XIV, 27). De sananda ergo vel leviganda corporis ægritudine, et de jejuniis et de omnibus omnino quæ ad justificationes Domini pertinent, *spera in eo et ipse faciet* (*Psal.* XXXVI, 5). Ipse enim, sicut legitur in Isaia, *dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat* (*Isa.* XL, 29). Audi igitur quid dicat Scriptura : *Qui mollis est et dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII, 9). Noli esse inutilis et remissus in tuis operibus, sed spiritualia, quanto studiosius et devotius poteris, corporalia vero suo tempore impigre et quanto utilius et melius valebis, invocato semper auxilio divino prosequere. Hæc meditare : in his esto, ne forte (quod absit) si immundus spiritus vacantem te invenerit, assumptis aliis spiritibus, nequioribus revertatur in domum unde exierat, et fiant novissima tua deteriora prioribus. Instantissime autem et devotissime pete a Domino, ut in charitate radicari et fundari merearis. Quod cum obtinueris, tunc (sicut scriptum est) *curres et non laborabis, ambulabis et non deficies* (*Isa.* XL, 31). Si credis videre bona Domini in terra viventium, fac quod sequitur : *Exspecta Dominum, viriliter age* (*Psal.* XXVI, 14), etc. Si sic egeris, mox Spiritu principali confirmatus, Deo gratias agendo exsultabis, et inimicis tuis insultabis, dicens : *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt* (*ibid.* 1). Et iterum : *Confusi sunt, quia speravi* (*Job.* VI, 20). Deo autem gratias agendo dices : *Benedicite, gentes, Deum nostrum* (*Psal.* LXV, 8), etc. Usque *et non dedit in commotionem pedem meum* (*ibid.* 9). Addes et reliqua quæ sequuntur, usque illuc : *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea* (*ibid.* 14). Vale, ora pro me. Saluta mihi dominum priorem, et alios nominibus suis.

STEPHANI DE CHALMETO

CARTHUSIÆ PORTARUM MONACHI

EPISTOLA

DE PERSEVERANTIA ORDINIS

AD NOVITIOS S. SULPITII ORD. CISTERC.

(Ex codice ms. S. Augendi Jurensis seu S. Claudii.)

Dilectissimis in Christo fratribus, Bonoamico, et sociis ejus apud Sanctum Sulpicium in annua examinatione positis, Stephanus de Chalmeto, Spiritu principali confirmari.

Quidam amici vestri rogaverunt me (supra id quod sum fortasse me existimantes) ut ad confirmandos, sive confortandos vos, quam possem operam impenderem. Unde ego volens non tam subvenire necessitati vestræ, quam non deesse charitati, cum Dominum priorem consuluissem, visum est ei ut hæc schedula meo nomine ad vos dirigeretur. Igitur non ego tanquam emeritæ militiæ veteranus, tyrones instruo, sed quasi miles adhuc ad nova bella rudis, quæ ad meam, sicut ad vestram æque vel confirmationem vel exhortationem valeant, profero. Debemus ergo, tam ego quam vos, divinæ circa nos misericordiæ opera sollicita pietate considerare. Primum quidem, quod non conclusit nos in manibus inimici, sicut merueramus, ut (juxta quod scriptum est [*Apoc.* XXII, 11]) qui in sordibus eramus, adhuc sordesceremus; sed contra merita nostra, non solum misericorditer, verum etiam potenter eduxit nos de lacu miseriæ, et de luto fæcis, ubi jacebamus. Deinde quod tantam nobis sobrie et juste, et pie vivendi opportunitatem concessit; præveniente nos gratia sua, ut non faciliora et leviora quæque pusillanimitatis spiritu eligeremus, sed eam potissimum serviendi Domino viam constanter aggrederemur, quæ quanto arctior, tanto ad salutem certior, quanto magis ardua, tanto securior, et ad perveniendum compendiosior. Pro quibus omnibus debitam quotidie gratiarum actionem ei, qui nos vocavit exhibentes audiamus Apostolum dicentem: *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* VI, 7). In vacuum gratiam Dei recipit quisquis prout ab eo præparationem sive opportunitatem accepit gratiæ Dei, non operatur. In vacuum etiam Dei gratiam recipit, qui missa manu ad aratrum retro respicit (*Luc.* IX, 62), quales (dicente Domino) non sunt digni nec apti regno Dei: *habentes* (juxta Apostolum) *damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V, 12). Cum magno pondere et tremenda divinæ vocis denuntiatione dictum est: *Memento uxoris Loth* (*Luc.* XVII, 31). *Noli retro respicere*, ait angelus ad Lot, *nec steteris in omni loco circa regionem, sed in monte salvum te fac* (*Gen.* XIX, 17). Qui vocante nos divina gratia montem conscendimus, id est, arduum atque supremum virtutis atque justitiæ iter arripuimus, (*Justitia*, inquit, *tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7) non debemus ad campestria regionis descendere, id est, ad faciliora quælibet et minus laboriosa declinare, ne forte involvant nos incendia Sodomorum, aut ne sicut Abel a Cain, ita nos a diabolo trucidemur. In campo quippe Abel occisus est. Campus autem est lata et spatiosa via, quæ ducit ad mortem et perditionem. Licet ergo mors Abel pretiosa fuerit in conspectu Domini, non incongrue tamen eorum exitium intelligitur significare, qui nihil arduum vel laboriosum aggredientes, in campo, id est, in lata mundi via a diabolo perimuntur. Ait ergo Dominus ad Moysem: *Non coques hædum in lacte matris suæ* (*Deut.* XIV, 21). Nomine igitur hædi, intelliguntur peccatores. Hædi quippe ad sinistram in judicio stabunt, et in lege hircus pro peccato jubetur offerri (*Lev.* XXIII, 19). Lac vero matris est facilior Ecclesiæ doctrina, secundum quam merito permittuntur vivere, qui nulla gravia delicta commiserunt. Nos ergo quanto minus abstinemus ab illicitis, tanto justius nobis amputavimus licita, ad lac matris Ecclesiæ pertinentia: ut dignos pœnitentiæ fructus faciendo, veniam a Domino et misericordiam consequamur. Igitur juxta apostolicam exhortationem, videamus, *ne forte sit in aliquo nostrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo et vero* (*Hebr.* III, 12): sed adhortemur nosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex nobis fallacia peccati. Si non capiant nos blandimenta, quæ suggerit tentator, ut seducat: si non terreant nos ea quæ difficilia et intolerabilia esse proponit, ut frangat; adjuvante Domino, qui refugium factus est nobis, facile omnes tentationum laqueos superabimus. In ipso enim sperantes non infirmabitur, nec delinquent omnes, qui sperant in eo. Fidelis namque, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus; dicente Apostolo: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis*

promissiones (*Hebr.* x, 36). *Per patientiam* igitur *curramus ad propositum nobis certamen* (*Hebr.* xii, 1): recogitantes quantam pro nobis, et patientiam, et obedientiam usque ad contumelias et mortem crucis, exhibuerit Christus; ut non fatigemur animis nostris deficientes. Non enim dictum est, qui cœperit, sed, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Cum autem ipsa infirmitatis nostræ experientia doceamur quam vera sit illa Domini sententia, qua dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5); cum misericordia ejus prævenerit nos, certum est quod ipse non subtrahet nobis auxilium gratiæ suæ, nisi ipsi prius subtraxerimus nos. Unde in persona ipsius Domini dicit Apostolus: *Justus autem meus ex fide vivit* (*Hebr.* x, 38). *Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Mox vero ex sua et electorum voce subjungens Apostolus: *Nos*, inquit, *fratres, non sumus subtractionis filii, in perditionem, sed fidei, in acquisitionem animæ* (*ibid.*, 39). Quibus verbis satis terribiliter insinuavit, qui sint filii subtractionis, eos esse etiam filios perditionis. Nisi autem cum debita perseverantia digne ambulaverimus vocatione qua vocati sumus, dicente apostolo Petro: *Melius erat nobis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti* (*II Petr.* ii, 21). Unde etiam Salomon: *Sicut canis qui revertitur ad vomitum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam* (*Prov.* xxvi, 11). Atque iterum: *Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur* (*Prov.* xxi, 16). Hic vero nomine gigantum, superbi, atque a Deo alieni, vel dæmones, vel homines significantur. Quia vero quidam cum ad nostrum vel vestrum propositum venerint, solent vel de nostro ad vestrum, vel de vestro ad nostrum suspirare; ne vero et nobis hujusmodi suggestionibus tentator illudat, audiamus Apostolum dicentem: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (*I Cor.* vii, 20). Unde Salomon: *Sicut avis transmigrans de nido suo, ita et vir qui relinquit locum suum* (*Prov.* xxvii, 8). Et iterum: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccli.* x, 4). Quoniam autem abundante iniquitate refrigescit charitas multorum, et quidam a serpente seducti, et a vestro et a nostro proposito resilientes, plus nocent scandalo quam profuerant exemplo (non formidantes illam dominicæ denuntiationis tremendam, terribilemque sententiam qua dicitur: *Væ homini per quem scandalum venit* (*Matth.* xviii, 7); cavere valde debemus ne plus perturbet nos paucorum retro abeuntium levitas, et inconstantia, quam confirmet multorum perseverantium gravitas et constantia. Imo vero sicut debet nos roborare bonorum perseverantia, ut perseveranter atque viriliter stemus; ita debet nos cautos et sollicitos reddere perversorum apostasia, ne cadamus. Et juxta Domini vocem in Evangelio, *fiant novissima nostra deteriora prioribus* (*Matth.* xii, 45). De cætero Scripturis sanctis legendis, audiendis, meditandis, aure fidelissima debemus intendere, et quidquid in eis invenerimus, de destruenda per humilitatem superbia, de superanda per mansuetudinis et patientiæ lenitatem iracundia vel impatientia, de fugando per fervorem spiritus torporis et teporis negligentia, de repellendo per benignitatis gratiam livore invidiæ; de calcando per testimonium conscientiæ appetitu inanis gloriæ, de orationis instantia, de jugi cordis et oris custodia de apprehendendis quatuor virtutibus, prudentia, temperantia, fortitudine, et justitia; de observanda in incessu, in silentio, in colloquio, in omni statu et actu, gravitate et modestia; de vitando per sinceræ obedientiæ subjectionem, in obedientiæ malo, de apprehendendo debite cum pio profectu perseverantiæ bono; postremo de ea, quæ est omnis consummationis finis et legis plenitudo, charitate; debet quotidianis coram Deo profectibus et incrementis, in conversatione et moribus nostris apparere. Valete. Vestris et totius sancti conventus orationibus, per interventionem vestram me commendo.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III

Ad Arthaudum priorem Alveriæ, de schismate illius temporis.

(Ex Archivo domus Alveriæ, ordinis Carthusiensis.)

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio A. prioris Alveriæ salutem et apostolicam benedictionem. Dum piam simplicitatem, etc. (*Hanc epist. vide inter opp. Alexandri* PP III.)

APPENDIX.

Probationes eorum continens quæ de tribus Bernardis Portarum prioribus, et his illigato Nantelmo, in præfatione ad lectorem disputata sunt.

I. — Rainaldus reclusus Sancti Ragniberti, circa annum Christi 1134.

(Ex tabulario Carthusiæ Majorevi.)

GUIDO de Aranda omnem calumniam quam fratribus Majorevi faciebat super pascuis eorum dereliquit: juravitque in manu Rainaldi reclusi Sancti Ragniberti, fidelem eis adjutorem et amicum fore. Et inde habuit tres solidos, duodecim nummos, et septem denarios. Testes Bernardus Portarum prior, Hugo procurator Majorevi, et Donatianus monachus Sancti Ragniberti.

II. — Bernardus de Portis, prior Portarum ex episcopo Bellicensi, anno Christi 1147.

(Ex tabulario Carthusiæ Majorevi.)

Bernardus de Portis, Portarum prior dictus, in Christo dilectissimis Humberto priori Majorevi, et fratribus ejus salutem et omne bonum.

Notum sit vobis quod G. de Benuntia laudavit quidquid pater suus vobis perpetuo concesserat in monte de Chevillaco, ad meam requisitionem cum adhuc Bellicensis episcopus forem. Promisit pariter idem Giraldus vobis omnem fidelitatem et manutentionem cunctis diebus, sicut pater suus promiserat. Hoc autem factum est in Ecclesia nostra, die sancti Thomæ apostoli, anno Christi millesimo centesimo quadragesimo septimo, coram toto conventu nostro, et Paulo et Antonio los Forts domicellis, et Petro Moschet de Latiniaco.

III. — Nanthelmus episcopus Bellicensis, qui vulgo Antelmus, ad annum Christi 1164.

(Ex tabulario Carthusiæ Majorevi.)

Ad concordiam et pacem futurorum, ut quietius in silentio vivant, placuit antiquis res gestas litteris memoriæ commendare. Noverit igitur quicunque hanc chartam legerit vel audierit, quod ego Nanthelmus humilis Bellicensis ecclesiæ episcopus, ad domum venerim Majorevi, ob quasdam calumnias quæ ibortæ fuerant inter domum illam et milites de Rubeomonte; inter quos pax hoc modo Deo largiente reformata est. Remota siquidem omni querela, et sedato omni rancore et discordia, concesserunt et libere dederunt dominus Willelmus et domnus Garnerius cum filiis suis, pro se suisque omnibus vivis et defunctis, fratribus Majorevi omnia quæ ab ipsis vel antecessoribus dono vel pretio acquisierant, et quibus ipso die investiti erant. Terras scilicet et nemora, pascuarum usum per omnem terram quæ infra eadem continetur pascua: ita ut nullam personam cujusque ordinis vel religionis, in terra prædicta ad habitandum suscipiant, imo suscipere volentibus pro posse suo omnino resistant. Excepto quod domnus Garnerius in villa de Mionz, in eo quod suum est, religiosos quos voluerit potest suscipere ad habitandum; non ad pascua eremitis data devastanda, nisi quantum ad ipsam villam pertinet: ubi etiam pecoribus Majorevi transitus non negatur. Præterea omnia quæ fratrum Majorevi sunt, in manutenentia et custodia sua susceperunt; euntibus et redeuntibus ad domum supradictam, firmam de se suisque hominibus securitatem dederunt: et si quam aliquando injuriam sæpedictis fratribus, vel ad se venientibus, vel redeuntibus fecerant, veniam suppliciter postulaverunt. Hæc quæ dicta sunt fideliter intellexi, promiserunt et juraverunt in manu nostra dominus Willelmus de Rubeomonte, et filii ipsius Willelmus et Aimo, domnus Garnerius; et filii ejus Willelmus, Guiffredus, Garnerius, Gauceranus. Laudantibus etiam idipsum uxoribus eorum, quæ ad eremum venire non poterant. Definita vero sunt hæc apud Majorevum, in domo inferiori, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto. Interfuerunt autem huic determinationi mecum hi. Guillelmus capellanus noster, monachus Portarum. Magister Anselmus canonicus Bellicensis, Andreas etiam Sancti Sulpicii monachus, et Willencus monachus. De Majorevo Humbertus prior, et Hugo procurator, conversi, Bonusfilius, Philippus Girardus, Willelmus: sacerdotes sæculares, Vicardus de Balmeto, Jordanus et Willelmus de Breuno, Humbertus de Burco, Dua et Johannes de Isinana. Milites vero Hugo et Vicardus de Balma, Aalardus de Biliniaco, Garnerius de Balmeto, Jordannus de Camberiaco, Erardus de Martiniaco, Jordanus et Aimo de Enflafol. Fuit etiam ibi Guido præpositus Bellicensis, Lambertus clericus, et Poncius frater ejus de Balmeto, Willelmus pellicerius de Nantuaco. Sciendum vero est quod pro prædicta concessione et donatione, Willelmo de Rubeomonte condonatæ sunt sex libræ Gebennensium. Filii etiam domni Garnerii supradicti in conventu monachorum laudaverunt quæ prædicta sunt, et habuerunt inde ferme quadraginta solidos Gebennensium.

IV. — Origo castri Majorevi in valle de Meria, ubi nunc Carthusia ejusdem nominis.

(Ex tabulario Carthusiæ Majorevi.)

Rainaldus Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ minister humilis.

Notum facimus universis, quod nos vidimus, et de verbo ad verbum legimus diligenter quasdam litteras, sanas, integras, non rasas, non violatas nec corruptas, sigillo aureo perantiquo munitas, quarum tenor talis est: *Noverint omnes præsentes ac futuri quod Valentinianus imperator anno decimo regni ejus concessit Majorevo ejus cubiculario, quidquid ei antea dederat in montibus et vallibus, prope vallem Helnonis, prope vallem Michaliæ et prope montem del Cambes, cum omnimoda potestate alte et basse; domos, turres, castra et urbes construendi, leges condendi, propria numismata fabricandi, et ita agendi ac si esset imperator. Eo quod ille maluit oculo orbari dextro, quam clavim cubiculi imperatoris tradere Arbogasti hosti. Apud Isernoros Kalendis Aprilis.* A tergo autem hæc scripta erant. *Majorevus ædificavit urbem del Balmeto, a qua nomen est sortitus, et castrum proprio nomine ab ipso vocatum Majorevum in valle de Meria, dicta a fustis arborum erulsarum, ad coercenda latrocinia Jovini Popæ nefarii et ferocis templi Montisægrorum. Genuit Majorevus Giniboldum del Balmeto post triginta septem nepotes ab ipso directe descendentes, Giniboldus Pontium procreavit, Pontius vero Ritboldum, Ritboldus Nortboldum.* Nos vero ad preces Aimonis domicelli del Balmeto, præsens transumptum fecimus sigillari sigillo nostro, tanquam conveniens cum originali. Testes fuerunt. Willelmus de Colongia, Albo de Monte aureo, G. pœnitentiarius, Le. senescalcus refectorii. Datum anno ab incarnatione Domini 1213, mense Aprili, *cum sigillo ejusdem pontificis.*

ANNO DOMINI MCC

SANCTUS HUGO

EPISCOPUS LINCOLNIENSIS IN ANGLIA

ORDINIS CARTHUSIENSIS

HUGONIS VITA

AB ALEXANDRO

Ut videtur, monacho ac postea abbate monasterii S. Augustini Cantuariensis, libris quinque conscripta.

(Edidit R. P. Bern. Pezius, *Bibliotheca ascetica*, X.)

MONITUM.

Hanc ut primum vidit reverendissimus et celsissimus S. R. I. princeps et episcopus Pataviensis, Josephus ex comitibus de Lamberg, in bibliotheca inclytæ Carthusiæ Gemnicensis in Austria, illico dignissimam sensuit quæ in lucem publicam ederetur. Nec id adeo mirum. Nam sui in ea animi imaginem statim agnovit antistes pientissimus alterque Germaniæ nostræ Altmannus. Tanti præsulis nutu accensus vir venerabilis ac undequaque doctissimus, celeberrimi loci vicarius, admodum reverendus et cl. P. Leopoldus Widemannus, non uno nomine universæ Europæ jam notus, ad hos e veteri bibliothecæ suæ codice libros eruendos mox se accinxit, eosque eruditissimis notis et observationibus illustratos mihi typis evulgandos liberaliter amanterque commisit.

Vita hæc prato cuidam amplissimo amœnissimoque consimilis est, unde omnigenarum virtutum veluti flosculos legant non solum privati asceteæ et Christianæ pietatis studiosi, sed Ecclesiarum etiam præsules, qui hinc facile discent quantum roboris ac fortitudinis animo concilient, etiam adversus potentissimos, vanarum mundi rerum despicientia et mens divinis rationibus conformata. Singula hujus generis in magno Hugone exempla curatius hic recensere nostri ævi mores non sinunt. Qui Franciæ ac Angliæ historiæ cupidi sunt, multa de rebus Henrici II, Joannis, aliorumque utriusque regni principum hinc cognoscent, quæ alias nuspiam exstent. Sed ista pluribus monere vix hujus loci est.

Auctoritatem operi non exiguam affert quod ejus auctor pluribus locis indicet se sancto Hugoni non modo æqualem, sed et familiarem fuisse (Vide libri I, cap. 9, et libri V, cap. 2, 20, 23 et 24). Unde præterea liquet eumdem sancti episcopi capellanum exstitisse. Audiendus ipse in prologo libri II, col. 961 : « Cum Lincolniensis, inquit, Ecclesiæ præsulatum annis jam Hugo bis senis, et diebus quinquaginta tribus religiosissime administrasset, placuit sanctitati suæ parvitatem meam de vitæ claustralis dulcedine in sollicitudinum suarum qualecunque solatium assumere, suoque inseparabiliter lateri sociare. A quo tempore annos tres et dies quinque, quandiu scilicet in corpore postea vixit, ab ejus nunquam, nisi per unam solam noctem, abfui comitatu, die semper ac nocte adhærens ei, et ministrans sibi ipsi. Hujus igitur spatio temporis omnia fere quæ de illo libellus præsens continebit, aut propriis vidi oculis, aut a sanctis ipsius labiis audivi.

Porro auctorem hujus S. Hugonis Vitæ, quam ab alio quodam Carthusiano in compendium, servata tamen primigenia phrasi, redactam hic damus, fuisse monachum Benedictinum, et quidem monasterii S. Augustini Cantuariensis, aperte colligitur ex prologo libri I et II, ac libri V cap. 23, ubi videsis notam 343, et ejusdem libri cap. 12 et 22. Ac hæc quidem extra controversiam sunt. De proprio ejus nomine duntaxat dubitari potest propterea quod in originaria eaque prolixiori Vita, teste Molano in Adnotationibus ad Usuardi Martyrologium die 17 Novembris, nomen suum non nisi hoc modo expresserit : « Dominis et amicis in Christo charissimis Q. priori, et qui cum eo sunt Withamiensibus monachis, minimus frater A. » nec in isthoc, quod exhibemus, breviario aliter ab abbreviatore exprimatur, ut ex ejusdem abbreviatoris prologo constat. Theodorus Petreius in *Bibliotheca Carthusiana*, dubitans tamen, Vitæ S. Hugonis, Lincolniensis episcopi, scriptorem appellat *Adamum*, uti et abbas Morotius. Verum cum hunc Adamum velint floruisse circa annum 1340, manifestarium est hunc esse non posse fratrem A. auctorem magnæ ac originariæ Vitæ, hic compendio redditæ, cum ille ea se tradere testetur quæ suis ipse oculis viderit, aut ex labiis sanctissimi episcopi hauserit, imo qui ultra triennium adhæserit, ut numero præcedente vidimus. Potuit tamen hujus breviarii auctor esse Adamus, ex doctore theologo Carthusianus, qui circa annum 1340, quem ei assignat Morotius, florere debuit. Adest enim in membraneo Carthusiæ Gemnicensis codice alia magnæ Vitæ Hugonis abbreviatio hoc titulo : *Incipit secunda abbreviatio Vitæ S. Hugonis episcopi Lincolniensis. Igitur Hugo nobilibus religiosisque parentibus*, etc. Cum itaque secunda abbreviatio manu sæculi XIV exarata in laudato codice Gemnicensi exstet, abbreviatio prima inferioris sæculi esse non potest. Atque hæc de auctore abbreviationis magnæ Vitæ S. Hugonis, qui quanta fide et cura

majus illud opus in compendium redegerit, ipse sat explicat in præfatione libri I, et cl. Pater Leopoldus in Adnotatis accurate observavit : licet omnino fatendum sit abbreviatorem hunc amplius de posteris meriturum fuisse, si resectis duntaxat moralibus digressionibus ac locis communibus, *præfationem ipsius fratris A. in librum* I reliquaque omnia, ut ut pauca, historiam tamen non nihil illustrantia, nobis conservasset. Sed ad fratrem A. primarium magnæ Hugonianæ Vitæ auctorem redeundum, videndumque est quis sub hoc principe litterarum elemento probabiliter delitescat.

Vero mihi simillimum semper visum fuit hunc fratrem A. alium non esse quam Alexandrum, « natione Anglum, professione monachum, ordinis S. Benedicti apud Cantuariam, et tandem ibidem in cœnobio S. Augustini abbatem, » ut refert Joannes Pitseus De illustribus Angliæ scriptoribus ad an. 1217, pag. 287, ubi et sequentia de Alexandro commemorat : « Hic cum esset ingenii felicis, et fere a teneris, ut aiunt, unguiculis, sollicitam in bonis artibus habuisset educationem, in virum doctissimum evasit. Cum autem ad eruditionem eminentem accessisset, solidum judicium, matura prudentia, et mira in rebus agendis dexteritas, multa etiam in Deum pietas, in proximum charitas, dignus unanimi suorum consensu habitus est, qui toti conventui præficeretur. » Has notas ingenii animique characteres a Pitseo Alexandro tributos egregie convenire fratri A. primariæ Vitæ S. Hugonis scriptori, mox reperiet, qui vel unum ac item alterum ejus librum apud nos evolverit, in quibus insignis pro illo ævo eruditionis, prudentiæ, judicii ac probitatis indicia singulis prope paginis deprehenduntur. Ast pergit Pitseus de Alexandro : « In quo munere (abbatiali) administrando cum se ad aliquot annos strenue prudenterque gessisset, et fama virtutum ejus usque ad ipsius regis Joannis aures pervenisset, rex eum consuluit super controversiis quas eo tempore gravissimas habuit cum summo pontifice. Alexander regem in spem bonam induxit, rem omnem componi posse dictitans. Cum itaque rex hominem in suas partes nonnihil propendentem deprehendisset, anno Domini 1206, eum legatum Romam super dicto negotio misit. In qua legatione tam aperte se pro rege stare declaravit, eique tam fideliter in omnibus adhæsit, ut magnam adversarum partium sibi conflaverit invidiam. Unde factum est ut successu temporis, rege mortuo, a Pandulpho summi pontificis in Anglia legato, fuerit excommunicatus, omnique ecclesiastico beneficio, munere et functione privatus. Atque ita ferunt eum in paupertate et miseria vitam finivisse. » Hactenus Pitseus de Alexandro, cujus aliorum ingenii monumentorum catalogum loco citato texit, additque, « dici eum usque ad annum Christi 1217 pervenisse, quo feliciter in Anglia regnum suum inchoavit Henricus III. »

Ex his porro novum robur conjecturæ nostræ de Alexandro, magnæ Vitæ Hugonianæ auctore accedit. Nam hunc non solum ad annum 1217, sed etiam ad 1220 pervenisse, patet ex libri I, cap. 9, ubi refert Hugonem canonizatum a papa, id quod evenisse sub Honorio III dicto anno ex Raynaldo certissimum est. Quod si cui hic locus suspectus sit, et glossema abbreviatoris videatur, saltem ex prologo libri V palam est, eum adhuc vixisse et scripsisse anno 1212, qui Joannis Angliæ regis quartus decimus est, ipsissimusque, quo se scribere ibidem testatur. Vide adnotata doctissimi Wydemanni ad hunc locum. Itaque cum et ætas, et eruditio, et littera initialis in Alexandrum, Cantuariensem S. Augustini monachum et abbatem quadrent, nec de ullo alio ejusdem cœnobii, tunc quidem, claro scriptore, cujus nomen ab A. incœperit, constet, vix dubitandum amplius videtur, *fratrem A.* magnæ Vitæ Hugonianæ auctorem, eumdem esse Alexandrum. Verum de fratre A. cujus opus integrum sine dubio vidit Laurentius Surius, et in aliud compendium suo stylo redegit, hactenus.

DISSERTATIO

De anno quo S. Hugo in episcopum Lincolniensem consecratus sit.

Sanctum Hugonem die S. Matthæi apostoli et evangelistæ in episcopum Lincolniensem consecratum fuisse, ac anno 1200, die 16 vel 17 mensis Nov. obiisse conctors scriptorum sententia est. Verum de anno quo illa consecratio evenerit, non idem omnes statuunt. Baronius, Raynaldus et Antonius Pagius in critica Baronii, Rogerium et Matthæum Parisium secuti, contendunt Hugonem consecratum fuisse anno 1186. Neque de hoc anno lis admodum moveri posset, nisi auctor Vitæ quam hic dedimus, et cum eo Laurentius Surius, dubitandi occasionem præberent.

Ac auctor quidem Vitæ, licet prædictum, nec ullum definite alium consecrationis annum in sua historia uspiam commemoret, pro anno tamen 1085 potius quam sequente stetisse, ex diversis locis, mox adducendis, manifeste colligitur. Surius, qui nec ipse in contextu annum exprimit, dum annos et dies ab auctore Vitæ in prologo lib. II positos colligit, recte scribit ; « Hugo tenuit cathedram episcopalem annis quindecim et quinquaginta octo diebus. » Anni siquidem et dies in prologo ab auctore memorati et a Surio putati, totidem ipsos annos et dies conficiunt : qui si abstrahantur a die 16 Novembris, qua S. Hugo anno 1200 e vivis excessit, necessum est eum consecratum fuisse anno 1185, non anno sequente. Raynaldus tom. XIII Annal., pag. 48, arbitratur Acta in numero annorum mendo laborare, et loco annorum *quindecim*, putat *quatuordecim* legendum esse. Verum in Acta a Surio edita *nullam* irrepsit mendum, nisi a primario auctore forsitan ante Surium, errore vix credibili, admissum. Auctori autem si non majorem, saltem non minorem tribuero fidem, quam quæ Rogerio aut Parisio tribuitur. Ille enim ultra triennium S. Hugoni familiaris fuit, et in hac vita, sicut ex nostris notis et observationibus liquet, accurati scriptoris partes exsecutus est. Rogerius vero, licet subæqualis fuerit, utpote teste Oudino tom. III Hist. Script. eccl., col. 96, an. 1237 mortuus, nec tamen sancto convixit, nec ejus vitam singulari studio digessit. Parisius autem, Rogerio recentior, ex eodem plura in Historiam suam transtulit, ut idem refert Oudinus, cit. loc., col. 211. His præmissis afferenda jam sunt loca ex hac ipsa Vita, quibus ostendatur sanctum Hugonem præcise anno 1185 in episcopum consecratum fuisse.

I. Prologo lib. II agnoscit auctor Vitæ S. Hugonem « annis bis senis et diebus quinquaginta tribus » ante suum ad eum accessum fuisse episcopum ; et subdit se ab eo tempore « annis tribus et diebus quinque » nunquam, nisi una unica nocte, ab ejus comitatu abfuisse, dum Hugo postea vixit. Anni hi, diebus adjuncti, dum efficiunt annos 15 et 58 dies, deducunt nos ad annum 1185, et probant hoc anno Hugonem factum esse episcopum, ut cuilibet intuenti patet.

II. Libro V, c. 7, hæc leguntur : « Hactenus fere per tredecim annos a rectis prædecessorum meorum

vestiglis non recessi. » Et : « Protrahitur inter hæc tempus a festo S. Nicolai pene usque ad Kalendas Septembris. » Et rursum : « In die doctoris eximii S. Augustini continuo salutavit eum, » Hugo nempe regem. Quibus omnibus laudato capite sequentia præmittuntur : « Uno igitur anno et fere mensibus quatuor ante mortem suam rex Anglorum Richardus in gravem contra ipsum (Hugonem) exarsit iram tali de causa. » Ex quibus, quomodo eruendus sit annus 1185 jam nunc videbimus.

Obiit Richardus Angliæ rex, ut apud omnes in confesso est, anno 1199, die 6 Aprilis. A festo autem S. Nicolai sive 6 Decembris anni 1197 usque ad diem Aprilis anni 1199, transiit cum mensibus quatuor annus unus, a quo rex in gravem contra Hugonem iram exarsisse narratur. Protrahitur interim a prædicto S. Nicolai festo anni 1197 tempus pene usque ad Kalend. Sept. anni 1198, videlicet usque ad festum S. Augustini, quod non longe a Kalendis Septembris distat; et in hoc festo Hugo regem audientem missarum solemnia salutavit, et ab eo osculum petiit et accepit.

Si igitur S. Hugo, uti supra citati viri doctissimi volunt, in episcopum consecratus fuisset anno 1186, die S. Matthæi, profecto nec anno 1197, die S. Nicolai, nec anno quidem 1198, die S. Augustini complevisset annum episcopatus sui duodecimum, multo minus inchoasset tertium decimum : quem tamen, si anno 1185 die prædicta factus est episcopus, anno 1197, die S. Nicolai ante duos menses et ultra inchoaverat, et anno 1198, die S. Augustini, fere compleverat, dempto unico, nec integro mense.

III. Libro v, cap. 12, narratur historia de muliere a dæmone delusa, et precibus S. Hugonis liberata. Liberatio hæc aut facta est Hugone adhuc existente priore in Witham, aut eo in episcopum recenter consecrato. Prius adversatur auctoris menti tum propter illa verba : « Digressis ab invicem episcopis, » tum ob illa : « Et hæc quidem Oxoniensis episcopus retulit episcopo nostro. » Alterum dependet ex anno, quo Bartholomæus Oxoniensis præsul obiit. Hunc non superstitem fuisse anno 1186 liquet ex Chronico Trivetti apud Acherium tom. III Spicilegii, p. 165 nov. edit., in quo ad hunc annum legitur : « Joannes cantor Exoniensis, factus ejusdem Ecclesiæ episcopus. » Si Joannes hoc anno factus episcopus, igitur Bartholomæus aut jam obiit, aut a se episcopatum abdicavit. Decessisse autem hoc anno Bartholomæum testantur Annales Wintunienses part. I Angliæ sacræ, pag. 302, his ipsis verbis : « Anno 1186 Bartholomæus Exoniensis episcopus obiit. » His majorem utique fidem adhibendam judicabunt viri docti, quam Oudino, qui illius obitum, et de hoc ipso quidem dubitans, anno 1185 consignat.

Sed forte obiit Bartholomæus postremis anni 1185, diebus, aut ante diem 25 Martii anni 1186. Atque hinc orta fuerit levis de anno contentio, dum hi a Natali Domini, alii a prima Jan., alii a Paschate olim annum inchoarent. Demus ergo Bartholomæum mortuum fuisse aut post Natale Domini ultimis anni 1185 diebus, aut ante 25 Martii anni 1186, juxta hodiernum temporis calculum : quo casu conciliari quidem poterit Oudinus cum Annalibus Wintoniensibus. Ast nos ex narrata hic historia habemus evidentem probandi rationem, Hugonem non anno 1186, sed 1185 in episcopum fuisse consecratum. Consecrationi enim anno 1185 factæ potuit interesse Bartholomæus, et tunc mulieris casum Hugoni retulisse, et *aliquanto tempore elapso* ereptionem ejusdem infortunatæ addidisse. Minime vero illi adesse, casumve referre potuisset Hugoni jam episcopo, si primum anno 1186 is consecratus fuisset, propterea quod Joannes anno eodem, uti ex Trivetto vidimus, jam ex cantore exstitit episcopus Oxoniensis, mortuo utique jam Bartholomæo suo antecessore.

IV. Libro III, cap. 1, de vacatione sedis Lincolniensis hæc habes : « Vacaverat vero paulo ante sedes tam egregia annis circiter decem et octo, duobus videlicet et semi, post translationem præfati episcopi (Walteri) quindecim vero ante illius consecrationem. » Ex quo loco, ut iterum eliciatur annus 1185, præmittenda nonnulla sunt. Et quidem primo, vacationis dictæ tempus ab anno, quo Robertus episcopus Lincolniensis obiit, numerandum esse usque ad annum quo ei S. Hugo in illo episcopatu successit. Secundo, Robertum obiisse aut anno 1166 post Natale Domini, aut saltem ante 25 mensis Martii an. 1167, ut hoc modo concilientur Annales Wintonienses, qui ejus mortem ad annum 1166 referunt, cum Trivetto, juxta quem decessit an. 1567. Tertio, Galfrido, solo nomine episcopo Lincolniensi anno 1181, uti ad hunc annum vult Baronius, a sede apostolica injunctum fuisse, ut aut munus benedictionis obtinere studeret, aut episcopatui renuntiaret. Quarto, Galfridum reapse renuntiasse, idque in manus Richardi Cantuariensis archiepiscopi « anno 1182 in Epiphania Domini, » ut Whartonus testatur part. I Angl. sacræ, pag. 75, in notis. Quinto, etsi non certum, probabile tamen esse, eo tempore quo de abdicatione Galfridi agebatur, etiam actum fuisse de promotione Walteri in episcopum Lincolniensem, eo anno, forsitan et mense quo Galfridus renuntiavit, consecratum, ne sedes, quæ tam diu vacaverat, diutius vacaret. Sexto, Walterum vix uno anno integro episcopatui Lincolniensi præfuisse, eum a Giraldo Cambrensi, cœvo, *annus* ibidem episcopus exstitisse dicatur. Septimo, juxta Chronicon Rothomagense, a Labbeo tom. I Nov. Bibliothecæ editum, Rotrodus archiepiscopus an. 1183 obiit, eique successit Walterus, quo mense dicti anni aut ille obierit, aut hic successerit, non additur.

His præstructis, statuamus jam Robertum Lincolniensem, si non anno 1166, uti Wintonienses Annales volunt, saltem ante diem 25 Martii anni sequentis obiisse, adeoque quindecim illos annos, quibus ante consecrationem Walteri sedes illa tam egregia vacasse dicitur ab autore Vitæ S. Hugonis, præterlapsos fuisse, si non in fine anni 1181, certe ante diem anni 1182. Addamus quindecim his annis annum unum, non inter vacationis tempus computandum, quo Walterus, teste Cambrensi, sedem Lincolniensem rexit, et his sedecim annis addamus etiam annos duos et semi, quibus post translationem Walteri iterum sedes illa vacavit. Hi anni simul juncti efficiunt octodecim annos ac menses sex, et, si a 21 Martii anni 1167 numerentur, præcise 21 Sept. anni 1185 complebuntur.

Quod si a dicta die et anno usque ad diem 21 Septembris anni 1186 calculum inire velimus, reperiemus annos novemdecim et menses sex; cogemurque totum biennium Waltero in episcopatu Lincolniensi tribuere, quod erit Giraldo contrarium, a quo, ut supra observatum, non nisi *annus* ibidem *episcopus* dicitur. Imo et ultra biennium Waltero tribuendum foret, si Robertus aut anno 1166 aut in Januario anni 1167 obiisset. Militat igitur hæc ratio longe fortius pro an. 1185 quam pro anno sequenti, et stat pro annis quos auctor Vitæ sive ante consecrationem Walteri, sive post ejus translationem enumeravit.

Dubium interea occurrit a quo anno et mense sint quo illi anni et semi, quibus post Walteri translationem juxta auctorem Vitæ Lincolniensis sedes vacavit, inchoandi. In Chronico Rothomagensi, supra citato, additur ad annum 1185 : « Hoc anno receptus est Waltherus, etc., in festo B. Mathiæ in archiepiscopum Rothomagensem. » Si semitertius ille vacationis annus a die S. Mathiæ anni 1185 esset inchoandus, cogeremur asserere Hugonem primum anno 1187 factum episcopum, quod omnibus universim repugnat. Non ergo a receptione Walteri in festo S. Mathiæ, sed a nominatione regis, quæ fieri poterat statim ab obitu Rotrodi, qui forte obiit in primis anni 1183 mensibus, licet receptio successoris ob alia obstacula fuerit dilata, semitertius ille annus erit numerandus : et ita recte deducemur ad annum

1185. Nominari autem potuisse a rege Walterum anno 1185, circa mensem Martium, posset ex eo colligi quod Galterus anno 1182, in die Epiphaniæ, resignaverit, Walterus ei quidem successerit, sed non nisi unius anni episcopus Lincolniæ fuerit, et Rotrodus anno 1183 mense tamen incerto, obierit : et quod Walterus ideo, teste Giraldo, Lincolnia Rothomagum translatus sit, ut regi in consiliis et arduis negotiis propius adesset : quæ forte causa, quod a rege non longe ab obitu Rotrodi Walterus in archiepiscopum nominaretur.

A

His quatuor rationibus inducor, ut credam, secundum mentem auctoris Vitæ S. Hugonem anno 1185, die S. Matthæi, in episcopum Lincolniensem consecratum fuisse. Ratio prima et secunda pro hoc anno satis perspicuæ et evidentes sunt, nec minoris ponderis ratio tertia, cum Bartholomæus Oxoniensis juxta Annales Wintonienses anno 1186 obierit, et eodem anno secundum Trivettum Joannes eidem successerit. Quarta vero ratio cum ex multis circumstantiis dependeat, quæ vel veræ vel falsæ esse possunt, eruditi lectoris judicio et examini subjecta esto.

B

Porro quid huic pro anno 1185 sententiæ nostræ ex hac Vita opponi possit, non video. Dubium unicum movet Trivettus, ad hunc annum ita scribens : « Rex Anglorum mare transiens diem Paschæ Rothomagi celebravit. » Et iterum : « Rex Francorum regem Anglorum infirmitate tactum visitavit II Id. Nov. » Et demum ad annum 1186 : « Rex Anglorum una cum regina in Angliam transiens in portu Hamtone applicuit V Kal. Maii. » Si igitur rex anno integro hæsit in Northmannia, non videntur potuisse fieri anno 1185 in Anglia, quæ ibidem facta fuisse lib. III, cap. 1 hujus Vitæ narrantur. Verum toto anno regem extra Angliam hæsisse vix credibile est. Potuit enim rex Pascha celebrasse Rothomagi anno 1185 ; eo celebrato in Angliam mense Maio redire, Hugonis electioni favere, ipsoque consecrato in Northmanniam reverti, ibidem in adversam valetudinem incidere, a rege Francorum invisi, ac demum Angliam sequenti anno repetere. Quo dato, disparent nubes quæ ex Trivetto contra nostram sententiam et ipsum præsentis vitæ auctorem adduci posse videbantur.

C

Multo adhuc levius est, quod contra annum 1185 forsitan objici posset, eo scilicet anno festum S. Matthæi, in quo secundum omnes S. Hugo consecratus fuit, in Sabbatum incidisse, et anno demum sequenti in diem Dominicam, quæ consecrationibus episcoporum destinata est. Nam præterquam quod nec auctor Vitæ, nec Rogerius nec Parisius, nec quisquam alius asserat S. Hugonem die Dominica sacra episcopalia suscepisse, consecrationes episcoporum etiam in festis apostolorum fieri potuisse, extra controversiam videtur. Sed de his satis.

D

SANCTI HUGONIS

EPISCOPI LINCOLNIENSIS IN ANGLIA ORDINIS CARTHUSIENSIS

VITA

LIBRIS QUINQUE CONSCRIPTA.

PROLOGUS ABBREVIATIONIS VITÆ HUGONIS EPISCOPI LINCOLNIENSIS.

Inspecta serie descriptionis Vitæ beati Hugonis, quam composuit frater A., de quo in salutatione ante prologum mentio fit expressa, inventum est ibi contineri verborum dilatationes, quas pro ornatu et ædificatione apposuit frater prædictus, nec tamen sunt de substantia rei gestæ. Inseruntur etiam digressiones variæ, quibus, non nostri Hugonis, sed aliarum vita describitur personarum. Adhuc autem ad hunc nostrum Hugonem contingentibus interponuntur aliqua minus notabilia, quæ pro vitanda prolixitate nimia videntur potius omittenda. Sane prolixitas jam prætacta in causa fuisse creditur, quare minus libenter hactenus lectus est, et auditus liber continens seriem antedictam. Ideo pro honore sancti, et tam lectoris quam auditoris fastidio removendo, visum est mihi plurimum expedire, sub breviore compilatione præsenti volumini inserere illa quæ de Vita et conversatione sancti de quo agitur, magis notabilia sunt inventa. Nec aliqua invenies in hoc volumine, nisi sumpta de serie supradicta

Dividitur autem volumen istud abbreviationis per libellos quinque, sicut liber continens majorem seriem memoratam. In quorum primo agitur de vita et conversatione gloriosissimi nostri Hugonis a pueritia sua usque ad suam in Angliam transmigrationem. In secundo de transmigratione et gestis suis in regimine domus Withamiæ ante episcopationem. In tertio, qualiter in episcopum est creatus, et quam strenue cœpit episcopale officium exercere. In quarto autem et quinto adjicitur de pluribus ejus factis laudabilibus, tam miraculosis, quam aliis. Nec videtur horum libellorum inter se et a tertio ratio alia distinctionis, nisi ut per distinctionem ipsam minuatur legendi et audiendi fastidium, quod majus foret, si coprehenderentur tres in uno. Prologi vero de verbo ad verbum hic, sicut in majori volumine supratacto, libellis singulis proponuntur. Capitulorum vero aliquorum non servatur ordo. Sed nec omnia capitula inseruntur, quia aliqua sunt sublata, et contenta quædam ibi sub quibusdam capitulis, hæc ad capitula alia transferuntur

Explicit prologus abbreviatoris.

LIBER PRIMUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter Hugo genitricis solatio destitutus, et regulari collegio clericorum una cum genitore sociatus, jugum Domini ab infantia portaverit, et inseruntur de sua institutione puerili verba ejusdem.

Hugo (1) genitricis solatio, cum necdum ætatis metas excessisset, orbatus est, collegioque regularium clericorum una cum genitore brevi postmodum sociatus. Erat ferme octennis, cum militiæ spiritualis subiit tirocinia. Boni quippe parentis, salubriter pro eo invigilantis, solertia prius docetur militare Deo, quam addisceret vivere mundo. Sic demum infantile corpusculum flagella pædagogi attrectant, sic disciplinæ compedes motus in eo pueriles coercent, ut et virtutibus vitia præteriret, et tota vita ejus præsens a sui ortu usque ad occasum unum esset atque juge martyrium. Ipse quidem de seipso, familiariter sæpius cum suis agens, talia referebat: « Revera, aiebat, ego mundi hujus gaudia nunquam attigi, jocos nunquam didici, ludere nunquam scivi. Pater, inquit, meus, cum pueriles ingressus annos elementa jam prima litterarum percepissem, patrimonium liberis suis (2) in funiculo distributionis partitus est; portionem vero, quæ inter fratres me contingebat minimum, regularium (3) clericorum collegio contulit. » Nec diu moratus, omnia quæ mundi sunt funditus abjiciens, Christi militiam subiturus, tiro in castris cœlestibus, in mundanis jam emeritus, repente efficitur, vitæ regularis cujus jam olim gesserat mentem suscipiens vestem, et, quod sibi concessum non fuisse medullitus gemebat, in ipso mundi ingressu de mundo egredi, quæ mundi sunt, nescientem facile persuadens, me (4) pariter secum spiritualis vitæ consortem ascivit.

Est ecclesia (5) in territorio Gratianopolitano, canonicæ professionis clericos fovens, numeroque (6) ad minus septem. Spectat quoque cum suis incolis locus ipse ad matricem et cathedralem ecclesiam Gratianopolitanam. Hanc semper affectu coluit speciali genitor meus, quæ et suis castellis (7) ac terris situ erat confinis; et ipse, ut filius devotus, majoris ecclesiæ gratiam in filiæ ipsius reverentia se complecti gaudebat. Inter canonicos illius loci senior quidam, religione celeberrimus, scientia quoque spectabilior cæteris habebatur. A Huic nobilium liberi certatim a parentibus tradebantur, sæcularibus simul et ecclesiasticis litteris imbuendi, nec non et ethicis informandi disciplinis. Hic mihi sacras litteras inter ipsa rudimenta summopere ingerens, blandimentis quibus posset et monitis teneros animos meos ad solidioris spiritualisque amorem doctrinæ accendere nitebatur; a ludendi vero jocandique vanitate mentis meæ intentionem varia arte suspendens, honestis implicabat cujuscunque rei exercitiis. Coævis autem et sodalibus pueris frequenter ex more ludentibus, mihi talia leniter instillabat paternæ dilectionis hortamenta: « Non te, inquit, dilectissime fili, stolida illiciat vagaque levitas sociorum; sine illos. Sorti tuæ istorum studia minus conveniunt. » Addebatque: « Hu- B gonete, Hugonete, ego te Christo nutrio, jocari non est tuum. »

CAPUT II.

De ejusdem profectu in scientia et virtute, et quam devotus ac sedulus in divinis officiis ac fratrum obsequiis existebat.

Jam vero pubertatis tempore, adolescentiam mediis in eo annis dirimente, quantum discretionis et scientiæ, quantum virtutis et gratiæ fons ei infuderit, quem sitiebat, vitæ, nullus de facili posset stylus evolvere. Vigebat pro tunc ingenii acumine magno, velocius, quæque vellet, addisceret. Memoriæ vastissimis gaudebat apothecis, ubi, quæ nulla oblivione didicisset perdenda, reconderet. Hæc tamen naturalia nullius fuissent momenti, nisi gratiæ appositio et præclara, quæ discerentur, suggereret, et C cumulatius quæ suggessisset propagando augeret. Fervebant in pectore meditationum examina beatarum, flagrabant cœlestium odoramenta gaudiorum.

Cœpit interea divinis adeo sedulus adesse officiis, ita quoque sollicitus fratrum inservire obsequiis, ut utrobique nihil minus quam se totum impenderet. Nihil unquam oblivio, nihil quævis poterat occupatio sedulitati ipsius furari, quin Deo quæ Dei erant, et, quæ proximorum proximis inprætermisse et inoffense, prout sibi competebat, pro tempore et loco reddere meminisset. Nec tantum deputata sibi explere satagebat officia, sed omnia tanquam specialiter, a se credebat exigi, quæ, teste conscientia, pro cujuslibet utilitate aut refrigerio a se possent exhiberi.

(1) Ex stemmate de Avalim. Unde lib. II, cap. 1: Natalibus quidem clarus dicitur, sed morum strenuitate longe præclarior, nomine Hugo de Avalim. Et abbas Morotius in Theatro Carthus.: « Hugo nobilis Delphinas, cujus genitor oppidi vulgo *Avalon*, tertio lapide a Gratianopolitana urbe discreti, dominus erat. »

(2) Wilhelmo saltem et Petro, qui laudantur lib. III, cap. 13, et lib. IV, cap. 4.

(3) Canonicæ professionis clericis. Unde liquet Hugonem fuisse primum canonicum regularem. Subditur enim mox: « Inter canonicos illius loci se- D nior. »

(4) Pater igitur una cum filio se tradidit memorato collegio; non post illum, uti quidam asserunt.

(5) Villa Benedicta nomine, vulgo *Vilar Benoith*, in qua Hugo, uti lib. V, c. 22, refertur, sacræ religionis libavit primordia, cui et bibliothecam donavit, sicut ibidem memoratur.

(6) Videtur erratum in numero, et legendum, « decem ac septem. »

(7) Inter hæc castrum de Avalim, « cujus, inquit Hugo lib. III, c. 13, frater noster Wilhelmus arcem noscitur obtinere. »

Denique, cum talia de eo, coram eo jam episcopo, qui eum tunc temporis noverant, fratres aliquoties, me quoque præsente, referrent, ipse aiebat : « Utique posteaquam Carthusiam adii, nescio si vel semel mihi subrepsit morantia in officio aliquo quod implere deberem. » Dicitur autem vulgo morantia inter monachos, cum legendi, cantandi vel serviendi munus sibi assignatum obmittit quis, unde moram patitur functio regularis. Dicebat vero, non quidem jactanter, sed constanter ista de se : « Cum enim in dedicationibus ecclesiarum, in celebrationibus ordinum, vel quantumcunque in diurnis nocturnisve officiis per incuriam ministrorum, cantorum seu lectorum aliqua tardatio emergebat, talem suorum castigare cupiens negligentiam, hæc eis de se ipso habendæ in divinis officiis exemplum diligentiæ intimabat. » In eo autem hæc perseveravit in finem diligentia cunctis cognoscentibus, miranda facilius quam imitanda. Nunquam præsens tumultuantis frequentiæ importunitas, nunquam transactæ vel præsentis cujuscunque disceptationis implicitas, aut alius taliscunque casus, undecunque emergens, ei potuit subrepere, quin corde semper vel labiis paratum et promptum haberet, quidquid tempore et hora, tam in altaris quam in alterius officio ministerii, esset prosequendum.

CAPUT III.

De patris sui commendatione, et quam humiliter ac devote ministraverit ei Hugo noster, ejusdem obsequiis specialiter deputatus.

Ut autem captæ narrationis ordinem seriatim prosequamur, Hugone (8) jam adulto, pater ejus senectutis extremæ crebris cœpit urgeri incommodis. Tantam vero idem in utraque, prius scilicet in mundana, ac deinceps in spirituali continuerat militia virtutis palmam, ut nihil suis gratius haberetur commilitonibus, quam ei in omnibus gratum deferre contubernium. Fuerat enim modestiæ singularis, moribus suavis et honestus, comitate strenuus, benignitate acceptissimus. Igitur Hugoni, qui fratribus universis devotione viribus totis deserviebat filiali, prioris sui mandato injungitur speciali, quatenus suo præcipue et peculiarius, in quibus opus haberet, serviret genitori. « Nihil enim, ait, mihi aut cæteris fratribus præstabis gratius, quam si viro adeo spectabili nihil votivi denegaveris obsequii. Te vero inter fratres nullus devotior, sed nec humilitate pronior, aut officiositate nemo te promptior invenitur, cui a nobis adeo grati viri cura demandetur. » Excipit libens, libentiusque exsequitur adolescens pius patris jussa spiritualis erga necessitates carnalis imo et spirituales quoque parentis, per quem se potius gaudebat, non solum fuisse Deo genitum et oblatum, quam mundo antea procreatum.

Videres jam eum, qui in singulorum obsequiis fratrum, gratiam sibi uberiorem conciliaverat universorum, in eo quam maxime universis placere, quod in paternis necessitatibus studia vinceret singulorum. Quod namque viro strenuissimo exhiberi universi et singuli præoptarent, solus ille pro cunctis implebat. Hunc igitur, ut ipse sæpius gratulando referebat, de cætero (9) quandiu supervixit, ducebat, portabat, vestibus et calceamentis tegebat, nudabat, lavabat, extergebat, lectum ei sternebat, cibos languenti parabat, paratis debilem ipse cibabat. Hæc et his similia dulcius ei sapiebant, cum ea faciebat, quam saperent mella comedenti, aut quælibet pigmenta vehementer sitienti. Accipiebat millies ad singula hæc benedictiones ab ore patris, et has corde avido sitienter hauriebat. Sciebat namque, quod benedictiones patrum confirmant domos filiorum. Nimirum benedictiones omnium gentium daturus illi Dominus, præveniebat eum in benedictionibus dulcedinis, dulcem, amabilem et benedicibilem illum exhibendo universis.

CAPUT IV.

Qualiter ordinatus levita, mox prædicationis studio plebem informans, cellulam S. Maximi regendam accepit, et ita laudabiliter rexit. Et sub hoc comprehenditur quintum capitulum magnæ Vitæ (10).

Annum vero ætatis jam ingressus (11) nonum decimum, petente omni cœtu fratrum, per venerabilem Gratianopolitanum (12) antistitem, gradum coactus

(8) Octennis ferme Hugo militiæ spiritalis subiit tirocinia, et tunc pater ejus, uti cap. 1 relatum est, regularis vitæ vestem suscepit. Cui dum Hugo, jam adultus, in infirmitatibus inservivit, oportet et patrem illius aliquot annis in sacra religione vixisse.

(9) Mortuus igitur fuit pater Hugonis ante illius in Carthusiam secessum, non post illum, uti quidem insinuant.

(10) Ex titulo hujus et quorumdam aliorum capitum liquet abbreviatorem quædam contraxisse, auctoris verba quidem retinendo, sed resecando, quæ putabat superflua.

(11) Si anno 1200 Hugo obiit, teste Surio, jam sexagenarius, videtur natus fuisse circa annum 1140 et in levitam ordinatus anno 1158 aut sequenti.

(12) Is erat Gaufridus ex Carthusiano per id temporis ibidem episcopus. Et hic est ille, de quo in actis S. Anthelmi apud Bollandianos illa legitur : « Anthelmus cum egregiæ facundiæ viro, atque in Scripturis valde erudito Gaufredo consocio suo, » etc. Eumdem his celebrat abbas Morotius : « Godefridus episcopus Gratianopolitanus, Othmari supra laudati in hujus institutionis (Carthusiensis) parente domo olim collega eumdem fatis concedentem pastorali in sollicitudine excepit. Exstat in tabulario Gratianopolitano diploma Friderici imperatoris sub dato an. 1161, in quo principis titulo insignitur. Qualis quantusque vir Godefridus fuerit, dignoscere licet ab auctore anonymo Vitæ S. Anthelmi Bellicensis antistitis, apud quem hoc elogio attollitur : « Ordo « Carthusiensis, primus ante omnes, in Ecclesia « occidentali, quemadmodum satis constat, Alexandrum pro catholico et vero pontifice habendum, « eique præstandam obedientiam, confirmavit. Ecquis autem ejus rei auctor fuit? nimirum Anthelmus, et cum eo Gaufredus, sapiens et egregia facundia vir, atque in divinis Scripturis eruditissimus. » Ejus quoque mentio in Indice pastorum hujus gregis evulgato a Joanne Chenu, Claudio Roberto, et Scævola ac Ludovico Sammarthanis. » Hæc Morotius in Theatro ord. Cart., parte tertia, anno 1681, edito Taurini. In adnotatis ad Vitam S. Anthelmi, pag. 234, scribit Henschenius : « Gaufredi hujus alibi miramur nullam reperiri mentionem. »

et invitus ascendit leviticum. Cœpit etiam mox sanctæ prædicationis studio plebem informare, et ad amorem cœlestis patriæ torpentium corda instantius excitare. Peccantes publice coram omnibus arguebat. Gaudebant si quidem universi in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus; sed præ cæteris prior suus, vir religiosus et pius, qui eum educaverat et qui ut animam suam eum diligebat. Hic corde lætissimo suum alumnum cum sublimitate vitæ sublimari cernens verbo gloriæ, contendit etiam ipse eum ad altiora attollere.

Vicinam igitur cellulam, quam vocant Sanctum Maximum, eo quod loci ejus basilica sancto est Maximo, regentium nobili patrono, consecrata, ei committit regendam. Quam ille rebus quidem necessariis pene vacuam (quia recusare obedientiam obedientiæ addictum legibus fas non erat) suscepit, bonisque in brevi ubertim implevit. Loci sane ipsius possessiunculæ vix unico ad honestam videbantur habitatori sustentationem cum familia parva sufficere. Verum Hugo, sciens melius duos simul esse quam unum, noluit esse solus, ne sibi quandoque dici potuisset: « Væ soli, quia si ceciderit non habet sublevantem se (*Eccle.* IV, 6). » Sciens quoque juxta viri doctissimi sententiam : « Sicut junioris juvenis diorem, ita cohabitationem senioris esse tutiorem. » presbyterum concanonicum annis et moribus gravem accepit in socium. Ageli curam et vinearum rusticis timoratis commendans, ipse et lectioni et orationi vacabat. Factumque est ut in brevi, locus rerum et incolæ morum stipendiis ditati, celebrem opinionis bonæ circumquaque famam obtinerent. Ipse quippe et sui, qui cum ipso erant, in sua abundantia sobrie, et pie, et juste viventes, egenis subministrabant alimoniam, divitibus honorificentiam exhibentes. Sacræ vero exhortationis studio, non solum ecclesiolæ suæ parochianos, verum etiam confluentes undique turbas ad audiendum verbum Dei, instantius edocebat, monens unumquemque pro status sui conditione irreprehensibilem se catholicæ traditionis et piæ per omnia conversationis sectatorem exhibere.

CAPUT V.

Qualiter illud evangelicum : « Si peccaverit in te frater tuus » circa quemdam dictæ cellulæ parochianum exsecutus est de peccato adulterii diffamatum (13).

Erat autem inter creditas curæ suæ oviculas ovis quædam morbida, erratica, lupinis ultro se morsibus ingerens. Crimine si quidem adulterii quidam ex parochialibus suis pertinacius laborabat. Verum quid curæ, quid sollicitudinis, quid instantiæ huic impenderit pastoris boni sequipeda bonus, ejusdem potius verbis absolvere dignum duximus. Nam vice quadam plurimis consedentibus viris litteratis, contigit ipso præsente, et cum eisdem familiariter plura conferente, a quibusdam canonici nec non et civilis juris peritis quæstionem illam de Evangelio proponi, qua Dominus Petro dicit : « Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum (*Matth.* XVIII, 15). » De his vero quæ sequuntur, scilicet de adhibendis secum duobus vel tribus testibus, seu de forma dicendi Ecclesiæ peccatum fratris, aliis sic, aliis vero sic diffinientibus, sed in eamdem assertionem minime accedentibus episcopus deinde quid sibi videbatur protulit, suamque sententiam exempli hujus prosecutione astruxit.

« Dum, inquit, adolescentulus quondam mihi traditæ parochiæ regimen ipse quidem diaconus administrarem, simplici quodam sacerdote, quod sui erat officii, in sacramentorum sive officiorum ecclesiasticorum celebrationibus vel collationibus exsequente, notam, imo, quod deterius est, noxam adulterii quemdam ex parochianis meis contigit incurrisse. Compertam ego mali famam ægre satis tuli, rem diligentissime inquisivi, inventam et agnitam, cooperante Domini nostri gratia, hoc progressu emendavi. Conveni virum inter me et ipsum solum, dixique pro negotio et loco, quæ dicenda putavi. Ille econtra reatum suum pertinaciter inficiari, irasci et, quatenus ausum mentis suggerebat cæca obduratio, comminari etiam mihi cœpit et convitiari. Abscedens domum, tam tristem me reliquit, quam se incorrigibilem ad tempus ostendit. Præcepti vero hujus evangelici memor, duobus primum, ac postea tribus testibus, qui rem æque noverant, mecum adhibitis, hominem corripui, correctionem ei suasi, et veniam correcto mediante satisfactione repromisi. Distulit ille correctionem polliceri, criminis vero nec suspicionis materiam sustinuit abo leri. Tandem ejus reatum jam omnibus manifestum

Occasione hujus præter elogium abbatis Morotii, addo testimonium ex mss. sæc. XIII, statutis erutum, sic habens : « Ob tenorem et confirmationem totius propositi nostri, ego Basilius Carthusiæ prior dictus, et cæteri fratres nostri, uno animo et una voce domum nostram communi capitulo corrigendam tradimus, servatis institutis quæ in præsentiarum scripto vel consuetudine religiose servamus. Ob eumdem quoque propositi tenorem B. Portarum prior communi capitulo pro se et pro domo sua obedientiam promisit. Quod et cæteri priores singuli ordine suo subsequenter fecerunt. Item ad confirmationem prædicti capituli domus Carthusiæ a domino Gotfredo Gratianopolitano episcopo litteras accepit hunc modum continentes : « Ego G. Dei gratia « Gratianopolitanus episcopus rogatu B. Carthusiæ « prioris et cæterorum fratrum ibidem Deo famu- « lantium præfatam domum communi capitulo, si « cut generali consilio totius ordinis decretum est « episcopali auctoritate corrigendam, et in proposito « Carthusiensi in perpetuum conservandam con- « cedo. Decernimus etiam, quod si prædicta domus « a suo proposito ad aliud propositum, quod Deus « avertat, aliquando se transferre tentaverit, vel « prior, vel persona quælibet ipsius domus, vel « etiam tota domus obedire prædicto capitulo no « luerit, sententiæ excommunicationis tam nostræ « quam totius capituli subjaceat. »

(13) De narratis in hoc capite nihil reperitur apud Surium, præter hæc pauca : « Injungitur ei cujusdam parochiæ administratio, qua adeo perfecte functus est, ut simul omnes dicerent magnæ eum prudentiæ et sanctitatis virum fore. »

(media in ecclesia quadam die solemni palam coargui, immanitatem) flagitii cunctis audientibus denotavi, et tradendum eum Satanæ interitum carnis, si non citius resipiscat, terribiliter denuntiavi. His ille et territus vehementer, et confusus in medium prosilivit, et peccato suo non sine gemitu et imbre lacrymarum renuntians pœnitentiam egit, atque correctus et reconciliatus veniam accepit.»

Hæc vir sanctus de his. Quæ præsenti historiæ idcireo inserenda putavimus, quatenus ex his manifestius pateat lectori, quid sollicitudinis et zeli, quid discretionis et studii circa salutem animarum vir Deo plenus ab ineunte ætate habuerit, ut non immerito super multa sui Domini bona in modico repertus fidelissimus, tempore demum opportuno videatur constitutus.

CAPUT VI.

Qualiter cum priore suo Carthusiam invisit, et visam dilexit.

Verum, ut dicit Scriptura sancta: « Cum consummaverit homo, tunc incipiet (*Eccli.* XVIII, 6). » Jam Hugonem pro modo suæ professionis, ac supra modum suæ ætatis, perfecte consummatum in virtutum apice omnibus conclamantibus, ipse nec initium quidem perfectionis vel dignæ conversationis se attigisse putabat. Comperta vero sancta et sublimi opinione Carthusiensium monachorum, inexplebili cordis desiderio eorum anhelabat informari exemplo. Ac primo quidem dissimulata hujus desiderii vehementia obtinere studuit, ut simul cum priore suo (14), jam superius memorato, illorum mereretur aspectu et affectu potiri. Quo facto, tantus mox in ejus pectore spiritalis illius conversationis amor succensus est, ut nullatenus incendii ejus flammam intra se posset cohibere. Experiebatur enim jam feliciter ardens infeliciter ardentis verum eloquium dicentis:

Ubi magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

Intuebatur vero, et intuendo mirabatur locum, ipso quoque situ nubes pene supergressum, cœlisque contiguum, ac ab omni penitus terrenorum inquietudine semotum. Considerabat tantam ibi opportunitatem vacandi soli Deo: cui negotio hoc præcipue videbatur adminiculari, prædives scilicet librorum abundantia, legendi facultas copiosa, orandi quies inconcussa. Et quidem quoad loci dispositionem hæc ita se habere dignoscuntur. At in loci habitatoribus attendebat carnis mortificationem, mentis serenitatem, spiritus libertatem, hilaritatem frontis et puritatem sermonis. Instituta eorum solitudinem, non singularitatem commendabant; segregabant mansiones, sed mentes sociabant. Unusquisque habitabat secum, nec agebat, aut habebat aliquid suum. Omnes seorsum, et communiter quisque degebat. Seorsum manebat unusquisque, ne experiretur impedimentum ab alio; communiter degebat, ne fraterno privaretur solatio. Hæc et his similia notata ibidem, ac etiam obedientiæ secura munitio (quæ multos sæpe solitarios destituit ac extremæ perniciei exposuit) Hugoni placebant, Hugonem rapiebant, ipsumque tanquam extra se effectum sibi funditus vendicabant.

Erat in illo cœtu sanctorum senior (15) quidam, magni quondam in sæculo nominis, tunc quoque in sancto proposito celeberrimæ opinionis. Huic Hugo secretius pectoris sui æstus aperiens, nec tam consilium, an faceret quantum quonam pacto quam citius, quod optabat, perficeret, cum gemitu et fletu ab ipso inquirens, longe aliud quam sperabat responsum accepit. Intuens namque vir prudens adolescentem, ut aspectus renuntiabat, qualitate delicatum et ætate (16) tenellum: sciens etiam ipsum natalibus clarum, nec moribus ejus credebat, posse rigorem illius ordinis congruere, nec viribus convenire. Hunc ergo sic terrifica responsione, quasi a tali præsumptione compescens, aut potius constantiam animi ejus explorare nitens, inquit: « Istud, o filiole, quomodo vel cogitare præsumis? Homines, quos rupes incolere præsentes cernis, saxis omnibus duriores sunt, nec sui sciunt, nec aliorum secum habitantium misereri. Locus iste horridus ipso visu est, ordo usu gravissimus; ipsius cilicii asperior amictus cutem et carnes desuper ossibus vivo tibi abraderet; disciplinæ rigor teneritudinem istam, quam in te intueor, penitus exossaret. »

Hic vero Christi tiro, et Martini beatissimi familiaris cultor et devotus imitator, illato terrore constantior, Laurentii secum invictissimi eloquium tacito versabat in pectore, qui prolato ante se omni tormentorum genere terrere eum cupientibus ait: « Has ego epulas semper optavi. » Ut enim caminus injectis exsilit aquis, et flammarum in sublime comas extollit sic sanctorum ignescens desiderium, cum obviant adversa, fortius convalescit.

CAPUT VII.

Qualiter ad prioris sui instantium fide interposita juravit, quod ipse superstite ad ordinem Carthusiensium nullatenus transvolaret; et fidem non servavit, nec tamen de fidei transgressione scrupulum habuit, unde profectum tantum cepit.

Senem itaque memoratum, tanquam votis suis crudelius adversantem, declinans, aliis quibusdam e fratribus hos cordis sui æstus confestim pandit. Nec morantur illi cum ingenti favore et instanti exhortatione persistendi in salubri proposito, suum et assensum impertiri ei, et auxilium polliceri. Tunc Hugo, gaudio gestiens infinito, hæc priori suo (17) celanda summopere deprecatur. Evangelicæ nimirum institutionis sedulus æmulator inventum memi-

(14) Id est, superiore villæ Benedictæ, qui titulo prioris supra, cap. 3 et 4, honoratur.

(15) Verosimiliter ipse Basilius tunc prior Carthusiæ, cui præ cæteris incumbebat novitios probare, et recipere.

(16) Annorum videlicet circiter viginti trium, cum nondum uti infra ex cap. 9, constat, esset sacerdotio initiatus.

(17) Præsidenti in villa Benedicta.

nit thesaurum abscondi oportere, donec tam omissis omnibus quæ habuisset, potius quam venditis, emere illum mereretur et securius possidere.

Verumtamem, licet dissimulatione multa, quod moliebatur, tegere niteretur, effugere tamen suspicionem solertis nequivit pastoris, nimio eum amore celantis. Unde ad propria eis sub festinatione regressis, sic lacrymis ora suffusus senior illum affatur : « O, inquit, fili charissime, scio, utique scio, quia in grande malum meum, et in irreparabile Ecclesiæ meæ damnum, te ad Carthusiam duxi. Te sibi Carthusia totum rapuit, totum te possidet. Nos interim te corpore tenus vix tenemus, sed anima tua nobiscum non est. Sed nec istud, vereor, diu erit : nam spiritum ab incunte secutus ætate, carnem vilius ducens, illius procul dubio impetu, non istius ductus, nobis in brevi es abducendus. Proh dolor ! lumen oculorum meorum sic subito exstinguitur, et baculus meæ senectutis, cum eo jam solito plus indigeam, nutabundo præripitur. Sed nunquid dulcedo mellis mei sic derepente verteturin absinthium, et gloria mea, qua de filio sapiente tantum gloriabatur pater, ita redigetur in nihilum? Miserere, fili, miserere potius patris tui, nec tantæ strenuitatis tuæ solatiis canos meos, jam busto proximos, destituendo, innatæ tibi pietatis et compassionis cancellos transcendas. Quod si materna viscera Ecclesiæ, quæ te Deo genuit, si paterna piorum dulcedo, quæ te suaviter fovit, non funditus revocavit animum ad perfectiora æstuantis, saltem in hoc paternæ condescendas senectuti, ne adhuc spirantem deseras, quia modo in te solo debuit respirare. »

Inter hæc et hujusmodi, jam utriusque spiritum luctus absorbuit, cum resumpto vix flatu senex etiam hæc est locutus : « Spero, inquit, spero de ingenita tibi bonitate confisus, dilectissime fili, quia exaudisti me. Juret ergo mihi in nomine Domini Dei sui filius meus, quod patre derelicto (18) Carthusiæ usibus, dum advivam, minime sociabitur. Alioquin suspicionis telum, quo viscera spiritus mei atrociter transfixit timor, nullatenus avelletur. » Deus bone! Quid inter hæc mentis, quid animi servo tuo fuit (quantus in corde ejus geminæ dilectionis conflictus sæviebat?) O mira res ! o et perplexitas mira ! Utrobique tempestas, et utrinque serenitas, hinc inde et ad naufragium et ad portum impellunt fluctuantem. Si vocanti ad perfectiora non obediat Deo, deseritur una charitas ; si potestati contradicat ordinatæ a Deo, gemina læditur charitas. Una deseritur, quæ Dei est ; gemina non impletur, quæ Dei et proximi est. O angustiæ undique, sed præ nimia, quod dictu mirum est, latitudine? Quid tamen faciet, sic dilatatus et sic angustatus ? Dicere inter hæc poterat : O anima dilatata, o et anima angustata, quid eligam, ignoro. Verumtamen dico ego quod horum elegeris, sive præstiteris, sive renueris præstare, quod posceris, vita, non mors, tibi est. Verum quid egeris, quem exitum inveneris, et qualiter effugeris manus importunas jam videamus.

« Solitus utique et assuetus obedire præpositis et subjacere eis, nescius contradicere, ignorans nolle acquiescere, das manum exigenti, et præcipienti fide corporaliter præstita satisfacis, atque exitum de cætero tui negotii divino prorsus arbitrio committis. Sed paulo post, cum hæsitares aliquandiu, et quid ageres ignorares, et cum dispendia vitæ spiritualis quotidie sustineres, et contra fidem datam venire potius abhorreres, infudit subito cordi tuo superna clementia verissimæ et lucidissimæ radium discretionis, inspirans tibi et certificans te plenissime sacramentum non esse observandum, inconsideratius extortum contra utilitatem animæ aut in detrimentum veræ salutis. Sciens igitur et exsultans, quia revera ista in te loqueretur Dominus Deus tuus, audiens eum et exaudiens, deposita domo tibi credita, nullo sciente, quia nullo insidiante, nec tale aliquid suspicante, clam discessisti, et Carthusiam (19) adiisti, et cum gaudio exceptus in multa ibidem gratia perstitisti. Inquisitus sane multoties a puero tuo (20) utrum nullum aliquando, ut assolet, scrupulum hæc fidei transgressio tibi peperisset, mihi semper istud inde respondebas : « Nunquam certe inde scrupulum, sed potius mentis jubilum sensi, cum factum memini, unde profectum tantum cepi. »

CAPUT VIII.

De tentatione gravissima, quæ post ordinis Carthusiensis ingressum ipsum arripuit, nec tamen defuit ei tuitio salutaris.

Ipso vero ad ordinem Carthusiensem translato, arripuit eum gravissima tentatio, de qua ipsemet ita referre solebat : « Mox, inquit, ut infra cellæ (21) limen pedem misi, exsurgentem tentationis novæ motum in corde meo sensi Nec uniformis tentatio illa fuit, imo ingresso novam militiam omnia tentator innovavit antiqua suæ malitiæ instrumenta, præcipue, quasi balistam robustissimam, et eo, ut sperabat, mihi insuperabilem tetendit, imo accendit contra me stimulum carnis meæ. Die ac nocte non discedebat a me (imminens mihi, et perurgens me angelus Satanæ, et colaphizans me). Quid ad hæc ego, Jesu bone, imo quid bonitas tua ad hæc, faciens bonitatem cum servo tuo? Ego quidem genibus terram, gemitibus cœlum, pectus pugnis, genas lacrymis rigavi, tutudi, pulsavi, cecidi. Sed hæc omnia et alia innumera quasi aerem verberans feci, quousque et tu, qui non dormis, nec dormitas, et qui

(18) Spirituali, non carnali.

(19) Anno, uti colligi datur ex cap. 12. 1163, factus post bina circiter lustra ab ingressu in ordinem anno 1173 procurator.

(20) Id est, ab auctore Vitæ. Hinc et sequitur : « Mihi semper »

(21) Tentatio hic relata, alia est ab illa, quæ infra cap. 13, refertur. Hæc enim mox ab ingressu in ordinem, vivente adhuc Basilio, altera post obitum Basilii, et circa initium suscepti prioratus Hugonem nostrum afflixit.

custodis Israel, o Samaritane benedicte, manum apposuisti. Tu custos te nocte, ut manum apponebas semivivo, vix, ut putabam, relinquendo a latronibus, hinc inde repente irrepentibus et dure irrumpentibus, omne malum subito dissipabas. Tunc videns cordis aream arefactam carnisque fornacem fatiscentem, cedentibus inde fluxis cogitationibus, hinc ignitis motibus, mirabar quis fuerim, et quis subito effectus essem. Talibus erga me, imo intra me, alternantibus vices, obliviscebar persæpe mei, memor tui de terra Jordanis. Inde quasi de duobus, unde nomen et originem is fluvius ducit, duplicabam confessionem humiliationis meæ et glorificationis tuæ, misericordias tuas tibi cantans, et injustitias meas adversum me pronuntians, sentiebam, quia tu remittebas impietatem peccati mei. Manente enim in Hermon et monte modico, dum detestarer et anathematizarem omne lubricum turpitudinis obscenæ, humilians me, post ferale incendium pulverem me et cinerem sentiens esse, mox benefaciebas cum servo tuo, revelans oculos meos, ut considerarem mirabilia de lege tua. Dabas quoquo fatigato et defecto vel modice interdum prælibare manna illud absconditum. Istud vero tantillum, quod hinc merui prægustare, tale erat et tam immensum, ut facile contemnerem propter ipsum obtinendum plenius et diutius, quidquid mundus novit dulce vel amarum, lene vel asperum. Verum in his rara mihi hora, et parva mora. Rursum ad certamina, rursus ad bella rapiebar. Nusquam vero, sed nec unquam defuit, licet indigno mihi, piissimi Redemptoris miseratio: semper in aure cordis mei erat vox ejus erudiens et consolans me; semper manus ejus mecum eripiens et corroborans me.

Et hæc quidem ac plurima in hunc modum mente contrita, non modo pro consolatione nostra, sed et pro devotione et humiliatione sua secretius agens de statu suo (quem in episcopatu deflebat immutatum) de his, quæ in vita priore humanitus vel pertulerat aut divinitus perceperat, memorare solebat. Inferebat autem hæc in sui ipsius vehementem sugillationem, quasi Deo pro beneficiis suis congrue non responderet, aut se post largiora Domini sui dona, jam in ætate robusta infirmioribus annis viribus animi imparem exhiberet.

CAPUT IX.

De commendatione ordinis Carthusiensis, et profectu in eodem nostri Hugonis, et qualiter senior ad cujus obsequium fuerat deputatus, ipsum de suscipiendo ordine sacerdotali tentavit, et ipsum futurum episcopum prænuntiavit. Et sub hoc capitulo comprehenduntur 10 *et* 11 *capitula magnæ Vitæ.*

Erant (22) quidem, ut semper, in domo Carthusiæ tunc temporis quam maxime viri, tam clerici quam laici, miræ sanctitatis et gravitatis, ipsisque summis principibus et Ecclesiarum prælatis admodum reverendi. Nec erat facile quis ferventior et quis perfectior inter illos censeri potuisset dignoscere. Tantus ibi in domandis corporibus rigor, tanta in rigore servabatur discretio, ut medium cum binis tenendo nihil infra vires quis aggredi contentus esset, nihilque, quod virium metas excederet, exercere vellet, sineretur. De ordine si quidem isto in registro (23) papæ, cujus tempore noster Hugo canonizatus est, ita legitur: « Ordo Carthusiensis in eo alios ordines antecedit, quod cupiditati modum posuit. »

Quid vero hic egisse, quantumque profecisse Hugonem putamus, ubi inolitus ei a primævis, ut ita dicatur, mensibus, discendi amor cum libris, cum magistris, cum ingenio præclarissimo, cum otio quam opportuno, tam fraterne et ferme continuo juvari et promoveri potuit? In his dies, in his studiis continuabat et noctes; nec aliud causabatur profectibus suis novercari et gaudiis, nisi temporis brevitatem, cui mirum in modum legenti semper aut meditanti vel oranti omnis dierum noctiumque prolixitas minori, quam optasset, spatio tendebatur.

Injungitur autem sibi aliquando cura et obsequela cujusdam monachi senis, magnarum virtutum viri. Hunc tam valetudinarium, et præ ætate ac debilitate suprema cellulæ suæ parietes nusquam excedentem, Hugo in horis regularibus decantandis, vel quibuscunque necessariis suppeditandis, servitor devotus et indefessus, tanquam nutrix alumnum aut mater filium juvabat et mulcebat, nec aliter quam ipsi Domino Jesu Christo in omnibus ei ministrabat. Contigit aliquando tempus sacrorum ordinum ab episcopo loci istius celebrandorum instare annis aliquantis jam in conversatione tali ejus transactis. Hoc sciens (24) vir Dei, Hugonis pariter et institutor (25) et alumnus, cœpit dicere illi, quasi tentans illum: « Ecce, ait, fili, jam in te est, an velis sacerdos fieri: si acquieveris, ad hunc gradum modo promoveberis. » Ad hæc ille, cui

(22) Vera hæc esse probant archiepiscopatus et episcopatus eo sæculo collati Carthusianis. Quales sunt, Arelatensis, Lugdunensis, Viennensis, Tarentasiensis, Gratianopolitanus, Bellicensis, Diensis, Maurianensis, Sistaricensis, et plures alii.

(23) Honorius papa III, anno 1219. Stephano Cantuariensi examen de Vita S. Hugonis commisit: et eumdem anno sequenti juxta Raynaldum ad dictos annos, in sanctorum numerum, retulit. Vivebat igitur his annis adhuc auctor Vitæ, dum ista scripsit, aut antea scriptis inseruit.

(24) Nomen hujus viri Dei nec exprimit Surius, nec Dorlandus. At Bzovius ad annum 1200. Ex Dorlando ita scribit: « Hæc dum ageret tempore illo contigit, quo sacri ordines conferri solent, ut sanctus Pater Basilius prior, quasi Hugonem tentans, illi diceret: Ecce, fili, jam interest, an velis sacerdos fieri. » Verba quidem sunt Dorlandi, exceptis illis, « sanctus Pater Basilius prior, » quorum loco habet Dorlandus, « sanctus ille senior, » subintellige, ut Dorlandus præmisit, cujus volente priore, id est Basilio, curam susceperat Hugo. Distinguendus igitur senior ille a Basilio priore, licet ejus nomen ignoretur.

(25) Institutor, uti arbitror, in spiritualibus, alumnus, dum Hugo illum, ut præmittitur, tanquam nutrix alumnum, aut mater filium in infirmitate juvit et fovit.

jam olim nil dulcius, nil æque dulce erat, quam sacris deservire ministeriis, quam divinis sacramentis saginari, Jesumque suum, quia cibi dulcissimum, ut inferius plenius docebitur, cordis faucibus et corporis in hostia liberius contingere salutari, æstuanti ad audita desiderio, mox suppliciter et pure, quod optavit, aperuit. Ait ergo : « Quantum in me est, Pater, nihil sane magis appeto in vita ista. » Tunc vero senex ad eum : « O quid dixisti? o, inquam, quid dixisti? o miraculum! o toties legisti, ad sacerdotium qui non accedit invitus, accedit indignus, et tu modo non invitus, imo et avidus, ut ipse fateris, accedere non metuis? » Ad hanc vocem territus et quasi fulmine tactus tota corporis strage ad pedes objurgantis prosternitur, flens ubertim, et veniam præsumptionis tantæ gemebundis vocibus petens. Qui ad modicum velut dissimulans anxiantem, cum ad tantam illius devotionem et humilitatem totis et ipse visceribus conculteretur, tandem ita leniter et flebiliter alloquitur : « Surge, inquit, surge. » Quo etiam ad jussum ejus sedente, hæc spiritu prophetico vir Dei locutus est : « Ne turberis, inquit, non jam fili, sed domine mi, ne, inquam, turberis. Scio, et vere scio quo spiritu et quo affectu locutus sis verba hæc. Tibi igitur dico, mox quidem sacerdos, ac post, cum tempus a Deo præscitum advenerit etiam episcopus eris (26). »

CAPUT X.

De ipsius in devotione profectu, postquam est sacerdos effectus, et corporalis asperitatis ac abstinentiæ rigore.

Promotus itaque juxta verbum viri Dei ad gradum sacerdotii, quantum crevit ordine, tantum profecit in sacra devotione. In altaris officio ita quidem versabatur, ac si visibilem manibus contrectaret Dominum Salvatorem. Videbatur astantibus, divina celebrans, opere et veritate ipsum cum sponsa illud epithalamicum decantare : « Dilectus meus mihi, et ego illi (*Cant.* II, 16). » Domabat corporis membra vigiliis, jejuniis, flagellis, et juxta morem ordinis usu cilicii et potu aquæ cum arido pane; nihil omittebat de austeritate ulla, quam communis regula vel majorum admittebant exempla.

Peculiaria etiam quam plura supererogare non desistens, genua flectebat crebrius, corpus totum sternebat in terram, jacensque pronus cum Moyse et Aaron, cum Josue et Daniele, divinam exorabat clementiam quatenus a populo suo furorem suum averteret, et propitiationem acceleraret. In omni Quadragesimæ (27) septimana tres ferias in aqua et solius panis edulio, nullo penitus condimento adhibito, nisi forte salis adhiberetur prælibatio, transigere consuevit; in ultima vero hebdomada Sabbati adjiciebatur observantia in simili diæta. Nunquam infirmitas, aut debilitas seu casus alius, ante sumptum episcopatum, alio cibo vel potu istud quatriduum compulit eum aliquatenus relevare.

Abstinentiæ vero huic ascribebant medici in ætate progessibili stomachi illius nimiam infrigidationem; unde plures interdum perferebat dolores et juges pene molestias. Hanc quoque designabant causam, qua virtus in eo appetitiva, virtute digestiva potentior, corpulentiorem eum jam quinquagenarium faciebat, quam fuerat pridem adolescens.

CAPUT XI.

Qualiter Petri archiepiscopi Tarentasiensis obsequio deputatus, tam in Scripturarum perscrutatione, quam in omnibus, quæ poterant reverentiæ congrua, aut animo grata esse, devotissime ministrabat, ab ipso quotidie recipiens benedictionem, absolutionem et instructionem salubrem.

Per (28) idem tempus vir sanctissimus, Tarentasiensis (29) archipræsul Petrus, Cisterciensis monachus, Carthusiam sæpius adire (30) solebat, ibique; in cella solitaria infra sanctorum illorum habitacula commanebat. Hujus itidem Hugo mancipatur obsequio, servitio delegatur. Si lectio recitari, si quælibet sententia in tanto librorum pelago inquiri petebatur et inveniri, ad hæc Hugo promptus erat : ad manum ei omnis quæ posceretur scriptura fuit. Si de Veteris, et si de Novi Instrumenti paginis, sermo erat, si gesta sanctorum, si tractatus doctorum inquisitionem movebant, Hugonis solertiam nihil latebat. Cum sanctus ille loqueretur, hic auditor erat mansuetus et docilis; cum loqui juberetur, pronuntiator acutus, et mirum in modum eloquio efficax erat et suavis. Obsequebatur quidem in cunctis gratiose, quæ sancti poterant aut reverentiæ congrua, aut animo grata esse. Allnebat frequenter pedes ejus, et osculabatur osculo cordis sui eos, qui osculo oris sui non sinebantur.

Hæc autem et alia Hugo jam episcopus referre auditus est de suo quondam archiepiscopo, jam regnante (31) in cœlo. De quo etiam hæc memorabat,

(26) Lincolniensis videlicet factus an. 1183 aut sequenti.

(27) Igitur jam Hugonis ætate moderatus erat rigor primorum Patrum, qui singulis totius anni hebdomadis ita jejunare consueverant, non ex præcepto, sed pro arbitrio. Unde Guigo quintus Carthusiæ prior in consuetudinibus a se editis hæc habet : « Secunda, quarta, sextaque feria, pane et aqua et sale, si cui placet, contenti sumus. »

(28) De insertis huic capiti nulla fit mentio apud Surium in Vita S. Hugonis, sed neque in Vita S. Petri apud Bollandi socios.

(29) Archiepiscopatui præfuit Petrus annis triginta tribus, anno 1141 factus archiepiscopus, et anno 1174, die 14 Septembris, mortuus, uti refert Pagius tomo IV in crit. ad Baronium, p. 644 contra Henschenium, qui contendit illum obiisse anno 1175, die 8 Maii, in ejus Vita.

(30) Non dubium, quin hausto erga Carthusianos a suis parentibus singulari affectu. De his etenim in Vita illius hæc habentur : « Religiosos non modo suscipere, sed expetere satagebant, maxime vero Carthusiensibus et Bonævallensibus, in quibus maxime complacebant, congrua ferre cibaria et salutis consilia ab eisdem, non modo sibi sectanda, sed pluribus communicanda referre, » etc.

(31) Illo videlicet tempore, quo auctor ista scribebat.

quod post strati sui ingressum, ut fatigata diurno A labore quiete nocturna membra relevaret, dum hunc Hugo in lecto componeret et vestibus operiret, quotidie hanc orationem eum proferre audiebat : « Præsta, quæsumus, Domine, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. » Quotidie vero et benedictione potenti ministrum suum Hugonem muniebat, et auctoritate pontificali a peccatis omnibus absolvebat, ac monitis spiritualibus instruebat. Nihil denique utilium subtrahebat, sed omne consilium Dei, quod sciret ei profuturum, et pluribus per eum, illi sollicite manifestabat.

CAPUT XII.

Qualiter domus Carthusiæ procurator effectus, ipsam tam spiritualiter quam temporaliter strenue gubernabat, omnibus se reddens merito commendatum. B

Post hæc, cum jam Hugo in quietis suæ nidulo per bina (32) circiter lustra moratus, et mundo plene mortuus, plumis undique et pennis fultus solidissimis, ad volatum esset aptissimus, procurationem totius domus ei, quantum licuit, renitenti, prior suus delegavit. Regebat (33) ergo industrie commissam sibi familiam, fratres sollicite instruebat, et juxta illud de sancto Honorato Arelatense dictum, quod frequenter in ore habebat, multumque laudabat : « Torpentes semper excutiens a desidia, ferventes spiritu cogebat ad requiem. »

Dominus autem benedixit domui, valde exuberare eam faciens in omnibus bonis. Quis ab Hugone consilio etiam in temporalibus destitutus, non consilium retulit necessitatibus suis profuturum, sapientibus C quoque hujus sæculi admirandum? Quem vero in temporalibus erudivit, quem mox ad perpetua non incendit? In capitulo monachis inaudita, fratribus et sæcularibus, qui forte advenissent, loquebatur verbum Dei; pauperes recreabat, ut licebat præ rigore ordinis, diurnis etiam subsidiis. Istos vero, cum rebus nequivit, consolabatur sermonibus, adimplens illud viri sapientis : « Ecce, inquit, verbum bonum super datum optimum (*Eccli.* XVIII, 17). » Omnes interea Hugonem loquebantur, sive prior, sive monachus, sive conversus, gratiam attollebant collatam Hugoni. Dives Hugonem laudibus efferebat; egenus Domino precibus Hugonem commendabat, et coegenis commendandum supplicabat. Istud vero ille D votivum dicebat, tanquam et frivolum contemnebat.

CAPUT XIII.

De tentatione illius alia ab illa de qua supra, capitulo octavo, et qualiter ab ipsa per illum sanctum quondam priorem Carthusiæ Basilium, quem suum nutritorem vocavit, exstitit liberatus. Et inseritur hæc tentatio in magna Vita libro secundo.

Tanta vero ei carnis tentatio subito exorta est, tamque continue, tamque importune in eum debachata est, ut mallet gehennalibus interim tradi pœnis, quam tantis urgeri flammis. Tam ingens pugna, tam forte certamen fuit, ut solius divinæ non dubitetur virtutis fuisse, quod humanitus non cessisset; sed viriliter resistendo triumphum reportavit. Ad plenum autem hujus modum congressus nemo referre posset, quibus lacrymis, quantis gemitibus, quam crebra confessione, quam aspera flagellatione, vel divinum expetierit adjutorium, vel cor contriverit, vel corpus proprium cruciaverit. Diei vero cujusdam diluculo visitavit eum hoc ordine oriens ex alto Sol justitiæ, mittens angelum suum, et eripiens eum de potestate tenebrarum harum.

Egerat noctem illam in tenebris, sic ipse insomnis pene totam. Demum quidem athletæ fortissimo, prostrato nec superato, non victo sed fatigato, tenuis obrepsit sopor. Continuo velut in excessu positus vidit virum (34) Dei, qui eum susceperat ad ordinem, illum sanctum quondam priorem Carthusiæ Basilium, vultu et amictu angelico radiantem astitisse sibi, seque sic voce blanda compellantem : « Quid, inquit, tibi est, fili charissime? Surge, et velle tuum fiduciliter enarra. » Ille vero ad eum ait : « O pater bone, et nutritor meus piissime, affligit me usque ad mortem lex peccati et mortis, quæ est in membris meis; et nisi more solito auxilieris mihi, en morietur puer tuus. » Vix dictum compleverat, et sanctus sic paucis : « Bene, inquit, auxiliabor tibi. » Moxque patefactis novacula, quam manu videbatur tenere, visceribus ejus quasi strumam igneam inde visus est exsecuisse, et longius extra cellam projecisse, dataque benedictione medicus recessit. Æger sanatus et sibi redditus somno fugiente resedit; lætusque supra modum de ostensa sibi claritate nutritii sui, qui ante aliquot (35) annos migraverat ad Dominum, omnimode in corde et in carne se reperit immutatum.

Horum summam cum ab ipsius ore Hugonis, secretius mecum loquentis, pluries acceperim, in extrema demum ægritudine planius et diligentius totius eventus ordinem, sicut eum modo digessi, mihi enarravit. Quærenti vero utrum aliquem postea hujus senserit in carne sua motum : « Revera, inquit, quod aliquem senserim, non nego, sed simplicissimum,

(32) Ex hoc loco patet, Hugonem an. 1163 aut circiter ad Carthusiam venisse. Bina etenim lustra circiter in cella implevit, an 1173 quo Basilius obiit Carthusiæ prior, et Hugo a Guigone novo priore in procuratorem assumitur. Vide tamen, quæ de lustris infra ad lib. V, c. 20, not. 306, observavi.

(33) Annis saltem quatuor, antequam mitteretur in Angliam.

(34) Insigne de B. Basilio ex relatione S. Hugonis ab auctore nostro depromptum testimonium, cui consonat quod ab auctore Vitæ S. Anthelmi Basilius dicatur « miræ sanctitatis et devotione vir. » De quo proinde Sausseius in Martyrologii Gallicani supplemento, p. 1125 ita scribit : « Pridie Nonas Junii in Carthusia majori depositio sancti Basilii conf. ejusdem ordinis generalis : cujus sacris institutionibus et exemplis idem ordo mirifice floruit. » Et idem iterum ibidem, fol. 1134. « Apud Gratianopolim memoria beati Basilii, octavi generalis Carthusiæ, ibidem defuncti pridie Nonas Junii. » Meminerunt ejusdem inter prætermissos ad diem 4 et 14 mensis Junii clar. Bollandiani.

(35) Non ante paucos dies, uti Surius habet. A morte enim Basilii ad hanc usque tentationem, distinctam ab illa, cujus fit cap. 8, mentio, quatuor saltem efluxerant anni.

et quem non minus contemnere quam comprimere esset facillimum. Hæc idcirco dixerim, quia aliter de his alium quemdam (36) scripsisse accepi, asserentem videlicet, quod per beatam virginem, Dominam nostram, Dei Genitricem sibi apparentem visitatus, emnuchizatus et ira curatus fuerit, quod nullam deinceps carnis titillationem sit omnino expertus. Verum, A quæ ab ore illius de curatione ejus audivi, verissime expressi. »

Jam vero de Hugonis nostri de Burgundia (37) in Angliam translatione et gestis ejusdem sequentibus tractaturi, finem imponentes præcedenti libello, alium advertamus.

Explicit liber primus.

PROLOGUS LIBRI SECUNDI

Cum Lincolniensis Ecclesiæ præsulatum annis jam Hugo (38) bis senis, et diebus quinquaginta tribus religiosissime administrasset, placuit sanctitati suæ parvitatem meam de vitæ (39) claustralis dulcedine in sollicitudinem suarum qualecunque solatium assumere, suoque inseparabiliter lateri sociare. A quo tempore annos tres et dies quinque, quam diu scilicet in corpore postea vixit, ab ejus nunquam, nisi per unam solam noctem, abfui comitatu, die semper ac nocte adhærens ei et ministrans sibi ipsi. Hujus igitur spatio temporis omnia fere, quæ de eo libellus præsens continebit, aut propriis vidi oculis, a sanctis ipsius labiis audivi.

Causam, qua in nostrum (40) venit orbem, tum ab eo, tum et ab aliis, qui hujus adventus sui pro B curatores exstiterunt, accepi : similiter et modum quo dilecta sua Carthusia discessit, quo domum Withamiensem a fundamentis construendam disposuit, instituit, et viris optimis adimplevit, ac post hæc ad episcopatum accessit. De his, quæ in episcopatu gessit, antequam ei adhærere coepissem, de industria prætereo innumera, certissime comperta, notitia cunctorum dignissima. Quia enim plurima ex his quosdam me longe (41) doctiores litteris mandasse accepi, superfluum imo et præsumptuosum esse judicavi, ab aliis congruentius exposita, insipidiori eloquio replicare. Ad ea vero seriatim referenda, quorum istos notitiam minus ad liquidum credimus assecutos, calamum pariter intendentes et animum, tale invocato Spiritus sancti adjutorio sumamus exordium.

Explicit Prologus.

LIBER SECUNDUS.

CAPITULUM PRIMUM.

Qualiter pro domo Carthusiensis ordinis, in Anglia apud Withamiam construenda, mittitur ad quærendum Hugonem.

Contigit eo tempore ad reges Anglorum Henrici C secundi notitiam virtutum nostri Hugonis famam tali occasione pervenisse. Quadam de rege (42) in transmarinis agente, venit ad eum vir quidam nobilis de partibus (43) Northmanniæ. Rex vero de ordine Carthusiensium inter alia mutuæ sermocinationis

(36) Quis ita scripserit, adhuc latet. Giraldus Cambrensis apud Warthonum part. II, pag. 432 : « Viri quidem Angelici, » at sine nomine, meminit, sed nihil de Dei Genitrice habet. Qui si aliqualiter cum hic dictis discordat, major adhibenda fides est auctori, qui relata a S. Hugone in extremis hausit.

(37) Subaudi : de Burgundia late sumpta, et prout Delphinatus sub ea comprehenditur.

(38) Inito calculo annorum et dierum, qui in prologo indicantur, recte Surius in Vita scribit : « Tenuit cathedram episcopalem annis quindecim et quinquaginta octo diebus. » Quod si ita Hugo consecrari debuit in episcopum in festo S. Matthæi apostoli anno 1185 non sequenti, in quem passim omnes, Rogerium secuti, consecrationem rejiciunt. Sed de hoc in dissertatione oneri huic præmissa plenius agitur.

(39) Satis innuit his verbis auctor se monachum fuisse, et idem confirmat aliis in locis, præsertim lib. v, c. 23, ubi post illa : « Hæc ipsi, qui scripsit ista, locutus est, » addit post pauca : « Sub testimonio prius ejusdem, cum quo loquebatur monachi et presbyteri sui.

(40) Ex Carthusia majori in Angliam, quam dum nostrum vocat orbem, indicat se Anglum fuisse natione. Monachum vero fuisse Cantuariensem colligi videtur ex lib. v, c. 22.

(41) Scripsisse de S. Hugone Giraldum Cambrensem, Rogerium et Parisium lego. Horum primus evulgatus est a Warthono in Anglia sacra, sed non adeo multa refert de sancto. Alter allegatur a variis, et de sancto videtur scripsisse incidenter. Tertius plura mutuavit ex Rogerio, et nostro auctore est junior. An alii eo ævo de Hugone scripserint, ignoro. Vide, quæ observata sunt ab alio ad lib. III, cap. 6, D nota 96.

(42) « Mense Augusto (inquit Trivettus ad annum 1177 in Chronico a Luca Acherio tom. III Spicil. edito) Henricus Anglorum rex senior cum Galfrido filio duce Britannorum in Northmanniam transfretavit. » Baronius ad hunc annum addit adhuc fuisse ibidem regem XI Kal. Octobr.

(43) Anno igitur 1177 creditur vir ille nobilis coram rege in laudem Hugonis excurrisse, et circa finem hujus aut initium sequentis Hugo per legatos petitus in priorem.

verba pleraque ab eodem inquirere cœpit. Nam (44) dudum sanctæ illius conversationis fama præventus, asciverat de domo præfata quosdam fratres, quibus et ex locis, quam ipsi elegerant, in Anglia contulerat villam, scilicet Withamiam (45) appellatam, in Bathoniensi territorio sitam, cum terris silvis, cum pascuis et vinariis, nec non et aliis fundandæ illius ordinis domui necessariis. Qui vero prædictis fratribus prior fuerat designatus (46), ad breve vix tempus in Anglia degere acquievit. Vacationi namque et quieti solitudinis assuefactus, negotium sollicitudinis tantæ constructioni debitum mente delicata non ferebat. Tædebat eum, imo et socios ejus pene cunctos, ritus gentis alienigenæ, diætæ insolitæ, et cæterorum quæ moribus advenarum et votis in solo peregrino de facili parturiunt offensionem. Nam et provincialium nonnullis formidolosus eorum videbatur esse in suos fines accessus, frustra scilicet illis metuentibus sibi, ne illi propriis minus contenti limitibus, eorum occupandis jugeribus inhiarent. Quem indigenarum adversum se viri innocentes motum pullulare sentientes, priorem suum ad domum redire permiserunt, quatenus communicato cum viris sanctis consilio, vel animæquior ipse rediret, vel alium loco suo ad hoc magis sufficientem destinari obtineret. Rediit ergo, et loco ejus alius mittitur, qui tædio simili affectus, morte beata finem laborum et vitæ initium citius accepit. Reliqui inter ista fratres variis perturbationum procellis unanimiter fluctuabant. Rex ipse angebatur medullitus ad hæc. Cœpit namque imaginari jam et pertimere futuri notam ruboris, qua inurendum se noverat apud magnates multarum in circuitu nationum, si cœpta adeo salubria, adeo cunctis exteris gentibus favorabilia, nequivisset consummare.

A viro igitur memorato super his tale recepit consilium : ab his, inquit, domine mi rex, fluctibus unico vos et efficacissimo liberare potestis consilio. Est in domo Carthusiæ quidam monachus, natalibus quidem clarus, sed morum strenuitate longe præclarior, nomine Hugo de Avalim. Hic omni virtutum gratia decoratus, ita est omnibus qui eum noverunt acceptus et gratiosus, ut aspectu solo omnium in se rapiat affectus. Qui vero etiam ab ore ejus verbum audire merentur, tanquam divinum se vel angelicum gaudent oraculum percepisse. Hunc si novella in partibus adhuc nostris sanctissimi ordinis hujus plantatio cultorem habere meruerit atque rectorem, videbitis eam lætissime ad omnem subito gratiam fructificando proficere. Tota insuper Ecclesia, ut certus sum, Anglicana illius purissimæ religionis et religiosissimæ puritatis nitore venustius decorabitur. Cæterum hunc sui de facili non emittent de domo sua. Ipse quoque nonnisi coactus et invitus, alterius habitationis adibit sedem. Favorabili proinde ac strenua opus est legatione : operosa etiam precum ambitione nitendum, quatenus, hoc solo quantocius impetrato, et vester de cætero animus a sollicitudinis hujus molestiis relevetur, et hæc sublimis religio ad gloriam excellentiæ vestræ insignius propagetur. Invenietis enim in uno isto homine cum cæterarum virtutum cumulo, quidquid longanimitatis et dulcedinis, quidquid magnanimitatis et mansuetudinis in aliquo mortalium poterit reperiri. Nulli hujus esse ingrata vicinitas aut cohabitatio valet ; nullus hunc vitabit, ut alienigenam ; nullus non ut civem, nullus non ut domesticum, ut fratrem, ut amicum intimum, illum respiciet. Nam et ipse omne humanum genus non aliter quam propria attendit viscera, universos homines amplectitur et fovet ulnis et gremio unicæ charitatis.

Hæc et in hunc modum plurima ipse dixerat. Dicenti quoque rex multum applaudens et gratias agens, dirigit quam celerrime cum litteris regiis ad domum sanctam Carthusiæ venerabiles legatos, dominum videlicet Reginaldum (47) Bathoniensem episcopum, cognominatum Lumbrach, et cum eo viros quosdam strenuos et industrios.

CAPUT II.

Qualiter nuntii ad Carthusiam venientes super petitione sua invenerunt fratres dissentientes, et qualis erat sententia ipsius de ipsa exaudienda, et hoc est Cap. 3, in serie magnæ Vitæ.

Venientes autem regis legati ad Carthusiam, assumpto secum venerabili (48) Gratianopolitano episcopo, ipsius loci diœcesano, litteras Domini sui priori et fratribus præsentatas persuasoriis verbis suppliciter et strenue prosequuntur. Omnibus vero ad primum contristatis auditum, prior quam maxime conturbatur, procrastinatur eorum responsio, conscientiæ et vota super negotio tali discutiuntur inte-

(44) Anno, ut videtur, 1173 rex enim Henricus juxta Pagium in criticis ad initium mensis Julii anno 1174 visitavit tumbam divi Thomæ : et illa visitata, juxta Trivettum in Chronico, rediit in Northmanniam. Post Pascha vero anni 1175 : « Rex senior (verba sunt Trivetti) et filius ejus rex junior, in Angliam transfretavit. »

(45) Vel, ut in Monastico Anglicano legitur, in agro Somersetensi.

(46) Dum prior primis in Witham ex Anglia rediit in Carthusiam, et alter inde illuc missus citius obiit, facile triennium abiit, antequam Hugo Withamiam mitteretur prior tertius.

(47) Baronio teste, Reginaldus anno 1173 designatus episcopus, consecratur anno sequenti a S. Petro Tarentasiensi, ut refert Henschenius in prælim. ad ejus Vitam. Qui cum anno 1178 missus fuerit legatus adversus hæreticos Tolosanos, et anno sequenti interfuerit concilio Lateranensi, non obscure colligitur, illum circa finem an. 1177 missum fuisse ad Carthusiam pro postulando in priorem Hugone.

(48) Præerat eo tempore episcopatui Joannes ex dominorum de Sassenage propagine ortus, ex Carthusiano episcopus. De quo in serie episcoporum ex ordine assumptorum ita scribitur : « D. Joannes ex Carthusiano episcopus Gratianopolitanus, optimis moribus domi forisque spectatus, ab anno 1165 usque ad Kalend. Junii, qua die cœlos anno 1194 adiit. » Abbas Morotius de illius obitu, quem ad annos plures differt, hæc scribit : « Subinde ætatibus suis expletis, placidissima vitæ clausula, sese ad æternitatem composuit. »

rim singulorum. Prior primus petitioni penitus contradicit, et fratrum in diversa variatur sententia. Hi talem virum, et universitati ordinis (49) adeo profuturum, in tam remota loca dirigi nullatenus oportere dicebant. Alii, quorum unus dominus (50) Bovo fuit (quem postea priorem Withamiæ hæc sæpius referentem audivimus) a Deo exiisse verbum regis asserebant, nec tutum contradicere esse plurimis rationibus edocebant. « Vos, inquit Bovo, nescitis quidquam, nec cogitatis, quia superna dispositio facit hæc omnia ut ordinis hujus sanctitas per virum sanctum usque in supremos mundi limites splendidius elucescat. Sed neque putetis illum diu sub modio latebrarum nostrarum posse cohiberi. Credite meæ parvitati, inter præcipua Ecclesiæ sanctæ luminaria ipsum in brevi audietis super candelabrum ecclesiastici regiminis subilmari. Dudum enim mihi virtutibus Hugo episcopus (51) potius visus est, quam monachus exstitisse. »

Postulatus demum Hugo super hæc suam proferre sententiam, et suam aperire voluntatem, ita citius ait : « Voluntati meæ super statu meo nihil penitus reservare jam pridem edoctus fui. Quid autem de his vere sentiam, libere exponam. In medio vestræ sanctitatis tandiu conversatus, monitis et exemplis vestris in tantum adjutus, nunquam vel per unum diem animam meam custodire scivi. Unde miror, quomodo in sapientis alicujus animum ascenderet, quod ad aliorum regendas animas per me ipsum mitti longius debuissem. Qualiter vero novam domum instituere sufficerem, qui antiquorum instituta servare nequivi ? Puerilia sunt ista quæ audio, nec deliberationis tantæ spatio, salvo reverentiæ vestræ beneplacito, aliquatenus digna. Omissis igitur de cætero talibus cura et negotium arduum sit, nec patiens dilationis, vestraque intersit solerter providere, ne regis illius cœpta ad periculum animarum ac ordinis sancti dedecus protelentur diutius imperfecta. E vobis, aut ex cæteris domibus vestris, virum quempiam ad hoc opus idoneum eligite, et cum istis mittite. Viris autem istis, tanquam sapientibus, et vos sapienter respondete, velle vos eorum votum melius, quam ipsi postulant, adimplere, assignantes eis, non quem, utpote decepti, sed qualem, ut religiosi et discreti, quærunt. Non expedit enim deceptos in persona postulati inconsultius exaudiri, quia decipi in qualitate personæ nec ipsi volunt. Sic denique in sua petitione exaudiantur, ut gaudeant se utilius, quam petierunt, exauditos. »

CAPUT III.

Qualiter demum obtentum est, ut adiret Angliam Hugo ad regem veniens, et qualiter Withamiam cum honore deductus sit.

Licet autem hæc quæ præmissa sunt, seu et alia pro sui excusatione instantius Hugo prosequeretur, interna tamen dispositione cuncta suaviter moderantis sapientiæ Dei, nullatenus potuit nutus sui effectu privari. Sed nec prioris quidem patrocinium, Hugonem retinere cupientis, ei contra dispositarum a Deo rerum ordinem poterat suffragari. Utriusque vero contradictio, et prioris videlicet et Hugonis, dum nescienter nititur refragari, compellitur necessario famulari operanti invisibiliter majestati. Nam, quo pertinacius prior resistebat, et quo instantius Hugo se ad hoc insufficientem asserebat, eo vehementius episcopi præsentes cum suis consiliatoribus, junctis tandem sibi quibusdam fratrum de conventu natu majoribus, ut fieret, quod rex tantus petierat, perurgebant. Quid plura ? Fratrum tandem universitas cum precibus, tum et rationibus eorum qui advenerant victa petentibus cedit.

Hugo vero assentire flagitatus a cunctis, in priorem cum aliud non posset, transfundit sententiam. Sciebat enim id sibi ab illo qui eum ut animam suam diligeret, et a se nullatenus elongari optaret, vix aut nunquam injungi posse. Quem monitis episcopi sui, cunctorum etiam gemebundis precibus, qui aderant, interpellatum sic dicunt eis qui intererant respondisse : « Vivit Dominus ! nunquam iste sermo egredietur ex ore meo, quo jubeam Hugonem meam senectutem (52) deserere suaque dulcissima et pernecessaria præsentia Carthusiam viduare. » Qui nimia importunitate universorum tandem obrutus, et quid faceret prorsus non inveniens, conversus ad Dominum Gratianopolitanum ait : « Jam quidem ratum est quod de me dixi : Hugonem a me vox mea aut mens mea nunquam removebit. Tu jam videris, tu episcopus noster es, tu pater (53) et frater noster : si ei hoc injungas, si præcipias, ego non contradico, non resisto. » Nec plura locutus, jam vocem fletu interrumpente, lacrymis indulgebat, quibus mentis anxiæ leniret dolorem.

Videres jam per ora cunctorum rivos fluere lacry-

(49) Ex his colligitur, quod Guigo, tunc prior Carthusiæ, qui meditabatur, uti et paulo post fecit, resignare prioratui, voluerit illum una cum generalatu in nostrum Hugonem transferre. Unde nec mirum, si legatorum petitioni, quantum potuit, restiterit, nec, nisi coactus, eum a se dimiserit.

(50) Hic est ille Bovo, qui Hugoni in prioratu Withamensis Carthusiæ successit : et cui Guigo exprior Carthusiæ « Tractatum de quadripartito cellæ exercitio, » a Chifletio S. J. editum, inscripsisse creditur.

(51) Esse iterata de futuro Hugonis episcopatu prædictio. Prima lib. I, c. 9, facta a sene, præ ætate parietes cellæ suæ nusquam deserente ; altera a Bovone, qui aliquot post annos e cella in Angliam transiit, ibidemque Hugoni in prioratu successit, et ad annum usque 1200 eidem præfuit.

(52) Senio igitur gravabatur, qui tunc prior erat Carthusiæ, non Basilius, ut refert Dorlandus, utpote quatuor aut quinque ab hinc annis mortuus, nec Jancelinus, hoc tempore adhuc vegetus, qui triginta tribus annis post Hugonem obiit. Sed Guigo prior medius inter istum et hunc, homo omnino senex, et bis, ut videtur, prior Carthusiæ, nec distinguendus ab Hugone, qui regimine S. Anthelmum præcessit.

(53) Pater, qua episcopus diœcesanus, frater, qua comprofessus, tunc factus (inquit Morotius) « quando præfectura monasterii S. Roberti abiens, secretiores latebras inter Carthusienses concessivit. »

marum. Episcopus et ipse, ut erat piissimus, monachus valde honestus et mansuetus, compellentibus omnibus, ut promissa sibi a priore in Hugonem uteretur potestate, ita primum universos alloquitur : « Quia vobis, fratres charissimi, quos non minus conversatione quam professione Christianæ perfectionis apicem conscendisse manifestum est, nos desides et a culmine vestræ sanctitatis longe inferiores, non necesse est ostendere quid in his, quæ Dei sunt, agere debeatis, aut etiam monere quatenus vobis melius cognita, strenue compleatis, qui in omni vita vestra non quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi, vos quærere comprobatis. Hoc unum ad memoriam vobis, Domine prior, sed et vestræ, fratres, universitati revocandum putavi, quod vobis ante oculos ponatur, qualiter in casu simillimo se habuerunt prædecessores vestri. » Cum enim ad instantiam sancti Cenomanensis tunc episcopi Bertirramini (54) in occiduas Galliarum partes sanctissimus Benedictus dilectum et sanctum discipulum suum Maurum fundandæ gratia religionis monasticæ destinaret, similem ibi luctum et luctus causam non dissimilem, legitis exortum. Quem suum pariter et fratrum dolorem ea sanctus Dei ratione compescuit, ut ostenderet servos Dei nullatenus contristari super his, quæ velle noverint Dominum suum. Ubi et verbum intulit memoria dignissimum : « Ne forte, ait, hac ipsa nostra tristitia Deo, quod absit ! inveniamur contraire. Sed te, et Hugo, frater charissime, in hoc quoque imitari eum convenit, quem sequi semper dulce habuisti, unigenitum Filium summi Patris, qui de altissimo suæ divinitatis pro multorum salute ad publicum dignatus est exire humanæ conversationis. Et tu igitur peregrinari ad modicum a tuis charissimis, postposito interim quietis adeo dilectæ silentio, pro eo ne cunctetis, in præsentis vitæ exsilio, ut ei perenniter postmodum socieris in beatitudinis suæ regno. Hoc ego, licet indignus, vice ipsius in remissionem peccatorum tuorum, ob compensationem etiam æternorum præmiorum, tibi injungo, et in vi obedientiæ firmiter præcipio. Perge itaque sospes et felix cum venerabilibus viris istis, qui te vocare venerunt, curamque suscipe domus Withamiæ in Anglia, favente Domino, construendæ : præsis quoque constanter, et prosis instanter loco et fratribus ibi congregatis, in nomine Domini, et congregandis. »

Hanc Hugo diffinitionem aliquandiu pedibus se pontificis advolvendo irritare nitens, nec quidquam proficiens, cessit postremo ; seseque orationibus omnium præsentium commendans, fratribus in osculo pacis valefaciens, cum illis legatis (55) profectus est, ad regem venit, tandemque cum favore maximo ab ipso dimissus, et Withamiam cum honore deductus, tanquam angelus Domini a paucis fratribus, qui tunc ibi erant, in priorem suscipitur cum gaudio ineffabili.

CAPUT IV.

Qualiter statu, quem invenit apud Withamiam, visitato, ad regem reversus, fecerit villæ de Witham habitatoribus, inde discessuris, largissime provideri.

Invenit autem fratres, velut alter Joseph in Dothaim, quod interpretatur *defectus*. Consistebant equidem in silva haud procul a regia tunc villa vocabulo Witham, quæ futurorum quodam præsagio tale nomen creditur sortita. Dicitur namque Latine *mansio*, sive *habitatio* (56) sensus, quod excellenter per adventum viri hujus, Christiani philosophi, locus iste effici meruit in re, attractis undique ad odorem notitiæ suæ viris sensatis, in omni verbo et in omni sensu præstantissimis. Qui manentes ibidem et habitantes corpore, ad illam æternam patriam, cujus perfectis jam sensibus gaudia prægustant, cogitatione et aviditate inhiare non cessant.

Quos autem invenit fratres, habebant hi (57) cellulas ex asseribus contextas, vallo perexiguo et palis circumseptas. In his utcunque usque ad tempus correctionis se recipientes, omnibus, ut breviter dicatur, aut pene omnibus necessariis ac debitis ordini suo adminiculis erant carentes. Neque etiam diffinitum erat usque adhuc, ubi major, ubi minor ecclesia, monachorum cellæ, et claustrum cum fratrum domunculis et hospitum diversoriis aptius construi debuissent. Villam supradictam, eorum jam ditioni cessuram, habitatores pristini adhuc incolebant, et necdum provisum eis fuerat, ut sedes suas sine murmure, sine sui læsione, novis vellent aut possent successoribus cedere.

His et aliis de situ, de qualitate loci, nec non et de cæteris, quæ necessitas ordinis flagitabat loco convenire, vel utilitati ibidem conversantium inservire, diligenti solertia perspectis ac sigillatim prænotatis, Hugo noster (inter eos ita condictum fuerat) ad regem citius repedavit. Cumque de singulis quod sibi videbatur exposuisset, rex in omnibus prudentiam illius et modestiam admiratus, quæcunque ille disposuit, et ille approbavit, et quæ postulavit libenter indulsit. Ac primo quidem universos convocari fecit prædiorum vel rerum quarumlibet possessores, quos loco cedere oportebat, ne quolibet strepitu aut

(54) Alias Bertichramnum, Bertramnum, etc., de quo, et facto hic narrato vide Mabillonium tomo I. Annalium Bened., p. 107, et Bollandum in Vita S. Mauri abbatis.

(55) Quorum unus et præcipuus Reginaldus Bathoniensis, qui cum anno 1178 contra Tolosanos egerit, et anno sequenti concilio Lateranensi interfuerit, uti jam ante monui, vix dubium, quin circa finem an. 1177 una cum Hugone ad regem venerit.

(56) *Ham* scilicet Anglosaxonibus idem est, quod Germanis *Haim*, *Haimat*, id est, *mansio*, *patria*. *Wit*, idem quod *Witz*, sensus.

(57) Cellulæ ex asseribus, ecclesia nondum designata, claustrum nec inchoatum, plures ad regem accessus, et alia, quæ hoc et sequenti capite referuntur, et tandem completa sub Hugone ædificia, septem aut octo facile annos requirebant, ut perficerentur. Quod ideo dictum volo, ne Hugonem serius anno 1178 in Angliam venisse quis existimet.

frequentiæ cujuscunque accessu, solitudinis suæ altæ silentia interrumpi, aut saltem interpellari, vel interpolari vel modice potuissent. Quibus ex parte regis optio data est in communi, ut e duobus quod unusquisque maluisset eligeret. Agros scilicet et habitandi loca conditione pari, ut apud Withamiam fuerant sortiti, aut in regiis, ubi elegissent, maneriis reciperent; aut pristinæ servitutis jugo absoluti, quas vellent, regiones libere ad incolendas adirent.

Tunc aliis terras, aliis petentibus libertatem, Hugo juris benigni æmulator tenacissimus regi ait : « Jam, domine, hoc etiam provideri necesse est, ut pro domibus vel quibuscunque in culturas et varias structuras sumptibus aut sudoribus istorum compensatio pecuniarum tribuatur, quatenus in nullo detrimentum per nos sustinentibus, lætis læti, et benevolis succedamus grati. » Ad hoc in primis, cum velut difficilem si exhiberet rex, ille in bonitate præcipuus et in interventu strenuus adjecit, dicens : « Revera, inquit, domine mi, nisi usque ad obolum novissimum super omnibus satisfactum fuerit prius hominibus istis, locus idem non poterit conferri nobis. » Ita vero mercem sibi, ut putabat, in nullo profuturam emere rex compulsus, in tuguria videlicet vetustissima, tigna cariosa, ac parietina semiruta multum effudit æs pro brevi commodo.

Verum negotiator iste bonus, tantillo non contentus lucro, nisi justitiam servasse potius, quam fecisse misericordiam sibi videretur, ita regi ore faceto rursus infit : « Eia, domine mi rex, ecce in terra tua propria divitem te domibus numerosis advena ipse et egenus feci. » Ad hæc subridens rex : « Sic, inquit, ditescere, ego non cupiebam : divitiæ istæ jam pene egenum me fecerunt. Sed nec scio cui sint usui opes istæ? » Tunc Hugo hoc modo elicita per ejus responsum occasione proferendi quod intendebat : « En bene, inquit, ut video, parvipenditis commercium istud. Fiat igitur quod vestram deceat magnitudinem, et mihi non habenti ubi caput reclinem dentur istæ ædes. » Stupens ad hanc postulationem rex, et postulantem cum admiratione intuitus : « O te, inquit, dominum mirabilem! Num putas, quod novas domus vobis nequeamus construere? Dicito tamen quid tu inde faceres? » Et ille : « Non decet, inquit, regalem amplitudinem de quibusque minimis interrogare. Hæc prima est petitio mea ad te, et, cum sit modica, cur moram patior in exaudiendo? » Tunc rex alludens (libenter enim ingenium viri, ut erat prudentissimus, longa concertatione verborum explorabat) : « O, inquit, hominem in solo peregrino pene jam violentum! iste, si viribus niteretur, quid ageret, qui verbis ita extorquet? ne vero nobis duriora inferantur ab eo, fiat quod exigit. » Tunc ille concessas sibi ædes omnium dedit possessoribus pristinis, quarum illi jam pretium possidentes, iterato ipsas aut pretio distrahunt, aut ad alias transferunt iterum inhabitandas. Ipse vero Hugo locum, ut modo cernitur, exstruere festinabat.

CAPUT V.

Qualiter loci constructione pro sumptuum defectu nullatenus procedente, fratre Girardo regem adeunte cum nostro Hugone, et regi verba asperrima proferente, Hugonis exstitit patientia approbata, cujus ex tunc ad regem familiaritas est vehementius confirmata.

Accidit interea, majoris constructionis jam parte convenienter explicita, regem variis regni curis detentum minus intendere quibusdam fabricis perficiendis, quarum usus videretur pernecessarius. Inde sumptibus in stipendia deficientibus artifices queruli priorem et fratres importunis crebro verbis lacessebant. Hinc quosdam e fratribus ad curiam prior destinavit, qui regi super hujusmodi defectu opportune suggererent, huncque suppleri obtinerent. Ille provisurum negotio se, et necessaria citius pollicetur missurum. Redeunt, qui missi fuerant, nihil præter verba reportantes.

Dissimulante interim principe quod promiserat adimplere, cessatum est funditus ab opere. Prior sub silentio sustinendum credidit, ut rex motu proprio quod expedire noverat exsequi studuisset. Verum, ipso diutius negligente, iterata interpellatur legatione, iterumque, sicut prius, verbum, non datum, reportatur. Inter hæc multa dilatione protracta tædium subrepsit fratribus. Quidam ex his, etiam bile commoti, verbis in priorem asperioribus invehuntur. Desidiæ enim simul et negligentiæ incusant, quod per seipsum regem, licet in remotis agentem, pro tanto negotio jam olim non adiisset. Frater autem quidam, Girardus (58) nomine, vir austeri quidem ingenii, sed bene religiosus, et sermone inter magnates et principes efficacissimus, talibus priorem affatur verbis : « Quousque, inquit, domine prior, palpandum judicatis hominem durissimum, nec potius palam ei denuntiatis ut consummet citius ædificia, quibus carere non debet forma ordinis nostri? aut, si ulterius differre maluerit, valefacientes ei ad patriam et ad domum propriam redire una cum nobis omnibus maturius festinetis. An minus animadvertitis, quia in ordinis nostri redundat injuriam tanta circa nos illius incuria, et nos ipsi pateamus cunctorum in circuitu derisioni, qui tot jam temporibus hic commanentes, exiguis nequivimus mansiunculis istis culmen imponere? Quod si verecundia innata vos cohibet, ne homini huic, quæ decet, proferatis, ipsum adeamus pariter, et, quæ ei dicturus sum ego, audietis. »

(58) Idem cum illo, de quo in Vita S. Anthelmi ita scribitur : « Aderant autem ex Carthusiæ fratribus duo genere nobiles, sed humilitate ac fidei firmitate nobiliores, Aymo videlicet, vir quondam in sæculo magnificus ac potens, et Girardus ei virtute non impar, » etc. Hic igitur, sicut S. Anthelmo ad mortem usque, ita post illius obitum Hugoni astitit in Anglia : in qua notus Petro Cellensi ab eo in comment. in lib. Job, c. II, ita laudatur : « Nudius tertius vidi quemdam Gerardum nomine, Carthusiensis ordinis fratrem. Qui super omnia, » etc.

Convocatis autem cunctis fratribus, et negotio in commune prolato, placuit omnibus Girardum cum priore proficisci ad regem. Et prior : « Consilium, inquit, vestrum et ego gratanter accepto. Verumtamen vobis, frater Girarde, providendum erit ut, quemadmodum libere, ita et modeste vos habeatis in sermone vestro. Cum enim sit, ut vere comperi, princeps iste sagacis admodum ingenii et inscrutabilis fere animi, forsan, ut tentet nos dissimulat exaudire nos. Scit procul dubio perfectionis, quam professi sumus, quam maxime interesse, illud divinum implere documentum, quo dicitur nobis : « In « patientia vestra possidebitis animas vestras (*Luc.* « xxi, 19); » nec non et illud beatissimi Pauli : « In « omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in « multa patientia (*II Cor.* vi, 4). » Multa vero patientia in eo comprobatur, si multa contraria sive adversa in multa lenitate supportet longanimitas multa : patientia enim sine longanimitate non multa, sed curta erit, absque lenitate vero prorsus nulla erit. »

Assumptis igitur prior secum, prædicto Girardo et alio fratre, nomine Cynardo (59), grandævo et probatissimæ in sancta religione virtutis, ad regem profectus est. Quos ille omnes, ac si cœlestes angelos, venerabiliter excipiens, ad insinuationem instantis negotii blanda locutus, bona pollicitus, dilationis excusans causam, celerius omnia perficienda promittens, sumptus tamen inpræsentiarum non contulit, nec quando esset collaturus certius intimavit. Tum vero infrendens frater Girardus, suæque potius deliberationis pristinæ, quam admonitionis sibi factæ, memor regem aggreditur durius arguere. Demum : « Quidquid, ait, de cætero visum vobis fuerit, domine rex, aut faciendo vel omittendo opere inchoato, mea ulterius non intercrit. Totum vobis regnum vestrum quietum cedo, et ad nostram Carthusiensem eremum vobis valefaciens mox redibo. Putatisne vos nobis gratiam exhibere, si vestro nos vel pane substentetis, cum eo penitus non egemus? Verum satius est nobis ad saxa nostrarum confugere Alpium, quam ad talem hominem habere conflictum, qui totum, quod pro sua salute geritur, tanquam perditum arbitratur. Habeat sibi citius amissurus, et, cui nescit, relicturus opes, quas tantum amat; nec Christus his dignatur, nec quisquam Christianus, participari. » Hæc ita, imo et his similia satis duriora, Girardi blandimenta ad tantum dominatorem referuntur fuisse.

Quid vero pio inter ista et modesto priori suo animi fuerit, referebat ipse sæpius jam episcopus talia cum et tanta prosecutum, ut horum post tantum temporis ipse reminiscens totus inhorresceret. Tunc vero, cum ista proferebat heros ille, cui ex Spiritu Dei libertas tanta fuit, Hugo tanto vice regis suffundebatur rubore, ut vix confusionem cordis sui ipse toleraret. Monebat fratrem talibus effatis parcere, aut penitus silere. Verum is, ut erat conscientiæ purioris et reverendæ canitiei, sanguinis etiam (60) generosi, nihil docebat, quæcunque dixisset, quin doceret alia atque alia, quibus principem corrigeret aut erudiret, et alia adhuc dicendo subnecteret. Interea vero rex, nec vultus immutavit, nec verbum edidit, imo tacitus et tranquillus dicentem sustinuit, quousque universa, quæ mente concepisset frater, ore parturiret. Tandem ille satiatus præcordialique parturitione exoneratus finem fecit objurgationibus, et silentio labia flagellantia concedens, spiritum continuit, et vocem repressit.

Habito post hæc ab universis aliquandiu alto silentio, priore vultum præ confusione deprimente, regem autem aspiciente, æstusque mentis illius ex gestibus ipsius perpendente, sic tandem ipse rex orsus est loqui : « Quidnam tu, inquit ad Hugonem, meditabundus tecum deliberas, vir bone? Num etiam tu abire disponis, et cedere nobis regnum nostrum? » Ad quem ille submisse et leniter : « Non adeo de vobis, inquit, Domine despero; potius compatior impedimentis vestris et occupationibus, quibus præpediuntur salutaria animæ vestræ studia. Occupati enim estis, et, cum Dominus adjuverit, bene prosequemini cœpta salubria. » Tunc rex complexus eum, ita cum juramento ait : « Per salutem animæ meæ, dum vitales spirabo auras, tu a meo regno non discedes; tecum partiar enim consilia salutaria, tecum et studia animæ meæ necessaria. » Misit extemplo et sumptus, opusque summa cum instantia jussit compleri.

CAPUT VI.

Quod rex Hugoni credidit præ cæteris omnibus in his quæ suæ salutem animæ contingebant, et quod a multis regis filius putabatur; et quod ipsum super variis excessibus arguendo, non cessabat sacris informare exhortationibus, quia ejus varia consolatione levius ferebat adversa, et fretus ejus orationibus superabat facilius, et consiliis instructus circumspectius declinabat.

Post hæc princeps ille magnus viri Dei crebrius fruebatur colloquio, et consilio amplius delectabatur. Nec erant multi; sed et, ut a multis credebatur, vel unus sub omni ejus potestate, in quo magis requiesceret spiritus ejus, quam in priore Withamiæ. Erat autem potestas ejus multa, cui tota cum parte (61) maxima Hiberniæ serviebat Anglia, cui Neustria

(59) De quo vide plura infra lib. IV, c. 12.

(60) Ex familia, ut videtur, comitum Nivernensium. Comes namque Nivernensis dicitur a Dorlando, et a Morotio : qui tamen eum confundunt cum Guillelmo, etiam ex comite Nivernensi, Carthusiano, Acta utriusque commiscendo. Quos distinguendos constat, tum ex Vita S. Anthelmi, in qua utriusque fit mentio, tum quia ex epist. Eugenii papæ III et ex altera S. Bernardi ad Idam comitissam apud Acherium tom. II Spicil., p. 513, nov. edit., constat Guillelmum ante annum 1153 mortuum; Gerardum vero adhuc vixisse sub Hugone certum est. De Guillelmo ad an. 1138 ita scribit Guillelmus de Nangis apud Acherium Spicil. tom. III, pag. 5. « Florebat etiam Guillermus Nivernensis comes insignis; cujus devotio mira enituit, dum de potenti principe sæculi factus est in Carthusia humilis pauper Christi. »

(61) A patre Henricus Andegavensem ducatum, Angliam cum Neustria jure materno obtinuit, Hiberniam autem sibi armis subjecit.

cum Andegavia, Aquitania quoque cum Gasconia, nec non et finitimarum regionum tractus multi et magni subjacebant. In omnibus vero terris his nulla inveniebatur persona cujuscunque gradus aut ordinis, cui libentius auscultaret, et cui promptius obtemperaret, quam homini huic, in omnibus, quæ ratio salutis animæ suæ ab eo inquiri seu exaudiri exigebat. Tanta denique familiaritate illi seipsum committebat, tam singulari amoris privilegio cunctis fere omnibus præferebat illum, ut crederent et assererent pertinaciter nonnulli, hunc illius filium esse naturalem, et hujus illum genitorem fuisse carnalem.

Vidimus post mortem regis Richardi (62), hujus, de quo loquimur, filii regis et successoris, cum esset Hugo in finibus Aquitaniæ, innumeras undique diversæ conditionis et dignitatis turmas ad ipsum concurrere, nec aliter quam a regis defuncti germano, super statu suo ipsum consulere. Contendebant nobiscum plures, illum fratrem regis nuncupantes; nec credebant nobis de illius cognatione aut progenie, quod verum noveramus, asserentibus. « Nos, inquiunt, quid verum habeatur, de his melius scimus, et agnovimus evidentius. Dominus quondam rex noster Henricus nunquam externum hominem, ut istum amabat, ut istum honorabat, de nullo, ut de isto, confidebat nemini, ut isti, seipsum credebat. Nisi iste esset filius ejus (quod etiam corporis forma consimilis fateri probatur) nunquam se et sua tam specialiter illi exponeret, nec in tantum honoris cultum hominem alienigenam tanta cum instantia promoveret. » Et hæc quidem illi :

« Verum nos quod verissime scimus firmissime asserimus, quia non istam ei penes regem gratiam conciliaverat caro et sanguis, sed revelatio Patris, qui est in cœlis. Nam conscius ipsius qui in excelsis erat, manifeste noverat quam sincero, quam perfecto affectu cordis, ipsum relictis omnibus ille sequeretur, qui, nisi propter ipsum, nihil amare sciebat. » Rex quoque acute id ipsum pervidens et perpendens, sicut hanc a Deo gratiam noscitur percepisse, ut viros bonæ conversationis testimonio probatos arctius diligeret, tanto eum præ cæteris coluit eminentius, quanto senserat illum divini amoris facibus flagrare excellentius. Nec enim in sermone assentationis, nedum adulationis, fuit aliquando apud eum. Enimvero, qualem noverat expedire, sibi primo, deinde suis, postremo universis, illum cupiens exhiberi, instabat opportune importune pro causa et negotio, pro tempore et loco, arguens, obsecrans et increpans eum in omni patientia et suavi doctrina *miscens*, juxta S. Benedicti egregiam sententiam, *temporibus tempora*, *terroribus blandimenta*.

De illius itaque rebus duntaxat seu negotiis consiliabatur iste cum illo, quæ Christum, quæ Ecclesiam, quæ regni tranquillitatem, quæ populi pacem, quæ denique suam ipsius contingebant salutem. Curas tamen terrenorum in nullo cum illo tractabat, quia sola ipse cœlestia curabat, sola, quibuscunque posset modis, amanda, quærenda et obtinenda inculcabat. Quam multis tamen bona quoque terrena Hugonis hortatu ille contulerit, quoties iras in clementiam per Hugonem mutaverit; et his a quibus offensus esset, veniam concesserit; quot ecclesias et loca religiosa Hugonis obtentu protexerit, rebusque necessariis ampliaverit, perlongum esset sigillatim recensere. Monebat hunc Hugo assidue, non in vana ventoque fugaciori mundi prosperitate atque potentia confidere, non in incerto divitiarum sperare, sed in Deo vivo, qui vera est fortitudo, et qui certa et æterna est beatitudo sperantibus et confitentibus in se. Suadebat ei facile tribuere, perituris permansura comparare, indigentibus communicare bona momentanea, cum quibus sortiretur æterna.

Super variis excessibus sæpius arguebat eum, et ad correctionem sedulo invitabat. Corripiebat eum vehementissime pro ecclesiis cathedralibus et cœnobiis vacantibus, quæ in manu sua illicite sæpius ac diu detinebat, et per manus suorum pessime tractabat; in præficiendis tandem episcopis et abbatibus eum abuti usurpata a prædecessoribus suis potestate convincebat. Insinuabat omnium pene malorum causam et materiam in populo Dei per indignos pullulare prælatos, per eos foveri, per ipsos augeri, per eos et vigere. Pro his omnibus vero in illos præcipue pœnas divino asserebat judicio retorquendas, qui talibus in eorum promotione auctores se aut fautores non timuissent exhibere : « et quid necesse est, siebat, o princeps sapientissime, ut pro vano cujuscunque favore personæ tot animabus mortem inferas perniciosam? tot de perditione multorum, Christi morte redemptorum, dispendia Deo irroges, tibique proinde tot suppliciorum cumulos in futurum reponas? quanto satius liberas quibusque electiones juxta canonum scita relinquens, teipsum tot malorum labyrintho explicares, et tuas ad hoc tantum partes interponeres ut, qui Deo acceptum, et in his quæ Dei sunt, populo tibi credito et subdito profuturum eligerent, prævalerent, et in contrarium nitentes in suis molitionibus elisi deficerent? » Hac enim ratione, provida sanctorum Patrum dispensatio in præficiendis ecclesiarum rectoribus, Christianissimis olim principibus locum noscitur accommodasse non extremum, quo per eorum sincerissimam diligentiam ambitiosorum, si quæ emersisset, temeritas facilius premeretur, religiosorum vero unanimitas in studiis suis robur, et in votis effectum expeditius consequeretur.

Talibus Hugo insistebat eloquiis, et hujuscemodi erga principem vacabat monitis, quoties occasione qualicunque ejus utebatur familiari accessu aut quoties secretiori illius potiebatur affatu. Et quidem ratione multiplici ipsum adibat frequentius, nunc

(62) Obiit anno 1199, die 6 Aprilis, Richardus rex, cujus exsequiis S. Hugo, uti refertur, lib. v, c. 15, interfuit.

accersitus ab ipso, nunc pro variis domus, quam fundabat et regebat, necessitatibus ultro ad eum pergens. Emergebant vero creberrime tunc temporis regi hinc inde adversa plurima, quæ jugiter viri spiritualis consolatione variabantur. Ferebat levius, nonnunquam vero superabat, fretus ejus orationibus, facilius, plerumque autem ejus instructus consiliis circumspectius aut prudentius declinabat.

CAPUT VII.

Qualiter rex in periculo maris Britannici constitutus, liberationem suam Hugoni ascripsit : et vovere dicebatur quod ad pontificalem gradum niteretur eum quantocius promovere, si ad portum incolumis erveniret.

Contigit autem vice quadam regem cum classe non modica medium pelagus, inter Neustriam Britanniamque limitatum, sulcantem nimia repente suborta tempestate pene naufragari. A prima denique vigilia noctis mare intumescens furentibus ventis, nimiis motibus aut obsistere, aut allidere visum, naves medias nunc astris inserere, nunc mergere abysso laborabat. Hoc elementorum ludo, nescio, an aliquid in hoc humana pertulit conditio luctuosius. Sub hac morte ipsa amariore mortis imagine, non modicum temporis expensum docebat singulos navigantium, omne vitæ mortalis spatium vix exiguum reputari momentum si sagax inspector rerum illius contempletur occasum. Nil rex, nil consul, nil potens, nil fortis aut dives, nil quilibet senior aut juvenis, totum illud causabatur, quod eatenus vixisset, et quod serenum aliquando vidisset et tranquillum. Jam sub oculis præsens mortis imago cogebat nonnullos habere in votis ipsius pridem aculeum pertulisse. Quibus mens sanior erat, confessioni peccatorum insistebant, ex desperatione vitæ præsentis sollicitudinem futuræ capientes. Precibus plerique gemebundis, votisque ad Dominum, ad sanctos et ad sanctas succlamitabant. Rex tandem et ipse in hæc verba prorupit : « O, inquit, si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo meus! si secretis intenderet modo precibus! si vel solemnibus cum suis fratribus interesset modo divinorum officiorum excubiis, non ita in longum mei obliviscereturDeus! » Tunc orans et altius ingemiscens : « Deus, inquit, cui servit prior Withamiæ in veritate, illius interventu et meritis, nobis in tanta pro peccatis nostris angustia juste deprehensis clementer miserere. » Ferunt quidam etiam vovisse eum quod ad pontificalem niteretur gradum quantocius illum promovere, si meruisset incolumis ad portum pervenire. Nec mora, pelagi fragor, ventorum turbo subsedit et evanuit; cadunt fluctus, redit aura lenior, et fretum funditus complanatur, naves universæ optato potiuntur littore, referuntur gratiarum actiones ab universis divinæ clementiæ, et rex de cætero venerationi viri Dei se totum devovit.

CAPUT VIII.

Qualiter devotioni totaliter Hugo intendebat, ita quod in somnis hanc dictionem, Amen, de consuetudine proferebat ; et qualiter etiam se gerebat in mensa ; et quod, quamcunque habebat in manibus occupationem, se totum ei dabat.

Ipse jam completa (63) ædificatione utriusque mansionis, fratrum scilicet et monachorum, solitis sanctæ conversationis exercitiis, quo liberius, eo et impensius vacabat. Tempus omne quod somni sola necessitas sibi minime vindicasset, orationi, aut lectioni, aut meditationi, vel spirituali indulgebat collationi sive exhortationi. Quanquam dormienti corpori, mentis nunquam dormituritionem subripere credidisses, si ei familiarius adhæreres, si dormientem sollicitius observares, si referentem, quæ corde vigili inter soporis nexus spiritu liber percepisset, studiosius attendisses : audires hunc centies cum vehementi spiritus impulsione, cum forti labiorum impressione, sive in die sive in nocte quiescentem, mysticum illud ore toties Dominico iteratum, « Amen, » quasi conclusionem præmissæ orationis proferre; nihil vero aliud ab ore dormientis, sicut plerisque moris est, aut voces aut verba somniando emittere, aliquando procedebat, sed leniter et quietissime pausando, nunc per intervalla rarius, nunc vero frequentius, protracta aliquantulum prima syllaba, et ultima in acutum velut jaculando emissa, innumeris vicibus repetebat. Nec vero mirum, si dormienti non deerant interna serenitas, intima claritas et mera suavitas, quem vigilantem externa vanitas, cæca curiositas, et impura voluptas suis irretire illecebris nullatenus prævalebant.

Cum vero corporea sumebat alimenta, cum faucibus tereret cibum nutrimenti terreni, tunc potissimum aures ejus esuriebant, et hauriebant verbum Dei. Si cum fratribus pro more juxta consuetudinem diei festi refectorium ingressus una cum illis pranderet, prout cæteros ipse monebat et docebat, oculos in mensa, manus in scutella, et aures ad librum, cor autem ad Deum habebat. Si solus edebat in cellula (64), partiebantur sibi liber et mensula oculorum officia. Tunc enim lumina ejus se distrahebant vicissim, hinc liber apertus, hinc panis erat appositus. Nam pulmenta rarius adjiciebantur, aqua sola sæpius poculum simul et juscellum fuit. Condimentum his epulis pretiosissimum nunquam defuit sermo Dei.

In omni namque tempore et in omni loco, quod loci, quod temporis flagitaret ratio, hoc et ipse faciebat, hoc et aliis agendum monebat. Adeo velut in habitum sibi verterat ordinatissimam et saluberrimam institutionem, ut semper totus et integer videretur in eo, ad quod eum intendere præscribebat loci præsentis aut horæ dispositio, et ut hoc ipsum etiam tempore quiescendi observaret in lectulo. Nunquam cum lectulus,

(63) Quæ, ut alibi præmisi, septem aut octo annos, ut compleretur, requirebat.

(64) Diebus nempe ferialibus intra hebdomadam, juxta Carthusiensium consuetudinem, diebus tantum Dominicis et festivis simul in refectorio comedentium.

dummodo esset incolumis, vel ad momentum tenuit vigilantem. Mox, ut ejus membra stratum excepisset, etiam ipsa soporem pariter excipiebant. Si quando intempestive in quolibet casu excitaretur a somno, confestim vel ad orationem surgebat, vel sub momento solvebatur rursus in soporem.

CAPUT IX.

Qualiter ad ipsum apud Withamiam confluebatur pro solatio capiendo ; et quod multi cum eo religionis suæ vitam ducere cupiebant, ipse tamen nec cito, nec facile pulsantes recipiebat.

His et hujusmodi spiritualis disciplinæ studiis florente apud Withamiam Hugone, et cum suis condiscipulis salubriter philosophante, confluebant ad eum plurimi diversæ conditionis seu professionis viri religiosi (65), aspectu illius et affatu ædificari instrui et munere optatæ consolationis refoveri certius præsumentes. Nec vero sua quempiam spes fallebat, nullus in parte pio fraudabatur cordis desiderio. Cunctis apud Withamiam exempla dabantur perfectæ religionis, omnes inde reportabant documenta sanæ instructionis, et quisque affectu replebatur piæ devotionis. Hinc subito per omnes Britanniæ fines, sanctæ hujus opinionis fragrantia suaviter diffusa, multorum præcordia tantæ dulcedinis afficiebat gratia, ut viri litteratissimi, variisque ditati redditibus, relictis hujus mundi pompis, sanctæ et sinceræ illius conversationis humilitatem tota devotione expeterent, totaque alacritate subirent.

Gaudebant illustrissimi disciplinarum scholarium magistri sub tanti magisterio doctoris illud implere apostolicum : « Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus efficiatur, ut sit sapiens (*I Cor.* III, 10). » Abdicata itaque vana mundi sapientia sub disciplina præceptoris adeo docti efficiuntur et ipsi docibiles Dei, tramitem Christianæ philosophiæ indeclinabili vitæ carpentes rectitudine. Nonnulli quoque et monachorum, nec non et ex clericorum ordinibus regularium sub virgam se solertis transferre cupiebant pastoris, sagaci nimirum animo perpendentes, corporeæ quidem pascuæ ariditatem, quæ penes eum reperiebatur, pinguedine spiritualis alimoniæ uberius compensari. Ipse vero præpositus, ut erat prudens per omnia et circumspectus, nec cito nec facile aperiebat pulsantibus. Probabat namque spiritus, ut monet Apostolus, si ex Deo essent, et quidem non sine dulcedine et leni quadam asperitate. Aperuit autem quibusdam post largiora probamenta perseverantibus in pulsando.

CAPUT X.

De apostatatione fratrum Andreæ et Alexandri, et de conviciis ac blasphemiis eorumdem in Hugonem et ordinem Carthusiensem illatis.

Ut autem ex fine patuit, non in omnibus, quibus aperuerat Hugo noster perseverantibus in pulsando, beneplacitum fuit Domino. Abierunt enim quidam retrorsum, quorum duo erant Andreas et Alexander. Andreas monachus habebatur et sacrista monasterii, quod Mulchelneiæ (66) nuncupatur ; Alexander (67) sæcularis, ut vulgus loquitur, exstiterat canonicus.

Versi namque in seditionem, Hugonem durius exacerbabant. Andreas utcunque furebat modestius, Alexander vero sine moderaminis aspectu multa suo Paulo (68) mala ostendebat. « Seduxisti nos, inquit, pessime, et induxisti in locum horroris et vastæ solitudinis, privatos et exutos habitationibus amœnis, rebusque opimis : et quasi non essent religiosæ quietis habitacula in sæculo, ita inter frutices nobis ferino modo et more delitescendum præscribis. Abundat omnis terra religiosorum vivorum cœtibus, ubi et cohabitantium multitudo ad solatium, et perfectio satis nobis sufficeret ad exemplum : et ecce soli, sine solatio, præ accidia languidi et torpentes, neminem totis diebus videmus, quem imitemur, sed parietes solos, quibus includimur, intuemur. Sed nec cedent nobis nimium licet argutæ rationes tuæ. Manifestis enim et rectissimis sententiis nostris semper adversatur sermo tuus. Ita vero rarissimæ adhuc in terris et novellæ hujus legis jugum nobis portandum ingeritur, ac si perierit ubique, præterquam apud Carthusienses, Christianitas tota, et vix paucissimis homunculis via sit comperta salutis. Verum, quos potiora non latent, hac inutilia et vana diutius tenere nec debent, nec valent. » His ergo et talibus sacrum illum ordinem arguebat blasphemiis, et talibus virum Dei afficiebat conviciis hominis pervicacia vesani.

Dolebat interea Hugo periculis eorum, qui jam firmaverant sibi sermonem nequam apostasiæ. Timebat quoque scandalum infirmorum ac recenter conversorum, quos præter inevitabiles undecunque prodeuntes tentationum æstus vehementius hujusmodi exagitabant tempestuosæ procellæ. Erat enim spiritus eorum, male scilicet robustorum, velut turbo impellens parietem sanctæ illius societatis, et discindens pro viribus compagem. Quantum denique mœstitudinis, quantumque tædii sacrum illud pectus, in fraterna compassione et vera pietate tenerrimum, occupaverit pro amara illorum obstinatione, nec ipse, qui hoc pertulit ullis potuit, ut sæpius fatebatur, verbis declarare.

Vidimus autem postea hunc ipsum Alexandrum (69), Cluniacensem monachum, rebus sibi aliquantulum cedentibus contra votum, permutationis suæ pœnitudine ductum, Hugonis tunc episcopi ambitiosius gratiam implorare, nobis etiam multiplices ingeminare preces, quo, interventu nostro, reditum

(65) Inter hos Andreas et Alexander, de quibus cap. sequenti Robertus prior, et Radulphus sacrista, cap. 12, et Walterus (apud Whartonum in Anglia sacra, part. I, p. 586) ex priore Barthoniensi Carthusianus factus, qui tamen ad prioratum rediit.

(66) In Monastico Anglicano t. I, p. 194 et 197, appellatur Michelnicense et Micelnense in agro Dorsetensi.

(67) Ad quem exstat epistola Petri Blesensis, sub numer. 86, qua eum ad constantiam animat.

(68) Allusio ad illud Timoth. cap. IV. « Alexander ærarius multa mihi mala ostendit. »

(69) Sub tribus ultimis vitæ S. Hugonis annis, quibus auctor Vitæ Hugoni adhæsit.

mereretur ad veri, ut asserebat, paradisi incaute perditam mansionem. Verum, sicut per Apostolum dictum est de Esau : « Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisierit eam (*Hebr.* XII, 17). » Rediit autem et memoratus Andreas, nominis sui honore mutilatus, ad nota (70) infantiæ suæ cunabula.

CAPUT XI.

Qualiter difficilem se habuerit noster Hugo ad eorum receptionem, qui semel apostatasseni ; et quam tenere persistentium in sua religione quietem dilexerit.

Semper Hugo difficillimus inveniebatur ad recipiendos semel egressos ab ordine, seu monachos, seu conversos, asserens quam maxime huic religioni cavendam sedulo instabilium levitatem palearum. Hoc siquidem nomine illos exprimebat, qui ad facilem tentationis motum separantur a collegio bonorum, excussi ab area initæ professionis. Hujusmodi homines in aliis commodius habitare posse locis religiosis dicebat, in quibus vitæ activæ disciplina etiam istos quandoque promovet ad salutem. Eo autem ipso, quod talium experta et probata societas repudietur ab ordine Carthusiensi, tam illis consuli aiebat, qui, ne ingrediantur, repelluntur, quam et illis, qui intus admissi, quieti interius morantur ; et, cum istis id ad quod minus idonei sunt non confertur, aliis eorum accessu impedimentum non irrogatur. Nullius vero, quamlibet dilecti, quamlibet præeminentis viri, nullatenus admittebat in hoc casu preces, omnibus in communi auditum claudens redeundi, qui sponte deseruissent, in quibus se prius intractabiles exhibuissent, septa ovilis sui.

Zelabat per omnia suorum quietem, tanquam sui ipsius salutem. Videbatur autem ei, non solum ipsos quietem hanc perturbare, qui aliqua improbitate Sabbatum illorum sanctum et delicatum præsumerent infestare ; imo et illos qui infestos dissimularent vel inclusos reprimere, vel infestaturos et exclusos, ne ingrederentur, negligenter arcere.

CAPUT XII.

Qualiter, licet esset de libris congregationis suæ necessariis perquirendis sollicitus, bibliothecam (71) tamen per regem sibi a monachis Withoniensibus acquisitam ex inaudito charitatis affectu ultro reddi fecit. Unde convaluit ex illo præsertim tempore inter monachos Wintonienses et Withamenses eremitas dilectio specialis, per quam Robertus prior cathedralis ecclesiæ, et Radulfus sacrista, Withamienses effecti solitarii sunt ; ad quorum instantiam inscripsisse se asserit Vitam nostri Hugonis ejusdem dictator.

Libet succincte quædam ex gestis viri, pleni geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, referre, quod ejusdem, quæ in illo vehementer emicuit, sincerissimæ charitatis insigne documentum fuit. Igitur pene jam pro consuetudine illius ordinis integro fratrum numero, ædificiis quoque regularibus decenter consummatis, ædificandis indesinenter in sancto proposito sibi commissarum ovium animabus boni hujus pastoris invigilabat solertia. In cujus negotii non mediocre adjutorium, sacris codicibus conficiendis, comparandis et, quibus posset modis, acquirendis haud segnem operam impendebat. His enim et pro deliciis et pro divitiis tempore tranquillo, his bellico sub procinctu pro telis vel armis, his in fame pro alimonia, et in languore pro medela, religiosis quibuscunque, maxime vitam gerentibus solitariam, utendum esse memorabat.

Hinc contigit ut cum rege familiarius quodam tempore agens de penuria librorum intersereret mentionem : a quo admonitus, ut conscribendis per conductitios scriptores libris insisteret, membranas sibi deesse respondit. Tum ille : « Et quantum, ait, pecuniæ tibi vis conferri ad supplendum hunc defectum? — Una, inquit, marca argenti diu sufficiet. » Rex ad hæc subridens : « O, ait, quam immoderate gravas hos? » Jussitque in continenti decem marcas fratri, qui cum eo erat, numerari. Promisit etiam unam bibliothecam, utriusque Testamenti corpus integre continentem, se transmissurum ei. Rediit prior domum. Et rex promissi sui non immemor, inquirit sollicite bibliothecam optime confectam, quam ei conferre potuisset. Suggeritur demum curiosius quærenti, monachos Sancti Withonii (72) egregiam recenti et decenti opere confecisse bibliothecam, in qua ad mensam edentium fratrum legi debuisset. Quo ille comperto, oppido gavisus est, accessitque quantocius ad priorem illius Ecclesiæ, et sub multæ recompensationis pollicitatione donari sibi munus optatum petiit, atque citius impetravit. Itaque prior Withamiæ cum fratribus suis, bibliotheca regio munere suscepta et inspecta, non mediocriter et ipsi lætati sunt, et in eo potissimum gavisi quod styli elegantiam totiusque operis venustatem operosior emendatio sublimius commendaret.

Contigit post hoc quemdam ex monachis Ecclesiæ Withoniensis (73), ædificationis gratia, venisse Withamiam : Quem prior more suo summa cum affabilitate optato reficiens sanctæ discretionis suæ colloquio, didicit repente ab eo, cum quanta supplicatione Dominus rex bibliothecam ipsam dignatus fuerit a priore suo postulare. « Et nos quidem in eo, ait, etiam gratulamur impensius, quod vestræ illam contulerit sanctitati. Quæ si vobis per omnia placet, bene res processit. Sin alias, et si a vestra consuetudine dissidet aliqua sui parte, nos ista pro libitu vestro longe meliorem citius conficiemus pro vestra in omnibus dispositione ordinandam. Hanc enim nostro usui nostræque consuetudini, nec sine magni sudo-

(70) Id est, Mulchelneiam, uti interpretor.

(71) Id est, sacra Biblia, quæ veteres passim bibliothecam vocabant.

(72) Alias in Martyrologio Romano ad diem 2 mensis Julii sancti Swithuni. De quo Bollandiani ad dictam diem, et Mabillonius tom. III Annal., p. 98.

(73) Sive Wintoniensis, de qua vide Monast. Anglicanum t. I, p. 31 et in addendis fol. 979.

ris impensa fecimus consonare. » Ad hæc prior admirans (nesciebat enim prius quonam ordine rex obtinuisset illam) fratrem continuo ita affatus est : « Itane dominus rex ecclesiam nostram fundavit adeo necessario labore vestro ? Credi mihi, amantissime, restituetur vobis in continenti bibliotheca vestra. Sed et fratrum vestrorum per vos devote supplicamus universitati, quatenus nostræ dignentur humilitati indulgere, quod occasione nostri, nobis tamen id ignorantibus, defectum sustinuerunt sui codicis. » His monachos auditis vehementer expavit, gemebundis orans vocibus, ne talia cogitaret vel loqueretur, nullatenus expedire affirmans ecclesiæ suæ, ut sibi utiliter conciliata tali ex xenio regis gratia quavis occasione descivisset. « Esne, inquit, hoc verum, quod de ejus favore plus solito præsumitis, nec vobis triste est tali hunc munere negotiis vestris propitium esse effectum ? » Cum ille fratribus suis omnibus ex hoc gaudium provenisse assereret, Hugo subjunxit : « Ut hoc, inquit, gaudium perpetuetur in longum, cunctos necesse est ut lateat facta vobis restitutio pretiosi revera laboris vestri. Si vero bibliothecam hanc recipere clanculo minime acquiescitis, ego illam ei restituo, qui huc ipsum destinavit. Si vero eam reportaveritis, hoc illi per nos nullatenus innotescet. » Quid multa ? Recipiunt monachi codicem suum, quasi recenti dono acquisitum, multum de codice, sed multo plus de transmittentis ac restituentis dulcedine, et de charitatis ipsius plenitudine exhilarati.

Convaluit siquidem ex illo præsertim tempore inter utriusque loci accolas, Withonienses videlicet cœnobitas et Withamienses eremitas, eximiæ dilectionis prærogativa, præstante Dei gratia, in ævum duratura. Visi sunt autem postea viri omni laude attollendi Robertus (74) prior cathedralis ecclesiæ Withoniensis, et Radulphus (75) sacrista ejusdem ecclesiæ, Withamienses effecti solitarii, in sua solitudine optime profecisse. « Ad quorum instantiam dicit se compositor magnæ Vitæ nostri Hugonis illa, quæ de eo scripsit, scribendo posterorum notitiæ commendasse. »

Explicit liber secundus.

PROLOGUS LIBRI TERTII.

Quia, præstante Domino, beati viri gesta, quibus ab ipso pueritiæ suæ tempore omnipotenti Deo meruit placere, usque ad episcopationem sui qualicunque stylo summatim exaravimus : nunc, qualiter ad episcopatum, cœlesti prosequente gratia conscenderit, et qualiter in eo vixerit et docuerit, succinctus sermo percurrat. Nec enim singula sed neque præcipua gestorum ejus atque verborum a nobis modo recensenda promittimus ; sed ea sola, nec tamen ea omnia, quæ nobis sunt ex ejusdem actibus et memoralibus dictis certius comperta et memoriter retenta. In quibus non admirationem superfluam legentium sive audientium captamus, sed potius ea, quæ sancta et salubria sunt, nosse et imitari cupientium ædificationem. Nam et in hoc etiam traditam a sanctis (76) ordinis Carthusiensis auctoribus gravitatem pariter et humilitatem altius et perfectius imbiberat, ut nihil minus quam miraculorum prodigia mirari aut æmulari videretur, cum hæc tamen de viris sanctis lecta aut cognita suaviter referret, et sublimius veneraretur. Referebat, inquam, hæc ad commendationem exhibentium et ad excitationem talia admirantium, cum ipsi sola esset sanctorum sanctitas pro miraculo, et sola sufficeret et pro exemplo.

Unico autem et universali erat ei miraculo Conditoris sui, quæ nunquam ei deerat, præcordialis recordatio, et magnalium quoque illius stupenda et inexplicabilis multitudo. Plurima vero ad suam ipsius quandoque relevationem, nec non et aliorum sæpius opitulationem per eum, dum adviveret, seu scientem seu nescientem, Dominum exhibuisse miracula, nemini, qui familiarius illi adhæsit, incertum fuit. Sed nec ista, quæ utcunque fidelibus communicando scribemus, rei hujus certitudo, superna opitulante gratia, denegabitur. Hæc vero de proœmio hujus libelli tertii in Vitam beati viri prælibasse sufficiat ; et jam historiæ seriem, incultus licet stylus, evolvat.

(74) Wintoniensis, et postea prior Withamiensis, nisi sit alius ab eo cujus fit mentio lib. v, c. 24.

(75) Ad hujus et dicti Roberti preces scriptam esse Vitam S. Hugonis asserit abbreviator, qui id accepisse videtur ex primo auctoris prologo, qui deest in mss.

(76) Non tam miracula in oculis hominum, quam vitam sanctam in conspectu Dei, semper expetivisse Carthusianos ex hoc loco patet.

Explicit prologus.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Hugo in episcopum est electus.

Promoto (77) in archiepiscopalem Rothomagensis Ecclesiæ sedem viro venerabili Walthero, Lincolniensi episcopo, rex Anglorum Henricus secundus apud Eyneshaim octo ferme continuatis diebus (78) tractatum habuit super variis regni negotiis cum episcopis et magnatibus terræ. In eodem siquidem monasterio, tempore illo, piæ memoriæ Waldevinus (79) Cantuariensis archiepiscopus, et suffraganeorum ejus quidam hospiti gratia sese contulerant. Rex etiam singulis diebus illuc mane adventabat, indeque ad palatium suum, quod apud Woldestoch (80) habetur, post actitatum cum prædictis colloquium denuo redibat. Celebratæ sunt ibidem (81) tunc temporis episcoporum et abbatum quorumdam electiones. Huc et Lincolnienses canonici advenerant electuri, seu potius suscepturi episcopum cœlitus electum.

Fuerunt eo tempore præeminentiores ipsius Ecclesiæ personæ non paucæ, consiliis aut obsequiis, etiam palatinis, astrictæ vel addictæ. Erant in sæcularibus famosi, litterarum scilicet et divitiarum mundanarum copia præpollentes. Plerique ex his nullum, quemlibet amplum, episcopatum magnitudine sua reputabant majorem : nimirum cum ipsi amplioribus cumularentur redditibus, quam ingens quilibet episcopatus. Eorum tamen aliqui, sive ad bonum juxta Apostolum opus, sive juxta sæcularem ambitum ob honoris et potestatis decus minime renuissent episcopari, si adfuisset qui eos coegisset. Verum Domino cor regis in manu habente, et quo vellet illud inclinante, annuentibus sibi metropolitano aliisque nonnullis personis religiosis, maxime vero, de quo superius mentio habita est, Bathoniensi episcopo Reginaldo instante, ad tot Dominicarum ovium custodiam rex ipse utiliorem provideri satagebat pastorem. Illa namque diœcesis, bis (82) quaternos continens archidiaconatus, per novem et eo amplius distenditur comitatus. Urbes prægrandes, plebes vero innumeras complectitur; nec facile invenitur alter ab eo vastior aut populosior episcopatus. Vacaverat vero paulo ante sedes tam egregia annis circiter decem (83) et octo, duobus (84) videlicet et semi post translationem præfati episcopi, quindecim (85) vero ante illius consecrationem. Tot annorum curriculis ager ille dominicus industria destitutus, haud mirum si vitiorum sentibus multisque abusionum germinibus squalebat opertus. Discrimen tanti mali sibi rex sentiens imputari (quem videlicet vocationis tam inconsultæ auctorem exstitisse patebat) omnimodis nititur per cultoris electissimi strenuitatem omissæ diutius culturæ dispendia compensare.

Clericis itaque illis in disparia vota frustra studentibus, nullius vero, nisi propriam quisque suam ipsius promotionem ex animo, ut dicebatur, expetentibus, insistunt plurimi, consulentes eis obnixius, ut virum incomparandæ bonitatis, videlicet priorem Withamiæ, studeant in pastorem obtinere. Com-

(77) Anno 1183, obiit Rotrodus archiepiscopus (Rothomagensis) cui successit Walterus de Constantiis, Lincolniensis episcopus. Ita Chronicon Rothomagense a Labbeo tom. I Bibl. novæ, p. 369 editum. Idem confirmat Chronicon cœnobii Mortui maris p. 1440, apud Martene t. III Anecdot. Additur in Chronico Rothomagensi : « Hoc anno 1185 receptus Walterus de Constantiis in archiepisc. Rothomagensem in festo B. Matthiæ. » Et huic consentit Trivettus in Chronico quoad annum, omissa die.

(78) Duo ejusdem fere nominis monasteria referuntur in Monastico Anglicano t. I; Eveshamense in agro Wigorniensi pag. 144 ; Eyneshamense in agro Oxoniensi pag. 258. In horum ultimo videtur coactus fuisse iste conventus.

(79) Balduinus archiepiscopus fuit ab anno 1184 usque ad annum 1191 quo obiit in Palæstina, teste Pagio in crit. ad Baronium, p. 701. Obiisse tamen anno 1190 vult Whartonus in Anglia sacra, part. I, pag. 113.

(80) Forte idem cum Wodestkam, de quo infra c. 8 : imo et cum Wdestoc, ubi teste Henrico Huntindonensi apud Acherium tom. III Spicil., p. 503, Robertus ep. Lincoln. cum rege loquens apoplexia tactus legitur.

(81) Anno 1185 convocatos fuisse per regem prælatos et proceres refert Trivettus in Chronico, sed locum, ad quem vocati, non notat. Londinum vocatos ex Rogerio, ait Baronius, et causam, propter quam vocati, una cum Trivetto assignat subsidium terræ sanctæ. Utrum hoc aut sequenti anno etiam congregati fuerint in Eyneshaim nemo asserit, nec negat.

(82) Hos enumerat cum archidiaconis apud Acherium dicto tomo p. 504 Henr. Huntindonensis, unus ex ipsis.

(83) Computandis ab anno 1167 quo, teste Trivetto, Robertus Lincoln. episcopus obiit, mense et die non additis, nec Laeusque inventis. Si ita, non circiter decem et octo anni, sed decem et novem effluxissent, si Hugo anno 1186, die S. Matth. in episcopum consecratus fuisset.

(84) Unde hic semitertius annus post translationem inchoandus sit, indiget examine, maxime, dum non diu Walterus Lincolniensi Ecclesiæ præfuit, annuus tantum (uti ait Cambrensis apud Warthonum p. II Angliæ sacræ, pag. 418) existens.

(85) Ab obitu Roberti, qui, ut præmisi, obiit anno 1167 aut 1166 mense incerto, abierunt anni quindecim anno 1182. Verum an hoc anno sit in Lincolniensem consecratus Walterus, nullibi reperi. Probabile id tamen videtur ex eo, quod apud Baronium ex Rogerio Galfridus anno 1181 mandatum a papa acceperit, aut sacros ordines suscipiendi, aut resignandi episcopatum : ex quibus ultimum fecit anno 1182 in Epiphania Domini : cui successit Walterus, anni unius episcopus in hac Ecclesia.

mendatur a multis ejus sanctitas, ejus discretio, affabilitas ejus, ejus et religio in immensum attollitur. Omnis denique morum elegantia, omnis virtutum quadratura in solo homine isto convenisse prædicatur. Nullus eo, summo dignior sacerdotio, consona multorum voce acclamatur. Ad hæc primo velut horrore quodam perfundi cerneres homines præfatos, homines nimirum, quæ carnis sunt, sentientes, homines, inquam, etiam in causa Dei, quæ hominum potius quam quæ Dei sunt quærentes. Denique cultum regionis illius, ritus et loquelam ipsius, sibi prorsus aut contraria aut ignota præferre non sine derisionis cachinno proferebant. Verum hæc illorum derisio a sanum sapientibus, magno eorum commodo, salubriter derisa est. Ipsi quoque ad immensum, non modo suæ, imo et totius Ecclesiæ sanctæ decus, quem pueriliter despexerant, mutato repente consilio, unanimiter demum elegerunt. Ita, quem ab æterno in hoc ipsum elegerat Dominus, tempore divinitus præfinito eligitur ab hominibus. Gratulantur qui noverant eum, et qui notitiæ ejus expertes erant, mirantur; in commune vero ab omnibus Dominus Deus voce altissima collaudatur.

CAPUT II.

Qualiter Hugo electionem primo de se factam reputans irritam et inanem, ad se venientibus persuasit ut, ad cathedralem ecclesiam remeantes, electionem ibidem canonicam celebrarent.

Clero igitur petente, rege approbante, proceribus cum episcopis acclamantibus, a metropolitano ejus mox electio confirmatur, ipso interim in suo eremo latente, et quid de se ab illis (86) longe a se positis ageretur prorsus nesciente. A loco autem ipso, ubi celebrata est electio ipsa, directi sunt ad eum quidam ex primis electoribus, illis jam in spe clericis et filiis suis. Qui domini archiepiscopi mandatum, cum litteris regiis quoque deferentes, ut ad eum perveniunt, ei vocationis suæ ordinem ad gradum superiorem exponunt. Quo ille audito, litteris etiam quas attulerant inspectis (quibus post alia denuntiabatur ei, quatenus sub celeritate regi et archiepiscopo sese præsentaret, de consecrationis suæ negotio tractaturus) tale in continenti ad audita et inspecta dedit responsum.

« Non, inquit, videtur mirandum, si dominus archiepiscopus, aut etiam dominus rex, personam meam, quamvis tali honore indignam, licet tanto oneri longe imparem, ad gradum libenter videant provehi altiorem. Nam et domino regi quis ambigat placiturum, si viros a se religionis obtentu de partibus ascitos remotis, prosperis in regno suo videat florere successibus? nihilominus et domino Cantuariensi, qui religionis habitum jam pene solus (87) inter episcopos terræ hujus præferre videtur, quis nesciat esse votivum ut in suscepto curæ pastoralis officio coadjutores accipiat, et comministros regularis disciplinæ experientia instructos? Verum hæc istorum vota vel studia vobis præjudicare non valent. Vestrum est rectorem libere eligere, cujus de cætero moderamina oporteat necessario moresque tolerare. Denique non in regali palatio, sed neque in pontificali consilio, dummodo schismatis vel alterius non interveniat noxa criminis, quin potius in suo cujuscunque ecclesiæ capitulo rectoris ecclesiastici est celebranda electio. Itaque, ut meæ vobis parvitatis sententia intimetur, noveritis me quidquid de electione actum est, irritum habere et prorsus inane. Vos quoque pro infecto habentes quodcunque super hoc pars quædam cœtus vestri noscitur attentasse, ad propriam cum Dei benedictione ecclesiam remeate. Ibi Spiritu sancti consilio pariter et adjutorio freti, canonicam pastoris vestri electionem solemniter celebrate. Quod ut digne efficiatis, non regis, non præsulis, non denique cujuscunque hominis, sed solius Dei omnipotentis voluntatem, gratiam et favorem præ oculis habeatis. Aliud a mea parvitate minime reprobabitis. Abite igitur, et angelus Domini bonus comitetur vobiscum. »

Eo itaque in sententia persistente, cum nulla posset ratione induci ut regi seu archipræsuli suam pro tali negotio præsentiam exhiberet, illi ad eos, qui se miserant, quantocius redierunt, miro modo in omnibus, quæ ab eo audierant, et quæ circa eum viderant, ædificati. Nec solum ipsi, sed et omnes qui audierunt mirati sunt et vehementer jucundati, collaudantibus in eo cunctis ac magnificantibus sinceritatem animi, virtutem eximiæ discretionis, vivacitatem consilii et zelum ecclesiasticæ libertatis.

CAPUT III.

Qualiter pro electione secunda apud Lincolniam celebrata, ad se missis responderit, se sine prioris Carthusiæ obedientia episcopale onus non subiturum.

Talibus igitur ad notitiam Lincolniensis capituli perlatis, universitas illius collegii jam quasi arrham futuræ strenuitatis et quasdam virtutum primitias de suo electo se percepisse impensius gratulatur. Quique prius se male inductos ac circumventos querebantur, ut hominem natura barbarum, moribus, ut formidabant, agrestem et asperum, sibi in rectorem et dominum elegissent, nunc vice versa bonitatis et sapientiæ illius virtute comperta, accelerant denno de novo eligere illum, et, ut super se pastoralis curæ ministerium dignetur suscipere, devotissime supplicant.

Mittuntur iterum cum litteris capituli, regis quoque et archiepiscopi nuntii plures prioribus. Omnibus itaque existimantibus consummatum jam esse negotium nec ullum ei de cætero superesse procrasti-

(86) Erant illi in cœnobio Eyneshaim sub Lincolniensi diœcesi, Hugo autem in Carthusia Withamiensi diœcesis Bathoniensis.

(87) Babluinus erat ex ordine Cisterciensi, et præter hunc adhuc vivebant Gilbertus ex abbate Gloucestriæ episcopus primum Herefordensis, et ultimo Londinensis, et Joannes ex Cisterciensi episcopus Norwicensis, forte et quidam alii.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Hugo in episcopum est electus.

Promoto (77) in archiepiscopalem Rothomagensis Ecclesiæ sedem viro venerabili Walthero, Lincolniensi episcopo, rex Anglorum Henricus secundus apud Eyneshaim octo ferme continuatis diebus (78) tractatum habuit super variis regni negotiis cum episcopis et magnatibus terræ. In eodem siquidem monasterio, tempore illo, piæ memoriæ Waldevinus (79) Cantuariensis archiepiscopus, et suffraganeorum ejus quidam hospiti gratia sese contulerant. Rex etiam singulis diebus illuc mane adventabat, indeque ad palatium suum, quod apud Woldestoch (80) habetur, post actitatum cum prædictis colloquium denuo redibat. Celebratæ sunt ibidem (81) tunc temporis episcoporum et abbatum quorumdam electiones. Huc et Lincolnienses canonici advenerant electuri, seu potius suscepturi episcopum cœlitus electum.

Fuerunt eo tempore præeminentiores ipsius Ecclesiæ personæ non paucæ, consiliis aut obsequiis, etiam palatinis, astrictæ vel addictæ. Erant in sæcularibus famosi, litterarum scilicet et divitiarum mundanarum copia præpollentes. Plerique ex his nullum, quemlibet amplum, episcopatum magnitudine sua reputabant majorem : nimirum cum ipsi amplioribus cumularentur redditibus, quam ingens quilibet episcopatus. Eorum tamen aliqui, sive ad bonum juxta Apostolum opus, sive juxta sæcularem ambitum ob honoris et potestatis decus minime quam vocati, una cum Trivetto assignat subsidium terræ sanctæ. Utrum hoc aut sequenti anno etiam congregati fuerint in Eyneshaim nemo asserit, nec negat.

(77) Anno 1183, obiit Rotrodus archiepiscopus (Rothomagensis) cui successit Walterus de Constantiis, Lincolniensis episcopus. Ita Chronicon Rothomagense a Labbeo tom. I Bibl. novæ, p. 369 editum. Idem confirmat Chronicon cœnobii Mortui maris p. 1440, apud Martene t. III Anecdot. Additur in Chronico Rothomagensi : « Hoc anno 1185 receptus Walterus de Constantiis in archiepisc. Rothomagensem in festo B. Matthiæ. » Et huic consentit Trivettus in Chronico quoad annum, omissa die.

(78) Duo ejusdem fere nominis monasteria referuntur in Monastico Anglicano t. I; Evesbamense in agro Wigorniensi pag. 144 ; Eyneshamense in agro Oxoniensi pag. 258. In horum ultimo videtur enactus fuisse iste conventus.

(79) Balduinus archiepiscopus fuit ab anno 1184 usque ad annum 1191 quo obiit in Palæstina, teste Pagio in crit. ad Baronium, p. 701. Obiisse tamen anno 1190 vult Whartonus in Anglia sacra, part. I, pag. 113.

(80) Forte idem cum Wodestkam, de quo infra c. 8 : imo et cum Wdestoc, ubi teste Henrico Huntindonensi apud Acherium tom. III Spicil., p. 503, Robertus ep. Lincoln. cum rege loquens apoplexia tactus legitur.

(81) Anno 1185 convocatos fuisse per regem prælatos et proceres refert Trivettus in Chronico, sed locum, ad quem vocati, non notat. Londinum vocatos ex Rogerio, ait Baronius, et causam, propter

A renuissent episcopari, si adfuisset qui eos coegisset. Verum Domino cor regis in manu habente, et quo vellet illud inclinante, annuentibus sibi metropolitano aliisque nonnullis personis religiosis, maxime vero, de quo superius mentio habita est, Bathoniensi episcopo Reginaldo instante, ad tot Dominicarum ovium custodiam rex ipse utiliorem provideri satagebat pastorem. Illa namque diœcesis, bis (82) quaternos continens archidiaconatus, per novem et eo amplius distenditur comitatus. Urbes prægrandes, plebes vero innumeras complectitur; nec facile invenitur alter ab eo vastior aut populosior episcopatus. Vacaverat vero paulo ante sedes tam egregia annis circiter decem (83) et octo, duobus (84) videlicet et semi post translationem præfati B episcopi, quindecim (85) vero ante illius consecrationem. Tot annorum curriculis ager ille dominicus industria destitutus, haud mirum si vitiorum sentibus multisque abusionum germinibus squalebat opertus. Discrimen tanti mali sibi rex sentiens imputari (quem videlicet vocationis tam inconsultæ auctorem exstitisse patebat) omnimodis nititur per cultoris electissimi strenuitatem omissæ diutius culturæ dispendia compensare.

Clericis itaque illis in disparia vota frustra studentibus, nullius vero, nisi propriam quisque suam ipsius promotionem ex animo, ut dicebatur, expetentibus, insistunt plurimi, consulentes eis obnixius, ut virum incomparandæ bonitatis, videlicet priorem C Withamiæ, studeant in pastorem obtinere. Com-

(82) Hos enumerat cum archidiaconis apud Acherium dicto tomo p. 504 Henr. Huntindonensis, unus ex ipsis.

(83) Computandis ab anno 1167 quo, teste Trivetto, Robertus Lincoln. episcopus obiit, mense et die non additis, nec Lincusque inventis. Si ita, non circiter decem et octo anni, sed decem et novem effluxissent, si Hugo anno 1186, die S. Matth. in episcopum consecratus fuisset.

(84) Unde hic semitertius annus post translationem inchoandus sit, indiget examine, maxime, dum non diu Walterus Lincolniensi Ecclesiæ præfuit, annuus tantum (uti ait Cambrensis apud Warthonum D p. II Angliæ sacræ, pag. 418) existens.

(85) Ab obitu Roberti, qui, ut præmisi, obiit anno 1167 aut 1166 mense incerto, abierunt anni quindecim anno 1182. Verum an hoc anno sit in Lincolniensem consecratus Walterus, nullibi reperi. Probabile id tamen videtur ex eo, quod apud Baronium ex Rogerio Galfridus anno 1181 mandatum a papa acceperit, aut sacros ordines suscipiendi, aut resignandi episcopatum : ex quibus ultimum fecit anno 1182 in Epiphania Domini : cui successit Walterus, anni unius episcopus in hac Ecclesia.

mendatur a multis ejus sanctitas, ejus discretio, affabilitas ejus, ejus et religio in immensum attollitur. Omnis denique morum elegantia, omnis virtutum quadratura in solo homine isto convenisse prædicatur. Nullus eo, summo dignior sacerdotio, consona multorum voce acclamatur. Ad hæc primo velut horrore quodam perfundi cerneres homines præfatos, homines nimirum, quæ carnis sunt, sentientes, homines, inquam, etiam in causa Dei, quæ hominum potius quam quæ Dei sunt quærentes. Denique cultum regionis illius, ritus et loquelam ipsius, sibi prorsus aut contraria aut ignota præferre non sine derisionis cachinno proferebant. Verum hæc illorum derisio a sanum sapientibus, magno eorum commodo, salubriter derisa est. Ipsi quoque ad immensum, non modo suæ, imo et totius Ecclesiæ sanctæ decus, quem puerilitер despexerant, mutato repente consilio, unanimiter demum elegerunt. Ita, quem ab æterno in hoc ipsum elegerat Dominus, tempore divinitus præfinito eligitur ab hominibus. Gratulantur qui noverant eum, et qui notitiæ ejus expertes erant, mirantur; in commune vero ab omnibus Dominus Deus voce altissima collaudatur.

CAPUT II.

Qualiter Hugo electionem primo de se factam reputans irritam et inanem, ad se venientibus persuasit ut, ad cathedralem ecclesiam remeantes, electionem ibidem canonicam celebrarent.

Clero igitur petente, rege approbante, proceribus cum episcopis acclamantibus, a metropolitano ejus mox electio confirmatur, ipso interim in suo eremo latente, et quid de se ab illis (86) longe a se positis ageretur prorsus nesciente. A loco autem ipso, ubi celebrata est electio ipsa, directi sunt ad eum quidam ex primis electoribus, illis jam in spe clericis et filiis suis. Qui domini archiepiscopi mandatum, cum litteris regiis quoque deferentes, ut ad eum perveniunt, ei vocationis suæ ordinem ad gradum superiorem exponunt. Quo ille audito, litteris etiam quas attulerant inspectis (quibus post alia denuntiabatur ei, quatenus sub celeritate regi et archiepiscopo sese præsentaret, de consecrationis suæ negotio tractaturus) tale in continenti ad audita et inspecta dedit responsum.

« Non, inquit, videtur mirandum, si dominus archiepiscopus, aut etiam dominus rex, personam meam, quamvis tali honore indignam, licet tanto oneri longe imparem, ad gradum libenter videant provehi altiorem. Nam et domino regi quis ambigat placiturum, si viros a se religionis obtentu de partibus ascitos remotis, prosperis in regno suo videat florere successibus? nihilominus et domino Cantuariensi, qui religionis habitum jam pene solus (87) inter episcopos terræ hujus præferre videtur, quis nesciat esse votivum ut in suscepto curæ pastoralis officio coadjutores accipiat, et comministros regularis disciplinæ experientia instructos? Verum hæc istorum vota vel studia vobis præjudicare non valent. Vestrum est rectorem libere eligere, cujus de cætero moderamina oporteat necessario moresque tolerare. Denique non in regali palatio, sed neque in pontificali consilio, dummodo schismatis vel alterius non interveniat noxa criminis, quin potius in suo cujuscunque ecclesiæ capitulo rectoris ecclesiastici est celebranda electio. Itaque, ut meæ vobis parvitatis sententia intimetur, noveritis me quidquid de electione actum est, irritum habere et prorsus inane. Vos quoque pro infecto habentes quodcunque super hoc pars quædam cœtus vestri noscitur attentasse, ad propriam cum Dei benedictione ecclesiam remeate. Ibi Spiritu sancti consilio pariter et adjutorio freti, canonicam pastoris vestri electionem solemniter celebrate. Quod ut digne efficiatis, non regis, non præsulis, non denique cujuscunque hominis, sed solius Dei omnipotentis voluntatem, gratiam et favorem præ oculis habeatis. Aliud a mea parvitate minime reprobabitis. Abite igitur, et angelus Domini bonus comitetur vobiscum. »

Eo itaque in sententia persistente, cum nulla posset ratione induci ut regi seu archipræsuli suam pro tali negotio præsentiam exhiberet, illi ad eos, qui se miserant, quantocius redierunt, miro modo in omnibus, quæ ab eo audierant, et quæ circa eum viderant, ædificati. Nec solum ipsi, sed et omnes qui audierunt mirati sunt et vehementer jucundati, collaudantibus in eo cunctis ac magnificantibus sinceritatem animi, virtutem eximiæ discretionis, vivacitatem consilii et zelum ecclesiasticæ libertatis.

CAPUT III.

Qualiter pro electione secunda apud Lincolniam celebrata, ad se missis responderit, se sine prioris Carthusiæ obedientia episcopale onus non subiturum.

Talibus igitur ad notitiam Lincolniensis capituli perlatis, universitas illius collegii jam quasi arrham futuræ strenuitatis et quasdam virtutum primitias de suo electo se percepisse impensius gratulatur. Quique prius se male inductos ac circumventos querebantur, ut hominem natura barbarum, moribus, ut formidabant, agrestem et asperum, sibi in rectorem et dominum elegissent, nunc vice versa bonitatis et sapientiæ illius virtute comperta, accelerant denuo de novo eligere illum, et, ut super se pastoralis curæ ministerium dignetur suscipere, devotissime supplicant.

Mittuntur iterum cum litteris capituli, regis quoque et archiepiscopi nuntii plures prioribus. Omnibus itaque existimantibus consummatum jam esse negotium nec ullum ei de cætero superesse procrasti-

(86) Erant illi in cœnobio Eyneshaim sub Lincolniensi diœcesi, Hugo autem in Carthusia Withamiensi diœcesis Bathoniensis.

(87) Balduinus erat ex ordine Cisterciensi, et præter hunc adhuc vivebant Gilbertus ex abbate Gloucestriæ episcopus primum Herefordensis, et ultimo Londinensis, et Jeannes ex Cisterciensi episcopus Norwicensis, forte et quidam alii.

nandi suffragium, legati jam plene instructi, hilares et læti superveniunt ad eum. Præsciverat quidam ab olim vir beatus ad pontificatus officium se (88) quandoque divinitus perducendum; unde quod vitari non posse dolebat, ne demum fieret, quantum in se fuit, ne citius fieret, differri cupiebat.

Auditis ergo post inspectas litteras præfatas nuntiorum verbis, sic eos alloquitur: « Mirum est, inquit, quod viri sapientes adeoque civiles me hominem incultum et idiotam tantopere sollicitatis ut familiarem et mihi ab adolescentia mea amicam quietem solitudinis auferre curetis, publicisque conventibus et negotiorum implicamentis, mihi prorsus insuetis et inexpertis, ingerere laboretis. Verum quia, ut video, id vobis dissuaderi prolatis a me rationibus non potest, hoc sciatis indubitanter, quia vestri laboris meta in meo arbitrio non est constituta. Latere enim vos non potest quia homo sum sub aliena potestate constitutus. Monachum me novistis prioris (89) mei nutibus subjectum, servandæ usque ad mortem obedientiæ additum, et præcepto illius, qui in has terras misit me, usquequaque substratum. A meo mihi præposito domus hujus custodia credita est, nec admittit ratio ut, ea neglecta, alterius cujuscunque domus vel ecclesiæ suscipiam gubernacula. Dominus quidem Cantuariensis, primas et princeps Ecclesiæ Anglicanæ, sub pontifice summo est; attamen in hujusmodi est alius inter nos medius. Aut igitur petitionis hujuscemodi intentione discedendum est, aut itineris onerosi usque ad Carthusiam fatigatio subeunda. Nam citra prioris nostri jussionem, oneris vestri sarcinam humeris meis nullus imponet. »

CAPUT IV.

Qualiter missi priorem Carthusiæ requirebant; et Hugo ipse devotioni fortius insistens se contra jugum episcopale sibi imminens præparabat.

Hoc illius accepto responso, cum verbum ejus cernerent penitus non posse mutari, redeunt illi tam de infecto, pro quo venerant, negotio mœsti, quam de futuri pastoris sui virtutibus insignique constantia unde non exigua ceperant documenta. hilares effecti. Verum, ne multis immoremur, honorabiles sub festinatione diriguntur ad Carthusiam legati. Quo pervenientes petitionem Lincolniensis Ecclesiæ, regias quoque preces et monitionem archipræsulis scriptis verbisque allegant. Qui etiam, ut dignum fuit, honorifice suscepti, gratifice exauditi, reditum accelerant, mandatum (90) prioris et fratrum ad Hugonem reportantes, quatenus canonicam de cætero domino Cantuariensi exhibiturus (91) obedientiam, in eo ad præsens simpliciter ei obediat, et hæsitatione omni postposita suscipiat humiliter id quod ei divinitus constabat imponi jugum Domini.

Dum vero hæc agerentur ab illis. Hugo minime indulgebat otiis. Omni namque instantia, die noctuque compunctioni cordis ac puritatis incumbens, assiduæque orationi præparabat, non cultum pretiosarum vestium, seu vasorum splendorem ad inanem gloriam, sed animam suam ad tentationem. Imminentem enim non aliter exspectabat status sui mutationem, quam nubibus conglobatis suspectam nauta tempestatem; aut in longum servatus miles olim formidatam agminum hostium congressionem. Cum familiari vero provisore et nutritore suo Deo de sumptibus, sollicite tractabat necessariis ad diem festum, quo erat ungendus oleo lætitiæ. De sumptibus, inquam, non quibus ventres reficeret destruendos, escis æque destruendis, sed quibus ingentem sensuum internorum et affectionum multitudinem virtutibus roboraret non defecturis. Nihil sane ducebat miserabilius, quam in die tantæ solemnitatis exterius quidem madescere sacramentalis olei pinguedine, interius vero tabescere squalore ardentis conscientiæ. Quam ille miseriæ immanitatem præcavere satagens, ita se agebat in comparandis præparandisque copiis in hoc ipsum necessariis, ac si nihil esset, quidquid ab ineunte ætate studii et laboris circa id negotii expedisset.

Versabantur præterea indesinenter ei ante mentis oculos, non imminentia deliciarum aut divitiarum plerisque optata lenocinia, non dignitas aut potestatis excellentia, non demum obsequiorum sedulitas officiosa, sed amara vitæ contemplativæ dispendia, quietæ et serenæ meditationis orationisque detrimenta. Nemo, ut plerumque ipse nobis secretius non sine gemitu fatebatur, quotidianam cordis ejus exponere sufficeret agoniam qua medullitus angebatur, cum perdenda mox imaginabatur fructuosa cellulæ suæ otia, pro quibus succederent dispendiosa palatiorum negotia. Metuebat quoque, ne inter hæc cedente psalmodia litibus, cessante lectione sacra superfluis rumoribus, cederet pariter vel intima contemplatio cæteris phantasmatibus, vel interna puritas externis vanitatibus.

Denique, cum rediisse nuntios accepisset, quos certe maluisset, tunc primum iter illud arripere, non cessabat fratres in sacro proposito paternis exhortationibus corroborare, suumque timorem eorum suffragiis attentius commendare. Viderint jam, qui episcopatum tantopere desiderant, et qui ad prælationum culmina tot deviis callium anfractibus

(88) Ex prædictione illius senis, cujus fit mentio lib. I, c. 9 et alterius Bovonis lib. II, c. 2, et forsitan ex alia revelatione sibi nota, nobis incognita.

(89) Prioris scilicet majoris Carthusiæ, utpote generalis totius ordinis.

(90) Carthusiæ videlicet majoris, cui tunc ab a. 1178 præerat Jancelinus. De quo apud Saussaium in Martyr. Gallic. supplem. p. 1093: « In majori Carthusia Gratianopolitanæ diœcesis pium efflavit spiritum beatæ memoriæ Jancelinus prior generalis decimus ordinis Carthusiani: cui annis fere sexaginta, non sine insigni laude ac vitæ sanctimonia, ut habet ejus Mnemosynon in nomenclatura Patrum ipsius ordinis præfuit. » Ita ibi. Obiit autem dicta die anno 1234.

(91) Qualem debet episcopus archiepiscopo, Lincolniensis Cantuariensi.

aspirant, quonam virtutum genere, quibus morum divitiis, et quibus meritorum stipendiis virum istum antecedant. Iste et seipsum a vulneribus indemnem servare, et aliena vulnera curare, tam perfecte edoctus, pabulo quoque doctrinæ salutaris adeo copiosus, intimo cordis affectu evidentissimo etiam operis effectu loquebatur : « Non sum medicus, et in domo mea non est panis, nolite me constituere principem populi (*Isa.* III, 7). » Verum, quo altius proprium in omnibus attendebat vir beatus defectum, eo cumulatius divinæ plenitudinis percipere meruit supplementum, illud Doctoris gentium decantans : « Non, quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III, 5). » Quia vero non a se, sed a Deo sibi hanc sufficientiam esse sciebat, noluit de alieno commodato aut etiam dato insolescere, neque in magnis ambulare, sed sese attendens in se, dona vero Dei, quæ percipiebat, supra se, ultimum tota mentis affectione in ecclesiasticis nuptiis tonere studebat locum. Is autem, qui eum segregavit ex utero matris suæ, et vocavit per gratiam suam, ut per eum glorificaret nomen suum in multis gentibus, invitatione amicabili eum cogebat superius ascendere, quo de sufficientia cœlitus sibi collata conservis suis, daret cibum in tempore.

CAPUT V.

Qualiter nuntiis a Carthusia regressis, vocatione jam tertia de domo sua exire compulsus, versus Londinum pro consecratione recipienda se transferens, illam nondum sui ordinis humilitatem deseruit : quin potius post sellam equitando sarcinulam deferret, in sua consecratione a regia munificentia largissime honoratus.

Trium itaque mensium (92) elapso tempore a die electionis suæ primæ, legatis sæpe dictis regressis a Carthusia, vocatione jam tertia compellitur exire de domo sua, qui dudum egressus fuerat de terra et de cognatione sua. Egreditur ergo ad pontificalis percipiendam consecrationis benedictionem. Pergens vero ad suscipiendum tantorum successuum culmina, humilitatis ima minime deserebat. Complens enim opere quod semper volvebat in corde, viri sapientis consilium, quanto major erat, et quanto ad majora conscendebat, tanto se in omnibus humiliabat. Solitam animi gravitatem cum exterioris cultus abjectione retentans, sedebat equum non phaleris adornatum, sed post sellam oneratum, quibus diurno uteretur tempore et nocturno, pellium et sagorum involucro [*Cod.*, sagorum involutus]. Ita cum suis clericis equos sedentibus, aureis decoratos sagmatibus, electus Dominus equitabat ; illis varia scrutantibus arte, suam ei sarcinulam auferre, et ferendam suis sagmariis imponere. Verum, cum ab eo neque seriis, ut hoc permitteret, neque joco extorqueri potuisset (cavebat namque ante gradus sublimioris conscensum, observationis pristinæ usum obmittere vel mutare quantulumcunque), illi animo sæculari confundebantur rubore vehementi in humilitate spiritualis viri.

Cum vero Winthoniensium (93) appropinquaret civitati, ubi et regia illi familia et civium occursura erat frequentia, quidam ex ipsis clericis verecundiam non ferens cordis sui vani, amputatis clamoris quibus pelle astringebatur sarcinula memorata, prædo efficitur improvisus, spolians nescientem onere, quod ferebat. Perveniens tandem Londonlis, in die festo (94) beati Matthæi evangelistæ, benedictione consecratus pontificali, ordini apostolico ad evangelizandum pauperibus dignissime sociatur. Rex (95) autem congratulans voti sui circa illius promotionem se compotem effectum gaudio gestiebat infinito. Contulit quoque ei liberalitate munificentissima vasa quædam aurea, multa quoque argentea, et varia etiam in usus quosque necessarios utensilia, adjiciens in sumptus celebrandæ solemnitatis universa copiose impendia.

CAPUT VI.

Qualiter incathedratus apud Lincolniam archidiacono Cantuariensi responderit, quantum pro mitra dederat, tantum ei pro cathedra se daturum. Qualiter etiam responderit procuratori domus suæ de capiendarum numero damarum : et de avis apud Stowam mirabilitate, quam retulit archidiaconus Menevensis (96).

Incathedratus autem in ecclesia sua, Cantuariensi

(92) Facta prima in Eyneshaim electione itur in Witham pro consensu, ex Witham pro altera electione Lincolniam, inde rursus in Witham, ex Witham ad Carthusiam majorem, et inde reditur pro vocatione jam tertia in Witham, et ex Witham Londinum pro consecratione. An hæc intra trium mensium angustias potuerint perfici, anceps hæreo.

(93) Ubi cathedralis ecclesia. De qua plura in Monastico Anglicano, t. I, p. 31, et Mabillonius tom. III Annal., p. 587.

(94) De die conveniunt omnes, non item de anno.

(95) Aut igitur rex adfuit consecrationi, aut non procul ab illa abfuit.

(96) Archidiaconus Menevensis, Giraldus Cambrensis, S. Hugoni coætaneus, quem Henricus Whartonus in præfatione ad part. II Angliæ sacræ, p. 20, non inutiliter monet fuisse archidiaconum Brechiniensem in Ecclesia Menevensi, non Brechiniæ ac Meneviæ, quod Baleus habet, nec primo Brecnoccensem, postea Menevensem, quod vult Pitseus. Unicum enim Brechiniæ archidiaconatum Giraldum obtinuisse, quamvis ab ecclesia cathedrali Menevensis archidiaconus in pontificum, regum ac sui ipsius litteris sæpius appellatus sit. Porro in citata Angliæ sacræ parte a pag. 410 exstat Giraldi liber *De vitis episcoporum Lincolniensium*, et a pag. 429, ejusdem copula ter gemina, seu liber *De Vitis sex episcoporum coætaneorum*. Utrobique magnis laudibus Hugonem nostrum Giraldus celebrat, sed historiam Oloris tantum in posteriori opere p. 431 et seq. totidem fere verbis quot auctor Vitæ describit. Idem Giraldus in catalogo tam fusiori, quam breviori librorum suorum, p. 442 et 445 testatur se etiam scripsisse « Vitam S. Hugonis, quinti post Remigium, loci ejusdem, » scilicet Lincolniensis « antistitis. » Sed hæc in Anglia sacra nusquam comparet, nec ubi hodieque exstet, in præfatione generali observat Whartonus. Forte hæc Hugonis Vita ab elogiis, eidem a Giraldo in præfatis duobus opusculis sat large tributis, diversa non est, quidquid aliud innuere verba Giraldi videantur.

archidiacono solemne ex more donarium postulanti ita respondisse fertur et dignoscitur : « Quantum, inquit, pro mitra dedi, tantum nec amplius pro cathedra dabo. » Suggerente vero procuratore domus suæ, quem sibi proviserat rex, oportere eum ex damulis suis, in saltu suo inclusis, aliquantas capi ad solemne convivium instaurandum; nec fas esse plures quam jussisset ipse comprehendi : « Trecentæ, inquit, capiantur, nec, si videbitis expedire, numero huic adjicere dubitetis. » Quod ab eo juxta cordis sui magnificentiam simpliciter prolatum, regi et curialibus, quibus sermo innotuit, in jucundum versum est proverbium.

Celebrantibus igitur cunctis apud Lincolniam in summa cordis lætitia diem festum pro adventu cœlitus sibi destinati rectoris, Christi benignitas non longe a civitate ipsa signo evidenti valdeque memorabili visa est primitus allusisse. Eo namque die, vel circiter ipsum proximo, quo apud Lincolniam primo susceptus fuit Hugo episcopus et incathedratus, apud Manerium (97) ipsius quasi per octo milliaria ab urbe Lincolniensi distans, juxta Stowam (98), silvis et stagnis delectabiliter obsitum, olor novus et nunquam ibi ante visus advolavit, qui infra paucos dies, cycnos, quos ibidem reperit plures, mole suæ magnitudinis omnes oppressit, uno tantum feminei sexus ad societatis solatium, non ad fecunditatis augmentum reservato. Erat enim tanto fere cycno robustior, quanto cycnus est ansere major; cycno tamen in omnibus et præcipue in colore et candore sublimior : præter quantitatem etiam in hoc distabat, quod tumorem in rostro atque nigredinem more cycnorum non præferebat; quin imo locum eumdem rostri planum, croceoque decenter colore una cum capite et colli parte superiore distinctum habebat. Avis autem hæc regia, et tam qualitate quam quantitate perspicua, in primo ad locum illum præsulis adventu, quasi sponte et absque difficultate, domestica facta, ad ipsum in camera sua propter admirationem est adducta. Quæ statim a manu ejus panem sumens et comedens, eique familiariter adhærens omnem, ut videbatur, silvestrem interim exuta naturam, nec ejus attactus, nec astantium undique turbarum et intuentium accessus sive tumultus abhorrebat. Consueverat etiam interdum, cum ab episcopo pascebatur, caput cum colli longitudine tota in manicam ipsius largam et peramplam, inque sinum interiorem avis extendere, ibique aliquandiu cum sollicitudine quodammodo domino suo congratulans atque præludens, aliquid quæritando mussitare. Item, sicut asserebant ministri et custodes manerii, contra præsulis adventum ad locum illum, cum de more aliquandiu abfuisset, tribus diebus vel quatuor solebat se solito alacrius avis agitare, volitando videlicet in amnis superficie, et aquas alis verberando, altaque voce clamando. Interdum etiam a stagno exeundo, nunc ad aulam, nunc ad portam ulteriorem, tanquam venienti domino obviam pergens, magnis passibus ambulabat. Mirum hoc etiam, quod nemini præterquam soli episcopo, se familiarem vel ex toto tractabile exhibebat, quin potius astans domino, ab aliorum accessu eumdem, sicut aliquoties cum admiratione conspexi, clamando, alis et rostro minando, voceque altisona juxta naturæ suæ modulos crocitando, defendere solebat, tanquam se propriam ejus esse demonstrans, eique soli in signum fuisse transmissam, manifeste declarans (99).

Cum vero ad locum ipsum circa Pascha proximum (100) ante suum ex hac luce transitum, adventu scilicet postremo, episcopus accessisset, non solum ei solitum non exhibuit occursum, sed neque ad illum minari aut e vivario, cui innatabat, educi acquievit. In ipsis autem aquis vultum mœstum gerens aut morbidum aspectum, nihil quolibet gestu alacritatis præferebat. Mirantibus ad hoc omnibus qui aderant, tandem præcipiente episcopo, ut introduceretur vel invita, triduo a plurimis frustra insudatur. Capitur vero ad postremum in carecto remotiori, ubi fugiens insequentes latitabat. Producta vero ad episcopum, capite pendulo ac vultu ægro, ægrisque per omnia gestibus, mœstam prætendebat imaginem. Cujus rei novitas tunc quidem stupori fuit intuentibus. Verum a loco ipso celerius abscedente episcopo, et post sexti mensis (101) a tempore illo excursum viam universæ carnis ingresso, nec ab amica sibi volucre ulterius viso, satis rei eventum considerantibus patuit quid gestus hic lugubris protenderit, quo adeo mœsta illud vale ultimum domino suo fecit. Permansit autem ibidem postea multis temporibus.

(97) Apud Manerium suum, id est villam suam. Ordericus Vitalis lib. IV apud Cangium in Glossar. med. et infimæ Latinitat. : « Ducentas et octoginta villas (quas a manendo manerios vulgo vocamus) obtinuit. »

(98) Juxta Stowam, olim cœnobium, a Remigio instauratum, et a Roberto ejus successore in Eyneshaim translatum. Unde legitur in monastico Anglic., t. I, pag. 262 : « Stow in agro Lincolniensi cella de Eyneshaim. » Et iterum : « Cœnobium monachorum apud S. Mariam de Stow. Remigius Lincolniensis episcopus de novo fecit. » Et apud Giraldum Cambrensem Angliæ S. part. II, p. 417. « Monaches quoque de Stowa usque ad Eyneshaim laudabili commutatione, et Ecclesiæ Lincolniensi tam propter manerii propinquitatem et amœnitatem, quam et præbendarum vicinitatem valde accommoda, provide transposuit. »

(99) Quæ hucusque de Olore dicta sunt, etiam leguntur apud Giraldum Cambrensem loco citato. Incertum, quis ab altero acceperit, dum uterque sub Hugone Lincolniæ vixerit, et narrata conspicere potuerit. Sequentia addit auctor Vitæ.

(100) Anni 1200 quo Pascha incidit in Nonam Aprilis, et Hugo obiit in Novembri.

(101) Subintelligendi hic veniunt menses integri, intermedii inter Aprilem et Novembrem.

CAPUT VII.

Quam sollicitus erat Hugo noster de personis idoneis in Lincolniensi Ecclesia collocandis, et pro incumbentis sibi oneris supportatione suo lateri adjungendis. Et est hoc capitulum in serie magnæ Vitæ octavum.

His in hunc modum prælibatis, de signo, quod universi mirantur, viro Domini exhibito per avem famosissimam, ad alia quoque meritorum insignia fidelibus vel ex parte, prout possumus, intimanda, opitulante gratia Domini nostri Jesu Christi accedamus. Ac in primis, quantum studii, quantumque impenderit sollicitudinis, ut Ecclesiam sibi commissam viris adornaret illustribus, videtur commemoratione dignissimum. Perpendens quippe altiusque considerans, quia absque virorum proborum adjutorio, nec populo, nec clero, quem regebat, posset prodesse, nec quibusque justitiam ecclesiasticæ jurisdictionis expetentibus sufficeret competenter adesse. Viros sapientia præditos et scientia, quodque pluris est, in timore Domini probatissimos, suo instantius satagebat lateri sociare. Horum siquidem et consiliis fretus, et auxiliis comitatus, munus suscepti regiminis strenuissime adimplebat. His denique Lincolniensem Ecclesiam cunctis per orbem universum Ecclesiis gloriosius copiosiusque illustrabat. His etiam, cum vacare cœpissent, præbendas seu alia beneficia conferebat. Hos variis dignitatibus, singulis quoque ecclesiasticis functionibus præficiebat. Hujusmodi homines, non solum in toto orbe Anglicano, imo et in nationibus exteris scholisque transmarinis, omni studio investigatos suæ Ecclesiæ gremio inserebat.

Ad venerabilem quoque metropolitanum suum [Balduinum], fratrem superius nominatum, accedens his eum alloquitur : « Novit, inquiens, Pater reverende, discretio vestra quantum expediat, non solum animæ meæ, non solum commissæ mihi indigno Ecclesiæ, quin potius præcipue nobis, deinde universæ pariter religioni sanctæ, quatenus in officio mihi credito non prorsus me inutilem studeam exhibere. Gratias ago bonorum omnium auctori Deo, quia hoc ipsum ex munere suo velle quidem adjacet mihi, cæterum implere, quod velle merui, cum non sciam, et quod non sufficiam per me ipsum, ipsi prius et melius nostis. Nec solum quidem ad hoc mihi et scire et posse minus suppetit, verum etiam a quibus suppleri congruentius possit meus in hac parte defectus, non satis agnovi. Advena quippe homo sum, et indigenas terræ quo minus novi, eo imperfectius, quibus meritorum suffragiis et quibus studiorum præpolleant experimentis, compertum habeo. Vobis ulteriorem istius rei notitiam multiplex comparavit experientia. Vos enim inter eos nutriti, vos eis A longo tempore prælati, eos, ut vulgo dicitur, intus et in cute novistis. Non igitur meo tantum, quin vestro potius discrimini, prospicientes, qui tam inscium promovere non timuistis ad opus hoc arduum, tales mihi, ex his, qui vestro diutius lateri adhærendo probabiles se in omnibus, vestro apprime informati exemplo, demonstrarunt, committite adjutores, quos in partem sollicitudinis injunctæ mihi securus valeam admittere, qui mecum onus pastoralis curæ laudabiliter valeant supportare. »

His archiepiscopus auditis non modice gratulatur. Ex una quippe sancti viri petitione, multa in eo bona animi evidentius prospiciebat. Videbat primo quantæ istud humilitatis esset, ut vir tantus tam de se infima sentiret, ut solus ipse eo honore se B censeret indignum, quo divino simul et humano probaretur indicio esse dignissimus. Mirabatur contra usum humanæ felicitatis hominem ex humili ad summa provectum plus humilitate quam dignitate, plus mansuetudine quam dominatione crevisse. Videbat quantum zelaret subditorum salutem, ad cujus procurationem tantopere expetebat bonorum opitulationem. Intuebatur quanta, sibi puritatis conscius, benevolentia in suum primatem plenus, quanta etiam prudentia per cuncta esset præditus, qui eos sibi domesticos collaterales, primosque fieri optasset consiliarios, quos iden. locis suis habuisset metropolitanus. Duos igitur ex his, qui sibi adhæserant, ei delegavit magistros, Robertum (102) Bedefordensem et Rogerum (103) Roystonensem ; quorum uterque C in toto totius Angliæ clero distinctis gratiarum prærogativis visus est emitus-e.

CAPUT VIII.

Qualiter Hugo noster summum regis forestarium excommunicando, et se a conferenda præbenda ab ejusdem instantia excusando, ipsius regis incurrit offensam.

His aliisque viris eximiis, lateri suo sollicite adhærentibus, Spiritum Dei habens (de quo scriptum est : « Ubi Spiritus Dei, ibi libertas (*II Cor.* III, 19), » peccantes libere increpabat, et nullis contra justitiam potentatibus deferebat. Unde contigit ut in ipsius promotionis (104) suæ auspiciis, dum in sublimes quasdam regni potestates ecclesiasticam districtius exsequitur coercitionem, ipsum quoque non mediocriter visus sit offendisse regem. Est enim inter alias abusionum pestes prima in regno Anglorum tyrannidis forestariorum pestis provenciales depopulans. Huic violentia pro lege est, rapina in laude, æquitas exsecrabilis, innocentia est reatus. Hujus immanitatem mali nulla conditio, gradus nullus, nec quisquam, ut breviter totum exprimamus, rege inferior, mansit et evasit indemnis, quem illius injuriosa jurisdictio non sæpe tentasset elidere. Hac cum pernicie pri-

(102) A pago, ut videtur, Bedefortensi, aut a cœnobio S. Albani, quod in agro Bedefortensi situm est, ita cognominatur Robertus.

(103) Idem cum eo, de quo apud Bzovium in annal. ad annum 1200, p. 86 legitur : « Infra quindecim dies post obitum magistro Rogero de Roleston, decano Lincolniensis Ecclesiæ (Hugo) apparuit dicens : Concessit mihi Dominus, » etc.

(104) Hoc et sequenti capite relata succinctius ex Surio refert Baronius, et ex Petro Blesensi explicat, quinam sint et dicantur forestarii.

mus Hugoni congressus fuit, hæc illi prima et prælii causa, et materia triumphi. Hæc eum ancipitem gladium spiritus exerere primitus coegit.

Cum enim more solito, ut in cæteros, ita et in suos homines contra Ecclesiæ suæ libertatem forestarii debacchari cœpissent, eo usque res tandem processit, ut summum regis forestarium, nomine Galfridum (105) excommunicationis vinculo inodaret. Quo rex comperto vehementem exarsit in iram. Contigit interea unam ex præbendis Ecclesiæ Lincolniensis discessu canonici, qui eam possederat, vacantem, novum exspectare dispensatorem. Hoc aulici audito regem concito exorant, quatenus uni eorum ipsam conferri ab eo litteratorie deprecetur. Arbitrabantur se obsequium etiam in hoc præstare viro, cui dedissent occasionem, motam adversus se indignationem regiam utcunque mitigandi. Nec cunctatur rex petitioni eorum favere; quippe et in hac parte pontificis animum libenter cupiebat propositumque explorare. Consistebat eo tempore rex quidem apud Wodestkam, episcopus vero apud Dorkecestram (106) quæ ab invicem mansiones tredecim (107) creduntur millibus distare. Lectis vero episcopus petitoriis sibi destinatis : « Non, inquit, aulicis, sed potius ecclesiasticis ecclesiastica oportet beneficia conferri personis, quorum possessores, non palatio, aut fisco, sive staccario (108), sed, ut docet Scriptura, altari debent deservire. Habet dominus rex unde exhilaret obsequentes negotiis suis, habet unde compenset in temporalibus militantium sibi pro temporalibus laborem. Bonum est ei, ut summo regi militaturos, deputatis eorum necessitatibus, permittat gaudere proventibus, nec debitis eos privare stipendiis acquiescat. » Hæc dicens regios a se nuntios, inanes et vacuos, redire non expavit.

CAPUT IX.

Qualiter prædictis offensis a rege vocatus ita se habuit respondendo, quod cum ejus benevolentia liber abscessit.

Talibus vero in curia declaratis de Lincolniensi adhuc novo ac quasi recenti episcopo, non defuerunt qui regem, ut videbatur, jam satis commotum adversus eum, in vehementiorem niterentur furorem sermonibus incitare venenatis. « Jam, inquiunt, domine, in manifesto est, quam ingratus sit tantis homo iste beneficiis vestris : jam patet quo loci operam locaveritis et impensam, dum ejus tantopere promotioni invigilastis. Et utinam tantummodo gratiam non referre contentus sit homo animi inhumani, non autem et injuriam rependere insistat prc tanto honore! cæterum quid pro vobis eum speremus subsequenti tempore esse facturum, aut vestris (jussis) inquantum delaturum confidimus, quem jam cernimus post tot, adhucque recentia beneficia, in tantilla re vestram excellentiam adeo irreverenter contempsisse? quem et proces intimosque bellivos (109) vestros tam proterva dolemus sententia confudisse? »

Ad hæc princeps ille, quamvis plurimum turbaretur, modestiæ tamen cancellos non excedens, misit protinus, et episcopum ad se caccersivit. Quem foribus jam imminere prænoscens, cum universa nobilium, qui tunc aderant, frequentia, in saltum contiguum ascensis equis secedit. Ubi in loco residens amœno, consulibus cæterisque magnatibus in modum coronæ consedentibus præcepit ut nullus accedenti episcopo assurgeret, nullus advenientem salutaret. Nec mora, adest ille, assistit, salutat regem et consedentes, sed eum nullus resalutat. Quos, ut vidit, incurios sui tacitosque sedere, accedit propius; manuque leniter imposita scapulis magni ejusdam consulis, qui proximus assederat lateri regio, locum sibi juxta regem ipse fecit. Obstinato quoque silentio, cunctis diutius insistentibus, rex tandem vultum erigens demissum, a quodam assistentium dari sibi acum præcepit cum filo. Quo facto, suere cœpit manu propria læsum pannicnloque involutum lævæ suæ digitum. Agebat hoc, ne nil ageretur aliquandiu, nihil interim loquens. Ita vero se gerebat, ut solent nimium irati, cum in eis animi rancor vocis absorbet officium, meatu spiritum intercluso.

Hoc episcopus intuens, ac sui causa omnem hujus simulatis pompam exhiberi cognoscens, apud se, velut a sublimiori quadam intimæ rationis specula, cogitationum carnalium molimina longe despexit; ac demum conversus ad Regem his verbis paucissimis totam cordis ejus erectionem tumidam elisit, ipsumque vim verborum non ferentem corpore etiam resupino solotenus rejecit. Verba ipsa exprimemus, nil eis demendo vel adjiciendo. Ait ergo : « Quam similis es modo cognatis tuis de Falesia ! Hoc quasi telo, blando quidem et levi, sed mirum in modum penetrabili et præacuto rex præcordialiter trajectus conserit digitos, solvitur in cachinnum, ore supino in terram deponens cervicem, et sub tali diutius schemate risibus frena laxabat. » Ex consedentibus, qui verbum intellexerant, miro tenebantur stupore. Mirabantur enim supra modum sub tali articulo tale improperium principi tanto ab homine tali fuisse intortum. Subridere tamen et ipsi se cohibere non valentes, cœperunt animis exspectantes [*f.*, exspectare] attonitis, quidnam ad audita rex tandem esset responsurus. Plures sensum nescientes prolati sermonis amplius stupefiant ob repentinam gestus regii percunctationem. Quorum demum ignorantiam rex ipse intelligens, propriæ, ut eos instruat, efficitur interpres injuriæ. Præventus enim tam urbanæ

(105) Qui, ut cap. proximo dicitur, se virgis subjecit, et Hugoni in expediendis negotiis deinceps favit.

(106) Ubi olim sedes episcopalis, translata sub Remigio episcopo Lincolniam.

(107) Ex distantia utriusque loci ab invicem colligi posset, Wodestkam an idem sit cum Woldestok aut Wdestoch, de quo lib. III, c. 1.

(108) *F.* Scocario, *de qua voce vide not. end.* lib. V c. 13.

(109) Alias dicti Ballivi, Germanis Lanwogt Unterthann.

invectionis novitate medullitus commovebatur, hominisque confidentiam et ipse admirans, sic orsus est loqui. « Num, inquit, intelligitis cujusmodi nobis contumeliam barbarus iste intulit? Ego vobis dictum ipsius explanabo. Constat genitricem (110) proavi nostri Wilhelmi, triumphatoris hujus terræ, de stirpe mediocri traxisse originem, ac de oppido fam so Northmannorum, quod Falesia (111) nuncupatur, fuisse oriundam. Municipium hoc arte pelliparia celebrius extollitur. Quia vero me suere digitum meum derisor iste conspexit, idcirco similem Falisiensibus et eorum cognatum me esse dixit et improperavit. »

« Attamen age, inquit ad episcopum, vir bone, quidnam tibi visum fuit, ut nobis inconsultis principalem forestarium (112) nostrum anathemati subjiceres? nostram insuper petitiunculam (113) ita floccipenderes, ut neque per teipsum ad nos venires hujus repulsæ expositurus rationem, neque verbum per nostros nuntios nobis placabile remandares? » Talia expostulanti mox ita respondet episcopus : « Novi, inquit, vos, ut episcopus efficerer, studiosius desudasse. Ut igitur vestram a discrimine animam expedirem, quo illam periclitari contingeret, si, quod mei noscitur esse officii, circa Ecclesiæ mihi commissæ utilitatem exsequi non curarem, necesse fuit ut oppressorem ipsius Ecclesiæ per censuram ecclesiasticam coercerem, et indebite præbendam sibi in eadem Ecclesia cupientem extorquere nullatenus exaudirem. Excellentiæ autem vestræ præsentiam pro utrolibet adire negotio, non modo superfluum esse, imo et ineptum sentiebam, cum vestræ discretioni pronum sit id, quod rite geritur, prudenter advertere, et voluntati nihilominus vestræ sedeat, quod rectum esse cognoscitis, favorabiliter approbare. »

Hujusmodi rationibus rex, quod contradici posset, non inveniens, postposito temere concepto simultatis nubilo, amplectitur jam ore sereno pontificem, ejusque orationibus se commendans obnixius, illius per omnia reliquit dispensationi, qualiter hominem sententiæ innodatum, absolutionis beneficio redonaret. Quem etiam valde contritum animo et humiliatum, præstito juxta formam Ecclesiæ sacramento publico, cum suis complicibus virgis cæsum absolvit, dataque benedictione, per omne reliquum vitæ suæ tempus speciali quadam benevolentiæ familiarius eum sibi devotum sensit et suis negotiis provisorem.

A præbendarum quoque violentis postulationibus, quibus velut importunis milvorum unguibus universas passim infestabant ecclesias, et diripiebant eas, hac una interim repulsa curiales vehementer repressit, et eorum a se importunitatem procul avertit.

Ejus tamen veneration ei ipsi certatim inserviebant, adeo ut devotionis eorum et industriæ experientiam plurimum ipse sæpius commendaret, familiaribus asserens suis, quibusdam eorum se libentius beneficia largiturum ampliora, si non curiæ tenerentur nexibus irretiti.

CAPUT X.

Quod in ecclesiis præbendatos teneri ad residentiam reputabat; et secundum hoc magistro Parisiensi respondit, qui præbendari in Ecclesia Lincolniensi affectavit; et quod inter fratres seu homines quosque dilexit præcipue unitatem.

Hic tamen curiales, imo quarumlibet ecc esiarum cathedralium clericos, suæ ecclesiæ canonicos rarius efficiebat : residentiam præcipue in Ecclesia Lincolniensi ab illis expetens, quibus illius Ecclesiæ canonica stipendia conferebat. Nimirum, sicut qui altario deserviunt, altario jure participant, ita minime deservientibus altaris commoda dicebat incongrua ratione provenire : et cum ecclesias debitis [*cod.*, et ecclesias cum debitis] servientium excubiis ex eo fraudari contingeret, speciem [*cod.*, contingeret et speciem] videretur habere rapinæ, cum militaturis deputata militiæ spiritualis stipendia non militaturi præsumerent occupare. Nam et illam Apostoli quoque sententiam in hac potissimum causa intelligi teneri debere sanciebat, ut, qui in sanctuario nequaquam laborant, in eo etiam non manducent, quæ sanctuario consecrantur. Si enim gloriatur Doctor gentium quod sine sumptu posuit Evangelium, quam ignominiosi, aiebat, reputandi sunt, qui sine evangelizandi studio, sine ministrandi obsequio, sumptus evangelizantibus aut ministrantibus assignatos usurpare præsumunt! Meminimus (114) autem quemdam eo tempore summi fere inter theologos canonicosque Parisienses nominis dixisse quadam vice Hugoni : « Gloriosam, domine episcope, præ cunctis totius orbis Ecclesiis vestram exhibuistis Ecclesiam, insignem multitudine clericorum : esseique mihi (nec enim id celandum vobis duxi) satis optabile eorum numero quolibet vel perexili titulo sociari. » Cui statim episcopus : « Et nos, ait, eorum vos numero libenti animo jungeremus, si etiam inter eos residere velitis, et si quoque ad scientiam mores vobis passibus æquis responderent. » Præerat enim scholis Parisiensibus regens et ipse scholas (115), celebrior tamen eo tempore scientia quam disciplina. Qui responso tali accepto erubuit, se nimis libere protulisse, quod minus sincere involvebat in pectore, expertus in se verissimum esse, quod de sinceri-

(110) Erat illa Hervela aut Harlotta, Pelliparii filia, ex qua Robertus dux Northmanniæ genuit Wilhelmum Conquestorem, Henrici II regis proavum.

(111) Oppidum famosum Northmannorum una cum arce alias *Falaise* dictum : De quo quidam : « Falaise cum arce, patria Guillelmi Conquestoris, ambitur fossis profundissimis, duobusque cingitur stagnis. »

(112) Galfridum videlicet de quo actum præce-

denti capite.

(113) De præbenda alicui in Lincolniensi Ecclesia concedenda, et ab Hugone eidem cap. præcedente denegata.

(114) Anno 1200 quo Hugo una cum auctore Vitæ Parisiis fuit, uti constat ex lib. v, c. 19.

(115) Quis eo anno præfuerit scholis Parisiensibus noverint Parisienses.

sima libertate hujus viri non semel in patria sua se meminit audivisse. Recedens autem ab eo, castigatioribus de cætero moribus institisse fertur.

Homines vero quieti spiritus et pudici arctius diligebat Hugo : nec alios suo de certa conscientia gregi aliquatenus sociabat, quantalibet industria aut cujuscunque litteraturæ prærogativa eminerent. Nihil autem pacis bono in hac vita dicebat præferendum, et nihil seditionis et turbationis peste amplius fugiendum ; ideoque vitandam omnimodis societatem alio spiritu ad schismata anhelantium, et discordiæ inter fratres seminantium, admonebat. Monebat quidem indifferenter quoslibet, et indesinenter prælatos unitatis et concordiæ vinculum cum suis subjectis inviolabiliter retinere, suimet illis exemplum proponens. Aiebat namque : « Quia novi, me cum filiis nostris bonum pacis et unitatis tenacius observare ; non regem, non quemlibet timendum mihi æstimo mortalem. Sed neque internam perdo securitatem quæ sempiternæ imitatrix et præparatrix existit tranquillitatis. Nec vero, inquit, idcirco mihi a dominis nostris (sic enim suos canonicos nuncupabat) quies hæc defertur totius iguara dissidii, quia lenem me sentiunt et mansuetum. Sum enim revera pipere asperior atque mordacior : qui et eorum præsidens capitulo ex re frequenter levissima nimis inflammor ad iram. Illi vero scientes quia oporteat eos, qualem susceperunt talem et me sustinere, faciunt de necessitate virtutem, deferentes mihi. Gratias illis habeo copiosas. Numquid enim vel sermone in uno quidem restiterunt mihi, ex quo primum inter eos residere cœpi? Egredientibus autem universis finito capitulo nullus, ut arbitror, de nostra sibi æstimat dilectione diffidendum, nec ipse me existimo a quovis eorum non amari. »

Talis vero ac tantus ei dilectionis affectus ad singulos nimirum suæ Ecclesiæ filios ab exordio promotionis suæ usque ad extremum vitæ ipsius perseveravit diem, ut illius evidenter se probaret imitatorem esse, de quo evangelista Joannes venerabili profitetur assertione : « Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos (*Joan.* XIII, 1). » Quorum etiam in tuitionem se objiciens, si quando ex eis quempiam gravandum quocunque incursu agnovisset, non modo facto, imo et sermone, dicere consueverat : « Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei (*Zach.* II, 8). »

CAPUT XI.

Qualiter tam Baldewino Cantuariensi archiepiscovo, quam ejus successori, capellarum construction insistere dissuaserit, ex qua inter ipsos et suos monachos Cantuarienses gravissima discordia exorta fuit, inter quos pacem reformavit.

Piæ vero recordationis Baldewino, Cantuariorum archiepiscopo, quorumdam instinctu ecclesiam (116) seu capellam in honorem pretiosi protomartyris Stephani, et inclyti neomartyris Anglorum Thomæ, in territorio civitatis suæ construere festinanti, cum monachi cathedralis ecclesiæ vehementius obsisterent, opus illud in suum asserentes præjudicium attentari, Lincolniensis Hugo, quod rei probavit eventus, super eodem ab illo consultus negotio certissimo prædixit oraculo : « Si inter vos, inquit, domine archiepiscope, et capitulum vestrum, hujus operis causa schisma, quod non expedit, contingat suboriri, et disciplinæ vigor in conventu vestro emarcesset, et ordinis censura imminuetur. Hinc quanta successura sint pericula animarum, nullius æstimatio sufficiet prætemiri. Vos præterea regiæ vestram oportebit auctoritatem snbsternere servituti. Curiæ insuper Romanæ, nec non et plurimorum et sublimitate consistentium variamque habentium potestatem subjacebitis fastui ac timori, ipsius quoque summi pontificis, hora omni et tempore omni, motus necesse erit animosque vereri. Ipse tam consummato quam opere isto inchoato demoliri præcipiet, quidquid demum cognoverit præjudicialiter actitatum. »

Cumque diceret archiepiscopus sanctum Thomam hujus fabricæ in honore sancti levitæ Stephani instituendæ gessisse propositum, satis ad hoc eleganter respondit episcopus : « sufficiat, inquiens, vos simili jam proposito martyri adæquatum. Si meam vultis audire imperitiam, ulterius eo minime procedetis. » Verum illo aliorum potius consiliis innitente mentisque propositum in operis effectum percurgente, tandem expertus didicit, quam verum sit, quod Scriptura dicit : « Anima viri sancti magis enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum (*Eccli.* XXXVII, 18). » Nam malorum, quæ justus prædixerat, ne unum quidem præteriit inexpletum. Structura vero illa jussu Domini papæ funditus eliminata est et demolita, auctore cum ruboris et pectoris multiplici questu operam perdente operisque impensam.

Idem quoque ejusdem successori (117) in opus simile gestienti et vir fidelis prædixit, et verum finis induxit. Nam et ipse haud procul a Londoniis capellam contentiosam, instar prioris (118), quæ secus

(116) De hac Baronius ad annum 1186 : « Præsentium tibi auctoritate » (verba sunt Urbani papæ III) « mandamus ut liceat tibi ecclesiam in honorem beatorum martyrum Stephani et Thomæ construere, etc. » Verum, ut habet Trivettus ad annum 1187, « Baldewinus Cantuariensis per litteras apostolicas prohibitus est ab exsecutione ecclesiæ novæ, quam inchoaverat, » etc.

(117) Huberto. Raynaldus ad annum 1198, ex Parisio hæc refert : « Innocentius papa III monachos Cantuarienses contra Huberti archiepiscopi Cantuar. et Anglorum reg s gratiam protexit, atque ecclesiam Lamelich, dissensionis fontem everti imperavit. » De qua etiam Trivettus ad annum 1199 : « Humbertus archiepiscopus ecclesiam, in beati Thomæ honore fundatam apud Lambete, quam prædecessor ejus Baldewinus inchoaverat, de mandato domini papæ Innocentii tertii demolitus est. »

(118) Aliam, ut videtur, non eamdem, Balduinus etenim secus Cantuariam, sive, ut præmittitur, in territorio civitatis suæ, Hubertus autem non procul Londoniis capellam sive ecclesiam voluisse construere hic memorantur.

Cantuariam fuit, diruta, fretus regia potestate erexit : clericos in ea prœbendarios, sæcularium more canonicorum, aut per se ipsos aut per interpositas personas ministraturos instituit, a quibus jam circa locum pluribus contructis ædificiis, pertracta in longum inter Patrem et filios, archipræsulem et monachos, lite amara, multis quoque personis electissimis, tam e monachis quam e clericis, Romanis febribus in urbe sub tunc intestino bello, exstinctis, viri tandem magnanimi inconsulta molitio, eodem ipso demoliente, in pulverem redacta est. Fecit hoc, quam invitus tam et confusus, apostolica nimirum severitate compulsus.

Ad postremum vero, jam viro Dei Hugone per ultimam vitæ mortalis ægritudinem ad æternam properante felicioris vitæ incolumitatem, ipso simul arbitro et conjudicibus suis a summo delegatis pontifice, pax inter prædictos reformata est (119), mirum in modum exsultante et in hoc divinæ clementiæ gratias referente eodem veracissimo filio pacis. Gratulabatur namque impensius, quia instar beatissimi Martini (cujus semper et amator devotus et strenuus imitator esse meruerat) hanc virtutum suarum bonam fecisset consummationem, qua pacem Ecclesiæ Dei redditam reliquisset.

CAPUT XII.

Quomodo in mensa et in victualibus se Hugo habebat; et quam potenter in executione eorum, quæ sui erant officii, se gerebat; et quam humiliter ac devote circa pueros confirmandos et alios infirmitate detentos astabat.

Erat quoque in mensa hilaris et jucundus, sed non sine gravitate et modestia, illud semper attendens, et quandoque hortantibus se ad lætandum ore etiam proferens quod in libro Esther [Judith] legitur : *Læti simus secundum faciem sanctorum* (*Judith.* XVI). Si quando histriones aut musici suis interessent occasione quadam solemnibus conviviis, ubi ipse, sive ad propriam, sive ad alienam mensam resideret, tunc quam maxime gravitati studebat, vix unquam oculos a mensa erigens, et ita se in omni gestu et sermone exhibens, ut manifestum esset intuentibus quia tunc se ad interiora arctius constringeret, cum sensus exteriores hujusmodi lenocinia blandius mulcerent.

Sacras inter vescendum lectiones tanta audiebat diligentia, ut præter nonnullorum passiones martyrum, præter gesta quorumdam sanctorum, et celebriores de præcipuis solemnitatibus doctorum sermones, totum fere vel ex integro Vetus Novumque Testamentum (120), exceptis quatuor evangelistarum libris (121) (quos aliis, sicut infra dicetur, temporibus legi instituit), cum ad nocturnum officium coram se, tum ad prandium faceret recitari. Ut autem supra memoravimus, hoc uniformi jugiter institutione et ipse servabat, et quibusque rationabile Deo cupientibus obsequium præstare, observandum inculcabat, ut omni scilicet tempore et loco, quod rerum exigeret præsentium instantia, convenienter adimplerent. Ad quod etiam dignius exsequendum, seipsum habilem, et, quantum potuit, idoneum studuit exhibere.

Sentiens autem magni esse laboris opus episcopalis officii, nec sine viribus etiam corporis id posse decenter impleri, ita jumento corporis alimenta præbebat ut necessariis usibus congrue subserviret. Quod eo securius eoque sufficientius faciebat, quo minus, ne contra suum recalcitraret sessorem, castigatione diutissima jam satis edomitum, metuendum erat. Nam et per continuum frigidioris diætæ usum eo usque internas jam corporis vires attriverat, ut fatiscente naturali calore, crebras infrigidati stomachi perferret molestias, iliacis insuper passionibus sæpius amarissime torqueretur. Nihilominus tamen inter hæc adfuit ei, et affluxit singularis gratia, robur illi accumulans, fortissimis quibusque admirandum. Videre quasi miraculum erat quemadmodum in ecclesiarum dedicationibus, in celebrationibus ordinum, cæterorumque ecclesiasticorum officiorum, seu quibuslibet pontificalis ministerii exercitiis (in quibus plurimum videtur esse laboris) omnium sibi adhærentium vires solus ipse excederet, quemadmodum non solum fessis, sed pene deficientibus cunctis, aliis ad resumendas vires paululum secedentibus, aliis ad obsequendum ei succedentibus, ipse indefessus et alacer de opere ad opus, de labore percurreret ad laborem.

Ad ista, nonnunquam surgebat ante lucem, et usque ad profundas sequentis noctis tenebras jejunans, nec a labore cessans, diem medium transigebat. Plerumque, dum immodicus æstatis fervor immineret, quosdam altaris ministrorum cogebat panis et vini modicum prælibare (122), ne prægravati æstu, jejunio et labore, citra periculum post toties repetitos circuitus, in ecclesiarum dedicationibus astare, demum et ministrare missarum solemnia celebranti nequivissent. Cum prægustatis jussu suo panibus, horrori quibusdam et formidini esse sensisset, sacrum inter agenda vel calicem vel Dominicam contingere sindonem, arguebat eos quasi pusillæ fidei et discretionis infirmæ, qui nec obedire vellent jubenti sine hæsitatione circumspectæ jussionis.

Quotiescunque iter agenti occurrissent, ut assolet, qui per manus suæ impositionem confirmari expeterent, aut qui parvulos ei ad illud percipiendum sacramentum offerrent, mox opportuno loco in pedes ab equo descendens, quod illius erat officii, sollicita

(119) De hac pace, plenius altero ab Hugonis obitu anno confirmata, vide Annales Eccl. Wintoniens. apud Warthonum, pag. 305.

(120) Ex consuetudine ordinis Carthusiensis, in quo eadem annis singulis, aut in ecclesia, aut in refectorio, leguntur hodiedum, et legi statuta volunt.

(121) Hæc annue in capitulo post nonam canonicam a Paschate usque ad festum Omnium Sanctorum apud Carthusianos leguntur.

(122) Contrarium innuit Surius his verbis : « Neminem sinebat ad sacra officia ministrare, qui jejunium quacunque occasione fregisset. »

devotione adimplebat, in quacunque diœcesi hoc accidisset. Nulla unquam fatigatione aut infirmitate, nulla vitæ asperitate aut aeris intemperie, ut equum sedens tantum exhiberet sacramentum, potuit induci. Data quidem benedictione optata circumstantibus, infirmis quoque, qui adfuissent, oratione ad Deum pro eis fusa, in spem adipiscendæ sospitatis cum exsultatione respirantibus, repletus et ipse benedictionibus cunctorum, cœptam repetebat viam. Quamplurimos autem per hujusmodi ipsius orationem seu benedictionem speratam consecutos fuisse incolumitatem indubitanter sæpe agnovimus.

CAPUT XIII.

Qualiter ex dulcedine affectionis infantulis adjocabatur, qui vice versa eidem mirabiliter applaudebant.

Ex multa quidem parvitatis et innocentiæ abundantia, ut erat simplicitatis et munditiæ præcipuus amator et custos, infantulos vir sanctus miro excolebat affectu, non modo sinceritatem, sed etiam ætatem respiciens. Parvulis enim, ubi eos reperisset, spirituali quadam suavitate dulcius adjocabatur, et a talibus vix adhuc balbutientibus miri cujusdam leporis semiverbia eliciebat. Imprimebat subinde frontibus vel quibusque sensibus eorum vivificum sanctæ crucis signum, fausta eis imprecans, eosque iterata sæpius benedictione communiens. Illi quoque mira ei vicissim celeritate familiariter alludere gaudebant, quique omnium pene virorum aspectus vereri solebant, ei potius quam suo parenti desideranter adhærebant.

Vidimus parvulum quemdam (123) menses sex ab ortu habentem, cum ei frontem chrismate sacro consignaret episcopus, tantis illi omnium artuum motibus applausisse, ut singulare illud Præcursoris Domini, in utero exsultantis, gaudium æmulari crederetur. Laxabat vero ita risibus inexplebilibus oris exigui labella, ut putaretur incredibile sic posse in tali ætatula solis adhuc vagitibus assuetum ridere. Deinde brachiolis quasi ad subvolandum, nunc distortis, nunc disjectis, cervicem huc illucque jactando, quasi importabilem sibi esse monstrabat lætitiæ, qua afficiebatur, magnitudinem. Tunc manum ejus utrisque attractans palmulis, et distringens pro modulo suo ori applicat, applicitam vero allambere potius quam osculari festinabat. Faciente hæc pontifice diutissime infanti, et infante pontifici, inauditum invicem de se spectaculum delectabiliter exhibebant. Oblata sunt quidem puero ab ipso episcopo poma, vel quæ talibus solent esse grata pueris, pleraque, aliaque singula, ac si tædio sibi forent, repellebat. Quæ repellendo tunc, quasi vicisset, totus in episcopum inhiabat. Ipsius quoque nutricis, quæ eum gestabat, cum quodam fastidio manus sibi admotas respiciens, oculis in episcopum intendebat, et manibus illi applaudebat, ac ore indesinenter arridebat.

Asportato demum eo, cum mirarentur præsentes super tali prodigio, asserentes nunquam visum fuisse tripudium tam immensum in tam angusto corpusculo, episcopus semel alias tale quid se vidisse narravit. « Nam dudum, inquit, cum prioratum gererem Withamiæ (124), contigit me tempore generalis capituli adire Carthusiam. Occasione autem itineris præteriens castrum de Avalim, cujus frater noster Willelmus arcem noscitur obtinere, declinavi in domum ejus. Ibi nobis præsentabatur puerulus, necdum fandi peritus, filius videlicet ejusdem fratris nostri (125). Hic similibus per omnia nobis applaudebat motibus, ita ut dimissus a nutrice, et super lectum nostrum expositus, inter gaudia, quæ ducebat, etiam cachinnari quodammodo supra vires naturæ cerneretur.

Explicit liber tertius.

PROLOGUS LIBRI QUARTI.

Ut autem temporis serie paululum intermissa pro ætatum ordine adhuc sicut cœpimus, pauca referamus, post exactam infantilis, nec non ævi pueriles historiam, adolescentium est intentio breviter subnectenda, sicque per succedentium gradus ætatum usque ad mortuorum exsequias narratio extendenda, in quorum diligentissima exsecutione, post Tobiam nemo reperitur adæquasse Hugonem, qui, ut superius innotuit, singula vitæ suæ momenta divinis mancipando præceptis id jure promeruit, ut pluribus in quolibet ætatis gradu existentibus etiam ipse prodesse valuisset. Factus vero jam ætatis integræ et pontificali officio insignitus, sepeliendis mortuis tantam visus est sollicitudinem impendisse, ut misericordiæ hujus præmio in futurum reposito, sub præsenti quoque tempore singulari donaretur honore sepulturæ (126). Quod tunc plenius Domino favente exponetur, cum quarto huic atque penultimo gestorum illius libro imponetur meta, cujus exordio ista duximus prælibanda.

Explicit prologus.

(123) Circa parvulum hic narrata evenisse postremis vitæ S. Hugonis annis insinuat auctor, dum se ea vidisse astruit.

(124) Verosimiliter uno ex annis bissextilibus 1180, aut 1184, quo priores Angli ad generale capitulum venire obligabantur.

(125) Distinguendus ab altero ejusdem fratris sui filio, quem (uti lib. v, c. 20, legitur) S. Hugo anno 1200 baptizavit puerum septennem, dum ille, de quo modo agitur, ad minus sexdecim annorum fuerit anno 1200.

(126) De sepultura sancto exhibita prolixe agitur infra lib. v, c. 27 et 28, per totum. De eadem Radulphus Coggeshale in chronico anglicano a Martene et Durando evulgato t. V, novæ collect, column. 866.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Martini nostri Hugonis scriniarii tonsione, ad religionem conversione, et profectione in eadem.

Deputaverat custodiæ pontificalium scriniorum reverendus antistes Hugo juvenem quemdam, modestum quidem moribus et pudicum, sed vanitatis mundanæ non plene vacuum, Martinum nomine. In scriniis autem vasa et vestimenta, aliaque hujusmodi sacra, quorum in altaris ministerio usus erat, continebantur. Moris autem erat horum custodem et bajulum, quamvis laicum, tamen quia inter ecclesiastica versabatur cum clericis ministeria, tonderi ut clericum, et tunicam propriis vestibus superindutum lineam creditis sibi deservire obsequiis. Martinus huic de recenti subrogatus officio tonsionem suscipere jubetur ab episcopo. Quam ille triduo jussionem, pudore obsistente non bono, distulit adimplere, variis per dies singulos excusationibus velare nitens, cum argueretur, omissi præcepti voluntariam ob inobedientiam. Hoc episcopus advertens reportantem ab ecclesia quadam die post missas scrinia observat, eumque in ulteriorem secutus exedram, cincinnio [*al.* cicinno] capitis illius digitos innectens : « Ecce, ait, quia tonsorem non reperisti, qui ordinatam tibi faciat tonsuram, ego ipse tondebo te. » Hæc dicens, sumptis forcipibus cæsariem illius in rotundum circumcidit. Quo facto, mox juvenculus in lacrymas resolutus genibus sancti provolvitur, constringensque manibus fortiter pedes ejus. « Domine, inquit, per misericordiam Dei adjuro vos, ut audiatis parumper me. Quia enim dextera vestræ sanctitatis capiti meo signum abstulit mundanæ vanitatis, oro, quatenus a mundi hujus laqueis penitus me absolvere velitis. Nam revera amputata per manus vestras coma sæcularis meas ulterius cervices minime prægravabit. Ut quoque propositum mentis per manus vestræ obsequium cœlitus mihi inspiratum manifestius pandam, viluit mihi prorsus hoc nequam sæculum, et appeto monachatum : Deo in posterum me totum devoveo, et sæculi ex toto pompis renuntio. Prosequatur, obsecro, gratia vestra, qua per vos merui præveniri gratia Dei, ut et ipsa prosequatur me quæ jam prævenit omnibus diebus vitæ meæ. Per vos religionis merear suscipere vestem, per quem modo suscepi characterem. » Quid multa ? Cum episcopus hæc quasi dicta puerilia duceret ac negligenter acciperet, dissimulabat quidpiam referre auditis, processitque jam comesturus ad triclinium. At cæteris vescentibus edax desiderii flamma depascebat Martini præcordia, adeo ut vix contingere sineretur corporea alimenta, præ interni ardoris quo medullitus æstuabat vehementia. Finito igitur convivio accedit seorsum ad cunctos singillatim, quos in tali censebat negotio magis exaudibiles fore episcopo. Quorum pedibus advolutus, aures, animos affectusque eorum singultibus pulsat, movet precibus, et fletibus pietate plenis inclinat, ut æstuanti penes episcopum suffragia conferant, quo per eum salutaris desiderii consequatur effectum.

In talibus vero diebus persistens indefessus et noctibus, tandem post triduum obtinuit quod perseveranter postulavit. Expiata siquidem triduana ejus inobedientia ex dilatæ, non minori tempore, exauditionis mora, sciens vir clementissimus temperamentum misericordiæ suæ, fecit ad se accersiri venerabilem virum, priorem Sancti Neothi (127); utque absolvamus compendio quod gestum est, sancto cœtui ejusdem cellæ suum Martinum favorabiliter sociari petiit et impetravit. Compertam namque a præcedentibus annis Beccensium habuerat idem juvenis laudabilem prorsus institutionem, nec non et ordinatam familiæ sancti Neothi conversationem. Unde professione illius astringi, isti vero habitationi præelegerat conjungi. Cui provisor pius et vestitum contulit regularem, et diem susceptionis illius ad habitum sacrum solemni refectione universis fratribus exsultabilem fecit.

Martinus vero, quæ Dei sunt non minus facere quam scire infatigabiliter studens, prosequente pia ejus vota gratia Christi, in bonitate et disciplina, in scientia adeo in brevi profecit ut omnibus ejus profectus etiam imitandus esse censeretur. Quem postea ad subdiaconatus gradum nutritius suus cum gaudio ingenti promovit. Erat quidem in eo cunctis mirabile, quod in semetipso unicuique videbatur impossibile, ut in ætate scilicet jam provectiore tanto cito litteras scivit quas in tenerioribus annis minime didicisset. At Martinus admirantium laudibus, non dico, non extollebatur, imo nec quidem leviter movebatur, quin potius coævos et consodales quondam suos firmissimis rationibus arguebat vanitatis, ad studium eos invitans vitæ correctioris. Rogavit etiam pontificem, quatenus a Domino abbate Beccensi suis dignaretur precibus obtinere, ut ad domum ma-

(127) S. Neoti prioratus (scribitur in Monast. Anglicano t. I, p. 368) in comitatu Huntingdoniæ, primo cella abbatiæ de Becco in Northmannia, deinde vero factus indigena. Acturi sunt de S. Neotho Bollandiani, aut jam egerunt, ad diem 31 Julii. Videndus quoque Mabillonius Annal. tom. III, p. 241 et t. V, p. 327 et 520.

tricem (128) de Becco veniendi et in ea diutius persistendi copia daretur sibi, quo sacri ordinis perfectius informaretur cæremoniis, et probatissimorum, quos ibi esse noverat, plenius instrueretur monachorum exemplis. Consecutus est autem post modicum tempus interventu præsulis piæ hujus petitionis effectum. De cujus (129) nuper conversatione et industria, tam ab ipsius abbate quam ab aliis, pleraque didicimus satis commendabilia.

CAPUT II.

De osculo leprosorum (130) *et multiplici consolatione, verbis nostri Hugonis, de dulcedine Salvatoris, et eleemosynæ largissima distributione. — Et hoc est capitulum in serie magnæ Vitæ libro quarto.*

Inter alia vero pietatis insignia quantam ægrotantibus curam, quantam etiam lepræ tabe laborantibus benignitatem impenderit, quis digne commemoraret? Illis nimirum pedes propriis sæpe manibus diluens, et extergens osculisque demulcens, nummos insuper refectis cibo et potu largiri consueverat, faciebatque illud secretius coram paucis arbitris in camera sua tredecim sæpius personis, cum tot inveniri potuissent in locis quibus ipse interfuisset.

Erant præterea in quibusdam fundis episcopii matriculæ, in quibus non pauci hujus morbi incommodo detenti, tam viri quam feminæ, sustentabantur. His, præter assignatos a prædecessoribus suis redditus, varia in multis rebus subsidia cum omni diligentia conferebat, frequenter ad eos in propria quoque accedens persona, ac cum paucissimis ex sibi adhærentibus, viris timoratis et devotis, medius inter illos in cella residens secretiori, verbis optimis relevabat animos eorum, dolentibus materna quodammodo lenitate blandiens et ad spem retributionis æternæ desolatos temporaliter afflictosque sustollens. Morum quoque bonorum documenta suavitate mira interserens verbis consolatoriis, ita, si quid reprehensibile de eis percepisset, ne iterum admitteretur, suadebat ut eos et admissi vehementius pœniteret, et ulterius admittendi audentia seu voluntas nulla eis remaneret.

Ante exhortationis vero alloquia, semotis interim jussu ejus feminis, mares singillatim circuiens exosculabatur, singulis se inclinans, et quos cerneret atrocius jam tabe confectos diutius ac suavius complexans. Tales prædicabat esse felices, tales esse paradisi flores et præclaras coronæ Regis æterni dicebat esse margaritas. Hos fiducialiter et secure exspectare Salvatorem memorabat Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformet corpus humilitatis A eorum, configuratum corpori claritatis suæ (*Phil.* III, 21), cum ex adverso formidolosi exspectent sublimem adfuturum Judicem, qui modo de corporis specie gloriantes, illius per mentis elationem refugiunt humilitatis et munditiæ conformitatem.

Agens vero seorsum cum familiaribus suis de tanta Salvatoris nostri clementia, qui miserrimos quosque in vita præsenti toties ore divino beatificat in Evangelio suo, nunc Lazarum inducendo ulcerosum in sinum Abrahæ ab angelis perductum, nunc seipsum in infirmis asserendo esse infirmum, mira cum dulcedine omnium Auctorem dulcedinum attollebat. « O, inquit, quam felices erant, qui Medico adeo dilecto familiarius adhærebant! Quam mihi dulce fore quocunque his seu pedibus calcasset, seu qualibet B corporis sui parte contigisset, vel manibus attrectasset osculis lambere, oculis opponere, intimis etiam, si fieri posset, visceribus inserere! Quam vero miseri sunt qui aliud quidquam timent quam sdeo dulcem offendere! quam gemendi sunt, qui aliud quidpiam dulce reputant aliudque expetunt quam sic dulci dulciter adhærere et dulciter parere! Nescio quid jam possit amarum sentire qui dulcis hujus dulcedinem jugi didicit meditatione in interno cordis sui palato dulciter ruminare. »

Hæc vir sanctus de cœlesti vulnerum nostrorum Medico sentiens, hæc dicens, hæc etiam quæ præmisimus, de membris illius infirmantibus proferens, hæc illis impendens evidenter satis exprimebat, quanto interius ferveret igne divinæ pariter et fraternæ dilectionis. Qui etiam in commune quibusque C indigentibus tantas largiebatur eleemosynas ut præter illa quæ multis sæpe specialibus ex causis nunc interpellatus, nunc ipse voces præveniens necessitatem patientium, secretius erogabat, annuas omnium rerum suarum obventiones usque ad tertiæ partis æstimationem sub certa constitutione in opera expendisse non dubitetur misericordiæ.

CAPUT III.

Quam constanter rebellibus se opposuit, et in Deum contumaciter delinquentes ecclesiastica censura punivit.

Post præmissa recensendum videtur quam egerit fortiter in superborum præsumptionibus coercendis, D quam incunctanter armatorum sæpe ipse se inermem ingesserit turmis, quam steterit inter micantes gladios et exertas dexteras, in Lincolniensi primum Ecclesia, deinde in Hollandia (131) ac demum in Norhantona (132), nudo capite constans et intrepi-

(128) De hujus cœnobii origine agit Mabillonius Annal. tom. IV, p. 438.

(129) An quid noverint Beccenses de hoc Martino, mihi lateat.

(130) Dictum memorabile, quod Surius refert de differentia osculorum leprosis a S. Martino et S. Hugone exhibitorum dum abbreviator tacet, utcunque insinuat Surium præ manibus habuisse Vitam prolixiorem S. Hugonis, uti et ex variis locis colligi datur; et Petreius indicat, suo tempore illam in Colocensi Carthusia exstitisse.

(131) Lege « in Hoylandia, » parte Angliæ, diœcesis Lincolniensis, in qua cœnobium, de quo in Monast. Anglic. t. I, p. 773 : « Swineshevedensis abbatia in agro Lincolniensi fundata anno 1134. » Et Vischius in Chronologia ad dictum annum : « Cœnobium Swinshed, id est, Hoylandia in Anglia. »

(132) Alias Northamptona, comitatus ad diœcesim Lincolniensem pertinens. Adest charta in Monast. Anglic. t. I, pag. 681, in qua Hugo noster monachis S. Andreæ in Northamptona confirmat diversa illis olim concessa

dus. Minus vero dixi, steterit, cum huc et illuc discurrendo gladium spiritus tota cum libertate in furentes et frementes conspiratores seu intrusores vibraverit, tradens contumaces Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in die Domini (*I Cor.* v, 5). Cujus eo constantia sublimius emicuit quo ibidem virorum fortium robur formidini evidentius cessit, eoque illius confidentia illustrius claruit quo suorum diffidentia comitum et officialium in tanto se discrimine apertius probavit. Illis namque non modo ad aras confugere parum fuit, imo et sub ipsis mensis Dominicis se abscondere videbatur minus tutum. Quibus ita confugientibus et latebras foventibus Hugo persistebat solus, cædebatque labiis intentantes cervicibus suis gladios. Cujus magnanimi audentia, nec non et protegentium se angelorum custodia ipsiusque divinæ virtutis armatura fracti et confusi, apud Lincolniam tam clerici quam laici, apud Hollandiam milites et armigeri, apud Northantonam quoque burgenses [*i. e.* cives], infensi cesserunt plures uni, sævientes miti, et tranquillo turbati.

Apud Hollandiam tamen, quod prætereundum non est, Wilhelmus de Avalim, consobrinus episcopi, miles acerrimus, generosi sanguinis vena incalescens, cum stricto mucrone quidam armatorum pontificem funesta pararet ferire audacia, jam percussuro se fortiter objecit. Cui etiam vi magna extorquens gladium, nisi prohiberetur a præsule districtius, eum absque vulnere abire non sivisset.

Ita vero peratus erat Hugo juxta formam apostolicam, omnem in gladio spiritus ulcisci inobedientiam (*II Cor.* x, 6), ita quoque ejus ultioni animadversio celerem subinferebat vindictam, ut in Deum contumaciter delinquentibus, sicut ipse nullatenus parceret, sic quemcunque zelo justitiæ, spirituali mucrone ipse percelleret, nisi citius resipisceret, corporali pariter exitio interiret. Hinc rebelles quosque et ecclesiastici juris violatores, de sua quandoque potentia insolenter præsumentes ac præ tumore mentis ad minas interdum procaciter erumpentes, sic voce terrifica objurgabat : « Quid de vestris, ait, viribus vel armis contra manum omnipotentem præsumitis, quando nobis etiam indignis et infirmis hæc manus adeo potentia arma contulit ut eis humana nullatenus coæquetur armatura ? Loricas nostras jacula vestra non penetrant, et galeæ nostræ enses vestros non formidant. Nostris vero ensibus nec cassides vestræ nec thoraces resistunt. Vos, si quando carnem cæditis, animam prorsus contingere non valetis. Gladius noster et corpus perimit, et morti, non transitoriæ, sed æternæ eorum quos percellit, animas addicit. »

CAPUT IV.

De partus ab uxore cujusdam militis suppositione, et eorum punitione qui tanto facinori consenserunt, de nomine forestarii, et de crudeli cujusdam episcopi maledictionem retinentis interfectione.

Jam vero de numero illorum quos in reprobam A tradidit mortem solo anathemate, qui fine horribili de hac luce migraruni, paucos exempli gratia commemorare non erit inutile. Erat in territorio Lincolniensi miles quidam jam provectioris ætatis, uxorem habens sterilem. Habebat quoque fratrem æque militem industrium et prudentem, quem jure hæreditario, si absque liberis ille decederet, habiturus videbatur successorem. Invidebat autem huic uxor sua, verens ne forte viduata marito sub illius deveniret dominatum, erga quem placitum nunquam gessisset affectum. Nequitiæ igitur vipereæ dolis incitata, ut ei consequendæ hæreditatis præcluderet aditum, quia partum non habebat proprium, supposuit sibi alienum (133). Refertis siquidem ac tumentibus interna fraude visceribus cervical præcingit exterius? Si- B mulat quoque uterum intumescere puerperio, quæ solummodo scelere fetabatur infando. Miles, in cujus præjudicium versutæ malignitatis componitur stropha, dolum sibi strui deprehendens, sed artificem doli non convincere nec cohibere sufficiens, rem defert ad notitiam amicorum. Rimatur sollicitius consilii remedium, sed minime reperit opportunum. Interea mulier decumbit lecto, et fictæ parturitionis indulget suspiriis. Quæsitam vero a vico proximo mulierculæ cujusdam recens natam prolem femineam in publicum edit, ac veluti a se veraciter enixam omni cum diligentia studiosius enutrit. Cujus etiam veriorem ad se accersivit genitricem, cique nutriendi pignoris proprii delegavit sollicitudinem.

Dum talia geruntur non procul a Lincolnia, con- C tigit instare jam Resurrectionis Dominicæ festa paschalia. Accedens igitur miles, muliebri circumventus astutia, ad pontificem, astipulantibus sibi viris discretis, quos fama certior tanti perflaverat maleficii, omnem rei cunctis audientibus adeo suspectæ pandit rationem. Nec vero, cujusnam esset filia, seu quemadmodum a falsa genitrice acquisita, per quam sibi exhæreditatio parabatur, adhuc certius sibi innotuerat. Motus autem vehementer vir justus et pius ad aulita, malignæ maritum mulieris ad se jubet quantocius accersiri. Quem secretius advocatum discutit instantius, instruit et coarguit, tantique reatus confessionem ab eo elicere magnopere insistit. Verum ille, conjugis ninium procacis plus jurgia quam Dei justitiam pertimescens, ejus quoque si- D bilis præincantatus vipereis, se primum criminis hujus inficiatur habere conscientiam. Urgente demum episcopo et æstimationis publicæ argumenta acriter inferente, quibus patebat verosimillimum esse nec ei sobolem nasci potuisse jam valetudinario et seni, nec eum videri ignarum uxorii commenti, attractus evidenti ratione hac, tandem seipsum responsione deludit. « Quia longo, ait, tempore, corporis incommodo me premente, conjugis meæ secreta minus perfecte novi, ideo volo, si placet, arctius de his ab illa perdiscere veritatem. Quidquid vero inde mihi compertum fuerit, vobis mane nuntiabo, vestro

(133) Anno, uti colligitur, 1193. Puella etenim vix in præsentia auctoris delegitur. quatuor annorum desponsatur, et fraus anno 1199,

indubitanter pariturus consilio super omnibus, quæ fuerint juxta rei inquisitæ seriem utilius exsequenda. »

Tum præsul satis admonitum, in his verbis eum abire permittens : « Scias, inquit, die crastina excommunicationis sententia omnes illos a nobis solemniter ac terribiliter esse feriendos qui hujus mali auctores exstiterint aut fautores, si minus forte, quod policeris, fueris exsecutus. » Sic ille dimissus, et ad suos reversus, sterili puerperæ, quæ audivit a pontifice, vel quæ pontifici retulit ipse, seriatim exponit. Ad hæc illa, infrendens et infelicem illum procaciter objurgans, redire eum ad fidelem consiliarium penitus dissuasit. Qui male acquiescens domitrici suæ, cui ordine præpostero diu consueverat ancillari, resedit domi, crimen adjiciens mendacii præcedenti errori.

Facta est dies crastina, quæ fuit sacrosanctæ Resurrectionis Dominicæ paschali solemnitate gloriosa, qua episcopus, habito sacræ exhortationis verbo ad populum, cunctis negotii hujus pandit eventum, enormitatem exaggerat maleficii, et se non defuturum asseverat, quin tanto pro viribus occurrat piaculo ex censura pastoralis officii. Cumque plenius perdocuisset quanti sit criminis, non tantummodo in fratrem proprium, sed vel in quemvis proximum, quippiam hujusmodi attentasse, unde necessario contingat eum cum omni posteritate sua irremediabili dispendio subjacere (quod etiam peccati genus sub mole suæ nequitiæ ad mortem sui sæpe perpetratores dicebat irremissibiliter astringere), omnes illos vinculo innodavit anathematis qui, de partus prædicti suppositione exhæreditationem militis sæpius memorati minime timuissent procurare. Nec vero in longum distulit in traditos sibi ex sententia viri justi Satanas sævitiæ suæ tyrannidem exercere. Virum namque sequenti nocte invadens, qui perversitatem conjugis dissimulando potius fovit quam correxit, ejus subito animam extorsit. Repente etenim in lectulo apparuit mortuus, in quem se locaverat quiete, ut credidit, pausaturus. Hujus autem mulieris ita furor pertinax et ira adeo dura fuit ut proprium tam exitialiter virum perdidisse non ei sufficeret, nisi inceptam contra ejus germanum nequitiam hostiliter adimpleret. Perstitit enim confirmare sermonem nequam, debitam sibi retentans maledictionem et indebitam alumnæ suæ vindicans hæreditatem.

Excluso igitur legitimo hærede a fraterna successione, datur regio munere infantula cum ipsa hæreditate cuidam juveni, qui frater erat Hugonis de nova villa, summi scilicet in regno forestarii (134). Quam ætatis vix quartum implentem annum dispo-

A nebat idem more nuptiali solemniter sibi desponsare, præcavens nimirum ne forte qualibet occasione privaretur talis patrimonii acquisitione. Quod ubi innotuit episcopo (qui generali sæpius constituto inhibuerat ætatis indiscretæ copulam nuptialem) mox etiam speciali prohibuit interdicto ne quis presbyterorum seu quilibet fidelium Christianorum his præsertim nuptiis præsumeret interesse. Prospiciebat in hoc perenni simul et temporali multorum indemnitati, consulens etiam juri communi, videlicet ne ante plenius cognitam et discussam rei hujuscemodi veritatem in alicujus partis præjudicium tale iniretur connubium.

At episcopo citius post hæc ob quædam negotia ad regem in Neustriam profecto (135), convenerunt in B vico quodam remotiori juvenis prædicti fautores et consanguinei, ibique simplicitate abutentes seu cupiditate sacerdotis loci illius, solemni more conjungunt in facie Ecclesiæ militi infantulam, illustri rusticanam, ingenuo ex servili conditione procreatam. Tanta fuit aviditas alieni juris occupandi ut nec ingenuitatem degenerata conditio, nec salutis manifesta perditio infaustas nuptias præpediret. Regresso interea a transmarinis episcopo, quæ gesta sunt citius innotescunt. Hinc presbyter, talium minister nuptiarum, suspensione ab eodem pariter beneficii mulctatur et officii. In reliquos vero vetiti sui transgressores, cum viri coram eo parere contumaciter detrectarent, excommunicationis sententia promulgatur.

C Interea fletæ matris cubicularia (cujus ministerio proles alienæ genitricis quæsita est et inventa) terrente conscientia, primum ad pœnitentiarium Ecclesiæ Lincolniensis, sanctæ recordationis magistrum Willelmum de Bredefeldo subdecanum (136), et ipsius demum hortatu ad ipsum accedens episcopum, omnem rei ordinem cum magna detegit profusione lacrymarum. Tunc episcopus de his omnibus certior effectus, secretum quidem apud se interim habuit, quod secretius audivit, latam vero pridem sententiam singulis circumquaque per Ecclesias diebus Dominicis renovari publice demandavit. Quod aliquandiu, ut fuit impletum, machinatrix et materia hujus mali mulier infelix, reversa demum in se cœpit horrere D opus adeo perniciosum a se commissum, tandemque animata consilio prudenti accedit pariter secum assumpta delicti sui conscia et ministra, cubicularia prænotata, ad episcopum, atque primum illi soli, deinde pluribus viris discretis (inter quos et ille, qui hæc scripsit (137), præsens fuit) reatum suum flebiliter confitetur, et se proprium maritum perdidisse, se fratrem ejus circumvenisse, illum ad mortem, hunc ad proscriptionem et exheredationem voce geme-

(134) Qui in hoc munere successerat Galfrido, de quo dictum, lib. III, c. 8.

(135) In Neustriam venit Hugo in Septuagesima anni 1199, infra lib. V, c. 15, iturus ad Richardum regem.

(136) Forte et cancellarium, qui apud Surium tentavit Hugonem de differentia osculorum inter sua et S. Martini.

(137) Ex hoc conjicio pœnitentiam adulteræ accidisse anno 1199, postquam Hugo rediit ex Neustria in Angliam.

lunda protestatur. Quæ universa Cantuariensi metropolitano (138), tunc temporis totius regni justiciario, sollicite per episcopum insinuantur, fratribus quoque et amicis alieni patrimonii, ut prædictum est, insidiatorie obtenti, cunctis etiam primoribus fere et baronibus curiæ Anglicanæ.

Nihilominus vero sponsus puellæ insonter noxiæ cum suis consiliariis incumbit possessioni nocenter adeptæ. Asserunt enim juxta leges Angliæ cujusque sobolem decerni legitimam, quam uxoris maritus legitime, quoad viveret, legitimam habuisset. Arcetur itaque hujus prætextu sententiæ hæres legitimus ab ingressu possessionis hæreditariæ. At interim, ob reverentiam magis episcopi quam propter evidentiam universis pene notificatæ rei, non sinebatur contra eum judiciaria diffinitio sententialiter proferri. Iterato autem constantissimo juris propugnatore in Northmanniam transfretante (139), inque discessu suo sæpius protestante quia, si hanc miles sibi, ut proponit, in conjugem acceperit, rusticam profecto se noverit habere, nec de illa plurimum gaudebit. Homines rursus facinorosi conspiratione facta diem partibus statuunt, quo diffinitum litigii hujus calculum apud Londonium proferendum procrastinatione remota edicunt. Igitur Adam de nova villa (hoc enim nomen erat viro, qui puellam duxerat) stipatus propinquorum turmis Londonias festine petens, nocte diem præcedente, qua judices sibi terram illam promiserant in solidum adjudicandam (cujus solummodo eatenus obtinebat custodiam) non procul ab urbe hospitio susciptitur. Cujus dum fautores et consiliarii de forma sententiæ dandæ cum judicibus in civitate sollicite deliberant, ille in diversorio lætus et temulentus lecto excipitur, sed sopori mortem socians subito exstinguitur (140), solusque ad tribunal justioris judicis, factorum recepturus vicem, tam imparatus quam nil tale arbitratus extemplo protrahitur. Timendum autem ne forte cum improperio ibidem audierit ex sententia districti judicis quod sæpius in ore veridici ipsius sui præconis vertebatur. Cum enim incognitum sibi et peregrinum quondam nomen forestariorum crebrius vir sanctus audiret, querelis etiam oppressorum ab eis hinc inde crebrescentibus, barbaræ nuncupationi alludens dicere consuevit : « Recte homines isti et satis proprie nuncupantur forestarii. Foris namque stabunt a regno Dei. »

Alius etiam quidam forestarius episcopi maledictione retenta infra paucos dies, ex quo tradi meruit Satanæ in interitum carnis (*I Cor.* v, 5), crudelis interiit sententia mortis. Nam a quibusdam, quos in foresta sua, quam servabat, invertos insolentius more suo tractare disposuit, ita peremptus est, ut brachiis amputatis et a capite avulsis fustes quidam satis exigui (pro quibus ab eodem satis injuriati fuerant, qui eum peremerunt) inter cadaver truncatum et caput exsectum, nec non et alia membra feraliter excisa, et hinc inde posita per loca tria relinquerentur, in signum videlicet et testimonium nequitiæ, quia in finitimos quosque tyranicam rabiem consueverat exercere.

CAPUT V.

De quodam diacono, qui militem quemdam super crimen regiæ proditionis acriter impetebat. — Et hoc capitulum inseritur magnæ Vitæ cap. 6, *lib.* IV.

Diaconus quidam, nomine Richardus de Wara, militem quemdam vocabulo Reginaldum de Argentemi super crimine impetebat regiæ proditionis. Erat uterque de episcopatu Lincolniensi. Erat vero plurimis non incertum falso impeti militem a clerico. His episcopus cognitis, diaconum per censuram ecclesiasticam nititur a temeritate sua cohibere. Inhibet proinde sub interminatione anathematis, ne in foro sæculari, præsertim ad judicium sanguinis, audeat eam pertrahere diaconus. At ille, de regio qui eum tuebatur elatus favore, monita pariter et minas pontificis contemnebat. Nam et Cantuariensis archiepiscopus (141) (qui et tunc publicus regni justitiarius habebatur, cujus protectioni eum rex Richardus impensius commendaverat) episcopo injunxisse dicitur, ne contra honorem regium compelleret clericum a prosecutione initæ accusationis desistere. Verum Petri imitator versus in hoc, sicut in similibus sæpe mandatis illius, sui potius officii jura quam hominis attendebat verba. Nam, quia magnus ille vir, ut ipse veraciter perhibere solebat, utrumque sibi gladium commissum habebat (erat namque, sicut potestate ordinaria metropolitanus, et auctoritate apostolica totius Angliæ legatus (142) : ita vice quoque regia super forenses judices arbiter summus) episcopus, quid, a quo idem loqueretur gladio, prudenter et caute discernere studebat. Unde, quotiescunque aliquid monebat aut jubebat quod materiali potius quam gladio congrueret spirituali, non verebatur vir Dei dicere ei quod apostolorum summus pontificibus legitur dixisse : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29).

Quamobrem clericum rebellem et disciplinæ contumaciter resistentem ecclesiasticæ, pontificali non distulit rigore percellere. Suspendit itaque ab officio et beneficio nolentem jugo subdi canonico. Qui, ad legatum perveniens, per eum de facto a suspen-

(138) Huberto, de quo iterum cap. sequenti et alibi.

(139) Anno 1200, cum Joanne Rege ex causa, lib. v. c. 19, indicanda.

(140) Intra illud tempus, quo Hugo in Northmannia et in Gallia morabatur.

(141) Hubertus, in archiepiscopum electus anno 1193, obiit anno 1205. Ita Whart., p. 1, pag. 114, Angl. Sac.

(142) *Iste Hubertus* (inquit Radulphus de Diceto apud Whart. p. 2 Angl. Sacr. p. 693), « anno Domini 1195, plenitudinem potestatis in officio legationis favore omnium cardinalium assecutus est ab eodem Cœlestino, tam in archiepiscopatu Eboracensi quam proprio. »

sione obtinuit relaxari. Hinc tumore plenus, ad episcopum accedens, sub præsentia multorum optimatum regni, tam procerum videlicet quam episcoporum, minari cœpit grandia. Jactabat vero se a jurisdictione Lincolniensis episcopi taliter jam auctoritate legati exemptum, quod de cætero nullatenus omitteret propter illum, quin et domino regi omnem fidelitatem exhiberet, eique justitiam de suis obtinere proditoribus decertaret. Insultans quoque episcopo, asserebat se relaxatum a suspensione qua ipsum, ut dicebat, minus licite decrevisset punire.

Ad hæc ille non enervis naviculæ Petri gubernator suo more, ut semper, illato terrore constantior, ut de quodam sancto legitur qui in diebus suis non extimuit principem, ita cunctis audientibus infit: « Incassum sane, inquit, super hujusmodi relaxatione tibi blandiris. Nam excommunicandum te in continenti noveris, si juri parere super excessibus tuis ulterius detrectaveris. » Quid multa? Illo contumaciter obstrepente et tanquam ore regio minas furiosas intonante, episcopus eum innodare nec timuit nec distulit solemni anathemate. Qui legatum adiens queritur de episcopo quod in ejus præjudicium regisque dispendium adeo, ut allegabat, proterve eum excommunicasset. A quo tandem litteras impetravit ad episcopum, quatenus pro absoluto haberet eum, utpote a se absolutum. Cui episcopus, tali perlecto mandato, ita dixit: « Si centies te Dominus archiepiscopus absolvendum duxerit, centies aut etiam sæpius te scias a nobis excommunicandum, quandiu te videbimus in præsumptionis tuæ amentia irrevocabiliter induratum. Tu videris quanti habeas sententiam nostram; nos enim hanc omnimodis ratam habemus et firmam. » Sic ille abscedens, jamque metu tantæ illius constantiæ aliquantulum corde fractior, pollicetur deliberaturum se utrum, juxta quod exigebatur super parendo juri, coram episcopo vellet cavere. Qui cito post hæc a quodam suo puero lethaliter securi percussus in capite, proh dolor! prius exhalavit animam quam erroris sui insinuavit pœnitentiam. Uno enim ictu excerebratus et repente exstinctus est.

CAPUT VI.

De adolescentula Oxoniæ, quæ, priore sponso contempto, de facto alteri conjugata et super hoc convicta, parere contempsit beato Hugoni. — Et est hoc similiter capitulum in magna Vita sub capitulo sexto.

Adolescentula quædam Oxoniensis, cujusdam burgensis filia, convicaneo cuidam juveni legitime nupta, alterius juvenis amore amplius succensa, priore contempto sponso, illi de facto est conjugata. Quæ super impetita a priore atque convicta monebatur diligentissime ab episcopo, quatenus primo se redderet marito. Ipsa vero dissuasa a matre, quæ in consilio nequam alteram se filiæ suæ exhibebat Herodiadem, ante se morituram quam ei nupturam procaciter clamitabat. Tunc vir Domini, apprehensa ejusdem sponsi illius dextera, miscens terroribus quoque blandimenta: « Filia, inquit, mea si vis esse, obaudi jussioni meæ, et suscipe in pacis osculo cum Dei benedictione maritum tuum. Alioquin revera de cætero non parcam tibi, nec perniciosis consiliariis tuis. » Jussitque virum ejus in osculo sancto suscipere eam. Quod dum ille implere vellet, infelix illa impudentissime exspuit in faciem ejus, cum prope esset altare, præsensque cum pluribus viris reverentissimis adesset tantus sacerdos, et turba fidelium multa, in ipsa ecclesia pariter constituta. Tunc universis ob tantam contumeliam viro illatam vehementer erubescentibus, episcopus voce terribili ait: « Quia noluisti, inquit, benedictionem, sed maledictionem dilexisti, ecce apprehendet te maledictio. Moxque excommunicavit eam. Quæ in propria contumaciter abscedens, post dies paucos sibi ad inducias utilius secum deliberandi cœlesti pietate concessos, cum magis indureretur cor ejus et nullatenus resipisceret, præfocata ab hoste maligno, delicias repente illicitas et caducas tam perpetuis quam justis commutavit suppliciis. »

CAPUT VII.

De clerico Eboracensis diœcesis, qui super ecclesia dimittenda, de qua contra eum a beato Hugone auctoritate delegata ferebatur sententia, parere noluit judicatis. — Et est adhuc capitulum hoc sub eodem capitulo sexto in magna Vita.

Itidem clerico cuidam Eboracensis diœcesis, nomine Willelmo, suam, qua injuste eum spoliaverat quorumdam violentia, restituendam ecclesiam auctoritate Hugo decreverat apostolica. Quem pars adversa diutius ab ingressu possessionis sibi adjudicatæ manu repellebat armata. Miles namque, illius villæ dominus, in qua sita erat ecclesia litigiosa, fratrem suum in eamdem ingressum per intrusionem armis tuebatur, viribus nitens illicite occupatam vindicare illi possessionem. Fovebant quoque partem intrusoris tam ecclesiastici quam et mundani judices et optimates illius regionis. Tandem Willelmus nimiis jam laboribus confectus, sumptibus quoque curiæ Romanæ suffragium in propria implorat persona, plurimorum etiam hinc inde auxilia pervigili, sed parum utili, requirit instantia. Penitus exhaustus totus convertitur ad unicum oppressorum refugium, et ad invictum juris patronum, ejus quoque flebilibus vocibus interpellat subsidium. Indignatus quoque bonus Eliæ atque Elisæi in zelo æmulator, auctoritate fultus apostolica, intrusorem prænominatum et ipsius complices duræ maledictionis ferit sententia.

Nec paulo tardius in sacrilegos desævire cœpit ultio divina. Nam, ut viris plerisque religiosis referentibus nobis innotuit, alii ex his in amentiam versi sunt, alii repentina morte miserabiliter præventi interierunt, aliis ex cavis orbibus oculi cum immensis cruciatibus exciderunt. Sic itaque virtus absentis præsentem ad nocendum innoxio perdomuit superborum audaciam, sic legitimo possessori restituta est defensa bonorum possessio, sic denique athleta fortis nostrisque temporibus ambidexter probatissimus, utraque manu pugnare et utraque pro dextera

uti doctus, hos percutiebat et interficiebat, illos feriebat et vivere faciebat, cadebantque ab eo a dextris et a sinistris. Citius enim quisque in mortem cecidit qui dexteræ ipsius ictum excepit. Aut enim corrigebatur, et Deo victurus peccato moriebatur, aut corde induratus et incorrectus exitio tradebatur.

CAPUT VIII.

Qualiter a rege Richardo redemit pallii servitutem, et quam liberaliter contribuit clerus diœcesis suæ ad illam redemptionem, et quod etiam pœnam pecuniariam recipi prohibuit pro delictis. — Et hoc est capitulum in magna Vita sub cap. 7.

Sentiens vero cruentus generis humani inimicus in sui grave dispendium viri ubique victoriosissimi vires prævalere, a castris eorum quos ejus tuebatur præsentia, eum arte callida nititur amovere, quatenus saltem, elongato a certaminis loco insuperabili totius aciei protectore, in reliquo licentius grassaretur agmine. Sciens namque serpens virulentus virum Dei libertatem Ecclesiæ impensius zelare (qui nec subjectis sibi Ecclesiis pecuniarias ullatenus exactiones imponeret, nec quibusque potestatibus tale quid a sua exigentibus Ecclesia ulla ratione acquiesceret) in talem eum perplexitatem conatur inducere, ex qua præter aliquid saltem inconveniens haud facile ipse quivisset erumpere.

Armatus igitur æstu inveteratæ malitiæ perversas quorumdam familiariter subditorum sibi instigat mentes, per quos regis animos contra episcopum ad novas et inopinatas querelas excitaret. Suggeritur per eos regi ingentis cujusdam debiti, quod ei annuatim solvere tenebatur, Lincolniensem episcopum esse detentorem, unde et reus in ejus, ut vulgo dicitur, misericordiam incidisset, et ad summam æris plurimi fisco ex diutina retentione refundendam addici potuisset. Nam Lincolniensis quidam olim antistes, dictus Alexander, qui tertius (143) Hugonem præcesserat, pallium centum argenti marcis appretiatum regi, suo tempore imperanti, aliquot in prætermissis annis dedisse ferebatur. Cujus successor, vocabulo Robertus (144), idem aliquoties egisse dicebatur. Hinc calumnia in Hugonem devoluta. Non enim solum hoc, quod eum pontificatus sui tempore quotannis debuisse præstare memorabant, anxie ab eodem repetunt, sed etiam pro injuriosa regii muneris subtractione ipsum ad regis nutum satisfactioni esse obnoxium satis invidiose decernunt. Nec tantum personam episcopi, imo et Ecclesiam (cujus ille et onera subiisset, et emolumenta perciperet) pro tempore Waltheri (145) sui decessoris (qui nec ipse pallium regi debitum aliquando dedisset) et detentionis ream, et redditionis debitricem esse perhibebant. Conventus super talibus ab ipso tunc rege Richardo episcopus, vix tandem, inimico (146) adversante sibi, ut ferebatur, maxime archiepiscopo sæpius memorato, pro tribus millibus marcarum tam a repetitione subtracti muneris quam et ab ejusdem in posterum collatione, et se et suos eripuit successores, suamque perpetuis temporibus a præsentationis illius onere absolvit Ecclesiam. Nihil enim indignius, nihil sibi intolerabilius fore æstimabat quam Regis æterni sponsam, aut seipsum, illius pro tempore custodem, mortali homini censualem constituere, et quodammodo vestigalem exhibere (147).

Sed unde viro liberalissimo hæc tanta proveniret pecunia, qui omnes semper annuos redditus, vel quoscunque proventus ad impendia misericordiæ, et in sumptus justæ necessitatis effundere solitus erat, cui nunquam ultra præsentis anni spatium quidquam pecuniæ erat residuum, quippe cum et mutuum æs frequenter sumeret alienum? ubi inveniret qui regi persolveret tot millia talentorum? Erat quidem paratum ad manus consilium, si, quod propriis deerat crumenis, a subjectorum vellet extorquere locellis. Sed, qui non modo pecuniam, imo et propriam pro sibi commissorum indemnitate in votis semper habuit animam ponere, qualiter eis suam extorqueret substantiam? vel, qui suam a præbitione ignobili eximere satagebat Ecclesiam, quomodo Ecclesias oneraret aliorum, ut seipsum relevaret, et pro sua libertate jugum aliis imponeret servitutis?

Jam itaque viro Dei videbatur unicum superesse remedium, quod et sibi satis erat votivum, ut ipse scilicet ad suam interim secedens Withamiam (148), ibique solitarie degens, proventus universos totius episcopatus ad summam hujus debiti persolvendam converti ordinaret. Gaudebat toto animo et exsultabat quia, non modo justam et honestam, imo et necessariam, putabat se invenisse occasionem, ut a mundanis tumultibus aliquandiu secederet, ac secretis cœlestibus eo suavius quo liberius inhæreret. Verum, ut hoc suum propositum notitiæ suorum intimavit clericorum, obniti vehementius universi cœperunt, intolerabilem sibi prorsus illius remotionem tantam protestantes, sed et religiosæ personæ innumeræ ne id fieret quod disponebat

(143) Non numeratur Galfridus aut Gaufridus, qui sine consecratione et sine pallio aliquot annis episcopatum tenuit, et tandem resignavit.

(144) Hujus nominis II, qui primus Alexandro successit.

(145) Qui secundus Alexandri fuit successor, et cui tertius noster successit Hugo.

(146) Id est, Huberto. Ubi nota, Baronium, ad annum 1189, quædam retulisse ex Surio, velut sub primordiis regni Richardi regis facta, quæ primum anno 1197 contigisse, ex hujus Vitæ lib. v, c. 7, constat. Unde et Baronius in indice lit. B. erronee de Balduino scribit : « Accusat S. Hugonem Lincol. episcopum apud Richardum novum regem Angliæ. »

(147) De pallio ejusque redemptione legatur Giraldus Cambrensis apud Whart., part. II, Angl. Sacr., pag. 419.

(148) Semel aut bis annue Withamiam secessisse Hugonem, infra c. 10, asseritur. Nunc, ut onus pallii redimeret sine aliorum sumptibus, illuc secedere cogitabat.

magnopere dissuadebant. Denique universis diœcesis suæ et ecclesiasticis personis in communi placuit ad exemptionem matricis suæ Ecclesiæ pecuniam de suis copiis conferre animo libenti. Unanimiter quoque, ut patrem et defensorem pium atque fortissimum, obnixius ipsum efflagitabant episcopum, ne hujusmodi rei gratia suam ab eis aliquatenus præsentiam absentaret. Ita multum, licet invitus, et coactus filiorum suorum petitionibus acquievit, suæ voluntatis desiderio præponens pium generalitatis decretum. Suis vero districtius inhibuit officialibus, ne a quovis hominum quidquid amplius exigere præsumerent, quam quod voluntate spontanea quilibet obtulisset; de proprio autem peculio, quantum facultas admitteret, dari præcepit. Sicque provinciales potius Ecclesias, quam earum matrem Ecclesiam Lincolniensem, a turpi simul et gravi diu inolitæ servitutis jugo semel eripiendo, perpetuæ restituit libertati. Nam citra cujusque gravamen a clericis modo semel percepit eorum, ut sic dicatur, redemptor et manumissor hoc quod, imo amplius, non sine multorum gravamine extorquere solitus erat uterque præmemoratus hujus tributi inventor ac redditor, palliata scilicet, sub prætextu regalis pallii, ambitione pontificali. Quod tamen ex nobis dicere non audemus, sed hoc dicimus ex sententia plurimorum, qui sæpius ex tali divitum colludio egestati suæ gemebant illudi. Nam et ipse rex edoctus, ut credebatur, a quibusdam lac suarum ovium usque ad expressionem butyri libenter ac frequenter emulgentibus, hoc episcopo potius quam sibi profuturum dixerat, si more prædecessorum suorum multa sumeret a suis clericis, unde vix pauca daret pro pallio, appendendo suis humeris.

At verus et bonus pastor, quantum oves sibi creditas diligebat, tantum immunitatem illarum zelabat. Quantum vero ad se pertinebat, sicut omnem avaritiam sedulo fugiebat, ita et occasionem avaritiæ summis, ubi posset, nisibus jugiter evellebat. Unde multam pecuniariam a quibuscunque delinquentibus tam archidiaconos suos quam eorum officiales ac decanos exigere prohibebat, nimirum verens ne pro muneribus aliquem aut opprimeret insontem, aut in suis excessibus sontem foverent, juxta illud antiqui legislatoris : « Munera excæcant *oculos sapientum*, et subvertunt verba justorum (*Exod.* XXIII, 8). » Itemque illud Scripturæ alterius crebro suis officialibus ingerebat : « Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt (*Job* XV, 34). »

Econtrario illis frequenter asserentibus plus terrere improbos pecuniæ damnum quam excommunicationis probrum, aut corporalium pœnarum afflictionem illis indicendarum, ille e diverso asserebat id suæ negligentiæ ascribendum, qui remissius se haberent in corripiendis illis qui peccassent, et districtius coercendis, nec eos tam studiose observare, ut illi injunctam explerent satisfactionem, quam observarent ut sibi pollicitam enumerent pecuniæ taxationem. Illis interdum pro se allegare studentibus ac dicentibus beatissimum archiepiscopum et martyrem Thomam hujusmodi a delinquentibus sumpsisse mulctas, ille confestim respondebat : « Credite mihi, non idcirco sanctus fuit. Alia enim virtutum merita sanctum exhibuerunt, et alio titulo meruit palmam reportare martyrii. »

CAPUT IX.

Qualiter jus advocatiæ abbatiæ de Eyneshaim contra regem Richardum illud sibi vindicantem, per inquisitionem solemnem evicerit. — Et est hoc capitulum in magna Vita cap. 8.

Cum autem, ab adventu Northmannorum in Angliam, bello sibi jure subactam per annos centum (149), et eo amplius, Ecclesia Lincolniensis continue et inconcusse usque ad id temporis patronatum gesserit Eyneshamensis cœnobii (150), hanc ei dignitatem subripere maligni quidam pertinaciter sunt aggressi. Beatus sane pontifex Remigius (151) (quem in brevi post triumphatam insulam gloriosum habuit cathedralis ecclesia Lincolniensium fundatorem) (152) vastatam, fugatis hostili metu fratribus, abbatiam reformavit prænotatam. Quam sibi auctoritate regia inclytus triumphator Willelmus ita confirmasse dicebatur in propriam, ut præter ipsum episcopum ejusque successores nulla in eam vindicare sibi præsumeret ecclesiastica seu laicalis persona quamcunque dominationem.

Accidit autem ut anno præsulatus beati Hugonis decimo (153) venerandus cœnobii hujus rector et abbas migraret ad Dominum, nomine Godefridus (154), qui a diebus Stephani (155) regis usque ad tempora regni penultima Richardi (156), filii Henrici regis, annis circiter quadraginta quatuor loco eidem noscitur præfuisse (157). Quo episcopus audito, misit juxta morem antiquum ex suis clericum unum, qui abbatiæ custodiam in manus suas reciperet, ac rerum monasterii una cum fratrum

(149) Ab anno 1066, quo triumphator Willelmus (de quo mox) e Northmannia in Angliam transfretando, in die Natalis Domini Lundoniæ coronatur in regem Angliæ. Ita Pagius in Crit., p. 228.

(150) Giraldus Cambrensis part. II, Angliæ sacræ, pag. 417. « Monachos quoque, inquit, Robertus Bloeth de Stowa usque ad Egnesham, etc., provide transposuit, baculique pastoralis donationem sibi et successoribus suis reservavit. »

(151) Ab anno 1067, circa initia regni præfati Willelmi a Lanfranco Cantuariensi in episcopum consecratus, obiit anno 1093, in die Ascensionis Domini.

(152) Ideo sic dictum, quia Dorkecestra sedem transtulit Lincolniam.

(153) Qui erat annus Christi 1195, aut 1196, ob dubium, quo anno Hugo sit factus episcopus.

(154) Nullus in serie abbatum Eveshamensium sub hoc tempore occurrit Godefridus; unde liquet hunc Eyneshamensem fuisse abbatem.

(155) Obiit Stephanus rex Angliæ anno 1154.

(156) Error videtur admissus, aut sensus est obscurior.

(157) Præesse igitur cœpit ante mortem regis Stephani uno aut altero anno.

diligentia sollicitudinem gereret, quousque abbatis instituendi canonica electio celebrari potuisset. Cæterum tam vacantis abbatiæ custodiam, quam substituendi abbatis debitam facultatem, qui regiis in Anglia præerant negotiis, episcopo nitebantur auferre (158). Nam rex ea tempestate in transmarinis confligebat cum Francorum rege (159).

Complures itaque viri prudentes, et episcopum sincere diligentes, persuadere ei conati sunt ne, ut dici solet, contra ictum fluminis brachia, ob adversantium multitudinem atque potentiam interim minus valida, inaniter fatigando exsereret. Asserebant namque regis genitorem Henricum generali constitutione decrevisse ut universæ regni sui abbatiæ in sua manerent donatione. Nec fore existimabant de facili, ut contra patris decretum filius, eo, ut videbatur, in multis pertinacior, gaudere cum sineret privilegio, avitis licet temporibus obtento. Denique negotium hoc laboris plenum, modice fructuosum, multimodis damnosum, nullatenus monebant attentandum. Metiendum cum labore etiam laboris fructum suggerebant, nec maxima aiebant subeunda rerum innumerabilium dispendia, quæ jam citius prævideret ex hac controversia sibi suisque emersura, ubi, quod intendebat, assequendi spes esset fere nulla, forte etiam assecuti utilitas parva.

Talia suggerentibus vir singularis confidentiæ miræque discretionis confestim respondit : « Absit, inquiens, ut mortalium quispiam tale decretum statuere præsumat, unde Deo nostro et beatissimæ reginæ cœli quod suum est auferre prævaleat! Hujusmodi leges, etsi justæ essent, futuris duntaxat negotiis formam darent, non etiam convellerent statuta priorum. Quis vero prædecessorum meorum tali subscripsit decreto, quo solo posset juri non immerito præscribi eatenus ab eisdem possessio? Absit enim ut personæ cujuscunque laicalis statutum ecclesiasticæ libertatis privilegium infringat! Mihi vero non contingat ut qualiscunque timore potestatis, seu quantæcunque formidine difficultatis, jus Ecclesiæ meæ, quantum in me est, sinam deperire! Cum enim sit satis pudendum a majoribus acquisitas et ab antiquis defensas non etiam augere dignitates sanctæ Ecclesiæ atque libertates, quam est probrosum, si ex inertia ignavi atque inutilis rectoris a suæ integritatis statu decidant, quæ per strenuum dispensatorem augmentari ac melius provehi debebant! »

Talia prosequens, continuis duobus semi annis (160) nec sumptibus nec proprio sudori parcens, tum pro expedienda libertate canonici status præfati monasterii, tum pro tuenda dignitate sua, invictissime contra ipsum regem, quam et contra plerosque sub dolos clam adversantes sibi, eis citraque mare decertans, tandem favente Domino celebri potitur triumpho. Recognito namque per sacramentum viginti quatuor fide dignorum, clericorum pariter et laicorum, quid juris prædecessores sui in illo habuissent cœnobio, testimonio, adjudicatur ei ejusdem patronatus in regis curia. Hinc restituitur ei abbatiæ vacantis custodia, præficiendique abbatis jurisdictio plena et absoluta (161). Post quæ ad eam in propria accedens persona per dies octo mansit in ea cum fratribus loci tanquam benignus pater cum filiis charissimis, ingrediens et egrediens, cum eis in communi refectorio pariter convescens, eosque vino jucunditatis et dapibus suæ largitatis copiose reficiens.

Tractabatur interea jussu ejus in conventu super electione futuri abbatis. Expleta vero hebdomada una, accitis abbatibus vicinis aliisque religiosis viris, præsentatur episcopo monachorum electio, ac solemniter confirmatur ab eodem. Quibus rite gestis, pastor egregius Lincolniam proficiscitur, ibique in cathedrali ecclesia electus Eynesheimensis cum favore atque lætitia cunctorum, benedictione ejus sacra in abbatem honorifice promovetur. Instructoque solemni convivio tam clericis quam abbati et monachis suis, discumbebat utriusque cohortis inclytus dux in medio eorum, mirum in modum gaudens et exsultans in Domino, eo quod instar pastoris summe boni alias oves adduxisset, quæ essent ex ovili alio, ut efficerentur de cætero unus grex, istæ et illæ oves, et esset utrisque unus pastor, qui sic mutuo sibi Ecclesiam confœderasset et abbatiam, ut foret perpetim utraque unum. Dedit quoque abbati novo virgam pastoralem argento et ebore pulchre vermiculatam cum scypho ingenti atque insigni. Locum etiam ipsius regimini commissum pluribus ampliavit beneficiis, et donariis decoravit, ac paterno semper affectu tam ipsum abbatem quam gregem ei subditum fovit et dilexit.

CAPUT X.

Quod annis singulis fere Withamiam declinaverit, ubi cornutam faciem gerere videbatur. Et qualiter sæcularibus ibidem prædicando de tribus specialiter eos instruere nitebatur, scilicet de cordis charitate, veritate oris et corporis castitate, et quam stricte servare apud se nitebatur veritatem. — Et hoc capitulum est in magna Vita sub capite 9.

Ad suam vero Withamiam singulis propemodum annis semel aut bis secedere vir sanctus consueverat. Manebat ibi aliorum more in cella solitaria, quæ semper ei absque habitatore vacua servabatur, in qua meditabatur, et orabat, reficiebatur cibo, et

(158) Jure quo baculi pastoralis donationem Robertus de Bloeth sibi et successoribus suis reservavit, haud dubie a Remigio olim obtentam.

(159) Richardus rex annis singulis ab anno 1195, usque ad obitum suum cum rege Francorum in transmarinis conflixit, pace, nunc facta, nunc rupta.

(160) Dilata proinde fuit novi abbatis electio ad minus ultra annum.

(161) Confirmat relata Giraldus Cambrensis in Angliæ suæ part. II, pag. 419, his verbis : « Item monasterium de Egnesham olim perditum iri regia potestate paratum viriliter (Hugo) retinuit, baculique pastoralis donationem sumptuosis laboribus sed efficacibus et fructuosis ad Ecclesiam Lincolniensem revocavit. »

somnum capiebat. Inde ad publicum quandoque, ut A salutaret adventantes, sibique loqui cupientes, progrediens, cœlestibus radiis quodammodo ex consortio sermonis Domini cornutam gerere diligenter intuentibus videbatur faciem, quam viva cujusdam leporis comitate totiusque dulcedinis suavitate palliabat, ac colloquentibus sibi frontem contemperabat.

Laicis quidem atque sæcularibus angelicæ illius vitæ statum collaudantibus, et de suæ mundanæ vitæ impedimentis conquerentibus (quos tamen nec velle, nec posse sciret ad perfectiora instituta vivendi transire) hujusmodi proferebat instructionem : « An solum, inquit, monachi, sive eremitæ tantummodo atque solitarii consequentur regnum Dei ? Denique cum unumquemque judicabit Dominus, nequaquam id expostulabit quod eremita quisque non fuerit aut monachus, sed potius reprobo cuique exprobrabitur quod minime exstiterit veraciter Christianus. Nam tria quædam a quolibet sunt exigenda Christiano, ex quibus si vel unum illi, cum judicabitur, defuerit, nomen illi Christianum non valebit prodesse. Nocebit nomen potius sine re, quia damnabilior est falsitas in veritatis professore. Exigitur autem ut virtus et veritas habeatur boni nominis hujus, quatenus indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas quoque in corpore non fallaciter Christiani (162). » *Inter plura, quæ de his tribus in serie magnæ vitæ prolixius inseruntur, notabile est verbum, quod de castitate et Dei dilectione mulieribus prædicando dixisse refertur, ita inquiens :* « Satis a sexu femineo Deus omnipotens diligi promeruit, quia nasci de femina non refugit. Magnificum quoque ac vere dignum ex hoc omnibus feminis privilegium contulit. Nam cum viro concessum non sit, quod sit, vel dicetur Pater Dei, hoc tamen præstitum est mulieri, ut sit Dei parens. »

Jam vero tantam in ore veritatem habebat, ut nullus sermo ab ejus exiret labiis cui sentiret aliquid inesse falsitatis. Nam et cautela vitandi cujuscunque falsi, cum referebat quidpiam, seu recensebat, quæ egisset vel audiisset, aliquo temperamento semper utebatur, in his etiam quæ indubitanter verissima esse noverat, ut diceret : « Sic [*f.* sicut] nobis occurrit modo, » aut aliquid aliud in hunc modum, D quo temeritatem assertionis falsæ funditus declinaret. Nec minori quoque observantia veritatis, sigilli sui reverentiam tuebatur, nihil unquam non verum in litteris, eo signandis, contineri permittens. Ubi adeo scrupulosus fuit, quod juxta tritam scribendi formulam, cum citatorias alicui ederet, in eis nullatenus poni sineret, « *Meminimus nos te aliquando citasse* » ne forte, quod in sua non erat memoria, in ea esse sua mentiretur chartula.

(162) Subducta non auctoris, sed abbreviatoris sunt verba, quædam ob prolixitatem omittentis.

(163) Ergo jam quotidiana celebrabatur missa, saltem conventualis et publica, qualem et olim sub Guigonis V, tempore celebratam fuisse quotidie constat, licet privatæ rarius fierent.

(164) In hanc usque diem idem actitatur in Carthusiano ordine, dum panis cuilibet distribuitur, non ad hebdomadæ integræ, sed ad sequentis diei victum sufficiens.

CAPUT XI.

Qualiter Withamiam veniens nitorem habuerit insolitum, colore rubicundo superfusum, ad primum loci conspectum ineffabili quadam spiritualis gaudii jucunditate sentiens se perfundi : et qualis erat conversationis, dum morabatur ibidem. — Et est hoc capitulum in magna Vita caput decimum.

Ne cui vero minus credibile videatur hoc, quod de spirituali quadam vultus ipsius claritate in eo relucente, cum egrederetur a cella sua, ut supra tetigimus, aliud quoddam satis de eo suis familiaribus notum, et a multis sæpenumero non absque stupore et admiratione notatum veracissime, huic narrationi duximus breviter inserendum. Quotiescunque enim a longinquis partibus ad illam sibi dilectam tendebat solitudinem, mox, ut a remotis finitimam ejus ingrediebatur regionem, nitor quidam insolitus, colore B decenter rubicundo superfusus, genas ei cum facie tota simul vestire consuevit. Ipse quoque intima cordis sui ad primum illius conspectum et ineffabili quadam jucunditate spiritualis gaudii sentiebat perfundi, quod suis quoque familiaribus sæpissime fatebatur. Quo jam consistente apud Withamiam, tantam in eo omnium sensuum innovationem superna efficiebat gratia ut subito intus et simul extra renovari videretur, sicut aquilæ juventus sua.

Deposito quidem exterius pallio, quo utebatur in publico (quod ex integro erat vel subrufo panno, candidis agnarum pellibus forrato [*f.* foderato]) pelles induebat arietinas, nullo panni tegmine coopertas. Cilicio, ut supra tegebatur, ad nudum; huic C tunicam in medio superinducto velabat pelliceo. Lectisternia ejus hæc tantum erant, sagum, cervical et pelles. Mane cum manus de more ablueret, ut ministro nullo, ita nullo utebatur manutergio. Missam devotissime duobus contentus ministris, sacrista scilicet loci, et capellano suo, quotidie celebrabat (163). Annulo pontificali excepto, in reliquis sacerdotalibus indumentis a consuetudine Carthusiensium in nullo penitus differebat. Utebatur enim alba et amictu, stola, favone atque planeta, planis et candidis, nec ornatis serico, nec aurifrisio seu gemmis. Diebus Dominicis post cœnam cum cæteris monachis ad ostium refectorii cum silentio et gravitate procedebat, ubi panis singulis ad totius hebdomadæ victum (164) a fratre interius consistente prælebatur. Sæpe tamen de licentia prioris ex cophino, sive ex arca, qua missæ condebantur a fratrum cellis seu a refectorio collectæ, crustulas duriores, et minutias fragmentorum præ ariditate jam torridas propriis manibus colligebat, non, quod ei suus panis non sufficeret, sed superabundaret, sed hæc dicebat fragmenta sibi sapidiora quam solidum panem videri. Revera quidem benedictionibus condita justorum gratius sano ejus palato sapiebant.

Scutellas, non modo, quibus pulmenta ei fuissent ministrata, sed etiam, quas fortuitu illotas alicubi reperisset, delectabiliter gaudebat abluere, tanta eas diligentia manibus digitisque nitidissimis intus exteriusque defricans ac pollinciens, ac si calicem Dominicum se contrectare putaret.

Et ipse quidem omni tempore semel in hebdomada, id est, die sabbati purissimæ confessionis lavacrum frequentabat. Quod de traditione inviolabili ordinis sui exsequens, nullatenus omittebat, quin etiam crebrius hoc ageret, mox ut aliquis ex quocunque facto, dicto, cogitatu scrupulus præter solitum ejus animo subortus fuisset. Frequenter quoque iterata innumeris vicibus confessione, quidquid ab infantia se meminisse delicti commisisse poterat, domino revelare, ejusque vicarii, cui confitebatur, oratione veniam obtinere satagebat. Quasi vero minus esset, quidquid totius anni tempore al as fecisset, tunc in auribus discretissimis venerabilium servorum Dei cum ingenti cordis contritione id agere impensius curabat, indesinenter conquerens quod bona sua, si quæ ex dono Dei in se essent, ex suo reatu fieret, quod pura satis non prodirent; mala vero sua, non aliud quam pura mala fuissent.

CAPUT XII.

Qualiter fratre Eynardo in arreptione itineris constituto, ut Withamiam relinquens, Carthusiam remearet, reductus est a beato Hugone, inito inter eos vicissim fœdere, quod nec ille Withamiam, nec iste Lincolniam desereret in futurum.

Cum autem superius memoratus frater Eynardus (165) jam admodum senex esset effectus, utpote qui annis pene centum in diversas mundi partes pro instituendis illius ordinis domibus a suis Carthusiensibus longe lateque directus, demum jam decrepitus hujus negotii causa pervenerat Withamiam, ad Carthusiam redire cupiebat. Videbat enim, opitulante Dei misericordia, jam locum ipsum tam interius quam exterius ad perfectionis culmen feliciter enituisse. Disponebat igitur ad suos redire, et cariosa jam membra bustis sanctorum, qui eum adolescentem olim educaverant, sociare. Verum, cum cerneret suam de die in diem rationibus variis eludi intentionem, nec jam ferret quo mens sua æstuabat desiderii vehementiam, valedicens fratribus, tremulos baculo sustentans artus, abire cœpit.

At Episcopus solitis tunc in cella sua vacabat exercitiis contemplationisque dulcedini. Caverat enim senex ille devotus, ne quod moliebatur ei citius innotesceret, a quo se maxime præpediendum multis jam argumentis certissime prænoscebat. Sed non in longum res latere eum poterat. Mox ergo ita, pedibus usque ad interiora vicini nemoris eum insecutus, his illum affatur: « Parcat, inquit, tibi omnipotens Deus, frater Eynarde! Quid enim est quod agere decrevisti? quid absque alumno tuo recedere, meque solum, et dulci nutritoris solatio destitutum, in terra aliena relinquere cogitasti? Equidem non ignoro, quam pio duceris desiderio, ut supremæ jam vitæ tuæ reliquias inter sanctos Burgundiæ eremitas expendere valeas. Verum me potius et ratio urget et voluntas, ut id ipsum agam. » Extracto igitur annulo pontificali a digito, et accersitis ad se clericis suis, ait eis: « Ite quantocius, et hunc annulum vobiscum deferentes, ac salutantes dominos nostros Lincolniæ, verbis nostris denuntiate illis, quatenus sibi alium provideant, et eligant pontificem, ut nobis de cætero amicam fovere liceat solitudinem. Nimis diu est, ex quo inter mundanos versor turbines, sanctæ conversationis dulcedini, in qua a principio calui, vanas et amaras occupationes hujus sæculi non recte anteponens. »

Talia eo prosequente, timere cœpit ac tremere vir ille desideriorum, quem ducebat non dulcedo natalis soli, sed flagrans amor poli, stetitque stupefactus. Tunc clericis super tali infortunio conquerentibus, quo per eum suo forent pastore destituendi, et exaggerantibus vehementer incommodum hujus mali, frater ille suffusus lacrymis et ingemiscens graviter, pedibus advolvitur sancti præsulis. Cumque ore facundo ac doctissimo laicus iste episcopo niteretur tum precibus, tum rationibus persuadere, quia non ita sibi liceret divinitus commissas relinquere oves, nec illum hoc modo flecti conspiceret, genua ejus complectitur, dicens: « Vere, ait, quandiu spiritus vitalis aget et reget hos artus, non te permittam gregem tuum relinquere, et plurimorum salute contempta, tui tantummodo gerere curam. Mihi melius est enim in terra peregrina usque ad finem morari, et tandem morte finiri, quam auctorem fieri tanti discidii, id est divisionis. Redeamus ergo ad solita, ne, dum quærimus, quæ sunt nostra, negligere culpemur quæ sunt Jesu Christi. » Ita, quem ab intentione recedendi a loco prius flectere tempore multo nullus prævaluit, prudentia viri sancti in momento non modo flectit, sed etiam, ut eo minime discedente et ipse quoque non discederet, cum vehementi instantia ipsum exorare coegit. Inito itaque vicissim fœdere, quod ille Withamiam non desereret, nec iste Lincolniam, redeunt alacres pariter, gaudente utroque se de alterutro triumphasse.

CAPUT XIII.

De peracto innoxie coquinæ incendio in nostri Hugonis finali de Withamia recessu.

Singulis autem annis, tempore potissimum autumnali, venire Hugo Withamiam consuevit: quatenus dum sui ad fruges temporales colligendas studiosius vacarent, ille dimissa suorum frequentia domesticorum in propria, eo facilius, quo liberius, carpendæ et in intimis animæ suæ apothecis recondendæ invigilaret annonæ spiritus. Nunc autem quid in ultimo (166) ejus ab inde recessu ibidem acciderit referemus.

Nocte igitur quæ diem illum clausit quo ultimum fratribus valefecit, eos ulterius corporaliter non visurus, id accidit quod sequitur. Cum enim jam sin-

(165) De quo etiam agitur lib. II, c. 5.

(166) Qui evenit circa finem anni 1199.

gulorum orationibus se, præmissa confessione vicissim petita et percepta, seorsum prius in eorum cellis commendasset, ex more demum in commune licentia postulata et solemni omnibus data benedictione, libato etiam paris osculo, sub his verbis, quæ frequenti usu, et a charis suis discessurus proferebat, ab eis recessit : « Nunc, inquiens, commendo vos Deo et verbo gratiæ ejus. » Hinc ad diversoria fratrum laicorum, ubi clerici et servientes sui commanebant, ibi mane crastinum exspectaturus accessit. Quo post quietem ad solvendas nocturnas Deo laudes ecclesiam ingresso, per vitreas ab occidua oratorii parte fenestras fulgor subito nimius illuxit, ita ut solis jubar eadem videretur claritas excessisse. Unde attoniti quidam, qui valvis ecclesiæ propius astiterant, festine erumpunt, cernuntque culinam, id est, coquinam, quæ proximis undique domibus pene fuerat contigua, porrectis longe in aera flammis exuri. Quod episcopus agnoscens vehementer expavit, metuens scilicet, ne in proxima forte ædificia edax incendium desæviret. Nec enim secus futurum situs et status ædium circumquaque imminentium cuiquam dictabat præsumendum. Ipsa vero ædicula, occasione servientium nec non et hospitum episcopi, ut eorum usibus pulmenta coquerentur in ea, fuerat constructa, eratque ex virgulis ac virgultis vicem parietum supplentibus contexta, stipula levi culmen ipsius tegente. Quæ ab aula hospitali sex aut septem vix pedum spatio disparata tecto ipsius, quod ex aridis erat scindulis confectum, ex proximo imminebat. Cellulæ præterea ligneæ conversorum usibus deputatæ, haud procul in girum erant dispositæ. Ipsi nihilominus ecclesiæ vicinius astanti, circumpositis undique officinis, justissime timebatur.

Cernens itaque vir providus his omnibus sui causa inevitabile, nisi divina virtute arceatur, imminere periculum, animo parumper consternatus, sed plurimum de Salvatoris bonitate confisus, salutiferæ crucis signum contra ignem aliquoties edidit. Intermittens vero cursum nocturnalis officii, quod ex parte jam inchoaverat, ante aram Dominicam sese protinus in orationem dedit. Nec prius destitit a prece quam domunculam funditus absumptam succubuisse flammis, et incendia tepuisse nuntiatur, et quidem citra cujuscunque rei detrimentum, præterquam illius solummodo ædificii quod etiam, si stetisset illæsum, manibus hominum de industria fuisset diruendum. Jam enim sæpius jusserat ad usus necessarios lapideum ex demolito ibidem construi domicilium, hoc scilicet quod modo accidit, veritus inde provenire periculum. Cujus mane incendium cum universi mirarentur adeo exstitisse innoxium, ille in Domino exsultans aiebat : « Benedictus Deus, qui non solum præsentem in tali casu timorem nostrum consolari voluit, sed et futuri metus sollicitudinem sub mea tandem præsentia funditus amputavit. »

Explicit liber quartus.

PROLOGUS LIBRI QUINTI.

Quatuor jam libellis de vita sancti Patris nostri Hugonis antistitis juvante Christi gratia utcunque explicitis, de ejusdem opitulatione confisi quintum (quem et ultimum hujus opusculi fore disponimus) subnexo inferius ordine tentabimus adoriri. In cujus serie nulla penitus retexere decrevimus, nisi ea solummodo, quibus præsentialiter interfuimus, aut ea quoque, quæ mox gesta per eum, nobis intimata fuisse evidenter recolimus (167). Hic vero narrationis sumetur initium a singulari devotione, qua præditus fuit erga studium sepulturæ mortuorum : cui demum conclusionis causa succedet postremum de incomparabili sepulturæ simul et exsequiarum honore et decore, quibus cœlitus donari meruit, peracto præsentis vitæ agone. Media inter hæc illa præsertim continebunt, quibus docetur pro Anglicanæ Ecclesiæ immunitate, tam contra regem Richardum, quam contra ejus justitiarium propriumque suum ipsius metropolitanum, viriliter decertando feliciterque Deo protegente superando, plurimum desudasse, atque ad postremum ipsi regi suoque persecutori, sepulturæ humanitatem exhibendo insigniter triumphasse. His quoque alia, scitu digna de exordio regni Joannis (168), nunc jam anno ipsius quarto decimo (169), mense tertio, plurimum fatiscentis, sensimque, ut ille prædixerat futurum, deficientis videntur subjicienda. Consequenter vero, uti ipse Carthusiam, et alia loca religione celeberrima adierit, reversus quoque in Angliam apud Londonias, ad gaudia supernæ Jerusalem felici beatus excessu migrarit, tentabimus explicare.

(167) In hoc igitur libro v, referi auctor quædam, quibus ipse interfuit, et alia quæ ab aliis audivit.

(168) Joannes rex Angliæ Londini coronatur anno 1199, in die, aut Dominica infra octavas Ascensionis Domini, apud Westmonasterium.

(169) Anno videlicet Christi 1212, durante adhuc exilio Cantuariensium et aliorum

Explicit prologus.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De immensitate divinæ ad homines dilectionis, quæ in sepulturæ humanæ officio notabiliter demonstratur, et de nostri Hugonis circa hujus officium affectione immensa.

Memoriam abundantiæ suavitatis divinæ erga genus humanum suaviter eructans, intimis a secretis Deique amicus Hugo, hæc et his similia, quæ subinferimus, suis sæpissime in odorem suavitatis ingerebat auditoribus. Cum, sicut aiebat, innumera quæ divinæ ad hominem dilectionis declarant immensitatem, ea quam maxime inter cætera prærogativam singularis excellentiæ noscuntur præferre quæ vel ante hominis ortum, vel post ipsius occasum homini non desinit conferre. Ut enim de hominibus, qui modo oriuntur et occidunt pauca attingamus, ante cujusque ortum, suæ pro eo mortis pretium Deus Dei Filius dedit, Deus Pater eumdem suum Filium in mundum, ut pro homine moreretur, misit, Deus Spiritus seipsum etiam in pignus effudit. Tota etiam simul Trinitas, unus Deus, sacramenta, quibus mox natus et mundetur et muniatur et roboretur, instituit : ac legis suæ adminicula, quibus regatur et erudiatur, concessit, aliaque satis inexplicabilia, utilitati ipsius hominis multipliciter profutura, indulsit. Quem post vitæ instabilis cursum, occasu præventum (cum a suis, olim charissimis, non sine tædio quodam recipitur, dum propriis quondam ædibus anxia quadam parentum et filiorum festinatione propellitur) gratissima Dei sui benignitas sola, a cæteris despectum, non aspernatur. Extemplo namque, non solum spiritus angelicos in præsidium animæ, ad suum Factorem remeantis dirigit, verum etiam primos ac præcipuos, quos in terris habet, ministros, sacerdotes videlicet et alios, in sacris ordinibus positos, in obsequium funeris mittit. Eis etiam quodammodo dicit: « Cernitis, inquit, o sacerdotes mei, et meorum, quæ in mundo sunt, palatiorum æditui, cernitis facturam meam, quam semper amavi, pro qua Filio meo Unigenito non peperci, sed eam immortalitatis ipsius et mortis participem feci? cernitis, inquam, suis hanc amicis quondam et necessariis effectum oneri, hanc quoque ab eis quasi turbulentam ejici et expelli? Eia, festinanter currite, et occurrite ad me confugienti, imaginem filii mei, pro ea crucifixi, cum thymiamateriis et cereis assumite, Ecclesiæ meæ signa in solemne classicum concutite, vocibus hymnidicis clarius concrepate, basilicæ meæ fores et abdita interiora pandite, nec longius ab ara Filii mei corpus continente, fratris illius aut sororis lipsana deponite; palliis quoque denique pretiosis lætitiam illius nunc demum triumphantis redimite, stipate lampadibus atque lucernis, assistentibus obsequentium catervis, quamvis jacentem, ambite. Iterata præterea Filii mei votiva immolatione convivium pinguissimum instruite, quo et spiritus anhelus, ac de concertatione mortalitatis inolitæ, sed jam depositæ, adhuc irrequietus et fessus in robur respiret; caro quoque habitatore pristino interim vacuata, atque matris terræ gremio subinde confovenda, sanctificatione irrigetur gratissima, quatenus sub die ultima, contubernali, olim præcognito, delectabiliter sociandæ, alacriter refloreat, viriditate æterna feliciter induenda. »

Hujusmodi sententiam per singula plena verba de benigni Conditoris circa defunctos clementia proferens, hic ejus dispensationis in multis conscius et fidelis interpres, evidenter satis prudentibus innuebat quonam affectu, quove respectu, ut tantam sepeliendis curam exhiberet, duceretur. Generali siquidem inhibitione statuerat ne in villis, ubi ipse præsens fuisset, sacerdos parochialis quemlibet defunctum, præsertim ætatis jam adultæ, traderet sepulturæ, nisi forte, aliquo obstante incommodo, illo id exsequi non valente, de sua hoc ipsum permissione adimpleret. De adultis vero præcipue volebat observari, quia his, si laudabiliter vixissent, propensiorem sciebat deberi honorificentiam; sin autem vitam duxissent culpabilem, noverat eos uberiorem desiderare interventionis instantiam.

Ibat igitur passim ad universos, eisque, ut mos exigit ecclesiasticus, cum summa alacritate obsequium exhibens, pauperibus luminaria vel cætera in funeribus desiderata per eleemosynarium sunm abundanter subministrari procurabat. Si quando, dum iter ageret, et funus in quodlibet cœmeterium, ut humari deberet, perlatum conspiceret, confestim equo descendebat, et ad feretrum accedens, ac aliquantisper orans, si librum non haberet competentem, in quo inoffense legeret (cum jam circa dierum ejus extrema aliquid soliti acuminis oculis ipsius deperiisset) junctus presbytero exsequias celebranti, psalmos cum eo decantabat et collectas inchoanti vel complenti, amen et alia respondendo, vicem clerici, ne dixerimus, idiotæ, adimplebat. Si non defuisset codex idoneus, ipse, quod sacerdotis erat, prosequebatur, orationes pronuntians, aquam benedictam aspergens, thuribulum circumferens, terram super jaciens, ac reliqua illius officii sollicite complens et post absolutionem cum benedictione iter cœptum peracturus adibat.

Plerumque autem in magnis consistens urbibus, dum ad unum quemlibet sepeliendum processisset, nuntiabantur ei alii atque alii, passim per diversas ecclesias sepeliendi; qui magna cum alacritate universos adibat, universis singillatim debitum sepe-

liendi officium devote impendens. Nec prius, quotlibet isti fuissent, a tantæ humanitatis munere destitit, quam nullum superesse qui sepeliretur cognovit. Querebantur nonnunquam, et murmurabant potentes quilibet viri, cum eo pariter comesturi, quod, dum hæc diutius ageret, hora prandii jam dudum præteriret. Verum ille nunquam, seu ipsos ipse invitasset, seu ab eis ille esset ad prandium invitatus, sive hujus rei sive alterius cujuscunque negotii obtentu, hujus omittebat pietatis opus exercere, dum, ubi exerceret reperire posset (170).

Sed parum est quod hæc de minoribus referimus personis. Constat enim quia et a regibus invitatus ad mensam idem effecerit. Nam et posterius apud Rothomagum a rege Richardo (171), et prius olim ab ejus genitore (172), rogatus ad convescendum, tandiu ad palatium distulit venire, quandiu in urbe reperit, quos potuisset sepelire. Unde regem utrumque cum optimatibus, vel tota simul familia, in longum compulit jejunia protelare, dum religiosum officium nec per aulicos accersitus, contemplatione dignitatis seu voluntatis humanæ, nullatenus acquievit omittere. Urgentibus vero ministris curiæ, ut acceleraret ad regem expectantem, et moras ægre ferentem, quantocius venire ille nihil festinantius agens, aiebat : « Non opus est, inquit, ut nos rex exspectet, vescatur in nomine Domini. » Suis quoque familiaribus dicebat : « Expedit magis ut rex terrenus absque nobis prandeat quam mandatum æterni Regis nostra humilitas inexpletum prætereat. » Hinc fortassis animadverti licet divinitus ei non immerito fuisse retributum, ut, qui duos reges ob pauperum sepulturam neglexerat, ipse demum in funeris sui obsequium, cum viris sublimibus multis, reges duos (173) haberet adunatos. Verum hæc suo inferius loco dicturi, interim cœpta prosequamur.

CAPUT II.

De cujusdam pauperis sepultura in Northmannia, et plurimum in Lincolnia, et prælati cujusdam in Bermundesia.

Quoniam apud Rothomagum, Northmannorum scilicet metropolim, nec tamen a nobis visa (174), sed veraciter audita, retulimus, libet, ut in re simili, quod in eadem provincia ipsi ab eodem actum vidimus (175), breviter absolvamus. Die igitur quadam, iter agente servo Dei, contigit illum non longe a castro, quod Argentum (176) vocatur, tumulum recens sepulti humani, ut videbatur, cadaveris circa publicum aggerem cominus prospexisse. Quo diligentius notato, confestim substitit, mittensque protinus ad ruricolas, eminus aratro humum prosc indentes, didicit cujusdam homunculi ostiatim pridem mendicantis alimoniam ibidem busta contineri. Defunctus namque idem egenus in pauperis cujusdam rus proximum incolentis domo, et a presbytero illius parochiæ ob inediam neglectus, eo loco sepulturam accepit, dum, a quo portaretur ad cæmeterium, non habuit. Quo vir piissimus audito altius ingemuit, moxque in pedes ab equo descendens accepto (quem fere semper secum habebat) codice orationes cum psalmis, quos recitari usus instituit sepulturæ, diligenter pro eo ac devote percurrit. Postea vero loci episcopo attentius orando suggessit, quatenus in sacerdotem illum durius adverteret, qui homini Christiano, propter illius inopiam, sepulturam negaverat Christianam.

Vidimus alio tempore (177), cum apud Lincolniam in crastino Natalis Domini de glorioso Christi protomartyre Stephano missam devotissime celebrasset, ut rogaretur a quodam cæmentario, qui in fabrica ecclesiæ desudabat, quatenus fratris sui animam, præcedenti nocte rebus humanis exemptam, auctoritate pontificali a peccatis absolveret Dominoque devotione peculiari commendaret. Quod statim adimplens, inquirere cœpit utrum ejus adhuc corpusculum humatum fuisset. Quod in remotiori ecclesia necdum sepultum audiens servari, jussit mox unum sibi, alium suo capellano et tertium famulo, qui ante eum equitare consueverat, caballum adduci. Decreverat enim cum his tantum tribus ad funus procedere. Sed cum defuisset equus cum capellano, caballum servientis eum præcepit conscendere et illum præcundo ad destinatum locum quantocius properare. Sicque duobus tantum contentus equis, solummodo uno monacho et duobus pueris comitatus, pervenit ad corpus defuncti. Quo terræ matris gremio paterna sollicitudine commendato, quinque deinceps ipsa die (si nos memoria non fallit) in diversis successive cæmeteriis sepelivit funera, per ipsorum amicos sibi assignata. Cum vero jam se hora tardior protraheret, ipseque cum cleri parte non modica ab archidiacono Bedefordensi (178) invitatus, ad epulas solemnes venire differret, rogatur a multis, et ab ipso tandem qui suum ei mortuum denuntiaverat, quatenus pro defuncti anima tantis-

(170) Hujus rei exemplum præbuit Hugo noster ab archidiacono Bedefordensi invitatus, uti sequenti capite refertur.

(171) Anno 1197, aut 1198. Utroque enim anno Hugo regem in transmarinis accessit, uti constat ex c. 8, hujus libri.

(172) Forte id accidit primo aut altero episcopatus sui anno, quo apud Henricum regem fuisse legitur lib. III., c. 9.

(173) Angliæ et Scotiæ, uti habetur infra hoc libro, cap. 27.

(174) Hinc colligere licet relata capite præcedenti de Richardo rege accidisse anno 1197, quo auctor nondum fuerat apud Hugonem, exceptis ultimis anni mensibus.

(175) Narrat auctor hoc cap. quæ ultimis Hugonis annis, quibus ipse episcopo adhæsit, contigerunt.

(176) Idem cum « Argentomago » seu « Argentono, Argentomove, » circa quod casus hic accidit anno 1198 quo, ut infra cap. 7, dicetur, Hugo in die S. Augustini accessit Richardum regem.

(177) Anno videlicet præmisso, quo juxta cap. 9, rex ab Hugone duodecim sibi mitti petiit diliores e gremio Ecclesiæ suæ.

(178) Qui cap. 4, appellatur Laurentius.

per orando et absolutionis suffragium porrigendo, eam Creatori commendaret ut ad fatigatos jam præ diutina exspectatione saltem post moras longissimas venire ulterius non tardaret. Qui sibi ista suggerentibus non sine cujusdam reprehensionis asperitate respondit, et quare, inquit, non advertitis vocem Domini nostri ore sacro loquentis : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cœlis est? » (*Joan.* IV, 34.) Nec plura locutus, intermisso instar sancti Tobiæ prandio, maluit, ut monet Sapiens, « ire ad domum luctus, quam ad domum convivii (*Eccle.* VII, 3).» Ivit igitur, plurimumque ex sanctitatis suæ præsentia lugentes consolatus, eum sepeliens, qui lugebatur, a luctu, ut pie creditur, Christo miserante, orando absolvit.

Quodam iterum tempore (179) Londonia ad generale colloquium accersitis prælatis et proceribus Angliæ, Lincolniensis episcopus eo pariter advenit. Agebant quoque illum urgentissima suæ Ecclesiæ negotia, super quibus necessario erat cum amicis suis, qui ad locum confluxerant, tractaturus. Contigit vero proxima die quæ statutum conventus illius præcessit diem, quemdam ex prælatis, qui convenerant, subita prævenire ægritudine, quam mox citato vitæ terminavit fine. De quo a multis ferebatur quia fuisset gulæ illecebris plus quam satis obnoxius et in potatione superflua nimis assiduus. Cujus discessu audito, licet ei parum notus exstitisset, nihilominus intimæ pietatis visceribus eidem condoluit, et pro eo apud Dominum suppliciter interecessit. Protinus tamen explorari jussit quonam loci, vel a quibus personis idem deberet tumulari, et renuntiatur ei quia in Ecclesia Domini et Salvatoris nostri apud Bermundesiam (180) foret humandus, sed nullus episcoporum sive abbatum ejus crederetur exsequias celebraturus. Nullus vicinorum etiam aut familiarium seu charorum illi quondam prælato abesse volebat sive audebat solemni conventui, qui die sepulturæ illius apud Westmonasterium debuit aduniri. Quod episcopus audiens, « noluit Deus, inquit, quod talis persona, tot modo in hac pariter urbe (181) consistentibus prælatis, in hac suprema necessitate deseratur ab omnibus nobis. Non ita faciemus proximo nostro, nec enim hoc sibi quis fieri vellet ab alio. »

Dispositio igitur, ut quosdam ex suis mitteret ad curiam, qui et suam interim excusarent absentiam, mane facto perrexit ad exhibendam defuncto sepulturam. Ubi die ipsa, si ea quæ visu, vel quæ de olfactu, hausimus in medium proferremus [*Cod.*, proferamus], horrorem sane et stuporem audientibus inferemus. In nos etiam aliquorum forte indignatio concitabitur, asserentium quod inhumane cladis humanæ, sortis moribundæ, communem ærumnam, quam conspeximus, publicis auribus ingeramus. Cæterum, quia ex his susceptæ relationis portio magna dependet, nostramque in his potius deflemus miseriam quam alienæ calamitati, quod Deus avertat, insultamus, audiatur, ad omnium utilitatem, quod dicimus. Sit notum viventibus, ad humilitatis profectum, quod innotuit in defuncto ad horroris cumulum. Sit quandoque etiam exstinguendis ad virtutis æmulationem id, quod vivis circa defunctum, cui propitietur Deus, ad intuendum exhibuit stuporem.

Visum est jacens in feretro cadaver exstinctum, more quidem quorumdam vultu nudatum, sed super carbonem denigratum. Erat sane corpus reliquum alba sacerdotali, sed et casula indutum, sed præ tumore nimio vix eisdem inclusum. Nam, cum adhuc dudum vegetabatur spiritu, ita grossitie vehementior tumebat ut vix spirare potuisset. Jam vero, postquam exspiraverat, adeo interna sanies et torridæ æstatis ignea intemperies distendebat exanimem, ut cernentibus prodigiosum videretur. Verum quod ita ibi luminibus patebat, tolerabile fuisset, si suo nares supplicio carere potuissent. Cæteri, quos feretro interdum approximare rei ordo poscebat, nares, thure immisso, aliisve aromatibus sibi præcludebant, manibus quoque suave fragrantia quædam ori sæpius apponenda tenebant. Solus episcopus, quo tamen nullius inveniretur nare sagacior, et nullus tetri nidoris aspernatior, ita tamen horum nihil (quæ levare arte solent aeris corruptelam) admittens, jacenti astabat, et obambulabat, ac si non in feretro, sed in cunis agentem mater parvulum suum fovendo circuiret. Post hæc, cum ad suum se contulisset hospitium, quidam ex suis formidantes, ne forte ex inspirato aeris contagio quid illius præcordiis indidisset, super hoc interrogare cœperunt. Quos ipse reputabat errare, nec quidquam eos insuave ibidem hausisse, ubi ipsemet (quo nullus eorum subtiliore vigebat odoratu) nil triste spirans in loco sensisset. Nimirum Christi bonus odor, qui sibi revera fuit odor vitæ, in vita ipsum faciebat mortis puterem penitus non sentire.

CAPUT III.

De contentione inter ipsum et comitem Leycestriæ super pago quodam Leycestriæ contiguo.—Et est hoc in magna Vita sub capitulo secundo.

Die sequenti (182) cum venisset ad curiam, gravi cœpit pulsari calumnia per comitem (183) Leycestriæ,

(179) In annal. Ecclesiæ Winton. apud Wharton, part. I, Angl. Sac. p. 303, ad annum 1198, legitur : « Obiit Simon abbas de Persora apud Bermundeseiam IV Idus Maii. » Et iterum ad eumdem annum in annal. Wigorn., p. 478: « Simon abbas Persoræ obiit. Anselmus succedit, et benedicitur Wigorniæ die Omnium Sanctorum. » Ex quo colligi datur hic relata evenisse anno 1198, mense Maio.

(180) Cœnobium in agro Surregiensi, circa annum 1082, fundari cœptum, ordinis Cluniacensis, cujus benefactores una cum chartis quibusdam ad annum usque 1417 enumerantur in Monastico Anglicano tom. I, pag. 639 et sequentib.

(181) Londinensi, a qua Bermundesia, aut, ut hic scribitur, Bermundesia non longe distabat.

(182) Post prælati dicti sepulturam. Unde conjicitur etiam illud generale colloquium prælatorum et procerum anno 1198, in Maio fuisse habitum, quo soluto, Hugo transfretavit ad regem.

(183) Cujus progenitores fundaverunt abbatiam apud Etoniam in agro Warwicensi, et cœnobium Luffeldense in agro Northamtonensi, teste Monast.

qui pagum optimum, eidem urbi contiguum, ipsi nitebatur auferre. Suggerebant etiam episcopo amici et consiliarii ipsius quatenus cum adversario sub pacis forma transigeret, proponentes multa causæ suæ, quamvis satis justæ, formidanda. Qui pertinaciam comitis atque insolentiam nimiam aspernatus, omnibus consiliariis suis cum magnæ assertionis fiducia dixit : « Sciatis pro certo quia me in hac luce superstite iste nullatenus hujus suæ intentionis pravæ sortietur effectum. Habeat ergo ad suæ suorumque damnationis cumulum guerræ quondam tempore extorta violenter instrumenta chartarum ; nos autem patrimonium dominæ nostræ, tuitioni nostræ creditum, ipsa adjuvante, dum advixerimus, integrum retinebimus, et in nullo penitus diminutum. Cujusmodi assertio plerisque tunc viris prudentibus minus considerate videbatur emissa, cum et colorem æquitatis præferret actio impetentis, et tam regis quam pene totius curiæ favor in comitis crederetur vota concurrere. Prævaluit tamen viri sancti sermo, cogitatum suum plenissime jactantis in Domino.

De quo etiam pluribus illud mirum videbatur, quia nunquam more celeberrimo fori laicalis, ubi lites illæ agitabantur, se per internuntium de impossibilitate in judicio comparendi voluit excusare, quantocunque urgeretur discrimine ex litigantium improbitate, ne vel speciem mendacii videretur incurrisse. Post ejus vero decessum (184) comes quidem pagum, quem petebat, obtinuit, sed in continenti lepræ contagione percussus, mox corporis valetudine, et brevi post etiam vita carens, absque liberis decessit. Ante cujus obitum cum fratrem ipsius, episcopum videlicet S. Andreæ de Scotia, plurimi conarentur in cathedram viri Dei, qui jam pridem ad Dominum migraverat, subrogare, visum est nocte quadam per soporem nobili cuidam religiosæ matronæ, quod cerneret prædictum Dei famulum, pontificem memoratum, ambitionis æstu succensum, dum suum niteretur conscendere thronum, virga pastorali durius percussisse sub pectore, ita ut videretur, qui ictum receperat, resupinus in terram corruisse (185). Facto mane, cum illa somnium suis enarrasset, ecce assunt quidam mortem hominis illius, non sine stupore audientium, palam nuntiantes. Horum igitur adeo illustrium, adeo hujus mundi floribus vernantium, tam abjectus et tam repentinus interitus, quid aliud hæc scientibus innuit quam jura Ecclesiarum evertere servosque Domini injuste lacessere supra modum exitiosum esse?

CAPUT IV.

De revelatione clerico insinuata, qui inter manus episcopi celebrantis formam vidit pueri sub hostia sa-

lutari.— Et est tertium capitulum in magna Vita.

Die quadam (186) consistente episcopo in manerio juris sui, quod Bukkedena nuncupatur, venerunt ad illum quidam monachi, præsentantes ei ad benedicendum vestes sacerdotales, et calicem unum valde speciosum. Episcopus tunc a sepultura cujusdam servientis Laurentii Bedefordensis archidiaconi in ecclesiam venerat sacra missarum solemnia celebraturus. Erat vero Sabbatum, quo semper die, si vacaret, de beata Dei genitrice Maria tam diurnum quam nocturnum officium solebat celebrare. Ad eum quoque sub die illo plures undique confluxerant clerici, ecclesiasticis redditibus admodum ditati. Illis vero in Ecclesia jam præsentibus episcopus calicem superius memoratum in manibus, ut consecraret eum, tenebat nudatum. Quem cernens metallo, amplitudine et artificiositate conspicuum, ipsum ab altari in chorum detulit, omnibusque clericis præfatis eum exhibens considerandum, devotam virorum religiosorum circa divini ministerii cultum et vasa collaudabat solertiam, illis econtrario improperans quod multis ecclesiarum redditibus opulenti, ipsas nec libris nec vasis, sed nec aliis necessariis rebus, convenienter excolerent, sed his omnibus egenas Christi basilicas spoliare potius quam ornare satagerent.

Post hæc ingressus ad altare, missam devotissime est orsus celebrare. Cumque cæteris jam rite peractis ad eum pervenisset locum, ubi elevatam in altum hostiam benedicere moris est, mox in verum Christi corpus mystica sanctificatione convertendam, cujusdam clerici superna clementia dignata est oculos aperire, eique sub specie infantis (187) parvuli Christum suum demonstravit mundissimis sacri præsulis digitis reverentissime contrectari. Erat vero idem puer forma quidem permodicus, sed divino quodam nitore atque candore super æstimationem hominis nimium decorus. Clericus, qui hæc viderat, mira devotione (nec mirum) succensus, plurimumque compunctus, tempus omne continuabat in lacrymis quod intercessit ab illa elevatione, usquequo iterum eam levari cerneret frangendam, jam et sumendam sub trina sui partitione. In qua rursum elevatione sub eadem, qua prius, imagine natum intuetur de Virgine Filium Altissimi, seipsum offerentem Patri pro humana salute. Post hæc, jam expletis omnibus quæ in ecclesia fuerant peragenda, clericus, qui ista conspexerat, accedens ad verum Domini sacerdotem, taliter ei secretius est locutus : « Domine Pater, vobis, inquit, habeo aliqua referre, quæ vestram, si placet, sanctitatem diligentius oporteat audire. » Cumque flexis genibus ista coram eo erat prosecutus, vir Domini cum eo secedens a turba,

Anglic. tom. I, p. 518 et 520.

(184) Id est post S. Hugonis mortem.

(185) Corruere aut mori debuit hic S. Andreæ de Scotia episcopus anno 1201, aut 1202, cum anno sequenti in episcopatu Lincolniensi successerit Willelmus, ex præcentore electus.

(186) Anno 1194, aut sequenti, quo visio hæc accidit, Huberto jam existente archiepiscopo, at auctore Vitæ nondum Hugoni existente.

(187) Inde data occasio S. Hugonem cum parvulo supra calicem repræsentandi.

seorsum secus altare resedit, eique proferre quæ voluisset leniter imperavit. Tum ille : « In crastino (id est postridie), inquit, festivitatis Omnium Sanctorum, quæ hac ipsa septimana celebrata est, cum Psalterium in quadam ecclesia decantarem pro animabus fidelium defunctorum (sicut ipsa die solemnis exhiberi earum memoria solet) vox quædam subito auribus meis illapsa est, quæ verbis absolutissimis diceret : Surge, inquiens, fili, et perge cito ad Lincolniensem episcopum, dicesque ei ex parte Dei, quatenus moneat diligentius Cantuariensem archiepiscopum (188), ut pariter secum subito vigilantius intendat ad corrigendum statum cleri et Ecclesiarum. Nimis enim offenditur divina majestas per ea quæ indesinenter fiunt a rectoribus Ecclesiarum et earum ministris. Sacerdotes enim et aliorum graduum personæ, omnimodo vitiorum genere, maxime luxuriæ sordibus, fœdati, sacramentis divinis ex indigno accessu injuriosi existentes, ea irreverenter sumendo atque tractando, quantum in se est, polluere non verentur. Ipsæ Ecclesiæ indignis et Deo ob perditos mores invisis passim ad regendum traduntur personis, a quibus sæpe more sæcularium prædiorum aliis atque aliis relinquuntur ad firmam, quam emphitheosim alii nuncupant, utque viles tabernæ, sic ecclesiæ, turpis lucri gratia sub annuo censu locantur ad quæstum. Et his de cura animarum, et de indigentibus sustentandis ex fructibus nullus est sermo, sed sarciendis crumenis, quas vel luxus evacuet, vel avaritia solummodo ærugini contingendas includat, tota indesinenter aviditate inhiare non cessant. Hæc et similia rectorum vitia, in regendos contagiosa æmulatione transfusa, omnium fere tam minorum quam majorum prærcordiis dominantur. Hinc grandis furor et ira Dei imminet tam populo quam universis pariter terræ hujus habitatoribus. His festinum inferetur exitium, et genti huic miseræ, si non anticipet acceleratio et accelerata correctio, jamjam impendet flagellum cœlestis vindictæ. » His dictis, vox quæ audiebatur siluit.

Ego siquidem, priusquam hæc audirem, psalterio jam excurso usque ad centesimum primum psalmum flexis genibus coram altari sanctæ Dei Genitricis in oratione animum vehementer intenderam. Oborta namque fuerat in mente mea repente memoria patris mei ante non multos annos in terra Jerosolymitana, quo religionis studio perrexerat, defuncti (189); indeque tantus subito compunctionis fervor spiritum meum absorbuit, ut omissa penitus psalmodia omnique strepitu labiorum suppresso, undatim ruentibus ex oculis lacrymarum rivis, præcordialibus tantum votis Domino effunderem preces. Audita igitur hac voce, quæ a proximo altari videbatur emissa, vim compunctionis, quæ me sibi totum vindicaverat, horror quidam stupore mistus confestim interdicit, cœpique attonitus mecum admirari quis et cui talia esset prosequendo locutus. Sciebam enim neminem præter me cominus circa locum ipsum constitisse. Igitur cum post longa pavidæ cogitationis volumina vocis auctorem nequivissem ullatenus deprehendere consignans meipsum salutari crucis signo, intermissæ orationis studium vehementiori, quam prius, desiderio repetere cœpi. Nec mora; et iterum audio vocem eodem sono eisdemque syllabis eamdem quam prius exprimere sententiam. Tunc ego, cum nec stantis personam, nec illius, cui sermo fiebat iste, potuissem advertere, cedendum loco existimavi, id tantum mecum reputans, quia aliquid sacrationis mysterii ibidem agitaretur ab aliquibus, quorum ego indignus existerem arcanis interesse. Adorato itaque Domino, signans mihi frontem a loco discessi.

Cumque pervenissem ad valvas ecclesiæ, occurrit mihi virgo quædam, religiosa valde, quæ Domino in jejuniis et orationibus, in frigore et nuditate, die noctuque deserviens, ab ecclesia eadem rarissime, ab ejus vero atriis nunquam pene recedebat. Hæc, cum audirentur prædicta, in remoto ecclesiæ angulo solitis vacaverat orationibus. Quæ genibus meis advoluta rogabat instantius, quatenus, si fieri posset, aliqua sibi ex his quæ interius, ut asserebat, mihi dicta cognoverat, communicare studuissem. Sed, quia nescius eram adhuc cuinam dicta essent ea quæ audieram, illam vice versa potius duxi exorandam, quatenus ipsa, quæ dignior me esset audire et nosse mysteria interna, mihi revelare dignaretur, quod de vocis cœlitus, ut fatebatur ipsa, emissa sententia ego minime advertissem. Ad hæc illa : « Scio equidem bis factum sermonem a Domino tibi aliqua præcipientem, quæ ego quidem minus adverti, sed, quia tibi præciperetur, certo certius intellexi. » Tunc ego : « Ora, inquam, soror dilecta, quatenus circa nos beneplacitum suum Dominus adimplere dignetur. Super talibus vero, quæ modo prosequeris, ego certitudinem nullam percepi. » His a me dictis ecclesiam ipse egredior; illa ad consueta orationum suarum latibula introrsum regreditur.

Post hoc, cubiculum hospitii mei ingressus ibidem usque ad vesperam diem in orationibus jejunus exegi. Qui tantum lectulo exceptus, dum variis æstuaret animus horum gratia, quæ præmisi, cogitationum fluctibus, vocem repente audivi idipsum jam tertio, quod primo et secundo intuleral, replicantem, hac tamen præmissa insinuatione, unde mihi constaret, quia ad me sermonem haberet. Ait namque : « Tibi dico, fili, qui ibi præsens quiescis, perge quam celerrime ad virum venerabilem, Lincolniensem episcopum, eique omnia hæc quæ tibi in ecclesia secundo præcepi, ex parte Omnipotentis nuntiare non differas. » Cui statim ita respondi : « Et quomodo vir tantæ auctoritatis fidem habebit verbis meis, cum ego et ætate et ratione infirmior vix quidquam ei loqui aciam? » Tunc is qui loquebatur ad hoc re-

(188) Hubertum, qui anno 1193, III Kal. Junii, electus in archiepiscopum, et anno eodem VII Idus Novembris inthronizatus fuit, part. I Angl. Sacr., p. 114.

(189) Anno scilicet 1190; quo cruce signati in expeditione contra Sarracenos plurimi obierunt.

spondens ista subjecit : « Fidem verbis tuis indubitatam idem vir habebit, cum ei pro intersignis ea insinuaveris quæ super altare coram eo videbis, qua primum die ad illum perveniens ipsum missarum solemnia celebrantem intueberis. Ne igitur differas parere eloquiis meis, sed, quæ præcipio tibi, devotus exsequere. His dictis vox loquentis ablata est. At ego ad exsequendum imperata plurimum animatus, modico prælibato somno, de nocte surrexi, clamque sociis meis iter ad vos inquirendum ita pedibus meis assumpsi (190). Huc autem ante missæ introitum paulo ante veni, et celebrantem divina sanctitatem vestram devotus observavi. Intendens quoque sollicitius ad mensam Dominicam coram vobis, et in manibus vestris corpus Domini nostri Jesu Christi sub specie infantis parvuli bis supra calicem a vobis elevatum, indignis licet oculis, evidenter conspexi. Quia vero idipsum et vos multo perspicacius, quia et diutius et vicinius et satis dignius perspexistis, non est ambigendum. » Hæc clericus ille fluentibus per genas lacrymis est prosecutus. Vir quoque Domini ubertim inter hæc flebat.

Cumque pariter aliquandiu flentes super his verba plurima consernissent, episcopus utriusque genas et oculos, suos videlicet et clerici illius, sacris extergens digitis, osculatus est eum. Erat autem idem clericus annorum circiter viginti quinque. Præcepit vero ei quatenus hæc reverenter celare meminisset. Præterea diligentius eum adhortari studuit, ut religionis habitum suscipere et religiosis moribus Domino servire ex integro maturaret. Asserebat enim non esse conveniens ut, qui talia vidisset et audisset, in sæculi vanitate ulterius spatiari vellet. Qui statim his se libentissime monitis pariturum respondit.

Post hæc aulam jam pransurus ingreditur episcopus. Plurima itaque stipatus convivantium turba, hilaris et lætus discubuit, clericum toties memoratum in area non longe a loco sessionis suæ præcipiens simul recumbere. Qui die postera ab eodem cum benedictione dimissus, et ad quemdam sibi familiarem monachum transmissus, monachus et ipse cito postea effectus, religiose admodum est conversatus. Cui plurima quoque spiritualium visionum mysteria postmodum fuisse revelata certissime experti sumus, ex quibus non pauca litteris dudum de mandato sancti præsulis tradita (191), longe lateque vulgata noscuntur. A cujus etiam ore hæc ipsa, quæ modo retulimus, frequenter audivimus.

CAPUT V.

De stupendo valde miraculo quod in Francia de corpore Christi contigerat inter manus indigni sacerdotis, et de sententia mirabili nostri Hugonis ad visendum illud miraculum invitati. — Et est capitulum quartum in magna Vita.

De vivifico autem sacrosanctæ Eucharistiæ sacramento adhuc referre quiddam non videtur incongruum, quod in Gallia accidisse multis est manifestum (192). Quod, licet multorum notitia fidelium æstimemus dignissimum, præsenti tamen historiæ id a nobis minime fuisset insertum, si non ad hoc inserendum illius nos urgeret sententia, de re ipsa mirabiliter prolata, qui horum omnium, quæ paginæ huic inscruntur, materia est et causa. Hic igitur quodam tempore (193) a Parisiensium digressus civitate, dum Trecas peteret, metatione prima hospitatus est in villa quadam Joi (194) nuncupata. Moris vero illi fuit, ubicunque hospitium sese excepisset, presbyterum parochialem cum Ecclesiæ illius ministris ad suam invitare mensam, verbo frequenter utens cum liberali quadam jucunditate ad suum dapiferum, quo sæpe olim usus est Dominus ad Hebræorum populum : « Non deseras, inquiens, levitas, qui inter portas civitatis tuæ sunt (*Deut.* XIV, 27). »

Illius tamen loci presbyter a ministris more solito vocatus, ad mensam episcopi venire obstinatius recusavit; venit autem post prandium invisere eum. Venit quoque, non solum, ut episcopo celeberrimæ opinionis obsequium exhiberet salutationis, sed potius, ut ejus orationibus sese Domino commendari obtineret. Venit etiam, ut ei rem valde stupendam, quæ sibi dudum (195) contigerat, de adorando corporis Dominici sacramento et verbis exponeret, et ad videndam ipsam rem, sub oculis adhuc in ecclesia sua positam, eum invitaret. Erat enim idem sacerdos jam grandævus et aspectu reverendus, corpore etiam toto, non tam præ ætate quam præ abstinentiæ, ut dicebatur, rigore præmarcidus, et cute ossibus insidente peraridus. Qui postquam salutavit episcopum, non potuit præ verecundia, quod optavit illi declarare per seipsum, sed quibusdam ex suis seriatim hæc exposuit in hunc modum :

« Cum essem juvenis, inquit, et gradum sacerdotii, nec annis adhuc, nec moribus meis tanto apici digne respondentibus, conscendissem, contigit insidiante mihi hoste antiquo, ut crimen quoddam mortiferum incurrissem, a cujus necdum contagio aut remedio, pœnitentiæ aut confessionis lavacro mundatus, ita, ut eram, corde pollutus et corpore, mente insuper cæcus et fide infirmus (quod dictu horrendum est) ad sacri altaris ministerium impudens et temerarius accedere consuevi. Cumque die quadam sacris assisterem missæ secretis, et criminis mei

(190) Itinere unius aut alterius diei a loco, ubi monitio facta, ad locum, in quo morabatur S. Hugo, distante.

(191) Ex hoc loco colligitur visionem hanc accidisse antequam auctor Vitæ S. Hugoni astiterit.

(192) Nescio an eventus ille, qui hic dicitur *manifestus multis*, sit ab aliquo alio evulgatus.

(193) Anno 1200, quo Parisiis et in Gallia fuisse Hugonem ex hoc capite constat.

(194) Cum villa hæc inter Parisios et Trecas sita, una sive prima metatione, dicatur, viderint locorum vicini, an facti hujus ibidem adhuc habeatur memoria.

(195) Fore inter annos 1160 et 1170, dum sacerdos Hugoni factum narrans, grandævus quidem dicitur, sed magis præ rigore abstinentiæ, quam præ ætate.

enormitatem in ipsa hostiæ salutaris consecratione mente revolverem tacita, inter alias tenebrosi pectoris cogitationes, hæ mecum versabantur in corde : Putasne, illius corpus et sanguis hic a me sordidissimo peccatore veraciter conficitur, et tractatur, ac sumitur, qui candor lucis æternæ esse describitur et speculum sine macula ? Dum hæc et alia his minus stolida versarem in animo, perventum est ad hoc, ut frangenda esset trifariam more debito hostia sacrosancta. Quam ut per medium fregi, mox cruor liquidissimus per fracturam effluere cœpit, qui mediam hostiæ partem, quam manu tenebam, in carnis specie subito conversam, rubore sanguineo infecit. Quibus ego visis præ timore totus dirigui, et pene exsensis effectus perdito rationis consilio, quidquid de ipsius sacramentis in manibus tenebam, in sacrum calicem decidere permisi.

« Erat tunc ibi videre, quod usque in præsens cernitur, sæculis omnibus stupendum miraculum, vinum videlicet in sanguinem et panem in carnem, media sui parte conversa, rem pariter sacramenti, et formam, significans videlicet et significatum, sub gemina specie manifestissime præferre. Quæ ut vidi, has species inconversibiliter retinere, ea penitus contingere non præsumens, calicem patena, et patenam sacra palla cooperui, et missæ officium percantavi. Hinc, populo dimisso, calicem cum sacris, quæ in eo adhuc hodie continentur, loco congruo secus altare reposui debita reverentia custodiendum. Post hoc summi pontificis adivi præsentiam, rei hujus seriem illi præmissa confessione reatus mei exposui, et absolutionis beneficium, injuncta mihi satisfactione competenti ab ipso reportavi. Ad hæc vero magnalia Dei præsentialiter contuenda a multis huc per circuitum locis passim a fidelibus concurritur, a quibus cum summa reverentia magnificatur Deus, qui facit mirabilia solus. Hæc, sancte episcope, vobis cupio, istis mediantibus, intimari, quo et illius merear ego orationibus apud Deum adjuvari, et ipse cum suis sociis in Domino valeat, cum ista perspexerit, amplius jucundari. »

Hæc igitur referentes episcopo, quibus innotuerat a presbytero, sperabant illum, non sine avida cordis devotione, ad ea mox videnda processurum. Verum ille ad audita confestim ita respondit : « Bene, inquit, in nomine Domini habeant sibi signa infidelitatis suæ. Quid ad nos de his? Num miramur particulares imagines hujus divini muneris, qui totum et integrum hoc cœleste sacrificium quotidie intuemur fidelissimo aspectu mentis? Intueatur illius exiguas portiunculas visu corporeo, qui totum non intuetur fidei conspectu interno. » Hæc dicens, commendantem se orationibus ejus presbyterum, data ei benedictione, abire permisit. Suorum vero curiositatem redarguens, in fidei soliditate ipsos non solum roboravit, imo certius ea quæ fides præscribit, quam ea quæ lux ista visibilis ostendit, teneri a fidelibus debere et intelligi luculentissime declaravit.

Sic itaque a proposito curiosæ visionis illos coercuit, et ad excitandum devotionis aspectum pariter et amplexum, ad hæc verba et vivifica cordium alimenta, mentes audientium erudivit. Ex præmissis vero, necnon et ex aliis ejus verbis certius nobis persuasum tenemus quia non semel tantum, ut supra ostensum est, imo etiam frequenter, illi concessum sit, revelata hominis interioris facie, illa singulariter de hoc sacramento visu quodam intimo perspicere, quæ nobis invisibilia docemur omnes pariter fide purissima credendo retinere.

CAPUT VI.

Qualiter Hugo noster suum corripuit metropolitanum, et quam sollicitus erat de moribus subditorum. — Et est hoc capitulum quintum in serie magnæ Vitæ.

Sed, dum solito crebrius metropolitanum suum, solitoque instantius vir Dei, post factam sibi divinitus admonitionem, hortatur, quatenus omissis parumper quibus indefessus adhærebat curis sæcularibus, studio potius indulgeret pontificalis officii quam reipublicæ administrationi, animum ejus ad gravem contra se excitavit simultatem. Suæ vero jurisdictioni subditos, tam clericos quam presbyteros, ipse totis viribus per seipsum, et per officiales suos, ad vitæ rectioris tramitem et disciplinæ regularis honestatem revocavit. Nihil enim de paterna sollicitudine omittens, languidis commissorum sibi moribus infundebat oleum et vinum, ut severitas coerceret districtionis, quos curare non potuit lenitas pietatis.

Quantum vero sudaverit, quantumve profecerit ad correctionem subditorum in hac gemina ecclesiasticæ dispensationis exhibitione, non est facultatis nostræ, prout dignum esset, exponere, cum hæc peritissimorum etiam ingenia vix multis sufficerent voluminum prolixitatibus enodare. Ecclesias quoque diœcesis suæ in omnibus pro posse suo ad statum curavit debitum erigere. Admittebat enim sedulo ad earum regimen viros scientia et vita commendabiles, his vero destitutos ab earum ingressu pro viribus repellebat. In qua nimirum intentione, quanto ducereturzelo, ex ipsius verbis melius perpenditur, quibus de seipso ita sæpissime fatebatur : « Miror, inquit, quosdam, ut dicitur, gaudere, cum vacant prædendæ aut ecclesiæ, quas pro libitu possint novis possessoribus conferre. Vera enim de meipso loquor, quia nihil unquam in hac vita animum ita afflixit ut anxia sollicitudo personas idoneas eligendi ac discernendi, quibus congrue possit regimen vacantium prædendarum aut dignitatum Ecclesiæ nostræ committi. Nec quidquam mundanum adeo me unquam contristavit ut error ille, quo ad multorum sæpe commendationem talibus ecclesiastica concessi beneficia, quos frustra credidi in canonicis disciplinis esse strenuos, dum eos postmodum, Ecclesiæ bonis ditatos morum perversitas ostenderit fuisse ignavos. » Et in hunc quidem modum sibi a quibusdam fuisse subreptum non sine gemitu querebatur.

Novimus vero eum pro hujus rei errore diligentius

cavendo, alicui suorum collateralium, de cujus sinceritate non parum confidebat, specialiter injunxisse ut, si quid vel tenuiter sensisset, vel audiisset sinistri de aliquo quem in sua Ecclesia beneficiare disponeret, hoc ei nullatenus celare præsumeret, non, quod ipse incertis de aliquo rumusculis fidem esset habiturus, sed ut a dubiis etiam certa quandoque seligeret, et conceptum ex incertis quoque laudibus favorem interim temperaret, quousque discussa super auditis veritate, inoffenso mentis judicio, quod ratio dictaret, liberius exsequeretur. Plurimis vero Deum, ut sperabat, timentibus viris atque discretis injunxit ut personas moribus et doctrina probatas, quas in gremium Ecclesiæ suæ opportunitate concessa colligeret, suæ notitiæ diligenter exploratas intimarent. Sed væ infelicitati humanæ infirmitatis et ignorantiæ! Nam et ex illis plerique pro affinitatis, aut cujuslibet necessitudinis, seu familiaritatis obtentu, culpandos potius ei satagebant commendare, quibus ille interdum non distulit (quamvis infideliter contra se, imo contra Deum, agentibus) fidem accommodare. Ita se aliquoties circumventum a quibusdam sciebat, et gemebat, tantamque hominum infidelium perversitatem (qui Dei patientia suaque simplicitate purissima abusi fuissent, magna de cætero cum detestatione abhorrebat, et a suis, quantum licuit, consiliis eos sequestrabat.

CAPUT VII.

Qualiter in concilio Oxoniensi petitioni resistit de auxilio petito a rege Richardo, a quo tamen fuit susceptus honorifice post offensam. — Et continetur hoc capite sub capite quinto in serie magnæ Vitæ.

Verum hæc eo agente, et de lucris dominicis ex acquisitione fidelium animarum studiosius satagente, non quieverunt virulenta contra eum serpentis antiqui molimina. Uno igitur anno et fere mensibus quatuor ante mortem suam (196) rex Anglorum Richardus in gravem contra ipsum exarsit iram tali de causa. Ipso siquidem rege, in transmarinis agente, ac contra Francorum regem Philippum acriter præliante, coacta est (197) vocante archiepiscopo Cant. Humberto ad generale colloquium universitas magnatum totius Angliæ apud Exoneford. Quibus archiepiscopus, qui vice regis publicis præsidebat negotiis, regias proposuit necessitates, ut qui sumptibus et militantium copiis inferior, contra regem dimicaret potentissimum, ad suam exhæreditationem et perniciem nisibus totis aspirantem. Postulat demum quatenus decernant in commune quo genere auxilii domino suo in tam arctis posito valeant subvenire. Jam vero præfluitum erat ab his qui secum regiis ex toto nutibus ducebat parendum, ut barones Angliæ, inter quos et ipsi censebantur, trecentos milites regi exhiberent, qui suis sumptibus ei per annum integrum contra hostes transmarinos indesinenter militarent.

Requisito igitur super hoc in cœtu illo Lincolniensis episcopi assensu, ipse tacitus secum deliberans paulisper (cum prius tam primas Cantuariensis quam Londoniensis episcopus Richardus (198), qui et decanatus privilegio fungebatur inter episcopos, se suos et sua regiæ per omnia necessitati exposituros pronuntiassent) ita respondit citius : « Nostis, ait, o viri prudentes et nobiles, qui in præsentiarum adestis, me in partibus istis advenam esse, et de simplicitate conversationis eremiticæ ad episcopale officium assumptum. Cum igitur ecclesia dominæ meæ, sanctæ Dei genitricis Mariæ, meæ dudum imperitiæ ad regendum fuisset commissa, consuetudines illius et dignitates, debita etiam et onera, solerter addidici; in quibus conservandis sive exhibendis hactenus fere per tredecim annos (199) a rectis prædecessorum meorum vestigiis non recessi. Scio quidem ad militare servitium domino regi, sed in hac terra solummodo exhibendum, Lincolniensem Ecclesiam teneri; extra metas vero Angliæ nihil ab ea deberi. Unde mihi consultius arbitror ad natale solum repedare, et eremum more solito incolere, quam hic pontificatum gerere, et Ecclesiam mihi commissam, antiquas ejus immunitates perdendo, insolitis subjugare angariis. »

Hoc ejus responsum archiepiscopus satis ægre accipiens, suppressa paululum voce, tremebundus tremefactibus præ indignatione labiis adjecit a Sarisbiriensi episcopo, nomine Heriberto (200), inquirere quidnam et ipse animi haberet, super auxilio regi prospiciendo? Qui ad inquisita sic respondit paucis : « Videtur mihi quia, citra Ecclesiæ meæ enorme præjudicium, aliud a me dici nequit vel fieri quam quod faciendum esse ex responsione domini Lincolniensis episcopi modo audivi. » Ad hæc nimium indignatus archiepiscopus, primum in Lincolniensem verbis amarissimis stomachatus, soluto consilio nuntiavit regi (201), per ipsum Lincolniensem caruisse effectu negotium illius. Quo jam rex secundo et tertio per nuntios archiepiscopi accepto, in ira et furore magno universa, quæ erant episcopi, præcepit quantocius confiscari. Idipsum mandavit et de Sarisburiensi episcopo fieri, qui Lincolniensis diffinitionem suo assensu comprobasset. Quid multa? Sarisbu-

196 Obiit Richardus rex anno 1199, die 6 Aprilis. Ira ergo regis contra Hugonem exarsit anno 1197, circa festum S. Nicolai episcopi, quo 6 Decembris recolitur.

(197) Anno 1197, quo rex Angliæ, teste Trivetto in Chronico, contra regem Francorum acriter dimicabat.

(198) Richardus Londoniensis fuit episcopus ab anno 1189, ita Annales Winton. p. 302, et obiit juxta eosdem, pag. 304, anno 1198, IV Idus Septembris.

(199) Argumentum manifestum, quo Hugo probatur, anno 1185 factus episcopus. Siquidem, dum anno 1198, in die S. Augustini venit ad regem, nondum complevisset annos duodecim in casu, quo creatus fuisset anno 1186 in episcopum.

(200) « Herebertus archidiaconus Cantuariæ eligitur anno 1193 in episcopum Sarum. » Ita Annal. Wigorn. in Angl. Sacra, part. I, p. 478.

(201) Circa finem anni 1197, uti etiam ex sequenti nota constat.

riensis episcopus confestim proscribitur (202). Veniensque ad regem post injurias et damna, atque vexationes et plurimas contumelias, vix tandem maxima pecuniæ summa pacem et possessiones suas redemit. In res vero et possessiones Lincolniensis episcopi nemo præsumpsit manus extendere, dum et offensam ejus metuunt incurrere, anathema vero illius subire non aliter quam capitale supplicium formidabant.

Protrahitur inter hæc tempus a festo sancti Nicolai pene usque ad Kalendas Septembris (203) rege Hibro mandante ut proscriberetur episcopus, et regiis exsecutoribus id exsequi nulla ratione præsumentibus. Tandem vero motus precibus, maxime eorum quos dicta urgebant regalia, ut res illius jure fisci occuparent, transfretavit ad regem. Apud Rothomagum vero accesserunt ad eum duo nobiles viri, comes videlicet Willelmus cognomento Maresscalcus (204), et comes de Albamara (205). Hi quidem, per quantas injurias furor regis in dominum Sarisburiensem efferbuisset, quantas etiam Lincolniensi minatus fuisset exponentes illi, supplicabant quatenus eis, quæ viderentur expedire ad suiipsius commodum, regi per eos intimanda, ad animum ejus mitigandum de causa sua vel negotio insinuare dignaretur. Asserebant enim sub jurejurando quia mallent totis facultatum suarum viribus pacem ei redemisse, quam eveniret, ut juxta motum furoris sui regia in eum immanitas debaccharet. « Nec solum, inquiunt, quia vos fidelissime diligimus, talia prosequimur, verum etiam quia tam nobis et domino nostro regi et suis omnibus non mediocriter in hoc casu timemus. Nulli enim dubium esse potest quin ipsum quam celerrime cœlestis ultio percellet, si vestram (quod Deus avertat!) indignis exagitare injuriis præsumpserit sanctitatem, erimusque nos et amici nostri in opprobrium et direptionem dimicantibus adversum nos inimicis nostris. »

Talia prosequentibus episcopus statim respondit : « Gratias quidem immensas benevolentiæ, quam habetis erga nos, referimus toto mentis affectu. Optime vero novi quia præ cæteris in sua præsenti vexatione, cui satis compatimur domino nostro regi estis necessarii. Bene etiam novi quia vobis præ cæteris ad compensationem tenetur impensi beneficii. Nolo igitur ut pro me, cui adeo rex irascitur, verba aliqua faciatis, ne, si vobis duriora responderit, in ejus obsequio reddamini segniores, aut, si vos pro me exaudierit, se pro vobis magnum quid gessisse reputet, et ad retribuendum vobis bona, quæ meremini, ipse inveniatur aliquatenus remissior. Id tantum, si videtur, dicere ei poteritis, quia, ut eum inviseremus, in partes istas venimus. Cui si libuerit ut ipsum videamus, per quemlibet ex suis nobis significet quo loci debeamus occurrere ei. »

His ab eo dictis, nobiles illi viri prudentiam simul et magnanimitatem ejus admirantes plurimum, abierunt ad dominum suum, hæc ei omnia renuntiantes. Qui et ipse non parum illius verba miratus, et animo per omnia fere erga illum repente divino nutu immutatus, jubet ei renuntiari, quatenus sequenti die tertia apud novum castellum Rupis de Andeli (206) occurreret ei. Ad quem noster Hugo confidenter accessit, reperiensque illum in capella loci illius audientem missarum solemnia in die doctoris eximii sancti Augustini, continuo salutavit eum. Stabat vero ipse rex secus introitum ostii in solio regali, et duo episcopi, Duvelniensis (207) videlicet et Heliensis (208) stabant secus pedes ejus. Cum ergo salutasset eum episcopus, ipse rex non respondit ei verbum, sed, cum illum parumper torvis oculis fuisset intuitus, faciem ab eo avertit. Cui episcopus constanter ait : « Da mihi, inquit, osculum, domine rex. » Qui magis avertit aspectum ab illo, vultumque et caput in partem aliam declinavit. Tunc Hugo episcopus vestem illius circa pectus fortiter constringens, hunc vehementius concussit, iterum dicens : « Osculum mihi debes, inquit, quoniam de longinquo ad te venio. » Rex ad hæc ait : « Non meruisti ut osculer te. » Qui fortius concutiens eum per cappam, quam stricta tenebat manu, confidenter ait : « Imo, inquiens, merui. » Et adjecit : « Osculare me. » Tunc rex admirans fiduciam constantiæ ejus paululum, subridensque, osculatus est eum.

Aderant autem ibi duo archiepiscopi (209), et episcopi quinque, qui inter solium regis et gradus altaris constiterant. Qui non procul a rege hoc modo præsulem de rege jam triumphantem inter se accersiri cupientes, locum ei sessionis fecerunt. Quos

(202) In Annal. Winton., p. 303, ita legitur ad ann. 1198 : « Episcopus Sarum, etc., possessionibus suis desseisatus transfretavit mense Februarii. » Et post pauca : « Herbertus pauper episcopus Sarum reversus de Northmannia, etc., applicuit in Angliam VI Idus Junii. »

(203) A sexta scilicet Decembris anni 1197 usque ad diem S. Augustini anni 1198, quo Hugo ad regem venit, et ab eo in pace, sed non diuturna, dimissus fuit.

(204) Magnæ apud reges Angliæ auctoritatis, et tandem comes Pembrochiæ. De quo plura in Monast. Anglic., t. I, p. 725, et in Chronico Trivetti ad annum 1219, quo obiit Londoniæ apud novum templum in crastino Ascensionis sepultus.

(205) Willelmus nomine, cognomine de Fortibus, per conjugem suam Havisiam comes de Albemarl. Hujus meminit ad annum 1221 Trivettus.

(206) Unde magna, anno 1197, dissensio inter Richardum regem et archiepiscopum Rothomagensem exorta, uti habetur p. 840, tom. V collect. novæ apud Martene, sed sopita, ut colligitur ex Trivetti Chronico ad hunc annum, mediante permutatione quadam.

(207) Legendum Dunelmensis, qui erat Philippus Pictaviensis, de quo in Anglia sacra part. I, pag. 726 et seq.

(208) Eustachius, anno 1197, electus in episcopum, de quo etiam in Anglia sacra part. I, p. 633.

(209) Walterus Rothomagensis, jam regi reconciliatus, et, ut videtur, Hubertus Cantuariensis : Galfridus etenim Eboracensis eo anno in disgratia erat apud regem.

tamen ipse directo pertransivit, ac secus cornu altaris gressum figens, demissis obstinatius in terram luminibus, divinorum tantummodo celebrationi animum intendebat. Quem interea rex non parum curiose et pene continuo aspectu considerabat. Cum igitur ad trinam invocationem Agni, qui tollit peccata mundi, jam pacis osculum sacerdos dedisset cuidam archiepiscopo, qui regi de more pacem erat allaturus, rex usque ad gradus ei obvius processit, sumptumque ab eo signum acceptæ per immolationem cœlestis agni pacis, cum humili reverentia episcopo Lincolniensi per oris sui osculum porrexit. Ita princeps illustrissimus venerationis signum, quod sibi archiepiscopus parabat deferre, ipse potius episcopo sancto studuit exhibere. Nam ad ipsum alacriter perrexit, et nil tale suspicanti, sed attentius domino supplicanti honorem (ipso Domino id utique disponente) impendit, ut impleretur quod Dominus ait: *Glorificantes me glorificabo* (*I Reg.* II, 30).

CAPUT VIII.

Qualiter sedata regis offensa eumdem corripuit, et ab eodem honoratus recessit; cui etiam post recessum rex contingentem sibi de hospitibus victoriam nuntiavit.

Explicito igitur superius memorato sacri altaris officio, Hugo ad regem accessit, et super indignatione ejus contra se citra meritum suum excitata, pauca, sed fortia expostulavit, et quod in illum nihil penitus deliquisset, evidentissima ratione propalavit. Quibus rex, cum in contrarium nihil referre potuisset, crimen hujus offensæ in Cantuariensem retorsit archiepiscopum, qui sibi multoties siniatra de eo litteratorie suggessisset. Quæ simul universa veritate vacua fuisse promptissima rationum facilitate convincens episcopus, « salvo, ait, honore Dei et salute animæ meæ ac tuæ, utilitatibus tuis nunquam prorsus vel in modico obviavi. » Ita regia indignatione sedata, regiis xeniis episcopus honoratur, et a rege hospitandi gratia in castellum, quod vocitabat Portum gaudii (210), et quod recenter construxerat in quadam insula non procul sita, destinatur. Rogabat vero, ut etiam die sequenti ad se veniret, et ita cum gratia et favore ad propria, post iteratum cum eo colloquium, remearet. Quod ille gratanter audiens, se in crastino reversurum promisit.

Verum et de salute animæ ipsius pastorali sollicitudine pie curiosus, apprehensa ejus manu a sede sua ipsum elevans, protraxit seorsum usque ad locum prope altare, ibidemque eum sedere monens, cum et ipse pariter sederet, sic eum secretius alloquitur: « Noster, inquit, parochianus es, domine rex, nobisque incumbit ratione pastoralis curæ pro anima vestra, quam universitatis Dominus proprio redemit cruore, in tremendo ipsius judicio respondere. Volo igitur, mihi dicas qualiter se habeat status interior animæ vestræ, ut ei consilium vel auxilium, prout superna juverit aspiratio, efficaciter possim adhibere. Jam enim unius anni spatium elapsum est (211), ex quo vobis alias locutus fui. » Cui cum rex diceret ei conscientiam bonam esse fere in omnibus, nisi quod odio laboraret hostium, quos injuriosos sibi pateretur, et nequiter infestos, episcopus ait: « Si per omnia Dominatoris omnium gratiæ placueris, facile tibi inimicos tuos aut pacatos efficiet, aut expugnatos subjiciet. Verum summopere tibi cavendum est ne tu (quod absit!) Auctori tuo in aliquo injuriosus existas, aut etiam in proximos quidpiam iniquum committas. De te vero, quod quidem mœstus loquor, jam publicus rumor est, quod nec propriæ conjugi maritalis thori fidem conservas (212), nec Ecclesiarum privilegia in præficiendis maxime sive in eligendis earum rectoribus illibata custodis. Dicitur enim, quod (quod sane nimium peculiare crimen est) pecuniæ seu favoris interventu quosdam ad regimen animarum promovere soleas. Quod procul dubio, si verum est, pax tibi a Domino concedi non potest. » De his itaque regem pro tempore admonitum diligenter et instructum, et de aliis quidem se penitus excusantem, de aliis intercessionis suæ opem sedulo flagitantem, cum benedictione dimisit, et ad hospitium regia sibi provisione delegatum lætus secessit.

Rex interea de eo cum suis loquens, et virtutem animi ejus multa cum laude concelebrans: « Vere, inquit, si tales, qualis iste est, essent passim et cæteri episcopi, nullus contra eos regum aut principum attollere præsumeret cervicem. »

Tunc ei a suis consiliariis suggestum fuit, quatenus per eum in Angliam litteras dirigeret, et a magnatibus terræ alicujus modi subventionis auxilium flagitaret. Quas de ea causa illum ferre potissimum consulebant, quia procul dubio a cunctis favorabilius exciperentur, si per tantum sibi nuntium allatæ fuissent. Nonnulli etiam libentius hoc episcopum aperabant exseculturum, ut inde regio favori ulterius commendari potuisset. Verum, ut ait Sapiens: « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I, 17), » protinus siquidem per regis domesticos sibi omnia hæc innotuerunt. Suggerentibus autem sibi clericis, quatenus in re tam facili pareret alacriter regiæ voluntati, ille cum magna aspernatione verba eorum respuit, dicens: « Absit, inquit, hoc a me! Non est meum, portitorem fieri regalium litterarum. Nec enim proposito, sed neque officio meo, congruere istud potest. Non, inquit, est meum, exactionum hujusmodi vel in modico existere cooperatorem. Non latet vos, quia

(210) Idem, ut videtur, cum castello de Andeli, cum illud novum, et hoc recenter constructum dicatur.

(211) Ex hoc colligitur Hugonem etiam anno 1197 apud regem fuisse.

(212) Berengariam regis Navarræ filiam Richardus, anno 1191, duxit in conjugem, quam Hugo in castro Bevafordensi, juxta libri hujus cap. 15 invisit, et consolatus fuit anno 1199.

semper velut auditâ supplicat ense isto potens; et A hinc præsertim potestas, cum jugiter petit, premitur. Angli nostri blandis quidem sollicitationibus primo allicientur, qui demum asperrimis coactionibus, non ad quod ipsi volebant, sed ad quod regi placuerit, conferendum impelluntur. Sæpe etiam inviti id exsequi coguntur, quod semel ultroneos, vel ipsos aut eorum prædecessores fecisse noverunt. Non ergo me contingat talibus immisceri quibus cum dispendio proximi cooperatur gratia regis terreni, et indignatio succederet et incurreretur omnipotentis Dei. » Monuit igitur regis consiliarios episcopus, ut procurent ne sibi talia injungantur, unde contradicendo regiæ deliberationi, ipsius denuo gratiam ipsam demereri necesse sit. Quæ ut regi innotuerunt, statim mandavit ei quatenus ad suam B cum Dei benedictione Ecclesiam rediret, nec mora altero ad se veniendi, ut condixerant, laborem assumeret, sed pro eo ad Dominum bono animo indesinenter oraret. Sic Hugo in nomine Domini a curialium laqueis liberatus, Deum magnifice benedicens cum suis omnibus ad sua cum gaudio remeavit.

Vix autem episcopo in Angliam reverso, cum nec ad Ecclesiam suam pervenisset, idem rex contra regem Francorum (213) prope Gisorcium impetu facto, et captis pluribus ipsius optimatum, ipsum in fugam egit. Tunc etiam comes Niverniensis in fossatum castelli dejectus, aquis enectus interiit. Hujus autem triumphi seriem rex mox Lincolniensi episcopo significans, et, ut pro eo, sicut cœperat, orare dignaretur suppliciter exorans, nomina quoque et numerum virorum fortium, quos cœperat, litteratorie expressit, scribens inter cætera et asserens quod etiam ipse rex Philippus satis de fossato bibisset in quod cecidisset, fuga quidem præcipiti, nisi suorum ope subvectus evasisset interitum. Hunc honorem autem atque trophæum regi cœlitus concessum meritis sancti præsulis multi etiam suorum affirmabant, quem ipse pro Domino, pristina simultate omissa decreverat impensius venerari.

CAPUT IX.

Quam constanter se ad mandatum regum excusavit, quo sibi mandatur ut ad ipsum mitteret duodecim de personis suæ Lincolniensis Ecclesiæ qui ad sua D *forent nuntia expedienda aptiores, contra executores datos ad confiscandum omnia bona sua censuram exercendo ecclesiasticam. — Et hoc est capit. 7 in serie magnæ Vitæ.*

Excogitato autem ab æmulis viri Dei versutæ subtilitatis irrefragibili, ut putabatur, machinamento, suggeritur regi, plurimos esse inter Ecclesiæ Lincolniensis canonicos, qui innumeris redditibus locupletes (214), auro etiam vel argento prædivites, citra graviminis jacturam non modicas pecunias suis quivissent scriniis inferre. « Hujusmodi vero ingenio eas, inquiunt, facile erit extorquere ab eisdem. Scribat Dominus noster rex Cantuariepsi archiepiscopo (215), ut de gremio Lincolniensis Ecclesiæ duodecim viros prudentia et consilio præminentes, eloquentia etiam præditos (quos ipse noverit servitio vestro esse idoneos) ad vos destinare festinet, qui rebus opportunis sufficienter instructi vestra possint negotia, propriis illorum sumptibus, in Curia Romana, in Alemannia atque Hispania, necnon et alibi, quo eos censueritis destinandos, competenti solertia expedire. Quid pluribus immoremur? Venit tandem nuntius archiepiscopi ad episcopum, præsentans ei duodecim paria litterarum, totidem Ecclesiæ suæ personis ex eminentioribus porrigenda, sigillo archiepiscopali inclusa. Attulit etiam speciales episcopo litteras, in quibus prædictarum tenor litterarum juxta formulam superius comprehensam exprimebatur. In earum vero calce, regia auctoritate pariter et sua mandavit quatenus litteras singulas illis ad quos erant scriptæ mitteret, quos ad suam quoque præsentiam destinaret, paratos juxta formam regi mandati ad ipsum quantocius regem transfretare. » Illis cognitis, illi specialius turbabantur, qui tunc ibidem præsentes inventi, ad invisam se audierunt expeditionem accersiri.

At episcopus ad audita nihil respondens (erat C enim hora prandendi) ad mensam jam accessit paratam. Clerici inter prandium invicem mussitantes, se timere asserunt ne duriora episcopus nuntio responderet, cum non pontificali severitate, sed potius lenitate submissa, in casu tam formidoloso, opus esset ad experiendum primitus, si forte blandiente supplicatione dominus Cantuariensis posset deliniri, qui, si vellet, ipse consilium istud in melius facile commutaret. Hæc illis mutuo conferentibus, avertit Hugo, vir robusti pectoris, citius formidinis eorum diffidentiam. Unde nullius ex eis super reformanda responsione consilium expetivit, sed continuo, ut surrexit a discubitu, ad nuntium qui venerat hæc est prosecutus: « Nova, inquit, nec uspiam, hactenus sunt audita, tam ea quæ auctoritate regiæ quam et illa quæ sua voluntate injungit dominus noster Cantuariensis. Sciat tamen ille me nunquam litterarum suarum fore vel fuisse portitorem, nec me clericos nostros regiis aliquando servitiis obligasse, aut obligaturum esse. Prohibui sæpe clericis, etiam alienis, in episcopatu nostro beneficiatis, ne in publicis functionibus, ut est in distrahendis forestis

(213) Philippum. De hoc prælio et victoria videatur Trivettus in Chron. ad annum 1198, ubi hic relata confirmat.

(214) De opulentia et amplitudine episcopatus Lincolniensis ita scribit Giraldus Cambr. Angl. Sacræ part. II, p. 417: « Crevit ergo diœcesis Lincolniensis per Remigium, sed decrevit enormiter per Robertum et Robertum. Cunctas tamen cathedrales adhuc regni totius ecclesias, VII comitatus et dimidium in se continens, terræ populosæ, et præter varios personatus, alios VII vel VIII archidiaconatus habens, longe lateque diœcesis amplitudine vincit. »

(215) Id factum creditur anno 1198, post reditum Hugonis a rege, licet et ante ejus recessum eodem anno fieri potuerit.

et aliis in hunc modum administrationibus, se obnoxios sæculari clientelæ efficere auderent. Quosdam etiam in hoc minus obedientes salutaribus monitis nostris, beneficiorum suorum dura privatione castigavimus. Qua igitur ratione de intimis Ecclesiæ nostræ visceribus evellere deberemus quos ad regia obsequia mittere jubemur? Satis sit domino nostro regi, quod certe in periculum salutis animæ suæ, professionis suæ officio prætermisso, negotiorum illius executioni se archiepiscopus jam ex integro devoverit. Quod tamen, si parum ei videtur, veniet cum suis; en iste episcopus: Veniet, inquam, audire jussa regis ex ore ejus. Veniet etiam juxta eadem illius jussa, quod justum fuerit promptissime executurus. Tu vero duodenarium litterarum, quas nobis attulisse te dixisti, asporta tecum, inde, quod libet, actitaturus. Hæc vero universa, quæ tibi loquor, domino nostro archiepiscopo seriatim enarra, ad extremum vero dicturus ei quia, si ad regem hoc ordine ituri sunt clerici nostri, cum eis pariter et ego ipse ibo. Nec enim ipsi sine me modo ibunt, nec sine ipsis alias ivi ego. Hæc enim pastoris boni ad oves suas, et bonarum ovium ad pastorem suum ratio est, ut nec iste illas incaute exponendo dispergat; nec illæ istum temere fugiendo aberrent. »

Iras ad hæc spirabat litterarum bajulus. Erat enim curialis clericus, in hoc ipsum, ut tali fungeretur legatione, de industria assumptus. Erat quoque, ut dabatur intelligi, fastu innato tumidus, sed tumidissimus ex flatu spiritus curialis. Qui cum pararet minas emovere, quas anhelitu præ tumore cordis intercluso vix sufficiebat proferre, intercidit verba ejus virosa episcopus, eum quantocius recedere jubens. Qui protinus ita perturbatus et confusus abscessit.

Misit vero quosdam ex suis viros prudentes episcopus ad archiepiscopum, rogans et monens eum, quatenus præmetiri dignaretur et præcavere in edictis hujuscemodi ecclesiasticæ immunitatis (quam tueri tenebatur) præjudicium evidens, nec in talibus suæ auctoritatis ullatenus præberet assensum. Quorum ille precibus sive rationibus specie tenus potius quam medullitus flexus, rancore parumper dissimulato (quem palam ex inobedientia, ut dicebat, suffraganei sui, se concepisse memoraverat) cum auctoritas simul et ratio certa præscribat nunquam debere per obedientiam malum fieri, et cum debeat interdum bonum intermitti, spopondit se provisurum quatenus salva utilitate regia haberet ut præsens negotium ad pacem domini Lincolniensis, aut funditus sopiretur, aut moderatius ordinaretur.

Verum non in longum habuit locum quies pacis repromissæ. Emissis enim cito post ista publicis edictis, jubentur possessiones episcopi in manus recipi regalium exactorum. Quod ut audivit episcopus, nonne, inquit, clericis suis, dixi vobis, quia vox quidem hominum istorum, « Vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau? » (*Gen.* XXVII, 22.) Verum ut ea quæ gesta sunt summatim percurramus, illi quibus demandata fuit executio edicti tyrannici, præ nimia formidine, primo supersedere mandato suggesserunt regi, deinde quanti esset periculi, tam jubentibus quam exsequentibus quidquam, unde incideretur in maledictionem viri illius attentare. Manifestissimum esse siquidem dicebant quod cuicunque ille maledixisset, eidem malediceret Dominus, et maledictio illa, ut ait propheta, citius devoraret illum (*Isa.* XXIV, 6).

« Erat autem tunc in exercitu quidam Rutaniorum princeps, vocabulo Marchadeus (216), homo per omnia sævitiæ belluinæ et perditæ conscientiæ, vir ad quodlibet scelus et sacrilegium præceps. Rex vero, nihil aut parum motus ad meliora per ea quæ a suis executoribus crebro ei suggerebantur, « Meticulosi sunt, inquit, Anglici isti. Mittamus itaque Marchadeum, qui ludere novit cum Burgundiensi illo. » Cui statim quidam amicorum suorum ait: « Necessarius est, domine rex, Marchadeus guerræ vestræ. Cæterum opera illius et obsequio certissime fraudabimini, si efficiatur anathema Lincolniensis episcopi. » Quod rex sibi nequaquam expedire affirmans, plus quoque ipsius periculum, quam suum proprium reformidans, illum quidem, ne periret, mittere supersedit, sed, unde ipsemet rex exitiabiliter periclitaretur, committere non præcavit.

Cuidam igitur officiali suo, nomine Stephano de Curneheya, viro utique fideli et timorato, nostro etiam pontifici satis devoto, dedit in mandatis, ut, sicut vitam suam et membra diligeret, bona Lincolniensis episcopi absque dilatione in manus suas reciperet. Qui tandem, regio metu coactus, misit quosdam ex suis ad terras, et ad mobilia quæcunque reperissent, cum villis et castellis ipsius episcopi occupandas. Quibus primum ad recipiendum oppidum Lafford tendentibus occurrit forte, non longe a burgo Sancti Petri, comitatus episcopi. Cujus occursu illi territi diverterunt paululum a via, et, accitis quibusdam ecclesiasticis, exposuerunt eis quanta minatus fuerit crudelis rex domino ipsorum, quod distulisset episcopum desaisire (217); et quia inviti, et metu supremi discriminis astricti, ad id exsequendum modo irent. More igitur tertii quinquagenarii, missi ad Eliam a rege perfido, isti quoque humiliantes se supplicabant obnoxius, ut, clericis illis mediantibus, misereretur animabus eorum verus ille servus Dei, ne propter ejus offensionem, quam timebant incurrere, ultio cœlestis consumeret eos. Orant ut regiam potius mitigare festinaret animositatem, ne detrimenta cumularet undique, etiam insontibus, et a merito contentionis inter regem et pontificem prorsus alienis. Spondent insuper se pro viribus servaturos illibatas res illius. Petunt

(216) Mercadernm vocat Trivettus ad annum 1197. Verum a Raynaldo appellatur Marchadeus in annal. ad annum 1199, ubi de ejus crudelitate agi pag. 34.

(217) *Desaisire*, id est, possessione exuere.

quatenus suspendat ad tempus sententiam excommunicationis, qua et regem amplius exacerbari et suam eorum innocentiam proveniret periclitari.

Hæc ubi episcopo innotuerunt, « non est, inquit, istorum servare res nostras. Eant tantum, et res, non tam nostras, quam res dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut eis videbitur, tractent. » Hæc dicens, protulit e sinu fimbriam stolæ lineæ, qua collo suo, dum iter ageret, semper appensa utebatur sub cappa sua, eamque manu agitans : « Hæc certe, inquit, restituet nobis usque ad extremum obolum, » quidquid isti duxerint rapiendum. Veniensque in villam suam Buggedenam appellatum (ubi litterarum archiepiscopalium supradictus portitor ad illum venerat, ubi quoque de tuenda libertate ecclesiastica divini quondam oraculi periculum per monitionem, ut dudum supra commemoratum est, acceperat) jussit continuo litteras fieri, quibus præcipiebat archidiaconis et decanis locorum (in quibus constitutæ fuerint possessiones suæ) quatenus, adunatis secum vicinarum Ecclesiarum presbyteris, mox, ut in partes illorum venirent executores memorati, pulsatis campanis accensisque candelis omnes illos subjicerent anathemati, qui res ecclesiæ suæ violenter contingere, et injuste occupare, sive præcipiendo sive obsequendo, præsumpsissent.

His in hunc modum dispositis, cum omnes pene sui metu et perturbatione vehementi fluctuarent, ille demum lectulo exceptus, ac si nihil inquietudinis pertulisset, suavissimum in soporem extemplo membra laxavit. Nec causa ista ad intima cordis ejus unquam penetrabat. Ea quoque nocte crebrius solito et intentius, ac velut cum vehementiori spiritus impulsu, *amen* iterare non desistebat (218).

CAPUT X.

Quod archiepiscopo consulenti, ut mitteret pecuniam regi, qui eam sitiebat, sicut hydropicus aquam, respondit : « Si ipse hydropicus est, ego aqua non ero, » et de curatione apud Cestrehant furibundi.

Eo siquidem temporis articulo (219) quo regiæ insectationis procella in Lincolniensis Ecclesiæ pastorem, semetipsum pro ovibus suis exponentem, primum efferbuit, id accidit quod referimus. Ea namque tempestate idem pervigil ovilis Dominici custos Londonias adierat, cum archiepiscopo cæterisque regni optimatibus super tanto negotio tractaturus. A quibus id solum consilii reportavit, ut pecuniæ ingentis summam a clericis suis exigeret, quam ad sedandum regis avari furorem ei per quemlibet ex suis celerius destinaret. Ait namque archiepiscopus : « An nescitis, domine episcope, quia, ut hydropicus aquam, ita dominus rex sitit pecuniam ? » Cui citius more suo ille responderat : « Plane et si ipse hydropicus est, sed ego aqua non ero, quam ille deglutiat. »

Discedens itaque a Londoniis, ad suam festinus repedabat Ecclesiam, unde proponebat dispositis omnibus ad regem transfretare citius, ut supra dictum est. Mane igitur quadam die Dominica per villam quam Castrehantam antiquitas nominari instituit, agebat iter. Cumque jam pene totus comitatus illius præcessisset, ipse, cum paucissimis sociis villæ medium ingressus, magno vulgi clamitantis clamore subito vallatur. Exoratur autem a populo confluente ut quemdam convicaneum suum, a sævissimo dæmone obsessum, sacræ suæ dexteræ consignatione dignaretur benedicere. Quem ut vidit aperto domus suæ ostio interius jacere ligatum, mox spiritu totus infremuit, nec contentus illum, ut erat a remotis, benedicere, equo quem sederat descendit, ita dicens : « Proh nefas! hæc utique non se recte habent. » Cernebat namque dæmonis captivum jacere supinum, caputque ad postem, et manus singulas ad singulos hinc inde paxillos humo altius defixos habere religatas; pedes quoque pariter juncti, palo erant astricti. Ipsius autem oculi mirabiliter rotabantur in gyrum, os nunc in hanc, nunc in illam partem miserabili ritu contorquebatur. Nunc linguam in immensum protendebat ab ore, nunc dentibus stridebat, nunc hiatu faucium immanissimo patulum gutturis meatum, ac si quoddam ingens barathrum esset, et intuentibus horridum demonstrabat. Ad quem præsul velociter accurrens, facto super eum signo sanctæ crucis, inclinavit se, et dexteram aliquandiu prope os illius tenebat oppansam, evangelicum interim capitulum scilicet : « In principio erat Verbum (*Joan.* 1, 1), » voce suppressa percurrens. Et cernebat miserum inter hæc caput, quod huc illucque indesinenter agitare consueverat, immotum habere et quietum, ut solent canes, cum ictus timent castigantium; oculos vero sub aspiciendo eum quadam formidinis nota in partem variam meticulose dirigere. Percurso itaque Evangelio, ut ad locum, ubi dicitur : « Plenum gratiæ et veritatis (*ibid.*, 14), » venit, erexit se episcopus, et patientem aliquandiu tacitus considerabat. Qui repente in partem alteram vultum ab illo declinans, linguam more subsannantis produxit ab ore.

Tunc indignatus ille strenuus potestatis adversæ debellator, aquam et salem more ecclesiastico et ritu celerrime benedicens atque commiscens, aspersit super illum, jubens quoque circumstantibus ut de eadem aqua ei in os mitterent. Et ita dans omnibus benedictionem, equum ascendit atque discessit. Benedicebant vero illum universi et singuli, asserentes quod eorum episcopus, paulo ante eadem via descendens, cum vidisset dæmoniacum, nimio tactus pavore, equum cui insederat calcaribus urgens, non solum absque subventione miserum pertransierit, sed, tanquam ipsemet furiis ageretur, equo currente aufugerit. Vir autem ille, extunc liberatus a dæmone, vitam suam in posterum in omnibus studuit

(218) *Amen*, de quo dictum est lib. II, c. 8.
(219) Circa finem anni 1197, quo primum, ut mox sequitur, efferbuit ira regis in Hugonem.

emendare, vacanaque diutius sanctorum peregrinationi pie, cum annis aliquot vivisset devote, fine tandem bono quievit in pace. Hæc de consummatione illius in villa præfata nuper a vicinis suis, qui et interfuisse se dicebant curationi memoratæ accepimus.

CAPUT XI.

Qualiter mulierculam quamdam a spiritu pythonico liberavit. — Et est capit. octavum in magna Vita

Jam vero prætercundum non est quod in capitulo Lincolniensi ad regem se pro communi necessitate trans mare iturum prædixerat (220). Jam filiis benedictione ritu solemni data, illa scilicet qua benedicere jussi sunt filiis Israel sacerdotes in lege per Moysen, et quam in benedictionali suo scribi fecerat, commendatus orationibus singulorum, atque libato invicem sancto pacis osculo, apostolicis verbis universos commendaverat Deo et Verbo gratiæ ejus. Inde, ut præmissum est, directe ad manerium perveneral supradictum (221). Ubi cum paucis maneret diebus, suggeritur ei a loci vicini decano mulierculam quamdam in decanatu suo, quæ spiritum videretur habere pythonicum, plurimas ad se divinandо turbas pertrahere populorum. Indicabat enim passim furta, a quibuscunque admissa, et occulta quæque detegebat maleficia. Si vero ab ipso, ut idem aiebat decanus, seu a quovis discreto et litterato viro conveniebatur aut corripiebatur super hoc, mox importuna linguæ volubilis dicacitate arguentem illum quasi stupidum reddebat et elinguem, sicque omnes v. ositatis affluentia opprimebat, ut nullus eam convincere, aut silentium ei valeret imponere. Ad hoc statim episcopus, jam, inquit, non post multos dies Lon.e.. ad adituri, cum per fines vestros transitum fa.. em s., adducetis eam loco opportuno in occursum nos.. Quod et factum est.

Descendit itaque visa muliere de equo suo ipse episcopus. Astabat vero ibidem populi frequentia cum parvulis, qui manus impositione erant confirmandi. Muliere igitur sibi præsentata, vir Domini, quasi cum indignatione obluctans, non tam miseram illam quam ejus inhabitatorem, occultum dæmonem, alloquitur : « Age jam, o infelix, inquit, quid nosti divinare nobis? » Proferens autem clausum dexteræ suæ pugillum, implicatam in eo tenens extremitatem stolæ suæ, « Dic, ait, sedes dæmonis, siquidem nosti, quid habeat inclusum manus mea? » Hæc eo dicente, statim velut exanimis corruit ad pedes ejus muliercula, paulo ante procax, nunc autem subito ad vocem virtutis tantæ, non modo fandi, sed etiam standi, impotens effecta. Aufugerat enim interea habitator, qui eam male vegetaverat, et illa remanserat sub manu sanantis, medici salubriter debilia, quæ sub impetu morbi perimentis exstiterat prius lethaliter fortis.

Cum ergo ad vestigia viri sancti inclinata aliquandiu jacuisset, præcepit elevari eam. Tunc decano interprete usus (ignorabat enim linguam rusticanæ mulieris) inquiri jussit, qualiter divinationis peritiam acquisivisset. Quæ tenui et submissa voce, cum sæpius interrogata fuisset, dixit : « Nescio, inquit, divinare, sed misericordiam imploro sancti hujus episcopi. » Iterumque defixo in terram vultu procidit ad pedes ejus. Cumque imposita capiti ejus manu pro ea breviter oravisset, data ei benedictione, præcepit eam ad priorem (222) Huncedonensem illarum videlicet partium pœnitentialem, adduci, dans ei in mandatis quatenus veram ageret præmissa confessione de omnibus suis peccatis pœnitentiam. Quod etiam, ut postmodum accepimus, fideliter implevit. Præceperat enim ei, ne ulterius præsumeret maleficia aliena divinare, sed propria assuesceret indesinenter mala lugere et accusare. Quæ ex hoc tempore adeo modesta apparuit et taciturna, cum prius garrula nimis existeret et procacissima, ut hoc ipsum loco ingentis miraculi haberetur penes universos, qui mores illius pristinos agnoverunt.

CAPUT XII.

Qualiter mulierem aliam liberavit a dæmone incubo. — Et continetur hoc capit. in magna Vita sub capit. octavo.

Huic loco pro causarum, nec non et personarum, similitudine alterius ab infestatione dæmoniaca mulieris ereptionem virtutibus hujus viri juste enumerandam, reservavimus exponendam, licet tempore diverso celebratam (223). Intimaverat enim quodam tempore vir eximiæ eruditionis et doctrinæ Bartholomæus Oxoniensis præsul (224), quia dæmon quidam in specie juvenis abuti consueverat quadam infelici muliercula in sua diœcesi constituta. Quam etiam asserebat, tam sibi quam aliis venerabilibus personis, detestabilis hujus passionis suæ ærumnam flebili sæpius confessione propalasse, et consilium quo eriperetur ab obsceno oppressore studiosius inquisivisse, jejuniis insuper et varia carnis macerationе illam memorabat peccatricia membra sua fere usque ad internecionem perdomuisse. Hæc vero simul omnia nihil sibi contra odiosum et improbum amatorem contulisse. In talibus quoque non pauca jam curricula temporum eam dixit protraxisse. Hinc venerabilis Pater Hugo, pariter et pietatis instinctu compatiens miserabili feminæ, et

(220) Supra cap. 9, in hæc verba : « Si ad regem hoc ordine ituri sunt clerici nostri, cum eis pariter et ego ibo. »

(221) Buggedenam in itinere inter Lincolniam et Londinum situm.

(222) Forte idem cum Huntindonensi, ubi teste Monastico Anglicano tom. I, p. 530, est prioratus monialium extra Huntedon fundatus.

(223) Anno 1185, aut 1186, et non serius, Hugone, aut adhuc existente in prioratu Withamensi, aut recenter consecrato in episcopum. De qua re uberius agendum in quæstione, quo anno Hugo sit factus episcopus.

(224) In Annal. Ecclesiæ Wintoniensis apud Whart. in part. I Angliæ Sacræ ita legitur pag. 300 : « Anno 1161, magister Bartholomæus episcopus Exoniensis factus est. » Et iterum in iisdem, p. 302. « Anno 1186 Bartholomæus Exoniensis episcopus obiit. »

indignans impuritati dæmoniacæ, « Jam, inquit, ista, A « cius longe a te et a domo tua invisum istud gra-
si, ut asseritis, contra peccatum suum contritione « men, quod imprudens tibi applicuisti. » Illa dissimu-
cordis, confessione oris et corporis afflictione eri- « lante monitis obtemperare maligni, cœpit ille nunc
gitur, nil aliud demum superesse video, nisi ut « minis, nunc blanditiis instantius agere, ut herbam
oretur pro ea instantius apud clementiam piissimi « ejiceret quam se exhorruisse dicebat. Qui, ut se
Redemptoris. » Episcopus autem Oxoniensis hæc se, « contemni vidit ab ea, post moralas aliquot recessit
secumque alios innumeros jam fecisse, sed nihil « furibundus et minax.
profecisse commemorans, ipsum quoque, ut pro ea « Nec paulo tardius adfuit alter, ac quasi aggra-
dignaretur orare, suppliciter flagitabat. Cui ille : « tulans dilectæ ait : « Verane esse didicisti, quæ tibi
« Hoc ego non tantum, sed quisque fidelium devo- « locutus sum? Nunc ergo, dum ego tecum secretius
« tissime facere debebit. »
Post hæc, digressis ab invicem episcopis (225), « loquar, amovebis parumper herbam nostratinm
cum iterum occurrissent sibi aliquanto tempore « universitati odiosam a te. Post meum vero discer-
elapso (226), inquisivit sollicitus iste animarum libe- « sum resumes armaturam graminis tui, qua illæsa
rator illum episcopum superius memoratum qualiter « conservaberis ab insidiis hostis virosi. Nequa-
res se haberet circa illam oviculam gregis sui, quam B « quam enim furcifer ille ad te præsumet ullatenus
pestifer ille lupus tam immaniter laniaverat. Cui « accedere, dum sentiet me tecum præsentem esse. »
pontifex non solum ejus ereptionem, sed ereptionis Ad hæc illa : « Venies, inquit, si velis, et si possis,
quoque ordinem mirabilem exposuit in hunc mo- « ad me; nec enim promissioni meæ debeo con-
dum : « Adjuta, inquit, orationibus vestris dudum « traire. Cæterum herbam istam, vita comite, nun-
illa evasit probrosæ servitutis jugum. Cum enim die « quam rejiciam a me, quæ sola mihi potuit contra
quadam incestus ille dæmon incredibili eam libi- « immissimum oppressorem securitatem præstare. »
dinis furore delusam, exanimem pene reddidisset, Quid plura? Et iste, sicut prior, post diuturnas
ille abcedens evanuit, et illa in suo conclavi nimio preces, post minas et blanditias frustra protractas,
dolori et mœrori addicta remansit. Cum ecce in circumventum se a muliercula diu multumque
alterius specie juvenis alius, ut ei videbatur spiritus deplorans, in auras inanes demum evanuit. Mulier
ingrediens ad eam, unde mœstos gereret animos vero jam fide et devotione, ac bona conversatione,
sciscitari cœpit. Qua nihil respondente, ait ille : melius quam herba illa armata, vitam duxit in Dei
« Scio, vereque novi quia nequam illo te afflixit. Sed timore honestam et quietam. Hæc autem omnia, ut
« non mirum; est enim perversus et admodum a nobis narrantur, ego ab illius ore (cum ad me jam
« malignus. Verum, si desideris meis atque con- C curata, demum pœnitentiæ modulum et absolutionis
« siliis præstare velis assensum, nunquam de cætero beneficium susceptura veniret) audivi. » Et hæc
« is ad te accessum habebit. » Ad hæc illa plurimum quidem Oxoniensis episcopus retulit episcopo nostro,
exhilarata confestim respondit : « Nihil est, inquit, quæ et ipse frequenter nobis præsentibus referebat
« sub cœlo facultati meæ possibile, quod non libens plurimis.
« facerem seu perferrem, dummodo ab istius accessu
« perinde salvari potuissem. — Mecum ergo, ille Mulier vero præfata, dum orationum gratia multa
« ait, amoris fœdus non dubites inire. Ego siqui- peragraret sanctorum loca, pervenit demum Cantua-
« dem, quæcunque poposceris, aut optaveris, tibi riam. Ubi, dum a viris religiosis orationum inquirit
« præstabo, et nihil a te tuis votis contrarium suffragia, cuidam monacho Sancti Augustini her-
« exigam, et nihil non delectabile sive amabile tibi bam illam e sinu suo prolatam ostendit. Quam ille
« inferam. » Spondet illa hæc et alia pollicenti nobis (227) et nos ipsam episcopo postmodum de-
assensum, dummodo experiatur promissæ libera- monstravimus; nam eatenus eam minime agnove-
tionis effectum. Tunc ille adduxit eam ad proximum rat. Ipsam vero herbam Græci hypericon, Latini
domui suæ locum, et herbam eminus succrescen- D herbam perforatam, sive herbam Sancti Joannis
tem illi demonstrans : « Istam, inquit, herbam tolle, appellare solent (228). *Hæc in magna Vita inseritur*
« et in sinu tuo reconde, ac circumeirea in domo tua *historia. Si cui ista forte minus videbuntur credenda,*
« sparge : et experimento disces, cum hoc feceris, *legat Bedam in Explanatione Lucæ evangelistæ, et*
« me in promissis veridicum exstitisse. » Fecit illa *his similia, quæ suis temporibus acciderunt, a tanto*
quod fuerat edocta. Venitque post hoc in nota effigie *doctore ibidem scripta reperiet.*
dæmon versipellis, atque astat prope fenestram, qua
intrare et exire solebat : et introspiciens dixit ad
mulierem : « Quidnam est istud horridum et putri- CAPUT XIII.
« dum, quod in hac æde sparsisti? Projice quanto-

De furis ereptione, qui ad suspendium ducebatur, et qualiter baronibus scacarii est locutus. — Hi continetur hoc capit. sub capit. nono in magna Vita.

Sed redeundum est ad cœptum iter pontificis nostri versus regem (229), et stylo jam currente

(225) Ad mentem igitur auctoris Hugo jam erat episcopus, dum hic narrata contigerunt.
(226) Uno aut altero mense post primum occursum poterat fieri secundus.
(227) *Nobis*, id est auctori Vitæ.

(228) Subducta videntur esse abbreviatoris.
(229) Ad ea nempe quæ evenerunt in itinere, ad Richardum regem circa finem anni 1198 aut sequentis initium suscepto.

illud exponendum. Cum igitur expulso, ut diximus, spiritu pythonico a muliere (230), die sequenti territorium Sancti Albani (231) fuisset ingressus, ecce occurrit ei cum apparitorum turba quidam damnatitius, qui ob commissum furtum revinctis post terga brachiis ad promeritum trahebatur suspendium. Cæteris igitur ad benedictionem pontificis expetendam de more suppliciter accurrentibus ingessit se vi, qua potuit, etiam vinctus ille, ruensque primum ad cervicem caballi ejus, ac statim sub pedibus ejus procidens, misericordiam flebilibus vocibus inclamavit. Tunc episcopus reductis confestim habenis, quisnam ille esset, vel quid sibi vellet inquisivit. Cui dictum est a suis rem, ut erat, agnoscentibus : « Non est vestrum, domine, de isto plura inquirere, quin potius siuite eum, et pertransite. » Dicebant ita metuentes ne illum in sui omnium periculum penes regem tentaret eripere. Sed ipse eo magis causam inquirens, misericordiam interpellantis, ut eam plenius agnovit, voce alacri dixit : « Eia benedictus Deus ! » Tunc ait ministris, qui eum deducebant ad suspendium : « Redite, filii, nobiscum in villam et nobiscum illum dimittentes, majoribus vestris et judicibus nos eum vobis abstulisse renuntiate. Nos enim vos securos faciemus. » Qui resistere non ausi, hominem ei dimiserunt. Quem ille mox solutum a vinculis eleemosynario suo commendavit.

Qui ut hospitium est ingressus, convenientes ad eum clerici sui ministri, monebant illum instantius et exorabant quatenus permitteret judices quod sui esset officii exsequi circa reum. Dicebant namque : « Hactenus, domine, nullam contra nos, sive rex, sive alius quis, qui vobis insidiatur, aut justam aut justæ similem potuit reperire causam. Si vero sententiam forensium judicum, jam latam et jam exsecutioni demandatam, vestra duxeritis auctoritate pontificali irritandam, dicetur ab emulis quod in ipsam regis coronam delinqueritis, et quasi in reatum inciderilis læsæ majestatis. » Quibus ille : « Novi, inquit, magnanimitatis vestræ confidentiam. Sed accersantur ad nos hue judices isti (jam enim foris aderant quærentes ei loqui) et audietis, inquit, illorum sermones, et nostros. » Quibus ad suum consessum admissis, sic eis est locutus : « Nostis, o viri prudentes, hanc sanctæ matris Ecclesiæ ubique terrarum prærogativam esse, ut cujuscunque periculum declinantibus damnationis et ad eam confugium facientibus, securitatem A præstet et incolumitatem conservet? » Quibus id se bene scire idque jure observari debere respondentibus, adjecit ille : « Si istud scitis, illud, inquit, nihilominus scire debetis quia, ubicunque fuerit episcopus cum simul adunatis Christi fidelibus, ibi est et Ecclesia. Qui enim materiales lapides ecclesiæ suo ministerio consuevit Domino dedicare; qui et lapides vivos, ex quibus verius constat Ecclesia, per singula sacramenta, ut Dominica templa ex eis fiant, habet sanctificare, jure debet, ubicunque fuerit, dignitatis ecclesiasticæ privilegio gaudere, et cunctis periclitantibus, juxta illius formulam, subvenire. » Quod judices illi gratanter accipientes, antiquis etiam Anglorum legibus hoc ipsum recolentes fuisse expressum, sed nunc, vel modernorum pontificum desidia, B vel tyrannide principum esse abolitum asserebant. Habito tamen super hoc ad invicem tractatu, locuti sunt ei in hanc formam: « Domine, inquiunt, filii et parochiani vestri sumus (232), vosque Pater et pastor noster estis. Nec igitur contra privilegium vestrum venire vel disputare nostrum est, nec erit, si placet, vestrum, in nostri periculum quidpiam attentare. Proinde, si istum liberatis, nos minime resistemus; sed vobis, si placet, ne erga dominum nostrum regem periclitemur, prospiciendum relinquimus. » Tunc ille : « Bene inquit, et recte locuti estis. Ego igitur de manibus vestris illum tollo; pro qua violentia ego respondebo, ubi oportebit, sufficienter. » Sic reus locum supplicii lætus evasit, liberque Londonias cum episcopo venit, et deinde, C quo libuit, indemnis abivit.

Episcopus autem ad proceres, regis scacario (233) præsidentes accessit, eosque, ut indemnitati Ecclesiæ, sub ejusdem præsertim absentia, benigne prospicerent, amicabiliter exoravit. Qui ei reverenter assurgentes, et, quod petierat, obtemperanter se facturos pollicentes, compulerunt eum multis precibus, ut secum vel ad momentum resideret. Quibus ille vix acquiescens, sedit tandem. Unde illi exhilarati : « Jam, inquiunt, triumphaliter gaudere valebimus, qui diem vidimus, quo ad regis scacarium Lincolniensis sedit episcopus. » Ad hoc ille, locum erubescens, continuo surrexit, osculumque porrexit universis, dicens : « Jam, inquit, et ego de vobis triumphabo. Si post libatum pacis osculum in D Ecclesiam meam quidquam admiseritis minus pacificum. » Quod factum et dictum illi nimium admirati, mutuo loquebantur : « O mirabilem prudentiam viri hujus! Ecce quam de facili præscribit nobis,

(230) De quo dictum supra cap. 9.

(231) Celebre olim monasterium, de quo plura in Monastico Anglicano tom. I, p. 176, et Mabillonius, tom. II, Annal. p. 298, et tom. IV, p. 672. Subjectum illud olim fuisse episcopatui Lincolniensi colligitur ex Giraldo Cambrensi in Anglia sacra part. II, p. 417, ubi hæc scribit de Roberto de Cheinto : « Item Sanctum Albanum amisit, cum tamen tanta familiaritate monasterium illud Ecclesiæ Lincolniensi junctum fuisset, quod abbates ejusdem plerique in Ecclesia Lincolniensi præbendati exstiterant, » etc.

(232) Ex hoc loco colligi datur eos qui in territorio S. Albani erant adhuc remansisse sub cura et diœcesi episcopi Lincolniensis, quem ut Patrem et pastorem venerabantur.

(233) Erat illud eo tempore apud Westmonasterium juxta Londonias, sed non longe post translatum Northamtoniam, sicut refertur in Chronico Trivetti ad annum 1209. Cæterum *scacarium* Anglis dicitur curia, in qua res fisci pertractantur. Iisdem pro ipso fisco seu ærario regio interdum sumitur, quod ærarium regis Angliæ in eadem æde, ubi judices scacarii consident, asservetur. Vide Glossarium Cangii in hac voce.

ut neque jussi a rege sine magno dedecore ei debeamus molesti existere.» Quibus ille benedictione data recessit, et regem adire disponens, post hæc citius in Northmanniam transfretavit.

CAPUT XIV.

De juvene, quem apud urbem Roffensem desperatum invenit, cujus postmodum compulsit caro secus utrumque femur, qui per nostrum Hugonem tam in corpore, quam in anima est curatus. — Et hoc est ex capit. 2 in magna Vita, libro IV.

Dum autem episcopus Roffensem perveniret ad urbem (234), accessit ad eum ibidem quidam juvenis, quem perniciosius suis illaqueaverat dolis hostis humani generis. Qui mediante interprete (neque enim vel ipse pontificis, vel pontifex ipsius sufficienter dignoscebat loquelam) miserabilem in hunc modum de seipso recensuit tragœdiam. « Cum, inquit, dudum adolescentulus, discretionis adhuc minus capax, vacuis ducerer et vagis affectuum motibus, contigit me infelicem ex insidiis adversarii humanæ salutis detestabile enormis cujusdam piaculi incurrisse crimen. Nec contentus lapsu simplici, lapsum adjeci lapsui, sicque, quod deterius est, criminis addendo crimen, longam in criminum lapsibus feci consuetudinem. Erat scelus meum sui qualitate nimis horrendum, cujus honorem quadruplicaverat loci, temporis et personæ, cum suiipsius immanitate, consideratio. Nil ex peccatorum circumstantiis supremo defuit malorum cumulo, nisi forte ignorantia juris semiplena. Suasus præterea et illectus ab alio, primitus in me semper fere peccabam. Nuper vero sacerdote quodam verbum Dei prædicante, in ecclesia me indignissimum turbis accidit confluentibus interesse. Sacerdos ille catalogum retexens criminum capitalium, in hoc, cujus eram mihi conscius, verbi divini gladium fortius vibrans, ejus damnabilem adeo exaggeravit fœditatem, ut me pene crederem, terra subito dehiscente, absorbendum, ac vivum in infernum collapsurum. Tantam denique mentis confusionem incurri, ut extra meipsum funditus me putarem effectum. Diem vero illum cum prima sequentis noctis parte in lacrymis expendi et singultibus. Tum ecce post noctis medium, lassatum præ tristitia corpusculum in soporem resolvitur, visaque est mihi astitisse femina, inæstimabili præfulgens decore, talia referens monita desolato: « Noli, ait, miselle, desperare, « larga est enim clementia et potentia filii mei, qui « neminem vult perire. Surgens vero diluculo sacer- « dotem inquire, quem tibi notum designo ex nomi- « ne, eique fideliter, pure et integre peccata tua « confitere. » His dictis visio mihi cum somno est ablata. Ego de nocte consurgens mihi injuncta peregi. Nec multo post, confusionis meæ ruborem non sustinens, insuper locum perditionis meæ exhorrescens, discessi a domo genitricis meæ clanculo, et a civitate, in qua natus et conversatus infeliciter eram. Pergenti vero, sed, quo tendendum vel ubi consistendum mihi esset commodius nescienti, occurrit anxiato et mœrenti vir ex improviso horrendi aspectus, statura perlongus, capillo rufus, qui ore terrifico hæc est mihi locutus: « Pessime, inquit, « offendisti Deum et ejus genitricem; quos si velis « quovis pacto habere propitios, ipsum necesse est « ut corpus exstinguas, quo eis toties injuriosus exstiteras. Erras enim, si credis quod in eodem « vasculo quod tot contaminationibus polluisti, « quidquam divinæ sinceritati acceptum operari « queas. » Vix dictum expleverat, et ecce peregrini adveniunt beati martyris Thomæ busta petituri, ad quorum præsentiam, qui loquebatur, repente disparuit. Ego in formidinem simul et desperationem licet vehementer impulsus, signavi tamen frontem signo salutari, pergensque itinere cœpto mœrens, vixque præ cordis dolore gressus proprios regens, hac ipsa die, qua mihi hæc dicta sunt, in hanc urbem circa horam tertiam devenio (235). Immissum quidem fuerat animo meo, etiam antequam hominis prædicti suasionem visibiliter percepissem, ut memetipsum interficerem. At postmodum hæc in me fortius prævaluit cogitatio, fecissemque quod ille suggesserat, nisi paululum me animaret miserum recordatio visionis præmissæ, qua mihi aliquantulum blandiebar de Salvatoris nostri suæque genitricis misericordia. Nam et hoc pro constanti olim acceperam traditione quod quicunque sibiipsi necem inferret, æternaliter procul dubio periret. Tam vero infesta mihi, et adhuc existit ista, ut credo, inimici suggestio, quod bis hodie perrexi, ut meipsum de ponte hujus villæ præcipitarem in fluvium. At primo, ob commeantium multitudinem revocavi pedem; secundo, adventus vester auribus meis insinuatus per vestros præcursores jam imminenti me suspendit præcipitio. Mox enim, ut comperi, sanctitatis vestræ præsentiam adfuturam, omni fluctuatione cordis explosa, in tantæ cœpi discretionis alloquium respirare. »

Talibus vero ab eo peroratis, episcopus breviter eum pro tempore adhortatus, data benedictione, monet illum, quatenus ad usque Doroberniam (236) sua subsequatur vestigia, ibidem plenius et liberius salutis consilium, nec non et auxilium percepturus. Paret ille monitis salutaribus. Qui veniens Cantuariam, sacra ejus instructione firmatus et intercessione adjutus, a tentatione pestifera funditus in perpetum liberatur. Perendinante autem ibidem pontifice, et tempus navigationi congruum per dies fere quindecim (237) præstolante, jam in fide et devotione prævalidus, consistebat ille in eadem urbe per unam qua miser hic natus fuerat.

(234) Episcopalem, in qua sedes sub titulo S. Andreæ, anno 604, erecta fuit, nunc *Hrofensis*, *Roscetrensis*, *Rovecestrensis*, *Roffensis*, *Rochestrensis* hodie dicta.

(235) Non longe igitur aberat ab urbe Roffensi, in

(236) Id est, usque Cantuariam.

(237) Quibus elapsis Hugo in Neustriam transfretavit, et illuc circa Septuagesimam anni 1199 pervenit.

circiter septimanam. Disponebat vero limina summorum apostolorum orationis gratia quantocius invisere.

Cæterum rem inauditam illi novimus interea accidisse. Subito enim secus utrumque femur, et circa ejus verenda, caro illius ita computruit ut duo altrinsecus foramina, seu potius fossæ binæ, horrendæ amplitudinis et profunditatis apparerent cum tamen ipse ex tam immenso vulnerum hiatu nihil penitus sentiret doloris. Ostendit autem metu gravioris periculi cuidam fidelissimo viro, curandorum vulnerum notitiam habenti, magistro Reginaldo pistoris, locum illum putridum, a quo accepimus, quia jam pene usque ad intima viscerum carnes ejus putridæ defluxissent. Insinuantur ista episcopo, qui ceram jubet vulneribus imponendam dari, quam tunc forte appositam foco ad conficienda in usus necessarios luminaria, ut est consuetudinis, ministri calefaciendo mollem tractabilemque reddebant. Res mira! Ut enim hedera Jonæ sub una nocte exorta, sub una itidem nocte confungientibus ad pœnitentiam Ninivitis exaruit (*Jonas* IV, 7); ita repentina istius pœnitentis ulcera in cicatricem citius sunt redacta, quibus nec signum quidem obductionis repente superfuit. Qui totus jam evangelico more, anima scilicet et corpore sanatus, sumptis solemniter pera et baculo, apostolica, ut proposuerat, mœnia petiit; obtentaque benedictione summi pontificis in Angliam reversus, ac Cisterciensis ordinis habitum indutus, bonæ conversationis merito, non minus rem sibi, quam nomen conversi, perseveranter vindicavit.

CAPUT XV.

Quod ad clerici ordinationem in subdiaconum induci non poterat, qui futurus erat leprosus. Et quam violentæ fiebant sibi persuasiones, ut regis nostri iram sedaret pecunia mediante, et qualiter supervenienti de morte regis rumore ei suaderi non poterat, quin ejus sepulturam adiret. — Et hoc est cap. 10 in serie magnæ Vitæ.

Circa id temporis rex jam expeditionem direxerat adversus comitem Engelismensem (238), cui injustum (239), ut dicebatur, bellum inferre parabat. Inter ipsum vero et regem Franciæ ab armis interim quiescendum præscribebant legales treugæ, quas indixerat nuntiatæ jam tempus Septuagesimæ. Cum igitur pervenisset ipse episcopus in Neustriam, in terra illa ob præsentiam maxime legati (240) domini papæ, qui in illis erat partibus, tribus ferme septimanis moratus est (241). Inde circa principium Quadragesimæ Andegaviam (242) profectus, in quodam manerio abbatis Sancti Nicolai (243) non longe ab urbe Andegavensium, non minoris (244) temporis spatio perendinavit, regis præstolans reditum a locis remotioribus, in quibus ipsum bellicis vacantem tumultibus (245) adire videbatur nimis importunum.

Interea a viris rogatus religiosis ordinis Grandimontensis (246), qui in vicino degebant loco (247), sacros ordines apud eos celebravit (248). Qui dum obsixius peteretur ab archidiacono Oxenefordensi (249), nomine Walthero (250), quatenus juvenem satis, ut videbatur, idoneum, notumque ipsi episcopo et charum, familiæ ipsius archilevitæ præpositum, præsentandum ad gradum promoveret subdiaconatus, nulla ratione acquievit, sed pro eo intercedentes non sine motu quodam indignationis compescuit. Quod tunc quidem mirati sunt universi qui aderant; sed paulo post, eodem clerico, culpis suis exigentibus, lepræ contagione terribiliter perfuso, rei eventum considerantibus satis claruit virum Dei, quod ei futurum esset, in spiritu prævidisse, in quo noluit benedictionem sacræ ordinationis deperire.

Manente autem episcopo in loco prænotato (251), audiebatur passim regem in contemptores suos minari grandia, et sæva moliri, unde et comitem prædictum (252) evertere penitus festinabat. Perhibebant etiam nonnulli Lincolniensem episcopum simul et clerum inter illos computari, quibus ob sui contemptum gravia quæque rependere quantocius maturaret. Talia de homine ferocissimo audientes clerici non mediocriter timebant sibi. Erant sub ipso tempore apud urbem Andegaviensium ex clericis Herefordensis Ecclesiæ præeminentiores quædam per-

(238) Contra comitem Lemovicensem factam fuisse istam expeditionem, anno 1199, asserit Trivetus, et alii passim cum eo.

(239) Hujus causa, inventus thesaurus, de quo ad hunc annum agunt Trivettus et Raynaldus.

(240) Petri videlicet cardinalis, qui, ut legitur, p. 33, apud Raynaldum, inter utrumque Galliæ et Angliæ regem hoc anno inducias fecit quinquennales, a papa confirmatas.

(241) A Septuagesima usque ad Quadragesimam.

(242) Vulgo *Anjou* et *Angers*, olim comitatus, nunc ducatus Andegavensis caput, in qua et sedes episcopalis.

(243) Abbatia ord. S. Bened. in suburbio, sive, ut Mabillonius scribit, sita ad prospectum urbis Andegavensis occidentalem, fundari cœpta a Fulcone Nigro, et a Gofrido, ejus filio, anno 1060, consummata.

(244) Imo majoris, inclusa mora, quam apud Grandimontenses fecit.

(245) In quibus rex Angliæ ex castro, quod Caluca apud Trivettum dicitur, juxta Lemovicas vulneratus telo post paucos dies occubuit.

(246) Ordo Grandimontensis a S. Stephano Muretensi circa annum 1076 fundatur sub magna districtione in quodam cœnobio, quod caput est ordinis, diœcesis Lemovicensis.

(247) Non procul, ut videtur, ab urbe Andegavensi dissito.

(248) Sabbato ante Dominicam Passionis.

(249) Unus ex septem aut octo archidiaconatibus, sedi Lincolniensi subjectis, et a Remigio olim institutis.

(250) De quo ad annum 1197, in Chronico Triveti ita legitur: « Walterus Map, de quo multa referuntur jucunda, ex præcentore Lincolniensi archidiaconus Oxoniensis efficitur. »

(251) In manerio abbatis S. Nicolai, aut in cœnobio Grandimontensi, ex quibus primum videtur verius.

(252) Lemovicensem, uti plerique aiunt, aut Engolismensem, cujus auctor vitæ meminit.

sonæ præsentes (253), pro eligendo episcopo ad regem venire disponentes. Erat unus ex his memoratus Walterus, qui et archidiaconus et canonicus erat Lincolniensis episcopi, et præbendatus etiam in Ecclesia Herefordensi. Quem dum in loci ejusdem episcopum quidam præfici exoptarent (254), metuebant, ne simultate præsenti, qua adversus Lincolnienses regius intumuerat animus, sui desiderii præpediretur effectus. Communi igitur consilio Herefordenses cum Lincolniensibus, assumptis secum decano et præcentore Andegavensi, nec non et aliis quibusdam ipsius Ecclesiæ canonicis, ad episcopum pariter convenientes, summis ei nisibus, conati sunt persuadere quatenus præ malitia præsentium dierum (ut suus archiepiscopus crebro præmonuerat) tempus redimendo nuntios ad regem destinaret, eique in auxilia sumptuum certam pecuniæ summam se daturum sponderet, ac tali compendio seipsum a labore dispendioso et sollicitudine anxia absolutum ad suam quantocius sedem revocaret: « Jam, inquiunt, non modo regna, sed et regiones singulas bellicus hinc inde fragor concutit, turbantur populi, urbes et vicos metus invadit. Nihil jam tutum, non civitas ad inhabitandum, non ager publicus ad manendum; in brevi nec manere in his locis securum erit, nec abscedere liberum. »

In talibus pene totum diem usque ad vesperum consiliarii in nostro Job non parum onerosi decreverunt. Nam et isti a tribus locis convenerant, ut hæc illi consulerent, et his eum quasi consularentur. Hic vero solus, non contra tres homines, sed contra totidem hominum turmas, indefesse repugnans, rationes eorum ratione vacuas ostendebat. Hoc enim non esse, ut illi sentiebant, tempus redimere, sed tempus perdere, et quidem turpissime, astruebat, ubi dignitas et libertas Ecclesiæ laicali adeo substernitur satellitio, ut nec personis nec possessionibus ecclesiasticis ecclesiastica quies et tranquillitas concedatur, nisi pretio importabili pro laicorum arbitrio hodie pax redimatur, quæ die crastino rescindatur. Et ille quidem talia de redemptione tali sentiebat et proferebat. Nobis vero jam factum satis est conspicabile, quid per hujusmodi exactiones ille Spiritu Dei plenus præviderit in Ecclesia Anglicana paulo post eventurum (255); qui in præsentiarum videmus, expulsis et in exsilium trusis monachis et clericis, episcopis etiam et archiepiscopis, non partem quamlibet, sed universitatem pariter bonorum suorum, rapinis cessisse laicorum.

Cum igitur vehementius imminerent consiliatores memorati, ut, procrastinatione remota, statim ipse acquiesceret consilio jam diutissime reprobato, ille nimio affectus tædio, quia cernebat eos, quantum in proposito suo pertinaces, tantum, nisi eis morem gereret, animo implacabiles, invisum tandem colloquium ita conclusit: « Ita, inquit, fratres, quod ad præsens ista sufficiant, mane Domino inspirante, in unam et bonam conveniemus sententiam, quam ipse ad gloriam nominis sui noverit uberius profuturam. Nox enim habet consilium, ut frequentius experimento docti sumus. » Illis post hæc recedentibus, afflictus ipse et spiritu anhelus confitebatur se vix unquam in tam brevi mora tantum tædii pertulisse. Sedit vero meditabundus aliquandiu, Omnipotentem intimo cordis affectu exorans, ut sic perplexitatis tuntæ nolum effugeret, quatenus et illum minime offenderet, et amicos et filios nequaquam, velut aspernando eorum sententiam, scandalizaret. Laxatis autem membris demum in soporem, cordis ejus intima Dominum somniare cœperunt. Tunc post longas visionis almificæ delicias, hanc cœlitus emissam vocem audivit: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus!* (*Psal.* LXVII, 36.) In hac voce ille somno exutus stratum deseruit, solitoque citius ad confessionem, quam die qualibet Sabbati (256) faciebat, accessit, in qua se vehementer reprehendebat super quantulacunque titubatione hesterna, qua vel speciem convenientiæ [*f.*, conniventiæ] suæ consulentibus noxia prærogasset. « Spero tamen, inquit, ut confitenti sibi et deflenti iniquitatem meam propitietur mihi Dominus noster clemens et pius, et juxta omnia mirabilia sua eruat nos a præsenti angustia. »

Ecce autem in brevi post hæc venit ad eum venerabilis abbatissa de Fonte Ebrandi (257), indicans ei secretius regem telo balistæ percussum, ancipiti sorte inter confinium vitæ et lethi fluctuantem, dies jam aliquot (258) doloribus in nimiis pertraxisse. Quantum vero recolere possumus, rex ipsa die jaculatus est ictu lethali, qua episcopus adeo cruciatus fuit importunitatibus sinistri consilii. Eo autem interstitio temporis, quod ictum et nuntium intercessit regis vulneris, nemo etiam (unde mirabamur), ei quidquam loquebatur super diffinitione

(253) In Annal. Wigorniensis Ecclesiæ pag. 477, in Angl. Sacra: « Anno 1186, obiit Robertus Foliot episcopus Herefordensis, cui successit Willelmus Le Ver. » Trivettus, ad eumdem annum, addit Willelmum in die S. Laurentii consecratum. Obiisse autem illum in theatro vitæ humanæ, anno 1199, refert Laurent. Beyerlinck. Et ita, obiisse debuit in Januario aut Februario dicti anni, uti ex hoc loco colligi datur.

(254) Sine optato successu. Non enim Walterus, sed Ægidius de Brewes (uti habetur in Annal. Wigorn. p. 479) eligitur anno 1199, in episcopum Herefordensem.

(255) Archiepiscopis, episcopis et monachis, anno 1207, in exsilium missis, in quo annis multis remanserunt.

(256) Die itaque Veneris, sive feria sexta, qua rex vulneratur, Hugo a consiliariis, sicut hic scribitur, summe afflig tur; non vero illa nocte qua rex mortuus, uti ex Surio refert Raynaldus in Annal. ad hunc annum pag. 35.

(257) Mathildis, hujus nominis III, quæ eo anno præerat huic tam celebri monasterio.

(258) Scilicet a die 26 Martii, qua rex vulnus accepit.

tam ardui negotii tamque urgentis; ipse vero sub silentio præstolabatur salutare Dei.

Decanus interea et canonici Andegavensis Ecclesiæ rogabant eum, quatenus instanti die Dominica Palmarum divinum apud eos exsequeretur officium, quia suus pontifex a curia necdum redierat Romana, in qua nuper episcopalem perceperat consecrationem. Quibus ille acquiescens, cum jam præcedenti Sabbato ad urbem tenderet memoratam, in medio itinere occurrit ei clericus, nomine Gilbertus de Lasci, verbis certissimis annuntians regem jam debitum mortis exsolvisse (259). Quem et die sequenti ad vestigia patris sui apud monasterium Fontis Ebrandi tradendum innotuit sepulturæ (260). His ille auditis altius ingemuit, seque ad locum designatum mox in obsequium suis intimavit esse iturum. Quod ne faceret, eorum pene universitas ei dissuadere tentavit. Ubi autem pervenit ad urbem, agnovit jam circumquaque hos pererebuisse rumores, passimque viantibus violentias inferri, et rapinas undique exerceri. Nam et suorum quidam, qui ab Anglia ei sumptus afferebant, in manus prædantium inciderunt, qui eis quadraginta argenti marcas abstulerunt. Suadebant igitur amici una cum domesticis suis ne seipsum et suos talibus exponeret tumultibus, quin potius in civitate resideret, quousque regi defuncto princeps legitimus succederet, per quem violentorum nequitiam comprimi eveniret. Asserebant namque plurimi tantam eorum esse perversitatem, quod non magis deferrent pontifici quam personæ cuilibet laicali. « Quid enim, aiebant, vobis suppeteret consilii, si (quod Deus avertat!) in remota solitudine vecturis et vestibus vos per istos spoliari contingeret? » Ad hæc ille, ut vere justus, qui, sicut leo confidens absque terrore in omni terrore fuit, imo et illato terrore semper constantior, inquit: « Satis utique patet quanta in hoc itinere timenda, sed timidis, occurrere possint. Verum mihi moribus magis timendum existimo, ne Domino quondam et regi meo meam ignaviter videat in tali articulo subtrahere præsentiam, nec fidem vel gratiam mortuo resumere, quam viro semper devotus exhibui. Quid enim mirum, si molestiam nobis intulerit, dum sibi a malignis adulantium consiliis minus cavit? certe præsentiam meam nunquam sine summo recepit honore, nunquam me inexsanditum dimisit, cum ei ore proprio super negotiis meis aliqua sug

A gessi. Si quid in absentem denique, obtrectantium livori, non suæ id debuit pravitati seu malitiæ ascribi. Reddam igitur vicem pro viribus meis sæpius mihi ab eo impensis honoribus, nec per me stabit quin ejus exseqniis devotus assistam. Si pergenti prædones occurrant, si equos tollant, si vestes auferant, eo expeditius incedemus quo fuerint vestrum sarcinæ leviores. Si et pedes constringantur, et incedendi facultas denegetur, tunc primo legitime excusabitur absentia corporalis, cum non suo vitio, sed alienis fuerit remota [*f.*, remorata] obstaculis. »

Hæc dicens, relictis in civitate (261) sociis, et universa pene supellectili sua, uno tantum ex minoribus clericorum suorum, et uno cum paucis clientibus monacho, secum pergentibus ire cœpit. Audiens vero reginam Berengariam in castro morari, quod Beaufordense (262) appellatur, divertit a via publica, et per horrenda silvarum loca, ut eam super viri sui consolaretur interitu, ad memoratum oppidum pervenit. Locutusque ad cor viduæ, mœrentis, et usque ad animam pene consternatæ, miro modo spiritum ejus delinivit. Quam optimis sermonibus ad habendam in adversis tolerantiam, et in prosperis cautelam informans, celebrata ibidem missa ac benedictione solemni reginæ et aliis, qui aderant, multa ex devotione impertita, continuo recessit. Pervenit autem ipsa die (263) ad oppidum quod Samur dicitur, exceptusque cum litania in occursu festino ab oppidanis illis, apud prædictum Gilbertum de Lasci (264), tunc ibi scholis vacantem, nimis ejus devictus precibus mansit. A quo liberalissime exceptus, sequenti mane, Dominica videlicet Palmarum die (265), venit ad monasterium Fontis Ebrandi, obviosque habuit in ipsis foribus ecclesiæ regii funeris portitores. Quo demum honorificentissime juxta magnificentiam regiam tradito sepulturæ, reuiit episcopus denuo ad hospitium prætaxatum. Inde per triduum continuatum (266) ad monasterium illud pergens, superstitum missarum et psalmorum replicatione, tam regibus ibidem sepultis quam fidelibus cunctis in Christo quiescentibus, veniam implorabat, et lucis perpetuæ felicitatem.

CAPUT XVI.

Qualiter Joannes, rex futurus, post sepulturam fratris, apud Fontem Ebrandi accessit et qualia se facturum monialibus per nostrum Hugonem pro-

(259) De hoc. in Annal. Winton. apud Warth. in Angl. Sacra, pag. 304 : « Richardus rex apud oppidum Chaulew telo perfossus est VII Kal. Aprilis, obiitque VIII Idus eiusdem mensis, die videlicet Martis.

(260) « Sepultumque est corpus (Richardi) ad pedes patris sui Henrici regis apud Fontem Everardi. » Ita Annales Winton, loco proxime citato.

(261) Andegavensi, ad quam Hugo summo mane pervenerat.

(262) Vulgo *Beaufort*, in quo Berengaria Richardi regis tunc vidua morabatur.

(263) Id est, die 10 Aprilis, qua relictis in Andegavia sociis, et celebrata in Beaufort missa, pervenit ad vesperum in Salmurium, civitatem ad Ligerim sitam.

(264) Progenitum ex nobili, de Northmannia in Angliam translato, stemmate.

(265) Quæ eo anno incidit in diem 11 Aprilis, Radulphus Goggeshale, tom. V. Collect. Martene, pag. 857, scribit corpus Richardi regis Dominica in Palmis juxta patrem suum regio honore apud sanctimoniales ab episcopo Lincolniensi humatum esse.

(266) Ex Salmurio ad Fontem Ebraldi ivit, et rediit Hugo diebus scilicet 11, 12 et 13 Aprilis, ad quem etiam, die 14 una cum Joanne futuro rege perrexit, et cum eodem rediit Salmurium, uti ex seq. cap. patet.

miserit, et de pluribus gestis ejusdem Joannis, suam insinuantibus reprobationem futuram.

Feria vero quarta jam diluccscente (267), frater regis, Joannes, Sine-Terra (268) cognominatus, susceptus est apud Chinonem (269) a proceribus quibusdam Anglorum, castrum ipsum servantibus, ut præesset omnibus loco fratris sui. Familia quoque regis defuncti ibidem constituta se ad ipsum contulit eadem die. Præstiterat enim solemne juramentum, quod testamentum regis defuncti fideliter exsequeretur. Quod præterea legitimas priorum consuetudines, justasque terrarum sive populorum leges, quibus erat præficiendus, inviolabiliter conservaret. Rex quidem defunctus modico ante obitum suum tempore terris omnibus quas habuerat ipsum destituerat, eo quod accepisset eum cum rege Francorum in sui perditionem conspirasse. Qui sub ea tempestate qua rex occubuit, apud nepotem suum Arthurum in Britannia fuit. Fratris vero nece audita, Chinonem venit cum paucis. Misitque statim ad episcopum nostrum, in burgo supradicto (270) consistentem, et repatriandi commeatum præstolantem, suppliciter exorans quatenus suam celerius sibi exhibere dignaretur præsentiam. Ad cujus sibi in via occurrentis aspectum, ille gaudio gavisus immenso, admisso equo et relicto comitatu universo, obvius ei processit, eumque veneratus rogavit, ut ab eo minime discederet, sed pariter secum reversurus in Angliam, in partibus transmarinis contubernium sibi individuum exhiberet. Quod ille se nequaquam facturum prolatis rationibus insinuans, venit cum eo usque in Samur, cum prius visitassent apud Fontem Ebrandi busta regalia, patris scilicet et fratris illius. Ubi, quæ gesta sunt tunc, cum sint notitia et imitatione digna, non videntur desidioso silentio supprimenda.

Cum enim ille novus tantarum gentium dominus, plurima stipatus nobilium turma, ad ostium chori manu propria pulsans ingredi vellet (271), ut sepulcrum videret prælictorum, seque orationibus sanctæ illius congregationis commendaret, responsum accepit a duabus reverendæ gravitatis sanctimonialibus quia mortalium nulli liceret aut conventum inspicere, aut septa interiora adire, nisi sub præsentia abbatissæ suæ. « Illius, inquiunt, reditum igitur vos exspectare oportet, quæ mox de itinere speratur reversura. Nec durum reputet excellentia vestra quod nec illius intuitu ordinis statuta infringimus. In hoc potius claræ memoriæ genitor vester vobis imitandus censeatur, qui in viris religiosis id quam maxime venerabatur, si tradita sibi majorum instituta rigida et inviolabili devotione observarent. »

(267) Quæ erat dies 14 Aprilis.

(268) Sic dictus, vel quia, fratribus ejus ad honores amplissimos ab Henrico patre sublimatis, ipse velut junior nihil habebat, ut scribit Trivettus, vel, quia a Richardo fratre etiam tandem obtentis terris spoliatus fuit.

(269) « Statim (scribit Coggehale apud Martene, col. 859) Chinum castellum adiit, ubi thesaurus regius servabatur, traditoque sibi castello et thesauro a Roberto de Turneham, mox alia castella, etc., occupavit. »

(270) Videlicet in Salmurio, vulgo *Samur*, et *Saumur*.

(271) Egregium omnino de illius temporis accuratissima sanctimonialium Fontis Ebraldi clausura testimonium!

Illis dictis, et ita prolatis, virgines illæ prudentes pulsantem principem compescunt et excludunt, clausisque diligenter foribus ad socias revertuntur.

Is vero ad episcopum conversus, rogabat eum, quatenus petitionem suam, pro suffragiis illarum apud Deum obtinendis, Christi ancillis exprimeret, plurima etiam bona, quæ eis conferre disponebat, eisdem prepalaret. Cui ille : « Nostis, inquit, quia satis aversor omne mendacium. Caveo igitur mihi ne labiis meis promissa vestra enuntiem, nisi hæc certissime a vobis implenda præsumam. » Jurat ille se, non modo quæ tunc promittebat, impleturum, sed pro tempore et loco se ea cumulaturum abundantius. Quod tandem episcopus sanctimonialibus, ipso astante, exposuit, ejusque auspicia precibus illarum meritisque commendans, data universis benedictione, una cum ipso rege discessit. Cui etiam jam plurima de pietate in Deum, de clementia in subditos, de justitia in universos disseruerat. Qui ad omnia se paratum animoque pronum ac devotum contestans, ei tanquam patri et præceptori se ex integro semper pariturum affirmans, totius sui moderationem illius sanctitati attentius commendabat. Cui etiam inter amicæ confabulationis verba productum e sinu lapidem auro inclusum, et collo suo appensum ostenderat, asserens hunc cuidam suorum progenitorum cum tali fuisse cœlitus pollicitatione donatum, quod nunquam privaretur avitæ dominationis amplitudine, quisquis successorum suorum ipsum meruisset possidere. Ad hæc vero episcopus confestim responderat : « Non, inquiens, insensibili lapide fiduciam ponatis, sed tantum in lapide vivo et vere cœlesti, Domino nostro Jesu Christo. Huic fundamentum cordis vestri, huic spei vestræ anchoram firmissime imprimatis. Hic enim solidus et vivus lapis, ut omnes resistentes sibi conterit, ita sibi innitentes defluere non sinit; sed ad altiora semper attollens, ipsos etiam ad ampliora promerenda dilatando extendit. »

Cum vero ad porticum jam pervenissent ecclesiæ, ubi species seu imago regressuri extremi examinis, quo electi a reprobis secernuntur, eleganter pro modulo humani artificii exprimitur opere sculptoris, episcopus comitem, futurum in proximo regem, manu protraxit ad lævam judicis, ubi reges cum suis insignibus inter damnatos audituri : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* xxv, 41); » a gehennalibus tortoribus rapiuntur in tartarum, tunc ait episcopus : « Horum ejulatus et interminabiles cruciatus vobis indesinenter animus repræsentet. Hæc perpetua supplicia vobis ante cordis oculos assidue versentur. Horum malorum sedula recor-

datio doceat vos quanto sui dispendio aliis ad tempus modicum præficiuntur regendis hominibus, qui seipsos male regendo sine fine cruciandi dæmoniacis subjiciuntur spiritibus. Hæc dummodo vitare licet, semper expedit formidare ne, cum non licet, jugiter postmodum contingat tolerare. » Dicebat quoque cælaturam seu picturam hujuscemodi in ipsis ecclesiarum aditibus congrua satis ratione prætexi, quatenus intraturi, et pro necessitatibus suis Deum rogaturi, hanc summam et supremam necessitatem suam esse sciant, ut impetrent veniam pro delictis, qua impetrata, et securi permaneant a gehennæ pœnis, et gaudeant in deliciis sempiternis. Et quidem episcopus talia prosecutus est.

Transiens quippe comes, in proximo futurus rex, et manu secum trahens episcopum ad parietem oppositum, eique ostendens reges speciosis insignitos coronis, angelico ductu in gaudium tendentes superni regis : « Hos, inquit, domine episcope, nobis potius monstrare debuistis, quorum exemplum atque consortium sequi et assequi habemus in votis. » Tam vero in gestu et affatu ille pauperis post hoc diebus humilem se ostendebat et submissum, ut videretur modum excedere. Occurrentibus sibi ob iter mendicis ac fausta imprecantibus, corpore incurvato et capite altius demisso gratias diligenter referebat. Salutantes se pannosas etiam anicolas mitissime resalutabat. At vero post triduum, lætificatos non mediocriter ex his tam episcopum quam et alios ista conspicientes, ex aliis gestis et dictis incongruis multo amplius contristavit. Ex quibus compendii gratia, plurima supprimentes, pauca referimus, ut conjiciat prudens auditor, ubi perpenderit talem radicem, qualem æstimare liceat secuturam fructuum ex eadem arbore fertilitatem.

Cum igitur die sacratissimo Resurrectionis Dominicæ (272) oblaturus ex more ille ad manus accessisset episcopi, altario assistentis, aurea ei numismata a cubiculario suo, sicut mos regius exhibebat, bis sena dabantur in palmam. Hæc ille stipatus undique haud modica turba nobilium, cum staret ante episcopum, diutius intuens, et quasi ludendo exagitans, tandiu offerre distulit, quousque omnes eum intuentes mirarentur. Tandem præsul motus ob hunc ejus gestum tali hora et in tali loco : « Quid, inquit ad eum, ita respicis? » Cui ait ille : « Istos sane intueor aureos, quos, si ante dies paucissimos tenuissem, non vobis illos offerrem, sed meæ potius crumenæ inferrem. Verumtamen jam modo accipite illos. » Indignatus ad hæc vir Dei, et vice illius vehementer erubescens, ut erat mentis piæ et cordis generosi, protensum ad se retraxit brachium, nec illius aurum contingere passus, nec suam dexteram ore tam avaro sustinens osculari, fremens vero in seipso, et caput suum movens : « Jacta, inquit, ibi quod tenes, et recede. » Qui in pelvim argenteam, in quam oblata congregabantur; nummos ipsos projiciens, abscessit.

Nihil vero sibi de oblatione quisquam eorum qui episcopo adhærebant, in aliena unquam ecclesia, nisi forte, ubi ecclesias dedicaret, retinere præsumpsit, dicente sæpius ipso, satis injustum videri sibi ut ab ara alterius illi quidquam temporale asportent, qui de gratia locum ipsum custodientis spiritualem mentium alimoniam ibidem participant. Hoc quoque tam in propria, quam in aliena ubique diœcesi observabat, et observari a suis faciebat. Nec de ista ergo oblatione quilibet suorum quidquam accepit. Videbatur autem inde quibusdam quia Dominum in hoc imitaretur fidelis et prudens servus ejus. Ut enim Dominus ad Cain et ad munera ejus olim non respexit (*Gen.* IV, 5); ita modo servus Domini, quia muneris oblatorem non immerito improbavit, ejus vel munus tangere contempsit.

Verbum autem Domini episcopus astantium multitudini prædicare exorsus, cum de bonorum vel malorum principum moribus, et præmiis post futuris multa dissereret, dum ab aliis devote acclamaretur, sibi princeps memoratus, more principum qui mane comedunt, tam materiam quam moram sermonis non æque ferens, tertio misit ad eum, flagitans obnixe, ut sermoni metam ponat, et divina celebret, quatenus sibi post tanta jejunia vesci concedatur. Sed fortis evangelizator noster, qui super montem excelsum ascenderat, vota et mandata ejus despiciens, quin et vocem fortius exaltans, multitudinem maximam auditorum tam din pane spiritualis doctrinæ cibare non destitit, donec cunctis acclamantibus, plurimis quoque illacrymantibus, ad digne percipiendum panem sacramentalem, *qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo* (*Joan.* VII, 33), eos sufficienter pro tempore informaret (273). *Hic autem in serie magnæ Vitæ inseruntur plura mala de rege Joanne, quæ videre poterit ibi, qui voluerit intueri.*

CAPUT XVII.

Qualiter post mortem regis Richardi repatriando hostium evaserit violentias, et a sibi occurrentibus cum gaudio sit susceptus. — Et hoc est cap. 12, *in magna Vita.*

Sciendum itaque ipsum vere mundi exsulem, et cœli civem, extunc quam maxime præsentis incolatus sui dispendia exhorruisse, et cœlestis quoque habitationis desiderio flagrasse, ex quo plenius animadvertit optatam a quibusdam regni mutationem ad deteriora vergere, et speratam status ecclesiastici meliorationem in adversum cedere (274). Ad Ecclesiam ergo suam quantocius censuit repedandum, quatenus saluti commissarum sibi soleritius provideret animarum, sibique liberius ex ubertiori fructu pietatis omnimodæ ad superna gaudia

(272) Quæ eo anno incidit in diem 18 Aprilis.

(273) Subductis duabus lineis agnoscit Vitæ abbreviator se omisisse nonnulla, quærenda in majori, id est, ab auctore Vita conscripta.

(274) Factum in anno 1207, quo archiepiscopi, episcopi, monachi cum clericis, pulsi in exsilium non redierunt ante annum 1214.

exquireret commeatum. Valedicens itaque memorato principi, recessit ab eo secunda feria Paschæ (275). Cumque pervenisset ad villam quamdam, in qua hospitari decreverat, et quam incolæ *Flèche* (276) vocant, ingressus ecclesiam missas celebrare parabat. Et ecce, illo necdum sacris vestibus induto, turbati ad eum currunt ministri sui, nuntiantes, equos et rhedas ipsius ab illius loci custodibus retineri, quosdam etiam ex sagmariis suorum a prædonibus abduci.

Erat vero in comitatu ipsius Gilibertus Revescensis (277) episcopus, et clerici diversorum locorum quam plurimi. Qui omnes unanimiter rogabant eum, quatenus, prætermissa ob tantæ necessitatis et perturbationis eventum missarum celebratione, Evangelium sibi legi contentus foret, et ut se et suos expediret a tantis periculis intenderet. Qui nihil turbatus ex his quæ a raptoribus gerebantur, sed nec motus ex his quæ a comitibus suggerebantur, ut surdus et mutus ad audita cœptis tantum insistebat. Nec simpliciter et plane sacrum contentus officium peragere, imo sandaliis, tunica, dalmatica cum cæteris insignibus utens, ut universos divino præsidio melius communiret, pontificalem in agendis benedictionem interserens, missam more solemni quam devote peregit. Omnibus ergo rite completis, dum sacris se exuit indumentis, accurrunt ipsius loci magistratus in ecclesiam, supplices et obnixe veniam petentes, quod impedire suos vel perturbare præsumpsissent. Spondent quoque obsequia, si dignaretur pernoctare in loco. Si autem duxerit ulterius procedendum, conductum ex suis ad loca usque tutiora pollicentur. Quos ille satis hilariter allocutus, ut erat spirituali jucunditate ac cœlesti repletur convivio, conductum illorum non respuens, continuo ab eis recessit. Ipsaque die cum universo comitatu ad monasterium Sancti Petri (278) in suburbio constitutum Cenomanensi pervenit.

Sequenti diluculo, dum matutinale Deo exsolvit officium, et longas more solito recitari facit lectiones, tumultus ingens a mœnibus civitatis increpuit. Milites namque cum manu armata directi a comitissa Britanniæ (279), et ejus filio Arthuro (280) insultum fecerunt, ut Joannem prænominatum caperent. Qui nocte quidem illa illuc advenerat, sed præsentiens insidias sibi paratas, ante lucis ortum clanculo urbem pertransierat (281). Hæc ut primum agnovit Girardus quidam ex clericis episcopi, turbulenter

(275) Id est, 19 Aprilis.

(276) Nunc *La Flèche*, Latine Flexia, civitas est cum arce, decem fere milliaribus distans Andegavo.

(277) Alias Rovecestrensis sive Roffensis episcopus. De quo in Annal. Winton. part. 1, Angliæ Sacræ, p. 302, ita scribitur ad an. 1185 : « Gilebertus de Glanwilla Roffensis episcopus factus est. » Et, pag. 346 : « Anno 1214, durante adhuc interdicto, obiit Gilbertus Roffensis episcopus, qui 30 annis episcopatum tenuit. »

(278) De Cultura dictum, de quo Mabillonius t. I Annal. p. 191 : « Huic, inquit de Bertichrammo loquens, originem debet nobile S. Petri, quod de Cultura Dei appellatur, monasterium in suburbio Ce-

A satis et anxie ei studuit, quæ dilicerat, nuntiare, orans instantius, ut officium, quod agebat, brevitatis lectionibus percantaret; quatenus discursantium armatorum manus dubia adhuc sub luce facilius declinando, cum sociis, qui jam præcesserant, instantem tutius perageret diætam. Verum ille, ut hunc quoque turbinem impavidus excepit, sic tranquille cum omni diligentia debitos Deo hymnos exsolvit. Nec plane ad insipientiam sibi. Nam, dum moratur, adfuit ejusdem loci abbas (282), qui illum
B equis præcessit, et per semitarum compendia illæsum deduxit ultra civitatis suburbia. Ex his vero qui ipsum præcesserant, plures intercepti atque detenti sunt hostili violentia. Reliquit autem ibidem in custodia prædicti abbatis rhedas duas cum aliquibus equis et varia supellectili; quæ omnia præfata comitissa ad civitatem ipsam sequenti die adveniens, ad ipsum deduci fecit, orationibus suis seipsam et filium suum studiose commendans. Ipse vero Sagiensem tendebat ad urbem (283).

Acceperat quoque relatione plurimorum, abbatem optimis esse [*cod.* abbatem de optimis esse, etc.] studiis prædictum, probisque moribus valde insignitum. Audiens quoque illius cœnobium non procul a via, qua pergebat, constitutum, cupiensque viri Dei notitiam sibi comparare, et ejus orationibus seipsum commendare, nec temporis inquietudine, nec itineris longitudine, potuit revocari quin ad ipsum
C inquirendum alacri devotione properaret. Per devios itaque suisque omnibus ignotos calles, cum paucis suorum ad diu quæsitum demum pervenit monasterium; reliqui, servientibus et sociis recto itinere ad urbem præmissis, qua erat ipse hospitium subiturus. Cum cognovisset vero abbatem tunc esse absentem, celebrata missa discessit, totum videlicet expendens devotionis piæ unguentum in ipso justorum capite et Domino nostro Jesu Christo, quod participare decreverat cum abbate, membro ipsius et servo fideli admodum et honesto.

Jam vero post hæc, omni sublato cujuscunque
D difficultatis obstaculo, Ecclesiæ suæ gremio excipitur, pacem exoptatam filiis reportans, multo quidem sudore, sed et multiplici honore partam, et toto ipsius vitæ spatio duraturam. Occurrebant vero illi undique modo ex civitate, et in civitate, et in diœcesi sua turbæ lætantium et applaudentium tanquam duci eximio sublimiter triumphanti. Plurimi quoque viri in Northmannia, in Anglia vero ex populo nomanicæ urbis situm. »

(279) Constantia nomine, filia Conani ducis Britanniæ, et vidua Gaufridi filii Henrici II, regis Angliæ, quæ ducatum Gaufrido contulit.

(280) Constantiæ et Gaufridi filio, tunc duodecim annorum adolescente.

(281) Cenomanensem, et Rothomagum perrexerat; ubi Joannes, teste Trivetto, triginta duorum annorum princeps in octava Paschæ, die 15 Aprilis anni 1199, ducatus Northmannici gladio cinctus fuit.

(282) S. Petri de Cultura Dei abbas.

(283) Vulgo *Seez*, in cujus suburbio cœnobium sub titulo S. Martini, cujus et abbas, ut videtur, plurimum hic commendatur

et ex clero prorsus innumeri, unanimiter erant ei conclamantes : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXIII, 39). Ipse vero totum Deo, et nihil sibi, tribuens benedicebat Dominum, qui semper in omnibus triumphat.

CAPUT XVIII.

(284) *Qualiter habens in votis Carthusiam visitare, cedendi petitam licentiam non obtinuit, et quam strenue se gesserit in causis sibi delegatis, et specialiter contra quemdam Jordanum de Turri, et quam grave fuerit sibi se de negotiis sæcularibus personaliter intromittere, quæ aliis imponenda censuit, fidelibus et discretis.*

Habuerat sane jam diu in votis, ante vitæ præsentis excursum, episcopus locum Carthusiæ semper amatum adire, statumque ordinis præsentialiter intueri, et gregis illius, quam pusilli, tam et sanctissimi, aspectu et affatu interna sua desideria ab externis tumultibus aliquantulum respirando uberius refovere. Optaverat profecto etiam sarcinæ pastoralis curæ ex integro, si daretur facultas, renuntiare, cum mundanis litibus decidendis, sub prætextu spiritualis officii, ordine, ut memorabat, præpostero, totis ferme diebus cogeretur inservire. « Jam, inquit, urbium prætores vel præsides, et Ecclesiarum præsules, eo fere solo distare cernuntur quod isti continuis, illi diebus interpolatis vacant forensibus litigiis. Illis interdum licet rei familiaris suæ utilitatibus consulere; istis ipsa etiam animarum suarum negotia vix quandoque permittitur tractare.

Sollicitaverat etiam secundo vel tertio aures summi pontificis per internuntios super hujuscemodi cordis sui proposito; sed et ille nullatenus acquiescens, non modo petitionem ejus repellebat, sed et petitionis mediatores durius objurgabat. Omnium enim sane difficiliores et magis arduas negotiorum decisiones, quas inter fines totius Angliæ auctoritate ventilari contingebat apostolica, episcopo delegabat Lincolniensi (285), quoquot suis temporibus Ecclesiæ præsederunt Romani summi pontifices.

Personæ quoque nihilominus, et mediocres et infimæ, quantum de meritis præsumebant causæ suæ, tantum coram eo contra suos adversarios optabant litigare. Illos enim, sive viribus niterentur, sive armarentur dolis, sub examine judicis justissimo, et veritas facilius convincebat, et æquitas citius percellebat. Nam et hoc quoque donum acceperat a Deo, ut, sicut eo nemo æqui et recti tenacior, ita nemo inveniretur de facili, qui eo videretur volocior sive acutior in discussione veri et falsi. Quod in eo attendentes hi, qui peritiores in jure et in ventilationibus forensium sive ecclesiasticarum causarum exercitatissimi habebantur, miraculis ascribebant, dum ille talium insuetus et quasi legum nescius, omnium præcederet acumina, et ingenia prævolaret jurisperitorum.

Vidimus quemdam in Londinensium civitate præpotentem, Jordanum de Turri vocitatum, quem auctoritate domini papæ litterarum in jus traxerant pauperes et pusilli duo sub tutoribus adhuc agentes orphani super iniqua detentione quarumdam domorum, hæreditaria successione ipsis competentium. Causam ipsam in forum ecclesiasticum titulus, cui dicebatur inniti, adduxerat usurarum. Hic die præfixa, non quasi litigaturus, sed quasi litis progressum discissurus, ad episcopum, plurimo stipatus agmine, propugnatorum potius quam advocatorum, accessit. Cui dum litteratoria, simul et viva voce inhibitiones precesque obtulissent stipatores sui, tam ex parte domini regis quam et aliarum sublimium potestatum, nec non et civium communiter Londonensium, ne in causa ipsa procederet, quia si faceret hoc, ut asserebant, in suæ urbis præjudicium redundaret. Cum ergo assessores et domestici sui subsistendum esse in causa illa unanimiter decernerent, ille intra seipsum paululum deliberans, hac demum voce oppressorem opprimit pupillorum. Meminerat enim ille orphanorum pater Scripturæ dicentis : « Pupillo tu eris adjutor (*Psal.* X, 14). » Ait itaque : « Revera, Jordane, quanquam nobis existeris charus, nullatenus tamen contra Deum tibi deferre valemus. Verum, quia contra tot et tantos fautores tuos niti, non modo parvulis istis, imo et nobisipsis, nostrisque conjudicibus constat esse inutile, quid simus acturi, nolumus te latere. Pro meipso tamen loquor : Liberabo animam meam. Scribam ergo domino papæ quia tu solus in terris istis ejus jurisdictioni contradicis, ejusque auctoritatem solus tu evacuare contendis. » Hac ille sententia, ac si sagitta feriretur, prædicordialiter tactus (nimirum intelligens, quanti foret ponderis relatio ista in auribus summi pontificis, præsertim emissa ab ore viri tanti nominis) tractare cœpit in continenti cum suis super restitutione facienda destitutis. Nec enim alium exitum invenit alias. Verba quippe viri justi, sicut stimuli quasi in altum defixi, non dico, cedere, sed nec attingi quidem rationibus aut blanditiis quiverant viri in generatione sua prudentissimi. Mox igitur conquerentibus ad condignum satisfecit, nec quidem sine enormi, ut asserunt, dispendio sumptuum, quos in fundo ipse expenderat. Sic una brevisque viri justi obtinuit allegatio id, quod vix unquam crederetur obtinere causidicorum quantalibet multitudo.

Licet vero, in similibus persæpe casibus, naufraganti subsidium præstaret innocentiæ seu veritati, indignum tamen pontificis opera reputabat sollicitudinem, qua circa terrena et transitoria sæpius quam erga cœlestia et æterna versaretur. Portabat vero, sed in angaria, crucem hujusmodi actionum, de solius obedientiæ merito, excusationis potius suffragium quam præmium rei commendabilis, ex-

(284) Relata in hoc capite diversis contigerunt annis.

(285) Quæ Hugoni nostro in causis archiepiscopi Eboracensis a Cœlestino papa commissa fuerunt, refert Baronius ad annos 1191, 1199 et 1195, ipsas papæ litteras adducendo.

spectans. Verum hæc innumeris verborum, nec non et gestorum ejus non est necesse astrui documentis, quæ scribenti ad manum satis occurrerent, cum talis animi sit in eo ea irrefragabilis approbatio, quod ad proprium scacarium sive computum reddituum vel expensarum suarum nunquam residere, et nunquam hujuscemodi domus propriæ ratiociniis dignatus sit intendere. Quod vero episcopum domui suæ bene esse propositum monet Apostolus (*I Tim.* III, 4), ita implendum docebat, et ita implebat ut viris fide et discretione opinatissimis opera hæc imponerentur, de quibus tanquam de seipso confideret, dum se irreprehensibiliter haberent, secus vero agentes (quod quidem diu latere non potuit) in continenti amoveret. Nec enim privato erga quemlibet eorum, quibus dispensationes rerum crediderat, amore tenebatur; quos fides et industria poterat commendare, assumebat, non quos quævis arctior necessitudo, ut assolet, poterat animare.

CAPUT XIX.

Qualiter pace inter reges Franciæ et Angliæ reformata, cui et noster Hugo intererat, a rege et archiepiscopo accepta licentia, ut Carthusiam declinaret, Parisius veniendo, ibidem Ludovico regis Franciæ filio, et Arthuro Joannis nepoti saluberrima est locutus: et de quodam sibi occurrente et absolutionem petente, quem in Anglia excommunicaverat multo tempore tunc elapso. — Et hoc est capit. 13 *in serie magnæ Vitæ, sub quo etiam continetur capitulum præcedens.*

Expleto quidem jam anno (286) post regis Joannis coronationem ad illius petitionem transfretavit iterum episcopus, ut interesset colloquio ipsius cum rege Francorum, in quo demum pax reformata est inter eos. Videbatur sibi Hugo tunc opportunum invenisse tempus, ut domum inviseret Carthusiensem. Licentia igitur a rege et archiepiscopo apud castrum de Andeli petita et accepta (287), ultima die mensis Maii (288), quæ fuit feria quarta Pentecostes, proficisci cœpit. Parisiùs vero iturus, divertit ad beatum Dionysium (289). Vicum autem clericorum illum egressus, innumeræ ei occurrebant turmæ. Catervatim namque ruebant de civitate in obviam universali « scholarum consultori (290), » ut de illo quidam versificator insignis ait. Universarum pene nationum scholastici cum coram cernere cupiebant, per quem post sanctum Nicolaum incomparabilia erga clericos agnoverant exerceri beneficia. Cunctis itaque advenienti in nomine Domini applaudentibus, his osculo et alloquio, illis aspectu solo cum benedictione illius glorianter perfruentibus, a nonnullis ad hospitium urgentissime invitabatur. Sed dum omnibus in hoc satisfieri non posset, uni tantum, quibusdam prece sollicita hoc impetrare satagerat, sese in hospitio non negavit. Erat hic ipsius, ut dicebatur cognatus, nomine Raymundus, vir multa honestate conspicuus, ab ipso in canonicum Lincolniensem, ac demum in archilevitam Leycestrensem promotus.

Venit autem in hospitium illius invisere episcopum illustrissimæ indolis adolescens, regis Francorum filius et hæres Ludovicus, qui proxime (291) sumpserat in conjugium Anglorum regis neptem ex sorore, Hispaniarum videlicet regina, nomine Candidam (292). Venit autem secum nepos privati regis, Arthurus, Galfridi comitis Britonum quondam filius, tunc annos circiter quatuordecim natus. Hos pariter complexus Hugo pius cuique illorum congrua sibi monita saluberrima dulciter instillabat. Ludovicus vultu placido, quæ dicebantur, avide intendebat, Arthurus (293), aspernanter id maxime admittebat, quod eum de dilectione et pace ad patruum suum, regem Anglorum, habenda admonebat. Interea Ludovicus pontificem orat, ut novam nuptam, quam duxerat, invisere dignaretur. At ille benigne annuens, suis pedibus ad proximum regis palatium ivit, afflictam quoque casu recenti adolescentulam verbis paucis in tantum exhilaravit ut statim, mœrore postposito, quæ diebus aliquot lugubris incedebat, de cætero et vultum et animum gereret lætissimum.

Post hæc, cum Trecensem jam præteriisset comitatum, venit ad eum vir quidam (294) voce miserabili misericordiam illius implorans. Fatebatur enim se, culpis suis exigentibus, excommunicationis sententiam ab ipso excepisse, unde cum metu continuo finalis interitus crebris jugiter infortuniis agebatur. Sententiæ causa ista fuit : Fuerat custos quondam villarum comitis Leycestriæ, quo tempore fur quidam in ecclesiam confugit villæ, quæ vocatur Bracteleia, cujus ipse villicus fuit. Est autem fundus ipse in episcopatu Lincolniensi. Dominus fundi au-

(286) Ecclesiastico forsitan, non naturali. In regem enim Joannes Londini coronatus fuit anno 1199, in die Ascensionis Domini, quæ erat 27 Maii, vel in Dominica infra octavas dicti festi, id est, 30, dicti mensis. Et « anno 1200, uti scribit Trivettus, in Ascensione Domini, quæ occurrebat die 18 Maii, inter Vernonem et insulam Andeliaci in subscripta forma pax et concordia inter utrumque regem reformatur. » Ita ille. Verum pacem factam XI Kal. Junii sive 22 Maii, ex Rogerio refert Raynaldus in Annal., pag. 47.

(287) Circa hoc, uti ex Trivetto vidimus, pax, cui Hugo noster interfuit, coaluit, et Hugo obtinuit facultatem adeundi Carthusiam et cætera loca, de quibus fit mentio in sequentibus.

(288) Pentecostes eo anno inciderat in 28 Maii, et Feria quarta in 31 ejusdem mensis.

(289) De celeberrimo hoc monasterio ord. S. Benedicti consulatur Mabillonius, tom. I Annal., pag. 340 et seq.

(290) Cap. 28 integer cerni poterit versus, cujus hic pars una ponitur.

(291) Postridie ejus diei, qua pax facta inter reges, uti refert Raynaldus Nota (286) citatus.

(292) Hanc alii *Blancam*, *Blanchiam*, et *Blandam* vocant. Filia fuit Alphonsi VIII regis Castellæ ex Eleonora, Henrici II regis Angliæ filia et mater S. Ludovici regis Franciæ.

(293) Jure enim paterno jus in Angliæ regnum prætendebat.

(294) Roberti comitis Leycestriæ subditus, qui olim deliquerat, nunc pœnitentiam, olim spretam, ultro suscipit

tem præcipuus habitus fuit in bellicis rebus; linea vero sanguinis generosi potioribus regni proceribus jungebatur. Hinc regis favore comitatus, non minus suis quam sibi nonnulla præter jus usurpandi fiduciam vindicabat. Officiales itaque illius contra monita Scripturæ dicentis : « Noli esse nimium justus (*Eccle.* VII, 17), » in hominem, quærentem Ecclesiæ misericordiam, sævam exercentes justitiam, ipsum de Christi asylo productum dolo, peremerunt suspendio. Tunc vero episcopus in transmarinis agebat. Unde reversus, et, quod factum erat, agnoscens, sententiam generalem in auctores et complices hujus malefacti promulgavit. Reliquis vero, qui super hujusmodi sacrilegio cauteriatam gerebant conscientiam ecclesiasticæ humiliter se subjicientibus disciplinæ, hic satisfactionis abhorrens districtionem, relinquens Angliam, ad Dominum suum confugerat in Neustriam. Siquidem compulsi erant illi qui necem intulerant fugitivo, nec non et illi qui proditione illum de septis ecclesiæ protraxerant, omnibus, exceptis femoralibus, vestibus nudi, jam putrefactum cadaver hominis effodere, feretroque impositum a suspendii loco, humeris ita nudis, in villam per unius fere milliarii spatium reportare. Ad omnium quoque limina ecclesiarum ipsius vici a cunctis illius capituli presbyteris verberati, circumportati corporis membra, jam putredine tabefacta, propriis manibus, et, ut dictum est, nudis semper corporibus in cœmeterium basilicæ, unde vivum eduxerant, sepelire sunt coacti. Post hæc nudis pedibus Lincolniam adire, ac præ foribus singularum tantæ civitatis ecclesiarum latera flagellis exponere, et his similia, hiemali præsertim tempore, ad tolerandum satis aspera jussi sunt perferre.

Hæc iste, de quo agitur, cum unus esset ex illis, ferre non sustinens, Angliam maluit exire quam Anglis ex condigna pœnitentia gaudium exhibere. Cæterum (sicut) juxta sententiam beati Job : « Qui timet proinam, irruet super eum nix (*Job.* VI, 16), » et sæpe periclitatur morbo, qui non patitur aspere tractari a medico, huic non dissimiliter ex suo cessit consilio. Qui enim reatus sui noluit correctionem sustinere, dum adhuc status sui integritatem potuit retinere, ingruentibus hinc inde super eum adversitatum procellis, eo usque damnis affectus est et variis incommodis, ut, sicut asserebat, tæderet eum vitæ suæ. Domini quoque sui, cui præstare obsequium se arbitratus est, dum contra episcopum recalcitrare nisus est, adeo gratiam sibi senserat ex hoc ipso sublatam, ut eum in suo nec obsequio sineret permanere, nec in suo aspectu libenter eum vellet apparere. Qui reversus tandem in se, quem censuit fugiendum, jam medicum credidit expetendum. Quem etiam anhelus et anxius demum invenit, a quo et medelam in remotis posito vix percepit, quam in vicino sponte oblatam recipere contempsit. Subiitque jam lætus septennis sarcinam pœnitentiæ, qui breviorem adimplere contempserat.

(295) *Hic autem in magna Vita inseritur peregrinatio, quam fecit Hugo noster ad B. Antonium, cum miraculorum plurium ejusdem B. Antonii recta recitatione. Quod totum pro vitanda digressionis prolixitate prætermittendum censetur ad præsens.*

CAPUT XX.

De adventu illius et receptu apud Gratianopolim, et Carthusiam, et qualiter se in locis illis gerebat. De pacis per ipsum reformatione inter episcopum et consulem Genevenses, et qualiter a Carthusia recessurus de reliquiis ordinaverit a se et suo monacho exquisitis.

Debitis ergo votis patrono tanto (S. Antonio) solutis, cum et xenodochium ipsius loci (296) visitasset, et in solatia victualium pecuniam custodibus largiri præcepisset (grandis quippe debilium multitudo, quos ante curationem morbus variis membris privavit, ibidem consistit) Gratianopolim (297) proficisci instituit. Inde namque ad Carthusiam per ardua montium et aspera rupium iter expeditius et locorum natura et commeantium frequentia patefecit. Cujus jam adventus, mox ut Gratianopolitanis innotuit, universi pariter obviam ruunt viro ad modum venerabili extra urbis mœnia, ac susceptum per urbem mediam floribus et palliis holosericis, varioque decore ob ejus reverentiam specialiter et splendidius ornatam, usque ad S. Joannis Baptistæ ecclesiam cathedralem cum canticis lætitiæ et solemni deducunt processione. Erat autem natalitius dies ejusdem (298), post unicam mundi dominam Dei Genitricem, tam ordinis Carthusiensis quam et episcopi nostri, specialis advocati, præcursoris Domini. Ubi missam majorem maxima cum devotione Hugo celebravit, et post Evangelium sermonem fecit ad populum miræ suavitatis nectare conditum. Sicque geminatam lætitiam, et annuæ solemnitatis, et primæ post episcopatum visitationis suæ, civibus quondam et fratribus suis salubris alloquii gratia cumulavit, ut pane lacrymarum cibaret eos, dans eis potum in lacrymis, sed in mensura (*Psal.* LXXIX, 6). Tanta denique cum humilitate, talique ex devotione suffragia orationum ab universis expetiit, exiguitatem sui et indignitatem exaggerans, quem superna dignatio de stercore elevatum collocasset in sublimi, ut ab oculis omnium exitus aquarum educerent lacrymis distillantes oculi sui.

(295) Omittit abbreviator quædam, quæ si addidisset, labor non fuisset inanis ob antiquitatem, maxime si talia forent Bollandianis in Vita S. Antonii incognita.

(296) « Hæc est S. Antonii ecclesia de mota prope Viennam (verba sunt Mabillonii tom. V Annal. Bened. p. 369) ad quam magni illius S. Antonii corpus, sæculo XI, translatum tradunt, ubi erecta a Montis Majoris monachis cella cum adjuncto Xenodochio, recipiendis Antonio igne laborantibus infirmis deputato. »

(297) Vulgo *Grenoble*, Delphinatus urbs primaria, in qua sedes episcopalis; in qua post sanctum Hugonem sex alii successerunt ex ordine Carthusiensi assumpti.

(298) Qui 24 Junii annue recurrit, quo et S. Hugo illuc aut præcedenti die venit, honorifice receptus.

Baptizavit quoque ipsa die puerum jam septennem (299), filium militis strenuissimi Willelmi de Avalim fratris sui, quem de sacris fontibus præsul (300) Gratianopolitanus suscepit. Cumque patruus ipsius pueri vehementer instaret, ut nomine suo, quod erat Petrus, vocari debuisset, suggerente præsentium scriptore, respondit ei Hugo : « Nequaquam, sed vocabitur Joannes; præjudicat enim tibi, et loci et diei præsentis patronus. Peregimus autem tantæ solemnitatis diem cum ejusdem civitatis episcopo, a quo tam splendide nobis exhibita sunt, quæcunque jura hospitii exigebant, ut videtur modus ipse excedere modum. Diceres tunc dapsilitatem Burgundionum ipsum quoque vicisse luxum effusionis Anglicorum. »

Inde summo (301) mane sequentis diluculi tendentibus nobis Carthusiam, majorem pene itineris partem pedibus conficere cogebantur, quos equi vehebant. Ascensus enim continuos per ardua et confragosa montis latera equi sessore vacui vix explicabant; burdones autem vel asini hunc liberius permeant callem. Episcopus etiam, necessitate cogente, conversus in peditem, nimio licet sudore lucesceret [*pro* lassesceret], spiritu tamen promptus et alacer, socios meando lassabat. Id tamen sollicitus providebat, ut dormientibus tempore meridiano (302) fratribus ad ipsos perveniret. Cavebat enim summopere, ne suus adventus quietem illorum saltem modice infestaret. Mansit apud eos, tribus septimanis (303) continue quasi unus ex eis? horis maxime nocturnis psallentium nunquam choro fratrum absens, dormiebat in cella solitaria semper solus. Quo etiam tempore, ibi quantum hauserit, quantumve sumpserit ex vicaria collatione virorum sanctorum dulcedinis spiritualis, nostris nemo a nobis exspectat litteris explicari; id namque nec ipse verbis quidem posset effari, qui rebus idipsum meruerat experiri.

Veniebant illuc gratia visitandi eum episcopi nonnulli, clerici quoque et laici quam plurimi pauperes in vicina commanentes parochia, quasi ad olim conclamatum, et jam redivivum proprinmque parentum confluebant certatim ad eum. Quos ille non impari affectu complexus et deosculans, amicabiliter cognoscentes se recognoscebat. Cum quibus et familiaria miscens colloquia, se parvulo illi docebat et factis et verbis, consimilem, quem magister mitis et humilis suis proposuit in Evangelio imitandum discipulis. Cumulabat vero affabilitatis gratiam manus munere non parca, quia vigebat in eo pariter, et lingua eucharis, et dextera liberalis. Mansit quoque apud inferiorem, ubi conversi morantur, habitationem diebus aliquot, ut ipsos etiam satiaret ab uberibus consolationis suæ, et vicissim ipse ex eorum colloquiis et moribus disciplinatis epularetur quasi ab introitu gloriæ gentium. Horum enim nonnulli a lata mundialium actionum via digressi, illamque arctam et arduam viam, quæ ducit ad vitam, ingressi spe felici exspectabant paradisi aditum. His præterea diebus, certis et horis, se pauperibus, ad visendum eum confluentibus, exponebat, cum quibus, ita socialiter verba conserebat, ut inter ipsos residens solo monstraret habitu monachali, quod non esset alius quam unus ex ipsis.

Insinuaverat etiam ei episcopus Genevensis (304), quanto eum suus consul (305) præjudicio annis jam ter quaternis depressisset : unde vinculo excommunicationis et anathematis ipsum ab olim innodaverat (306), ob cujus etiam metum civitatem propriam ingredi non audebat. Nam, si nos memoria non fallit, asserebat ille tria jam effluxisse annorum lustra, ex quo sedem suæ cathedralis ecclesiæ prohibitus est adire. Tunc fortis ille noster et fidus, ut de illo versificus quidem cecinit (307), « pastorum baculus, » plurimum consolans et corroborans fratrem afflictum et mœstum, misit quantocius prio-

(299) Distinguendus hic puer ab altero etiam Willelmi fratris S. Hugonis filio, cujus fit mentio lib. III, c. 13. Iste etenim applaudebat Hugoni, adhuc priori in Witham? hic vero baptizatur ab illo jam episcopo, ultimo vitæ et episcopatus anno.

(300) Præsul Gratianopolitanus, anno 1200, erat aut Joannes, aut Guillelmus, uterque Carthusianus. De Joanne consule adnotata ad lib. II, c. 2. De Guillelmo ita referunt Carthusiani. « D. Guillelmus vere pius huic » (Joanni, quem aiunt mortuum anno 1194, Kal. Junii) « successit et obiit anno 1223. » Abbati autem Morotio Joannes adhuc erat in vivis anno 1219, dum ita de eo scribit : « Sæculi vero subsequentis undevigesimo anno urbem restauravit. » De Guillelmo idem Morotius : « Anno 1221, Guillelmus jam sextus ex conobitis protocarthusiæ diptychis hujus Ecclesiæ » (Gratianop.) « infertur episcopus, et licet brevis pastor, nimirum infra triennium elatus, prædecessorum tamen dotes adæquans, probitatis, quam in absolutissimo ejusmodi perfectionis Lyceo hauserat, eximium specimen præbuit. » Hæc Morotius, Joannis regimen extendens, et Guillelmi minuens.

(301) Die scilicet 25 Junii tetenderunt ad Carthusiam tribus circiter milliaribus Gratianopoli distantem.

(302) Hugonis igitur temporibus vigebat adhuc consuetudo, qua Carthusiani post matutinas ad lectum non redibant, at somnum, quem noctu neglexerant, meridiano tempore resumebant. Quæ consuetudo temporis successu sublata est.

(303) Sub his etiam comprehendi dies illi aliquot, quos apud conversos exegit, videntur; nam et sequitur post spatium trium hebdomadarum se ad reditum disposuisse.

(304) Antholinus nomine, alias *Nantelinus*, et *Nantelmus*, ex priore Carthusiæ Vallonis anno 1185, electus in episcopum Gebennensem, qui vigesimo episcopatus anno, id est, anno 1205, Idibus Februarii obiit.

(305) Guillelmus, sive Wilhelmus I, comes Gebennensis. Iste fuit, quem, teste abbate Morotio, altero a suscepto episcopatu anno, sexto Kal Septembris bannо imperii, utpote Ecclesiæ bonis multifarie infestum, obtinuit submitti Antholinus.

(306) Eo ipso tempore, quo banno imperii subjectus fuit præfatus comes, videlicet anno 1186, a quo ter quaterni anni ad annum 1200 fere effluxerant, sed nondum tria annorum lustra, nisi inchoative, nisi *lustrum*, quod et viri docti rectius faciunt, pro quatuor plenorum annorum circulo malis accipere.

(307) Vid. cap. ult.

res duos ex ordine Carthusiæ, ut eo nitem dintino corporis languore maceratum exhortarentur, quatenus patri suo episcopo et Ecclesiæ matri suæ reconciliari festinaret. Posuit quoque verba in ore eorum, id præcipue discendum ei inculcans, ut patris flagellantis gratiam satageret inquirere, ne mortе citius irruente fieret extorris a filiorum Dei hæreditate. Hos vero ille ad se talia loquentes, aspernanter quidem audivit. Sed, postquam recesserunt, obtentu viri Dei, ut ipse perhibebat, in se reversus, ac medullitus ad vim verborum, quæ illi mandaverat, compunctus, ecclesiæ, quam læserat, satisfecit; sicque absolutus primum a sententia, deinde a carnis sarcina, in pace quievit.

Post spatium autem trium hebdomadarum, episcopus sciens scriptum esse : « Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ (*Gen.* II, 24); ad Ecclesiæ curam, quam olim sibi desponderat, redire disponens, præter alia donaria, pignora inæstimabiliter pretiosa Ecclesiæ, a cujus uberibus in virum perfectum coaluerat, jam ultimum ei valefaciens, jamque discedens, in perpetuam sui memoriam dereliquit. Habebat enim in scriniis suis capsulam argenteam, quam in basilicarum dedicationibus circumferebat in manibus, numerosis sanctorum sanctarumque reliquiis plenam. Has vel ipsemet, vel ipsorum scriniorum custos, monachus et capellanus suus, plerique in locis acquisiverat. Sed episcopus a se perquisitas viro religiosissimo Carthusiensi sacristæ coram priore et fratribus tradidit in loco illo conservandas : monacho autem suas dimisit ad proprium monasterium apportandas.

CAPUT XXI.

Quam devotus exstiterit in reliquiarum sanctorum visitatione et conquisitione earum, et qualiter de eis finaliter ordinavit. — Et continetur in magna Vita sub cap. 14, *circa medium illius capituli.*

Quia (308) vero de sanctorum reliquiis fecimus mentionem, non videtur otiosum, sed ad gloriam vel ædificationem Audientium esse, si de his breviter adhuc aliqua referamus. Jusserat autem episcopus sibi annulum fieri ex auro purissimo et lapidibus pretiosis, habentem in parte, quæ digitum exterius ambiebat, quasi quoddam concavum, quod repositorium esse voluit sanctarum reliquiarum. Erat autem illud receptaculum ad quatuor fere digitorum mensuram undique latum. In hoc portiones congesserat sanctorum pignorum ad numerum usque tricenarium.

Cum vero ex maxima devotione sollicitudinem gereret super acquisitione tam salubris thesauris instituit magnopere, quatenus de corpore magni Christi confessoris, præcipuique monachorum ducis et legislatoris Benedicti aliquid obtineret. Super tali quoque desiderio suo litteras direxit affectuosas viris venerabilibus abbati et monachis cœnobii Floriacensis (309), ubi sanctissima tanti Patris requiescunt ossa, scribens eis, et mittens per quemdam eorum fratrem, et monachum, et custodem (310), quarumdam sanctarum, quas secum Lincolniæ obtinuerat reliquiarum possessionem, petiit obnixius, quatenus sibi dignarentur impertiri de copia suarum in hac parte divitiarum. Quid multa? rediit tandem litterarum bajulus, atque attulit viro sancto et desiderio rum, desiderii sui precisque suæ effectum, unum videlicet dentem ex dentibus sancti cum palla (311), qua erant involuti crines sancti Benedicti, non modica portione. Habuit quoque in manibus idem bajulus reciprocas illorum litteras, ad quos missus fuerat, quibus et tanto Patri salutationis debitæ rependebant obsequium, et muneribus transmissis indubitatum referebant testimonium. Quibus tandem acceptis et lectis, vir Dei miro gestiens gaudio, jussit extemplo aurificem suum accersiri, qui in castro ipsius manebat, Banvenbiria nuncupato.

Verum tempore illo quo hæc gesta sunt, consistebat episcopus in manerio suo, quod Dorcacestria (312) dicitur, et quod distabat milliaribus fere triginta a castro prænominato. Interea, dum instruitur nuntius, qui erat aurifabrum adducturus, quatenus instrumenta juberet ipsum secum afferre, quibus aperire convenienter potuisset, iterumque recludere annulum sacramentalem episcopi (sic enim cognominabat eum, quia in ordinum et consecrationum celebrationibus ad devotionis incentivum illo frequentius utebatur) ecce subito, qui jubetur inquiri, aurifex adest, et tam inopinatam quam optatam sui præsentiam gaudentibus pariter et stupentibus affert. Requisitus vero adventus sui causam, affirmavit dormienti sibi circa noctis medium astitisse quemdam, qui juberet eum mox ad episcopum festinare. « Sunt enim, inquit, ei transmissæ reliquiæ pretiosissimæ, quas te oportet in ejus annulo recondere. Surge ergo velociter, interque ad episcopum aggredere. » Ad hanc vocem excussus a somno, ita suspensos gerebam animos ut nihil cujusquam operis tractare possem, quousque ad vos ista dicturus, et, si vera essent, quæ audieram, probaturus venirem.

(308) Contenta hujus capitis aliis evenisse annis, non in solo hoc itinere, ex contextu liquet.

(309) Cœnobium est longe celeberrimum, situm ad Ligerim diœcesis Aurelianensis, de quo passim scriptores Rerum Benedictinarum Jepezius, Buccellinus, Mabillonius, etc.

(310) Videtur monachus hic fuisse Morinus, qui ad calcem cap. 26, Hugonis dicitur fuisse eleemosynarius apud Stobe portum defunctus. Certe alius fuit ab auctore Vitæ, dum hic Cantuariensis, ille Floriacensis fuit monachus; hic quoque non nisi *unica nocte* Hugoni abfuit iste vero Lincolnia Floriacum missus et inde redux Dorcacestriæ sacras reliquias Hugoni præsentavit.

(311) Ob dentem in monte Cassino a quodam clam ablatum, ut apud Bolland. in Vita S. Benedicti legitur, cogitur ad restitutionem is, qui abstulerat; hic mira Dei providentia monetur et urgetur aurifex, ut Hugonem adeat dentem annulo inclusurus.

(312) Locus, unde episcopatus Lincolniam translatus fuit. Castrum vero Banvenbiria ubi situm, non invenio. Forte Lincolnia non procul aberit, triginta fere milliaribus distans a Dorcacestria.

« Ecce igitur ego, et ecce utensilia mea! Vos utimini artificis opera, sicut scitis. » Hæc siquidem artificis revelatio atque relatio et certitudinem reliquiarum roboravit, et cumulavit lætitiam omnibus, qui præsentes ista cognoverant. Partitus est autem quibusdam abbatibus et aliis, qui interfuerunt, viris religiosis homo liberalissimus portiunculas de palla quam susceperat; dentem vero suavissime sæpius deosculatum in annulo suo recludi fecit.

Apud Festapum (313) quoque insigne monasterium de osse brachii (314) beatissimæ Christi dilectricis Mariæ Magdalenæ duo mordicus excussit frusta. Ipsum autem os nullus tunc præsentium, vel abbas, vel monachus aliquando inspexerat tegmine nudum. Erat enim duplicibus pannis sericis et lineo simplici arctissime insutum. Cujus inspectionem dum episcopo flagitanti exhibere nullus anderet, ille, a quodam notario suo scalpellum arripiens, festinanter fila dissecuit, atque involutum illud dissuens, sacratissimum os ori et osculis suis reverenter applicuit. A quo dum impressione digitorum nihil quivisset excutere, prius incisivos, deinde molares dentes apposuit, quorum viribus duas inde citius portiones abrupit, quas dexteræ jsta scribentis (315) intulit, ita dicens: « Serva nobis hæc peroptime. » Cernentes vero hoc abbas et monachi, jam pridem stupentes et pavidi, nunc vero sævientes et irati, exclamaverunt: « Proh nefas! credebamus episcopum venerationis obtentu expetiisse hæc sacra referenda, et ecce ritu canino hæc dentibus tradidit lanianda. » Quos talia prosequentes ille blandis sermonibus delinivit, dicens inter cætera verbum memorabile: « Si, inquit, ipsius Sancti sanctorum paulo ante corpus sanctissimum digitis licet indignis contrectavimus, dentibus quoque vel labiis attrectatum ad interiora nostra transmisimus, quare non etiam sanctorum ejus membra ad nostri munimen et ipsorum venerationem atque memoriam nobis impensius conciliandam fiducialiter attrectamus, et debito cum honore servanda nobis, cum facultas datur, non acquirimus? »

Alio quoque tempore apud burgum Sancti Petri (316) de brachio gloriosi regis et martyris Oswaldi (quod adhuc cum ossibus et pelle, carne etiam cruenta; tanquam recenter de corpore vivo excisum monstratur) nervum, qui prominebat, lentum quoque et mollem ductu se contrectanti præbebat, cultello excidit, atque servandum omni cum reverentia sibi retinuit.

Hæc itaque cum aliis, quas enumerare longum est, sacris reliquiis in annulo composuit sæpius memorato. Cum autem vice quadam a partibus transmarinis venisset Lincolniam, hunc annulum more solemni in manus obtulerat super altare beatæ Virginis similiter ibi asservandum. Hujus postea oblationis immemor, ipsum quoque toties memoratum annulum Carthusiensibus cum cæteris dari reliquiis imperavit. Cum autem ad memoriam ei reduxisset monachus suus (317), ipsorum sacrorum custos, factam ab eo pridem annuli donationem, annulum jussit Ecclesiæ Lincolniensi restitui; capsulam vero ex auro et gemmis fabrefactam, quæ apud Lincolniam fuit in scriniis suis, eis mittendam dedit, in qua reponerentur collatæ ipsius reliquiæ sanctorum. Quod eodem monacho satagente post excessum viri sancti impletum est.

CAPUT XXII.

De locis quæ pertransiit de Carthusia in Angliam revertendo, et de ejus gestis in iisdem, et qualiter fuerit antequam Londonium veniret ægritudine pergravatus.

Explcta vero largitione præfata, episcopus ad inferiora conversorum habitacula continue descendit. Die postera Carthusiæ Dei benedictionem imprecans, et suam largiens, corpore tenus discessit a loco, in quo corde jugiter permansit et animo. Rogatus autem sæpius instantissime a viro devoto et strenuo, priori Sancti Dominii (318), quatenus domum, quam

(313) Nunc Fiscamnum, vulgo *Fescan*, seu *Fécamp*, pro virginibus, circa annum 658 fundatum, nunc monachorum ord. S. Bened. a sua jam inde restauratione, sæculo x facta. Vide Mabillon. tom. I Annal. Bened., pag. 447, et tom. II, p. 540, ac iterum tom. IV, pag. 152.

(314) Plura de reliquiis, quin et de brachiis B. Mariæ Magdalenæ recensent Bollandiani, t. V, mensis Julii. Verum de hoc osse brachii nulla ab illis fit mentio.

(315) Seipsum auctor intelligit. Unde et hæc actio uno ex tribus postremis vitæ S. Hugonis annis contigit.

(316) *Apud burgum S. Petri.* Cœnobium per antiquum ord. S. Bened. in Anglia, alias dictum Petroburgense, de quo Mabillonius tom. I Annal. Bened., ad an. 655. Aliud est ejusdem ibidem ordinis S. Petri monasterium Glocestrense. De priori, scilicet Petroburgensi fusius agitur in Monastico Anglicani t. I, p. 63, ex quo clausulam addo: « Anno 970, S. Adelwoldus episcopus Wintoniæ transtulit de cœmeterio in ecclesiam reliquias S. Swithuni, etc., monasterium etiam de Medeshamstede (Petroburgense) restaurare cœpit, et burgum S. Petri appellavit, anno desolationis suæ æqualiter centesimo. » Hanc desolationem factam ad annum 770 refert Mabillonius t. III Annal. Bened., p. 167. Porro de monasterio S. Petri Glocestrensi agitur in Monastici Angl. tom. I, p. 108, et asseritur, quod Ethelfleda, filia regis Ælfredi, « ossa B. Oswaldi regis ex Bardeneia ad hoc Glocestrense S. Petri cœnobium transtulerit. » Ibidem, pag. 142, Bardeneianum monasterium in agro Lincolniensi describitur, ac inter cætera memoratur « corpus S. Oswaldi primum Bardeneiæ sepultum ubi erant id temporis trecenti monachi, » etc. Quæ dum legi et inter se contuli, cœpi dubitare de brachio dicti S. Oswaldi, utrum in Petroburgensi vel in Glorestrensi S. Petri cœnobio exstiterit. Sed dubium solvit, quod, ut refert Mabillonius t. V, Annal. pag. 473. Caput S. Oswaldi una cum corpore S. Chutberti, anno 1004, fuerit in ecclesia Dunelmensi repertum. Si enim caput S. Regis Dunelmum, cur non et ejusdem brachium ad monasterium Petroburgense potuit transferri sive Bardeneia, sive Glocestria?

(317) *Monachus suus.* Quod seipsum auctor hic innuat, satis indicant sequentia: « Quod eodem monacho satagente post excessum viri sancti impletum est. » Auctori etenim quanta Hugo ante obitum suum commiserit, infra dicetur.

(318) Cella est, cui aliquando præfuit Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis. De quo Mabillonius tom. V, Annal., p. 441: « Constitutus est, inquit, deinde cellæ de Domena diœcesis Gratianopolitanæ præpositus. »

regebat, visitare præsentiæ suæ dignaretur accessu, ad ejus cellam divertit. Qui eum una cum fratribus suis suscipiens obviatione solemni velut angelum Dei, egit cum eo diem solemnem in cordis lætitia et exsultatione spirituali. Disponebat vero episcopus invisere quoque Villam-Benedictam (319); sic enim vocatur cella, in qua sacræ religionis libavit primordia. Dictante vero ratione itineris prius perrexit ad castellum, quod fuerat Patris sui, in quo mansionem habebant, et non modicam dominationem duo ipsius germani, Willelmus videlicet et Petrus. Ili semper Hugonem, utpote milites strenui, ita ad veritatis cursum incitare gaudebant, ut solet admisso subdi calcar equo. O quoties isti, non tantum episcopo, sed et consiliariis quoque ipsius, et præsentes suggesserunt, et absentes mandaverunt, ne in falsorum fratrum seu crudelium dominorum persecutionibus animo ipse lassaretur! Asserebant malle se natum ipsum non fuisse, quam eum contra natales ingenuos ad depressionem libertatis ecclesiasticorum, vel ad momentum animo degenerante cessisse. Ad hos igitur hospitandi gratia veniens, non istorum solummodo, sed et nobilium, mediocrium et infirmorum loca vicina accessit, et incolentium uniformi congratulatione suscipitur, a quibus et biduo ibidem detinetur.

Die demum tertia ad canonicam pervenit Villæ-Benedictæ, quam loci incolæ Vilarboneyth vulgari appellant nomine. Nec est dictu facile, quantum suus adventus præstiterit tripudium, non solum ejusdem loci incolis, imo et omnibus circumquaque vicinis. De lit autem Ecclesiæ illi bibliothecam (*i. e.* codicem sacrorum Bibliorum), decem comparatam marcis argenti. Invisit et cellulam, cujus, ut supra diximus, prioratum quondam adolescens gesserat, quæ nominatur ad sanctum Maximum. In his vero locis vallabant eum viri decrepiti et senes cano capite, anus etiam incurvæ et mulieres annis provectæ. Ab his Hugoni plaudentibus Hugonis rudimenta inter eosdem; velut lilium, quondam germinantia, miris attolluntur præconiis. Asserebant quoque illius adhuc primæ ætatis initia quadam insitæ virtutis lingua futuræ sanctitatis in eo pronuntiasse insignia. At ille castrum repentes demum prænotatum, una ibidem nocte quievit.

Inde jam festinato in Angliam tendens, ad Belesem (320) altera metatione devenit urbem. Ibi cratem (321) dimidiæ manus præcursoris Domini cum digitis tribus, medio scilicet et binis inferioribus, cure adhuc nitide vestitam, suscipere meruit osculandum. Quam discooperire nudamque videre a pluribus retro annis nemo audebat. Verum pedissequus et vernula ipsius Hugo, peculiari flagrans amore sui patroni, fiduciamque erga ipsum nactus ulteriorem, hoc facere minime formidavit, congaudentibus sane canonicis ipsius Ecclesiæ, quod virum reperissent tantæ puritatis, qui hoc attentare dignissime potuisset. Præmissa igitur peccatorum confessione, absolutione, et oratione subjuncta, reverendum illud sanctuarium, tegmine nudatum, cunctis præsentibus palam inspiciendum ostenditur. Ipsos quoque articulos, qui tetigerant sanctum Dei verticem, episcopus digitis suis tangere, osculisque lambere, nequaquam verebatur. Data etiam cæteris benedictione, qui circumcirca proni adorabant, ipse in sublime illos porrigebat, et nos desuper in crucis modum eisdem consignabat. De quodam quidem panno purpureo atque vetustissimo, qui dintissime huic sanctuario, illud tegendo, inhæserat, non modicam portionem incidit, quam suo monacho summa cum devotione amplectendam dedit.

In hoc autem itinere quatuor sui ordinis domos invisit et adivit, Carthusiam (322) videlicet, Alveriam (323), Jovinium (324) et vallem Sancti Petri (325). Alveria cum esset propter loca montuosa accessu difficilis et ab itinere nostro remotior, hac specialiter de causa expetiit. Belensis quondam episcopus (326), ex priore ejusdem domus assumptus ad cathedram, onere jam curæ pastoralis abjecto, ibi denuo simplicem et cellicolam effecerat, ut cœlestibus desideriis

(319) Consulantur notæ ad lib. I, cap. 1.

(320) Bellicensem, *Belley*, scilicet urbem, in qua episcopus sub archiepiscopatu Vesontionensi sedi Bellicensi ex Carthusianis præfuerunt episcopi septem sæculo XII. Ex quibus Bernardus, omnis virtutis et sanctitatis speculum præerat, anno 1200, et obiit anno 1207, pridie Nonas Maii, aut ut quidam volunt, anno 1208.

(321) De crate hac nihil apud Bollandianos, ubi de S. Joanne Baptista agunt, invenio. Retulerunt illi quædam de brachio et de manu dextera quasi anno 1263. Cisterc um, quin et Rhodium translatis. Verum utrique transla ioni prævalet quo ad temporis antiquitatem Ecclesia Bellicensis, nisi forsitan ex hac reliquiæ hæ aut Cistercium aut Rhodum sint translatæ.

(322) Carthusiam, scilicet majorem, anno 1084, fundatam, in qua se Hugo noster Deo consecravit per emissa vota.

(323) Quæ etiam Alveria nominatur, sita in Provincia, fundari cœpta anno 1122, et ordini sub Guigone V, prore Carthusiæ unita.

(324) Arbitror legendum fore, Luvinium sive Luvigniacum, cujus Carthusiæ fundatæ chartam exhibet Lucas Acherius tom. III Spicileg., pag. 542.

(325) Carthusia est in diœcesi Laudunensi circa annum 1140 fundata, cui deinde præfuit, qua prior, Engelbertus sub Basilio adhuc priore Carthusiæ, postea factus episcopus Cabilonensis; et resignato episcopatu prior Carthusiæ Montis Dei. Obiisse dicitur circa annum 1200, die 13 Februarii. De eo agitur tom. IV Galliæ Christ., pag. 895, sed cum levi errore, nisi bis fuerit prior Vallis S. Petri, ante scilicet et post episcopatum.

(326) Iste erat S. Artholdus sive Arthaudus ex priore Carthusiæ Alveriæ episcopus Bellicensis. De quo Petrus Franciscus Chifletius in præfatione ad Manuale solitariorum hæc habet: « Vir Dei Arthaudus, qui ut beatus apud suos colitur pridie Nonas Octobris, ex Carthusiano grege ad Bellicensem præsulatum arctatus, senio confectus ad claustri sui quietem rediens, in Alveriæ eremo in pace Deo spiritum reddidit. » Obiit autem sicut tradunt Carthusiensium memoriæ, « continuis clarus miraculis pridie Nonas Octobris, anno 1206. »

liberius inserviret. Qui nostri pontificis longo ex tempore exæstuans desiderio, affatu ipsius et aspectu cupiebat refoveri; quod etiam per internuntios ei sæpe innotuerat. Processerat quidem vir ille beatus in diebus suis, et mediante jam mundanæ lucis occasu ad indeterminabilis diei suspirabat ingressum. Nec dissimiles animi, quamvis in ætate dissimili (327), nostro pontifici erant. Jam enim caduca omnia, quæ annis sub teneris semper vilipenderat, in gravi etiam fastidio habebat. Optato igitur uterque potitus colloquio, singuli conscientiæ suæ recessus ex alternæ sanctitatis fulgore, dum sua vicissim occulta pandunt, splendidiores reddunt. Qui tandem simul ad commune fratrum omnium venerunt colloquium. Tunc a Lincolniensi dominus quondam Belensis formam pacis inter reges nostros initæ sibi petiit coram fratribus retexi. Nam concordiæ illorum ipsum interfuisse cognoverat. Ad quam viri tanti petitionem ferventissimus ordinis zelator, haud modice contristatus, ita leniter et quasi jocando ait: « O Pater, inquiens, rumores audire et referre etsi liceat episcopis, sed monachis non licet; in cellas vel claustrum rumores ingredi non licet, urbes deserere, et in solitudinem rumores afferre non licet. » Hæc dicens ad spiritualis ædificationis studium, postpositis rumoribus, verba convertit.

Sequitur quam devote Cluniacum adierit (328) et quam reverendissime a tanta illius sanctæ multitudinis frequentia exceptus sit, et quanta ejusdem congregationis instantia triduo secum morari; atque vires post laborem sit compulsus resumere. Cujus loci disciplinam in choro, in claustro et in refectorio, inter eos familiariter missas diversas celebrans, et cum eis pariter convescens, cum plenius attendisset ac plurimum commendasset, sic demum ait: « Vere, si locum hunc, ut modo, pervidissem, et necdum Carthusiam adamassem, suum me Cluniacus monachum fecisset. Quoddam inter cætera speciale ibidem vidit et laudavit, quod idcirco breviter paginæ inserimus quia a beato Benedicto institutum ab omnibus ubique locorum monachis, nec lectum miramur et quasi oblivioni traditum. Agens namque de suscipiendis hospitibus in Regula sua beatissimus Benedictus inter cætera dicit: *Legatur coram hospite lex divina, ut ædificetur; deinde omnis ei exhibeatur humanitas.* » Quod erga nos Cluniacenses hoc ordine compleverunt. Post susceptionem episcopi, processione festiva perceptaque illius benedictione, ipsum dominus prior in locutorium deduxit; ubi cum eo sedit, assumptis pariter et senioribus de conventu circiter duodecim. Unus assistentium vero fratrum codicem regulæ pastoralis B. Gregorii papæ, quem ad hoc ipsum manibus allatum tenebat, aperuit; procedensque in medium, capitulum unum aperte et distincte ad intelligendum percurrendo legit. Quo completo, incunte priore, finem lectioni fecit, et episcopus similiter ad nutum prioris dicto *Benedicite* loquendi licentiam præsentibus dedit.

Sed et Cistercium (329) cursim pertransivimus. Quo divertit, ut missarum solemnia in præclara festivitate Assumptionis Dei Genitricis celebrare potuisset. Gallia namque universa præter quærdam privilegiata monasteria ea tempestate sub interdicta fuit (330). Deinde compos effectus, et fratrum illius loci orationibus commendatus, Claramvallem (331) quoque visitavit. Miserat siquidem sanctæ recordationis Joannes (332) quondam Lugdunensium archiepiscopus in occursum ejus quosdam veneabiles viros, obnixe supplicans, quatenus sibi in loco prænotato commoranti olim desideratam præsentiæ suæ copiam exhiberet. Quia jam ævo gravis officio curæ pastoralis renuntiaverat, retentisque duntaxat jussu summi pontificis insignibus pristinis in illo sancto cœnobio sacræ contemplationi sedulus vacabat. Sciscitanti autem episcopo, quibus jam Scripturis meditationis suæ negotia potissimum devovisset, ita respondit: « Psalmorum, inquit, meditatio sola jam penitus totum me sibi vendicavit. » Ex his quotidie recens et continue demulcens interioris hominis palatum mihi refectio indeficiens jugiter innovatur.

Post hoc, monasterium Sancti Remigii (333) secus Remensium civitatem situm sanctitatis magnificæ lætificavit accessu. Ubi moratus per triduum librorum antiquorum copiam ibi repositam miratur, modernorum desidiosam exprobrans incuriam, qui non solum Patrum studia in condendis libris atque scribendis æmulari detrectant, sed neque legere, seu reverenter saltem tractare a Patribus elaboratos codices sacros student. Hic vasculum quoque per columbam cœlitus delatam beato Remigio miratus et veneratus est, in quo jugiter ad unctionem regum

(327) Sexagenarius circiter tum erat, ait Chifletius ex Surio, S. Hugo, cum erat affectæ jam ætatis B. Arthaudus, ac fortasse nonagenario major. Senem capularem eum vocat abbas Morotius. Centenariam crederem, si, ut dicitur, primus fuit Carthusiæ Alveriæ prior.

(328) *Cluniacum adierit*, sub Hugone V ex Radingensi abbate Cluniacensi. De Cluniaco ejusque abbatibus agitur in bibliotheca Cluniac. Andreæ Quercetani seu Du Chesne, et in Galliæ Christ. tomo IV, col. 1117 et seq. Hic refertur insignis Cluniacensium ejus temporis laus a S. Hugone Lincolniensi.

(329) *Sed et Cistercium*, de quo etiam in Galliæ Christianæ tom. IV, col. 980 Benedictinæ editionis. Celeberrimo loco tunc præerat abbas Guido II, postea cardinalis episcopus prænestinus.

(330) Anno 1199, illud propter divortium inter regem et reginam promulgatum, et anno 1201 sublatum fuit. Ita de Nangis et Trivettus in Chron.

(331) *Claram Vallem*, sub Guidone abbate, ut colligo ex tom. IV Galliæ Christ. col. 796.

(332) *A bellis manibus* cognominatus, ex Pictaviensi designatus Narbonensis primum, mox factus anno 1181, archiepiscopus Lugdunensis, de quo plura tomo IV Galliæ Christ. col. 130.

(333) *Monasterium S. Remigii*. De hoc, et de sacra ampulla vide tom. I Annalium Benedictin. pag. 61, Joannis Mabillonii, qui in hoc monasterio votum monasticum Deo nuncupavit.

Franciæ sacri balsami copia rediviva exuberat.

Cum autem pervenisset ad castrum Sancti Audomari (334), quod a portu Wistandiæ (335) millibus decem abjungitur. Ibi parumper a fatigatione diutina ante maris ingressum duxit respirandum. Erat inde haud procul situm monasterium ordinis Cisterciensis, Clara Marcis (336) ab incolis nuncupatum. Instabat etiam post triduum gloriosa solemnitas Nativitatis perpetuæ Virginis et misericordiæ matris. Nolebat autem episcopus elongari a vicinia loci, quo divina celebrari licebat ante festum adeo præclarum, ne forte aura dissentiente in Angliam ad hoc celebrandum minus tempestive occurreret. Ipse igitur die, qua ad Sanctum Audomarum venit, sibi venam incidi fecit, quo liberius et alacrius post expletæ observantiæ tempus (quod in flebotomia quis vindicare sibi solet) desideratam percoleret celebritatem. Jam enim diebus aliquot in singulis membris, et in corpore suo toto, gravedinem cum lento quodam dolore senserat accrevisse. Post minutionem vero adeo in continenti hæc ipsa molestia augmentata est ut de mensa, qua discubuerat, cum vix modicum quid gustasset, cæteris adhuc edentibus abscedere et lectuli quietem adire sit compulsus. Quem mox, ut cervicem reclinaverat, sudor affudit affluentissimus, qui die ipsa tota cum maxima parte noctis insecutæ fluere non cessavit. Tantum quoque cibi fastidium mox incurrit, ut per illud triduum quidpiam gustaverit.

Circa vespertinas autem horas in vigilia festivitatis memoratæ profectus est ad cœnobium prænominatum, ibique uno tantum monacho, conversoque uno ex suis secum retentis pernoctavit. Reliquos vero cum equis ad hospitium, unde venerant, redire jussit, satis, quoad licuit, resistentibus abbate (337) et fratribus loci, universum illius comitatum secum summopere detinere certantibus. Episcopus autem in infirmaria quiescere præelegit, cujus in obsequium deputati sunt duo fratres, qui nimia devotione ejus famulatui insistebant. A quibus, cum nihil escæ sumere cogi potuisset, pedes sibi abluendos, et officiosissime fovendos, et extergendos compulsus est exhibere. Quorum ille benignitate satis delectatus, eis devotionis suæ vice Dei et suam benedictionem rependebat. Nec multum post, alter eorum in abbatem (338), et alter in ejusdem loci priorem favore divino promotus, nos in exilii nostri præsentis excursu ad eos parumper digressos humane satis recognoverant. In crastino autem penultimam ibidem Christi pontifex celebravit missam : qua devotissime expleta jejunus a cibo corporali hospitium repetiit suum in

A villa sæpe dicta, ubi rem prodigiosam, quæ tunc innotuit, paucis explicamus.

Pistor quidam farinam die Dominica consperserat, unde sequenti nocte panes quoque venales coxerat. Quos dum mane sequentis feriæ protraheret ex clibano, panis quidam in pavimento fortiter allisus fracturam fecit, unde mox sanguinis rivus, qui panem circumquaque inficeret, effluxit. Quo pistor viso tale portentum vehementer expavit. Panem denique cruentum frustatim comminuit, et per singulas fracturas cruorem liquidum stillare vidit. Fregit et panes alios atque alios, et in omnibus fracturosis cruorem implentem illos aspexit. Conterritus itaque tam monstruoso eventu panes per unam fere hebdomadam, ne ab aliis viderentur, occultavit. Sed interim B mercenarii seu vicini ejus id quod acciderat ad aures publicas detulerunt. Quid plura? Res demum oppidanis cunctis innotuit : unus etiam ex his panibus episcopo a convicaneis exhibetur, frangebatur a nobis, et mox sequebatur cruor fracturam, ac si hominis sive vivi cujuscunque animalis caro incideretur. Hujus quoque panis frustum non modicum nobiscum inde in sinu detulimus. Erat autem panis fermentatus. Cocti pariter fuerant in clibano præfato panes azymi et fermentati, sed azymi in sua qualitate puri ostendebantur, nil prodigiosum habentes; fermentati vero omnes fundebant sanguinem, si fractionem acciperent vel sectionem. Hinc sentiebant nonnulli, punitam fuisse tali casu hominis cupidi temeritatem, qua die Dominica præparasset, quod sequenti C feria maturius distraheret, dum panis azymus post sacræ lucis crepusculum conspersus et coctus nil admisit horrendum, et ante vesperam contra institutum in massam subactus et fermentatus, non quæstui profuit, sed auctorem suum fecit ostentui. Plures siquidem ex his panibus per monasteria et Ecclesias circumquaque missi sunt ad monumentum posteris, et præsumptuosis solemnitatum sacrarum violatoribus, et ad correctionis documentum diligenter conservandi.

At vero Matris misericordiæ ope post celebratam, ut præfati sumus, in honore ipsius missam famulus ejusdem et vicarius devotissimus Hugo ægritudinis suæ levamen non modicum percepit. Exacta igitur die solemnitatis cum lætitia et exsultatione, in cras- D tino Widsandensem portum cum suis adivit. Sequentis vero diei aurora ipsum navim conscendere vidit genitricis Mariæ mater, beatissima videlicet Anna. Quæ primo remissius spiraverat, carbasa repente implevit. Solent quidem universi transvectores Mariam, sicut maris stellam attendere, ut cursum

(334) Audomarum alias et Audomaropolis, vulgo *Saint-Omer*, urbs Artesiæ est, cujus episcopus archiepiscopi Cameracensis est suffraganeus.

(335) In Chronico S. Bertini a Marlene edito col. 688, ita legitur : « Statim autem, ut hos sanctos exsules, » Cantuariæ monachos, « dom. Joannes abbas apud Wisantum applicuisse cognovit, » etc.

(336) *Claromariscus*, Latine, ordinis Cisterciensis egregium cœnobium circa annum 1140 fundatum.

(337) Qui tunc erat Gerardus de Campania, in abbatem electus anno 1198.

(338) Nicolaus videlicet aut Lambertus, ex quibus primus præerat anno, quo in exsilium missi sunt Cantuarienses, alter vero durante exsilio.

dirigant, ita Mariæ matrem precibus advocare et muneribus corrogatis ambire, ut currere queant, cum subsidentium ventorum spiramina itineris commeatum negant. Huic vero semper (339) post ipsius natam familiarius Hugo et devotius dependebat venerationis obsequelam. Quæ sibi vicissim in cunctis necessitatibus et periculis celerem rependebat opitulationem. Tunc quoque eam invocanti festina adfuit, atque cursu placidissimo littori optato celeriter appulsum adeo exhilaravit ut confestim post pressas vestigiis arenas ecclesiam peteret, missarum solemnia de sacro ipsius puerperio celebraturus. Quo certe ex facto satis patuit quanta fuerit in eo erga Dominica sacramenta devotio, quem neque marina jactatio, nec cum morbida valetudine inediæ per multos jam dies protracta maceratio, a divinorum celebratione potuit cohibere, quia, sicut pridem monachus, quoties de permissu ordinis licuit (340), ita jam episcopus, quoties ratio possibilitati concurrit, missas celebrare nullo tempore prætermisit. Ex qua præcipue muneris sacri devotissima frequentissima perceptione et singularem cordis munditiam et insuperabilem constantiæ cæterarumque virtutum firmitatem obtinere promeruit; sed et invisibilium rerum et spiritualium secretorum mysteria ei divinitus patuisse inter ipsa reverenda canonis secreta familiares ipsius non latuit. Aliquando tamen capellanum suum, quem pridie sanguinem minuisse sciebat, missam celebrasse cognovit; quem tunc quidem blande corripuit, sed hoc iterum attentantem durius increpavit, districte prohibens ne ulterius id facere præsumeret, et pericula ex tali præsumptione non semel accidisse, et sibi innotuisse memorabat.

Verum, ut cœpta procedat oratio, diem adventus sui in Angliam apud Douram (341) ubi applicuit una cum clericis aliisque domesticis et amicis suis (quorum ibidem turba non modica speratam et præcognitam ipsius præsentiam exspectaverat) lætam lætus ipse cum lætis exegit. In crastino Doberniam venit. Ibi Christi basilicam mox, ubi urbem ingressus, adivit in qua primo ad Salvatoris aram, deinde ad singulas sanctorum in ea quiescentium memorias, maximeque ad gloriosi martyris Thomæ mausolæum diutissime, sed et devotissime orans, seipsum et suos divino præsidio et patrocinio Dei sanctorum attentius commendavit. Hinc, priore multisque fratribus usque ad atrium exterius ipsum cum veneratione deducentibus, ad hospitium suum divertit. Illic regis justitiarii, nec non et plerique optimates regni (quos ad locum illum, nescio quis casus, tunc

(339) Igitur jam S. Hugonis tempore sancta Anna, ut navigantium patrona, venerabatur in Anglia, cujus veneratio plurimum crevit ad finem sæculi XIV.

(340) Vide notam lib. IV, cap. 12, appositam, cui addo, tempore etiam Guigonis V, Carthusiæ prioris, in usu fuisse tricenaria recenter defunctis concessa, quorum quodlibet requirebat, ut per triginta dies sibi invicem succedentes missa pro defuncto redderetur in publico vel in privato.

(341) *Doura* hodie *Douvres*, urbs et portus Angliæ meridionalis, e regione Caleti, celebris Galliæ portus.

A asciverat) episcopum certatim invisere gaudebant, adventui ejus congratulando applaudentes, sed molestiæ corporali, quo illum affectum dilexerant, nimio mœrore compatientes. Quos ille magnanima cordis orisque constantia magnopere consolari studuit; vultuque sereno flagella Dominica servis Domini dulcia esse debere, et verbis docuit, et suipsius exemplo declaravit.

Et sane oculorum hebetudo sensim irrepserat ei quæ pulveris et caumatis continuato ingestu, memoratæ profectionis tempore, oculorum aciem plurimum reverberaverat. Qui crebro suggerentibus nobis, quatenus alicujus opem medelæ sineret adhiberi, una semper et eadem voce respondebat: « Satis, inquiens, oculi nobis isti sufficient, quandiu fuerit ipsorum usus nobis necessarius. His igitur exterioribus parumper obtusis, nec tamen pristino decore exterius privatis, luminum interiorum limpidior de die in diem claritas reddebatur. Apud Cantuariam vero, ubi solent quorumdam sæpius levari ægritudines, ipsius adeo ingravata est ægritudo, ut inde Londonias, non præter molestiam, partim equitando, partim navali vehiculo deportaretur. Nihil tamen hæc suis votis adversabatur, nec precibus, quas in templo devote libaverat, quidquid ei accidit, in aliquo obviabat.

CAPUT XXIII.

Qualiter Londoniis in sua ægrotatione mala Angliæ ventura prædixit, sacram unctionem suscepit, suadentibus ei testamentum esse faciendum respondit, et zelum, quem semper ad divinum officium habuerat, non dimisit et qualiter ad regem Joannem et archiepiscopum se habuit causa visitandi accedentibus ad eumdem.

Postquam vero proprium diversorium, quod secus Londonias apud vetus templum possidebat (342) ingressus est, anhelantia febribus membra quies lectuli protinus excepit. Quod amicorum ipsius plurimi intuentes, mœstitia conficiebantur, et ipso quoque audiente divinam exorabant clementiam, quatenus ipsum incolumem Ecclesiæ suæ filiis, ad ipsius jam diu reditum valde suspensis restitui juberet. Hos ille paucis blande consolatus ait: « Filiis nostris in Christo charissimis, sive præsens corpore, sive absens, spirituali nunquam præsentia deesse valebo. » Verum de valetudine sive præsentia mea corporali, imo et de meipso toto, Patris solius, qui in cœlis est, voluntas semper fiat.

Transacta vero in eodem loco nocte una, postera die, ipsi qui hæc scripsit (343) ista locutus est: « Ili, qui nos, inquit, temporaliter diligunt, imo et spiri-

(342) In hoc extera S. Hugonis, ut infra, c. 27, dicitur, a corpore oblata, in vase plumbeo recondita sunt. *Vetus* illud vocatur respectu novi templi; unde apud Trivettum in Chron. ad ann. 1219, quidam Londoniæ *apud novum templum* sepelitur.

(343) Auctori scilicet Vitæ, qui post pauca se monachum et presbyterum Hugonis fuisse profitetur.

tualiter nos amplectuntur, vitam meam temporalem (quæ mihi revera fastidio jam pridem cœpit esse) satis cuperent prolongari. Sed nobis sententia longe distans est, qui cernimus manifeste, quam in brevi flebilis sit futurus status Ecclesiæ Anglicanæ. Melius itaque nobis mori est quam vivere et videre imminentia gentis hujus mala et sanctorum (344). Nam procul dubio in posteris Henrici regis impleri necesse est, quod Scriptura prælocuta est : « Spuria vitulamina non dabunt radices altas (*Sap.* IV, 3), et ab iniquo thoro semen exterminabitur (*Sap.* III, 16). » Sed et rex modernus Francorum (345) genitorem suum Ludovicum ulciscetur in sobole prævaricatricis (346) quæ thorum cum eo immaculatum repudiavit, ejusque æmulo regi Anglorum impudica adhæsit. Quamobrem Gallicus iste Philippus regiam Anglorum ita delebit stirpem, quemadmodum bos herbam solet usque ad radices carpere. Nam a Gallis tres ipsius nati jam abrasi sunt, reges videlicet duo (347), et unus consul; quartus, qui superest, curtam habebit pacem ab eis (348). Scis vero, quia post biduum Natale Domini mei evangelistæ et apostoli Matthæi fiet. Dies illa mei quoque episcopatus natalitius erat; in ea enim, ut scis, unctionem suscepi præsularem. Sæpius autem ab ineunte ætate ægrotavi, nec ullam tamen unctionem quæ proprie infirmorum dicitur, hactenus percepi. Sola ex unctionibus quæ meæ possent congruere personæ, hæc mihi necdum est collata. Hanc igitur eras in vigilia beati Evangelistæ promereri exopto. Jam igitur modo faciem Domini prævenire debemus in pura et vera confessione, ut ipso Domino annuente tam venerabile sacramentum digne pro modulo nostro et salubriter pro domo sua nobis contingat suscipere. »

Iis itaque memoratis, quidquid in se noverat accusabile, vel quidquid in quolibet gradu ætatis, ordinis, aut professionis sibi deesse displicere potuerat, cœpit in conspectu Domini sub testimonio prius ejusdem, cum quo loquebatur, monachi et presbyteri sui, deinde ei adjunctis tribus reverendæ honestatis sacerdotibus sollicite confiteri. Quorum primus Lincolniensis decanus, secundus præceptor [*al.*, præcentor] qui cathedram ipsius post eum ascendit (349), tertius vero archidiaconus Northamtonæ erat, vir vita utique et doctrina clarissimus. In hac confessione nec illa omisit, quæ innumeris pridem vicibus fuerat viris devotis quam pluribus confessus. Horum quilibet fateri solebat quod neminem quisquam eorum eatenus vidisset, qui, sicut vir iste, seipsum nosset accusare, et sic a se omissa, sicut A indigne commissa, cum circumstantiis reatuum suorum prompte, acute et plene enumerare. In confitendo istud semper replicabat : « Mala, inquiens mea vera, pura, et sola mala sunt; bona, si quæ sunt non ita sunt, sed malorum admistione impura, malis undique concerta, et idcirco nec vera simpliciter sunt bona. »

Celebrata igitur per triduum hujuscemodi confessione, circa horam tertiam in vigilia memorata, eucharistiæ ad se delatæ obviam plantis nudis, cilicio, tunica et cuculla vestitus, processit a lectulo. Ante ipsum quoque tremendum divinumque sacramentum genua flectens, et suppliciter adorans, diutius oravit, commemorans infinita beneficia Salvatoris humano generi impensa, illique gratias inde referens, ac se B nimis culpabilem, ut dicebat, ejus misericordissimæ pietati commendans, ipsius denique patrocinium et auxilium usque in finem sibi affore, nec se unquam deserere flebiliter imploravit. Refectus denique vitæ æternæ dapibus, et extrema unctione in peccatorum remissionem delibutus, gratias egit Domino, dixitque nobis : « Jam medicis et morbis nostris, ut poterit, conveniat, de utrisque amodo erit in pectore nostro cura minor. Ei me commisi, illum suscepi, ipsum tenebo, et ipsi adhærebo, cui adhærere bonum est, et quem tenere beatum est. Quem qui suscipit, et cui se qui committit, validus et tutus est. »

Admonitus autem postea, dum languor ingraveseret, ut etiam testamentum de more conficeret, ait : « Tædet me sane hujus consuetudinis jam passim in Ecclesiam traductæ. Nam quoad animum meum, nihil omnino aut possedi unquam, aut possideo nunc quod censerem meum, et non potius esse Ecclesiæ quam regebam, proprium. Attamen, ne fiscus solito rapiat, si quid bonorum temporalium, post meum obitum in episcopatu fuerit derelictum, jam nunc universa quæ videor possidere, indigentibus eroganda delego Domino nostro Jesu Christo. » Accitisque decano et duobus Ecclesiæ suæ archidiaconis, quæcumque in possessionum suarum facultatibus reperiri poterant, eorum provisione dispertienda ipsis contradidit. Post hæc orarium suum (*i. e.* stolam sacerdotalem) jussit afferri, quod cervici appendens anathematizavit illos omnes, qui de rebus suis aliquid fraudulenter supprimere, vel auferre violenter, D liberamque facultatem exsequendi, quod jusserat, prædictis exsecutoribus denegare temassent.

Post susceptum vero munus extremæ unctionis, crescente in dies æstu febrium, duobus continue mensibus lectulo decubans, quotidiana pene, et quamregem electum Angliæ.

(347) Henricus Junior et Richardus, uterque rex Angliæ, ille vivo adhuc, hic mortuo Henrico patre. Gaufredus ex comite dux Britanniæ, etiam Henrici II, regis Angliæ filius.

(348) Joannes rex, qui obiit post multas clades, a Gallis Angliæ illatas anno 1216 mense Octobri.

(349) Willelmus videlicet Blesensis, anno 1203, consecratus in episcopum Lincolniensem qui obiit anno 1206.

(344) Quæ post S. Hugonis obitum evenerunt, et diu duraverunt, clero cum monachis in exsilium misso, et tota fere Anglia bello vastata.

(345) Philippus II, dictus Augustus, anno 1179, in regem Galliæ coronatus, obiit anno 1223 mense Julio.

(346) Fuit illa *Alienordis*, *Alienora*, nunc *Eleonora*, quæ facto divortio cum Ludovico rege Philippi prædicti patre, anno 1152, in Anglia in maritum duxit Henricum tunc Northmanniæ ducem, deinde

doque sæpius in die confessione repetita, levissimos cogitationum motus ac verborum excessus, si quando anxianti eveniret ministrantibus indignari, purgare festinans. Orationi mens ejus semper intendebat. Divinum officium utroque tempore, noctis videlicet et diei, studiose curabat horis statutis exsolvere, nec horas propter accessionem æstus febrilis aut prætermittere patiebatur, aut prævenire. Psallebat et ipse, cum vires suppetebant, cum psallentibus. Neglectim seu properanter legentes aut psallentes terribili mox voce aut sonitu castigabat. Utriusque rei summa ei cura tota semper ævo præcedenti fuit, ut distincte et debito tempore Creatori persolveret laudes constitutas. Vicissitudinem etiam standi et sedendi (350) inter psallendum, quandiu valuit, et ipsemet observabat, et clericos suos observare compellebat, ut, dum unus sedendo fatigata membra reficeret, alius stando divinæ et angelicæ præsentiæ reverentiam exhiberet. Cum magnis interesset nobilium conventibus aut decidendis causarum litibus, sicut aliis moris est ad formandas interlocutorias interdum secedere, ita, cum exigerent momenta lucis, ipse divertebatur ad canendas horas consuetas. In dedicationibus ecclesiarum, et in celebrationibus ordinum mos ei non dissimilis fuerat.

Venit autem rex (351) invisere ægrotantem, cui ille nec modice visus est quidem assurgere vel assidere, cum necdum vires ei deessent adhuc ad sedendum in strato suo, dum alimenta percipiebat. Rex ei compatientissime loquebatur, exponens ei se ipsum et sua ad beneplacitum ipsius exsequendum. Illo autem, exclusis omnibus suis, ante jacentem diutius sedente, et blandis sermonibus multa prosequente, episcopus fere nihil referebat auditis. Res tandem suas et testamenti sui exsecutores cum tota pariter Lincolniensi Ecclesia protectioni regis commendans, ipse valefecit. Desperaverat jam profecto de manèria ipsius, quamobrem pauca ei loquebatur, ne perderet pulchros sermones suos.

Metropolitanus quoque ipsius, (352) jacentem aliquoties visitans, quidquid humanitatis et benignitatis esset, ei pro viribus se exhibiturum pollicetur. Cui ad postremum suggerenti, ut, si quem forte verbo aut facto minus justo irritasset vel læsisset, veniam ab offenso petere meminisset, ac demum profitente quia suos sæpius et frequenter animos acerbissime provocasset (qui tamen pater spiritualis et primas ejus haberetur), unde cordis pœnitudo, veniæque necessaria videretur postulatio, ita respondit : « Sane, dum conscientiæ nostræ abdita revolvo quoque, quia vos sæpe ad iras provocaverim, evidenter invenio, quid tamen inde pœnitendum sit mihi, non perpendo. Sed, quia sæpius et instantius hoc ipsum non egerim, mihi dolendum scio. Sed crebrius solito, si diutius vobiscum vita ducenda restaret, id ipsum me facturum sub oculis cuncta inspicientis Dei firmissime propono. Memini namque quia, ut vobis morigerarer, ea quæ vobis tacere non debuissem, quæque a nobis, si dicerentur, æquanimiter non audirentur, me sæpenumero ignaviter suppressisse, sicque mea culpa vestram potius quam Patris, qui in cœlis est, offensam declinavi. Ex qua accidit quod non solum in Deum (unde indulgentiam supplex inquiro), sed in vestram quoque paternitatem et in primatum vestrum, nec leviter, nec episcopaliter deliqui. »

CAPUT XXIV.

Qualiter magistro fabricæ Lincolniensis Ecclesiæ de facienda præparatione contra generale colloquium ibidem in brevi futurum injunxit, et qualiter ea descripsit quæ circa ejusdem exsequias et sepulturam voluit observari, et qualiter se habuit ad suasionem de esu carnium sibi factam.

Postmodum imminente sibi jam post dies quindecim (353) lucis hujus die suprema, Gaufrido de Voires, nobilis fabricæ constructori (quam cœpit a fundamentis in renovanda Lincolniensi ecclesia erigere Hugonis magnifica erga decorem domus Dei dilectio) talia eidem est locutus : « Quia dominum regem cum episcopis, totiusque regni hujus primoribus, Lincolniam in proximo ad generale colloquium (354) conventuros accepimus, accelera, et cura singula, quæcunque necessaria sunt ad decorem et ornatum circa altare domini ac patroni mei S. Joannis Baptistæ, perficere, quod etiam per fratrem nostrum Roffensem episcopum (355), cum eo una cum cæteris advenerit episcopis, volumus dedicari. Nam et nos ipsi denuntiati tempore colloquii illic præsentes erimus (356). Optabamus sane nostre illud ministerio consecrare, sed, quia Dominus aliter disposuit, volumus, ut prius quam illuc perveniamus, occasione omni remota, consecretur. » Hæc ipse verbo et aliis quibusdam repetiit, dans in mandatis servientibus suis cunctisque majoribus Ecclesiæ suæ personis, ut vel in extremis obsequiis, quantam possent, deferrent honorificentiam, non solum regi, sed et episcopis, aliisque amicis suis Lincolniam adventuris.

Urgere interea eum languor vehementissimus cœpit, et geminatis quotidie paroxysmis in solida ejus

(350) Secundum antiquum ordinis Carthusiensis consuetudinem, quæ etiam nunc observatur in ordine.

(351) Joannes, de cujus *Maneria*, id est, ni fallor, moribus et ingenio, S. Hugo dubitare, imo desperare cœpit. Joannem tamen regem finaliter salvatum colligitur ex visione, quam recitat Raynaldus in Annal. ad annum 1226, fol. 333.

(352) Hubertus nempe archiepiscopus Cantuariensis, quem sæpius, et hic, et alibi, Hugo corripuit, nec corripuisse doluit.

(353) Circa festum igitur Omnium Sanctorum mandavit, quæ sequuntur architecto. *Item ecclesiæ suæ capitulum*, ait Giraldus Cambrensis, pag. 419, apud Whartonum, *pariis lapidibus marmoreisque columnis miro artificio renovavit*, etc. quæ ibi sequuntur.

(354) Qui an generale hoc Lincolniam venerint colloquium, indicatur infra c. 27.

(355) Erat is Gilbertus de Glanvilla, de quo dictum in nota (277) ad c. 17 hujus libri.

(356) Præsens adfuit, non corpore, sed spiritu, imo et corpore, summo cum honore sepulturæ traditus.

membra flebile sæviebat incendium, vitalia et internorum medullas dysenteria exhauriebat. Unde diebus aliquot ante obitum suum, quæcunque ante exsequias et sepulturam suam voluit expleri, nobis iterato insinuavit documento. « Cineres (357), inquit, solemni ritu benedicendo præparate, quos in crucis modum spargetis super locum terræ nudæ, in quo ponetis me, cum instare videritis horam supremæ expirationis meæ. Cilicium enim, more quorumdam, in ordine nostro migrantibus, nequaquam substernitur. Eo quippe quilibet moriens apud nos contentus est quo pridem vivens usus et indutus fuit. » Hoc quidem loquebatur cilicio et tunica indutus cuculla quoque supervestitus. His involutis potius quam indumentis nullo ægritudinis suæ momento caruit. Non ardor febris, non corporis tantus sudor aliquid horum ei detraxit. Cilicium bis aut semel mutari sibi vix permisit, quod sudore quasi luto concretum et restis more contortum, inter corpus et tunicam ejus, ex laterum frequenti conversione reperimus, et quod etiam cutem ei enormiter abrasisse, nescio quot in locis, deprehendimus. Et, quia novimus apud Carthusienses plurimum infirmis cilicia (358) ex consuetudine tolli, dicebamus ei : « Domine, lædit vos nimium et exulcerat in continuis jacentem sudoribus hispida vestis hæc. Oportet ergo vos illam exuere, et ea juxta morem ordinis, dum ægritudo infestat, penitus carere. » Ad hæc vero ille dicebat : « Nolit Deus, et absit istud ne fiat ! non enim lædit, sed lenit nos vestis hæc; nec tam ulcerat quam juvat. »

Præcepit quoque scriptori præsentium, dicens : « Scio quidem nec episcopum quemquam nec abbatem in his locis reperiendum, qui debitum commendans officium educendæ de isto carcere animæ meæ valeat impendere. Universos namque hujus terræ prælatos edictum generale protraxit Lincolniam. Mittes igitur pueros cum equis ad Westmonasterium (359) qui deducant inde septem vel octo monachos, ut celebrent vobiscum exsequias nostras. Ad decanum nihilominus Sancti Pauli (360) verbis meis mittes, et mandabis illi quatenus ex clericis chorum frequentantibus copiosam huc dirigat multitudinem. Ita mihi siquidem speciosas persolvetis exsequias.

« Cum vero tempus fuerit ut corpus exanime pontificalibus induatur ex more vestibus, sociabis tibi (361) unum ex sacerdotibus regularis habitus, qui tecum totum funus diligentius abluat et abstergat. In ecclesia namque matris sanctæ Dei Genitricis (362) non procul ab altari S. Joannis Baptistæ habeo sepeliri. Quamobrem exuvias corporis hujus mundissimas oportet exhiberi, quas sudor tantus multo jam squalore infecit. Cave ne hac in parte quævis obrepat negligentia, qua loci reverendi dehonestetur dignitas sacrosancta. Frater Petrus, conversus noster, lympham subministret abluentibus, et præter vos trino in numero hoc mihi munus exhibentes, nullus omnino alius, ubi hæc fient intersit.

« Cum autem ad ecclesiam Lincolniensem perlatum fuerit corpus meum, proferetis e scriniis nostris, quæ ibi sunt, omnia vestimenta, in quibus pontificalem suscepi consecrationem, a sandaliis usque ad mitram, funusque sepeliendum eisdem omnibus induetis. Sunt namque, plana, nec ambitiosa, quæ in usus istos hactenus conservavi. » Annulis quoque suis ei præsentatis, unum modici ponderis, aureum tamen, habentemque saphyri aquatici gemmam viliorem, contradidit nobis, « istum, inquiens, dum episcoparer, digitus noster excepit, et istum, dum sepeliar, dextera hæc retinebit. Prospeximus nobis in hoc tunc, cum ad gradum istum accessimus, ut ordinatio et humatio nostra eisdem insignibus donarentur, quæ videlicet viventem, eisque utentem, humilitatis admonerent, et circa tandem exstinctum et tumulatum, hæc fortuito quempiam reperientem, ad rapiendum ea sui pretio vel specie minime provocarent. « Eo igitur hæc prosequente, audientibus significatum est quod post sepulturam primam ipse corpus suum transferendum (363) quandoque, ac proinde inspiciendum esse præviderit, quandoquidem primitus in sepulcro duplici, plumbeo scilicet ac lapideo, utroque solidissime obserato recondendum, nec videre illud quispiam, nec sua sibi ornamenta præripere valuisset. Ipsum vero sepulturæ suæ locum ita designabat : « ante aram, inquit, sæpedicti patroni mei præcursoris Domini, ubi congruentius videbitur spatium, secus murum aliquem ponetis me, ne pavimentum loci tumba, ut plerisque in ecclesiis cernimus, importune occupet, et incedentibus offendiculum præstet aut ruinam. »

Cum vero durius vexaretur doloribus immensis hujuscemodi sæpius verba repetebat : « O pie Deus, requiem præsta nobis ! Bone Domine, Deusque verax, dona tandem nobis requiem ! » Cui semel ita eum consolantes diximus : « Jam, Domine, quiescetis; tactus nempe pulsus vestri finiri nunc innuit accessionem istam ; » Ad hæc ille : « O vere, inquit, beatos illos, quos vel extremi dies judicii requie donabit inconcussa ! » Ad quem vicissim dicentibus

(357) Etiam nunc, dum ægroto datur extrema unctio, apud Carthusianos benedicuntur cineres et hinc inde super lectum et corpus infirmi sparguntur.

(358) De consuetudine hac nihil constat, posse tamen tolli cilicia prævia dispensatione permittunt statuta.

(359) Monasterium est constructum in occidentali Londoniæ urbis parte sub titulo S. Petri, de quo Mabillonius tom. I, Annal. p. 285.

(360) Ecclesia cathedralis ad orientalem dictæ urbis partem, an in ea aliquando fuerint monachi, dubitat idem Mabillonius tom. proxime citato.

(361) Ex hic colligat lector, quem erga auctorem vitæ habuerit S. Hugo affectum, dum ei, non solum arcana conscientiæ, sed et corporis post mortem abluendi curam commisit.

(362) In cathedrali videlicet Lincolniensi

(363) Translationem factam anno 1280 refert Surius in fine Vitæ hujus sancti, corrigendus in eo, quod hunc annum a beati Hugonis obitu vocet octuagesimum sextum.

nobis : « Hujus diem judicii illam, volente Deo, habebitis, qua istius carnis sarcinam deponetis. » Ille econtra : « Non recte, inquit, sentitis. Non enim judicii, sed gratiæ et misericordiæ dies erit, qua ego defungar. »

Stupori præsentibus magnæque fuit admirationi inter multiplices cruciatus violentissimarum ægritudinum invicta semper animi ejus fortitudo. Ita enim se in lectulo, cum vellet, in latus aliud se girabat, ita robuste incedens, cum secederet a lectulo, quo erat necesse, ibat et redibat, ut congressum quemdam et conflictum cum infirmitate corporis virtus animi ejus inisse putaretur. Hinc et dicebant medici, hujus gestus intuentes : « Vere spiritus hominis istius sustentat infirmitatem ejus. Vere cum Apostolo insultare potest iste corpori mortis hujus, et dicere : « Quando infirmor, tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XII, 10), » Vox quoque ita succo plena, virilis, ut, licet submissior, subtilior tamen solito non satis audiretur. Lectionem post martyrologium de Joannis Evangelio ipsa quoque die, qua decessit, propriæ vocis sonitu ita terminari fecit, ut die crastino ibi coram funere ejus ad missam inciperet legi Evangelium, ubi pridie nutu ipsius textus Scripturæ ejusdem desiit recitari. Quod, postquam advertimus, utpote eo minime procurante, accidisse, glorificavimus Deum, qui pulchro miroque ordine omnia ejus opera vitamque totam usque in finem semper dirigebat. Locus etiam Scripturæ summæ dulcedinis præsagium ipsa rerum serie, quæ gestæ fuerant, manifeste præferebat. Erat namque familiari confabulatione Salvatoris nostri et Marthæ ante suscitationem fratris ejus Lazari, quæ ita contexitur : « Dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus (*Joan.* XI, 32), » etc. Cum enim alias canonicas Scripturas temporibus statutis, tum ad matutinas, tum ad missam suam, annuatim relegi instituisset, quatuor evangelistarum totidem libros (364) post primam diei horam, præmisso capitulo martyrologii, quatuor anni temporibus perlegi faciebat. Has enim lectiones etiam, cum equitando iter ageret, nullatenus omittebat.

Hortatus vero est eum quidam ex amicis suis, ad explendam peccatorum, quantum sciret, sufficientem confessionem, ita dicens : « Quia, Domine, sicut ipse melius nostis, efficacior Deoque gratior est illa confessio quæ specificat singillatim omnia, quam illa quæ sub quadam generalitate includit singula, et vos multo tempore ordinarius, nec non et delegatus judex, plurimorum exstitistis (quantum memoria recolit), satagite confiteri, quos, vel quot, ob privatum amorem sive odium promoveritis, ut assolet, in negotiis suis, aut depresseritis, minus A videlicet utendo legitime judiciaria potestate. Ad hæc ille verbum protulit, quod pluribus audientium gaudio pariter et miraculo fuit : « Odio, inquit, aut amore, sed nec quidem spe vel timore, personæ seu rei cujuscunque, nunquam a veritate judicii me scienter exorbitasse memini. Si judicando deviavi a recto, hoc propriæ ignorantiæ, aut certe assidentium, crimen fuit. »

Nec prætereundum inconsulte videtur quod vir, totius semper vanitatis et superstitionis adversator, gustum potius carnium in extremis hujus ægritudinis quam esum pro bono obedientiæ nequaquam repudiaverit. Suggerentibus nempe amicis, et medicis asserentibus quia hieme transacta facilius curaretur, si cibis esculentioribus affectum jam corpus, et B quartanis algoribus post alias febres congelascens, foveri permisisset, jussit archiepiscopus, et in remissionem peccatorum injunxit ei, ut in tali quoque diæta consilio medicorum parere debuisset. Ille vero præscriptum objiciens ordinis Carthusiensis (quo in commune omnibus morbidis, sanis et moribundis, esus carnium (365) inhibetur) id sibi illicitum fatebatur. Sed, ne multis immoremur, ad petitionem demum clericorum suorum, de mandato quoque et sedula monitione Cantuariensis archipræsulis, susceptis per dominum Robertum, tunc quidem procuratorem, ac paulo post priorem in Withamia, ac fratrum ejusdem loci hortatoriis epistolis, ut suo incunctanter archiepiscopo in hac ejus jussione pareret, carnes ab adolescentia sua usque tunc nulla C occasione a se prælibatas in cibum sumpsit. Dicebat vero nobis : « Sciatis quia nec desiderio nec remedio nobis aliquatenus esse poterit adeo persuasus iste carnium esus. Verumtamen, ne tot venerabiles viros scandalizemus, imo ne ab illius vestigiis vel in morte jam positi recedamus qui factus est obediens usque ad mortem, dentur nobis carnes. His enim nunc demum pro fraternæ dilectionis condimento libenter vescemur. » Sciscitantibus autem medicis quibusnam carnibus vesci placuisset, ita respondit : « Suillis, si vobis videtur, pedibus, quos infirmantibus a sanctis quondam Patribus legimus fuisse concessos. » Hos igitur appositos, vixque primis dentibus attactos jussit amoveri. Similiter de minu- D tis volatilibus minimum quid gustavit (366).

Solebat etiam, dum fuisset incolumis, quosdam viros religiosos, et maxime rectores cœnobiorum arguere, qui præter consuetudinem regularem fratribus suis a carnibus omnimodis dicerent abstinendum. Meminimus enim eum cuidam abbati abstemio talia quondam dixisse : « Tu, inquit, frater, a quo solatium et exemplum sumere debent subjecti tui, propter abstinentiam istam extraordinariam in

(364) Nunc annis singulis leguntur a Carthusiensibus in capitulo post nonam canonicam diebus festivis, inter Pascha et festum Omnium Sanctorum occurrentibus.

(365) Ab exordio sacri Ordinis, non ex præcepto, sed ex consuetudine cui anno 1259, accessit publica renuntiatio, et tandem, anno 1368, pœna in transgressores decernitur.

(366) Obedientia coactus eo adhuc tempore quo ordo nondum solemniter renuntiaverat esui carnium.

utroque peccabis in eos. Tu ipse quoque non delicias resecabis tibi, sed mutabis, et in hoc quidem vanitatis crimen et superstitionis non facile evades. Tibi enim ab officialibus tuis, aut legumina peregrina, aut pisces carnibus pretiosiores; et vice sagiminis varia condimenta, pigmentis et caris confecta rebus, parabuntur. Hoc discent exemplo subditi vestri apposita sibi fercula rejicere, et commentis coquorum novis semper inhiare. Qui vero nihil horum voluerit, aut valuerit quærere, dum funditus apposita, quæ carnes tetigere, respuit, stomacho male confortato a mensis recedet. Quod dum sæpius egerit, primo insomnietas, deinde mentis torpor, ac postremo totius corporis imbecillitas, jam ad omnia spiritualis vitæ exercitia invalidum possidebit. Quale vero solatium a te recipere illi sperabunt, qui diutino affecti tædio, nunquam mensæ tuæ consortium, quidquam sibi recreationis allaturum certissime sciunt. Nam, quod ego carnibus non utor, non tantum mei arbitrii est, quantum decreti ordinis, cui semel cervicem subjeci. Quamobrem etiam in leges suas ordo noster pauciores colligit, quia id quod ille instituit, varie complexionata multitudo non capit. Vos e diverso, qui multitudinem regere suscepistis, sicut moribus multorum servire juxta legislatoris vestri sententiam debetis, sic et multiplicibus eorum infirmitatibus condescendere, et necessitatibus providere habetis. » Et hoc quidem ille dicebat.

CAPUT XXV.

Qualiter ab hac vita discesserit. — Et continetur hoc capitulum in magna Vita sub capit. 16.

Sed jam, quæ restant, de boni doctoris nostri recessu a nobis, ut cœpimus, explicemus. Pridie quam migravit a corpore, ut frequenter singulis prius septimanis consueverat, viaticum percepit corporis et sanguinis Christi. Sexto decimo Kalend. Decembris feria quinta (367), jam die advesperascente, cum sentiret sibi vires magis magisque deficere, misit quosdam ex servientibus ad priorem Westmonasterii, et alios etiam ad decanum Sancti Pauli, pro accersiendis, sicut pridem jusserat, clericis et monachis in obsequium funeris sui. Post hæc imposita diutius vertici nostro dextera sua commendavit nos et universos filios suos Deo, voce sua pene suprema. Nos autem percepta benedictione illius, diximus ei tertio, antequam verbum aliquod ex ore eius elicere possemus : « Rogate Dominum, ut pastorem Ecclesiæ vestræ provideat ei profuturum. » Ad quod tandem ait : « Deus id faciat! »

Iis ab eo dictis, nudari fecimus pavimentum coram eo, et crucis effigiem sparsis ibidem cineribus benedictis expressimus : Quos ille digitis econtra benedicens, capite demisso adorare cœpit. Tunc licet ab ore ejus satis invite tali hora secederemus, ne tamen minus plene die ultima divinum ipse audiret servitium (cui adeo diligens studium omni vitæ tempore consueverat exhibere), hymnos, qui ad completorium dici solent, cœpimus decantare. Cumque ad illum psalmi locum veniretur, ubi dicitur : *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum* (*Psal.* XC, 15), illo ita fieri monente, expositus est ad cineres (368) in medio cinerum impositus. Psallentibus nobis festinantius, ille vultu placidissimo spiritum sensim colligebat, quem tunc in manus Conditoris tradidit, cum Simeonis canticum psallentium chorus recitare incœpit. Sicque tam prophetico quam evangelico claruit testimonio, quia tam crebro, ut prædiximus, rogantem sibi dari pacem Dominus exaudivit. Probatum quoque, et illud verissime est, quod ipse prædixerat, quia dies defunctionis suæ, non sibi foret dies judicii ipsum qualibet amaritudine percellentis, sed dies potius misericordiæ, omne delictum clementer ignoscentis, et dies gratiæ leniter in pace ipsum refoventis, præstante eo qui misericordiam et veritatem eum diligere in omni vita sua dedit, Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit Deus benedictus in sæcula. Amen.

Hic in serie magnæ vitæ inseritur comparationis similitudo multiplex nostri Hugonis ad beatum Martinum : quæ pro vitanda prolixitate in præsenti abbreviatione est omissa. Et de illa similitudine multiplici sumptus est versus ille :

Martini felix imitator, cultor et hæres.

CAPUT XXVI.

De visione cadentis arboris, ex qua sumpta est illa antiphona : Arbor cadit mystici index sacramenti, etc. *Et est hoc capit. in magna Vita, cap.* 18.

Anno igitur gratiæ millesimo ducentesimo sexto octavarum beati Martini die (369), brevi intervallo post solis occasum, veri Solis imitator et amator Martini, Lincolniensium lucerna Hugo, luci hujus sæculi valefaciens, Solem adiit qui nescit occasum. Nocte vero illa quam ipsius transitus proxime sub-

(367) Iis consonat Hovedenus apud Pagium in criticis ad Baronium, pag. 708, ita scribens : *Mense Novembris* XVI *Kal. Decembris feria quinta obiit Hugo Lincolniensis episcopus Lundoniis.* Obiit igitur S. Hugo die 16 Novembris, quæ anno 1200, in feriam quintam incidit, non sequenti die, qua illius festum recolitur. Hujus ratio petenda est ex consuetudine ordinis Carthusiensis, qui jubet, ut hodie sub aut post completorium mortuus, non die, qua obiit, sed sequenti, libro anniversariorum inseratur.

(368) Juxta antiquam ordinis consuetudinem, de qua in statut's Guigo quintus Carthusiæ prior hæc habet : *Ad morientem festinat prior, vel cui ipse ejunxerit, depositoque eo super benedictum cinerem letaniam, prout res patitur, longam vel brevem facinnt,* consuetudine hac nunc ob periculum accelerandi mortem sublata, adhuc cineres, ut ante præmisi benedicuntur, sparguntur, et Litaniæ leguntur.

(369) Festum S. Martini anno 1200, incidit in Sabbatum, et sexta octavarum dies in feriam quintam; unde confirmata nota 367, in præcedenti capite posita.

secutus est, certo quodam imminentis casus præsagio, suprema clementia cuncta pie disponente, qui eorum (370), qui secum positi erant, hæc visio præostensa fuit. Quam ille mane facto sociis manifestans, ea quæ in solemnes exsequias opus erant sollicitius studuit præparare, medicis, qui aderant, cum subsannantibus et objurgantibus : nam physici sanitatem ei usque in horam ultimam vitæ, vitamque spondebant longiorem. Est autem hujusmodi visio. Videbat et ecce in viridario quodam parieti domus contiguo, in qua jacebat episcopus, putabat se constitisse. Eratque loci hujus situs a parte boreali, et ab occidua regione domorum septis claudebatur, ab oriente cingebatur, et ab austro, fossato, cui ex parte altera pomœrium, et ex altera cœmeterium adjacebat. Ipsum quoque fossatum dumis et vepribus succrescentibus obsitum erat. Ab ipso igitur parietis loco, ubi capsa lectuli episcopi decumbentis erat innexum, pirus proceritatis et pulchritudinis nimiæ et immensæ, longe ultra illius viridarii spatium porrecta videbatur corruisse : cujus vastum decorem decoramque vastitatem ille vehementer admirans, talia intra se cogitando tractabat : « Quis unquam tam pulchram aspexit pirum? o quanta nobilis materiei jactura erit, si hoc in loco abdito putrescat speciosissima arbor ista, ex qua dipticæ (371) tot possent excidi, quod totius Angliæ sive Galliæ studiis scholasticis quivissent sufficere. » Dum hæc secum sopitus corpore, sed corde sollicitus, ille pertractat, supposuisse lacertos stipiti jacenti repente se videbat. Cujus dum molem leviter agitando pertentat, totum confestim lignum, summa facilitate ab imo sublevatum in brachiis, quasi ponderis nihil penitus haberet, hucque illucque a se circumferri miratur. Interea subito ramusculi ejus ab ipso stipite decideruntque ; ipse vero medius vectis, planus atque enodis in gestantis ulnis permansit. Cujus rei miraculo ille stupefactus pariter et jucundatus, et sopore mox deposito, hujus cordi suo impressam visionis reperit conjecturam, ut etiam labiis et ore talia secum loqueretur : « Revera in brevi moriturus est homo iste : ipsum enim demonstravit arbor hæc fructifera et pulcherrima. » Et talia quidem iste de sacramento visionis suæ se ad præsens intellexisse mane retulit illis, quibus referre dignum duxit, ex sociis.

Quid vero facilis illa arboris sublevatio prætendat, non prius aliquis agnovit quam ille qui ista de vita illius atque virtutibus, accurtato licet, facili tamen stylo, digessit? Quæcunque enim libellus præsens de verbis aut gestis excerpta continet, ita præ magnitudine virtutum et operum viri sancti æstimanda sunt, ut frondes exiguæ facileque deciduæ ad vastissimæ arboris conferri putentur robur immensum. « Sed neque ad ea, quæ memoria ista scribentis inseparabiliter de magnalibus tanti viri inserta, ejus semper pectori cohærentia circumfert, nec hæc ipsa quæ membranis tradidit aliter valent comparari, quam si levium sarmentorum fasciculos contiguis cœlo abietibus cedrisque sublimissimis quis duxerit conferendos. »

Hic in serie magnæ Vitæ ponuntur duæ aliæ visiones, sive revelationes Hugonis gloriæ astipulantes : quibus incidenter interseritur visio, quam habuit ipsemet apud Laffordum existens de fratre Morino, eleemosynario suo apud Stobe portum decedente.

CAPUT XXVII.

De corporis defuncti præparatione, exsequiarum, ut descripserat, celebratione, ejusdem apud Lincolniam delatione, miraculorum in itinere contingentium recitatione, et de occursu regum et aliarum sublimium personarum. Et est in serie magnæ Vitæ sub capit. 19.

Jam vero ad ipsius funerationem revertendum est. Igitur, prout docuimus, postquam sub pacis cantico, pacis amator Hugo in pace in idipsum obdormiens requievit in Domino, paucis suorum astantibus, commendationis officium ei parvitas nostra, qua potuit, devotione exsolvit. Hinc ad lavandum, sicut ipse disposuerat, corpus ejus manus apposuimus indignas. Quod, ubi nudatum est, supra quam credi potest, mundum et multo nitore conspicuum apparebat; ablutum vero et diligenter extersum pontificalibus induimus insigniis. Interea reversi, quos ipse, ut diximus, ad celebratores exsequiarum suarum accersiendos destinaverat, septem vel eo numero plures monachos, copiosam vero clericorum deduxerunt multitudinem (372). Ab his tota ipsius noctis spatia in hymnis et canticis spiritualibus expenduntur. Posito in Ecclesia sacro corpore, et illis per cyrum votivas excubias celebrantibus et frequentantibus, celebratis in crastino missarum solemniis (373), consilio medicorum (cum id penitus fieri non oportere alii sentirent, et assererent) extra a corpore ejus, quoniam longius ad sepelienta portari debuit, auferuntur. Quæ in eadem ecclesia Beatæ Mariæ ad vetus templum in vase plumbeo recondita (374), et secus altaris crepidinem sub lapide marmoreo honeste reposita, gloriosum redivivi corporis sui templum expectant, sub maximæ resurrectionis tempore feliciter subeundum.

Hæc autem, licet inaniter et superflue, quoad

(370) Ipsi, ut videtur, auctori, dum infra subdit : *Non prius aliquis agnovit quam ille qui ista de vita illius digessit.*

(371) Dipticæ, id est *Diptycha*, seu tabellæ in usum scribarum.

(372) Advenit illa monachorum et clericorum multitudo a Westmonasterio et ab ecclesia S. Pauli, uti S. Hugo, c. 24, petierat, illa ipsa die qua obiit sub completorio.

(373) Die videlicet 17 Novembris, qua elapsa, die 18 ejusdem mensis versus Lincolniam transfertur ibidem tumulandus, quo die 23 ejusd. jam dicti mensis pervenit. Unde Hovedenus apud Pagium in Critic. p. 708 ad annum 1194, ita scribit : *Mense Novembris* XVI *Kal. Dec. feria* V, *obiit Hugo*, etc. Et addit : *Corpus ejus* IX *Kal. Decembr. Lincolniis delatum esse, ibidem tumulandum.*

(374) Consolatur nota 342 ad c. 23.

hominum prudentiam, gesta fuisse ipsis visceribus mox patefactis claruit; divinitus tamen, ut ita fieret, dispositum exstitisse ad gloriam Dei, qui semper est in sanctis admirabilis, ad honorem quoque ejusdem servi sui, varia post hæc ratione innotuit. Et quidem tunc, ubi manu chirurgica ipsa intraneorum secreta patuerant, inventa sunt illa nihil superfluæ collectionis, nihilque prorsus concreti, ut assolet, humoris intra se retinentia continere, sed tali quodam purissimo nitore perlucebant, ac si plurima hominis diligentia abluta essent, et undique purgata. Erat profecto istud mirabile in oculis intuentium, sed apud quosdam levigabat pondus miraculi, cum abstinentia temporis tanti, vis dysenteriæ, qua diebus aliquot ante mortem vexatus, ejus impetu credebatur ita potuisse funditus exhauriri. Quod tamen, qualitercunque factum sit, hoc dicere veraciter licet, quia exterius quidem lacte candidior, intus vero et extra vitro purior corpore quoque monstratus est suo similis Martino, ut et merito ipsi dici debeat in hac etiam parte « Gemma sacerdotum. » De cujus mirabili decore inferius loco competenti plura dicentur.

Conditum autem multis aromatibus, a dormitionis suæ loco Lincolniam eum ad sepeliendum cœpimus transferre (375). Non est autem necesse, quia nec possibile nobis foret, fletus et gemitus occurrentium undique describere populorum. Civitatis enim Londoniæ clerus et populus procul extra urbis mœnia cum crucibus et cereis feretrum prosecuti sunt. Obitum vero per agros et villas, uterque sexus, omnisque conditio gradus et ordinis cujuscunque, ubi audiit, in fines suos venientibus obviam confluebat sacri funeris portitoribus. Tetigisse feretrum palma suprema fuit. Quibus id negabatur præ constipantium turbarum multitudine, vel eminus adorasse, et conspexisse non vile ducebatur trophæum. In ipso itinere per juge quatriduum, uno quotidie repetito, vel potius continuato miraculo, sanctum suum mirificavit Dominus. In manibus siquidem puerorum equitantium cerei quatuor jugiter ardebant; quos in morem facularum sub die expositos, nec ventorum spiramina, nec interdum guttis densioribus rorantia nubium stillicidia, exstinguere prævalebant. Pueri nunc ab equis descendentes, nunc cum vehementi impetu sellas vacuas rescendentes, cereos tenebant : quos ignis inter hæc non deserebat. Stupebant, et præ admiratione in voces exclamationum prorumpebant hæc intuentium multitudines, asserentes nec inter manus clausum lumen a se teneri posse inexstinctum, ubi hi nullo tecti velamine, sed Dei solius freti virtute, flagrare non cessabant cerei, naturam propriam degliscente per merita sancti qualitate elementi triplicis. Flatus quippe aereus, humor aquaticus, et splendor igneus, triumphanti Christi militi mira dependebant obsequia. Præter sacratiores vero aliorum de tantis operum Dei magnalibus sententias, hanc interim simplicium fidei commendasse sufficiat, quia non immerito ipse sanctus tam jucundo luminis honore decoratus apparuit, qui, ad decus matris veri luminis perpetuæque Virginis, consueta Ecclesiæ ipsius luminaria, adjectione admodum numerosa, cumulavit. Lincolniensi namque thesaurario amplos in hoc ipsum assignavit redditus ut ampla tantæ ædis immensitas, parietibus prope nudum, inter nocturna officia cereorum micaret fulgoribus, ut interdiu radiis renitescebat solaribus.

Prima igitur in corporis deportatione versus Lincolniam cum monachis Bedefortensibus mansio fuit. Crepusculo diei secundæ, postquam iter aggressi sumus, ad villam episcopi Lincolniensis Bikelesuade (376) nuncupatam, devenimus. Ubi, dum circa feretrum plangentium accolarum se turma conglomerat, in ipso ecclesiæ introitu, in qua per noctem illam venerabile corpus quiescere debuit, hominis cujusdam brachium ita confractum fuit ut crepitum ossis patientis fracturam illi etiam, qui remotius constiterant, clarius audirent. Erat autem nomen viri, qui etiam adhuc superesse dicitur, Bernardus. Quem sui ab ecclesiæ foribus semianimem rapuerunt, et ad domum propriam delatum usque in manc patientiæ operam dare jusserunt, tuncque ei subveniendum pollicentes ope medicorum. Sic ergo cum esset, nec saltem colligatus, nec quovis medicamine fotus facturæ adeo molestæ locus, plurimam noctis partem eum in doloribus magnis pertrahere dolor coegit insomnem. Qui demum in tenuem resolutus soporem mox vidit episcopum brachium suum manibus piissimis contrectantem, dataque benedictione a se post paululum recedentem. Cæterum recessu indultæ visionis, collatæ benedictionis virtus non recessit. Evigilans namque a somno, ita penitus, fugato omni dolore, os consolidatum et brachium sanatum invenit, ut præcedentem potius fractionem quam curationem subsequentem, per somnum suscepisse putaret.

Tertia mansio fuit apud Buckedens (377). In his quidem duobus maneriis episcopalibus, tot ejulatibus et lamentis indigenarum excepti sumus, ut meminisse horror, scribere vero labor sit.

Quarta profectionis dieta Staunfordiam (378) venimus. Ibi dum agmine denso frequentia populi stipatur circa feretrum, et hinc virginum Deo sacrata-

(375) Die 18 Novembris, qua die prima mansio fuit apud monachos Bedefortenses, id est in celebri illo cœnobio ad S. Albanum in agro Bedefortensi pridem fundato.

(376) Secunda mansio die Novembris fuit apud villam Bikelsuade.

(377) Mansio tertia die 20 Novembris apud Buckedens, qui idem erit locus, qui supra c. 9 hujus, libri Buggedena vocatu .

(378) Mansio quarta die 21, Novembris apud Stanfordiam, ubi erat cœnobium quondam ord. S. Bened. de quo Mabillonius tom. V Annal, p. 539, ubi quosdam monachos enumerat hujus cœnobii, forte monialium curam habentes, ut in sequenti nota dicetur.

rum e vicino monasterio (379) chorus, inde circumjacentium villarum accolæ, populosis ipsius burgi turbis accrescunt, vix ante profundæ noctis tenebras vicum ipsum ingredi valuimus. Istic vero per merita servi sui tale Dominus miraculum patrare dignatus est, ut hoc mortuorum resuscitationi nemo jure dubitet præferendum. Interfuit tanto occursui quidam vir innocentis vitæ, bonisque per omnia studiis deditus, arte sutoria sibi suæque familiæ victum quæritans. Hic eminus conspectæ glebæ pretiosissimi gestatoris cum accedere niteretur, sed præturbarum densitate nitendo parum proficeret, multis audientibus in voces hujuscemodi prorupit dicens: « O bone Deus, quare non permittor ad optimi servi tui corpus accedere, ut vel fimbriam palliorum, quibus tegitur, osculari merear, vel caput meum indignissimum sacris ejus supponere reliquiis? O Scrutator rerum et cordium, Jesu, Salvator benignissime, in hoc solo desiderium meum adimple, ut feretrum, quod conspicio, corde et corpore prono valeam subire, et sic de hujus mundi colluvione animam meam tolle. » Talia ille clamitans nisibus indefessis, turbis quoque ad clamores ejus attonitis et paulatim secedentibus, immersit se tandem sub feretrum. Quod postquam attigit, et capite submisso adoravit, oculis ac manibus in cœlum erectis in hunc modum orare cœpit: « Gratias tibi ago, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, quia misertus es mei, et in tantum consolatus es me ut, quod in hoc mundo super omnia concupivi, sanctissimo corpori servi tui corpus meum, tot peccatis obnoxium, quivissem adjungere, et ei qui fideliter tibi servivit meruissem approximare. Deprecor te igitur, omnipotentissime Deus, ut in hac nocte animam meam cum anima istius, cujus corpus me adire fecisti, in requie perenni, ubi eam esse non dubito, jubeas collocari. » Iis ab eo ita peroratis, nos cum sancto corpore ecclesiam, in qua pernoctandum fuit, ingredimur; ille vero suos intrat penates, una sola strata interjacente eidem ecclesiæ pene contiguos. Nec mora, irrumpunt vicini illius in ecclesiam, presbyterum turbatis vocibus inquirunt, repertum ad domum viri sumpto secum sacræ communionis viatico celeriter properare compellunt. Quod ille in extremis jam positus, mox, ut percepit, præmissa confessione, percepta absolutione, testamentoque legitime confecto, spiritum in pace emisit.

Habuerat vero sanctus in usu familiari, dum adhuc viveret, ut, cum audiret quosdam intemperantius lugere quemcunque mortuum, inter alia consolationis verba eis diceret: « Et quid est istud, quod agitis? per sanctam nucem (sic enim vice juramenti ad confirmationem verbi interdum loquebatur) per sanctam, inquiens, nucem nobiscum male nimium ageretur, si mori nunquam concederetur. » Miraculosam quoque mortuorum suscitationem laudibus efferebat, sed vivorum ex hoc sæculo miraculose aliquoties factam ereptionem potius attollebat, ut Petri (380) subdiaconi atque notarii beati papæ Gregorii, et cujusdam pœnitentis, de quo agitur in miraculis sancti martyris et episcopi Projecti (381). Plurimorum quoque monachorum, ut legitur in Vita beati Gemeticensium abbatis Archadri (382); nec non et illorum septem dormientium (383) qui fuerant consobrini S. Martini patroni Hugonis nostri.

Sed jam, ut cætera, quæ restant, prosequamur, in hoc loco procuratores nostri laternas corneas emerunt, in quibus per diem candelæ jugiter circa feretrum lucerent. Cerei namque motibus variis equitantium et impulsibus ventorum irruentium exagitati, a facie ignis devorantis nimium defluebant manus quoque et indumenta gestantium continuis distillationibus molestius infundebant. Quintam mansionem nobis Anacastra (384) præfixit. Hinc milliaria bis dena (385) computantur usque ad civitatem (386) qua eramus venturi. Ad quam sexta profectionis diem jam cominus adventantes, cum ad descensum montis uno pene milliario extra urbem accederemus, obvios habuimus, cum inæstimabili multitudine cleri et populi, regem Angliæ (387), et regem Scotiæ (388), archiepiscopos (389), episcopos, principes, abbates, et proceres tot, quot vix unquam in Anglia pariter ante conventum illum contigit inveniri. Rex Scotiæ præ mœrore, quia nimio semper amore dilexerat virum illum, in parte seorsum stans, nec propius accedere valens, lacrymis vacabat, cum sentiret magis esse gaudendum.

(379) De quo in Monast. Anglicano agitur t. I, p. 487, sub hoc titulo: *Stanford in comitatu Lincolniensi domus sanctimonialium S. Michaelis.* In chartis ibidem recitatis nunc *Stanfard*, sed sæpius *Staunford* vocatur, et situm dicitur apud Stanfordiam, subjectumque esse abbati Petroburgensi.

(380) In Vita S. Gregorii Magni a Joanne diacono scripta narratur historia, quam quidam aut rejiciunt, aut de ea dubitant.

(381) Duplex sancti Projecti apud Bollandianos reperitur Vita ad diem 23 Januarii. Sed ex neutra colligere potui quis fuerit pœnitens de ante quo hic agitur, nisi forsitan sit Amarinus Projectum occisus, et martyr effectus.

(382) Hujus Vitam vide apud Surium die 15 Septembris in qua quæ huc spectant leguntur sub Num. 20, 22 et 23.

(383) De his agunt Bollandiani tom. VI Mensis Julii, p. 375, et apud Martene et Durand. tom. V, Collect. Veterum Column. 928. In chronico Turonensi illorum nomina exprimuntur, et dicuntur ex duobus S. Martini fratribus nati.

(384) Quinta mansio die 22 Novembris. Apud Whart. part II Angl. sacræ p. 409. *De juvene quodam de Anacastro in amentiam verso, ad tumbam S. viri* (Remigii) *sanitati restituto*, fit mentio.

(385) Parva utique, si una die peracta.

(386) Lincolniam, ad quam perventum fuit die 23 Novembris, id est, ut ait Hovedenus, IX Kal Decembris.

(387) Joannem pro tunc regem Angliæ.

(388) Wilhelmum ab anno 1165 usque ad annum 1214, regem Scotiæ.

(389) Tres vel quatuor, Humbertum Cantuariensem, Gaufridum Eboracensem, Dublinensem vel Raguensem. Vide Raynaldum p. 49, in Annal. t. XIII.

dum, si rationem vis doloris admitteret. Reliqui magnatum, cum Anglorum, tum Scotorum humeros supponunt oneri non ignobili (390). Nec sibi parum successisse gaudebat, quisquis sua membra illius corpori portando aptare meruisset, cujus merita obsequentium animas et corpora sustollere ad cœlestia, et ab omni clade levare potuissent.

CAPUT XXVIII.

De corporis per civitatem deportatione ejusdem nova præparatione, miraculorum ostentatione, oblationis magnitudine, et versuum subscriptione, Pontificum baculus, etc. *In loco, ubi præceperat, sepelitione. Et continetur hoc capit. in serie magnæ Vitæ sub capitulo* 20.

Igitur dum portando funeri tot se magnorum virorum humeri certatim submitterent, ut nullius personæ in globo tantæ multitudinis delectus esse potuisset, rex tandem et archiepiscopi sive episcopi, ante urbis ingressum pretiosam, quam ferre susceperant, aliis quodammodo diripientibus portandam cesserunt margaritam. Ita, quibus virium præstantior magnitudo feretrum subeundi copiam paravisset, nunc scapulis, nunc manibus illud contingentes, gaudio pleni incedebant. Cumque diutius tali tripudio potiebantur, repente ab aliis explosi, prædam suam novis raptoribus cedere compellebantur. Toto quoque itinere illo usque ad ecclesiam, quod non brevi spatio tenditur, per singula fere momenta novis novi succedebant bajulis bajuli, nec numero pari, sed tot erant portitores, quot machina grabati admittere poterat accedentes. Sed nec alii quam sublimes viri et præeminentes, istis se conflictibus inserere præsumebant. Quin et per plateas ex hiemalium profluvio aquarum, luto altissimo plenas, incedebant, frequenter suras, et sæpe etiam genua, cœno immergentes. Qui accedere cominus non valebant, nummos superjaciebant arcæ, quæ corpus incluserat, protensisque manibus eminus adorantes, sancto sese devotius commendabant. Judæi quoque lugentes et plangentes, ac verum magni Dei famulum exstitisse eum conclamantes, occursu pariter et fletu obsequium quod poterant, ei impendentes, illam circa virum Dei impletam esse sententiam nos advertere compellebant, qua dicitur: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus* (*Eccli.* XLIV, 25).

Sonantibus itaque per universas totius urbis ecclesias classicis cum hymnis et canticis spiritualibus, suæ tandem infertur gremio ecclesiæ. Hinc post modicum in secretiorem transfertur exedram, ipsius vestimentorum insigniis, parvitatis nostræ (391) obsequio induendus in quibus olim pontificalem susceperat consecrationem. Erat vero tunc ibidem videre miraculum. Caro namque ejus ita niveo quodam et uniformi candore nitescebat, ut quodam resurrectionis decus jam tot diebus exstincta manifeste præferret. Nihil in ea lividum, nihil pallidum, aut submarcidum, nihil fuscum, nihil non lacteum, aut potius liliosum, renitebat. Manus ejus et digiti, brachia quoque et lacerti, non aliter, quampridem in vivo, nunc in defuncto, palpabiles, molles et tractabiles erant. Balsamo sola ejus facies, et manus ejus dextera fuerat delibuta. De aliorum autem statu membrorum nihil investigavimus. Digito etiam annulum, chirothecas baculumque pastoralem manibus ejus et brachiis inserentes, de his solummodo ea quæ diximus, ita se habere deprehendimus.

Omnibus itaque pontificalibus rite insignitus, nudata facie soporati magis quam exanimati speciem præferebat. Ita a glorificantibus Deum refertur in chorum. Accurrunt undique turbæ inspectantium, cereos manibus ardentes præferentium, pedes ejus et manus osculantium, aurum quoque et argentum, lapidesque pretiosos offerentium. Interea dum paululum remotius cum viro venerabili, ipsius Ecclesiæ decano (392), consedissemus, invicem de his quæ circa Christum Domini mirabiliter acciderant conferentes, adsunt quidam stupentes et attoniti, talia nobis dicentes: « Vidistisne et attendistis quanto decore jam vernari cœperit facies episcopi, ut rosis rubentibus genas similes prætendat, ut dormientis non defuncti, nuperque de balneis egressi hilaritatem præferat? » Ad hæc decano admirante, hoc nuntiantibus respondit: « Fallimini procul dubio, fratres charissimi. Revera enim candore mirabili nitet vultus ejus; rubei vero coloris nullum in eo vestigium relucet. Satis paulo ante diligenter notavimus omnem ejus speciem atque decorem. » Tunc illi nos quodammodo reluctantes rapuerunt, et in cominus adductis ostendebant fide oculata, se verissima de gratia roboris, quo nitebat facies ejus, fuisse prosecutos. Permansit autem idem verus speciei cœlestis aspectus ita candidus et rubicundus, quandiu mansit in sponsæ sibi commissæ aspectibus super terram manifestus. Utrum vero in sepulcro corpori ille decor permanserit necne, non est nostrum modo scire, scietur autem postea (393). Qui si forte evanuit, et cum Moyse evacuata est gloria vultus ejus, non erit,

(390) Confirmat hæc Coggeshale col. 866, apud Martene tom. V Collect. Veterum scriptorum, ubi asserit etiam regem et archiepiscopos supposuisse humeros loculo, etc.

(391) Se ipsum intelligit auctor, cui se induendum S. Hugo supra, c. 24, commiserat.

(392) Rogerus erat ille de quo dictum in nota (132) ad lib. III, c. 7, ad cujus etiam instantiam Giraldus Cambrensis quædam part. II Angliæ sacræ, p. 434, se digessisse fatetur.

(393) In translatione forsitan, anno 1285 facta, quam ad Vitam S. Hugonis edidit Surius nescio unde acceptam, non auctore Vitæ. Hinc et Raynaldus tom. XIII Annal., p. 48, recte colligit, ista de translatione corporis ab alio esse adjecta, non ab auctore Vitæ. Petrus Dorlandus in Chronico Carthusiano lib. III, c. 14, etiam meminit hujus translationis, et quia ipse est antiquior Surio, et asserit translationem factam anno post dormitionem S. Hugonis octogesimo circiter sexto, uti et Surius, videtur illa facta esse circa annum 1285, non vero anno 1280, uti in margine ad dictum cap. 14 notatur, et corrigendus fortassis etiam Raynaldus tom. XIII Annal., pag. 48.

unde scandalizentur, quibus id forte scire aliquando donabitur, cum jugiter sit conspicabilis et inexterminabilis species ejus invisibilibus cœli, unde non solum detur pacis formositas, sed et debilitatis sospitas fluere in eum non desistat.

His ea quæ sequuntur jucundo satis auspicio astipulari noscuntur. Nam regressis nobis ad locum meliorati consessus, veniunt celeriter ad decanum plures, qui dicerent mulierem quamdam, lumine oculorum multis annis privatam, primo sancti corporis attactu visum recepisse. Suggerunt etiam, ut classicum pulsari, atque *Te Deum laudamus* vocibus altisonis Dominus decanus decantari jubeat. Verum istud nos vehementer dissuasimus, quia ignota fuit eis ipsa mulier, ne forte conficta cæcitate lumen mentiretur se de novo recepisse quo jam annosa nullo tempore caruisset. Unde [*f.* multo tempore] veritatem super hoc, et super aliis quæ procul dubio audiri contingeret, signis diligentissime semper inquirendam primitus, et non nisi certissime probata, quolibet modo propalanda esse aut publice prædicanda monuimus.

Dum igitur super his disceptio aliquantula inter nos et clericos haberetur, accurrunt et alii, de muliere altera indubitatum referentes miraculum. Dum enim matronæ quædam devota oblatione facta juxta corpus insisteret piis precibus, crumenam sibi a zona dependentem, et solidos aliquot argenteos continentem, fur clandestinus repente incidit. Qui mox, nullo adhuc mortalium præter ipsum, quod fecerat, agnoscente percutitur subita cæcitate. Hinc quoque, ut refert, quo gressum tenderet, prorsus nesciebat. Qui nimio attritus timore, cum aliquandiu huc illucque, tanquam ebrius et crapulatus a vino, nutando abire tentaret, nec posset, cum jam oculos in se plurimorum his gestibus converteret, et, quidnam sibi esset, ut ita gesticularetur in loco tali, inquirerent circumstantes, manum cum bursa nihil dicendo tetendit in altum, quid egisset, rebus ipsis manifestans, et, quid statim pertulisset, voce lugubri subinferens. Inspicit et agnoscit mulier suum in manu sacrilegi incisoris loculum : cui fur ille restituit quod abstulit, et mox lumen recepit quod amisit. Recepit et illa pecuniam quam perdidit, et immensis attollit præconiis patroni clementiam quem devota mente adivit. De præcedenti quoque muliere, quod revera diu cæca fuerit, et amissum lumen ibidem receperit, in brevi post hæc certius innotuit.

Tantus interea fiebat concursus populorum, ut infra modicum tempus quadraginta marcarum summam oblatorum quantitas excederet. Jacentem autem in medio filium lucis die et nocte ambiebant viri et feminæ, tenentes in manibus cereos ardentes, et in modum coronæ gloria et honore coronatum a Domino continue cingentes. Tunc etiam magister Leycestrensis, vir litteratus et industrius, hujusmodi distichon ad pedes ejus posuit, in quo multiplices virtutum ejus prærogativas breviter expressit, dicens :

Pontificum baculus, monachorum norma, scholarum
Consultor, regum malleus, Hugo fuit.

Die postera, dum portaretur ad tumulum, mutilatur hinc scissione crebra sacrarum, quibus induebatur vestium. Sacrari enim vel sanctificari admodum se credebat, quisquis sacrilegium tale committere valuisset, ut a sacro sacri aliquid rapuisset. Sepultus autem est, sicut ipse nobis præceperat, secus parietem, non procul ab altari Sancti Joannis Baptistæ, et, sicut visum est, propter accessum confluentis populi magis congruere, a boreali ipsius ædis regione, ad gloriam Dei, qui vivit et gloriatur super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Explicit Vita sancti Hugonis episcopi Lincolniensis.

BEATI HUGONIS

LINCOLNIENSIS EPISCOPI

LITTERÆ CONSTITUTIONUM IN VISITATIONE.

(*Monasticon Anglic.*, I, 924. edit. 1682.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo, Dei gratia Lincolniæ episcopus, salutem in Domino.

Cum ad congregationem ancillarum Christi de Cotun, causa visitationis ex officii nostri debito faciendæ accederemus, ad ea quæ didicimus ibidem corrigenda, remedium studuimus adhibere. Advertentes igitur multitudinem monialium ampliorem quam sustinere valeant domus illius facultates, habitare, statuimus, cum consensu magistri, priorissæ, et conventus, quod congregatio monialium, de cætero, triginta rum numerum non excedat, sororum numerus sub denario concludatur, duodecim fratres conversi ad officia rustalia sint ibidem exercenda. Magister capellanus, cum duobus capellanis tantum, ad divina deputentur adimplenda. Nulli vero religio-

nis habitus in eadem domo tribuatur, donec minutus fuerit præsens conventus ad numerum prætaxatum, nisi propter manifestam domus utilitatem, et hoc ex speciali licentia diœcesani. Sigillum domus sub custodia magistri, priorissæ et monialium ad hoc communiter electæ, cujus religio fuerit, et discretio approbata, sub clavi triplici reservetur, nec aliquod scriptum inde signetur, sine conscientia totius capituli, vel majoris, vel sanioris partis ejusdem. Redditus omnes instaura, proventus quicunque, singulis annis redigantur in scriptum, quod priorissæ et subpriorissæ, et cæteris quatuor de melioribus et prudentioribus, a toto capitulo, vel majori ac saniori parte communiter electis, tradatur custodiendum. Magister et procuratores domus, totam pecuniam domus in denariis vel hujusmodi ex quacunque causa domui suæ provenientem cum coram eisdem sex numerata fuerit, sub sigillo magistri signatam ipsis tradent, quam eædem ad negotia domus expedienda, quoties necesse fuerit, et quantum opus fuerit, sub fideli testimonio, tam magistri quam aliorum sine difficultate liberabunt, et residuum sigillo magistri signatum iterato reponent. Singulis autem mensibus eædem sex compotum audient de simplicibus ejusdem domus expensis. Et quoniam abdicatio proprietatis professioni religiosorum est annexa, firmiter inhibuimus, ne qua, vel quis in eadem domo, post susceptum religionis habitum aliquid proprium habere præsumat, sed sint eis omnia communia. Eodem etiam pane, tam moniales, capellani, fratres et sorores, quam hospites vescantur, et potum habeant eumdem; excepto quod infirmorum necessitati, prout opportunum fuerit, delicatius provideatur. Quia vero per frequentiam sæcularium quies religiosorum turbari solet, prohibuimus, ne vir, vel mulier recipiatur in habitu sæculari moram facturus in domo memorata, nisi forsan hospitalitatis gratia quis ibi pernoctaverit. Item ne quis vel qua, sive sæcularis, sive religiosæ professionis aliunde veniens, cum sola moniali solus vel sola loquatur, sed honesto testimonio, tali, quod sinistra careat suspicione, et cum licentia, secundum regulam suam ab his quæ præsunt, obtenta. Præterea, quia religiosis, et præsertim in sexu mulieri, discurrere, vel vagari modis omnibus est inhonestum, constituimus ne soror, vel monialis, apud grangiam moretur, causa nutrimentorum animalium, vel aliqua qualibet occasione. Moniales etiam causa visitandi proximos, aut parentes, nullatenus extra mittantur, ex earum sola voluntate vel levi qualibet occasione, nec tandem ullo modo, sine magistri et priorissæ licentia speciali, et maxima, ac cognita necessitate. Quia Simoniaca pravitas plures in errores et interitum adduxit, animarum saluti providere volentes, districte prohibuimus, ne vir vel mulier, pro pecunia vel re qualibet temporali recipiatur unquam ibidem ex pacto. Sub anathematis interminatione præcipientes quod omnia prætermissa salubriter a nobis constituta firmiter ab omnibus utriusque sexus in eadem domo serventur in perpetuum.

BEATI HUGONIS
DIPLOMATA.

I.

Charta donatorum concessiones recitans et confirmans. (*Monastic. Ang.*, tom. III, p. 84, edit. 1673; tom. I, p. 84, edit. 1682.)

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo, Dei gratia Lincolniensis episcopus salutem in Domino.

Quoniam ea quæ ad sustentationem pauperum Christi divino instinctu collata sunt beneficia, ne malignantium possint retentari perversitate, episcopalis auctoritatis suffragio tenemur communire. Ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, nos rata huic et præsenti scripto confirmare Deo et Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ hospitalis de Brakeley, et fratribus ibidem Deo servientibus, beneficia omnia quæ eis a Christi fidelibus fuerint divino intuitu collata, et eorum usibus deputata, de quibus, ut ad omnium notitiam possint pervenire, propriis vocabulis censuimus annotare. Inspectis igitur chartis, quas habent prædicti fratres ex dono bonæ memoriæ comitis de Legircestre Roberti senioris, et filii ejus comitis de Legrecestre, Roberti scilicet junioris,

Inprimis ratam habemus et confirmamus fundationem Ecclesiæ Sancti Joannis apostoli et evangelistæ hospitalis de Brakeley, et eamdem ecclesiam cum eodem hospitali, sicut in chartis prædictorum patronorum, quas vidimus, exprimuntur liberam et quietam ab omni subjectione esse statuimus. Salomoni vero prædicti hospitalis magistro, et successoribus ejus et fratribus in ipso hospitali commorantibus ad sacerdotii gradum provectis concedimus, ut ad honorem Dei, et pro salute fundatorum, et omnium fidelium divina in ipsa capella celebrent mysteria; ita tamen quod parochiali ecclesia aliquo casu vacante, liceat prædictis fratribus, exclusis excommunicatis et interdictis, submissa voce divina officia celebrare; venerabili patre et domino beato

memoriæ A. tertio, summo pontifice super his auctoritate patrante, sicut in privilegio ejusdem patris eis collato inspeximus.

Sepulturam quoque pauperum et hospitum qui in ipso hospitali decesserint, vel eorum qui in extrema voluntate in territorio hospitalis se devoverint, sine vicinarum ecclesiarum injuria liberam esse sancimus.

Libertates in quas R. bonæ memoriæ abbas S. Mariæ de Prato de Legrecestre et ejusdem loci conventus eis contulerint, sicut in eorum scripto vidimus digestus felici perpetuitate gaudere, et nostra solidari confirmatione censemus; Viz. ut Salomon prædicti hospitalis œconomus et successores sui habeant ecclesiam inter septa curtis prædicti hospitalis liberam et quietam ab omni subjectione, in qua perpetuo divinum celebretur officium, et sepultura pauperum et familiæ suæ, et servientium suorum et peregrinorum, et integram facultatem regendi et plenariam dispositionem omnium, quæ ad prædictum hospitale pertinent.

Confessiones autem pauperum et infirmorum consolationem integre habeant, et in perpetuum præsideant.

Ex donatione vero Roberti comitis de Legrecestre Roberti secundi junioris duas acras et dimidiam, de creis juxta curtem hospitalis et totam terram de creis subtus curtem illorum de grava Domini comitis sicut septis suis includitur. Ex dono ejusdem comitis duas virgatas terræ, unam scilicet quæ est de terra de assarta cum quietancia pannagii, quæ pertinet ad Halsow et cum Messuagio quæ ad prædictam virgatam pertinet, quæ est in Brakele, ad caput fontis de Goldewelle; et unam aliam virgatam quæ pertinet ad Brakele, cum mesuagio suo, quæ est subtus juxta rivulum ejusdem fontis quam virgatam Swerman pater magistri Salomonis tenuit.

Ex donatione Gilberti de Monte XXIII acras terræ in dominico suo mensuratas per perticam in Stochinga in parte versus Brakele et pratum Ringesham, prout charta ipsius Gilberti exinde facta manifestat. Ex dono Heliæ de Hinton pratum quod dicitur Herlesham, et aliud pratum quod dicitur Ferham. Ex dono Aliciæ de Romeli quatuor acras terræ in ea parte culturæ de Werveldiche, et ea parte quæ extenditur versus Halsow.

Ex dono Thomæ Sorel et Simonis filii ejus quatuor acras in Siresham; totam quoque terram quam habuit in Eswich, sicut chartæ donatorum manifestant.

Libertates etiam et liberas consuetudines prædictis fratribus concessas, sicut in chartis patronorum continentur expresse.... statuimus et præcipimus inviolabiliter observari. Ut igitur.... donationes et libertates memoratis fratribus, sicut chartæ donatorum testantur præconcessæ, prout rationabiliter eis sunt factæ, perpetuæ stabilitatis obtineant firmamentum, nostræ confirmationis eisdem duximus.... are.... sidium et ad notitiam posterorum super his A præsenti scripto et sigilli nostri appositione episcopale auctoritate adhibere testimonium. His testibus, R. abbate de Nostele, magistro Stephano Lincolniensi Ecclesiæ cancellario, magistro Womero, magistro Geraldo de Rowell, magistro Richardo de Clareveel, et multis aliis.

II.

Charta domini Hugonis episcopi et capituli Lincolniensis de duabus partibus ecclesiæ de Corbi.

(*Monasticon Anglic.*, tom. I, p. 881, ed. 1673.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Dei gratia Lincolniensis episcopus, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra, nos de assensu et voluntate dilectorum in Christo filiorum, Willielmi B decani et capituli nostri Lincolniæ, divinæ pietatis intuitu, dedisse et concessisse dilectis filiabus in Christo, monialibus Sancti Michaelis extra burgum Stanneforde, duas partes ecclesiæ de Corby, quæ de dono Mathildæ de Diva, et de dono Ascelinæ de Watervilla et hæredum suorum; de dono etiam Hamonis Peche, ad ipsarum monialium advocationem pertinent: habendas eisdem, et in propriis usibus in perpetuum possidendas: salva Hugonis de Osberneby portione sua ibidem, quoad vixerit; et salva vicaria perpetua, cum manso competenti, quam Hilarius capellanus obtinet de dictis portionibus, sibi et successoribus suis dictarum portionum vicariis assignata. Prædictæ autem moniales omnia onera episcopalia et archidiaconialia sæpe dictas duas partes contingentia, sustinebunt, salvis etiam in omnibus episcopalibus consuetudinibus, Lincolniensis Ecclesiæ dignitate: quod ut perpetuam obtineant firmitatem, præsentem chartam sigillo nostro, una cum sigillo prædicti capituli nostri duximus muniendam.

His testibus, Willielmo decano, Joanne præcentore, etc. Data, etc., in capitulo Lincolniensi, XIII Kal. Maii, pontificatus nostri XVII.

III.

Charta Hugonis Lincolniensis episcopi donatorum concessiones monasterio S. Oswaldi de Bardeney recitans et confirmans.

(*Monasticon Anglic.*, tom. I, p. 850, ed. 1673.)

D Hugo, Dei gratia Lincolniensis episcopus, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis salutem.

Religiosorum virorum justis petitionibus episcopalis auctoritas sollicite debet suffragari, ne beneficia eis canonice collata malignantium inquietationibus aliquatenus perturbentur, aut importunis vexationibus alienentur. Proinde dilectis filiis nostris abbati et monachis de Bardeney, in monasterio S. Oswaldi divina gratia congregatis, omnes res et possessiones eorum in terris, in hominibus, in ecclesiis, in decimis et in cæteris rebus, quæ in præsentiarum juste et canonice possident, et authentica scripta habent, episcopali auctoritate confirmamus et præsentis scripti munimine roboramus. Quæcunque ergo Gilbertus de Gaunt primus, et Aliz de

Muntfort sponsa ejus reparatores præfati monasterii; A Walterus de Gaunt et comes Gilbertus filius ejus, nec non et homines feudicorum, pro salute animarum suarum, titulo donationis, in eleemosyna, prædicto monasterio contulerunt, sicut chartæ eorum testantur, libera et soluta ab omni terreno servitio et præstatione in perpetuum fore decrevimus; similiter vero quæcunque comes Simon, qui comitissam Aliz, filiam comitis Gilberti, uxorem duxerat, cum hæreditate prænominatorum virorum dedit, et chartis suis confirmavit.

Hæc sunt omnia possessionum collatarum : Bardeney, et Osgotebi cum pertinentiis suis. In Stepings habent præscripti monachi quatuor carucatas terræ, et duas bovatas, et ecclesiam de Frisebi. In Schendelbi ecclesiam S. Petri, cum terris et decimis suis; B et ad austrum ejusdem villæ, capellam Sancti Jacobi cum virgulto proximo, et duo molendina ejusdem; et terram Tholi, et servitium ejus, et terram Gunnes cum servitio ejus. In Partenay ecclesiam S. Nicolai cum pertinentiis suis, et capellam S. Mariæ in eadem villa, et decimam molendini ejusdem villæ. In Braitoft dominii Simonis filii Willielmi, totam decimam. In Croft, ex dono Philippi de Kima, XX sextaria salis ex redditibus ejusdem villæ. Ex dono Galteri de Braitoft, X acras prati, in territorio de Frisebi. Ex dono Herberti filii Alardi, XII acras prati ultra Scalslet. Ex dono Radulphi filii Gilberti, pro anima Hugonis fratris sui, terram quam tenuit in Frisebi, et quam habuit in Ingaldelmeles et Derflctes Croft, C ecclesiam de Stepinge.

In Wainflet unam bovatam cum salinis appendentibus. In Haltona, ex dono Willielmi de Rumara quinque bovatas terræ et dimidiam; et molendinum, et nonam partem alterius molendini. In Hagiordingham, ex dono Walteri de Gaunt, sex bovatas terræ, et ecclesiam ejusdem villæ, et ex dono Gilberti de Gaunt feudum militis, quod habuit in eadem villa. In Lucebi duas bovatas terræ et ecclesiam ejusdem villæ, cum pertinentiis suis; et mansionem unam, et molendinum unum in territorio ejusdem villæ; et unam bovatam in Wincebi, et Tonnecroft. Juxta Lyme. ex dono Ranulphi comitis. Cestriæ molendinum de Bradewad, et unam marcam argenti de D redditu molendini de Bracebrigge. Molendinum de Strattone. Edlingtone, cum universis pertinentiis suis. Ex dono comitis Gilberti tertiam partem Baumburgi, et molendinum ejusdem villæ. Ecclesiam de Sotteberi, cum terris et decimis suis. Ecclesiam S. Hilarii de Spridelingtona, cum decimis suis. In Burtona tres carucatas terræ. In Schamtona cum terris et decimis suis. In Edelingtona ecclesiam, cum omnibus pertinentiis suis.

Ex dono Roberti Marmiren Buteyake, cum omnibus pertinentiis suis. In Bartona ecclesiam sancti Petri, cum capella omnium sanctorum, cum terris et decimis suis, et omnibus pertinentiis : et decimam molendinorum ejusdem villæ. Et ex dono Gilberti comitis unam bovatam terræ pro anima Seer de Arcels : et ad austrum ejusdem villæ terram quam dedit monachis in excambio. In Horkeston decimam dominii. In Torpe totam decimam dominii. In Folkingham ecclesiam cum terris et decimis suis.

Ex dono Erberti de Gaunt ecclesiam de Irnham, cum terris et decimis suis. In Afwardebi duas partes decimæ domini. In Wilegbi duas partes domini. In Staunton totam decimam dominii. In Surray totam terram quæ fuit Ivonis filii Schardman, cum essario suo; et essarium Willielmi filii Haconis in territorio ejusdem villæ, et essarium Willelmi Bigot, cum terra Gippolf in eadem villa. In Suttona dimidiam carucatam terræ cum pasturis et pratis adjacentibus, et prato in territorio de Botoft. In Scrubbi, duas bovatas et dimidiam. In Wdetorpe unam bovatam terræ; et Thuait cum terra appendente, et molendinum de Wlierne. Hertelholme cum terris et redditibus. Ecclesiam de Bulthalm cum appendiciis suis. In Bracebrige, ex domo Willielmi filii Walteri Winterhard, unam bovatam terræ. In Edelesberg ecclesiam cum pertinentiis suis. In Hale ecclesiam cum pertinentiis suis. In Hekington ecclesiam cum pertinentiis suis.

Prænominata itaque omnia quæ prædecessores nostri eis rationabiliter confirmaverunt, cum libertatibus et consuetudinibus et immunitatibus suis, sicut munimenta eorum testantur, sub protectione nostra suscipimus, tuitionem ecclesiasticam impendentes; salvis in omnibus episcopalibus consuetudinibus, et Lincolniensis Ecclesiæ dignitatibus. His testibus, Homone decano Lincolniæ, Willielmo subdecano, magistro Stephano, etc.

IV.

Charta confirmationis donationum per Hugonem Lincolniensem episcopum pro ecclesia Sancti Andreæ Northamptonæ.

(*Monastic. Angl.*, t. I, p. 681, edit. 1673 et 1682.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Dei gratia Lincolniensis episcopus, salutem in Domino.

Nostrum est justis petitionibus acquiescere et quidquid possumus auxilii filiis sanctæ Ecclesiæ impertiri; unde et fratribus nostris monachis Ecclesiæ Sancti Andreæ de Northampton speciali auctoritate qua fungimur confirmamus, scilicet ecclesiam Omnium Sanctorum de Northamptona, cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sancti Ægidii cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sancti Michaelis cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sancti Sepulchri cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sanctæ Mariæ cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sancti Gregorii cum omnibus pertinentiis suis, et ecclesiam Sancti Petri cum omnibus pertinentiis suis, scilicet cum ecclesia de Thorp et capella de Upton cum omnibus aliis pertinentiis suis; et ecclesiam sancti Edmundi cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam Sancti Bartholomei cum omnibus pertinentiis suis, et capellam Sancti Thomæ cum omnibus pertinentiis suis; et

ecclesiam de Ryall cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Erton cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Newenton cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Syvell cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Multon cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Braufelde cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Preston cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Byllyng cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Hawton cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Nnenton cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Hardyngystorn cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Stotysbury cum omnibus pertinentiis suis; et ecclesiam de Sulgrave cum omnibus pertinentiis suis, et duas partes decimæ totius decimationis dominii comitis David in Yordele, et in Bartone, et in Dodyngtonne et de Haryngwith. Et tertiam partem totius decimæ dominii comitis David in Fodryngeya. Et tertiam partem totius decimæ dominii de Dverton. Et duas partes totius decimæ dominii de Styvede. Et viginti solidos de molendinis de Parton ad vinum emendum ad missas. Et de horto comitis David in Bertona tres summas frumenti ad oblatas faciendas. Et duas partes totius decimæ dominii de Wllastona. Et duas partes decimæ dominii Walteri filii Winemeri in Throp. Et duas partes decimæ dominii Walteri prædicti in Wuston. Et duas partes decimæ dominii Achardi de Sproxton in Sproxton, et in Wythyn, et in Strattona. Et duas partes totius decimæ dominii quod fuit Rogeri filii Aze in Psbam. Et duas partes totius decimæ dominii Henrici de Cogenho in Horrowedon. Et duas partes totius decimæ dominii Willielmi filii Burchardi in Flore. Et duas partes totius decimæ dominii Henrici de Armenteri in Stowe, et in Ryslyngburg, quas tenent ad firmam de monachis Sancti Projecti de Vermendes. Et duas partes decimæ dominii Walteri Luvel in Lyslynghury. Et ecclesiam de Postona cum omnibus pertinentiis suis, et in eadem villa duas virgatas terræ et viginti acras de bruera; et duas partes decimæ dominii Richardi de Heyforde in Herleston. Et duas partes totius decimæ dominii Andreæ de Braybrooke. Et tertiam partem totius decimæ dominii Richardi Foxle in Forle; et duas partes totius decimæ dominii de parva Hoctona juxta Langeporte, quas habent ex donatione Godefridi de Boloigne. Et ut hæc omnia prædicta monachis sancti Andreæ rata et illibata permaneant, sicut ipsis juste et rationabiliter collata sunt, præsentis scripti et sigilli nostri attestatione communimus, salva in omnibus Lincolniensis Ecclesiæ dignitate. Testibus his, Roberto abbate de Nuttelega, Walkelino abbate de sancto Jacobo, Walkelino priore de Londa, magistro Roberto de Harding, magistro Rogero de Rolveston, magistro Simone de Sywell, magistro Willielmo de Monte, magistro Richardo de Dodeforde, Henrico filio Petri, magistro Warino de Bedforde, Simone decano de Witlyngbere, Rogero decano de Pateshyll, magistro Samsone de Berebeby, magistro Roberto de Mellum, magistro Roberto Grosteste.

V.

Confirmatio Hugonis episcopi Lincolniensis de Ecclesia de Waldene.

(*Monast. Angl.*, tom. I, p. 819, edit. 1673.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Dei gratia Lincolniensis episcopus, salutem in Domino.

Noverit universitas vestra nos pietatis intuitu concessisse et præsenti charta confirmasse canonicis ordinis de Semplingham apud Malton, domino servientibus, ecclesiam de Waldene, cum pertinentiis suis in perpetuum, sicut eis rationabiliter collata est ex dono Walteri de Nevile et Alani Ayruun, ejusdem ecclesiæ patronum, salvis episcopalibus consuetudinibus, et Lincolniensis Ecclesiæ dignitate. His testibus, etc.

VI.

Confirmatio sancti Hugonis Lincolniensis episcopi ecclesiarum de Thorneberg et Dodeford monachis Luffeldensis monasterii.

(*Monasticon Angl.*, tom. I, p. 522, edit. 1682.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Dei gratia Lincolniensis episcopus æternam in Domino, salutem.

Ut ea quæ religiosis locis Dei intuitu a fidelibus collata sunt, absque perturbatione possideantur, prorum sollicite procuravit prudentia, ipsa eis scriptis authenticis confirmando. Quorum nos vestigia sectantes, dilectis filiis nostris in Christo monachis de Luffeld beneficia quæ eis fidelium contulit donatio sicut ipsis et domui eorum rationabiliter collata sunt, confirmare et in præsenti scripto annotare dignum duximus. Ex dono Radulphi de Caignes, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Dodeford. Ex dono Hamonis filii Memphilini ecclesiam de Thorneberg. Ex dono Richardi filii Nigelli, medietatem ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Beckhampton. Hæc omnia beneficia cum omnibus ad ea pertinentibus, sicut in chartis donatorum, atque archidiaconorum a quibus in ipsis jam dicti monachi sunt instituti, continetur, eis concedimus in perpetuum possidenda, præsentisque scripto atque sigilli nostri patrocinio confirmamus; salvis episcopalibus consuetudinibus et Lincolniensis Ecclesiæ dignitate, his testibus Roberto abbate... Rogero de Rolveston, magistro Ricardo de Swalewœl, Galfrido de Leichelave, Roberto de Capella, Johanne decano de Lieston, Eustachio de Wiltona, et aliis multis.

VII.

Charta Hugonis Lincolniensis episcopi de confirmatione donationis Radulfi de Abi ad abbatiam construendam apud Greneseild.

(*Monastic. Ang.*, tom. I, p. 881, edit. 1682.)

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Dei gratia Lincolniensis episcopus, salutem in Domino.

Ne donationes locis religiosis a fidelibus factæ

eliqua malignantium machinatione possint in irritum revocari, solers antiquorum cavit prudentia eas episcopali auctoritate confirmari; inde est quod nos eorum sequentes vestigia, et domui de Genefeld atque monialibus in ea Deo servientibus quantum in nobis est providere videntes, ea quæ ipsis pie collata sunt auctoritate qua fungimur duximus ipsis confirmare, et ea propriis vocabulis annotata scripto authentico imprimere, videlicet, ex dono Eudonis de Grenesbi et Radulfi filii ejus fundatorum præfati loci, ecclesiam de Abi cum omnibus pertinentiis suis, et culturam de Boland et de Wargarthweit, et de Catecrooft, cum cultura juxta boscum de Swinewit, et pratum quod pertinet de Catecroft. Sexdecim acras prati in campis de Abi, et boscum de Aitterlund et Tiedolf Barnewde, et decimam molendinorum de Abi, et totum boscum de Croxhage quod Normannus habuit. Ex dono Roscelini do Riggesbi et Jodlani filii ejus quicquid ipsi habuerunt in Wlurikehage. Ex dono Gilberti de Riggesbi et Herberti filii ejus quidquid ipsi habuerunt in Wlurikehage et Prestehage, et sartum juxta Prestehage, et quatuor acras terræ in Heregerethage cum omni pastura de Riggesbi. Ex dono Ainfridi de Hage quinquaginta quinque acras de terra culta, et quinque acras prati in communi pastura de Hage. Ex dono Alani de Munbi et Eudonis filii ejus quidquid ipsi habuerunt in Wlurikehage, et ecclesiam de Combrewrth quantum ad ipsos pertinebat, scilicet tres partes ejusdem ecclesiæ. Et Snoutecroft cum communi pastura de Sutton et unum toftum quod fuit Gunebien et pasturam ad trecentas oves in pastura ultra Habedic de Munbi. Ex dono Willielmi filii Otveri triginta tres acras in campis de Abi et Toresbi. Ex dono Ivonis de Strubi et Henrici filii ejus quadraginta duas acras terræ in Crareker et Croxhage. Ex dono Willielmi de Wdetorp et Alani filii ejus Motteker, et unam bovatam terræ in Farford cum tofto uno. Ex dono Willielmi de Welle et Roberti filii ejus sex acras terræ in territorio de Wiern in loco qui vocatur Harlham. Ex dono Hereberti de Alebi, et Walteri, et Willielmi filiorum ejus quidquid ipsi habuerunt in Wlurikehage, et Prestehage, et quidquid ipsi habuerunt inter Bolandewange et Derwennehille, et inter abbatiam et fossatum de Crakethweith per metas dispositas a Crakethweit usque Trentesic, cum communi pastura de Abi. Ex dono Gunteri de Alebi quidquid ipse habuit in Wlurikehage, et quidquid habuit inter culturam de Prestihage, et terram Gilberti de Campania. Ex dono Picoti de Houton et Richardi filii ejus unam salinam in marisco de Newton; et quinque acras prati in Twaflates et in Westenges. Ex dono Thomæ Burgefurn duas acras terræ in territorio de Hage, et totam terram suam in Northon quæ jacet inter viam et culturam suam. Ex dono Gilberti Testard tres perticatas terræ in territorio de Abi. Ex dono Willielmi Burgefurn unam acram terræ in territorio de Swabi, in cultura quæ vocatur Brerthebuskewange. Hæc omnia sicut eis juste collata sunt et rationabiliter, præsenti scripto et sigilli mei patrocinio confirmo. Salvis episcopalibus consuetudinibus et Lincolniensis Ecclesiæ dignitate, his testibus, Haimone decano Lincolniensis Ecclesiæ, magistro Rogero de Rovelion archidiacono de Leicestria, Magistro Ricardo de Swaleweclive, Galfrido de Lechelade, Roberto de Capella, Eustachio de Wilton et aliis multis.

STATUTA ANTIQUA ORDINIS CARTHUSIANI.

(Dom. Mabillon., *Annal. Bened.* VI, App. p. 685.)

MONITUM.

Vixerant primum sub episcoporum jurisdictione Majoris Carthusiæ monachi, in suis cellis visitati ab eis, et prout libebat emendati. Sed cum in illis magis quid mirarentur, quam quod corrigerent, deprehendissent, sponte se sua jurisdictione in sanctissimos eremitas exueruut, eamque in manus capituli generalis et prioris Carthusiæ deposuerunt, plena eis quoad regiminis disciplinam libertate concessa. Hanc dudum libertatem optabant alii ejusdem instituti priores, scribentes Anthelmo Majoris Carthusiæ priori, ac instanter petentes ab eo in generali capitulo, ad quod præfixo tempore convenirent, emendari. Pium illorum propositum laudavit Anthelmus, consultoque Hugone II, Gratianopolitano episcopo, qui fuerat monachus Carthusianus, rescripsit ut jure hoc in negotio procederent, et episcoporum in singulis domorum suarum diœcesibus, fratrumque omnium in conventibus suis consensum expeterent. Quo facile obtento, Portarum prior Bernardus, Sollordus Excubiarum, Lazarus Durbonis, Stephanus Majorevi, Joannes Alveriæ convenerunt ad Majorem Carthusiam, et cum Anthelmo, miræ sanctitatis viro, primum capitulum generale celebraverunt, cujus acta et statuta et quorumdam aliorum capitulorum exhibemus

I.

ACTA PRIMI CAPITULI ORDINIS CARTHUSIENSIS.

(Ex ms. cod. Montis Dei.)

Omnibus sanctæ et catholicæ Ecclesiæ fidelibus præsentibus et futuris notum sit quod Carthusiensis propositi priores, Portarum videlicet Bernardus, et Soffordus Excubiarum prior, Durbonis quoque prior Stephanus, atque Alveriæ prior Joannes, diu pro tenore stabili et firmitate prælati propositi a prioribus et fratribus Carthusiæ petierunt, quatenus in eadem domo Carthusiæ commune capitulum eis liceret habere, obtentu correctionis et emendationis totius propositi. Hac igitur precum instantia, et quasi importunitate assidua, prior Carthusiæ Anthelmus cum fratribus suis consilio domni Hugonis II, venerabilis Gratianopolitanæ ecclesiæ episcopi, tandem consenserunt, hac tamen conditione, ut singuli priorum acceptis ab archiepiscopis et episcopis suis, et a communi capitulo fratrum suorum litteris, in quibus generali capitulo omnium quæ corrigenda et emendanda essent in ipso proposito potestas daretur per omnes domos, annotando diem quo convenirent. Accepto igitur cum gratiarum actione tam desiderabili consensu, et litteris impetratis, die qui prænotatus fuerat, convenerunt : et quoniam ab archiepiscopis et episcopis et ab ipsis capitulis consimiles datæ sunt litteræ, placuit unas episcoporum et unas capitulorum inscribere litteras in hunc modum :

« Falco Lugdunensis Ecclesiæ minister dilecto fratri Anthelmo Carthusiæ priori, cunctisque prioribus sub Carthusiensi ordine Deo militantibus, et qui cum eo sunt fratribus paupertatis præmium a domino obtinere. Domum Portarum et domum Majorevi vestræ religionis æmulas pro voto et petitione sua ad tenorem et confirmationem ordinis vestri, sicut communi consilio capituli decretum fuerit, episcopali auctoritate concedimus et tradimus in perpetuum corrigendas. »

« Patribus et dominis reverendissimis et Dei gratia Carthusiæ priori et qui sub ejus regimine Christo militant fratribus, Portarum fratres universi pacem et salutem æternam a Domino. Quod tandem assensum præbuistis, ut ad domum vestram, quæ nostri propositi mater est, nostræ et cæterarum domorum priores opportuno, sicut statutum fuerit, tempore conveniant, ut de his quæ unitatem ac stabilitatem sive firmitatem ordinis nostri valeant diligentissime tractare, non solum concedimus et laudamus, sed etiam cum gratiarum actione suscepimus. In omnibus igitur quæ ad tenorem ordinis nostri et confirmationem pertinent, sicut universalis capituli communi consilio decretum fuerit, concedimus et tradimus vobis et successoribus vestris domum nostram in perpetuum conservandam atque corrigendam. »

Hujus itaque universalis capituli decreta per singulas capitulorum distinctiones placuit adnotari.

Primum itaque capitulorum hanc habet continentiam, ut divinum Ecclesiæ officium prorsus per omnes domos uno ritu celebretur, et omnes consuetudines Carthusienses domus, quæ ad ipsam religionem pertinent, unimode habeantur.

Secundum autem capitulum de prioribus decretum est, ut si quis priorum, quod absit! contra religionem et propositum egerit, semel, bis et ter a fratribus privatim et in capitulo suo admonitus, si incorrectus permanserit, prior Carthusiæ ex communi concilio generalis capituli, aut eum, si fieri potest, corrigere, aut pro incorrigibili alium substituere habeat potestatem. Hoc idem de priore Carthusiæ et emendatione ipsius domus statutum est. Ipse vero supradictus incorrigibilis depositus, postea vel in eadem domo, si tamen cum pace domus ipsius fieri possit, permaneat, vel ad aliam ipsius propositi domum, in qua jussus fuerit, transire non differat. Prior autem qui substituendus in illa domo fuerit, secundum præscriptas institutiones de fratribus ejusdem domus, si tamen rationabiliter fieri possit, assumetur. Sin autem, juxta considerationem communis capituli de aliqua aliarum domorum, excepta Carthusiensi domo, prior desolatis fratribus detur. Id quoque de electione prioris post obitum sui antecessoris fieri decretum est.

Tertium quoque capitulum continet, ut si prior vel fratres cujuslibet domus hujus propositi, propria voluntate sua domum ipsam ad alterius propositi religionem, quod absit! transferre voluerint, eis sicut jure perpetuo huic proposito confœderatis nullatenus liceat.

Quartum proinde capitulum est statutum, ut nulla domus nova hujus propositi, sine assensu communis capituli exstruatur, et institutiones dari a nullo priorum præsumatur.

In quinto autem capitulo continetur, quod si domui Carthusiæ, quæ aliarum mater est et nutrix, hæc necessitas ingruerit, ut de alia aliqua quam de sua domo sibi priorem asciscat, quamlibet personam, exceptis domorum prioribus, de domo qualibet hujus propositi sibi assumat.

Sextum deinde capitulum hujusce continentiam habet, ut si alicui domorum jam sæpe dicti propositi causa intercesserit de qua ad præsens tractare necessarium sit, prior Carthusiæ statim ad præfatam causam tractandam, tot ad se convocet priores, si per se facere non poterit, quot ad eam definiendam sibi sufficientes esse videantur. Horum autem definitio haud secus quam universalis capituli rata habeatur.

Septimum demum capitulum de his habetur, ut neque priori Carthusiæ, neque cæteris quibuslibet

prioribus his omnibus quæ vel ad divinum officium, vel ad cæteras quaslibet hujus religionis institutiones pertinent, sine communi consilio generalis capituli demere aliquid, vel addere licitum sit. Commune autem, sive universale capitulum vocamus eos qui convocati convenerunt. Ut igitur hæc omnia instituta, quæ ad sanctæ hujus religionis firmitatem, atque indeficientem stabilitatem pertinent, a sanctis viris utiliter inventa et saluberrime considerata, perpetuam habeant perseverantiam, cuncti priores humilitatis vestigia sectantes, sese huic sanctæ disciplinæ et perseveranti correctioni cum omni devotione subdiderunt, et hujus sanctæ obedientiæ jugum suave, et onus leve infatigabiliter atque indeficienter se ferre professi sunt his verbis : *Ego frater Stephanus prior Majorevi promitto obedientiam communi capitulo.*

Aderat autem præsens, quod prætermittendum non arbitramur, venerabilis jam prædictus episcopus, ejusdem Carthusiensis domus pater et monachus, cujus manum, in qua omnes has præscriptiones tenebat, flexis genibus osculantes, hanc professionem fecerunt.

II.

ITEM CAPITULA ALTERIUS CONVENTUS.

(Ex eodem ms.)

1. Capitulum primum continet, quod passiones Domini, sicut cætera evangelia, cantentur.

2. Secundum capitulum habet quod, quando Nativitas Domini quarta feria evenerit, sequenti Dominica responsorium sicut in die Nativitatis Domini cantetur. In missa, *Puer natus est nobis.* Oratio, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti.* Epistola, *Apparuit benignitas.* Evangelium, *In principio*, etc., sicut in Dominicali Nativitatis.

3. Tertium capitulum est, quod in ea Dominica, in qua est evangelium *Erat Joseph*, cantetur antiphona *Erat Joseph* in Sabbato ad Vesperas, eademque repetatur ad *Benedictus.* Idemque contigit in Dominica post Ascensionem, ut videlicet antiphona de evangelio, et ad Vesperas in Sabbato, et ad *Benedictus*, cantetur.

4. Quartum capitulum est, quod sexta Dominica post Epiphaniam, quæ præcedit Septuagesimam, cantetur evangelium, *Confitebor tibi, Domine pater cœli et terræ*, et antiphonæ ex eodem evangelio, *Tollite jugum meum super vos* ad *Benedictus*, *Jugum enim meum* ad *Magnificat.*

5. Quintum capitulum est, quod repetitio responsorii, *Ego dixi, Domine*, sit, *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, eademque repetatur post *Gloria.*

6. Sextum capitulum est, ut illa quæ emendata sunt in psalterio, emendentur in responsorio, verbi gratia : *Si mei non fuerint dominati, Ipse liberavit me*, et *Exaltabo mane misericordiam*, et *in generatione et generationem.*

7. Septimum capitulum est, ut post *Venite*, cantetur *Æterne rerum Conditor.* Ad Laudes, *Splendor paternæ gloriæ.* Ad Vesperas, *Deus Creator*, etc. Ad Completorium, *Christe, qui lux es.*

8. Octavum capitulum est, ut ab octavis Pentecostes, usque ad Adventum Domini omnibus ferialibus diebus, exceptis festis, Dominicales orationes dicantur ad Vesperas et ad Laudes.

9. Nonum capitulum est, ut in responsorio unius martyris in tertio nocturno dicatur versiculus, *Lætabitur justus in Domino.*

10. Decimum capitulum est, ut in festo sancti Andreæ, si in Adventu contingat, semel tantum comedatur, sed nihilominus ad collationem veniatur.

11. Statutum est etiam ut pro charis in conventu aliquid facere, in ordinatione prioris et sui capituli arbitrio consistat.

III.

ALIA STATUTA.

(Ex eodem ms.)

1. Statutum in Carthusiensi capitulo, ut in claustro post nonam secundum arbitrium prioris pro sermone solito lectio habeatur.

2. Deinde decretum est, ut quomodo de equitatione fratrum cæterarum domorum statutum fuerat, sic et in Carthusiensi servetur, ita duntaxat ut, cum ad capitulum venerint, vel per capitulum aliqui pro aliquo negotio missi fuerint, liceat eisdem domibus, unde fratres mittentur, prout necessitas postulaverit, solito more fratrem equitando foras mittere.

3. Item communi assensu decrevimus, quatenus pro domno P. Cluniacensi abbate, quando eum obire contigerit, in cunctis nostri ordinis domibus, excepto anniversario, et quod in martyrologio non scribatur, idem ac per officium fiat quod pro priore vel professo fieri consuevit. Præ cæteris vero totius ordinis Cluniacensis defunctis, præter privatas orationes, semel in anno generale officium, tam de missa quam de agenda in conventu, celebrabitur. A singulis quoque sacerdotibus unum psalterium, a laicis 300 Dominicæ orationes persolventur. Hoc vero obsequium singulis annis ab ipso capitulo usque ad Nativitatem Domini expleri injunximus. Pro domno vero Ainrico Wintoniensi episcopo, necnon pro præfati

abbatis successoribus, post obitum ipsorum, generale officium in conventu similiter celebrabitur.

4. Rursum sancitum est, ut si domus, aut quælibet persona nostri ordinis a Romana curia per se, vel per alium litteras contra instituta communis capituli postulaverit, a societate universi ordinis separetur, nisi per idem commune capitulum reconcilietur.

5. Præterea stabilitum est, ut, quia certus est numerus habitatorum locorum nostrorum, certus etiam in animalibus et mercenariis haberetur et modus. Propter modestam igitur unitatem ubique servandam, statutum est, ut nulla ordinis nostri domus ultra 25 mercenarios nec ultra 1200 tam oves quam capras, exceptis hircis, nec ultra 12 canes, nec ultra 32 boves, ac 20 vitulos, nec ultra 6 sagmarios ulterius habeat.

6. De submovendis quoque ac substituendis prioribus, hoc etiam judicavimus esse servandum, ut nulli ordinis nostri congregationi viventem priorem liceat ab officio suo amovere, nisi ex consensu communis capituli, neque ipsi capitulo liceat ejusdem aggregationis, fratribus inconsultis ac nolentibus, absque culpa condigna, priorem dare vel auferre. Si vero a fratribus cujuslibet domus erga priorem suum pro suis excessibus, quæstio suborta fuerit, idemque prior ab eisdem sæpius admonitus, seipsum emendare noluerit, causa ipsa ad consilium communis capituli deferatur, ejusque judicio terminetur.

7. Dictum est etiam, ut nulla omnino domus pro suo, aut alieno negotio, ad personam domni papæ scribere præsumat, sine consilio communis capituli.

8. Item statutum est, ut si quilibet prior, vel per se, vel per subjectum suum instituta capituli violare præsumpserit, postquam transgressio manifesta fuerit, in conspectu totius capituli culpam professus extra capitulum egrediatur, nudatus pedes, vestibus pro consuetudine detractis, manu virgas portans ante conventum pro suscipienda disciplina humiliter revertatur. Ipse quoque in domo sua, suis subjectis pro simili culpa similem imponat disciplinam.

9. Decretum est etiam, ut si quis præscriptum animalium numerum excesserit, ex decreto capituli, quod superfuerit, pauperibus erogetur.

10. Præterea institutum est, ut monachorum vestimenta a semipede terram non tangant, laicorum quoque fratrum vestes ultra ora calciamentorum non descendant.

11. Etiam hoc statuimus, ut de Cisterciensium, sive prænonstrati congregationibus propter ipsorum reverentiam et pacem, nulla ulterius persona in nostrum ordinem suscipiatur. Quod institutum si quis nostrorum transgressus fuerit, etiam professum expellere cogatur, et a toto ordine separare.

IV.

ANTIQUA STATUTA ORDINIS CARTHUSIENSIS DE SACRIS RITIBUS.

(Ex ms. Colbert. 3808.)

1. In omni missa de vivis quæ volvitur celebranda, per singulos dicitur : *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum.*

2. Declaramus quod missa benefactorum nunquam debet reddi in festis XII lectionum, etiam tricenario currente, si tamen alia vacaverit in qua possit reddi.

3. Quacunque die contingant octavæ Apparitionis, si aliter dici non possit responsorium *Ne in ira*, ipsæ octavæ fient in Sabbato.

4. Declaramus quod missa Dominicalis non impediatur propter missam anniversarii; sed tunc dicatur missa anniversarii privatim, et missa Dominicalis in conventu, nisi alia dies vacet in ipsa hebdomada, in qua dici possit missa dominicalis.

5. Cum dominus noster summus pontifex ordinaverit, et districte præceperit in virtute sanctæ obedientiæ solemniter celebrari ab omnibus festum Corporis Christi, nos ob Dei et sancti præcepti reverentiam ordinamus, et eodem modo quo in decretali præcipitur, præcipimus, ut festum fiat in nostro ordine, et tam in officiis, quam in missis aliis cum candelis solemniter celebretur, scilicet feria V post octavam Pentecostes. Et fiant octavæ de prædicto festo, eo ritu et ea solemnitate, quibus octavæ Assumptionis B. Mariæ celebrantur.

6. Præcipimus et monemus omnes priores et conventus nostri ordinis, ut quolibet anno non omittant facere tricenarium olim concessum domino Amblardo episcopo Maurienensi.

7. Declaramus quod quando vigilia Natalis Domini accidit in die Dominico, responsoria mutuata, scilicet *Ecce dies veniunt*, et *Ave, Maria*, debent dici.

8. Declaratur quod in die Exaltationis sanctæ Crucis possit fieri dormitio secundum antiqua statuta.

9. Ordinamus quod de cætero pax sumatur in ecclesia in tabula, in qua sit depicta imago Christi crucifixi.

10. Omni tempore in elevatione corporis Christi in missis conventualibus cerei accendatur, excepto tempore interdicti et cessationis a divinis.

11. Declaramus quod secundum privilegia nostra et statuta, et secundum decretalem positam in titulo de privilegiis in secundo libro in fine dictæ decretalis, possumus ministrare ecclesiastica sacramenta servitoribus nostris domesticis.

12. Declaramus quod priores et vicarii monialium, si contingeret eos mori in domibus quibus præsunt

non amittant associationes domorum propriarum, nisi in domibus in quibus sunt priores vel vicarii fecerint professionem.

13. Quando festum Annuntiationis celebratur infra octavas Paschæ, in primis vesperis dicantur illi psalmi, qui dicuntur infra dictas octavas, scilicet *Dixit Dominus*.

14. Declaramus quod secunda missa Nativitatis Domini celebretur; et si non apparuerit aurora, redeant monachi ad cellas antequam missa celebretur.

15. Inhibemus quod cum cucullis de tela factis amplius non serviatur in conventu, nec etiam in privato.

16. Priores vel monachi nostri ordinis, vel conversi de cætero non eant ad sepulturas, nisi forte principum et magnorum prælatorum, vel patris et matris eorum de ordine, si sepelirentur infra terminos domorum suarum.

17. Statutum factum de præsentia episcoporum, quod priores dimittant sedes suas in ecclesia ipsis episcopis præsentibus, intelligitur quando sunt præsentes in ecclesia.

18. Ordinamus ut jejunia quarti temporis in Septembri in qualibet domo nostri ordinis secundum consuetudinem suæ diœcesis celebrentur.

19. Ordinamus quod si contingat evenire festum trium lectionum habens officium missæ proprium, feria IV capituli generalis dicatur missa festi, missa vero *Salus populi* privatim ab aliquo persolvatur.

20. Secundum consuetudinem domus Carthusiæ antiphonæ resumantur, scilicet in voce in qua psalmodia est finita.

21. Criminosi reconciliati ordini spirituale beneficium habeant, juxta gradum ad quem fuerunt restituti.

22. Ordinamus quod quando plura tricenaria erunt inchoanda, incœpto primo tricenario a priore vel ab antiquiori, cætera incipiantur ab eis, quibus missa tricenarii jam incœpti contigerit celebranda.

23. Præcipitur ut districtius et efficacius potest fieri, omnibus personis ordinis ut nullo modo, quovis colore, per se vel alium, directe vel indirecte factis, verbis, vel litteris aliquam personam, cujuscunque conditionis existat, inducat ad petendum ab ordine aliquod beneficium spirituale præter recommendationem generalem, quæ precibus ordinis fieri consuevit, nec leviter concedant anniversarium in dominibus suis, nec ullo modo pro temporalibus ad spiritualia se obligent, nisi prout licite fieri poterit, juxta consilium peritorum.

24. Ordinamus quod de cætero, propter præceptum Ecclesiæ, quod per omnes domos ordinis in festis duodecim apostolorum semel in anno, evangelistarum et quatuor doctorum olim non fecimus festum capituli; fiat festum capituli quantum ad monachos, et conversi in prædictis festis in operibus occupati, non cessent ab eis, nec propter capitulum ad domum superiorem ascendant. Nomina apostolorum sunt Petrus, Paulus, Andreas, Jacobus, et Joannes, Zebedæi, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Jacobus Alphæi, Simon, Judas et Mathias.

25. Ut uniformitas, sicut in statutis continetur, in divino servitio servetur in ordine, procurent omnes priores et vicarii habere legendam quæ legitur in Carthusia in octavis et per octavas eucharistiæ, cujus legendæ copia in Carthusia poterit reperiri.

26. Priori et conventui Liminati, et aliis quibus placuerit conceditur, ut festum Conceptionis B. virginis Mariæ possint solemniter celebrare, et fiat officium sicut in Nativitate, in nomen *Conceptionis* nomine *Nativitatis* commutato.

27. Conceditur domui Carthusiæ, ut possit facere festum capituli de domno Ugone Lincolniensi episcopo, qui fuit monachus Carthusiæ.

28. Tempore paschali dicatur evangelium *Ego sum vitis vera* in festo B. Ambrosii et B. Ugonis, si in dicto tempore dicta festa contigerit celebrari.

29. Monemus ut in omnibus domibus conversorum a domibus superioribus separatis, quibus est capella; cessante justo impedimento, celebretur missa a priore vel procuratore, bis vel ter ad minus.... Si vero prior in præmissis defecerit explendis, clamet culpam suam in capitulo proximo.

30. Tricenarium, quod concessum est domino Amblardo annis singulis persolvendum, circa festum S. Marci evangelistæ debite persolvatur, sicut fit Carthusiæ, videlicet ut pro ipso et suis parentibus dicatur prima oratio *Inclina :... famulorum et famularum ;* deinde consuetæ.

31. Licet statutum sit quod super annum dicantur sub certo numero centum breves, et non debent omitti, nec de cætero omittatur antiqua consuetudo in statutis contenta de mittendo et nuntiando per domos ordinis breves obeuntium personarum, ut pro eis dicatur oratio specialis, et consequenter pro aliis dicatur generalis, videlicet pro uno singularis, et pro pluribus singularis, sicut habetur in statutis.

32. Ordinationem olim factam admonendo quatenus omni die dicatur missa B. Mariæ post missam conventualem, alio impedimento cessante, sicut fit Carthusiæ, approbamus, et ut præmissum est, fiat. Item ordinamus et volumus quod dicatur.

33. Declaramus quod in domibus monialium et monachorum, quibus non sunt tot sacerdotes quot missas debitas, etiamsi ultra illam qua debentur hebdomadam differantur, reddere non sufficiunt; pro qualibet missa debita, quæ solvi non potuerit, psalmi quinquaginta dicantur, juxta ordinationem et dispositionem prioris vel vicarii.

34. Consuetudinem domorum ordinis, in quibus singulis diebus missa de B. Maria virgine dicitur, tanquam sanctam et laudabilem approbamus et confirmamus, et admonentes in Domino nonnullos priores et monachos ordinis præfatæ consuetudini contrarios, quod ad honorem Dei et B. Virginis dictam consuetudinem devotionis specialis intuitu imitemur.

38. Quia per Dei gratiam numerus personarum augmentatur et domorum, consequenter breviter ordinamus, quod a capitulo generali usque ad instantem Nativitatem Domini omni anno breves 50, et a Nativitate usque ad capitulum sequens totidem dici possint, brevibus aliis qui super annum mittuntur in hoc numero computatis : ita tamen quod duo breves in hebdomada persolvantur.

36. Novam constitutionem de monachis semel in mense communicandis per sedem apostolicam specialiter editam, causa devotionis extendi volumus ad nostros, cum præ cæteris religiosis devotioni debeamus intendere : statuentes ut quilibet monachus non sacerdos, clericus, redditus apud nos in prima Dominica mensis cujuslibet, ad minus juxta tenorem prædictæ constitutionis cum debita præparatione eucharistiæ recipiat sacramentum.

37. Monemus autem sacerdotes raro celebrantes, quod de cætero se præparent et disponant.

38. Propter officium benefactorum S. Stephani, Cluniacensis et capituli generalis, ne nimis differatur, concedit quod possit transferri anniversarium : alia non anniversaria quæ transferuntur, solvantur et reddantur quando et sicut in nostris constitutionibus continetur.

39. Quæstioni factæ de festo B. Antonii et ejus officio respondetur, et sicut fit in Carthusia, sermo in matutinis *Omne quod agimus*, etc., evangelium tam ad matutinas quam ad missam, *Si quis venit ad me*, etc., homilia B. Gregorii papæ, *Si consideremus*. Introitus missæ *Os justi*, et epistola *Justum deduxit*.

40. Cum secundum statutum ordinis monachi non sacerdotes et moniales loco missæ tricenarii 50 psalmos dicere teneantur : similiter declaramus, quod in domibus monialium et monachorum, ubi non sunt tot sacerdotes quot missas debitas, etiam si ultra illam qua debentur hebdomadam differantur, reddere non sufficiunt, pro qualibet missa, quæ solvi non potuit, psalmi 50 dicantur juxta ordinationem et dispositionem vicarii et rationis, non tamen propter hoc moniales omittant reddere pro brevi unum psalterium, sicut in novis statutis continetur.

41. Dominica infra octavas eucharistiæ dicitur titulus primæ lectionis *Ex dictis sanctorum*.

42. Ordinamus quod festum B. Hugonis episcopi Lincolniensis, quondam monachi Carthusiæ et prioris de *Vilam* cum candelis et capitulo per totum ordinem celebretur. Conversi ab operibus non cessent, nec habeant capitulum. In primis vesperis super psalmos debet dici antiphona prima de laudibus *Ecce sacerdos magnus*, et secundum responsorium, et missa sine symbolo.

43. Declaratur quod missa festi trium lectionum eveniens in die Cinerum et deinceps, propter missam jejunii non impeditur, sed ab hebdomadario est dicenda.

44. Item declaratur quod quando plures breves eveniunt in hebdomada, et missas reddi secundum antiqua statuta cum suis propriis orationibus, non obstante quod de duobus brevibus dicendis in hebdomada est statutum. Si tamen plures quam duo breves in hebdomada contigerint evenire, quot plus evenient, tot minus dicentur in hebdomada subsequenti.

45. In festo de Conceptione B. Mariæ dicatur loco *Conceptionis, Sanctificationis*.

46. Declaramus quod quando occurrit anniversarium præsente defuncto, duæ agendæ eodem die debent dici, una videlicet anniversarii post vesperas in ecclesia, et alia more solito prope funus.

V.

STATUTA CAPITULI GENERALIS ORDINIS CARTHUSIENSIS EDITA ANNO 1261.

(Ex ms. Colbert. 3807.)

1. Anno Domini 1261, statutum est quod prior et procurator possunt dicere *Placebo* et *Dirige* post nonam, quando sunt extra conventum, et infirmi similiter.

2. Item, quod domus Vallis Viridis possit scribere domino papæ pro sibi necessariis.

3. Item, conventus non comedant extra domos.

4. Recepti et recipiendi de ordine Minorum et Prædicatorum non possunt habere obedientias cum cura, sine dispensatione summi pontificis. Ipsi etiam qui professi fuerint in prædictis ordinibus vel in Cisterciensi, non possunt aliquas obedientias etiam sine cura habere in ordine nostro sine dispensatione capituli generalis.

5. Priores non dent vicariis generalem potestatem, nisi in casu evidentis necessitatis vel utilitatis.

6. Beneficia anniversariorum privatorum non fiant diebus secundum antiquam consuetudinem absentiæ deputatis ; possunt tamen fieri in quibuslibet festis capituli, cujuslibet domus consuetudine non obstante. Illud etiam quod dabitur feria III, vel Sabbato possit pro beneficio anniversarii computari, quidquid sit illud.

7. Statutum de facienda coquina per monachos semel in mense revocatur.

8. Nullus appellet nisi ad capitulum generale vel ad priorem Carthusiæ, aliter appellans ordinem amittat. Si autem judicio capituli pronuntiatum fuerit ipsam appellationem injustam fuisse, is qui sic appellavit juxta modum culpæ graviter puniatur.

9. Nullus appellet, et correctionem nisi gravem et manifestam contineret iniquitatem. Appellationem autem quacunque ex causa emissam non prosequatur in propria persona, sed per nuntium et litteras, et priores teneantur in hoc casu ministrare subditis suis nuntium et expensas.

10. Conversi et redditi teneantur ostendere et ex-

ponere voluntati prioris, vel etiam procuratoris quidquid habent in cellis vel alibi, quotiescunque ab ipsis super hoc fuerint requisiti, ne sententiam excommunicationis contra proprietarios latam incurrant.

11. Quando aliquis monachus de ordine Cisterciensi vel Nigrorum apud nos facit professionem, non benedicitur, si in suo ordine fuerit benedictus. Cætera tamen facit, videlicet versum *Suscipe me, Domine*, orari pro se postulat, professionem legit et communicat.

12. Si aliquis infirmetur infra terminos nostros tam graviter, quod non posset intrare terminos pedes vel eques, non potest recipi vel indui ordinate.

13. Novitii non faciant professionem nisi proprio priore præsente, vel alio de ordine nostro per voluntatem ejus, si præsens non possit esse.

14. Cuilibet statuum nostri ordinis, scilicet monachorum, conversorum et redditorum, loco trium inutilium possunt addi tres utiles.

15. Nullus præsumat proponere aliquid ad statuendum, per quod antiquus rigor ordinis minuatur, quicunque vero hoc fecerit, et monitus a priore Carthusiæ vel a definitoribus cessare noluerit, ipso facto ordine sit privatus.

16. Visitationes domorum Cataloniæ, Angliæ et Sclavoniæ et S. Bartholomæi et cæterarum domorum multum remotarum a Carthusia non fiant nisi anno bissextili, nisi capitulo vel priori Carthusiæ videretur quandoque aliter faciendum.

17. Quicunque de incontinentia indicibili convicti fuerint vel confessi, perpetuo carceri mancipentur sine spe deliberationis.

18. Singulæ domus nostri ordinis carcerem sufficientem habeant, in quo ad agendam pœnitentiam, recludantur criminosi, et omnis qui minatur mortem vel ignem, donec de ipsis per capitulum aliter ordinetur. Ad incarcerandos vero prædictos criminosos teneantur subditi suis prioribus vel vicariis, aut visitatoribus obedire.

19. Prior Carthusiæ possit reconciliare ordini quoscunque criminosos, servata ordinis disciplina, propter cavendum scandalum et periculum animarum, et etiam prior proprius ipsorum criminosorum in articulo mortis.

20. Fugitivi reperti absque litteris prioris Carthusiæ vel priorum suorum, per quoscunque priores ordinis licite possunt capi.

21. Diffinitores fugitivorum non se debent intromittere de reconciliatione vel disciplina fugitivorum, qui causa reconciliationis veniunt ad capitulum, sed diffinitores capituli generalis.

22. Capitulum generale potest ex plenitudine potestatis quamcunque ordinis personam collocare ex causa rationabili in quacunque domo ordinis ad professionem etiam faciendam.

23. Si quis semel professus fuerit in aliqua domo ordinis, et iterum profiteatur in alia, sufficiat ei ad professionem, ut promittat priori obedientiam in conventu.

24. In octava Nativitatis Domini dicitur præfatio de nativitate, et *Communicantes*, et *Hanc igitur*.

25. Quando Apparitio Domini in dominica contingit, fit commemoratio de dominica, et sunt antiphonæ *Cum factus esset*, etc.

26. Post lectiones de prophetis, cum terminantur cum *Explicit*, dicitur: *Tu autem, Domine*.

27. In festo inventionis S. Stephani dicuntur antiphonæ et responsoria, sicut in octava natalis ejusdem.

28. Feria IV et VI jejuniorum quadragesimalium, post alias orationes dicitur oratio, *Omnipotens, qui vivorum*.

29. In missis defunctorum, in quibus ex ordine debet dici tractus *De profundis*, dicatur introitus, *Requiem æternam*.

30. Qualibet hebdomada totius anni dicuntur duo breves, et non plures usque ad capitulum generale, nisi in una hebdomada plures personæ in aliqua domo decederent, vel alia subesset aliqua justa causa. Nam post capitulum generale dicuntur plures, si non sufficerent antedicti.

31. Priores non teneantur sequi consilium conversorum in receptione aliorum, nisi viderint expedire.

32. Conversi et redditi communicare debent in die professionis suæ.

33. Hospitantes in domo de Plantatis nihil ibidem, præter ea quæ per illos de S. Roberto promissa sunt, requirant.

34. In stando in ecclesia superiori conversi et redditi debent monachos imitari.

35. Laicorum numerus, quos conversos vocamus, tresdecim est statutus, et redditorum duo possunt esse clerici, et intrare chorum monachorum, etiam sine cappa, et officium monachorum præter missas facere, capitulo interesse, et in refectorio monachorum comedere, cum a prioribus eorum, ut in prædictis, gratia eis fiat.

36. Redditi laici comedant in refectorio cum conversis, tempore quo comedent ipsi redditi in domo superiori.

37. Nulla monialis possit eligi de cætero in priorissam, nisi triginta annos ætatis habeat. In qualibet domo monialium priorissa promittat obedientiam vicario, et moniales tantummodo priorissæ. Monachi vero qui sunt in aliqua domo monialium, cappellani atque conversi et redditi promittant obedientiam vicario tantum.

38. Capellani et clerici et redditi cum monachis vel monialibus conversantes, teneant ordinem in jejuniis sicut moniales et monachi supra dicti.

39. Declaramus quod ordinem tenere est feria II et IV esse contentum pane et vino et coquina; feria III et Sabbato, pane, vino et coquina sine pittantia; feria VI, pane et aqua; festis capituli et feria V, sicut et alii ex debito.

40. Quam cito *Sanctus* incipitur, caputium induitur.

41. In pluribus tricenariis simul inchoandis, quilibet suam habet missam et propriam orationem, et postea addentur simul in oratione plurali.

42. Tapetia universa et quarrelli picturati vel curiosi de cellis amoveantur.

43. Picturæ curiosæ de ecclesiis et hospitiis deleantur.

44. Statutum est ne aliquis de ordine nostro possit præfici in priorem de cætero, quoad usque a tempore professionis per duos annos laudabiliter in ordine nostro fuerit conversatus.

45. Novitii qui veniunt ad ordinem nostrum sibi provi leant de vestibus, si habeant unde.

46 Sacerdos qui non potest celebrare missam, in conventu inutilis reputatur.

47. Clericum redditum priores recipiant, consultis monachis.

48. Statutum quod termini deinceps per duos priores limitati more solito et scripti ad sequens capitulum apportentur, et ibi rationabiliter examinati per omnes diffinitores confirmentur, et sigillentur, et extunc habeant roboris firmitatem, approbatur et confirmatur.

49. Si contigerit mori equitaturam visitando, emendationes quindecim librarum non excedant; si minus valet, emendatio minuetur.

50. Nulla domus habeat colloquium præter festum XII lectionum.

51. Hortamur et volumus quod priores quorum conventus propter paupertatem dividuntur, nullos novicios interim recipiant absque licentia prioris Carthusiæ vel capituli generalis.

52. Monitio sit effectuosa et districta, ut nullus prior vel alia persona ordinis libros vel quæcunque alia obstinate sibi appropriet per usum fructum sibi concessum.

53. Qui reconciliatus fuerit ordini, licet alibi obierit, et sepultus fuerit, non caret beneficio ordinis.

54. Procuratores ordinis in domo superiori sine licentia speciali nihil debent dare vel possunt, nisi manifeste eis conceditur in statutis.

55. Illi qui volunt ostium chori aperire, in elevatione habeant fracticum ostium, quod aperiatur tantum in elevatione, et postea claudatur.

56. Cum communitas præferenda sit proprietati, nemo de cætero suadeat, consulat vel procuret eleemosynas assignari ad pittantiam, infirmariam vel sacristiam vel aliquid tale.

57. Monemus ne portetur potus a monachis foris, nec super hoc credatur prioribus vel hospitibus adventitiis, et patres domorum, quantum possunt, dissuescant.

58. Ordinamus præcise, et irrevocabiliter volumus observari, quod conversi et redditi, qui de cætero ad dominos sæculares recurrent, conquerendo et denuntiando per se vel per alium de ordinationibus seu correctionibus, domum suam perpetuo amittant, monachi vero voce careant in æternum.

59. Si quis voluerit exire ordinem, vel alium exire sollicitaverit, per visitatores perpetuo voce privetur.

60. Præcipimus ut cum duo in cella fuerint, primo ostio penitus aperto, secundum ostium nullatenus obseretur.

61. Ordinamus et volumus quod redditi clerici in illis casibus, in quibus conversi amittunt barbam et cellam, ex nunc puniantur sic, quod nunquam portent cappam nisi grisam, et caputia habeant ad modum novitiorum, dimidiam tortam panis monachorum cum pane familiæ tantummodo. Et idem dicimus de redditis laicis suo modo.

62. Ordinamus et volumus modis omnibus, quod quælibet domus custodiat deposita sub duabus vel tribus clavibus, quarum unam custodiat prior, aliam vel alias custodiant illi quibus prior duxerit committendum.

63. Associationem tricenarii faciendam statuimus primo anniversario post incœptionem tricenarii.

64. Non credimus clericos redditos teneri ad psalteria

65. Sacerdos ad altare, quando se vertit ad populum, jungat manus, nec retorqueat ad pectus ad *Dominus vobiscum*.

66. Novitii conversi et redditi possunt mitti extra terminos pro utilitate domus suæ.

67. Conversi se vocent ad invicem fratres; qui contra fecerit, veniam accipiat.

68. Nec monachi, nec conversi præsumant de cætero sigilla servare, vel sculpere; sed qui habent, statim reddere teneantur.

69. Quoties aliquis constituitur novitius, novitiorum propter disciplinam ultimus intelligitur eorum quos invenerit, nisi aliud exprimatur.

70. Quando in festo Trinitatis commemorationem fieri contigerit, fiat de officio paschali.

71. Volumus et monemus ut visitatores vigilent et intendant, nec mittant hospites, ubi hospites tres sciverint esse.

72. Stola non concellata, sed uniformiter deportetur.

73. Caveant visitatores, quantum poterunt, ne conversi et servientes sui culpas et modum visitationum domorum quas visitabunt, sciant, vel inquirant et revelent.

74. Qui voluerint de cætero aliqua proponere capitulo generali, proponant in scriptis sub brevibus verbis, et tradant lectori.

75. Capellani et clerici cum monachis et monialibus conversantes teneant ordinem sicut moniales et monachi in jejuniis. Beneficia temporalia habent sicut conversi, et spiritualia sicut monachi, et ad reddenda ea pro aliis sicut et ipsi teneantur.

76. Non detur pittantia monachis in cœna carnisprivii in refectorio, nec conversis in cellis.

77. Fiat commemoratio in festo sanctæ Crucis, si

sit in Dominica, primo de Dominica, post de octava Mariæ, et post de martyribus.

78. Qui professionem fecerit in ordine nostro, et exierit, et postea redierit, non faciat iterum professionem, sed statim promittat obedientiam.

79. Monachi qui non sunt sacerdotes, dicant unum psalterium pro tricenario concesso illis qui non sunt de domo.

80. Sabbato jejuniorum, legat prior quintam lectionem, licet in mane celebraverit.

81. Ad preces priorum supervenientium, nisi ipsis præsentibus, non detur monachis pittantia diebus ab ordine concessis, nec exeant domum, causa spatiandi.

82. Ordinatum est ut novitii, recitata lectione in capitulo, et propositis quæ proponenda sunt a priore, confestim a capitulo, et omnino de capitulo generali excludantur.

83. Oratio de vigilia S. Andreæ et festi S. Syleæ bis continuatim dicantur.

84. Inobedientes scienter visitatoribus, a suis prioribus absolvi non possunt.

85. Visitatores, ubi invenerint quod monachi extra clausuras domorum comedere consueverunt, consuetudinem reprehendant et castigent.

86. Non revelentur secreta ordinis.

87. Credit ordo, quod statutum Lugdunensis concilii non arceat nos ad inclinandum, quoties hoc nomen *Jesu* auditur ; sed fiat sicut ante.

88. Aliqua monialis non mittatur de domo sua per visitatores, nisi pro nova plantula construenda, et tunc de licentia prioris Carthusiæ vel capituli generalis.

89. Monachi qui missi sunt, et qui mittentur de cætero ad domos ordinis ad professionem faciendam, illam faciant infra mensem

90. Priores qui exonerantur de hospitibus, illis tenentur expensas necessarias ministrare.

91. Missa beneficiorum debet reddi in festo XII lectionum, etiam tricenario durante.

92. Quacunque die contingit octava Apparitionis, si aliter dici non possit responsorium *Domine, ne in ira*, etc., ipsæ octavæ fiant Sabbato præcedenti.

93. Ordinamus et volumus, ut præbendarii sæculares de cætero non recipiantur in ordine sine licentia capituli generalis vel prioris Carthusiæ super annum.

94. Omnes ludi manuales a personis ordinis evitentur.

95. Garciones non permittantur exire potestatem Carthusiæ, sedente capitulo generali, nec priores eorum dent eis pecuniam ad bibendum.

96. Ordinamus et volumus, quod si aliquæ personæ de ordine Mendicantium receptæ sunt, vel recipiantur (quod vix fiat) non possint habere obedientiam sine licentia capituli generalis.

97. Priori Vallis Viridis conceditur tertius clericus.

98. Inhibemus ne de cætero conversi vel redditi equitent in campis [*f.* in cappis] nigris.

99. Injungitur prioribus in virtute sanctæ obedientiæ et præcipitur ne præsumant dare parentibus vel cognatis sine consensu aliquid vel aliqua de bonis domus, unde domus gravetur.

100. Declaramus et volumus, quod de cætero nullus prior recipiat aliquam personam ad ordinem sine consensu et voluntate conventus sui vel majoris partis.

101. Ordinamus, quod redditi, tam clerici, quam laici teneantur ad silentium : aliquando ratione loci sicut in ecclesia et in refectorio, vel in mensa, vel in claustro; aliquando ratione personæ, sicut cum personis quæ tenentur ad silentium.

102. De festis SS. Benedicti, Hugonis, Ambrosii, quando paschali tempore evenerint, nihil immutatur, quin fiat sicut ante Pascha, quantum ad homelias et evangelia et epistolas, tam in missa quam in matutinis.

103. Visitatores non possint emittere hospites extra provinciam quam visitant, nisi mitterent in domum unde ultimo fuerint professi.

104. Statutum de relatione monialium, quæ officia habuerint et dimiserint, approbatur et confirmatur.

105. Injungimus visitatoribus ordinis, quod non vereantur injungere prioribus quod petant misericordiam, quotiescunque rationabilem causam viderint apparere, et maxime illis quos in hoc viderint obstinatos.

106. Deliberatione provida statuendum, quod quicunque subditus monachus vel conversus seu redditus, commiserit crimen furti, seu alienationis, vel proprietatis ultra valorem trium solidorum, nec ipse priori suo saltem constitutis temporibus in statutis confessus fuerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, et hanc sententiam denuntient annis singulis priores, vel ipsis absentibus vicarii in domibus suis in Dominica Ramis palmarum latam per capitulum generale; hoc addito quod priores possint absolvere sicut prius, et vicarii usque ad adventum prioris.

107. Statutum est ut quicunque conversus de cætero peccatum incontinentiæ commiserit, domum suam perpetuo amittat, et ad statum redditi, quoad victum et barbam reducantur, et cellam amittant sine spe dispensationis.

108. Similiter cellam amittit quicunque priorem suum diffamaverit, aut damnum domus procuraverit, sollicitando creditores ad recuperanda debita, vel exhortando aliquos ad capienda bona domus, vel alia damna inferendo.

109. Illud idem observetur in de furto et proprietate convictis.

110. Statutum factum circa victualia conversorum stet, de duobus.... panum et pane avenacco, et de vino dando solummodo temporibus statutis, secundum formam in statutis, contentam firmiter observetur : ita quod, non obstantibus aliquibus con-

suetudinibus contrariis aliquarum domorum, prædictum statutum a modo teneatur; nisi priores, qualitate regionis et personarum et domorum considerata, duxerint cum eis misericorditer dispensandum. Si vero propter hoc vel aliud a laboribus se subtraxerint, aut minus fideliter laboraverint, aut... laborem fecerint, et hoc constiterit priori vel procuratori, et moniti se non correxerint, prior de conventus sui vel majoris partis consilio mittat eos ad priorem Carthusiæ alibi sustentandos.

111. Cum conversi et redditi recipiantur post salutem animarum præcipue pro labore, et nonnulli propria manu laborare recusent, statuimus, ut quicunque super hoc a priore vel procuratore reprehensi fuerint, et moniti non se emendaverint, vino et pittantia priventur, quandiu priori videbitur, nisi eos evidens necessitas excusaret.

112. Conversi infra terminos domorum suarum non equitent, nisi ita essent debiles et infirmi, quod pedes ire non possent, nec extra, nisi secundum quod scriptum est in statutis.

113. Prior et procurator quotiescunque eis placuerit, vel saltem semel in mense cellas et officinas conversorum diligenter visitent, et inquirant, et ipsi conversi eis omnia exponere teneantur. Et si aliquis cibaria præter licita et debita in cella assuetus fuerit reponere et tenere, et monitus non se correxerit, cella perpetuo privetur. Et amodo seras clandestinas non habeant sub pœna contenta in statutis; in ostio vero anteriori seras possint habere, si priori videtur expedire, cujus clavem quotiescunque extra domum exierint tradant coquinario : quod qui non fecerint, sequenti die quo dabitur vinum et pittantia, careant ipsi.

114. Exhortamur priores, ut in correctione conversorum sint pervigiles et intenti, et in receptione eorum non teneantur sequi consilium conversorum.

115. Ad statutum quod conversi se vocent ad invicem fratres, additur quod qui contra fecerit, in sequenti capitulo clamet culpam suam, et sine misericordia accipiat disciplinam.

116. Statuta de novo facta conversis immediate post sermonem legantur ab illo cui prior duxerit injungendum, quater in anno vel amplius, si priori videbitur.

117. Terræ inutiles, remotæ et steriles ad tempus possint dari in emphitheosim de consensu conventuum, secundum quod sibi videbitur faciendum. Si vero aliqui conversi prædicta impedire palam vel occulte tentaverint, ita quod possit probari, redditi efficiantur.

118. Ordinamus etiam quod prædicta statuta statim probentur et confirmentur.

119. De tribus vero personis, in quibus prior Carthusiæ poterat dispensare supra annum ultra numerum tresdecim conversorum, ulterius cum domibus quæ multum indigebant, ordinamus quod illæ tres personæ in redditis recipiantur, hoc adjecto quod si aliqua persona valde domibus necessaria et utilis appareret, quod prædictus prior inspecta qualitate personæ possit dispensare cum uno vel duobus de illis tribus, ut conversi efficiantur.

120. Volumus omnimodo quod prædicta statuta observentur et in sequenti capitulo confirmentur.

121. Quater in anno legantur hæc statuta conversis et redditis omnibus congregatis in capitulo ipsorum, videlicet in festo Purificationis, S. Joannis, et Assumptionis B. Mariæ.

Nota. — Etsi hæc statuta annum 1261 præfixum habeant, non omnia tamen eo anno, sed aliqua subsequentibus annis edita esse opportet. Id patet ex statuto 87 in quo fit mentio decreti editi in concilio Lugdunensi.

VI.

STATUTA EDITA IN CAPITULO GENERALI ORDINIS CARTHUSIENSIS ANNO 1289.

1. Anno Domini 1289, de novo statuimus quod quælibet domus ordinis possit habere duos clericos redditos, qui sint de numero VII redditorum.

2. Item pro personis in domibus associatis persolvant priores, sicut pro personis propriis, nisi mutua pactio aliud contineat.

3. Item de novo statuimus, ut deinceps termini per duos priores more solito limitati et scripti ad sequens capitulum apportentur, et ibi rationabiliter examinati per omnes diffinitores approbentur et sigillentur, et extunc habeant roboris firmitatem.

4. Item de novo statuimus quod priores et procuratores, qui reperti fuerint culpabiles negligentia vel alio modo de evasione incarceratorum, sequenti capitulo clament culpam suam, etsi judicio capituli dignum fuerit, obedientiis priventur; alii vero qui evasionis causam dederint, obedientias de cætero non habeant et locum subeant evadentis.

5. Item, de novo statuimus quod monachi conversi et redditi de incontinentia convicti et confessi, si contigerit aliquo tempore reconciliari eos ordini, nullo modo fiat id domibus in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem, de quo si educerentur, nullo modo ibi remaneant, sed alibi collocentur sub debita disciplina.

6. Item, cum scandalum non modicum et inter magnos in terra ista ortum fuerit propter scyphos argenteos a quibusdam prioribus deportatos, inhibemus districte ne de cætero extra domos per aliquem de ordine deportentur.

7. Item, de novo statuimus quod visitatores quos

obire contigerit intra domum aliquam ordinis, ibi habeant monachatum; et si prope, tricenarium habeant in domo in qua sepelientur.

8. Item, inhibemus ne quis per se impetret vel impetrari faciat a principibus vel aliis quibuscunque litteras rogatorias pro seipsis.

9. Item, associationem tricenarii faciendam statuimus primo anniversario post inceptionem tricenarii.

10. Item, ad quæstionem prioris Vallis S. Petri respondetur, quod per modum statuti non fuit concessum quod prior Carthusiæ posset compellere per censuram ecclesiasticam domos quæ ei debeant, et ideo non oportet quod statutum revocetur, quia nullum.

11. Item, domus Belli Larici vocetur de cætero Bellus Locus.

VII.

STATUTA EDITA ANNO 1290.

1. Anno Domini 1290 statutum de duobus clericis habendis approbatur, et de comedendo in refectorio cum monachis.

2. Item, si cathedra S. Petri accidit in quadragesima, missa ejus dicetur in mane, nisi acciderit in Sabbato vel Dominica.

3. Item, quicunque causam evasionis dederint incarceratis, obedientias amittant, et locum subeant evadentis quandiu placuerit capitulo generali.

4. Item, statutum quod monachi vel conversi aut redditi de incontinentia convicti, si contingat eos aliquo tempore reconciliari ordini, nullomodo hoc fiat in domibus principalibus, vel in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem, etc., ut supra approbatur et confirmatur.

5. Item, statutum de brevi dando illis qui habent participationem confirmatur.

VIII.

STATUTA ANNI 1291.

1. Anno Domini 1291 concessa sunt auctoritate capituli generalis per diffinitores datos ab eodem super litem quæ erat in ordine, pro littera a domino Gregorio papa X impetrata, domno priori Carthusiæ qui nunc est, et illis omnibus qui pro tempore fuerint, hæc quæ sequuntur, videlicet omnimoda potestas in foro pœnitentiali audiendi confessiones priorum, et absolvendi eosdem qui ei voluerint confiteri. Item, quod possit facere misericordiam prioribus super annum eam petentibus, si ex justa causa vel utili eam viderit faciendam. Item, quod ubicunque in tractatibus ordinis duplicem vocem habeat ad rigorem ordinis observandum. Item, quod quilibet prior Carthusiæ semel in toto tempore suo tantum possit mittere duos ex monachis suis ad alias domos ipsius ordinis, cum pace tamen ipsorum et conventus dictæ domus, si contingeret quod aliqua bona persona veniret ad dictam domum Carthusiæ, nec posset ibi recipi propter multitudinem monachorum.

IX.

STATUTA NOVA CAPITULI GENERALIS.

1. Professio non sit a novitiis, nisi priore præsente.

2. Recepti ad statutum terminum venientes, si prior absens fuerit et multum remotus, nihilominus a conventu induantur et incellentur.

3. Visitatio Scalæ Dei fiat anno bissextili.

4. Concessum est domibus Scalæ Dei, Angliæ, S. Bartholomæi, Hiberniæ, Sclavoniæ, quod vicarius cum antiquiore possit confirmare electionem prioris a conventu, si prior non fuerit in illis partibus, qui pro confirmanda electione possit vocari.

5. Injungitur prioribus, ut se defendant per privilegium indultum a præstatione decimarum.

6. Post completorium dicatur antiphona *Sancta Maria*, et oratio *Concede nos*.

7. A quarto Nonas Novembris usque ad Septuagesimam, agendam (1) præter laudes in cella dicimus, post Nonam vel post vesperas in festis XIII Lectionum; ferialibus vero diebus post vesperas dicimus propriam sive specialem cum tribus antiphonis, et IX lectionibus, quotidianam vero cum prima antiphona et tribus lectionibus. Et sciendum quod in prædicto tempore dicuntur tres primæ lectiones diebus dominicis, etc., per ordinem.

8. Prior Carthusiæ potest mutare visitatores ex causa.

9. Corpus Domini servetur in capella inferiori cum sera a quibuscunque placuerit, ita tamen quod renovetur in qualibet hebdomada, si commode fieri potest. Missa B. Mariæ in Sabbatis, in festis capituli et candelarum dicatur privatim, exceptis diebus

(1) *Agenda* est officium defunctorum.

Natalis Domini, Sabbato sancto, et quatuor festis B. Mariæ.

10. Vicarius dicat *Benedicite* etiam prioribus extraneis supervenientibus, absente priore.

11. Pro tricenario inchoando possit transferri anniversarium.

12. Agricultura non exerceatur in agrariis.

13. Loco trium personarum inutilium possunt recipi tres utiles, ita quod quilibet numerus non excedatur.

14. Novitii possunt celebrare missas privatas, et ad eas servire ad arbitrium prioris.

15. Nullus præsumat contendere vel ludere palam vel privatim cum priore secundum regulam S. Benedicti.

16. Capitulum privatum compellat eum propter quem vocabitur ad solvendas expensas quæ fient in eo.

17. Pro sepultura redditorum laicorum non comeditur in refectorio, nec vigilatur a monachis, nisi eos obire contigerit in domo superiori.

18. Prior non cesset ab officio in festo Reliquiarum ecclesiæ inferioris propter fragilitatem (2), sicut nec in festo dedicationis ejusdem.

19. In festis Purificationis et Annuntiationis dicatur *Gloria in excelsis*, quandocunque contingant.

20. Sine consilio procuratoris, vicarii et sacristæ prior non possit mutuo dare ultra decem libras simul vel per partes.

21. Orationes in missis septenarium numerum non excedant, nisi necessitas orationum incumbat.

22. Dedicatio non muletur nisi propter festum candelarum, et tunc cum tota solemnitate sua celebretur, et comeditur in refectorio : tamen possunt conversi et familia laborare.

23. Quando vigilia contingit die Dominico, fiat jejunium et commemoratio die Sabbati.

24. Infirmus in ecclesia sedeat in loco suo, vel stet si placuerit, nec transeat ad locum inferiorem.

25. Comedatur in refectorio in sepultura prælatorum.

26. Pro tricenario sive psalteriis dicant clerici vel monachi non sacerdotes L psalmos et laici L *Pater noster*.

27. Clericus redditus quando fit monachus, in suo habitu cum cappa probetur.

28. Infra octavam Apparitionis, Ascensionis, et Assumptionis ac Nativitatis B. Mariæ dicatur feriale *Kyrie eleyson* sine *Gloria in excelsis*, nisi in Sabbato aut festo XII Lectionum.

29. Prior debet dicere primam missam tricenarii cujuslibet, si sit paratus, etiamsi sit hebdomadarius.

30. In festo reliquiarum et dedicationis inferius non frangatur jejunium. Item, propter hospites jejunium non frangatur.

31. Pro archiepiscopo vel episcopo dicatur oratio *Da nobis, Domine, ut animam famuli tui sacerdotis et pontificis*, etc.

32. Omnes monachi sepeliantur cum cilicio, tunica et cuculla et caligis et pedulibus.

33. Conversus aliquis non serviat ad missas.

34. Quando contigerit duo festa transferri, officium majoris festi fiat prima die, et aliud sequenti; et si contingat anniversarium die illa, non impediatur translatione.

35. Omnes qui minitantur mortem vel ignem, vel aliquid simile, cuicunque personæ ordinis, possint incarcerari juxta arbitrium suorum.

36. Missa de Cathedra S. Petri in die Cinerum et post dicetur ab hebdomadario, nisi acciderit in Sabbato, vel Dominica, nec dicetur tractus in ea.

37. Si aliquis prior prioratui cedens non invenerit locum vacantem in domo sua, prior possit eum ponere in hospitio vel in cella, et alium de monachis removere de cella et in hospitio ponere, cum pace et cum bona voluntate monachi.

38. Quando Annuntiatio Dominica celebrabitur post Pascha, dicatur responsorium *Prope est Dominus, alleluia. Surrexit Dominus.*

39. Novitii excludantur a capitulo, si priori videbitur.

40. Conversi se vocent fratres, qui contra fecerit, veniam accipiat.

41. Quotiescunque dicitur *In unitate Spiritus sancti Deus* in aliqua oratione, quando postea dicendum est *Deus in adjutorium*, ad *misericors Dominus* erigamur, cum *In unitate*, etc.

42. Statutum est quod nullus appellet nisi ad capitulum generale, et appellans juste non possit excommunicari, et lata excommunicationis sententia contra juste appellantem non teneat; aliter appellans incarcerari possit.

43. Noviter celebrantes non descendant a gradu altaris pro oblationibus recipiendis.

44. Convictus vel confessus de incontinentia qualicunque, si contingat illum reconciliari, nullo tempore possit eligi in priorem.

45. Clerici redditi gaudeant eodem privilegio quo conversi in victualibus, et comedendo in refectorio, et veniendo ad mandatum.

46. Festum B. Dionysii in domibus ordinis nostri in regno Franciæ possit cum capitulo celebrari.

47. Hæc dictio *Litium*, in plurali uniformiter pronuntietur per *i*.

48. Quando duo festa candelarum immediate succedunt, vesperæ subsequentis festi a capitulo incipiant, exceptis illis de quibus expresse contrarium statutum est.

49. Declaratio quod a die Paschæ in officio B. Mariæ duplex *Alleluia* dicatur, approbatur, nisi in festo Annuntiationis quando fit post pascha, in quo dicitur responsorium *Prope est Dominus*.

50. Statutum de faciendis carceribus approbatur, quibus includantur falsarii, incendiarii, homicidæ, vel minantes mortem, vel ignem, et vagantes

(2) Id est illusionem nocturnam, pro qua veteres monachi solebant a celebratione abstinere.

per mundam, et cæteri de quibus scriptum est et statutum.

51. Post quinquagesimam usque ad Pascha pro nullo festo frangitur jejunium.

52. Statutum est quod priores non permittant monachos vel conversos seu redditos professos aliqua ex causa servare denarios, suis vel extraneis usibus appropriatos vel propriandos.

53. Statutum est quod qui leviter protulerint *Prius dimitterem ordinem*, sive æquipollentia verba, *quam facerem* vel *obmitterem hoc vel illud;* si prior fuerit, sit extra sedem suam in ecclesia per unum diem; si subjectus, recipiat in capitulo disciplinam pro qualibet vice.

54. Ex præcepto et decreto ordinis teneantur priores recipere et afferre tempore competenti capitulo generali vel priori Carthusiæ denuntiationes conventuum secundum ordinis instituta, alioquin se noverint puniendos.

55. Sententia excommunicationis quæ fertur in Ramis palmarum a priore, præsentibus monachis, conversis et redditis, in scriptis proferatur.

56. In missis ad *Gloria in excelsis* et ad *Credo* ad nomen Jesu modice inclinetur.

57. Pelliciosos vulpinos et de bestiolis silvestribus, et calceamenta curiosa et plicata reprobamus, et de cætero non habeantur.

58. In omni missa quæ de vivis volvitur celebranda, per singulos dicitur *Omnipotens qui vivorum*.

59. Priores possunt dare potestatem vicariis absolvendi in absentia sua de quolibet peccato : ita tamen quod de mortali certo, quod absit, priori teneatur iterum confiteri.

60. Festum B. Magdalenæ cum candelis solemniter celebretur, non tamen dicatur *Credo*, nec communicet diaconus. In ipso festo propria oratio *Largire*, ad sextam vero *Deus qui nos annua*, ad nonam *Exaudi*.

61. Simplices monachi vel clerici vel redditi nostri venientes ad capitulum, exeant de capitulo oblatis petitionibus; nec redeant, nisi vocati quandiu habetur ibi tractatus. Conceditur omni priori Carthusiæ qui pro tempore fuerit, ut quilibet tempore suo tres monachos ordinis possit accipere de domibus ordinis cum pace personæ vocatæ, et ad professionem admittere in domo Carthusiæ. Cum tricenarium occurrit alteri tricenario sacerdotis, pro incipiendo dicatur *Da nobis*, et pro præcedenti *Deus cui proprium est... famuli et sacerdotis tui*. Deinde adducuntur in plurali numero, scilicet *Da nobis*, *Domine*, *ut animas*, etc.

62. Conversi qui contra formam ordinis inventi fuerunt se cum novacula rasisse grennones (3), secunda, quarta et sexta feria a vino abstineant usque ad aliam rasuram : priores vero et procuratores, qui hæc observari non fecerint, postquam sciverint, abstineant a vino semel in septimana, quousque ad sequentem rasuram, præter abstinentias ab ordine constitutas.

63. Instituta facta de numero conversorum redacto ad XIII confirmatur, hoc addito quod in magna necessitate prior Carthusiæ super annum vel capitulum generale cum domo indigente usque ad XVI poterit dispensare.

64. Quicunque celaverint visitatoribus ea quæ debent revelari eis, non possint a prioribus suis absolvi, nisi injuncta eis pœnitentia septem abstinentiarum continuarum, diebus abstinentiæ deputatis, ultra abstinentias debitas, quam pœnam caute et diligenter faciant observari.

65. Statutum quod priores qui reperti fuerint culpabiles negligentia vel alio modo de evasione incarceratorum, in quibusdam confirmatur chartis. Post hoc verbum *incarceratorum* sequitur : obedientias amittant, et eidem pœnæ subjaceant subditi, locumque subeant evadentis, quandiu videbitur capitulo generali. Sequenti capitulo clament culpam suam, et si judicio capituli dignum fuerit, gravissime puniantur. Alii vero qui evasionis causam dederint, obedientias de cætero non habeant, et locum subeant evadentis, quandiu placuerit capitulo. Idem faciant et recipiant procuratores coram visitatoribus vel per eos, approbatur et confirmatur.

66. Statutum quod priores omnem subditum suum convictum vel confessum de quocunque crimine, quod secundum ordinis instituta consueverunt de ordine penitus expelli, teneant in carcere angusto usque ad capitulum generale, vel visitatores generales, vel speciales, ut materia evagandi de cætero amputetur, approbatur et confirmatur, et ad hoc agendum subditi tenentur obedire.

67. Statutum quod monachi et conversi et redditi convicti de incontinentia, si contingat aliquo tempore eos reconciliari, nullo modo hoc fiat in domibus principalibus, vel in quibus convicti fuerint, nisi ad perpetuum carcerem de quo si educerentur, nullomodo ibi remaneant, sed alibi collocentur sub debita disciplina, approbatur et confirmatur.

68. Ordinatio quod clerici redditi non legant evangelium sine licentia priorum suorum, nec comedant in refectorio, nec intersint capitulo sine mandato prædicto, approbatur et confirmatur.

69. Statutum quod moniales teneantur reddere breves ordinis atque missas, scilicet pro missa una psalterium unum, et nos faciamus pro eis secundum ordinis instituta, sicut pro aliis personis nostri ordinis, approbatur et confirmatur. Pro tricenariis solvant quælibet quinquaginta psalmos sicut monachi non sacerdotes.

70. Statutum quod conversæ monialium, quæ de cætero recipientur, non portent velum nigrum, et si aliqua monialis de cætero de incontinentia convicta fuerit, inter cæteras pœnas velo careat nigro in per-

(3) Grenones seu graniones sunt ea barbæ pars quæ infra nares est.

petuum, sine spe aliqua rehabendi, approbatur et confirmatur.

71. Statutum quod moniales habeant vittas in scapulariis more monachorum, conversæ vero non, approbatur et confirmatur.

X.

STATUTA ANNI 1332.

1. Anno 1332. Qui non fecerint carcerem in domibus suis infra primorum visitatorum adventum, in futuro capitulo generali clament culpas suas.

2. Festa apostolorum Petri et Pauli, Joannis, Jacobi utriusque, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, et Mathiæ, quatuor evangelistarum, quatuorque doctorum, semel in anno cum capitulo celebrentur, nec ob hoc amplius solito cessent a negotiis, vel ascendant superius in operibus occupati.

3. Priores ordinis portent ubique fissos sotulares, cappas totaliter nigras; inter duo linteamina non jaceant, neque duo ministrent hospitibus, nec unquam dent ad mensam nisi duo fercula ad plus post coquinam.

4. Monachus a confirmatoribus eligatur, qui vadat ad requirendum priorem electum exterius.

5. Quicunque indisciplinati vel contentiosa verba in colloquiis proferre fuerint assueti, ad priorum suorum arbitrium a colloquiis excludantur.

6. Nunquam vadat monachus deinceps ad generale capitulum cum priore.

7. Priores et vicarii dominarum legendam sibi procurent, quæ legitur in Carthusia in Octobri et per octavam Eucharistiæ.

8. Monachi vocati ad domos novas, ibidem statim profiteantur

9. Priores sibi ad invicem scribentes, dicant *Patri venerabili* vel *dilecto*.

10. Litteræ de vocandis monachis aliisve personis ordinis, ultra triennium nihil valent

ADDENDA

ANNO MCXXV

MAGISTER LAMBERTUS

CARTHUSIENSIS

DOMUS SQUILLACENSIS PRIOR

NOTITIA.

(Mabillon, *Annal. Bened.*, tom. VI, lib. LXXIII, n. 92, ex archivo Carthusiæ Majoris.

in Calabria, cum in domo Squillacensi per annos fere septemdecim prioris seu magistri (sic enim tum vocabantur præpositi) munus recte gessisset Lanuinus, hoc anno (1119) decessisse memoratur. Beatus appellatur Lanuinus, cujus reliquiæ cum reliquiis S. Brunonis permistim asservari dicuntur. Ejus successor a nonnullis ponitur magister Secherus, ab aliis Lambertus, qui primus statuta edidit tam pro anachoretis quam pro cœnobitis qui Mentauri haud longe a Squillaco in S. Stephani monasterio degebant.

MAGISTRI LAMBERTI STATUTA.

(Mabill., *ibid.*, tom. VI, app. p. 638.)

De anachoretis. Ut illi de cellis jejunium continuum et continuum teneant silentium, sicut melius tenebatur in diebus magistri Brunonis.

Pro cœnobitis. In inferiori autem cœnobio constitutum est silentium teneri, sicut in regularibus tenetur monasteriis in Quadragesima, videlicet secunda, quarta et sexta feria.

Item pro anachoretis. Si in Adventu Domini dies

contingat festiva, fratres non reficientur nisi semel, exceptis diebus Dominicis. Ab Idibus igitur Septembris usque ad Adventum Domini constituit magister Bruno in quarta et sexta feria consuetudinaliter jejunium teneri in pane et aqua, secunda autem et septima feria habent fratres unum pulmentum et vinum; tertia vero et quinta, duo pulmentaria cum pittancia, si fuerit unde. Ab Adventu Domini prius deposito caseo et ovis usque ad Natalem Domini, secunda, quarta et sexta feria in pane et aqua, Sabbato vero vinum habeant et pulmentum unum, tertia vero et quinta, duo pulmenta et vinum. In Natale vero usque ad octavas bis reficiant in refectorio, sicut ubique habetur in consuetudine. Ab octavis Domini usque ad octavas Epiphaniæ, semel reficiant fratres in cellis, excepto die Epiphaniæ et festis duodecim lectionum. Ab octavis vero Epiphaniæ usque ad caput jejuniorum, quarta et sexta feria in pane et aqua, in Septuagesima, caseo deposito et ovis, in solemnitatibus semel reficiant, excepto festo B. Mariæ candelabricæ... A capite jejuniorum tres dies in hebdomada in pane et aqua usque ad pascha, excepto die Cœnæ Domini et cæteris festis, in quibus debent refici in refectorio. A Pascha usque ad octavas bis reficiant fratres in refectorio sicut in diebus festis Natalis Domini. Ab octavis Paschæ usque ad Pentecosten vino et pulmento cum aliqua pittancia, si fuerit unde, semel reficiant fratres per quatuor dies hebdomadæ, tertia vero et quinta feria bis reficiant, excepta Litania majore et Rogationibus, in quibus semel debent refici fratres. In festo octavarum Pentecostes in refectorio reficiant fratres sicut in festo paschali, exceptis jejuniis Quatuor Temporum, in quibus semel in refectorio reficiant, caseum habentes et ova. Ab octavis vero Pentecostes usque ad Idus Septembris tertia et quinta feria bis reficient, reliquis autem quatuor diebus sicut ab Idibus Septembris usque ad Adventum Domini. Notandum autem quod hoc tempore remissius agebat magister (id est prior) circa fratres pro qualitate temporis et laboris et ægritudinum.

Item pro cœnobitis. Fratres vero de Sancto Stephano a Pascha usque ad Adventum Domini reficiant, sicut præcepit beatus Benedictus, exceptis Rogationibus et Litania majori, in quibus semel reficiant. In Adventu Domini sexta feria in pane et aqua, secunda et quarta feria vinum habeant et unum pulmentum. A Natali usque ad octavas Epiphaniæ bis reficiant, excepta vigilia Epiphaniæ. Ab octavis Epiphaniæ usque ad Septuagesimam semel reficiant, exceptis festis duodecim lectionum. In Septuagesima dimittant caseum et ova; similiter incipiente Adventu Domini. In Septuagesima bis non reficient in aliquo festo, excepto festo sanctæ Mariæ. In Quadragesima reficient sicut in Adventu Domini. Magister, cum non longe equitaverit, quinque ducat equitaturas vel minus, si potest; si autem longe, septem vel novem.

INDEX
IN OPERA DIVI BRUNONIS.

Numeri Arabici Lectorem ad ciffras crassiores textui insertas revocant; Romani vero Operum S. Brunonis partem seu tomum significant.

A

Aaron montanus interpretatur, I, 353. Quomodo electus in pontificem, II, 374. Ejus domus prælatorum collectio, I, 436. Virga verum sacerdotium significat, II, 391.

Abba quid significet, II, 47.

Abimelech, I, 99.

Abraham duos filios habuit, II, 221. Fides commendatur, II, 403.

Absalon figura Judæ proditoris, I, 7.

Absolvi nemo potest nisi per ministros, II, 311.

Abundantes qui dicantur, I, 141.

Abyssus nimia profunditas, I, 263

Achaia provincia, II, 157.

Accusare quid sit, II, 50.

Adam vesper dicitur, et cur, I, 85. Omnes corrupit, II, 31. In eo post peccatum ratio non exstincta, sed debilitata, I, 129. Figuravit Christum, II, 52. Ecclesiæ custos, II, 52.

Adeps quid sit, I, 121.

Adoptatio duplex, II, 48.

Adulatio oleum vocatur, I, 360.

Adultera præfigurat castum, bonus malum citra injuriam, I, 168.

Ægyptus significat tenebras, I, 249. Et afflictionem, I, 327.

Ærugo luxuriam designat et cur, I, 311.

Æstas messem æternam designat, I, 285.

Affectiones pedibus comparatæ, I, 36. Manuum nomine appellata et cur, I, 31. Item, I, 73. Labiis comparantur, I, 263.

Afflictio corporis parum utilis, II, 325.

Æmulatio motus animi, II, 192.

Agar quos significet, I, 11. Quid significet, II, 222.

Alæ pro protectione, I, 194. Quid significet, I, 213.

Alleluia in titulo quorumdam Psalmorum bis positum, et cur, I, 427.

Allophyli Judæos denotant, I, 189.

Alphabeti inscriptio in dedicatione Ecclesiæ, III, 16.

Amalecitæ quos designent, I, 117

Ambulare secundum carnem, II, 189.

Andreæ apostoli testimonium de Eucharistia, I, 67.

Angeli montes dicuntur et cur I, 364. Ventis comparantur, I, 537. An loquantur inter se, II, 136. Nomina et officia cessabunt, II, 147.

Animæ nomina; I, 89. Vires duæ, 356. Pavimentum caro, I, 473. Quatuor principales virtutes, I, 484. Saginatur bonis operibus, I, 112. Quomodo facies habere dicatur, I, 494. Os, I, 532. Præstantia, I, 137. Totum hominem aliquando designat, II, 71.

Animi passiones, I, 133.

Annuntiare dicitur de futuro, I, 187.

Appetitus aliud est quam intellectus, I, 489.

Apollo archiepiscopus Corinth., II, 88.

Apostoli nominantur arietes, I, 82. Dii, et cur, I, 133. Cœlum, I, 197. Sapientes incantatores, I, 99. Fontes Ecclesiæ, I, 247. Oculi Christi,

I, 251. Oculi Ecclesiæ, I, 330. Fœtantes, I, 317. Fundamenta, I, 346, Nubes, I, 586. Genua Christi, I, 442. Turres, I, 317. Excussores, I. 324.
Aquæ populos significant, I, 44. Cur, I, 85. Prosperitatem, I, 254.
Aquilarum astus, I, 403. Diaboli typus, I, 411.
Aquilo diabolus, I, 154. Ejus latera, diaboli gens, I, 154.
Arabia quid signif., I, 270; II, 222.
Arcæ cum Ecclesia comparatio, I, 532, 54. Designat populum gentilem, I, 268.
Arcus pro deceptione et dolositate, I, 112, 151. Pro occulta defensione, I, 138. Tribulatione temporali, I, 210.
Aries rebelle animal, I, 233.
Arietes duces fidelium, I, 454.
Arianorum error, I, 515.
Arma significant manifestam impugnationem, I, 151. Miracula, II, 189.
Asaphidem quod Synagoga, I, 161, I, 286.
Aspicere pro diligere, I, 253.
Aspis callida, I, 199.
Atrium pro amplitudine, I, 228.
Auctor Epistolæ ad Hebræos, 2.
Auditus animæ intellectus, I, 76.
Aures pro intellectu, I, 126. Auris Dei benignitas dicitur, I, 87. Potentia Dei misericordiæ, I, 342.
Aurum designat perfectionem virtutum, I, 146. Charitatem, I, 147.
Austeritas nimia quandoque peccatum generat, II, 286.
Avarus pecuniam Deum facit, II, 249.
Azymus quid sit, II, 102.

B

Baptismus tripliciter dicitur, II, 377. Janua salutis, I, 68. Diluvium dicitur et nu. I, 84. Mare, I, 301. Quibusdam occasio salutis, quibusdam perditionis, I, 542. Eo Dimittuntur omnia peccata etiam actualia, II, 32.
Ad salutem necessarius etiam puer, II, 54. Peccata tollit, II, 280.
Baptizati pro mortuis, II, 148.
Barba Aaron, I, 535.
Barbari, II, 9.
Barjona filius columbæ, II, 97.
Basiliscus fetore anhelitus sui necat, I, 371.
Beatitudo æterna spoliis comparatur, I, 509.
Beatus quis dicitur, II, 314.
Benedicere pro exaltare, I, 186.
Bersabee quid designet,, I, 168.
Bona temporalia vocantur insania falsa, I, 126.
Bonum multis modis dicitur, I, 179. Ejus duo genera, II, 177. Ignoratum minus diligitur, II, 241.
Bonus quilibet præsumitur, 274.
Boni homines vocantur divini, II, 10. Eos æmulari debemus, II, 220.
Boves significant prædicatores, I, 22.
Bravium, dicitur præmium laboris, II, 267.

C

Cancer morbus tandem occidit, II, 304.
Cæsar et Pompeius se invicem pati nolebant, 11, 13
Calamus similis linguæ, I, 148.
Calumnia quid sit, I, 499.
Calcaneus quid signif., I, 138. Pro fine et pro lapsu ponitur, I, 191.
Canes linguosi, I, 246.
Canticum quid sit, I, 9, 2, 220.
Cantica canticorum qualis liber, I, 1.
Capellus pro vanitate, I, 246.
Carbones desolatorii vocantur prophetæ, I, 515.
Caro animæ pavimentum, I, 475. Ei quid debeamus, II, 46. Ejus inquinamenta quæ sint, II, 179. Ejus gloria non est secundum Deum, II, 194
Carnales persequuntur spirituales, II, 223.
Casia exaltationem significat, I, 145. Item baptismum et fidem, 16.
Castitas gemma virtutum in juvene, II, 324.
Cathedra pro gubernatione, I, 433.
Catholicon quid, II, 347.
Cauteriare quid, I, 324.
Cervi natura post devoratum serpentem, I, 133.
Chamus quid designet, I, 95.
Charitas per aurum signif., I, 147. Radix virtutum, I, 506. Facit opus meritorium, I, 258. Est vinculum aliarum virtutum, II, 283. Domus vocatur, I, 337. Ei nullum malum inest, II, 137.
Charisma gratuitum dicitur, II, 136.
Cherubin plenitudo scientiæ, I, 322.
Chore calvariam significat, I, 132.
Christus in Psalmis quomodo orat, I, 132. Vir dicitur in Psalmis primo, I, 2. Lignum vitæ, I, 3. Facies, I, 32. Vermis, I, 63. Comparatur diluculo, I, 83. Dicitur os Dei, I, 96. Numerus et cur, I, 123. Veritas, I, 125. Liber et cur, I, 127. Verbum I, 142. Frater noster est, I, 158. Pro salvandis tantum oranti, I, 158. In morte Lazari cur lacrymatus, I, 192 Morte sua potius quam potentia homines redimere voluit, I, 224. Frumentum dicitur, I, 231. Virtus Patris, I, 248 Finis legis et prophetarum, I, 321 et 130. Primogenitus mortuorum, I, 359. Manus Patris, I, 443. Prædicari quando cœpit, 1, 269. Cur cruci affixus, II, 36. Dictus peccatum, II, 45. Cur ante omnes incorruptibilis suscitatus, II, 46. Cur assumpsit corpus cum anima, II, 48. Cur primogenitus mortuorum, II, 49. Quomodolinterpellat, II, 50. Varie vocat, II, 110. An primus resurrexit, II, 147. Dicitur imago Dei, II, 168. Peccatum factus est, II, 175. Mediator, II, 318. Fecit se ab angelis cognosci, II, 325. Solus a mortuis resurrexit, II, 338. Gloria et honore coronatus, II, 363. Cur homo fieri voluit, cum esset Deus, II, 365. Cur pontifex, II, 366. Sæpe lacrymatus, II, 375. Liber dictus, II, 398.
Christi vestimenta divisa quid, I, 64. Membra annuntiant incarnationem ejus, I, 126. Corpus etiam Judas accepit, I, 132. Resurrectio, 133. Humanitas circuitus dicitur, I, 162. Timor ante passionem non in passione, I, 194. Titulus, I, 195. Humanitas per calceamenta designata, I, 212. Humanitas columna nubis, I, 392. Charitas incomprehensibilis, II, 241. Ætas plena in qua omnes resurgent, II, 243. Dies quis dicatur, II, 256. Sepultura et resurrectio in baptismo significantur, II, 340. Sacerdotium manet in æternum, II, 357. Sacrificium fuit perfectum, II, 393. Sanguinem pollutum qui ducant, II, 400. Christum imitari debemus, per puritatem, II, 49. Confitebuntur omnes in judicio velint, nolint, II, 350.
Christiani cum Judæis non capti, I, 200. Quomodo hæredes Dei, II, 47.
Chusi, quid significet, I, 16.
Cilicionum usus apud aliquos, I, 253.
Cinis designat pœnitentes, I, 398
Circumcisio quid signif. 18.
Cithara, I, 93. Significat Christi humanitatem, I, 199.
Civitas quæ dicantur, I, 24. Pro congregatione, I, 184. Signif. perfectos fideles, I, 323.
Claudus quis dicatur, I, 33
Clerus quid signif., I, 241
Clericorum et monachorum congregationes sunt Dei vineæ, I, 434.
Coagulum quid, I, 243.
Concilium quid, I, 4.
Concupiscentia fomes peccati, I, 118. Pœna peccati originalis, I, 262.
Confessionis sacramentum, I, 447.
Confusio quid, I, 263.
Cognitionis duo genera, II, 60.
Columba dicitur Ecclesia, I, 241.
Complecti pro diligere, I, 136.
Conscientia lecto similis, I, 15. Facies dicitur et cur, I, 333. Ejus puritas stratum dicitur, I, 221.
Consecratio nemini cito impertienda, II, 329.
Constantia quando necessaria, II, 305.
Convallis pro humilitate, I, 211.
Consuetudinis pravæ reliquiæ, I, 405.
Continentia quando et quibus necessaria, II, 109.
Cubilia propria ferarum, I, 10.
Correctio non debet esse rigida, II, 77.
Cor duplex, I, 32. Dicitur sinus, I, 320.
Cor pro anima, I, 67. Essentia paterna, I, 142. Pro profunditate, I, 149. Quando dicitur esse Dei et quando peccatoris, I, 214. Escis non stabiliendum, II, 412.
Corinthus in Achaia, II, 134.
Corinthiorum errores, II, 84. De resurrectione dubitatio, II, 106.
Cornu designat superbiam, I, 287. Potentiam, I, 257. Virtutem, I. 337. Divinitatem Christi, I, 467.
Corpus Domini etiam Judas accepit, I, 132. Frumentum dicitur, I, 304.
Corpora humana sunt vasa fictilia, II, Domus terrestris, II, 172.
Corvus quos signif., III, 5
Creatio duplex, I, 393.
Crux secundum Priscianum dubii generis, II, 229. Ejus mysterium, II, 211. Parles quid representant, II, 241.
Crystallus quid, I, 284.
Cupiditas radix omnium malorum II, 332. Ei vacantes errant, II, 332.
Curiosi designati per pisces, I, 22.
Curiositas reprobatur, II, 296.
Custodia pomorum quid, I, 318.
Cymbala, I, 392.

D

Damnatio perpetua, I, 201. Est effectus peccati, II, 166.
Dæmones tempestatis nomine signantur, et cur, I, 164. Per dracones, I, 284. Eorum officia, II, 50. Quomodo damnabuntur, II, 104. Habent quandoque potestatem in aere, II, 233.
David Christi figura in multis, I, 44. Item Ecclesiæ, I, 44. Ter unctus, I, 76. Insaniam simulat, I, 99. Ejus cantores, I, 161. Adulterium et homicidium, I, 167. Mose non minor, I, 309.
Deargentatum quid, I, 242.
Decachordum est anima servans Decem præcepta, I, 571.
Delictum quid sit, I, 94.
Descendere quid sit, I, 186.
Desiderium majus concupiscentia, I, 474.
Desperatio per grandinem designata, I, 311.
Deus quomodo audiat, I, 29. Trinus et unus, I, 129. Legalia nunc non ac-

ceptat, I, 173. Dicitur sol, I, 268. Non est auctor mali, I, 3, 5. Quomodo fenerator, I, 440. Quomodo puniat filios ob peccata parentum, I, 440. Pater Filio non major, I, 445. Manu non operatur, I, 486. Quæ nesciat, I, 549, I, 555. Quæ intelligat, I, 555. Dat seipsum, II, 167. Cœlestia et terrena gubernat, II, 168. A principio mundi semper habuit in quibus gloriaretur, II, 242. Est ubique diversis modis, II, 279. Venit ad fidelem in morte, II, 332. Habitat lucem inaccessibilem, II, 333. Dicitur requievisse, licet non sit fatigatus, II, 370. Cum sit ubique, quomodo in utero, II, 219. Pater tanquam medicus visitavit Christum in sepulcro, II, 363. Habet duplicem voluntatem, II, 312. Dei viæ quæ, I, 72. Respondere quid, I, 80. Vultus, et ira quid, I, 103. Mandata justificationes vocantur, I, 471. Vocationes diversimodæ, II, 5. Odium quid, II, 54. Indurare quid, II, 55. Sapientia et scientia, II, 67. Donis non obest ministri malitia, II, 119. In homine duæ electiones, II, 321. Sermo multos gradus continet, II, 376. Pœnitentia quæ, I, 426. Deo gratias agere quid sit, II, 8. Nihil contingens, II, 65. Deum ignorantes aut ab eo apostatantes impii vocantur, I, 2. In veritate quis invocet, I, 577. Glorificare et portare quid, II, 107.

Dextra et sinistra quid, I, 40. Dextra Christus dicitur, I, 389. Dextra significat potentiam, vel pietatem, I, 156. Favorem, I, 252. Pietatem Dei, I, 325.

Diabolus calumniator, I, 267. Assur, I, 333. Laqueus venantium, I, 366. Intelligitur per aquilam, I, 411. Per reptilia, I, 414. Pharaonem, I, 538. Principio Deus habuit suum regnum, I, 542.

Diaconi officium, II, 321.

Dicare est devovere, I, 148.

Dies boni quid, I, 102. Domini et hominis, II, 96. Prosperitatem significat, I, 133.

Dii apostoli nominantur et cur, I, 153. Dii aliquando dicuntur, II, 114.

Dilectio est clavus ligans, II, 245. Valida sicut mors, II, 342.

Discrimen inter egenum et pauperem, I, 106. Inter annuntiare et loqui, I, 126. Stultum et insipientem, I, 139. Orare et deprecari, I, 182. Judicium et justitiam, I, 499. Inter mansuetudinem et modestiam, II, 188. Inter delicta et peccata, II, 233. Orationem et obsecrationem, II, 254. Exspectationem et spem, II, 258. Signa et prodigia, II, 306. Frui et uti, II, 333. Mercedem et retributionem, II, 362. Signa et portenta, II, 363. Dona et sacrificia, II, 374. Iniquitates et peccata, II, 388. Hostiam et oblationes, II, 397.

Dispositio divina incerta in hominibus, II, 333.

Divites fumo similes, I, 114. Eorum instructio, II, 333.

Divitiæ brachium vocantur et cur, I, 113. Interiores et exteriores quæ, I, 177. Vocantur iniquitas, et rapinæ, I, 219.

Docere et exhortari quorum sit, II, 69.

Doctor multum prodest populo, II, 309.

Doctrina Dei pia, II, 331.

Doctrinæ astutæ seducunt simplices, II, 245.

Domus pro conversatione, I, 146.

Donec in sacris litteris quid significat, I, 269.

Dormiens in peccato quomodo surgere debeat, II, 249.

Dracones, I, 586.

E

Ecce pro palam, I, 203.

Ecclesia universalis designata per lunam, I, 21, 268. Particulares per stellas, I, 21. Ecclesia nomen collectivum, II, 86. Non nisi una, I, 258. Non poterit pessumdari, I, 407. Atrium, I, 585. Est vestimentum Dei, I, 535. In Judæa cœpit, II, 9, 16. Creatura Dei, II, 47. Ejus caput Christus, II, 275.

Ecclesiastæ liber mysticus, I, 1.

Electio non ob merita, sed ex gratia, II, 65.

Eleemosyna substantia vocatur, II, 186.

Enoch translatus ne videret mortem, II, 403.

Episcopus superintendens dicitur, II, 320. Habeat spiritualia arma non corporalia, II, 321. Non sit neophytus, II, 321. Nimia humilitate non incommodet Ecclesiæ, II, 346.

Esdras Psalmis titulos præfixit, I, 266. Idque Spiritu Dei, I, 433.

Eucharistiæ veritas contra hæreticos, I, 66, II, 102, 382. Mysteria, II, 123. Quomodo per signa significata, I, 66.

Evangelium legis supplementum, II, 1. Tripliciter quis erubescit, II, 9. Beatitudinem promittit, II, 276. Quid significet, II, 314.

Excommunicare quid, II, 316.

Excommunicatio infligitur ut spiritus salvetur, II, 102. Non debet inferri occulta, II, 103.

Exempla sanctorum muniunt nos contra irruentia mala, II, 406.

Exemplar et exemplum quid, II, 386.

Exercitatio pro passione, I, 182.

Exhortatio multum valet, II, 286.

Exstasis quid, I, 87.

Exsultare quid, I, 22.

F

Fabula quid, II, 312.

Facies pro cognitione ponitur, I, 10. Pro consideratione, I, 171. Pro præsentia, I, 210. Pulchritudine, I, 338. Benevolentia, I, 352.

Ferrum pro duritia tribulationis, I, 420.

Fides non salvat sine operibus, I, 4. Fundamentum omnium virtutum, I, 55. Non eget miraculis, II, 142. Est res voluntaria, II, 160. Donum Dei, II, 237. Ejus gressus primus et secundus, II, 408. Commendatur fides Noe, Abrahæ, Saræ, II, 403 et seq.

Fideles quidam dicuntur inopes et cur, I, 141.

Filius non est qui non corripitur, 407.

Filius Dei os Patris dicitur, I, 483. Patri consubstantialis et cœternus, II, 273. Splendor gloriæ Patris.

Fimbriæ perfectionem signif. I, 147.

Flumina pro prædicatoribus, I, 433.

Fœnum designat pauperes, I, 111.

Fœnum tectorum qui, I, 527.

Fomes peccati cur relictus, II, 45.

Fornicatio quid, II, 12. Fugienda non expectanda, et cur, II, 106.

Framea pro vindicta, I, 104.

Frater noster Christus est, I, 188.

Fratres peccantes non sunt superbi deserendi, II, 399.

Fremere leonum est, I, 5.

Fructus ventris filii spirituales, I, 333.

Fructus spiritus quis, II, 227.

Fugere, quid, I, 98.

Fulgur est illuminatio cognitionis divinæ, I, 557.

Funes peccatorum lenocinia, I, 483.

Funiculus mensuram designat, I, 512.

Funus quanto plus ascendit, tanto magis evanescit, II, 11.

Furor pro vindicta æterna, I, 256.

G

Galaad acervus testimonii, I, 211.

Galatia ubi sita, II, 203.

Gaudium ultra Deum quærens, II, 260.

Genitivus pro ablativo, I, 106.

Gentes cur aquæ nominentur, I, 83. De ignorantia excusabiles, II, 14.

Gentilium cum Judæis expostulatio, II, 3.

Geth passionis figura, I, 190.

Gigni filium a patre quid sit, I. 219.

Gladii ancipites, I, 589.

Gladius denotat persecutionem, I, 113. Apertam defensionem, I, 139.

Gloria cœlestis non omnibus æqualis, II, 184.

Glorificare Deum quid sit, II, 107.

Graduum cantica cur vocentur, I, 511.

Grando desperationem signif, I, 511

Gratia pro facie, I, 254.

Gratia data unicuique nostrum, II, 243. Dei est diversa, II, 244.

Gratias agere Deo quid, II, 8. Gratiarum actio multum valet ad impetrandum, II, 286. Quid dicatur, II, 317.

Gutta species medicorum, signat humilitatem, I, 145. Charitatem, I, 145.

H

Hæreticus non est habendus, qui imprudenter errat, II, 352.

Hæretici aliquando in adversis intrepidi, I, 24. Pervertunt Scripturas sacras, I, 30. Et lacerant, I, 64. Sinistre eas exponunt, I, 218. Feroces, imo feræ in Ecclesia Dei, I, 248. Tauri cervicosi, I, 248. De veritate corporis Christi dubitantes, I, 303. Idiotas potissimum invadunt, I, 434. Comparantur serpentibus, I, 556. Vera falsis miscent, I, 572. Obstinati excommunicandi, I, 590. Contra eos agere periculosius, quam contra blasphemos, I, 513.

Hæreticorum sententiæ sagittæ parvulorum, I, 30. Impostura, I, 217. Fraudes, I, 369. Loquelæ, meræ garrulitates, I, 479. Impugnatio, I, 55. Doctrina, aqua turbida, I, 571. Nequitia et impostura, II, 334.

Hermon quid signif., I, 533.

Herodius qualis avis, I, 411. Per eam qui intelligantur, I, 411.

Holera designant divites, I, 111.

Holocaustum unde dicitur I, 38. Unde derivatur, I, 127.

Homicidia fiunt dupliciter, II, 12.

Homines terræ comparantur, II, 378.

Homo primus in multa claritate formatus, II, 268. Superbiendo cecidit, II, 22.

Homo duplex, II, 41.

Horarum Canonicarum usus, I, 309.

Hospitalitas Deo grata, II, 411.

Hostia maxima, I, 339.

Hostia quid sit, II, 271. Abel fuit gratia Cain vero ingrata, II, 403.

Humiliari quid sit, II, 270.

Humilitas caput cæterarum virtutum, I, 306. Ejus necessitas, I, 207.

Humilitate non indignitate tacendum, I, 122.

Hymni quid sint, I, 1, II, 250.

Hysopus qualis herba, I, 171. Quid significet. II. 395.

I

Idioma quid, II, 141.
Idithum quid sit, I, 121.
Idolorum cultura fugienda, II, 125.
Ignis emendatorius, II, 96. Ante judicium qualis, I, 165. Signif. adversitatem, I, 254.
Imago et umbra, II, 397.
Impii qui dicantur, I, 2.
Infernus civitas munita, et quomodo, I, 457.
Infidelitas somnus vocatur, I, 290
Infideles jumenta Antichristi, II, 305.
Iniqui quomodo odio habendi, I, 496.
Injustitia quæ dicatur, I, 99.
Inobedientes dure arguendi, II, 350.
Inobedientia quæ dicatur, II. 362.
Instantia plus est quam sollicitudo. II, 195.
Iracundus quis, I, 55.
Isaias a Judæis interfectus, et cur, II, 61.

J

Jacob gentes designat, I, 132. Aliquando etiam Judaicum populum, I, 295.
Jacobi apostoli devotio, II, 146.
Jerusalem pro Judaico populo, I, 248. Salem dicta, II, 381.
Jesu fundamentum dilectionis, II, 334.
Job tentatio non decidit in impatientiam, II. 50.
Jonadas quis fuerit, et quem designet, I, 260.
Jordanis pro baptismo, I, 134.
Joseph gentiles designat, I, 296.
Juda confessio interpretatur, I, I, 258.
Judæi unde dicti, II, 17. Quomodo duces cæcorum, II, 17. Dicuntur mœchari, II, 17. Per orbem dispersi, II, 22. Non tam graviter peccarunt quam gentiles II, 257. Unicornes dicti, et cur, I, 83. Caro voluptuosa, II, 207. Desertum Cades, I, 84. Vinea Dei, I, 323. Frustra de lege gloriantur, II, 14. Eorum duplex confusio, I, 443. Fabulæ de lapide angulari, I, 466. Cum gentibus expostulatio, II, 3.
Judas etiam corpus Domini accepit, I, 132. Miracula fecit, I, 292.
Judicans seipsum non judicatur a Deo, II, 131.
Judices cur olim in portis sederint, I, 253. Sedes nominantur et cur, I, 316.
Judicii dies varie explebitur, I, 4. Vocatur diluvium, I, 94. Dies generationis et generationis, I, 215.
Judicium utrum vocale futurum, I, 4. Utrum de die, II, 298.
Juramentum finis controversiæ, II, 380. Quid sit, II, 380.
Justus quando gaudium habet de fide, II, 259.
Justi quare opprimuntur ab impiis, II, 302.
Justi omnes qui sancti, III, 28.
Justificatus nullam habet maculam, II. 313

L

Labia dolosa quis habeat, I, 90
Labor non otium congruit militanti, II, 338.
Lacus peccatorum profunditas, I, 125
Lana charitatem significat, II, 395.
Laus cur a Deo requiritur, II, 233.
Lectus doloris quid, I, 130.
Legalia non acceptat Deus, I, 173.
Lex vetus jugum dicitur, II, 177. Testimonium, I 56. Factorum, et cur, II, 23. Tribus modis habebatur in tempore suo, II, 34. Ad tempus posita, II, 216. Sacrificium vespertinum, I, 339. Eam nunc servare est ferme idola colere, II, 219. In ea prævaricari quid sit, II, 18.
Lex nova est declaratio veteris, I, 500. Ejus cum veteri conjunctio, I, 19.
Libanus quid signif. I, 83. Pro candore et prosperitate positus, I, 272.
Liber vitæ mens divina, II, 269. Eo deleri quid sit, I, 257.
Libertas arbitrii, I, 91. I, 217. I, 239. I, 497. Non beatificat sine gratia remissionis peccatorum, I, 92. Cooperatur gratiæ divinæ, I, 218. Debilitata, I, 316. Non sublata, I, 397 509. Os animæ, I, 552.
Lingua pro verbo, I, 143. Pro præcepto, I, 527
Litigare ad quid utile, II, 339.
Luna cutem denigrat, I, 515. Significat Ecclesiam universalem, I. 21. Omnem creaturam, I, 268.
Luxuria quid vocatur, II, 226.
Lyptote quid sit I. 127.

M

Maceria quid sit, I, 217, I1, 258.
Macula nulla est in justificato, II, 313.
Maledicere pro deprimere, I, 186.
Manasses oblivio, I, 371.
Mandata Dei vocantur justificationes, I, 471.
Mane pro diluculo, I, 130. Prosperita e, I, 229.
Manichæorum error contra Christi humanitatem, I, 347. Error, I, 515. Veteris legis contemptus, I, 477 et 492.
Mansuetudo et modestia differunt, II, 188.
Manus pro potentia, I, 60. Impulsione, I, 111. Vindicta, I. 187. Auxilio, I, 371.
Maranatha quid sit, II, 154.
Mare pro amaritudine, I, 228.
Maria (S.) ab omni peccato libera, I, 400.
Martyres acervus vocantur, I, 211. Item juvenes, I, 264. Eorum constantia multum profuit gentilitati, I, 284. Eorum natalitia, I, 463.
Martinus (S.) semimartyr, I, 463.
Medium pro manifestatione, I, 135. Pro plebe, I, 184. Communi, I, 242.
Melchisedech sacrificium, I, 446. Rex justitiæ interpretatur, II, 381.
Melota quid, II, 405.
Mendacium dicitur omne peccatum, II, 20. Non est cum Spiritu sancto, II, 160.
Mens pro altari, I, 468.
Merces et retributio quomodo differunt, II, 362.
Meretrici adhærendo quomodo quis ejus membra fieri dicatur, II, 106.
Mesopotamia quid signif., I, 207.
Ministri malitia non obest Dei dons, II, 119.
Miracula per fulgura designantur, I, 44 Per coruscationes et cur, I, 570.
Misericordia et miseratio quomodo differunt, I, 72. Misericordia pius affectus, II, 260.
Missæ sacrificium ex Paulo probatur, II, 317.
Moab quid signif. I, 333. Exlex, I, 212.
Mors tenebræ vocantur, I, 185. Calix, I, 460. Ejus dominia quæ, II, 36. Viri solvit mulierem, II, 39.
Mortuis prosunt suffragia vivorum, II, 173.
Mundus per mare designatus, I, 135. Ejus sex ætates, I, 375.
Mulier ad generationem concurrit, II, 128.
Mulieres audiant et non interrogent in Ecclesia, II, 319. Non debent dominari in virum, II, 319. Nec aliquibus præesse, II, 319. Iis duæ virtutes necessariæ, II, 319.
Myrrha signif. incorruptibilitatem, 145. Virginitatem, I, 145.

N

Narrare dicitur de præterito, I, 187.
Necessitate nemo peccat, I, 109.
Negare Dei quid sit, II, 339
Nemo sibi vivit, II, 75.
Neomenia quid significat, I, 326. Unde dicta, II, 281.
Nero cur Antichristus dictus, II, 99.
Nicolaitarum error, II, 246. Hæresis, II, 292.
Noe fides commendatur, II, 403.
Novaculæ similis persecutor, I, 176.
Nox adversitatem signif., I, 135.
Numerare pro custodire, I, 380.
Numerus non est in Trinitatis essentia, I, 380. Numerus electorum Deo cognitus, 263. Numerus septenarius quid, I, 320. Totam vitam hominis signif., I, 309 et 312. Octonarius, I, 468 Quin denarius, I, 312.
Nunc signum causale, I, 124.
Nunquam nimis dicitur, quod nunquam nimis fit, II, 269.
Nycticorax, I, 398.

O

Obsecratio quid sit, I, 364, II, 317.
Occulta non debent excommunicatione plecti, II, 103.
Oculi pro potentia providentiæ, I 41.
Odium iniquum, I 74.
Odium Dei quid, II, 34.
Opus legis quid, II, 16. Opus bonum involuntarium non laudatur, II, 183.
Opera bona dicuntur semina, I, 73. Pulli, I, 337. Carnis quæ, I, 226. Spiritus neminem redigunt sub lege, II, 216. Mortua quæ, II, 377, 393.
Orare et deprecari quomodo differunt, I, 182.
Oratio et sacrificium pro defunctis, I, 4. Pro salvandis tantum, I, 129. Per incensum significata, II, 271. Qualis requiratur ad illam præparatio, II, 319.
Orbis et circuli perfectio, I, 69.
Organum, I, 592.
Originale peccatum cur primogenitum vocetur, I, 537. Ejus pœna per baptismum non tollitur, II, 408.
Otium generat egestatem, II, 297

P

Panis vitæ est doctrina Dei, I, 119.
Panes propositionis dicebantur olim oblationes, II, 248.
Parabolæ dicuntur propositiones, I, 158. Quid sint, I, 297.
Paries quid, I, 217.
Parturire quid, II, 221.
Parvuli non baptizati damnantur pœna damni, II, 173.
Pascha transitus dicitur, II, 102.
Passio cur exercitatio dicitur, II, 182.
Passiones animi, I, 133.
Pater quomodo non judicet quemquam, I, 267. Patris iniquitatem quomodo portet filius, I, 319. Patrum in limbo voces, I, 400.
Patientia non esset, si non esset persecutio, II, 340. Opus Spiritus sancti, II, 217. Inutilis nisi adsit humilitas, II, 257.
Patientiæ partes multæ sunt, II, 176.
Patrini in baptismo, I, 14. I, 307.
Paulus Hebræa lingua quietus sonat, II, 5. Cur tantum decem epistolas scripserit, II, 1. Cur epistolæ ad Hebræos nomen suum non præfixit, II, 1. Dirimit contentionem Judæorum et gentilium, II, 4. Cur majores perse-

cutiones sustinuit cæteris apostolis, II, 32. Virginem se testatur, II, 109. Prophetare quid vocet, II, 127. Abortivum se vocat, II, 146. An omnes fideles converterit, II, 189. Raptus utrum in corpore, II, 197. Quæ arcana viderit in raptu, II, 198. A quo accepit Evangelium, II, 206. Magnus fuit persecutor, II, 206. Cucurrit et laboravit, II, 262. Athenis misit Epistolam ad Thessalonicenses, II, 294. Quid fecerit die ac nocte, II, 308. Convertit Timotheum, II, 311. Laudes, II, 90. Magna præstantia, II, 28.

Peccatum dicitur spina et cur, I, 93 Iniquitas, I, 169. Est corrupta natura, II, 41. Opus mortuum vocatur, II, 393. Duobus modis committitur, I, 323. Dicitur mendacium, II, 20. Ei consentire quid sit, II, 13.

Peccatores pereffluunt, II, 362.

Pellicanus, I, 397.

Pennæ pro agilitate, I, 183.

Penula quid fuerit, II, 343.

Peregrinatio nostra duplex, I, 226.

Peregrinus quis, II, 253.

Perfectus quis dicitur, II, 267.

Perfecti quidam damnantur et quomodo, I, 316.

Pericula quatuor ex quibus eripiendi boni, I, 427.

Persecutor similis noverculæ, I, 176.

Pes pro affectione ponitur, I, 111. Pro humilitate, velocitate et securitate, I, 233. Pro discursoribus, I, 246.

Pestilentia qualis morbus, I, 2.

Petitio quando invalescit apud Deum, II, 269.

Petrus a Paulo publice reprehensus, II, 210.

Pharisæus unde dicitur, II, 263.

Philosophi cognoverunt unum Deum, II, 10.

Pietas non est quæstus temporalium, II, 331.

Pilatus unde nomen Pontii habuerit, II, 332.

Pisces et aves ex aquis, III, 68. Designant curiosos, I, 21. Et philosophos I, 22.

Plasmare quid sit, I, 486.

Plateæ pro principibus, I, 184.

Plato agnovit Trinitatem, I, 429. Unum Deum, II, 10.

Pædagogus quis dicitur, II, 216.

Pœnitentia operatur tristitiam secundum Deum, II, 180.

Ponere pro humiliare, I, 234.

Pontifex Rom. pastor omnium Ecclesiarum, II, 86.

Populus gentilis caro dicitur, II, 211.

Portare Deum quid sit, II, 107.

Præcepta moralia perdurant in utra que lege, II, 314.

Prædestinare de quo dicitur, II, 7.

Prædicandi tempus, I, 332.

Prædicatores designati per boves, I, 22. Calceamenta, I, 212. Aquas, I, 230. Montes et colles, I, 267. Flumina, I, 14, 35. Cœlum, I, 581. Sunt odor Christi bonus, II, 163. Exempla bonorum operum, II, 349. Vivant de bonis illorum quibus prædicant, II, 328. Eorum qualitates, II, 337.

Prædicatio non vendenda, II, 338.

Præjudicium dupliciter accipitur, II, 329.

Prælati terra dicuntur, I, 410. Montes et colles, I, 454. Seræ portarum Ecclesiæ, I, 582. Ultra præcepta non cogant, II, 68. Possunt judicare subditos, II, 74. Etiam mali possunt dare Spiritum sanctum, II, 311.

Præparatio ad orandum qualis, II, 319

Præscientia Dei non potest immutari, I, 9.

Presbyteri boni duplici honore digni sunt, II, 328.

Prævaricatio quid, II, 362.

Principes dicuntur flumina, I, 70. An timendi, II, 72.

Prophetiæ plura genera, I, 1. Visio dicitur, II, 316.

Prophetæ de futuris quasi de præsentibus et futuris loquuntur, I, 2. Vocantur cataractæ, I, 13. Labia Dei, I, 360. Carbones desolatorii, I, 13. Portæ Ecclesiæ, I, 525.

Prophetare Paulus quid vocet, II, 127.

Propositiones quæ vocentur, I, 297.

Proscriptus quis dicitur, 221.

Psallere quid; I, 20. Est orare, II, 141.

Psalmus quid sit, I, 5, 1, 9, 250. Pro bono opere ponitur, I, 96. Primus titulo caret, et cur, I, 2. Ejus intentio, I, 2. Secundus est primus habens titulum, I, 5.

Psalmi quomodo compositi, I, 1.

Psalterium quale instrumentum Musicum, I, 1, I, 158.

Psalterium liber hymnorum, I, 1. Ejus intentio seu argumentum, I, 1. In eo quomodo Christus orat, I, 2. Pro Christi humanitate, I, 196.

Pseudo-canes vocantur, II, 264.

Publice peccans publice arguendus, II, 210.

Pueris sine baptismo morientibus Deus omnem gratiam denegat, et cur, II, 34.

Pulli corvorum qui, I, 581.

Purgatorium asseritur, I, 14, I, 507.

Gladius versatilis, I, 507.

Q

Quatuor virtutes principales, I, 58.

Quatuor angelorum ordines, uno loco a B. Paulo enumerati, II, 254.

Quies Domini signum nostræ quietis, II, 371

R

Rana garrulitatem signif, I, 310.

Ratio in Adamo post peccatum non exstincta, sed debilitata, I, 129 Sensualitatem regere debet, II, 128

Reditus noster duplex, I, 226.

Regnare peccati quid, II, 57.

Regnum Dei quid, II, 151.

Remissione etiam sancti egent, I, 94. Ejus gratia dicitur oleum, I, 442.

Renes delectationes signif., I, 278.

Respondere Dei quid, I. 80.

Respuere est plus quam spernere, II, 220.

Resurrectio Christi, I, 153. Quid operetur in nobis, II. 280

Resurrectio mortuorum probatur, II, 297. Per legem naturæ, II, 149. An eam tuba præcedat. II, 151.

Retrorsum ire quid sit, I, 79.

Rhamnus quid, I, 201.

Roma caput orbis, II, 8.

Romam de Judæorum vistatione gavisi, I, 281.

Romanorum Epistola cur prima, II, 1.

S

Saba quid signif., I, 270.

Sabbatum æternam requiem significat, I, 117.

Sabbatismus quid, II, 371.

Sacerdotium Christi manet in æternum, II, 373. Ejus commendatio, II, 384.

Sacerdotes interdum episcopi nominati, II, 256. Non consecrandi sine examine, II, 329. Non licet iis matrimonio jungi, II, 108.

Sacramentum quasi secretum, II, 232. Sacramentum confessionis, I, 447, Sacramentorum quorum, qui ministri, II, 88.

Sacrarium quid, II, 118.

Sacrilegium quid, II, 18

Sacrificia votiva quæ, I, 165.

Sacrorum liberorum triplex sensus, I, 1.

Sagittæ mortalitatem signif., I, 118. Sententias prædicatorum, I, 144.

Salem quid sig., II, 381.

Salices sunt impii, I, 344.

Salomon pacificus, I, 266.

Samaritani qui, II, 119.

Sanctum sanctorum, I, 281.

Sanctum pro amabili, I, 391.

Sancti egent remissione, I, 94. Orant pro nobis, I, 320. Etiam, post mortem, I, 540. Eorum exempla muniunt nos contra ingruentia mala, II, 406.

Sanguines pro peccato, I, 173.

Sanguis interdum pro morte, I, 173. Ejus mira commistio, II, 251.

Sanguinem Christi qui pollutum ducunt, II, 400.

Sapientes mundi per pereuntes notati, II, 88.

Sapientia interior est quasi adeps, I, 221.

Sana fides commendatur, II, 403. Designat Ecclesiam, II, 11

Saul mortem designat, I, 44. Ejus inobedientia, II, 44.

Satanæ tradere est excommunicare, II, 101.

Scapulæ significat doctrinam prædicatorum, I, 369.

Scientiæ modus, II, 114. Evacuatio, II, 137.

Scripturæ cur obscuræ, I, 31. Designatæ per palpebras, I, 31. Pluvism, I, 31. Stateram, I, 218. Mensam, I. 255. Cœlos, I, 304. Earum commendatio, I, 348.

Scurrilitas quid, II, 249.

Scutum designat falsas rationes, I, 131.

Senum instructio, II, 349.

Sensus mundi vanitas est, II, 246. Hominis portæ sunt animæ, II, 413.

Separatio a veritate, error est, II, 313.

Sermo quid sit, I, 192

Sermonis divini efficacia, II, 372.

Servorum instructio, II, 349.

Servire debemus Deo cum metu et reverentia, II, 410.

Signa et prodigia quid, II, 80. Differunt, II, 365.

Sinai mons in Arabia, II, 222.

Sinistrorsum ire quid sit, I, 79.

Sion mons, plebs Judæorum, I, 134. Pro Ecclesia, I, 333.

Sol mundi creationem desig., I, 272.

Sollicitudines, naves mentur, I, 133.

Sonus pro manifestatione, I, 134.

Sors pro electione, I, 90, II. 233.

Spelunca quid, II, 405. Christi humanitas, I, 194.

Sperare corde quid., I, 82. Sensualitate quid, I, 82.

Sperare beatum est, II, 254.

Spes quæ sit, II, 28, 48, 311.

Spina in corpore humano quid, I, 93.

Spiritus quid appelletur, I, 172.

Spiritus sancti agilitas, I, 2. A Patre et Filio procedit, I, 172, II, 48. Non minor Patre et Filio, II, 48. Quomodo postulet, II, 48. Quomodo scrutatur, II, 93. Datur per impositionem manus, II, 325. Est arrha immortalitatis, II, 17. Calor dicitur, I, 35. Flumen, I, 150. Auster, I, 522. Misericordia Patris et Filii, I, 478. Certior in apostolis

quam in prophetis, II, 47. Ejus dona per terram promissionis designata, I, 512. Futurum ipsi præsens est, I, 2.
Stadium quid, et unde, II, 120.
Stare dicitur operari, I, 110.
Stellæ designant particulares Ecclesias, I, 21.
Stigma quid, II, 229.
Stipendium quid, II, 38.
Stratum quid, I, 521.
Subsannare quid, I, 6, I, 107, I, 140.
Superædificare quis dicatur, II, 95.
Superbia delictum maximum et cur, I, 57. Per cornu designata, I, 287. Vitiorum omnium regina, I, 287. Parem non patitur, II, 227.
Superstitio quid, II, 283.
Synagoga ante Christi adventum qualis, I, 161
Syria quid significat, I, 207.

T

Tabernaculum pro militia, I, 211. Domo, I, 256
Tabulæ Decalogi, II, 252.
Tempestatis nomine dæmones signif., I, 64.
Tempus Christi dicitur consummatio, II, 395. Gratia plenitudo temporis dicitur, II, 252. Tempus pro defectu, I, 329. Tempus quo licet prædicare, I, 332. Tempus redimere quid, II, 250. Perdit qui mali agit, II, 250. Dies malus dicitur, II, 253.
Tentationum tria genera, I, 371.
Terra Judæos signif., mare gentiles, I, 258.
Testamentum vetus umbra novi, I, 493. Novum non fuisset confirmatum nisi Christus mortuus fuisset, II, 39.
Testamentum suum habuit quilibet propheta, II, 237.
Tharsis quid signif., I, 270.
Timotheus a Paulo conversus, II, 311. Fuit episcopus Ephesiorum, II, 330.
Timor Christi ante passionem, I, 191.
Timores duo, I, 56.
Timor servilis via ad timorem castum, I, 449.
Titulus Christi non corrumpendus, I, 193.
Tituli Psalmorum, I, 5. Eorum auctor Esdras, I, 266.
Topazius lapis pretiosus, I, 500.
Torcularia sunt Ecclesiæ, I, 20.
Pressuræ tribulationum, I, 335.
Tribulationes cur quibusdam infliguntur, II, 240. Vocantur fluctus, I, 135. Vinum compungens, I, 210. Earum virtus, II, 30.
Tributum quid, II, 72.
Trinitas in personis, unitas in essentia, II, 133. Judicat, I, 266. Significatur a Psalmista, I, 325. Ejus significatio, I, 376. Præfiguratio, I, 385. Brevis et bona declaratio, II, 67, 372. Eam Plato agnovit, I, 429.
Triplex scriptorum sensus, I, 1.
Tuba an præcedat resurrectionem II, 81.
Turpitudinem quid vocet Apostolus, II, 249.
Tutor quis dicitur, II, 217.
Tympanum, I, 100. Carnis mortificationem signif., I, 326.
Tympanistriæ quæ, I, 47.
Tyrus gentilitatem desig., I, 146, I 333.

U

Ultio bona, I, 320.
Ungulæ discretionem signif., I, 257.
Unicornes Judæi cur dicti, I, 83.
Unum sequendum non duo, II, 267.
Usura pœnas æternas signif. et nu., I, 271.
Uterus pro conceptione, I, 198.
Uxor cur a viro diligenda, II, 231.

V

Vectigal quid, II, 72.
Vellus Judaicum populum signif., I, 268.
Veniali peccato nemo liber, I, 228.
Venter multorum Deus, II, 268.
Ver, bonorum operum laborem designat, I, 285.
Verbum folium dicitur, et cur, I, 36. Dei filius, I, 142. Quid sit, I, 19.
Vertex pro superbia, I, 246.
Veritas umbram fugare debet, II, 59. Membrum Christi, II, 247.
Vespasianus aper de silva, I, 324.
Vesper cur Adam dicitur, I, 85. Ætas sexta I, 204. Adversitas, I, 229.
Vestimenta Christi divisa quid designent, I, 64.
Vetularum morbus, II, 349.
Viduæ veræ quæ, II, 327. Earum bona judicia, II, 327.
Viæ Domini quæ, I, 72, I, 79.
Vigiliarum commendatio, I, 220.
Vineæ Dei sunt congregationes clericorum et monachorum, I, 434.
Vinum compungens dicitur tribulatio, I, 210.
Vinum septiformis gratiæ spiritus sancti, I, 410.
Vino uti stomacho prodest, II, 329
Vir gloria Dei, II, 127. Caput mulieris, II, 230, II, 106. Ejus mors solvit mulierem a lege viri, II, 39.
Viri sanguinum dicuntur animarum interfectores, I, 76.
Virga et baculum quid sig., I, 69.
Virga Aaron quid sig., II, 391.
Virga regis cerea esse solet, II, 360.
Virginitas an præcepta, II, 111. Quæ meritoria, II, 342.
Virtutes quatuor principales, I, 38.
Virtutis definitio, I, 355. Est cibus animæ, I, 328. Perficit infirmitas, II, 198. Ejus arma, II, 253.
Virtutes cœlorum quid, I, 385.
Viscera pro anima, I, 172.
Visiones cur dormientibus magis quam vigilantibus ostendantur, II, 333.
Vita æterna designata per terram Chanaan, I, 418. Contemplativa melior activa, I, 574. Eam perdit qui discedit a Deo, II, 367.
Vitia populi nomine signif., I, 146.
Vivens et vivificans differunt, II, 150.
Vocationes Dei diversimodæ, II, 5.
Voluntas vultus dicitur, et cur, 41.
Voluntas mala quando dicitur interioræ carnis intrare, I, 441. Quando vero ossa, I, 441.
Voluntas Dei duplex, II, 317.
Votum reddere perfectius quam vovere, I, 227.
Vox hujus magis afficit quam lectio, II, 325.
Vultus pro voluntate ponitur, I, 100. Pro similitudine, I, 134. Pro gratia, I, 138. Pro pulchritudine, I, 147. Filio Dei, I, 256.
Vulva pro genitura, I, 198.

Z

Ziphæi quos designent, I, 180.
Zymut fermentum dicitur, II, 102.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

S. BRUNO CARTHUSIANORUM INSTITUTOR.

OPERUM TOMUS SEU PARS II

EXPOSITIONES IN OMNES EPISTOLAS PAULI 9
Sancti Hieronymi præfatio in Epistolas Pauli. 11
Prologus specialis in Epistolam ad Romanos. 13
Prologus B. Brunonis. 13
EPISTOLA AD ROMANOS. 15
Prologus in primam Epistolam ad Corinthios. 121
Argumentum. 121
Argumentum B. Brunonis in eamdem. 121
EPISTOLA I AD CORINTHIOS. 123
Prologus in secundam Epistolam ad Corinthios. 217
Argumentum in eamdem. 217
EPISTOLA II AD CORINTHIOS. 217
Argumentum in Epistolam ad Galatas. 279
Prologus beati Brunonis in eamdem. 279
EPISTOLA AD GALATAS. 281
Argumentum in Epistolam Pauli ad Ephesios. 315
Prologus B. Brunonis in eamdem. 317
EPISTOLA AD EPHESIOS. 317
Argumentum in Epistolam ad Philippenses. 349
Prologus B. Brunonis in eamdem. 349
EPISTOLA AD PHILIPPENSES. 351
Argumentum in Epistolam Pauli ad Colossenses. 373
Prologus B. Brunonis in eamdem. 373
EPISTOLA AD COLOSSENSES. 373
Argumentum in Epistolam primam ad Thessalonicenses. 397
Prologus B. Brunonis in eamdem. 397
EPISTOLA I AD THESSALONICENSES. 397
Argumentum in Epistolam secundam ad Thessalonicenses. 413
Prologus B. Brunonis in eamdem. 413
EPISTOLA II AD THESSALONICENSES. 413
Argumentum in Epistolam primam ad Timotheum. 423
Prologus B. Brunonis in eamdem. 423
EPISTOLA I AD TIMOTHEUM. 425
Argumentum in Epistolam secundam ad Timotheum. 457
Prologus B. Brunonis in eamdem. 457
EPISTOLA II AD TIMOTHEUM. 459
Argumentum in Epistolam ad Titum. 473
Prologus B. Brunonis in eamdem. 473

EPISTOLA AD TITUM. 475
Argumentum in Epistolam ad Philemonem. 483
Prologus B. Brunonis in eamdem. 483
EPISTOLA AD PHILEMONEM. 483
Argumentum in Epistolam ad Hebræos. 487
Prologus B. Brunonis in eamdem 487
EPISTOLA AD HEBRÆOS. 489
Epistola B. Pauli ad Laodicenses. 563
Hecatostichon apologeticum D. Jacobi Hieronymi Carthusiæ Parisiensis alumni. 567
DIVI BRUNONIS EPISTOLÆ BINÆ. 569
SERMO DE CONTEMPTU DIVITIARUM. 569
CONFESSIO S. BRUNONIS. 571
Appendix ad S. Brunonem. — De origine sacri Carthusiensis ordinis, auctore Zacharia Benedictino, Vicentino, Carthusiano. 571
GUIGO I CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS QUINTUS.
Notitia. 581
Notitia altera. 591
EPISTOLÆ. 595
I. — Ad Durbonenses fratres. — De suppositiiis beati Hieronymi epistolis. 595
II. — Ad Petrum Venerabilem, Cluniacensem abbatem. 594
III. — Ad Haymericum cardinalem et cancellarium. — Monet duos esse hostes quibuscum maxime sit pugnandum, et contra Ecclesiæ adversarios non armis corporalibus, sed humilitate et pœnitentia utendum. 595
IV. — Ad Hugonem S. militiæ priorem. — Docet qua ratione bellum spirituale sit agendum. 598
V. — Ad Innocentium papam II. — Consolatur summum pontificem adversus schismatis molestias. 600
VI. — Hugonis Gratianopolitani episcopi, Guigonis et Carthusiensium fratrum epistola ad Patres in synodo I Otrensi congregatos propter necem Thomæ, Sancti Victoris Parisiensis prioris, ab impiis crudeliter occisi. 600
MEDITATIONES. 601
Cap. I. — De veritate et pace, et quomodo per solam veritatem pax habetur. 601
Cap. II. — De utili displicentia sui ipsius, et de humili confessione peccati. 604
Cap. III. — De voluptatibus ac vilibus delectationibus quinque sensuum. 605
Cap. IV. — De vanis timoribus, doloribus et cruciatibus filiorum hujus sæculi, quos contrahunt ex perituro rum cupiditate et amore. 606
Cap. V. — De cupiditate, amore et gloriatione terrenorum et temporalium, et quomodo per ea vera miseria non tollatur, sed augeatur. 609
Cap. VI. — De inutili et vili appetitu laudum et gloriæ, vel favoris humani. 611
Cap. VII. — De vera laude justorum, et vituperatione malorum, et quis sit laude dignus vel indignus. 613
Cap. VIII. — De his qui volunt amari et admirationi haberi, et quomodo per talem appetitum homo diabolo assimilatur, et seipsum facit idolum cæterorum. 613
Cap. IX. — De anima quæ per fruitionem et amorem temporalium a Deo recedit, et a dæmonibus constuprat ur. 613
Cap. X. — De impudentia et frontositate animæ fornicantis, quæ petit a Deo in suo scelere confoveri. 616
Cap. XI. — De ignorantia sui ipsius qua homo, per amorem terrenorum extra seipsum effusus, se considerare non potest. 617
Cap. XII. — De vera utilitate hominis, et qualiter omnium hominum est una et eadem utilitas. 617
Cap. XIII. — De prudenti cautela qua utendum est ad suam utilitatem quibuslibet prosperis et adversis. 619
Cap. XIV. — De adversitatibus hujus sæculi, qualiter tolerandæ sunt, quia per eas cogimur utiliter ad Deum redire. 620
Cap. XV. — De vera patientia, qua tolerandi et amandi sunt peccatores et infirmi, pie sperando correctionem eorum. 621
Cap. XVI. — De pia compassione et medicamine infirmorum, et quomodo mente incorrupta vivendum est inter eos. 622
Cap. XVII. — De virtute et effectu amoris Dei et proximi, et quemadmodum charitas optanda est et impendenda. 624
Cap. XVIII. — De perfecta angelorum justitia, et quæ sit differentia inter justitiam illorum et nostram. 627
Cap. XIX. — De vera et interiori animæ pulchritudine, et in quo consistat omnis hominis vera perfectio. 628
Cap. XX. — De Incarnatione Verbi, et quemadmodum in seipso nobis perfectionem prædictam plenissime demonstraverit. 630
CONSUETUDINES CARTHUSIENSES. 631
Monitum. 631
Prologus. 633
Cap. I. — De officio divino. 639
Cap. II. — Item de eadem re. 639
Cap. III. — Item unde supra. 641
Cap. IV. — Item unde supra. 641
Cap. V. — Item unde supra. 647
Cap. VI. — Item unde supra. 647
Cap. VII. — De officio Dominicali. 647
Cap. VIII. — Item de officio divino. 651
Cap. IX. — Quoties radamur in anno. 653
Cap. X. — Quales hospites introducantur in chorum. 653
Cap. XI. — De officio defunctorum. 653
Cap. XII. — De visitatione ægroti. 653
Cap. XIII. — Quomodo tractandus sit qui moritur. 657
Cap. XIV. — Item de cura mortuorum. 659
Cap. XV. — De ordinatione prioris. 661
Cap. XVI. — De procuratore domus inferioris. 667
Cap. XVII. — De infirmo qui mittitur ad inferiorem domum. 667
Cap. XVIII. — Item de procuratore. 669
Cap. XIX. — De equitaturis hospitum. 671
Cap. XX. — De pauperibus et eleemosynis. 673
Cap. XXI. — De mulieribus. 681
Cap. XXII. — De novitio. 681
Cap. XXIII. — Professio novitii. 685
Cap. XXIV. — Oratio super cucullam. 689
Cap. XXV. — Oratio super novitium. 691
Cap. XXVI. — De ordine congregationis. 691
Cap. XXVII. — De ætate suscipiendorum. 691
Cap. XXVIII. — De utensilibus cellæ. 693
Cap. XXIX. — Quo tempore de cella exeatur et de vigiliis et distinctione horarum. 693
Cap. XXX. — De his qui in cella manentibus importune se ingerunt, et de coquinario. 701
Cap. XXXI. — Item de cella. 703
Cap. XXXII. — De fratribus qui in aliquo opere occupantur. 703
Cap. XXXIII. — De jejuniis atque cibis. 703
Cap. XXXIV. — De mensura vini et casei. 707
Cap. XXXV. — Quod nulli liceat majora exercitia facere, nisi favente priore. 709
Cap. XXXVI. — De hospitibus suscipiendis. 711
Cap. XXXVII. — De tractando consilio. 715
Cap. XXXVIII. — De cura infirmorum. 715
Cap. XXXIX. — De minutione. 715
Cap. XL. — De ornamentis. 717
Cap. XLI. — Ut nulla extra eremum possideantur, et de sepultura peregrinorum. 719
Cap. XLII. — De divino officio fratrum laicorum. 723
Cap. XLIII. — Item de eadem re, et quo tempore ad lectos redeant. 725
Cap. XLIV. — Quis præsidere vel respondere debeat. 727
Cap. XLV. — Quod cum prælato suo fratribus loqui liceat. 727
Cap. XLVI. — De coquinario. 727
Cap. XLVII. — De pistore. 729
Cap. XLVIII. — De sutore. 729
Cap. XLIX. — De præposito agriculturæ. 729
Cap. L. — De magistro pastorum. 729
Cap. LI. — Quo tempore vinum fratres habeant. 731
Cap. LII. — De jejunio fratrum. 733
Cap. LIII. — Quo tempore vescantur avenario pane. 735
Cap. LIV. — De minutione eorum. 737
Cap. LV. — De silentio ad prandium. 737
Cap. LVI. — Quid agendum sit in periculis. 737
Cap. LVII. — De vestitu fratrum et utensilibus cellæ. 737
Cap. LVIII. — Quod loquendi cum extraneis licentiam non quærunt. 739
Cap. LIX. — Quid fiat de re alicui nostrum missa. 739
Cap. LX. — Quid de re inventa faciendum sit. 741
Cap. LXI. — De brachis et parvis pelliciis fratrum. 741
Cap. LXII. — De fratre qui sagmarios curat. 741
Cap. LXIII. — De horto. 745
Cap. LXIV. — De custode pontis. 745
Cap. LXV. — De disciplinis fratrum. 745
Cap. LXVI. — De cinere. 745
Cap. LXVII. — Quid faciant pro missa. 745
Cap. LXVIII. — De Cœna Domini. 745
Cap. LXIX. — De Parasceve. 745
Cap. LXX. — Quomodo se habeant in solemnitatibus. 746
Cap. LXXI. — Quid faciant pro defunctis 745
Cap. LXXII. — De rasura fratrum. 745

CAP. LXXIII. — De novitio suscipiendo. 745
CAP. LXXIV. — Professio laici. 747
CAP. LXXV — Quomodo se habeat frater postquam susceptus est. 747
CAP. LXXVI. — De hospitio fratrum qui foras mittuntur. 749
CAP. LXXVII. — De fugitivis, sive expulsis. 749
CAP. LXXVIII. — De numero habitatorum. 751
CAP. LXXIX. — Quare tam parvus sit numerus. 755
CAP. LXXX. — De commendatione solitariæ vitæ. 755
VITA S. HUGONIS, EPISCOPI GRATIANOPOLITANI. 759
Monitum. 759
Epistola Innocentii II papæ 761
Incipit vita. 761
Prologus. — Ad pontificem Romanum. 761
CAP. I. — Sancti Hugonis parentes, studia, canonicatus. 765
CAP. II. — Episcopatus Gratianopolitanus susceptus. 765
CAP. III. — Monachatus Cluniacensis per annum. Frequens in Carthusia cum S. Brunone et aliis conversatio. Inter afflictiones donum lacrymarum. 768
CAP. IV. — Oculorum et aliorum sensuum ac linguæ sancta custodia. 772
CAP. V. — Eleemosynæ factæ, munera spreta, dissidia sublata, conciones, auctoritas summorum pontificum defensa. 775
CAP. VI. — Morbus, visitantibus monita data, mors, sepultura 779
GUIGO CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS HUJUS NOMINIS SECUNDUS; — BERNARDUS, JOANNES, STEPHANUS DE CHALMETO CARTHUSIANI.
Notitia in Guigonem. 785
SCALA PARADISI seu Tractatus de modo orandi et de vita contemplativa, auctore, ut videtur, Guigone. 785
De Guigonis et aliorum Carthusianorum opusculis præfatio 787
LIBER DE QUADRIPERTITO EXERCITIO CELLÆ. 787
CAP. I. — De modo et causa adventus priorum ordinis Carthusiensis ad annuum capitulum, et de triplici fructu adventus eorum. 804
II. — De suavitate sublimi, et sublimitate suavi, quæ in ordine Carthusiensi in tribus specialiter consistit. 805
III. — De spirituali conversatione fratrum Carthusiensium in qua eunt post Christum, per Christum, ad Christum. 807
IV. — Quid spiritualiter debeat accipi per vilitatem et asperitatem habitus Carthusiensium, et de paupertate victus eorum. 808
V. — De puritate contemplationis internæ, quæ ad cellæ potissimum solitudinem spectat. 810
VI. — Qualiter suavis cellæ quies, et quieta ejus suavitas in quibusdam sacræ Scripturæ locis expressa sit. 811
VII. — Item de eadem quiete cellæ : qualiter per viros sanctos a Moyse usque ad Isaiam ejus secretum sit expressum. 812
VIII. — De quibusdam viris sanctis qui ab Isaia fuerunt usque ad Christum, et de quibusdam qui fuerunt post adventum Christi, qualiter per eos figurata sit cellæ quies. 813
IX. — De quiete cellæ ; et quod non expediat ei qui in ea habitat, ut curiositate, temeraria nimis diu extra eam moretur. 815
X. — De eo quod cella, ab eo qui eam inhabitat jugiter tenenda est ; et quod ei periculum eveniat, si temerarie ab ea fuerit egressus. 817
XI. — De magnis multisque periculis quæ ille incurrit qui habitator est cellæ, et de illa male exit ; et de eo quod magnam animæ sanctæ confert quietem plena ac perfecta abjectio sæcularium rerum. 819
XII. — De sæcularium (cui præcipue intendunt Carthusienses) negotiorum et sollicitudinum et possessionum abjectione. 821
XIII. — De loco sanctæ voluptatis, et de spirituali fuga sancti Job. 822
XIV. — Quomodo spiritualiter egrediatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum : et quis ille fluvius sit. 824
XV. — Quod qui ad annuum conveniunt capitulum priores, ordinis debent diligenter intendere renovationi : et de quatuor sanctis exercitiis, quibus sollicite studere debet omnis qui in cella vult fructuose commorari. 825
XVI. — De commendatione cellæ, et de quatuor capitibus illis in quæ fluvius dividitur, qui ad irrigandum paradisum de loco voluptatis egreditur. 827
XVII. — Quod qui habitator est cellæ omnem debeat illicitam devitare locutionem : et quæ illa sint bona ad quæ nos sacra lectio provehit. 829
XVIII. — De generibus sanctarum meditationum quibus intendere debet qui in cella solitarius sedet, et de studiosa sacræ Scripturæ recordatione. 830
XIX. — De illo meditationis modo qui in animo meditantis timoris gignit causam et doloris, qui in octo modos dividitur. 831
XX. — De generali resurrectione mortuorum, et pœnis damnatorum, et qualiter repeti debeant illi octo modi, in quibus timoris existit causa et doloris. 834
XXI. — Qualiter in animo meditantis timor expellit elationem ; et de tertio meditationis modo, qui occasionem administrat amoris et consolationis. 836
XXII. — De quarto meditationis modo, qui causam gignit in animo meditantis pietatis et compassionis : et quod quædam quæ videmus ab aliis mala fieri, magis debeamus intra nos plerumque excusare quam temere judicare 838
XXIII. — Qualiter quintum meditationis modum opponere debeamus in mente nostra, contra illam qua jugiter pulsamur tentationem carnis, diaboli et mundi. 840
XXIV. — De tædio quod aliquis patitur qui cellæ habitator est : et quomodo illud a se repellere, seque renovare ac reparare possit. 841
XXV. — De his quæ in carne operatus est Christus ; et de laboribus sanctorum suorum. 842
XXVI. — De septimo meditationis modo, qui stuporis in mente meditantis causam gignit, et admirationis : et de eo quod per ea quæ facta sunt conspicitur ipse qui fecit. 845
XXVII. — De vocibus et locutionibus quas anima spiritualiter audit : et qualiter anima ad imaginem Dei facta sit, et quem motum suscipiat, et cujus motus susceptibilis non sit. 848
XXVIII. — De illis beatis spiritibus, quæ videlicet illa sint quæ ad eos pertinent ; et quid de illis in pura meditatione sua, cellæ debeat infra se habitator revolvere. 850
XXIX. — De illo meditationis genere quod intra nos in ipsis intimis cordis nostri debemus habere, cum de Deo studemus cogitare : et qualiter de illo nos deceat et liceat sentire. 855
XXX. — De Trinitate personarum, et unitate substantiæ quæ Deus est, et quod præjudicium aliquod nec Trinitatis unitati, nec unitas facit Trinitati. 859
XXXI. — De diligenti sollicitudine, et sollicita diligentia quam orationi nostræ quando ei incumbimus debemus impendere : et de magna instabilitate qua in corde, orationis tempore, per otiosa et nociva, dispersis cogitationibus nostris, misere ac miserabiliter fluctuamus, et per innumera evagamur. 862
XXXII. — De mentis evagatione, quam nobis orationis tempore inesse sentimus : et qualiter et quare per tertium qui de loco voluptatis egreditur fluvium, qui et Tigris vocatur, orationis accipienda devotio sit. 864
XXXIII. — Quales nos exhibere debeamus priusquam ad orationem accedamus, ut cum ad eam venerimus, sic eam Deo offeramus, ut ipse eam et sibi acceptam, et nobis misericorditer efficiat fructuosam. 869
XXXIV. — De eo quod, cum ad orationem accedimus, et illis qui in nos deliquerunt, ex puro corde dimittere, et si sunt qui habent aliquid adversum nos, plene eis ac perfecte reconciliari debemus. 871
XXXV. — De quatuor cogitationum generibus, quæ nobis necessarium est in mente habere, si pure, et devote, atque fructuose Dominum volumus orare. 875
XXXVI. — De opere manuum, cui debet cellæ inhabitator intendere, et quibus horis spiritualibus exercitiis, et quibus insistere debeat manuum operibus, et de pluribus aliis quæ ad eumdem cellæ incolam pertinent. 880
BERNARDUS CARTHUSIÆ PORTARUM PRIOR.
EPISTOLÆ tres. 885
EPIST. I. — Ad Aymonem de Varennes et Aymonem de Rohoria. — De fuga sæculi. 885
EPIST. II. — Ad moniales de Lugduno. — Hortatur illas ad capessendam magno animo, quam recens susceperant strictiorem disciplinam. 889
EPIST. III — Ad Rainaldum inclusum. — Qualiter coram Domino sit vivendum. 892
JOANNES CARTHUSIÆ PORTARUM MONACHUS.
EPISTOLÆ quinque. 899
EPIST. I. — Ad Stephanum fratrem carne et spiritu. — De fuga sæculi. 899
EPIST. II. — Ad Latoldum. — De modo orandi. 915
EPIST. III. — Ad Hugonem. — De modo orandi ac præ-

sertim de gratiarum actione. 918
Epist. IV. — Ad Berardum. — De custodia cordis. 924
Epist. V. — Ad Bernardum nepotem suum, qui de Carthusiensi ad alium ordinem transire cogitabat. — De constantia in proposito. 926

STEPHANUS DE CHALMETO.

EPISTOLA DE PERSEVERANTIA ORDINIS ad novitios Sancti Sulpitii ord. Cisterc. 931
Epistola Alexandri papæ III ad Arthaudum priorem Alveriæ, de schismate illius temporis. 933
Appendix. 933

SANCTUS HUGO EPISCOPUS LINCOLNIENSIS IN ANGLIA ORDINIS CARTHUSIENSIS.

Hugonis Vita. — Monitum. 937
Dissertatio de anno quo S. Hugo in episcopum Lincolniensem consecratus sit. 939
Incipit Vita. — Prologus. 943
Liber primus.
Cap. I. — Qualiter Hugo genitricis solatio destitutus, et regulari collegio clericorum una cum genitore sociatus, jugum Domini ab infantia portaverit; et inseruntur de sua institutione puerili verba ejusdem. 945
Cap. II. — De ejusdem profectu in scientia et virtute, et quam devotus ac sedulus in divinis officiis ac fratrum obsequiis existebat. 946
Cap. III. — De patris sui commendatione, et quam humiliter ac devote ministraverit et Hugo noster, ejusdem obsequiis specialiter deputatus. 947
Cap. IV. — Qualiter ordinatus levita, mox prædicationis studio plebem informans, cellulam S. Maximi regendam accepit, et ita laudabiliter rexit. Et sub hoc comprehenditur quintum capitulum magnæ Vitæ. 948
Cap. V. — Qualiter illud evangelicum : « Si peccaverit in te frater tuus » circa quemdam dictæ cellulæ parochianum exsecutus est de peccato adulterii diffamatum. 950
Cap. VI. — Qualiter cum priore suo Carthusiam invisit, et visam dilexit. 951
Cap. VII — Qualiter ad prioris sui instantiam fide interposita juravit, quod ipso superstite ad ordinem Carthusiensium nullatenus transvolaret; et fidem non servavit, nec tamen de fidei transgressione scrupulum habuit, unde profectum tantum cepit. 952
Cap. VIII. — De tentatione gravissima, quæ post ordinis Carthusiensis ingressum ipsum arripuit : nec tamen defuit ei tuitio salutaris. 954
Cap. IX. — De commendatione ordinis Carthusiensis, et profectu in eodem nostri Hugonis : et qualiter senior ad cujus obsequium fuerat deputatus, ipsum de suscipiendo ordine sacerdotali tentavit, et ipsum futurum episcopum prænuntiavit. Et sub hoc capitulo comprehenduntur 10 et 11 capitula magnæ Vitæ. 956
Cap. X. — De ipsius in devotione profectu, postquam est sacerdos effectus, et corporalis asperitatis ac abstinentiæ rigore. 957
Cap. XI. — Qualiter Petri archiepiscopi Tarentasiensis obsequio deputatus, tam in Scripturarum perscrutatione, quam in omnibus, quæ poterant reverentiæ congrua, aut animo grata esse, devotissime ministrabat, ab ipso quotidie recipiens benedictionem, absolutionem et instructionem salubrem. 958
Cap. XII. — Qualiter domus Carthusiæ procurator effectus, ipsam tam spiritualiter quam temporaliter strenue gubernabat, omnibus se reddens merito commendatum. 959
Cap. XIII. — De tentatione illius alia ab illa de qua supra, capitulo octavo, et qualiter ab ipsa per illum sanctum quondam priorem Carthusiæ Basilium, quem suum nutritorem vocavit, exstitit liberatus. Et inseritur hæc tentatio in magna Vita libro secundo. 959
Prologus libri secundi. 961
Liber secundus. 961
Cap. I. — Qualiter pro domo Carthusiensis ordinis, in Anglia apud Withamiam construenda, mittitur ad quærendum Hugonem. 961
Cap. II. — Qualiter nuntii ad Carthusiam venientes super petitione sua invenerunt fratres dissentientes, et qualis erat sententia ipsius de ipsa exaudienda, et hoc est cap. 3, in serie magnæ Vitæ. 964
Cap. III. — Qualiter demum obtentum est, ut adiret Angliam Hugo ad regem veniens, et qualiter Withamiam cum honore deductus sit. 966
Cap. IV. — Qualiter statu, quem invenit apud Withamiam, visitato, ad regem reversus, fecerit villæ de Witham habitatoribus, inde discessuris, largissime provideri. 968
Cap. V. — Qualiter loci constructione pro sumptuum defectu nullatenus procedente, fratre Girardo regem adeunte cum nostro Hugone, et regi verba asperrima proferente, Hugonis exstitit patientia approbata, cujus ex tunc ad regem familiaritas est vehementius confirmata. 970
Cap. VI. — Quod rex Hugoni credidit præ cæteris omnibus in his quæ suæ salutem animæ contingebant; et quod a multis regis filius putabatur : et quod ipsum super variis excessibus arguendo, non cessabat sacris informare exhortationibus, quia ejus varia consolatione levius ferebat adversa, et fretus ejus orationibus superabat facilius, et consiliis instructus circumspectius declinabat. 972
Cap. VII. — Qualiter rex in periculo maris Britannici constitutus, liberationem suam Hugoni ascripserit : et vovere dicebatur quod ad pontificalem gradum niteretur eum quantocius promovere, si ad portum incolumis perveniret. 975
Cap. VIII. — Qualiter devotioni totaliter Hugo intendebat, ita quod in somnis hanc dictionem, Amen, de consuetudine proferebat; et qualiter etiam se gerebat in mensa : et quod, quamcunque habebat in manibus occupationem, se totum ei dabat. 976
Cap. IX. — Qualiter ad ipsum apud Withamiam confluebatur pro solatio capiendo; et quod multi cum eo religionis suæ vitam ducere cupiebant, ipse tamen nec cito, nec facile pulsantes recipiebat. 977
Cap. X. — De apostatatione fratrum Andreæ et Alexandri, et de conviciis ac blasphemiis eorumdem in Hugonem et ordinem Carthusiensem filiatis. 977
Cap. XI. — Qualiter difficilem se habuerit noster Hugo ad eorum receptionem, qui semel apostatassent : et quam tenere persistentium in sua religione quietem dilexerit. 979
Cap. XII. — Qualiter, licet esset de libris congregationis suæ necessariis perquirendis sollicitus, bibliothecam tamen per regem sibi a monachis Withoniensibus acquisitam ex insudito charitatis affectu ultro reddi fecit. Unde convaluit ex illo præsertim tempore inter monachos Wintonienses et Withamienses eremitas dilectio specialis, per quam Robertus prior cathedralis ecclesiæ, et Radulphus sacrista, Withamienses effecti solitarii sunt; quorum instantiam inscripsisse se asserit Vitam nostri Hugo ejusdem dictator. 979
Prologus libri tertii. 981
Liber tertius. 983
Cap. I. — Qualiter Hugo in episcopatum est electus. 983
Cap. II. — Qualiter Hugo electionem primo de se factam reputans irritam et inanem, ad se venientibus persuasit ut, ad cathedralem ecclesiam remeantes, electionem ibidem canonicam celebrarent. 985
Cap. III. — Qualiter pro electione secunda apud Lincolniam celebrata, ad se missis responderit se sine prioris Carthusiæ obedientia episcopale onus non subiturum. 986
Cap. IV. — Qualiter missi priorem Carthusiæ requirebant; et Hugo ipse devotioni fortius insistens se contra jugum episcopale sibi imminens præparabat. 987
Cap. V. — Qualiter nuntiis a Carthusia regressis, cationem jam tertia de domo sua exire compulsus, versus Lundinum pro consecratione recipienda se transferens, illam nondum sui ordinis humilitatem deseruit; quin potius post sellam equitando sarcinulam deferret : in sua consecratione a regia munificentia largissime honoratus. 989
Cap. VI. — Qualiter incathedratus apud Lincolniam archidiacono Cantuariensi responderit quantum pro mitra dederat, tantum ei pro cathedra se daturum. Qualiter etiam responderit procuratori domus suæ de capiendarum numero damarum : et de avis apud Stowam mirabilitate, quam retulit archidiaconus Menevensis. 990
Cap. VII. — Quam sollicitus erat Hugo noster de personis idoneis in Lincolniensi Ecclesia collocandis, et pro incumbentis sibi oneris supportatione suo lateri adjungendis. Et est hoc capitulum in serie magnæ Vitæ octavum. 993
Cap. VIII. — Qualiter Hugo noster summum regis forestarium excommunicando, et se a conferenda præbenda ab ejusdem instantia excusando, ipsius regis incurrit offensam. 994
Cap. IX. — Qualiter prædictis offensis a rege vocatus ita se habuit respondendo, quod cum ejus benevolentia liber abscessit. 995
Cap. X. — Quod in ecclesiis præbendatos teneri ad residentiam reputabat; et secundum hoc magistro Parisiensi respondit, qui præbendari in Ecclesia Lincolniensi affectavit; et quod inter fratres seu homines quosque dilexit præcipue unitatem. 997

Cap. XI. — Qualiter tam Baldewino Cantuariensi archiepiscopo, quam ejus successori, capellarum constructioni insistere dissuaserit, ex qua inter ipsos et suos monachos Cantuarienses gravissima discordia exorta fuit, inter quos pacem reformavit. 999

Cap XII. — Quomodo in mensa et in victualibus se Hugo habebat; et quam potenter in executione eorum, quæ sui erant officii, se gerebat; et quam humiliter ac devote circa pueros confirmandos et alios infirmitate detentos astabat. 1001

Cap. XIII. — Qualiter ex dulcedine affectionis infantulis adjocabatur, qui vice versa eidem mirabiliter applaudebant. 1003

Prologus libri quarti. 1003

Liber quartus. 1005

Cap. I. — De Martini nostri Hugonis scriniarii tonsione, ad religionem conversione, et profectione in eadem. 1005

Cap. II. — De osculo leprosorum et multiplici consolatione, verbis nostri Hugonis, de dulcedine Salvatoris, et eleemosynæ largissima distributione. — Et hoc est capitulum in serie magnæ Vitæ libro quarto. 1007

Cap. III. — Quam constanter rebellibus se opposuit, e in Deum contumaciter delinquentes ecclesiastica censura punivit. 1008

Cap. IV. — De partus ab uxore cujusdam militis suppositione, et eorum punitione qui tanto facinori consenserunt, de nomine lorestarii, et de crudeli cujusdam episcopi maledictionem retinentis interfectione. 1009

Cap. V. — De quodam diacono, qui militem quemdam super crimen regiæ proditionis acriter impetebat. — Et hoc capitulum inseritur magnæ Vitæ c p. 6, lib. iv. 1014

Cap. VI. — De adolescentula Oxoniæ, quæ, priore sponso contempto, de facto alteri conjugata et super hoc convicta, parere contempsit beato Hugoni. — Et est hoc similiter capitulum in magna Vita sub capitulo sexto. 1015

Cap. VII. — De clerico Eboracensis diœcesis, qui super ecclesia dimittenda, de qua contra eum a beato Hugone auctoritate delegata ferebatur sententia, parere noluit judicatis. — Et est adhuc capitulum hoc sub eodem capitulo sexto in magna Vita. 1016

Cap. VIII. — Qualiter a rege Richardo redemit pallii servitutem, et quam liberaliter contribuit clerus diœcesis suæ ad illam redemptionem, et quod etiam pœnam pecuniariam recipi prohibuit pro delictis. — Et hoc est capitulum in magna Vita sub cap. 7. 1017

Cap. IX. — Qualiter jus advocatiæ abbatiæ de Eyneshaim contra regem Richardum illud sibi vindicantem, per inquisitionem solemnem evicerit. — Et est hoc capitulum in magna Vita cap. 8. 1020

Cap. X. — Quod annis singulis fere Withamiam declinaverit, ubi cornutam faciem gerere videbatur. Et qualiter sæcularibus ibidem prædicando de tribus specialiter eos instruere nitebatur, scilicet de cordis charitate, veritate oris et corporis castitate, et quam stricte servare apud se nitebatur veritatem. — Et hoc capitulum est in magna Vita sub capite 9. 1022

Cap. XI. — Qualiter Withamiam veniens nitorem habuerit insolitum, colore rubicundo superfusum, ad primum loci conspectum ineffabili quadam spiritualis gaudii jucunditate sentiens se perfundi; et qualis erat conversationis, dum morabatur ibidem — Et est hoc capitulum in magna Vita caput decimum. 1024

Cap. XII. — Qualiter fratrer Eynardo in arreptione itineris constituto, ut Withamiam relinquens, Carthusiam remearet, reductus est a beato Hugone, inito inter eos vicissim fœdere, quod nec ille Withamiam, nec iste Lincolniam desereret in futurum. 1025

Cap. XIII. — De peracto innoxie coquinæ incendio in nostri Hugonis finali de Withamia recessu. 1026

Prologus libri quinti. 1027

Liber quintus. 1029

Cap. I. — De immensitate divinæ ad homines dilectionis quæ in sepulturæ humanæ officio notabiliter demonstratur, et de nostri Hugonis circa hujus officium affectione immensa. 1029

Cap. II. — De cujusdam pauperis sepultura in Northmannia, et plurimum in Lincolnia, et prælati cujusdam in Bermundesia. 1031

Cap. III. — De contentione inter ipsum, et comitem Leycestriæ super pago quodam Leycestriæ contiguo. — Et est hoc in magna Vita sub capitulo secundo. 1034

Cap. IV. — De revelatione clerico insinuata, qui inter manus episcopi celebrantis formam vidit pueri sub hostia salutari. — Et est tertium capitulum in magna Vita. 1035

Cap. V. — De stupendo valde miraculo quod in Francia de corpore Christi contigerat inter manus indigni sacerdotis, et de sententia mirabili nostri Hugonis ad vicsendum illud miraculum invitati. — Et est capitulum quartum in magna Vita. 1039

Cap. VI. — Qualiter Hugo noster suum corripuit metropolitanum, et quam sollicitus erat de moribus subditorum. — Et est hoc capitulum quintum in serie magnæ Vitæ. 1042

Cap. VII. — Qualiter in concilio Oxoniensi petitioni resistit de auxilio petito a rege Richardo, a quo tamen fuit susceptus honorifice p st offensam. — Et continetur hoc capitulum sub capite quinto in serie magnæ Vitæ. 1045

Cap. VIII. — Qualiter sedata regis offensa eumdem corripuit, et ab eodem honoratus recessit; cui etiam post recessum rex contingentem sibi de hospitibus victoriam nuntiavit. 1047

Cap. IX. — Quam constanter se ad mandatum regum excusavit, quo sibi mandatur, ut ad ipsum mitteret duodecim de personis suæ Lincolniensis Ecclesiæ qui ad sua forent nuntia expedienda aptiores, contra exsecutores datos ad confiscandum omnia bona sua censuram exercendo ecclesiasticam. — Et hoc est capit. 7, in serie magnæ Vitæ. 1049

Cap. X. — Quod archiepiscopo consulenti, ut mitteret pecuniam regi, qui eam sitiebat, sicut hydropicus aquam, respondit: « Si hydropicus est, ego aqua non ero. » et de curatione apud Gestrehant furibundi. 1053

Cap. XI. — Qualiter mulierculam quamdam a spiritu pythonico liberavit. — Et est capit. octavum in magna Vita. 1053

Cap. XII. — Qualiter mulierem aliam liberavit a dæmone incubo. — Et continetur hoc capit. in magna Vita sub capit. octavo. 1056

Cap. XIII. — De furis ereptione, qui ad suspendium ducebatur, et qualiter baronibus scacarii est locutus. Et continetur hoc capit. sub capite nono in magna Vita. 1058

Cap. XIV. — De juvene quem apud urbem Roffensem desperatum invenit, cujus postmodum computruit caro secus utrumque femur, qui per nostrum Hugonem tam in corpore, quam in anima est curatus. — Et hoc est ex capit. 2 in magna Vita, libro iv. 1061

Cap. XV. — Quod ad clerici ordinationem in subdiaconum induci non poterat, qui futurus erat leprosus. Et quam violentæ fiebant sibi persuasiones, ut regis nostri iram sedaret pecunia mediante, et qualiter superveniente de morte regis rumore ei suaderi non poterat, quin ejus sepulturam adiret. — Et hoc est cap. 10 in serie magnæ Vitæ. 1063

Cap. XVI. — Qualiter Joannes, rex futurus, post sepulturam fratris, apud Fontem Ebrandi accessit et qualia se facturum monialibus per nostrum Hugonem promiserit, et de pluribus gestis ejusdem Joannis, suam insinuantibus reprobationem futuram. 1068

Cap. XVII. — Qualiter post mortem regis Richardi repatriando hostium evaserit violentias, et a sibi occurrentibus cum gaudio sit susceptus. — Et hoc est cap 12 in magna Vita. 1072

Cap. XVIII. — Qualiter habens in votis Carthusiam visitare, cedendi petitam licentiam non obtinuit, et quam strenue se gesserit in causis sibi delegatis, et specialiter contra quemdam Jordanum de Turri, et quam grave fuerit sibi se de negotiis sæcularibus personaliter intromittere, quæ aliis imponenda censuit, fidelibus et discretis. 1075

Cap. XIX. — Qualiter pace inter reges Franciæ et Angliæ reformata, cui et noster Hugo intererat, a rege et archiepiscopo accepta licentia, ut Carthusiam declinaret, Parisius veniendo, ibidem Ludovico regis Franciæ filio, et Arthuro Joannis nepoti saluberrima est locutus: et de quodam sibi occurrente et absolutionem petente, quem in Anglia excommunicaverat multo tempore tunc elapso. Et hoc est capit. 13 in serie magnæ Vitæ, sub quo etiam continetur capitulum præcedens. 1077

Cap. XX. — De adventu illius et receptu apud Gratianopolim, et Carthusiam, et qualiter se in locis illis gerebat. De pacis per ipsum reformatione inter episcopum et consulem Genevenses, et qualiter a Carthusia recessurus de reliquiis ordinaverit a se et suo monacho exquisitis. 1080

Cap. XXI. — Quam devotus exstiterat in reliquiarum sanctorum visitatione et conquisitione earum, et qualiter de eis finaliter ordinavit. — Et continetur in magna Vita sub cap. 14, circa medium illius capituli. 1083

Cap. XXII. — De locis, quæ pertransivit de Carthusia in Angliam revertendo, et de ejus gestis in iisdem, et qualiter fuerit, antequam Londonium veniret, ægritudine pergravatus. 1086

Cap. XXIII. — Qualiter Londoniis in sua ægrotatione mala Angliæ ventura prædixit, sacram unctionem suscepit, suadentibus et testamentum esse faciendum respondit,

et zelum, quem semper ad divinum officium habuerat, non dimisit et qualiter ad regem Joannem et archiepiscopum se habuit causa visitandi accedentibus ad eumdem. 1094

Cap. XXIV. — Qualiter magistro fabricæ Lincolniensis Ecclesiæ de facienda præparatione contra generale colloquium ibidem in brevi futurum injunxit, et qualiter ea descripserit quæ circa ejusdem exsequias et sepulturam voluit observari, et qualiter se habuit ad suasionem de esu carnium sibi factam. 1098

Cap. XXV. — Qualiter ab hac vita discesserit. — Et continetur hoc capitulum in magna Vita sub capit. 16. 1103

Cap. XXVI. — De visione cadentis arboris, ex qua sumpta est illa antiphona : Arbor cadit mystici index sacramenti, etc. Et est hoc capit. in magna Vita, cap. 18. 1104

Cap. XXVII. — De corporis defuncti præparatione, exsequiarum, ut descripserat, celebratione, ejusdem apud Lincolniam delatione, miraculorum in itinere contingentium recitatione, et de occursu regum et aliarum sublimium personarum. Et est in serie magnæ Vitæ sub capit. 19. 1106

Cap. XXVIII. — De corporis per civitatem deportatione, ejusdem nova præparatione, miraculorum ostentatione, oblationis magnitudine, et versuum subscriptione. Pontificum baculus, etc. In loco, ubi præceperat, sepelitione. Et continetur hoc capit. in serie magnæ Vitæ sub capitulo 20. 1111

LITTERÆ CONSTITUTIONUM IN VISITATIONE. 1113

DIPLOMATA. 1115

I. — Charta donatorum concessiones recitans et confirmans. 1115

II. — Charta domini Hugonis episcopi et capituli Lincolniensis de duabus partibus ecclesiæ de Corbi. 1118

III. — Charta Hugonis Lincolniensis episcopi donatorum concessiones monasterio S. Oswaldi de Bardeney recitans et confirmans. 1118

IV — Charta confirmationis donationum per Hugonem Lincolniensem episcopum pro ecclesia Sancti Andreæ Northamptonæ. 1120

V. — Confirmatio Hugonis episcopi Lincolniensis de ecclesia de Waldene. 1122

VI. — Confirmatio sancti Hugonis Lincolniensis episcopi ecclesiarum de Thorneberg et Dodeford monachis Luffeldensis monasterii. 1122

VII. — Charta Hugonis Lincolniensis episcopi de confirmatione donationis Rodulfi de Abi ad abbatiam construendam apud Grenefeild. 1122

STATUTA ANTIQUA ORDINIS CARTHUSIANI — Monitum. 1125

I. — Acta primi capituli ordinis Carthusiensis. 1125

II. — Item capitula alterius conventus. 1127

III. — Alia statuta 1127

IV. — Antiqua statuta ordinis Carthusiensis de sacris ritibus. 1129

V. — Statuta capituli generalis ordinis Carthusiensis edita anno 1261. 1133

VI. — Statuta edita in capitulo generali ordinis Carthusiensis anno 1289. 1141

VII. — Statuta edita anno 1290. 1143

VIII. — Statuta anni 1291. 1143

IX. — Statuta nova capituli generalis. 1143

X. — Statuta anni 1332. 1149

Addenda. 1149

MAGISTER LAMBERTUS CARTHUSIENSIS DOMUS SQUILLACENSIS PRIOR

Notitia. 1149

MAGISTRI LAMBERTI STATUTA. 1149

Index in opera divi Brunonis. 1151



FINIS TOMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI TERTII.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge